IOANNIS

LORINI

EX SOCIETATE
IESV THEOLOGI,

IN CATHOLICAS TRES B. IOANNIS, & duas B. Petri Epistolas Commentarij.

EDITIO NOVISSIMA: IN QVA adiecta non pauca recognito correctóque Commentario.

Accessit rerum, & cuiuscumque generis verborum, sententiarúmque Index locupletissimus.



LVGDVNI,
Sumpt. Iacobi Cardon & Petri Cauellat.

M. DC. XXI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

IOANNES LORINVS CATHOLICO.

PVBLICVM priuato, particulari commune; partiario, sectario, hæretico, schismatico, abstento, infideli multo magis, Catholicum propriè attribui nec debet, nec potest. Cui ergo ego iure alteri, catholicè scriptas inscriberem, quàm tibi Catholico, epistolas? Cautum hîc [a], non orthodoxo vel aue dicere, ne communicare videamur operibus eius malignis: scribitur filiolis, patribus, adolescentibus, infantibus, iuuenibus[b]: non seruilis conditio negligitur [c], non sexus[d]: eduntur generalia fidei documenta, & præcepta de moribus. Patieris tamen, Catholice, laboris nostri fructum ad alios deriuari; quos, eius qui te vocauit, exemplo, vis & aues saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire[e]: atque spiritu, & sponsa cuius dicentibus, veni, ipse etiam dicis, veni[f]. Amicum sponsi dilectúmve Domini[g], cum sponsæ viro[h] copulare placuit, Ecclesiæ columnas quidem[i], sed Orientis alterum, alterum Occidentis præcipuum decus; vtrumquè mutuæ caritatis vinculo magis familiariter astrictum[k]. Qui præcucurrit citius Petro[l], & prior nobis occurrit in schola, primas obtinet in commentario, sed nullo Petri primatus vel secundum dignitatis, vel secundum temporis, quo scripsit, ordinem, præiudicio. Tu fide insignem[m], notabilem caritate[n], ambos omni ornatos cumulatè diuino munere, καθολικῶς ama, cole, imitare, hoc est, communiter, perpetuò. Vale.

* * *

a 1. Ioan. vers. 10.11.
b 1. Ioan. 2. 12. 13. 14.
c 1. Pet. 2. 18.
d cap. 3. 1. 7.
e 1. Tim. 2. 4.
f Apo. 22. 17.
g Ioan. 13. 23 c. 19 26 c. 21. 7. 20.
h Matth. 16. 18. 19. Ioan. 21. 15. 16 17.
i Gal. 2. 9.
k Luc. 22. 8. Ioan. 13. 24. c. 18. 16. c. 20. 3. 4. c. 21. 7. 20. 21. Actuũ 1. 13. c. 3. 1. c. 4. 19. c. 8. 14.
l Ioan 20. 4
m Matt. 16. 17. Luc. 22. 33.
n sup. lit g.

CLAVDIVS AQVAVIVA,
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVm Commentarios in epiſtolas Sanctorum Ioannis & Petri Apoſtolorum, P. Ioannis Lorini, Societatis noſtræ Theologi, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint; & in lucem edi poſſe probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi iis, ad quos pertinet, viſum fuerit. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 11. *Martij* 1608.

CL. AQVAVIVA.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Ieſu, in Prouincia Lugdunenſi.

LVdouicus Michaelis Prouincialis Societatis Ieſu, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. die x. menſis Maij, anni 1583. Et Henrico IV. nunc regnante 20. Decemb. 1606. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque illorum permiſſione imprimant; permittit Horatio Cardon, Lugdunẽſi Bibliopolæ, vt *Ioannis Lorini ex Societate Ieſu Theologi, in Catholicas tres B. Ioannis, & duas B. Petri Epiſtolas Commentarios*, ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni die 6. Maij 1609.

LVD. MICHAELIS.

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege obtenti.

HEnrici IV. Galliæ & Nauarræ Regis diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo regno, aliiſve locis ditioni ſuæ ſuppoſitis, intra proximos annos decem à die conceſſionis præſentium inchoandos, excudat, vendat, excudendum vendendúmve quovis modo ac ratione conetur, librum, qui inſcribitur, *Ioannis Lorini ex Societate Ieſu Theologi, in Catholicas tres B. Ioannis, & duas B. Petri Epiſtolas Commentarij*, vno Horatio Cardon, Bibliopola Lugdunenſi, excepto, cuive ipſe conceſſerit: ſub pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Lutetiæ; die 23. Februarij, Anno 1609.

Sic ſignatum.

De mandato Regis.

BRVLART.

IOAN

IOANNIS LORINI
E SOCIETATE IESV
IN EPISTOLAS IOANNIS CATHOLICAS.

PRÆFATIO.

De sacro Epistolari scribendi genere.

CAP. I.

COMMVNIS omnibus Apostolorũ Epistolis quæstio; tamen hic expedienda, cum similibus nonnullis, vbi genus id Scripturarum sacrarũ commentandi, post Apostolicam historiã, & Ecclesiastem, principium facimus. Neque verò thesim proferam longiùs, vt de omni scriptionis epistolaris genere differam. Recentiores hoc in argumento versati cum laude sunt. Roccus Perusinus, Aldus Manutius, Ioãnes Voëllus noster, Ludouicus Viues, Franciscus Niger, vt Libanium [a] antiquiorem prætercam; apud quem dicitur Epistola *congressus absentis cũ absente per literas* (quæ Ciceronis [b] quoque definitio est) & Demetrium [c], aliósque. Si placent ex nostris antiqui, malim laudare Catholicos, Basilium [d], Naziãzenum [e], Ignatium [f], Ambrosium [g]. Primus inter maxima Dei dona reputandum censet, quòd quàm lõgissimè propter locorum distantiam seiunctis, per literarum alloquium mutuò coalescere fas sit. Eadem penitus & his plura sunt apud Theodoretum [h], qui addit *sermonis vehiculum fieri iam non linguam, sed manum.* Refert Athenæus [i] Poëtam vocasse *epistolam naturam fœminam: eius filias literas, quæ tametsi mutæ, loquantur tamen absentibus, quibus fœlicia optamus: quod si qui ad nos venerint, & præsentes adsint, legentem non audient.* Miratos accepimus (nostro sæculo) Indos loquentem papyrum, vt ipsi ruditate quadam ingenij putabant.

Secundus de nostris quâlem oporteat epistolam scribi præscribit, non prolixiorem, breuiorémve, perspicuam, nec illepidam, inornatam, incultam, inuenustam: sed neque nimia satiãtem condituta. Tertius nominat Epistolam ceu portum secundum, & commodam stationem. Quartus docet epistolarum eiusmodi vsum esse, vt distuncti locorum interuallis, affectu adhæreamus, vt inter absentes imago refulgeat præsentiæ, & collocutio scripta separatos copulet: vt etiã cum amico misceamus animum, & mentẽ ei nostram infundamus. Confirmat id Pauli exẽplo, qui suis epistolis fidem infudit populorum mentibus, atque ad integros & confectos scripsit populos.

Eadem ratio de cæteris Apostolis, quorum extant epistolæ; imò & de quibusuis aliis; quia epistola, non ab Atossa primùm Persarũ regina, sicut Hellanico visum Alexandrinus Clemẽs refert [k], & Tatianus [l], sed multo antè, inuecta est, vt, quod ait Cicero [m], *certiores faceremus absentes, si quid esset quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset.* Citat quoque Turpilium Comicum Hieronymus [n], asserẽtem *quod sola res est, quæ homines absentes præsentes facit, vicissitudo literarum.* Laudat verò sententiam istam, & confirmat, vel stidium illorum Italiæ hominum quos Ennius appellat cascos, exemplo. Nec alibi verò magis mores apparent scribentis, quem tibi vidêris ceu in speculo conspicere, vt loquitur Eusebius [o], Paulinus [p], Sidonius [q], cuius & illud [r], *qui probus est scriptis, probus est moribus.* Cassiodorus [s], & Hieronymus [t] vocãt imagines ingeniorum: & oratio dispar moribus vix potest inueniri, ait [u] idem Cassiod.

Porro sacræ, quas dixi, Apostolorum epistolæ (non enim nunc generali contentus elogio illo sum, quo quamlibet diuinitus traditam Scripturam, Dei vocat epistolam Antonius [x], Augustinus [y], Gregorius [z], Chrysostomus [a], Macarius [b], Auctor de salutaribus documẽtis apud Augustinum [c], quò alludit etiam Basilius [d] appellãs *emissa de cœlo dona*, & eundem innuit Ephrem [e] modum loquendi) propriæ atque peculiares vidẽtur nouæ legi, in qua præter Euangeliorum, & Actuum Apostolicorum breues historias, ac Apocalypsim (quæ formam quoque gerit Epistolæ) vna supra viginti continentur. Videlicet arctum magis vinculum charitatis nũc viget: scribunt namque inuicẽ amici, copiosior Spiritus sancti gratia communicata ad faciliùs dictandum, & præscribendum, quæ moribus conducunt, & mysteriis: Prophetæ visa, auditáque quodãmodo rarùm tiã eribebant, & referebant, maius veritatis per orbem latiùs propagandæ & desiderium & præceptum. Fauet paronomasia τῶν ἀποστόλων, καὶ ἐπιστολῶν.

Quòd enim Apostoli loca multa prædicando Dei missu peragrarẽt, decebat, vt quos coràm reuisere non possent, ad eos monita scripta trãsmitterent. Lex vetus Hebræis vnis data erat, qui si

a Tract. propos. *Epistola* additum.
b lib. 2. ep. 2. ad Curionem.
c ἐπιστολ. ἰππαρ.
d ep. ii 55.
e epist. ad Nicobu. um apud Manutium.
f epist. 4.
g lib. 8. ep. 65. Sabinum edit. Rom. & 7. epist. 45.
h Orat. 4. de prouid.
i lib. 10. cap. 17.

Epistolarũ commoda.

k 1. Strom. c. 7.
l Ora. ad Græcos Tom. 4. Bibl. Patrum.
m 2. famil. ep. in 4.
n epistol. 42.

o 4. Hist. c. 23.
p ep. ad Pammachium.
q lib. 7. ep. vlt.
r lib. 3. ep. 1[illegible].
s Præfat. variarum, & lib. 6. ep. 9.
t epist. 141.
Oratio dispar moribus non inuenitur
u in Præfat.
x apud Athan. [illegible]
y Conc. 2. in Psal. 90.
z [illegible] 4. ep. 14.
a [illegible] in 2. ad Thess.
b Homil. 39.
c c. 9. tomo 4
d in Psal. 59.
e [illegible] m. 1. Ser. de patien. & consum. sec.
Epistolæ noui Testamẽti quæ

Cur tot sint noui Testamenti epistolæ.

quando regiones alias incolerent, quotannis Ierosolymam religionis causa minimum semel repetebant. Familiariùs etiam egit nobiscum Deus per epistolas, velut cum amicis; cum Hebræis tanquam cum seruis per conseruos præcipiendo ac minitando. Egebant quoque Christiani vexati hæresibus, & persecutionibus epistolarum consolatione, atque doctrina. Hanc postea secuti sunt rationem tot Patres, tot Pontifices, qui de controuersis rebus per literas responderunt, aut religionis, morúmque dogmata stabiliuerunt. Hinc est quòd Themisontem scribit apud Eusebium [a] Apollonius secta Cataphrygam, vt apostolicæ quidpiam sumeret auctoritatis, ausum scribere Epistolas Ecclesiasticas, id est, ad omnes Ecclesias.

Cur plures Paulus vnus epistolas ediderit, causam aliàs [b] recitaui, quam Cyrillus [c] Ierosolymitanus assignat: prætetea [d], quare libentiùs, sæpiúsque Pauli Ecclesia proponat epistolas in officio diuino: denique, qua de causa nomen sit impositum epistolæ cuiuis scripturæ, ab Euangelio diuersæ, quæ legitur in Missa. Quamquā nec dubitant nonnulli [e], quando Paulus suum nominat Euangelium [f], epistolas ipsas intelligere, quas mittit; quod equidem illibens concedo; sed potiùs aut de prædicatione, aut de codice, quem, ipso auctore & approbatore, scripsit Lucas. De toto capitis argumento Salmeronem [g] leges: numerum, idioma, canonicam auctoritatē omnium epistolarum modò non persequar: sunt id alij diligenter satis exsecuti [h]. Etsi verò laus epistolæ vna celebratur, vt sit breuis; (sinistrā legentis implere Seneca [i] vetat manum) non est existimandum illa carere Apostolicas.

Non nimis est longum, de quo nil demere possis [k], vel. *Non sunt longa, quibus nil est quod demere possis.* & *iaculator*, inquit, hac de re præcipiens Nazianzenus [l] *non minus peccat, si infra, quàm si suprà scopum mittat* [m]: & breuiloquus Homerus maximè, quia de plurimis paucas edidit syllabas, ita vt hoc sit Laconica breuitate vti. Hieronymus [n] libri nomine interdum epistolā intelligit, fortasse quòd longiorem Demetrius epistolam non epistolæ nomine, sed libri vocandam tradat.

De nomine *epistola* nil opus dicere à mittendo, quod ἐπιστέλλειν valet, deduci: quòd imitantes Galli vocant *vne missiue*. Nomen aliud est *literarum*, vel minùs eleganter *litera*. Huius rationem reddit Lipsius [o], ob eminentiam, quódve celebertimus literarum sit vsus, vt per eas conueniamus absentes. *Syllabas* quoque pro epistolis apud medij sæculi scriptores ecclesiasticos reperio.

[a] Hist. c. 17. vel 18.
Paulus cur plures alijs epistolas scripserit.
[b] Act. 9.
[c] Cathec. 10.
[d] Act 1. cum de Matth.
[e] Salm. Tom. 1. Proleg. 23
[f] Rom. 2. & 2. 1. Corint. 15. & alibi.
[g] Tom. 13. disput. 1.
[h] interpretes & hæreseol.
[i] epist. 45.
[k] Ouid.
[l] ep. ad Nicobulum.
[m] idem ep. 3. *Hieronymus libri nomine epistolam intelligit.*
[n] epist. 4. inter epistolas Augustini.
[o] lib. epistolaris institutionis.

De nominibus Canonicarum, & Catholicarum epistolarum.

Cap. II.

OMNES post epistolas Pauli aliorū Apostolorum in Canonem relatæ epistolę, Græcum in biblijs Titulum gerunt τὰς καθολικὰς, *Catholicæ*: Latina Sixtiana retinuerunt eundem, licet nō appinxerint nisi primæ, quæ est Iacobi; & vltimæ, quæ Iudæ: Regia etiam priori Petri: Complutensia solam Iacobi cum Titulo nominant, & quidem Canonicæ: Ioannes Benedictus canonicam vocat Iacobi, & Petri primā. Alij Codices tum impressi tum manuscripti vnam ex his rationem sequuntur; præsertim Complutensium. Nostris emendatis Vatablus fauet, atque Clarius: legi manuscriptos anepigraphos, solis contentos Auctorum nominibus. Prologus in has septem epistolas Hieronymi nomine præfixus Canonicas, tamen libro de viris illustribus Hieronymus [a] Catholicas perpetuò vocat. Apud Latinos antiquiores Patres [b] (Idacio excepto qui Canonicas vocat, citans locū ex 1. Ioannis, ac opponens Paulo, & Euāgelio, & præter Iunilium [c] & Anacletum [d] Papam: & officium Ecclesiasticū in festo SS Simonis & Iudę [e], vt omittam non adeo veteres, id est, quingentis retro ab hinc annis, vt [f] Petrū Blesensem, & Alex. III [g]. postea Innocentium III [h].) Tertullianū, Cyprianum, Ambrosium, Augustinū, Conc. Carthag. III. [i] Gregorium, Bernardum, aliósque nec non apud Græcos dum citant earum testimonia, neque Canonicarum neque Catholicarum vox apponitur: Græci (dēpto Canone vltimo ex Apostolicis, in quo nullus est titulus) dum librorum sacrorum Catalogum texunt, καθολικὰς appellant. Athanasius [k], Amphilochius [l], Nazianzenus [m] (ἑπτὰ δὲ καθολικαί, inquit, quod Billius epithetū Latinè non reddidit) Cyrillus [n] Ierosolymitanus, Damascenus [o], Nicephorus [p], Eusebius [q], Leontius [r], Exaduocatus Byzantinus, Concilium [s] Laodicenum (in quo mendosè quidam Codices Canonicas habent) Isidorus sic vocat epistolas Petri. Clemens Alexandrinus in commentario super Epistolam Iudæ, Catholicam eam vocat Cassiodorus [t] nō has propriè ac solas septem, sed simul quæ Pauli sunt nomine communi Canonicarum Epistolarum insignit, sicut & alios alij sacros libros. Paullo recentiores interpretes vsurpant, vt peculiare his epistolis hoc nomen, vt Lyranus, Petrus Aureolus, Hugo Cardinalis, Carthusianus, qui rationem reddūt, vel quòd ad Canonicam scripturam pertineant: vel quoniā Auctores Canone comprehenduntur sanctorū, cùm sint Apostoli: vel quia continent Canones, ac regulas credendarum & agendarum rerum.

Quamuis autem, inquit Carthusianus, *Pauli quoque istis de causis Canonica dici possint epistolæ, eam sibi vendicarunt alia appellationem, vt sicut vnus suæ auctor Paulus, ita nomē vnum illas designaret.* At suspicantur Iodocus [u] Clictouæus, Feuardentius [x] & alij, imperitia scriptorum factum esse, vt commutatis aliquibus mediarum syllabarum literis [y], pro Catholicis epistolis Canonicæ dictæ sint. Nō hoc ausim affirmare, tum propter citatum Hieronymi prologum, tum propter Concilium Romanum sub Papa Gelasio, quod vtitur eadē voce, tum propter alios & Codices, & auctores, quos dixi; quibus adde Origenem, & Dionysium Alex. apud Eusebium [z]. Lege in Concilio Antiocheno sub Iulio Papa primo, Canonem octauum, quo Presbyteris, qui sunt ἐν ταῖς χώραις *in regionibus*, prohibetur dare κανονικὰς epistolas, præter quàm ad vicinos episcopos. Permittitur autem Chorepiscopis vt dent etiam, εἰρηνικὰς, *pacificas*. vbi vna interpretatio, *pacificas*, vult esse generales, alia, easdem cum formatis. Sed Gratianus [a] videtur intellexisse per pacificas commēdatitias, easque distinxisse à formatis: non hic disserā hac de re, tantùm dico Canonicas eandem significationē præ se ferre in eo Concilio cum Catholicis (quales Dionys. Alex. dicitur scripsisse) i. generalibus: quæ etiam dicuntur encyclicæ. i. *circulares*; & *ecclesiasticæ*. Atticus (post Concil. Chalced.) formatas ait easdem esse cum Canonicis, congruit significatio: canon enim Græcè, Latinè est forma, re-

[a] Cap. 47.
[b] aduersus Varimadum.
[c] 1. de partibus diuinæ legis. cap. 6.
[d] epist. 2.
[e] ad matut. lect. 4.
[f] Ser. 44. 46.
[g] in mss. ad Soldanū Iconij.
[h] in Conc. Later. cap. 1.
[i] cap. 47.
[k] in Synopsi & in ep. heortastica.
[l] in iambis ad Seleucum 10. 8. Bibliot. Patrum.
[m] Hexametro carm. de libris sacris. & orat. 6. de Sp. S.
[n] Catech. 4. illuminato.
[o] 4. de Fide. c. 15.
[p] lib. 2. c. 45.
[q] 2. Hist. c. 22.
[r] de sectis actione 2. To. 4. Bibli. Patrum.
[s] Cano. vlt.
[t] de diuin. lectio. c. 8.
Cur Canonicæ nominentur.
[u] in Damasc.
[x] in epistol. Iacobi.
[y] 6. etymol. c. 1.
[z] lib. 6. c. 19. lib. 7. c. 20.
Literæ pacificæ & formatæ an eadem fuerint.
[a] dist. 65. c. 3. §. inter Episcopos.

gula, norma. Dicebantur quoque communicatoriæ, eædem nempe cum pacificis, vt est apud Theophilum [a]: lege Baronium [b], Gerardum [c], Rodolphum, & Petrum [d] Gregor. Ioannem Sauaronem in Sidonium [e] Apollinarem [f]. Suetonius formales literas vocat, quæ vna similíque forma, vna eadem de re scribebantur ad plures. Cassiodorus [g] canonicas: Epiphanius [h], alíque ἐγκυκλίους circulares, & encyclicas. Nonnullæ quandoque canonicæ nominantur, quòd canones Ecclesiasticos tradant, cuiusmodi quam scripsit ad Latoium Nyssenus; vel sunt in canones relatæ, vt Gratianus [i] meminit.

a 1. Paschali. b Tom. 2. annal. pag. 96. 97. c lib. de lit. Can. &c. d 16. de repu. cap. 2. e lib. 6. epi. 8. lib. 7. ep. 2. f in Domit. c. 13. g 2. varia. ep. 10. 34. h char. 19. i c. in Canonicis d. 19.

Porrò quare Catholicum nomen, quod est sine dubio magis frequens, his datum sit epistolis, illam Oecumenius [k] causam affert, & antea citatus Leontius, atque Isidorus [l], quòd nó ad vnam scribantur gentem, velut Paulinæ, sed generaliter ad omnes. Cum Oecumenio plures alios Græcos patres consentire credendum est, quorum ille nectit ex sententiis commentarium. Leontius profitetur ex ore se loqui Theodori abbatis, & doctissimi philosophi. Obiiciunt quidam [m], epistolam ad Hebræos, quæ titulo destituta est peculiaris gentis; priorem ad Corinthios, in qua Paulus non iis dumtaxat, sed & *omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum, & nostro*, scribere se dicit [n]: secundam & tertiam Ioannis, quas ille priuatis dedit personis. Et primam, quam vt ad Parthos scriptam citant Hyginius [o] Papa, Ioannes II. [p] Augustinus [q], Idacius [r], Possidius [s]. Verùm plures interpretantur eos solùm qui comprehendebantur intra Corinthiorum Ecclesiam Paulum intelligere: Hebræi toto sparsi orbe erant: vltima ratio difficilior est; attamen duabus quoque illis epistolis eadem hæsit appellatio, quia cæteris, quibus magis congruūt, coniunctæ sunt: in primæ titulo Parthi propterea forsitan à nonnullis expressi sunt, quòd Electa, ad quam est secunda, crederetur Babylonica, Parthis siue Persis finitima, non quòd ad illos propriè scripserit Ioannes illam, vt neque ad solos Ponticos Petrus priorem, licet eo titulo citetur à Tertulliano [t], Cypriano [u], Cassiodoro [x]. Vnde non habuit idoneam causam dubitandi Sixtus [y] Senensis, an quæ citat Augustinus [z] verba quæ hac epistola continentur, tanquam ex ea, quæ sit ad Parthos pertineant ad istam vel ad aliam eiusdem Ioannis, quæ modò non extet. Fateor ideò prætetea Catholicas dici, quoniam passim ab omnibus & vbique receptæ sunt, ceu diuinæ, sacræque scripturæ: tum quia ipsomet numero septenario, qui maximè refert vniuersitatem, indicant vniuersalem doctrinam, quam continent, & vniuersales, vt ita dicam, personas, id est, Apostolos, à quibus editæ sunt. Sed hę nimis etiam generales causæ videntur, nec minus Paulinis epistolis conuenientes, quæ duplicato contentæ septenario, & eius qui peragrauit, si quis alius, orbem vniuersum, maximè Catholicarum mererentur cognomen, & quandoque vocantur omnes diuinæ epistolæ Apostolicæ. Postremò nihil refert quòd in emendatis Latinis Bibliis Catholicę vox imposita solùm legitur epistolæ Iacobi, & epistolæ Iudæ. Nam ex his extremis idem de mediis epistolis iudicium fieri voluerunt: sicut Codices qui sic dumtaxat, vel Iacobi nominauerunt epistolam, vel etiam primam Petri, contenti vnum alterúmque huius posuisse appellationis exemplum. Idem aio de Clemente Alexandrino, cuius in commentario sola canonicæ nomē habet epistola Iudæ, vltima de septem: sed eum titulum præfixit opinor Latinus aliquis, vt & ad commētarios Didymi, principio eorum quos fecit ad omnes, quas vocat ille Canonicas.

k in epi. Iacob. l 6. etym. c. 2. m Salmeron in ep. Iacob. disput. 2. n 1. Cor. 1. 2. o epist. 2. p epi. 1. ad Valer. q 3. q. Euang. cap. 39. r de Trinit. s in indiculo librorum Augustini. *Cur duæ Ioannis epistolæ Catholicæ nominantur.* t in Scorpiaco. c. 12. u 3. ad Quirinum c. 36. & 37. & 39. x [illegible] lib. 1. c. 8. vt citat Pamelius in Cypr. Ego non reperio. y 2. Biblioth. in Ioanne. z citato loco. *Cur Iacobi & Iudæ epistolæ Catholicæ nominantur.*

De ordine inter epistolas Catholicas, déque aliis ad easdem spectantibus.

Cap. III.

Vix est ex iis qui digerunt ordine Canonicos libros, qui septem istas epistolas non sic disponat, Iacobi vnam; (Eusebius [a] disertè nominat primam, atque Nicephorus [b]) duas Petri, Ioannis tres, vnā Iudæ, & Athanasius quidē in vnum librum separatum eas conicit. Vbi dignitatis habita ratio non est, vt neque cùm post Matthæum ante Ioannē Marcus, ac Lucas Euangeliorū scriptores positi sunt. Notauit Hieronymus in Prologo hunc in vetustioribus Latinis Codicibus errorem, correxitque iuxta Græcos, *qui integrè*, inquit, *sapiunt, & fidem rectam sectantur*. Si quis tamen modò eum, qui Hieronymo displicet, ordinem teneat in epistolarum enumeratione simplici, sicut facit Augustinus [c], Carthaginense III [d]. Florentinum [e], & Concilium Tridentinum [f], nullam reprehensionem merebitur: nam & Innoc. I. Ioannis Epistolas tres primo ponit loco, tum Petri duas: deinde vnam Iudæ: postremo Iacobi. Ad tempus respexerunt, vt quidam putant [g], qui volumen Euangeliorum & epistolarum pertexuerunt, quo quisque tempore Auctor scripserit prior, & argumentantur ex morte Iacobi minoris, quę Petri præcessit mortem. Non concludit hoc argumentum, quoniam prima Petri epistola scripta creditur anno Christi quadragesimoquinto, licet secunda anno sexagesimo septimo: Iacobus mortuus anno sexagesimo tertio: Iudas imitari videtur secundam Petri, & idcirco posteriùs scripsisse; at omninò postremus Ioannes scripsit [h]. Quare temporis huius ratione præponenda esset prima Epistola Petri, deinceps Iacobi, tertio loco secunda Petri, tum Iudæ, postremo, quæ sunt Ioannis, sed verisimile tamen sit Iacobum priorem scripsisse, etiam Petro, licet ante ipsum sit mortuus. Nec illa admodum necessaria ratio [i], sicut Euangelium Iudæis ante alios prædicatum, eorúmque scriptum idiomate à Matthæo, locum primum inter alia Euangelia obtinuit, ita conueniens fuisse, vt prima locaretur in epistolis Canonicis, siue Catholicis, quam Iacobus edidit peculiaris Iudæorum Episcopus, & doctor, qui scripsit duodecim tribubus: Petrus proselytis: Ioānes his qui conuersi sunt immediatè de Gentibus. Nam cur, si non epistola Pauli ad Hebręos, (quia is Doctor Gentium fuit) primum tenet locum inter eius epistolas: hîc saltem Petri primæ, tum ne seiungantur, & eiusdem secundæ, non assignantur, qui Apostolus vocatur Circumcisionis [k]? Neque verò alia de causa Matthęus, aliíque Euangelistæ, quàm propter ordinem in scribēdo temporis, eo modo dispositi sunt, quem videmus, & non quia Matthæus Hebraicè scripserit: (de hoc ambigunt quidam, licet immeritò) quamuis alium nonnullos codices ordinem seruare non ignoro. Plurimùm hac in re momentum facit auctoritas, quam rectè faciunt, qui quibus pos-

a 2. Hist. c. 23. b 2. Hist. c. 38. *Ordo Canonicarum epistolarum quis seruari possit.* c de Fide & operib. c. 14. d cap. 47. e in decreto Armenis dato. f sess. 4. in decreto de Cano. Scripturis, epist. 2. g Salm. Tom. vlt. disp. 2. & Hugo Card. h Baron. Tom. 1. Annal. i traditur ab eodem Salm. sup. & ab Hugone Card. k Gal. 2. 8.

sum nituntur illustrare rationibus. Mysticas de septenario earondem, & auctorum quaternario numero afferunt præsertim Hugo Cardinalis, & Lyranus:agunt etiam de laudibus, varióque argumento. Satis fit quod ad laudes pertinet, Hieronymi [a] elogium, tam mysticas esse has epistolas,quàm succinctas,& breues pariter, ac longas: breues in verbis,longas in sententiis,vt raros fit, qui non in earum lectione cæcutiat. Sic Bartholomæum Dionysius [b] diuinum refert Apostolum dixisse, & multam Theologiam esse, & minimã: & Euangelium latum,& magnum, & iterũ correptum. Auctores noti sunt, potissimum primi tres, quos columnas Paulus [c] nominat : de tilde, ac de Iuda,consule quæ diximus in Historia Apostolica [d].

a epist.101.

b de myst. Theol. c.1. Theologiam multa & minimam, & Bartholomaeus dictum.

c Gal.2.9.

d cap.1. Act.

Aureola Doctorum hic conuenit Apostolis.

Qui lucubrationem factam pro communi vtilitate Ecclesiæ, docent Theologi, Doctoris aureolam promereri, facilè concedent eam istis Apostolis,vel hoc nomine , quòd adeo salutarem sacrámque doctrinam scripto tradiderint, ac veluti ab epistolis ipsimet Spiritui sancto extiterint. Etenim licet docendi munus Apostolatui sit necessariò illigatum, non tamen officium scribẽdi, quo constat non omnes esse perfunctos.

Qua lingua scriptæ sint hæ epistolæ.

Qua lingua scriptæ sint Epistolæ,non solet in dubium reuocari, passimque vt rem compertam ponere cuncti videntur,fuisse Græcam:quia licet Iacobus Hebræis scriberet , hi orbe toto dispersi erant & Græco id temporis tritissimo sermone, vel vtebantur,vel eum intelligebant. Eadem, ac potior quoque de Petro ratio, qui ad aduenas seu proselytos mittebat epistolas:licet etiam ad fideles immediatè conuersos de Gentilismo. Multò maxima de Ioanne,nec non de Iuda.Imò non defuerunt [e], qui Matthæum de Hebraico Græcè conuersum dicerent ab hoc Iacobo:sed & qui nec epistolam ad Hebræos,nec Euangelium Matthæi aliter quàm Græcè condita ab Auctoribus suis, tum ob eam rationem, quòd notior illo tempore lingua Græca foret, tum præterea , quoniam hac ipsa lingua scripturas Hebræi legerent in Synagogis:tum quia citarẽt iidem testimonia scripturarum ex interpretatione Septuaginta. Sed hoc nunc non agimus.

e Athanas. in Synopsi : de Ioanne ait Theophylact. in Matth. indicant alij de Barnaba quidam ab ipsomet Matth. Hieronym. de vir. illust. docet non constare à quo.

De Ioannis epistolis,an sint in Canone sacrarum scripturarum.

CAP. IV.

Epistola Ioannis prior in Canone ea & prima Petri.

PROPIVS ad Ioannem nostrum accedimus.De prima nullum legi,qui dubitaret,excepta nonnulla eius particula, de qua in c.5.sed de secunda tantùm,& tertia,quemadmodum neque priorem Petri quispiam deprehenditur in dubium reuocasse.*Canonica est ista epistola*.(inquit Augustinus [a]) *per omnes gentes recitatur, orbis terra auctoritate retinetur, orbem terrarum ipsa ædificauit.* Dubitationis dictæ meminit Hieronymus [b], quòd alius haberetur Ioannes senior ab Apostolo;qui senioris titulus prænotatur his epistolis. Citat Papiam de dupliei Ioanne præter Hieronymum,Eusebius [c], qui pariter testis est [d] receptas absque cunctatione Petri ac Ioãnis primas epistolas. Scribit [e] etiam Origenem dubitauisse Erasmus [f] audacter negauit esse Ioannis Apostoli : nec non Luterus [g], Brentius [h], Kemnitius [i], Centuriatores [k]: Caietanus [l] quoque dubitat de auctore,atque præterea,esse minoris auctoritatis. Cæterùm præter testimonia Conciliorum , ac Patrum allata cap. 1. connumerantium has epistolas inter Canonicos libros , atque nominatim velut ab Apostolo Ioanne compositas, quod est item in Concil.Trident. [m] & Florent. [n] Citant secundam Cyprianus [o], Tertullianus [p], Irenæus, & tertiam Dionysius [q]: vtramque Hieronymus [r]. Epiphanius [s] mentionem quoque facit plurali numero epistolarum Ioannis, quas sicut Euangelium,& Apocalypsim, ex eodem sancti Spiritus dono nobis impertierit. Idem facit Innocentius [t]. Ambrosius [u] eodem modo loquitur, cùm dicit iam senem cæpisse scribere Euangelium,& epistolas,& cùm refugeret Apostolum se scribere, Seniorem scripsisse : atqui hunc titulum habent epistolæ istæ. Adde Clemẽtem Alexandrinum [x] (qui citans primam,vocat maiorem epistolam,indicans sine dubio aliam, vel alias) ac Didymum Commentariis exposuisse plures: illum cum prima secundam : hunc etiam tertiam Ioannis epistolam.Tandem Beda [y] ,postquam retulit allatam superius dubitationem, subdit : *Sed nunc generalis Ecclesia consensu habet quòd has quoque Ioannes Apostolus scripserit* , quia reuera multam verborum,& fidei similitudinem cum prima eius epistola ostendunt, & simili zelo detestantur Hæreticos. Idipsum comprobat styli similitudo, imò locutionum earundem repetitio in secunda, & tertia,quæ leguntur in prima. Scribit in prima [z], *non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus*:in secunda [a]: *non tanquam mandatum nouum scribens vobis,sed quod habuimus ab initio*.In prima [b], *omnis qui negat Filium, nec Patrem habet : qui confitetur Filium, & Patrem habet*:in secunda [c]: *qui recedit,& non permanet in doctrina Christi, Deum non habet : qui permanet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet*:in prima [d], *omnis qui ex Deo natus est,peccatum non facit* : in tertia [e] , *qui bene facit, ex Deo est:qui malè facit, non vidit Deum* : in prima [f], *multi pseudoprophetæ exierũt in mundum.in hoc cognoscitur Spiritus Dei, omnis Spiritus qui confitetur Christum in carne venisse,ex Deo est, & omnis qui soluit Iesum,ex Deo non est, & hic Antichristus est*:in secunda [g], *multi seductores exierunt in mundum . qui nõ confitetur Iesum venisse in carne ; hic est seductor & Antichristus*:in prima [h], *hæc est caritas,vt mandata eius custodiam⁹*:in secunda [i] , *hæc est caritas, vt ambulem⁹ secundum mandata eius*: Postremò,quemadmodum in prima crebrò charitatẽ inculcat,dilectionem, veritatem , sic in secunda & tertia . non alius quoque dixit in tertia [k], *nosti quoniam testimonium nostrum verum est*,quàm qui in Euãgelio de se scribens in tertia persona [l], *verum est testimonium eius, & ille scit quia vera dicit* : & [m] *scimus quia verũ est testimonium eius*. Adiice , quòd Ecclesia tempore Paschali duas has epistolas nomine Ioannis publicè recitat in officio diuino.

a Tract.7. in 1.epist. Ioan.
b de scrip. Eccles. in Ioãne, & in Papia.
c 3.Hist. c.39. & c.vlt.
d ibid.cap.25.
e lib.6.c.19.
f in annotat.
g in prologis harum epist.
h in Confess. Vvirtemberg.
i de sacra Scr. in exa. Cõc. Trid. sess.4.
k Cent.1.lib. 2.c.4.col.55.
l in Commẽt.

m sess.4.
n in vnio.Armen.
o in lib.2.sententiarũ Coc. Carthag. c.81.
p de præscrip. cap.33.
q de cælesti Hierar.c.3.
r epist.85. refertur dist. 93. cap. legimus.
s Hær. 51. sub finem.
t epist.3. ad Exuperium.
u in Psal. 30.
x 2.Strom.c.6.

y in Comm.

z 1.epist.2.7.
a vers.4.

b 1.ep.2.23.
c versu 9. 9.

d 1.ep.3.9.
e vers. 11.

f 1.ep.4.1.3. *Conformes proomia in prima & secunda Ioannis.*

g vers. 7.

h 1.epist. 5.2.
i vers. 5.

k vers.12.

l Ioan. 19. 35.
m Ioan.21.24.

Papias Ioannis has esse epistolas non negat.

Neque verò vel Papias apud Hieronymum, vel Hieronymus ipse dixit non esse Ioãnis Apostoli, sed meminit solùm duos idem Ioannis nomen habuisse;& Hieronymus citaturus vtrásque, vbi ex sua ipsius loquitur sententia , præfatur, *Clangat tuba Euangelica,filius tonitrui, quem Iesus amauit plurimum, qui è pectore Saluatoris doctrinarum fluenta potauit.* Eusebius item dubitatione de epistolis ponit, se dubitare non significat. Certè si qui dubitarunt Catholici antiquiores , post tot aliorum & Ecclesiæ ipsius consensum desinerẽt dubitare. Elias [n] Cretensis cùm Nazianzenus ci-

n in ora. 6. Nazianz. de Spiritu sancto.

tans

tans Ioãnem nominat numero multitudinis epistolas eius Catholicas, notat Atticè locutũ, cùm vna tantùm sit Ioannis epistola Catholica, forsitan alias duas quæ scriptæ sunt priuatis personis, non censuit Elias vocandas catholicas, vt sanè vocari propriè non deberent.

Potuit verò Senior appellari, quòd post omnes viuens Apostolos, ad extremam vsque peruenerit senectutẽ. Fortasse sic ipsemet voluit seipsum appellare in epistolis, quas magis familiariter scripsit, ac velut priuatus; sicut Paulus agens cum Philemone, senem se nominat [a], & non Apostolum. Valet id etiam nomẽ ad conciliandam beneuolentiam, studiúmque monita libentiùs recipiendi [b]: propter sapientiam enim Presbyteros nominari docuit Anacletus Papa [c]. Nec minor est æstimatus refugiens Apostolum se scribere, *cui cygnea*, inquit Ambrosius [d], *quadam suppeteret gratia senectutis.* Probabile præterea, Presbyterum Ioannem vulgò vocatũ in Asia, cuius potissimum regebat Ecclesias, non ob ætatem duntaxat, sed etiam propter præfecturam Apostolicam, & episcopalem. Nam demonstraui in Historia Apostolica [e] eosdem dictos Presbyteros, & Episcopos. Petrus quidem dirigens orationem ad Ecclesiarum præfectos, rectoresque maiores, ac minores, vnde Syrus interpres notat recitari partem eam epistolæ primæ Petri Dominica 14. post Pentecostem in creatione Episcoporum, hoc modo eos alloquitur [f], *Seniores qui in vobis sunt, obsecro consenior ego.* vbi apparet quoque Petri facilitas & modestia, non eius magis primatui præiudicãs, quàm Christo, cùm se Patrem nostrũ, atque ministrum & nominauit [g], & exhibuit [h]. Beda hæc obseruat omnia de senioris voce in Commentario epistolæ Ioannis secundæ. Lege Card. Bellarminum [i], Georgium Ederum [k], Melchiorem [l] Canum, Ambrosium [m] Catharinum, Michaëlem [n] Medinam, Sixtum [o] Senensem, Salmeronem [p].

Hic occurrit argumento de fœmina, cui secunda inscripta epistola est; non esse indignum Apostolo, quoniam *apud Deum non est masculus, neque fœmina* [q]: fœminas in vtroque Testamento lectissimas extitisse: fœminis epistolas multos postea sanctos dedisse, Ignatium, Cyrillum Alexandrinum, Basilium, Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, Fulgentium, Bernardum, maximè verò Hieronymum, qui sui quoque rationem instituti prolixè reddit [r], interponẽs laudes muliebris sexus. Difficultatem præterea facere posset, quòd nulla mentio in prima epistola sit eorum ad quos missa, nec mittentis nomẽ exprimitur, nec salus ascribitur. Sed hæc in caput sequens reseruanda.

Ioannes cur Senior dictus.

a vers. 9.
b Iob 12. 12. Eccl. 4. 15. c. & 9. 12. 11. 12.
c ep. 1. in. d. 54.
d in Psal. 36.
e c. 4. & c. 25. & c. 30.
f 1. epist. 5. 1.
g Matt. 20. 28. Ioan. 10. 17.
h Ioan. 13. 2.
i 1. de Verbo Dei c. 18.
k Occon. Bibl. lib. 4. post tabu. 178.
l 2. de locis Theol. c. 11. ad 10. argu.
m lib. 1. contr. Caiet
n 6. de Fide c. 11.
o 1 & 2. Bibl. in Ioanne.
p Tom. vlt. in 2. epist. Ioan.
q Gal. 3. 28.
Cur ad fœminã Ioãnes scrip sit.
r ep. 140 ad Principiam.

Ad quos epistola prima sit scripta, cur careat titulo, & salutatione.

Cap. V.

Catholicæ nomen epistolæ, sicut c. 3. demonstratum est, hoc importat, vt vniuersitati fidelium, nòn distinctę, certæque Prouinciæ scripta sit. Eodem loco monuimus apud nonnullos extari cum titulo ad Parthos, ex quibus in Pentecoste cum Spiritus sanctus missus est, aderant Ierosolymis nonnulli [a]. Videri quoque possent Ephesij, quibus & Paulus dedit epistolam, qua ipsos laudat, & vbi diutius Ioannes vixit, ac sepultus est. Vtrisuis conuenit, quod Ioãnes scribit [b], *eos vnctionem habere; nec nouum mandatum, sed vetus, quódque habuissent ab initio, se scribere* [c]; & *vt custodiant se à simulachris.* Veruntamen, qui de Ephesiis affirmet nullum reperio. Salmeron [d] anceps est inter istos, & Parthos. De his contendit Baronius [e], temporis autem progressu hunc titulum excidisse. Malim vtrosque, ac plures alios Asianos populos, quos hic Apostolus excoluit, comprehendere, imò & cæteros quoscumque, vt esse, ac dici meritò valeat epistola: καθολικὴ ἐγκυκλικὴ: quæ duo nomina dicta reperiuntur de aliis epistolis non sacris, quæ toti Ecclesiæ communes erant. Quo pacto Themisontem, vt antè memini, reprehendit Apollonius, apud Eusebium [f], quòd Apostolum imitando Catholicam ad omnes Ecclesias epistolam auderet contexere: tradit autem idem Eusebius, Dionysium Corinthiorum Episcopum tales epistolas scripsisse. Iacobus duodecim tribus nominauit. Petrus in prima epistola populos nominatim aliquos designauit; & in secunda genericè significauit, sicut & Iudas, ad quos scriberet; Ioãnes in ista tacitus omninò id præteriit, volens eò, si fieri possit, pluribus communiorem epistolam esse.

Idem ferè ad prætermissum nomen proprium potest dici, quamuis aliis id in operibus posuerit. Respondent verò nonnulli [g], consultum voluisse hoc modo Ioannem sibi ipsi, ne detectus mortis adiret periculum, quòd ex Pathmo, vbi exulabat, religionis causa, non dubitaret de religione perscribere: ad hæc non tam suo, quàm omnium condiscipulorum nomine, quod prima præ se ferunt verba, numero multitudinis posita, scribere voluisse. Satis quoque notum epistolæ, dictionisque characterem lecturis indicauisse: præterea perspectum tabellarium, qui deferebat, quique salutat omnes etiam officium abũdè supplere posset: diuino item consilio factum, vt breuitas, ac simplicitas commendaretur Scripturæ sacræ, quæ minimè immoratur in parum necessariis, vt disceremus haud adeo laborare de inserendo nomine scriptis nostris, quo laborant vitio etiam illi, qui contra gloriæ scribunt appetitum [h]: vt consuefieremus non tam de sacram amanuensis in morem scripturam exarantis nomine curare (plurium verò aliorum diuinorum librorum Autores nos latent) quàm de autoritate præcipui conditoris, hoc est, Spiritus sancti; quoniam ex personis non probatur fides, vel scriptura, sed ex his personæ [i], *& valdè supernacuè*, ait Gregorius [k], *quæritur, cùm autor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. & nõ minus id quærere ridiculũ videri, quàm si magni viri, quo calamo sint epistola scripta, quis quærat, ipso neglecto vel auctore vel sensu.*

Has rationes probabiles censeo præter primam. Quis enim scit, an ex Pathmo sit epistola scripta? ibidem conditum Euangelium [l] multorum, de Apocalypsi constans cunctorum opinio est. Glossa verò tum Euangelium, tum epistolas dicit scriptas, vbi Ioannes reuerteit de exilio. Quid quod Apocalypsim Ioannis Apostoli negauit esse Caius, auctor alioqui Catholicus [m], sed Cherinthi Hæretici, quia nimis nomen Ioannis inculcaretur contra consuetudinem scriptoris sacri? Infirma quidẽ, falsáque ratio, cùm Ieremiæ & Danielis in eorum libris nomina legãtur non semel; sed hinc elicitur, ad astruendam libro

Ad quos sit missa prima Ioannis epistola.

a Act. 2. 9.
b 1. epi. 2. 20. 27.
c ibid.
d in 1. epistol. Ioan. disp. 1.
e Tom. 2. Annal.
f 5. Hist. c. 17. vel 18.
Cur Ioannes nomẽ ut ad quos scriberet nominauerit.
g Salmeron in 1. epist. Ioan. disp. 1. & Catharinus in c. 1. primæ epist.
Cur nomen suũ reticuerit.
h Cic. pro Archia poeta.
i Tertul. de præscrip.
k Præfat. in Iob cap. 1.
l Atha. in Synop. Doroт. in Syno. Niceph. 2. hist. c. 42. lib. 3. c. 9. Theoph. præf. in Ioan.
m apud Eusebium 3. hist. c. 28.
Auctoris nomen, si nec parũ refert, cum constat librum esse sacrũ.

auctoritatem, auctoris expresso nomine opus nõ esse, sicut antè dictum est. Sed nec facilè credo timore territum Ioannem, quò minùs liberè nomen poneret in epistola, quæ non etiam magis periclitaretur in manus aduersariorum peruenire, quàm cui deferenda data fuerat.

Tandem quod attinet ad salutationem, non satisfacit, qui respondet [a] ætate iuniorem fuisse, promptioris ingenij, nec sibi duxisse trahendam in re moram haud adeò necessaria, cùm præcepisset quoque Christus, vt neminem per viam salutarent. Hoc præceptum Christi non huc spectat: neque minùs ista, cæteræque causæ persuaderent omitti debuisse salutationem à Ioanne in alijs epistolis, & ab Apostolis reliquis item in suis. Postremò senex iam, & senilis erat ingenij Ioannes, cùm scripsit. Neque vel verum est, vel sufficit, quod ait Thomas Anglicus, qui creditur à nonnullis Angelicus, siue Aquinas, si dicas voluisse Ioannem data opera sic inchoare istam epistolam, vt Euangelium, séque ostendere operis vtriusque auctorem eundem. Non sunt ad eandem omnes exigendæ rationem epistolæ, siquidem tum nomen mittentis, tum ad quos mittitur, deest in epistola ad Hebræos, ne nominis manifestatio, vt ait Hieronymus [b], Eusebius [c], & alij, vtilitatem excluderet lectionis. Si videtur, dicas primis epistolæ verbis contineri faustam precationem, vel potiùs iam impetratæ rei denunciationem, quæ salutatione maior est. Innuit Hugo Cardinalis. Sed quod respondet primæ Quæstioni non admodum probo, propterea nec personam certam, nec gentem expressisse, quia scribit de sinceritate fidei, & charitatis, quæ vinctis est necessaria, de quibus Apostoli alij, vt Iacobus, & Petrus, pro tempore, locóque dumtaxat, nempe ad tolerantiam & ad constantem fidei professionem, & cauendos hæreticos. Omnino familiaritas styli arguit conuersos à Ioanne, quibus ipse scribit; etiamsi communis epistola sit aliis. Ambrosius appellat generalem epistolam [d], & ad populum scriptam [e]. Ad Parthos priùs dixi citari epistolam ab Higino Papa: quo etiam pacto eandem laudat Augustinus [f], Possidius [g], Idacius [h], Ioannes Papa II [i]. Erat eo tempore Parthorum amplissimum regnum, vt meminerunt Plinius [k], Solinus [l], Iustinus [m], Iosephus [n]; & Persarum quoque nomine continebantur, teste Tertulliano [o], & Rabano [p]: idémque Iosephus sæpe innuit Iudæos numero magno in Parthico regno degisse. Inepti sunt [q], qui Parthos ad quos Ioannes à פור *pur*, (quidni potius à פרח *parath*, vt fauet Syriaca vox in libro Actuũ) dictos volunt, non quasi reuera Parthicæ gentis homines, sed vt exules vbicumque tandem essent, sed pios; quoniam scythicè ita nominentur exules, vt prodit Iustinus, & פור *pur*, diuidere est. Nam cur Græcè scribens Ioannes non appellauit voce Græca φυγάδας, aut alia simili? aut cur non sic inscriptæ Petri & Iacobi epistolæ? Suspicantur alij errore aliquo Parthos pro Patmos vel Patmios irrepsisse. Odi ego nimium suspiciosos. Postremò quod salutatione epistola caret, Thomas Anglicus ait in causa esse, vt ex similitudine cum exordio Euangelij, auctor idẽ vtriusque cognosceretur, & hæc velut appendix & particula illius.

a Salmeron in 1. ep. Ioan. disp. 1.
Cur Ioannes salutationem omiserit.
b præf. in ep. ad Heb. & de viris illust. in Paulo.
c 6. hist. c. 11.
d 1. de pœnit. c. 11.
e cap. 9.
f 2. q. Euang. c. 39.
g in indiculo operum Augustini.
h con. Varim. vel Varamundum.
i epist. ad Valerium Episcopum.
k lib. 6. c. 25.
l in polyhist.
m li. 41. & 42.
n 14. & 15. antiq.
o de pallio c. 9.
p 12. de natu. rerum. c. 3.
q Innuit in Bellar. lib. 2. c. 15. n. 21. de verbo Dei.
r Tom. 2. ser. 28.

De argumento, partitione, laude primæ epistolæ.

CAP. VI.

Athanasius [a] argumentum ac summam colligit, docens hac epistola commonefieri eos, qui iam crediderant: disserere Ioannem potissimum de Verbi diuinitate, quòd in Deo patre fuerit semper, ex eóque tanquam ex luce fulgor cognoscatur: ostendere non recens esse fidei huius mysterium, tametsi haud pridem manifestatum in Domino, qui venerit tùm ad hoc manifestandum, tum vt dissolueret opera Diaboli, eósque liberaret à morte: sigillatim omnem ætatem puerorum, adolescentum, senum instituere: charitatem in primis commendare, proposita differentia timoris & dilectionis: declarato eo peccato, quod peculiariter nominatur ad mortem, & vt oretur pro eo indignum est: tradita spirituum discretione, vt dignoscantur, qui Dei, qui diaboli filij sunt: negare vocatione dignum, vel vt esse Christi censeatur, qui proximum non diligit: decernere propter summam vnionem, imò vnitatem filij cum Patre qui neget illum, hunc non habere: sed esse Antichristum, seu quod eius est proprium committere, nempe qui dicat Iesum non esse Christum, ita vt quasi ille non sit, seipsum mentiendo asserat esse Christum: hortari per epistolam totam, ne quis animo concidat, si odio habeatur in hoc mundo: id enim indicium esse animi hoc ex mundo migrantis, & in cœlo conuersantis: ad extremum denuò admonere filium Dei esse ipsissimam vitam æternam ac verum Deum, cui proinde seruire vitata simulachrorum cultura oporteat.

a in Synopsi.
Argumentum Epistolæ ex Athanasio.

Hæc ex Athanasio, quem transcripsit Occumenius ad verbum. Propositum sine dubio Ioanni fuit sicut in Euangelio, vt testantur Ignatius [b], Irenæus [c], Eusebius [d], Epiphanius [e], Theodoretus [f], Tertullianus [g], Hieronymus [h], Augustinus [i], patétque ex verbis capitis vigesimi [k], Cherintum & Ebionem, qui Christi negabant diuinitatem, confutare, sic eosdem & Basilidem hic refellere, qui nolebat veram eum carnem assumpsisse [l], & vtrumque vtrobique mysterium satis confirmat. Simul Basilidis errorem damnat [m], non esse Christi causa subeundũ martyrium: primis namque verbis maxima veritatem asseueratione protestatur. Hugo Card. ait Hæreticos hac epistola notatos existimasse charitatis opera esse conuiuari, luxuriari, alienis vitiis consentire, denique fidei atque charitatis, necnon spei sinceritatem deprauasse.

b epi. ad Philadelph.
c lib. 3. c. 15. & 16.
d 3. Hist. c. 27.
e Hær. 7. 28. 30. 69.
f 2. de fabu. Hæret.
g de carne Christi & lib. de præscrip.
h de viris illust. in Ioan.
i Tract. 112. in Ioann.
k versu vlt.
l Epiph. Hær. 24.
m Epiph. ibid.

Partitur idem Oecumenius epistolam, vt videre est in editione ipsius Græca, in septem capita: Latini Græcíque codices quinque dumtaxat distinguunt: quam distributionem cæteris æquè in libris sacris variam apud Interpretes, nos prout est in receptis vsitatísque codicibus, retinere debemus, non ignari, rem eandem, sicut etiam Augustinus [n] admonuit, post enumeratos animæ septem gradus, innumerabilibus modis diuidi rectissime ac subtilissimè, sed in tanta copia modorum, vnum deligendum, qui maximè congruus videatur.

Partitio totius epistolæ.
n Tom. 1. de quan. animæ. c. 35.

Colligitur ex dictis laus epistolæ, quæ medium tenet in septem, quasi honorariorem Catholicis locum, & summo consensu, ac venera-

Laus huius epistolæ.

tione

tione semper in Ecclesia fuit recepta. Satis dulcem nominat Augustinus [a], & satis memorabilem in Ecclesia Dei, quòd in ipsa charitas maximè commendetur: ait etiam [b], quòd orbem terrarum ipsa ædificauit. Georgius [c] Ederus accuratè & enucleatè demonstrat, quàm tractetur exactè hac epistola Theologica virtus triplex, fidei, spei, charitatis: sed mutuatus est sine dubio à Petro Aureolo, licet nonnihil ordine mutato, vt ipsemet fatetur in præfatione. De prima docere oorat ab omnibus amplectendam, quia honesta, & vera cùm sit de verbo vitæ quod fuit ab initio, auditúmque, visum, & perspectum est, ac manibus contrectatum ab Apostolis [d]: quia digna, eo quòd per illam contrahatur societas, non tantùm cum sanctis, sed etiam cum Deo Patre, & eius Filio Iesu Christo [e], & sicut Deus, ita sit ipsamet lux quædam [f]: quia necessaria, siquidem non est qui absque mendacio possit affirmare se non habere peccatum, nec egere fide iustificante, sed id confiteri debet, vt emundetur [g]: quia vtilis, vtpote quæ nos in luce faciat ambulare, atque iustificari, Christi nos mundante sanguine [h], qui etiam Christus aduocatus interueniat apud Patrem pro peccatis nostris, simul existens propitiatio pro iisdem [i]. Præterea fidem oriri ab Spiritu sancto, vt idcirco probandi spiritus, an sint ex Deo, & non omni credendum [k]: versari cum primis circa deitatem Christi coniunctam cum humanitate, ita vt qui soluunt Christum, non habeant veram fidem [l]: per eandem discerni veritatem ab errore, fideles ab Hæreticis; illos enim ex Deo esse [m]. Postremò singularem fidei præstantiam & vtilitatem esse, vt in ea consistat Victoria nostra [n]: vt firmissima sit, cum Christus veniens in aqua & sanguine [o] fecerit, quæ prorsus impossibilia sunt naturæ: testimonium dederit de cœlo Pater, Verbum, Spiritus sanctus, in terra spiritus, aqua, sanguis: [p] ipsamet conscientia nostra testificetur, habens testimonium Dei, in se, ita vt dissentire non queat [q].

De spe traditur, concipi debere in Deum, propter charitatem Patris, qui dedit, vt Dei nominemur filij, & simus [r]: obiectum esse æternam Dei fruitionem, qua quodammodo sanctificamur [s]: modum seu formam, vt sanctificemus ipsi nos [t], videlicet Deum imitando doctrina, vita, moribus: erigi per merita passionis Christi, qui in hoc apparuit vt peccata tolleret, & dissolueret opera diaboli [u]: conseruari & promoueri mutua inter nos dilectione, qua carens Cain desperauit [x]: potas eius esse, conscientiæ puritatem, dum nos cor nostrum non reprehendit [y], Dei quoque quandam ad nos exaudiendum inclinationem [z]: proficisci ex charitate, vel perfici, sine qua potiùs videatur præsumptio [a]: timorem consequenter excludere, qui non est cum charitate perfecta [b]: sperari non modò vitam æternam [c], sed exauditionem pro nobis [d], & pro aliis non peccantibus ad mortem [e]: custodiam à peccato [f], ab omni maligno spiritu [g], à periculis [h]: denique fiduciam esse de iam concessa filij Dei cognitione, & immaculata religione extra cultum omnem superstitiosum [i].

a præf. in hãc 1. epist. b tract. 7. c Oeconom. bibl. li. 4. tab. 169. & seq. *De fide quid doceat S. Ioannes.* d 1. epist. 1. 1. & seq. e ibid. 3. f ibid. 5. g ibid. 8. & seq. h ibid. 7. i 1. ep. c. 2. 1. 2. k c. 4. 1. l ibid. 2. 3. m ibid. 4. n cap. 5. 4. o ibid. 6. p 1. epist. 5. 7. q ibid. 10. *Quid de spe hæc epistola habeat.* r cap. 3. 1. s ibid. 2. t ibid. 3. u ibid. 5. 8. x ibid. 10. 12. y ibid. 19. & seq. z ibid. 21. a cap. 4. 17. b ibid. 18. c c. 5. 11. d ibid. 14. 15. e ibid. 16. f ibid. 18. g ibid. 19. h ibid.

In charitate versatur epistola potissimùm, vt sæpius admonet Augustinus. Hæc, vt Ioãnes docet, Deum respicit eius obseruando mandata [k]: proximum quoque [l], & studium virtutis, ad quã ipse omnem hortatur ætatem [m]: includit præterea charitas Mundi contemptum, quia immundus est [n], & inconstans [o]; atque Hæreticorum, qui ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis [p]: Postremò vitiorum, vt in veritate permaneamus, ad quam nos perducit vnctio Spiritus sancti [q], per Ecclesiastica sacramenta. Fructus charitatis quatuor sunt: vt nos efficiat Dei filios [r]: pariat cognitionem eius [s]: reddat imitatores Christi [t]: coniungat, vniátque cum ipso [u]. Addit demum Ioannes exhortationem ad charitatem Dei, quia prior dilexit nos [x]: & proximi, quoniam nisi qui videtur diligatur, non poterit qui non videtur Deus: quoniam vtrumque amorem imperauit Deus [y]: quia leuia reddit Dei mandata [z]: denique quoniam alter ex altero sequitur, vel demonstratur amor [a].

Quid mirum, si singulariter à Christo dilectus, adeo diligeret, & nihil nisi dilectionem spiraret? Vnus ex Euangelistis supremum Christi plenum charitatis sermonem retinens memoria, scriptóque mandans, nec aliud magis commendaret etiam sub mortem, cum tædio affectis idem audientibus se dignam respondit sententiam; *præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit* [b].

Est non nemo [c], qui id agi putat hac epistola, vt fides confirmetur, & status nostri dignitas exponatur, ad quam per Christum renati sumus & euecti. Caput primum vult esse de prima iustificatione per fidẽ susceptum verbum, & per mansionem in ea, quæ fit per bona opera: secundum de secunda iustificatione, qua redditur iustus iustior in dies, obseruando mandata, fugiendo errores, ac demum præmium & coronam cõsequendo: tertium de præmio ipso, propter quod sunt vitanda peccata, charitatis exercenda opera, contemnendus Mundus: quartum de erroribus circa fidem & proximi dilectionem: quintum, de vtilitatibus fidei, atque charitatis, & custodiæ mandatorum Dei: de peccato etiam ad mortem, quod cum idololatria caueatur diligẽter. Augustinus [d] docet Petrum, Ioannem, Iacobum, Iudam in epistolis intentionem potissimùm direxisse contra opinionem, quòd fides sine operibus, ad salutem sufficeret. Ausim ipse dicere, nullam hac epistola magis Theologicam, pluráque continẽtem mysteria de Trinitate atque incarnatione. Semper sui similis Ioannes, quem à diuinitate scriptorum rectè Theologũ cognominauerunt Dionysius [e], Athanasius [f], Cyrillus [g] Ierosolymitanus, Epiphanius [h], Chrysostomus [i], Cyrillus [k] Alexãdrinus, Petrus [l] Damianus, Hippolytus [m] martyr, Anastasius [n] Antiochenus.

i ibid. 21. k c. 1. 3. l ibid. 9. 10. 11. *De Caritate quæ sint huius epistola documenta.* m ibid. 12. & seq. n 1. ep. c. 2. 16. o ibid. 17. p ibid. 19. q ibid. 27. r c. 4. 7. s ibid. t ibid. 9. u ibid. 12. 16. x c. 4. 19. y ibid. 21. z c. 5. 3. a ibid. 1. *Ioannes cur de caritate tanta præcipiat.* b Hieron. in c. vlt. epist. ad Gala. c Salmeron to. 1. proleg. 9. Cano. 13. & in to. vlt. disp. 1. in 1. ep. Ioan. *Eiusdem Epistola alia summa.* d de fide & operib. c. 14. *Ioannes cur Theologus dictus.* e ep. ad Ioannem. f in Synopsi. g Catech. 12. h Her. 51. i in Psal. 57. k 3. de Trinit. & orat. habita Ephesi, quæ est in Actis concil. Ephes. l Serm. 1. de S. Ioan. m Tract. seu ora. de consum. mundi. n 3. De rectæ fidei Cathol. dogma.

IN DIVI IOANNIS EPISTOLAM PRIMAM CATHOLICAM COMMENTARIA.

ARGVMENTVM.

Breue argumentum primi capitis.

Cùm præfationis postremo Capite satis distinctè totius ac singulorum Epistolæ Capitum sit argumentum expositum, deinceps in ipsam textus commentationem ingredi citiùs licebit breuiore in argumento mora facta. Vno verbo dici potest, edere Ioannem authenticum de Christo testimonium, vt ad societatem inuitet cum ipso, qui sanguine proprio peccata hominum mundauit: quæ peccata qui se neget habere, Deum faciat mendacem.

CAPVT PRIMVM.

1 QVOD fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ.

2 Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annũtiamus vobis vitã æternã, quæ erat apud Patrẽ, & apparuit nobis.

3 Quod vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscũ, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.

4 Et hæc scribimus vobis vt gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum.

5 Et hæc est annuntiatio, quam audiuimus ab eo, & annuntiamus vobis. Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.

6 Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.

7 Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi, Filij eius, emundat nos ab omni peccato.

8 Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

9 Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.

10 Si dixerimus quoniam non peccauimus: mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.

Vers. 1.] Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.

PENDET senteñtia versus ex sequentibus, quod hyperbaton Syrus interpres expediuit, collocando verbũ in principio, sic dicẽs: מסברנן לכון להו דאיתוהי הואה מן ברישית *mesabrinan lechun lechau ditauhi hauah men berischith*, (*Euangelizamus vobis illud quod erat ab initio*, &c.) Et Lyranus, Catharinus, Vatablus cẽsent recurrendum ad verbum (*annuntiamus*) Hugo Cardinalis ad (*testamur*) sic autem habet editio Syriaca: (*Euangelizamus vobis illud, quod erat à principio, quod audiuimus, & vidimus oculis nostris: vidimus & contrectauimus manibus nostris, hoc est verbum vitæ, &c.*) Gagneius ita: *Verbum illud vitæ quod erat ab initio*, &c. vel *quod ab initio fuit de verbo vitæ*, quod *de eodem audiuimus, &c. annuntiamus.*

Quod fuit ab initio.] Nempe de verbo vitæ, id quod fuit verbum vitæ ab initio, vel erat, & ab initio quidem aut æternitatis, aut longi tẽporis, à quo tempore verbi huius facta est annuntiatio.

Primo modo denotatur æternitas Verbi, quod fuit, præterito perfecto, quia semper est in actu, sicut est res quæ dicitur iam perfecta; & erat, imperfecto, ne concipiatur desiisse: semper enim productum fuit, producebatur, producitur, producetur. Æternitas, omnem temporis includit differentiam, vt propterea Deus de seipso affirmet: *Ego sum qui sum* [a]. Et Hebraicè: אהיה אשר אהיה *eheieh ascher eheieh*, id est, *Ero qui ero* [b]. Ioan-

Æternitas omnem temporis includit differentiam.

a Exod. 3. 14.
b ibid.

nes autem noster in Apocalypsi de eodem: *Qui est, qui erat, qui venturus est* [a].

Quod ipsimet Gentiles per τὸ ὤν, quod significat *Tu es*, denotaruut, respondens intra remplum Apollinis Delphici priori, quæ intrantibus obiiciebatur sententiæ, γνῶθι σεαυτὸν, *Nosce teipsum* [b]. Idem sibi voluerunt hæc in Ægyptiorum templis inscripta Dei verba: *Ego sum omne, quod fuit, quod est, quódque futurum est.*

Quocirca minus probo, quod nonnulli notant, [c] præteritum non tribui Deo, nisi cum respectu ad relationem capacē præteritionis. Nam licet illud, *Ego hodie genui te* [d], de Resurrectione Christi, vel de natiuitate siue conceptione temporali possit intelligi [e]: tamen negari non debet, quin etiam de generatione diuina, & æterna rectè sumatur, vt aliàs docuimus [f]. Alia similia sunt exempla: *Ex vtero ante Luciferum genui te* [g]. *Dominus possedit me*, &c. [h] *Ab initio, & ante secula creata sum* [i]. Denique tempus quidem præsens maximè conuenit immutabilitati diuinæ Essentiæ, vt obseruant Nazianzenus [k], Augustinus [l], Clemens Alexandrinus [m], Basilius [n], Dionysius [o], Damascenus [p], Iustinus [q], Hilarius [r], alij Patres, & Theologi, ex quibus Græci vsurpāt illud, Τὸ ὂν ἀϊδιότητος δηλωτικόν. Id præterea tradit Plato [s]. Ægyptij, vt refert Eugubinus [t], inscribebant in templis auctore Mercurio: Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον: τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψε: *Quod futurum est*, indicat nondum esse actum: *Quod erat*, innuit cum præterito perseuerantiam in duratiooe: *Quod fuit*, videtur hanc excludere: nihilominus, demptis imperfectionibus, possunt, ac solent istæ differentiæ temporis enunciari de Deo, citra quoque habitudinem ad creaturas, in quibus aliquid operetur. Quamquam *natura Dei immutabilis, & ineffabilis*, ait Augustinus [u], *non recipiat Fuit, & Erit, sed tantùm Est; ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest: tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, & mutabilitas, non mendaciter dicimus, & Fuit, & Erit, & Est: fuit*, quia nunquam defuit; *erit*, quia nunquam deerit; *est*, quia semper est.

Quod attinet ad hunc locum, quamuis Interpres τὸ ἦν reddat *fuit*, in capite primo [x] Euangelij Ioannis vertit *erat*, & boni Auctores linguæ Latinæ noonunquam pro præterito sumunt imperfectum, vicéque versa; Bernardus [y] quoque legit, *erat*, dum citat ista verba. Sed & in Apocalypsi [z] semel iterúmque de bestia dicitur, quæ erat & non est. Porrò initium pro æternitate hoc loco intelligit Athanasius [a], Cyrillus [b] Alexandrinus, (qui tamen pro Patre Filij principio [c],) Hugo Cardinalis Carthusianus, Glossa Interlin. Catharinus in huius loci Commentario, & Didymus Alexandrinus, atque Clemens item Alexandrinus, qui simul inuoluunt Patrem principium Filij, (sicut plures alij in primis verbis Euangelij Ioannis [d], vbi est ἀρχὴ, perinde vt hic) & Cassianus [e]. Hoc est, quod Michæas magis exprimit [f]: *Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Et quod in Psalmo legimus [g]: *exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante secula.* Hebraicè vnica dictiooe קדם *kedem*, significatur, id est, *initio.*

Solet præterea Scriptura *initium* vt de rebus dicitur, quæ cœperunt esse in prima creatione per longissimam durationem ponere pro æternitate, vt sese nobis attemperet, qui vix apprehendere quid possumus ante mundum conditum. Sic *ab origine mundi* [h], vel *constitutione* [i] *factum paratumve* dicit aliquid, quod est ab æterno. Hoc loco Didymus, & in cap. 1. Ioannis Euangelij Cyrillus [k], atque Ambrosius in opere de fide [l], obseruant, singulas creaturas aliquid esse dici, solum Deum, & Christum dici esse omnino quod est; nec inclusum tempore. Videtur hic, & in Euangelij exordio Ioannes, respectum habuisse ad prima Genesis verba, *in principio creauit, &c.* id est, in Verbo, vt exponunt aliqui, per quod cum facta sint omnia, oportet ante omnia extitisse ab æterno. Similis allusio ad cap. 8. [m] Prouerbiorum, vbi se Sapientia genitam dicit, *antequàm Deus quidquā faceret*: deinde ad 24. Ecclesiastici, [n] *Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*: postremò ad Psalmum 109. *ante Luciferum genui te* [o].

Alia ratio præsentem sententiam declarandi esset, quam simul cum iam allata Oecumenius tradit, vt nō recens, ac nouum, nuperúmve mysterium credatur, quod Christiana profitetur religio, sed ab initio, dudúmque præfiguratum, atque prænunciatum, tum à lege, ac Prophetis, tum iam inde ab exordio mundi, etiam à Patriarchis, & Patribus; ita vt non liceat dicere, *Quænam est hæc doctrina noua* [p], vel *nouorum dæmoniorum videtur annunciator esse* [q]. Similis sensus esset, se sincerè annunciare, quod à principio prædicatum est absque immutatione, qualem Hæretici faciunt. Tūc vitæ verbum non Trinitatis personam secundam propriè designabit, sed dictum mysterium, atque doctrinam vniuersam eo sensu quo Christū Petrus [r] asserebat *habere verba vitæ æternæ.*

Verumtamen præferendus duplex prior sensus de Christo secundum diuinitatem durationis expertē, vel de eiusdem cum Patre consubstantialitate, à quo est velut à principio. Propositum enim erat Ioanni grassantem eo tempore hæresim euertere, Christum esse simplicem hominem. Videtur Interpres initij nomen vsurpans, & non principij, durationis potiùs ordinem respexisse, quàm originis. nam initium de productiua causa non ita vsurpatum reperio in Scripturis. Familiaris autem est Ioāni formula ista [s], & durationem importat, siue coëxistentiam, vt dicunt, cum durationis successione, sed quandoque cum exclusione cuiuslibet durationis [t], vt antè dictum est, aliàs cum ea duratione, quæ cuilibet aptè conuenit. V. G. cum dicitur quòd *Diabolus ab initio peccat* [u]; aut *homicida erat* [x], qoo vltimo loco *erat* pro (fuit) ponitur, & significat sub mundi principium hominem à Diabolo morti factum obnoxium, aut inductum Cain ad fratricidium. Affinis phrasis est [y] *ex tunc* מאז *meaz*, ἀπὸ τότε, quod exprimit Chaldæus מלקדמן *millecadmin*, *à principio.*

Quod fuit ab initio] Cyrillus Alexandrinus [z] explicat secundum æternitatem Verbi.

Quod audiuimus.] Non tam de seipso loquitur numero multitudinis, quod facimus, vel κατ' ἐξοχὴν, vel alia de causa, quàm simul de coapostolis, & condiscipulis aliis (sic in Euangelio [a] dixit, *vidimus gloriam eius*) qui audierint non tantùm per Legis ac Prophetarū etiam ab ipsismet Scribis, & Pharisæis declarationem in Synagogis, & templo, & alibi, vt placet Glossæ ordinariæ, & Hugoni Cardinali, & meminit Didymus, aut per Ioannis Baptistæ prædicationem, vt ait Lyranus, volens cum Andrea illius discipulum fuisse [b]. sed per expressā quoque Verbi incarnati Christi de seipso testificationem, vt exponit Beda, & rursus Hugo, & Carthusianus, & Clemens Alexan-

drinus,

a Apoc. 1. 4. *Quid sit* τὸ ὤν.
b Plut. opusc. de εἰ.
c Salmeron disp. 2.
d Psal. 2. 7.
e Heb. 1. 5.
f Act. 13. 33.
g Psal. 109. 3.
h Prou. 8. 22.
i Eccl. 24. 14.
Tempus præsens maximè conuenit diuinæ essentiæ immutabilitati.
k Orat. de Natiuit. & 1. de Paschate.
l Tract. 8. & 39. & 99. in Ioan. & libro 83. q. in q. 17. De vera Relig. c. 49.
m in Parænesi.
n in liturgia.
o de diui. nomin. c. 9.
p de Fide c. 8.
q in Parænes. & Conc. Tryphon.
r 12. de Trinitate.
s in Timæo.
t in c. 3. Exod.
u Tract. 99. in Ioan.
Tria tempora quo modo de Deo enuntientur.
x vers. 1.
y Ser. de Feria 4. hebdomadæ pœnosæ.
z cap. 17. 8. 11.
a Serm. de Incarnat. Christi, & Oratio. cont. Arrianos.
b de recta fide ad Theodos. & recitatur Tom. 1. Conc. Ephesi.
c de recta fide ad Reginas; & recitatur Tom. 1. Con. in Ephesino.
d Hos referūt Maldonatus, Toletus, Salmeron, Barradius, & exponentes Ioannem.
e 5. de Incarn. cap. 6.
f cap. 5. 2.
g Ps. 54. 20.
Initium in Scriptura quomodo sumatur.
h Apoc. 13. 8.
i Matt. 25. 34.
k lib. 1. c. 1.
l lib. 1. c. 5.
m vers. 22.
n vers. 5.
o vers. 3.
Christi doctrina non est noua.
p Mar. 1. 24.
q Act. 17. 18. 19. 20.
r Ioan. 6. 69.
s in Euang. c. 6. 64. c. 8. 44. c. 15. 27. c. 16. 4. in 1. ep. 2. 7. 13. 24. c. 3. 8. 11. in 2. ep vers. 5. 6.
Initium apud Ioannem quid importet.
t Hic, & c. 2. 13.
u 1. Ioan. 3. 8.
x Ioan. 8. 44.
y Psal. 92. 2.
z Dial. de incarn.
a c. 1. 14.
b Ioan. 1. 37. 40.
Ioannes de Christo à quibus audiuerit.

drinus,ac per internum aurium mentis assensum, tum quamdiu versabatur Christus in hac vita, de quo Pater [a] *ipsum audite*;tum quādo misit Spiritum sanctum,& visibiliter in Pentecoste, & deinceps inuisibiliter,de quo Christus idem [b]. *Quacumque audiet loquetur*,&c.Postremò, *Fides ex auditu*[c]: imò *sensus omnis disciplina est auditus* [d].Quamquam non omnis tantùm, qui audit, credit, sed importat quandam dependentiæ habitudinem in auiditate audiendi verbum ab eo qui dicit. Sic modò retuli, Spiritum sanctum quæ audisset à Patre scilicet,& Filio, à quibus procedit,locuturum fuisse: eadem ratione dicebat Christus [e]: *Quæcumque audiui à Patre meo,nota feci vobis*, à quo nempe genitus est. Ergo primo isto verbo profitetur se Ioannes discipulum. Tertullianus [f], & Hieronymus [g] immutant ordinem lectionis, fortassis volētes retinere illum qui est inter sensus. sic enim recitant: *Quod vidimus, quod audiuimus, oculis nostris vidimus, & manus nostra contrectauerunt de Sermone vitæ.*

Didymus meminit nonnullos hæc omnia retulisse ad resurrectionem Christi,quam,cùm iam esset facta,priùs audiuerint Discipuli, postea viderint,&c. Ipse verò auditum sumit pro interno fidei assensu, per quem peruenitur post multam exercitationem,ad quandam veluti visionem, & coorrectationem,hoc est,magnam probationem, & confirmationem creditarum rerum. Huc ipse quoque probo vnà cum externa auditione loquētis Christi.Hanc legem, Prophetásque æquè Iudæi cæteri audiebant, nec Ioannes, qui facere vult sibi magnam pro his, quæ dicturus est, in exordio auctoritatem:(*Quod enim scimus loquimur, & quod vidimus, testamur* [h]) quemadmodū fecerat in Euangelio non semel [i],& erat immediatus testis,tum auritus, tum oculatus, alios produceret auritos solùm testes.Neque verisimile fit,vno dūtaxat de Resurrectionis loqui mysterio voluisse, cùm propositum haberet differendi de Diuinitate,atque Humanitate Christi.Quis etiam credat, cùm se dicit audiuisse, Ioannem Baptistam solùm de quo audiuerit,innuisse?

Meliùs nos omnia complexi sumus, in primis Christi ipsius auditum sermonē. Cassianus [k] consentit, cuius de tam luculenta Ioānis testificatione verbis istis expressa hoc iudicium est, *Vides*, inquit, *quot indiciis, quot modis, quàm variis, quàm multiplicibus dilectissimus ille,ac deuinctissimus* (vel deuotissimus) *Deo Apostolus Sacramentū diuinæ Incarnationis insinuet?* Rursum: *Vides quot modis, quàm variis, quàm multiplicibus, quàm indiuiduis, quàm apertis ita Sacramentū vnitā cū Deo carnis exposuit, vt nemo alterutrū elicere omnino possit, qui nō vtrūque memoraret?*

Quod vidimus oculis nostris] *Pluris est vnus testis de visu,quàm auriti mulis* [l]:& *non possumus quæ vidimus, & non tantùm quæ audiuimus,non loqui* [m]:&, *Quæ vidimus testamur* [n]: taléſque Christus exigebat testes [o]:& Petrus [p]:Lucas [q] etiam se, quæ tradebat in Euangelio, profitetur accepisse *ab iis qui initio ipsi viderunt,& ministri fuerunt sermonis*: Οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται, καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου. vbi per τὸν λόγον personam Trinitatis intelligit Origenes, Ambrosius,Euthymius;præterea Hieronymus [r], & Cyrillus Alexandrinus [s].

Ex hoc visu externo colligit Cassianus,aliique Patres citati realem incarnationem Verbi, sicut & ex sequentibus verbis: Non potest oculis Incarnatio videri,potest tamen is, qui est incarnatus: quòd sit autem incarnatus, probant alia argumenta:& fidem de Incarnatione iuuat quoque visio quorumdam operum externorum,quæ mirabilia,& supra naturæ vires esse, recta demonstrat ratio,certè non pertinacibus, maléque affectis persuadet,sicut aliàs docui [t].

Expressio est,& ἐξήγησις, non περιττολογία, vel βαττολογία,vel πλεονασμὸς, dicere, videre oculis, & auribus audire,& paulò pòst, manibus cōtrectare. Monet id Chrysostomus [u], aitque morem esse eorum,qui narrant,de quibus certiores sunt, & magni momenti sunt, sed auditoribus minus nota. Glossa interlin. restringit ad visam transfigurationem in monte: vbi & Petrus [x] auditam à se,& condiscipulis aliis duobus, nempe vocem Patris de Christo testatur: *& speculatores se factos illius magnitudinis*. Latiore sensu delector magis vnà cum internæ mentis intuitu, iudicióque de Christi diuinitate ex externis effectis, externo perceptis sensu oculorum, vt obseruauit etiam Lyranus. Adde cum Hugone Cardinale, aliísque cætera Christi doctrinæ ac morum opera, ratione quorum *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus* [y], *& visa est ab hominibus*, vt idem scribit Ioannes in Euangelio [z], *gloria eius quasi gloria vnigeniti à Patre*, scilicet splendor miraculorum, dicta transfiguratio, cætera miracula, mores, doctrina,qualia Filij Dei postulabat maiestas. Priùr crede, tum videbis, & intelliges [a]. *Nos credidimus*, dixit quoque Petrus [b], *& cognouimus quia tu es Christus filius Dei*, hoc est,re ipsa,& velut experimento:& Samaritani: *Iam non propter loquelam tuam credimus:ipsi enim vidimus, & audiuimus quia hic est verè Saluator Mundi* [c]. Spiritus sancti fructus fides est,eximiū quiddam significans in modo assensus credendi cum peculiari firmitate, ac robore,& perspicuitate circa res creditas.

Quod perspeximus.] Ἐθεασάμεθα,quasi in theatro, diligenter,perspicuè, hilariter, cum di udicatione,& delectatione. Singulare diuinis oculis, angelicis,humanis [d] spectaculum Christus. Didymus hoc verbo denotari spiritualem,intelligibiléınque cognitionē vult, quasi dicas theoreticā; iuxta illud [e], *Et si cognouimus secundum carnē Christum,sed nunc iam non nouimus*. Ex iis fuisse se Ioannes lætus, ac gratulabundus indicat, quibus dictum fuerat à Christo [f]: Vestri beati oculi, quia vident; & aures vestræ,quia audiunt.

Et manus nostra contrectauerunt.]Non est figurata dumtaxat locutio pro valdè exacta,& omnino explorata cognitione, perscrutando scripturas, & remouendo non solùm ludibria oculorum (*quasi phantasma esset*, inquit Tertullianus [g], & Cassianus [h] contra Marcionitas, & Manichæos) aliorúmve sensuum, sed vt minus perfectam scientiam intellectus per fidei assensum, vt innuit Augustinus [i] agens de Magdalena Christum tangere probibita [k]:& Didymus profundiorem præsentis loci sensum ait esse. Sic autem verba ista propriam sensus experientiam important, cùm Christus ab Apostolis, & Discipulis aliis crebrò attrectatus est, præsertim verò post resurrectionem, quando id omnes iussit facere [l], maximè Thomam [m], & non hunc solùm, sed alios quoque re ipsa præstitisse credibile sit, licet nec de illis, nec de Thoma id scriptum prodant. De vtrisque videtur Leo [n] sentire, & Augustinus [o]. Hoc autem etiam inde suadetur, quod propterea Thomas condiscipulis vidisse se Christum, narrantibus, respondit, *Nisi mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus*

eius,

a Matth.17.5.
b Ioan.16.13.
c Rom.10.17.
d Arist.
e Ioan.15.15.
f lib. de Anima cap.17.& con. Praxeam. c.15.
g In cap. 2. Amos.
Didymi interpretatio auctori probata.
h Ioan 3. 11.
i Ioan.1.34.c.19.35.c.21.24.
Ioannes suas dicta vult fidem facere.
k 5. de Incarnat.c.6.
l Plautus in Truculento. *Oculatus testibus magis credendū, quàm auritis.*
m Act. 4.20.
n Ioan.3.11.
o Ioan. 15. 27. Act.1.21. c.10. 40.41.
p 2.Pet.1.16.
q Luc. 1.2.
r præf.in Mat.
s de Fide ad Theodo.
In carnatio oculis videri nō potest, sed Verbum incarnatum.
t Alibi.
u in Ps. 43.
x 2. Pet.1.16. 18.
Quæ Ioannes de Christo viderit.
y Baruch. 3. 38.
z cap.1. 14.
a Esa.7.9.secundum LXX.
b Ioan. 6.69.
c Ioan.4.42.
d 1.Cor. 4.9. *Christus singulare spectaculum diuinis oculis & humanis.*
e 2.Cor.5. 16.
f Luc.10.23.
g li.con. Praxeam cap. 15.
h 5.de Incarnat.cap.6.
i serm. 155. de tempore. c.2. & seq.
k Ioan. 20.17.
l Luc.vlt.39.
m Ioan.20.27.
n ep.97.c.4.& ep.10.c.5.
o ser.de temp. 147.c.1.& 155. c.2.& 160.c.1. & serm.18. de verb.Do.c.1.

eius, non credam [a], quia illi affirmauerant se Christi vulnera manibus tetigisse. Christus præterea ostendisse dicitur *omnibus latus, manus & pedes* [b]: quos equidem puto non contentos visione tangere voluisse, nec vt Hieronymo tamen placet [c], id detrectasse, quoniam esse spiritum adhuc existimarent, eàque de causa Christum cibum poposcisse, vel, vt ait Abulensis [d], id fuisset imperfectissimæ fidei signum.

De Thoma vix est qui ambigat, vnus videtur Euthymius visione contentum credidisse, non expectando dum contrectaret. Probabile illud æstimat Zacharias [e] Chrysopolitanus. Fauent quoque sententiæ nostræ, quam de recentioribus sequuntur Maldonatus [f], Suarez [g], Canisius [h], qui nominatim id exprimit fecisse B. Virginem, & Salmeron [i], & Thomas Anglicus citās quandam Glossam, & Simon [k] de Cassia, dicens *quod iustè afferat pia credulitas, cum amore vehementi feruntur in Christum, qui eos piè ad robur fidei inuitabat ad tactum.* Hieronymus Natalis* noster docet plures tetigisse, nimirum quos ad id interius vocabat Christus. Vincentius Brunus item noster [l] simpliciter idem asserit de omnibus. Athanasius [m], Ignatius [n], (cuius recitant etiam verba Eusebius [o], & Theodoretus [p], licèt in Ignatij epistola nunc paulò aliter legatur) & Tertullianus [q], duóque illi, qui testimonium proferunt Ignatij Meminit item Didymus in præsentis loci Commentario, multos per hæc verba putasse præsentiam Saluatoris post Resurrectionem factam Discipulis demonstrari, Ioannémque de se, ac cæteris Discipulis, qui audissent, & vidissent prius. *Quod audiuimus, & vidimus, &c.* Dominum resurrexisse, contrectauisse pedes eius, manus, latus, figuras clauorum. Fateor tamen subiungere Didymum id quidem repræsentatum sanctis, & virum Thomam palpasse, & quia licuit omnibus, & vnus de Collegio fecit ipsorum, indefinitè de cunctis affirmari: nec sane citati alij Patres aliud voluisse conuinci possunt: qua item ratione licet intelligere Gregorium [r]; & si qui palpatum docent Christum post Resurrectionem à Discipulis. Ambrosius [s] indicat de solo Thoma. Augustinus [t] ab Apostolis contrectatas cicatrices Christi scribit, Gregorius [u] palpatum Christum.

Placet mihi tamen id, quo propensiorem dixi cum laudatorum testimonio Auctorum, (quibus addo Bedam, & quotquot tractantes mysterium hoc Resurrectionis Christi, tactu Discipulorum probatum dicũt, item Chrysologum [x]) rationem: nec quid incommodet ista sentẽtia video: & præcipienti, vel inuitanti Christo pia quadam audacia paruisse cunctos credo, quod meipsum, si eo fuissem loco, & mecum plures, si æquè licuisset, facturos fuisse non ambigo. Quin haud scio, an non parem reprehensionem non tangendo meriti essent, quam Petrus [y], dum lauari nolebat à Christo; quod præcipit, vel offert primarius ac princeps vir, accipiendum est, ne ipsius diffidere voluntati videamur, vel sapientiæ. Ioannem saltem huius compositorem epistolæ, traditio est, quem Clemens refert Alexandrinus in explanatione, tetigisse post Resurrectionem Christi corpus ipsius, & manum in profunda misisse, & ei duritiam carnis nullo modo reluctatam esse, sed locum præbuisse, seu cessisse. Videtur eo dicendi modo insinuari, non veras Christum cicatrices gestasse, solùm cedente iis locis, vbi priùs erant carne, tangentes perinde manus demersas in fundum esse, ac si reuera super fuissent. At repugnat communi sententiæ Patrum, ac totius Ecclesiæ de veritate plagarum Christi, quam præterea perspicuè satis tradunt Euangelistæ [a]. & tam hi quàm illi, atque communis habet sensus, non vestigia sola, & foramina quoque remansisse: hoc enim sibi vult mittere manus in fixuras clauorũ, digitum in locum eorum, manum in latus: neque penetrabatur corpus Christi, id operante ipso per dotem subtilitatis, ita vt tangerent extrema latera sine medio, quia gratis confingitur talis modus, vt demonstrat noster Suarez [a], dicens speciali miraculo factum, *ne foramina cõtinuitatem impedirent, & conuenientem dispositionem neruorum, arteriarum, venarum ad sanguinem continendum, & ad exercendas omnes actiones vitæ, motúsque: carnis autem absentis vice singularem quendam decorem & pulchritudinem adiectam*, ex qua maximam capiemus oculis delectationem, sicut & ex aspectu cicatricum in Martyribus Augustinus [b] scribit.

Itaque nec Thomas solus, nec Ioannes, sed Apostoli reliqui audierunt, viderunt oculis suis, perspexerunt, manibus contractauerunt, & accuratam, multísque probatam argumentis de suscitato Christo notionem consecuti sunt, & experimento ipso sensuum, deprehenderunt huius veritatem mysterij, & aliorum. Sed non arbitror (quod priùs quoque monui) hæc propriè ad tactum plagarum Christi post resurrectionem restringenda: sicut etiam ex sequentibus liquebit magis. Comprehendit hoc adeo locuples testimonium omnem veritatem Incarnationis, vt passim Patres colligũt, ex quibus Tertullianus [c] hoc modo post recitatum præsentem locum: *Falsa vtique testatio, si oculorum, & aurium, & manuum sensus natura mentitur.* Idem tamen [d] ad resurrectionem aptat, verso sic canens:

Auribus audiuere, oculis videre salutem,
Tractauere manu corpus de morte receptum.

Cassianus [e] palpatum ait dicere Ioannẽ, id quod erat ab initio, &c. tactum, atque tractatum tam suis, quàm cæterorum manibus. De Ioanne ait Beda, propterea quòd in cœna recubuit super Christi pectus, esse peculiarem rationem.

Licèt verò falli sensus possint, & in rebus fidei visus magis, quàm auditus, vt notat Ambrosius, [f] immò etiam tactus potiùs, quàm idem auditus, si quidem caligans Isaac vocem Iacob [g] probè dignouit, in manibus quas tangebat, falsus est: nihilominus adhibitum plurium sensuum experimentum, rem probatiorem reddit, & per se loquẽdo ipsa rei sensibilis tractatio sicut crassior, ita videtur certior, atque vt Philosophus [h] tradit, exactior, dicitúrq; prouerbio quis aliquid oculis, manibúsque tenere, quod nempe certissimè compertum, & notum habet. Quin tamen visus præstet in cognitione super cæteros sensus, nequit negari: & verò idem Aristoteles [i] asserat. Scitè admodum Chrysostomus de Thoma loquẽs, vsurpare facit eum verba Psalmi [k]: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis contra eum, & non sum deceptus.* conuenit etiam aliis.

Contrectauerunt] Augustinus [l] innuit ab omnibus Apostolis tactum & palpatum Christum. Nisi eum intelligas quod vni conuenit, de pluribus affirmare.

Contrectauit Ioannes ipse cùm recubuit in sinu Iesu [m]: Petrus, quãdo manu extensa illũ apprehendit naufragantẽ [n]: omnes Apostoli, cùm loti sunt ipsorũ ab eo pedes [o]. Sed & post resurrectionem

a Ioan. 20. 25. *Christum post resurrectionem manibus attrectauerunt.*
b Luc. 24. 39. Ioan. 20. 20.
c ep. de errorib. Ioannis Ierosolym.
d Parad. 5. cap. 17.
Thomas Christũ manibus attrectauit.
e lib. 4 in vnũ ex quatuor.
f in c. 20. Io. vers. 20. & in c. vltim. Lucæ vers. 49.
g 3. Par. Tom. 2. Disp. 49. Sect. 4.
h lib. 4. de B. Virgine, c. 2.
i Hoc loco Disput. 3.
k lib. 14.
* Medit. 116. in Euang.
Quot & qui Christum post resurrectionem tractauerunt.
l Medit. 57. & 58. de Passione.
m Orat. con. Arrian. *Ex Deo Deus est verbũ.* non longè à fine.
n ep. 11.
o 3. Hist. c. 36.
p Dialogo 2.
q lib. de Carne Christi. c. 5. & 4. con. Marcion. c. vlt.
r lib. 14. Moral. c. 29. vel 31.
s lib. 5. in Lucam.
t in Psal. 59.
u hom. 30. in Euang.
Apostoli omnes Christum post resurrectionem manu tractarunt.
x serm. 8. & 76.
y Ioan. 13. 6.
Ioannes Christi corpus tetigit.

a Lucæ vltim. Ioan. 20.
a 3. Par. Tom. 2. Disput. 47. Sect. 2.
Cicatrices in Christi corpore quomodo constant.
b 22. de Ciuit. Dei. cap. 20.
c lib. de Anima cap. 17. & con. Praxeam c. 15.
d 3. Con. Marcion. carminæ. cap. 7.
e 5. de Incar. cap.
Sensus in rebus fidei falluntur.
f in c. 5. Luc.
g Gen. 27. 22.
h 2. de Anima tex. 94.
i 1. Metaphy. sub prin.
Visus præstat cognitione reliquis sensibus.
k tom. 3. serm. de Trinit.
l Psal. 49.
m Ioan. 13. 23. 25. c. 21. 20.
n Matth. 14. 31.
o Ioan. 13. 5.

nem contrectarum confirmo sicut dixi: neque credi debet Ioannem tanta asseueratione testificantem, hyperbolicè loqui, vel de auditione per solam doctrinam Prophetarum, de visione per solam fidem. *Et testamur*, inquit paulò pòst [a]: idémque cum Petro confidenter ad principes Iudæorum dixit [b]: *Non possumus quæ vidimus & audiuimus, non loqui.*

De verbo vitæ.] Syrus, הו דאיתוהי מלתא דחיא *hau dahauhi maleta dichaye* (*hoc est verbum vitæ*) *nimirum quod euangelizamus, & audiuimus*, &c. erátque à principio. Hebraismus est, audire, &c. annunciare de Verbo vitæ, pro eo quod est Verbum vitæ, sicut aliàs ostendimus [c] Ioëlem loqui: *effundam de spiritu meo*, id est, Spiritum meum. Tale illud Psalmi [d]: *Dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper*; item [e], *Sancti de hoc mundo iudicabunt*. Potest quoque denotari hac formula, limitata, & obscura de Verbo cognitio in hac vita.

Non solùm verba vitæ numero multitudinis [f], sed etiam quandoque verbum in singulari [g] externum significat sermonem, qui habetur de vita æterna, déque ad eádem via. Hoc loco passim exponitur de secunda Trinitatis persona incarnata, quæ deinceps vocatur vita æterna, quæ erat apud Patrem. Illud vtrumq; ait Athanasius [h], videlicet in carne Filium, & Patris Verbum, quod palpatum erat, Verbum vitæ Sacræ Litteræ appellauerunt. Hieronymus [i] quoque: Verbum Dei, quod per se inuisibile est, inquit, vidêt Apostoli, & tractant manibus suis, quod *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis* [k]. Eadem doctrina Bernardi [l], Cyrilli [m] Alexandrini, Cassiani [n]. Sed Augustinus in Commentario dubitationem eximit. Fortè de verbo vitæ sic quisque accipiat, quasi locutionem quandam de Christo, non corpus ipsum Christi, quod manibus tractatum est. Vide quid sequatur: *Et ipsa vita manifestata est*: Christus ergo Verbum vitæ. Quare Latinè potiùs dicamus Verbum, quàm Sermonem (licet & hunc aliquando pro Dei Filio, immò & vocem nonnulli sumant) [o], vt docui aliàs [p]. Vertit sermonem Tertullianus [q] citans hunc locum.

Tam est proprium huic personæ nomē, vt non alteri conueniat aptè, sicut in Basilio [r] notauit B. Thomas [s], exponens quod ait Paulus, *portans omnia verbo virtutis suæ* [t], idem esse quod præcepto, non autem vt Basilius volebat, Spiritu sancto Filij, adde vel definitione sua, vel seipso, qui potens est Verbum Patris. Quod ibidem est apud Apostolum: *Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei*, significat doctrinam esse gladium spiritualem, & ex genere armorum non carnalium, sed potentium Deo [u].

Multiplex assignatur causa, cur Dei Filius dicatur Λόγος, Verbum. Non sufficit quòd procedat ἀπαθῶς à Patre, sicut ex animo nostro ratio, seu notitia sine passione, & corruptione [x], quòd sit intimus Patri, vt nobis ratio [y]: quòd nos reddat obsequentes rationi [z]: sunt enim hæc non minus communia Spiritui sancto. Optima ratio, & maximè recepta, quòd sit expressa Patris notitia, & eiusdem naturæ [a] notio. Quò pertinet etiam, quia per Verbum cuncta fecit Deus [b], & ab æterno quod poterat, non aliter in tempore quàm per ipsum facturus erat: & quoniam per id ipsum suam nobis eodem modo sententiam, voluntatémq; manifestat [c]: postremò quia simul omniū rerū idea, & definitio est. Λόγος *multa significat*, inquit Hieronymus [d]: *nā & verbū est, & ratio & supputatio, & causa vniuscuiusq; rei, per quam sunt singula, quæ subsistunt: quæ vniuersa rectè intelligimus in Christo.* Ad rem nostram facit potissimū, vt adeò crebra Verbi vsurpatio in nouo Testamēto innuat in eodem Christo cum interno diuino verbo, quod vocant etiam cordis, verbum oris, & externum, quo Dei Filius, per quem olim loquebatur [e] Deus Pater Prophetis, & quē Filium loquētes Angeli [f] repræsentabant, ipsemet locutus sit, & in ipso Pater, videlicet postquam *Verbum caro factum est*, & internum veluti vestitū externo, sicut mētis nostræ conceptionē vestimus nos sermone sēsibili.

Iuuat istam rationem, quod Maldonatus obseruauit, solitum voce nominis, יהוה *Adonai*, Paraphrasten Chaldæum reddere מימרא *memara* Verbum, quasi de Filio intelligat, quòd persona Dei loqueretur nobis eo, quem diximus modo, & locutura quandoque sine interprete in humana esset natura. Id interpretantur tamen quidā [g] sic dictum, quasi denotet Sermonem promissum, siue illum, de quo sunt voces, atque sermones Prophetarum. Sed longè melior allata ratio. Quapropter licuit nunc dicere Ioanni, *quod audiuimus, &c. de verbo vitæ*, quasi propterea dicatur Verbum, quia quod est verbi proprium, auditur, & postea loquens, vt de teste [h], quem dicit esse fidelem, & veracem, & testimonium eius esse testimonium Prophetiæ: & in Apocalypsi [i] tamquam de duce, ac rectore Ecclesiæ, & in Euangelio [k] dicturus de Incarnatione, per quam vestiuit se Verbum diuinum carne [l] ceu externo Verbo, Verbi semper vsurpauit vocem [m]; & apertè de Filio Dei loquens, ait, quòd vocatur nomen eius Verbum Dei [n]. Lege Toletum [o], & Suarez [p].

Porrò delectatur Ioannes Verbi vocabulo potiùs, quàm Filij eandem ob causam, quæ placuit etiam B. Thomæ, non quia Filius quippiam obiiciat carnale vel patibile cogitationi nostræ [q], sicut accidit Arianis, qui, si Filius sit, necesse dicebant esse fœminam, colloquium Sermonis, coniunctionem coniugalis Verbi blandimētum, naturalem ad generandum machinulam, interuenire: talibus impij, & impudentes homines filij Dei, ac Saluatoris sui, teste Hilario [r], ac Cyrillo Alexandrino [s], generationem irridebant. Fauet Philo, auctor Iudæus, qui numquam Filium, sæpe λόγον Verbum vsurpat, necnon schola Platonica Platonem secuta magistrum, & antiquior Trismegistus [t], qui sanas vidisse literas, & Hebræa imbuti doctrina creduntur, quamuis lapsu quodam fortasse memoriæ de Verbo loquens Hieronymus [u], hoc nescisse doctum Platonem dicat, hoc eloquentem ignorasse Demosthenem. Alogianos Epiphanius [x] memorat hæreticos, qui negabant λόγον. Centuriatores [y] quoque negant, id, à Patre, à Ioanne dictum respectu Patris, quia sit ab eo genitus filius per cognitionem: qui verò asserunt hoc, Basilium, Augustinum, alios, aiunt errasse, *errant ipsi, & in errorem mittunt* [z].

De Verbo vitæ.] Nam in Verbo vita erat [a], nempe ab æterno ipsum diuinum esse, quod accepit à Patre dicente, ac generante, *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso* [b]: & quod creato, ac finito modo aliis rebus vnà cum eodem Patre, ac Spiritu sancto communicat, iis quæ propriè viuunt vitam propriam, aliis accommodatam naturæ, atque operationis rationem. In ipso nos, & cuncta viuunt, mouentur,

e Hebr.1.1.
f Synnienfie Synæ. apud Hilar. aliique de quibus in dispur. 2. de Angelis.
Chaldæus Paraphrastes pro nomine ineffabili vtitur Verbo.
g Beza. contra quem Salmeron. Tom. 2. Tract. 4.
h cap. 5.7.
i cap. 19.13.
k cap. 1.1.
l ibid. 14.
m in c. 1. Ioan.
n Apoc. 19. 13.
o in Ioan. 1. annot. 1.2.7.
p lib. 9. de Trin. c. 1. & 2.
q Hæc respondent in Ioan. Leontius, Chry. Theo. Euthy. & Basil. in principio Ioannis.
Arianorum blasphemia.
r lib. cont. Constantium.
s Thesau. c. 2.
t de his quod attinet ad hoc Aug. de Quinque hæres. c. 3. 7. Conf. cap. 9. & 21. Euseb. Præpa. c. 5. lib. 13. c. 10. Theo. 5. de Princip. Clem. 5. Stro. Cyril. A ex. 8. cont. Iulian. Lactan. lib. 4. c. 8. Eug. b. 1. de Pe. et Philoso. Salmer. Tom. 2. Tract. 5. Baied. 4. Harmo. c. 4.
u ep. ad Paulinum. 101.
x Hæres. 51.
y Cent. 1. li. 1. cap. 4.
z 2. Tim. 3. 13.
a Ioan. 1. 4.
b Ioan. 5. 26.
In Verbo omnia sunt, mouentur, & viuunt.

sunt [a], & ad id referuntur; sed nobis prætetea proposita est vita gratiæ, & donum gloriæ, de qna duplici postrema vita Ioannes potissimum hîc loquitur.

a Act.17.28.

Omne creatum fuit vitaliter, in Verbo per rationem idealem, siue exemplarem ab æterno, atque in Dei ac Verbi viuebat quodammodo præscientia, sapientia, potentia, seu virtutis eminentia, vel æquinalentia, & voluntate, per quam voluntatem liberè, quando voluit definito tempore in opus extulit cuncta, creauitque Deus nullam inde passus in seipso mutationem. Lege Dionysium [b].

In verbo omnia per rationē ideales fuerunt.

b de Diui. nomin.cap.6. sub initium.

Solet duplex vita distingui, Physica, & Theologica: prior ex solis naturæ principiis: posterior supernaturalis, nimirum gratiæ, vt dictum est, atque gloriæ. Tertius veluti gradus est simplicis esse, ex quo tamquam ex primo secundus vitę naturalis sequitur. Idcirco per quandam accommodationem Patri simplex esse tribuitur, Filio viuere, Spiritui sancto dona gratiæ, quæ denominant vitam Theologicam. Sed quia Verbum Incarnatum, quod auditum, visum, palpatum est, promeruit nobis hanc vitam, notásque fecit *vias tuas* [c], ipsam docens esse *vt cognosceremus Deum solum, verū, & illū ab ipso missum* [d], & vt *si vellemus ad vitam ingredi, seruaremus mandata* [e], tum exemplo prælucens, mortem vincens. Propterea meritò Verbum vitæ à vita supernaturali denominatur, non tantùm à naturali. Immò probabile est, eundem nostrum Ioannem verbis illis ex eius Euangelio recitatis, *In ipso vita erat*, de vita loqui spirituali hominum, vt scilicet quod ibi Maldonatus fretus Ammonio, & & Theodoro Mopsuesteno, sic disertè locum intelligentibus, & Chrysostomo, ac Theophylacto indicantibus, sentit, addique Ambrosius [f] potest, cum Athanasio [g], vt inquam, Verbum quod erat in principio, & Deus & apud Deum, & per quod facta omnia, idcirco venisse ad nos, dimisso quodammodo sinu paterno, ac optima illa conditione, locóque dicatur, vt vitam, sicut & lucem (cuius ibidem proxima mentio) nobis afferret, quæ in ipso erat. Hoc est, quod hoc epistolæ huius capite versu qui sequitur, Ioannes perspicuè docet, *annunciamus vobis vitam, quæ erat apud Deum, & apparuit nobis*: Et in capite vltimo [h]: *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius: qui habet Filium, habet vitam.* Hæc ratio, cur toties [i] ille idem vitæ delectatus voce, vitam per Christum allatam, dicit, quod aliorum Euangelistarum nullus commemorat. Eadem Paulus de causa scribit [k]: *Cùm Christus apparuerit vita vestra*, & Petrus appellat *Auctorem vitæ* [l]: Per peccatum mors, & animæ, cuius vita gratia est, & corporis, *cuius illa stipendium est* [m]. Venit igitur Verbum vt vitā restituat, veramque vitam, quæ in ipso erat, quia eius auctor est, & Pater liberauit nos, & vocauit vocatione sua sancta non secundum opera nostra *sed secundum propositum, & gratiam, quæ data est nobis*, in Christo *ante tempora secularia* [n]; & *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* [o].

Duplex vita Theologica ac Physica.

c Psal.15.
d Ioann.17.
e Matth.19.
f 3. de Fide c.3.
g 1. de Homi. nis assump.
h vers.11.& 12.

Ioannes vita voce delectatur 1 cap.1.10. c.4. 14. cap.1.24. a c.1.10. 10. c. 19.6.c.7.1.
k Coloss. 3. 4.
l Act 3.15.
m Rom.6.
n 2. Tim.1.
o Ephes.
p c.3.2.

De verbo vitæ.] Quod cecinit Abacuc [p]: *In medio annorum notum facies*, L X X. quidem ζώων, verterunt, id est animalium: siue duo testamenta, siue populum Iudæum & Gentilem, siue intelligas bouem & asinum in præsepio, in quo natus Christus. Eusebius autem ζωῶν, *vitarum*, nempe humanæ & diuinæ.

Vers. 2.] Et vita manifestata est: & vidimus & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.

INCLVDVNT quidam hęc omnia parẽthesi, vt pendeat adhuc vsque ad verbum sequentis versus (*annunciamus*) Redditur autē hîc ratio, modúsq; declaratur, quo dixerat audisse se, vidisse &c. de Verbo vitæ, seu Verbum vitæ, ac vitam ipsam, quoniam id vnum valet Hebraico idiotismo (*&* ו *ve*) sicut alibi sæpius, vt *& Verbum caro factum est* [q], *& benedictus fructus ventris tui* [r]. *Ecce tu iratus es, & peccauimus* [s]. aliáque permulta sunt exempla (quorum collegit Sa [t] nonnulla) & Salmeron in Prolegomenis.

Hebraismus, & , seu ו *vau idem est quod quia.*
q Ioan.1.14.
r Luc.1.42.
s Esa.64.5.
t in indic.

Vita ἐφανερώθη, *manifestata est*, nimirum quæ latens erat in se, veluti foras prodit per admirabilem effectum incarnationis, de qua tot edita sunt argumenta, vt ambigi non possit. Moses post contractum ex diuino consortio in vultu lumen, velum obduxit, vt cerni posset [u], sic Dei Verbum per integumentum carnis, in qua miracula quoque patrauit, quæ nemo alius [x], & locutus est quomodo nunquam vllus homo [y]: ita vt licuerit Christo suis auditoribus exprobrare vtrumque, & quòd operibus non crederent [z], & quòd tam disertè loquenti non obedirent [a]. Mitto inductionem de manifestata secundum gradus omnes vitæ, vegetantem, sentientem, rationalem, & in Christo ipso, & in operibus miraculorum: de iis etiam, quibus Christus manifestauit eam Deo, Angelis, hominibus omnibus, animabus separatis. Vitæ manifestatio propter incarnationē præsertim intelligitur, ex qua pendet cętera operum œconomia, & doctrinæ: & hoc modo maximè manifestata est hominibus Vita, quia *panem hunc Angelorū* [b] *manducauit homo*, sensu externo, quem illi interno, vt ait Augustinus [c].

Incarnationis mysterii figura olim tectum.
u Exo.34.
2.Cor.3.
x Ioan 5.2. ca. 7.31.cap.11.47 c.12.37.c.15 24.
y Ioan.7.46.
z Ioan.10.38.
a Io.15.22. 24.

b Psalm.77. Exo.16.1. Cor. 10.
c Tractat. 1. in hanc ep.

Recognosce superiùs dicta de Verbo, cur vita personæ Trinitatis secundæ tribuatur. Vitam de Verbo Ioannes [d] affirmat, Christus de seipso [e]. Alioquin & Spiritum Sanctum *viuificantē* nominat Nicenum Symbolum, & eundem non pauci volunt intelligi creationis in exordio, esse *qui ferebatur super aquas* [f], veluti fouens, & incubans, & viuificans. Gentiles Græcè ζῆνα παρὰ τὸ ζῆν appellabant: & Latinis Iupiter dicebatur, quasi iuuans Pater, id est, faciens ζῆν, & à quo omnia vitam habent [g]: Refellit hoc tamen Lactantius [h] isto sermone: *Ipse autem furto seruatus, furtimque nutritus Ζεὺς, siue Ζὴν appellatus est: non vt isti putant, à feruore cœlestis ignis, (quasi ἀπὸ τοῦ ζέειν) vel quod vita sit dator, vel quod animantibus inspiret animas, quæ virtus solius Dei est, quam enim possit inspirare animam, qui ipse accepit aliunde? Sed quòd primus ex liberis Saturni maribus vixerit.* Porrò Vitæ nomen creatæ, & quæ cum addito sæpè vocatur æterna, nempe Beatorum, qui & absolutè Viuentes nominantur, dicitur [i] etiam absolutè quandoque de Felicitate. nam Christus quærenti quid faciendo vitam æternam consequeretur, *Si vis*, respondit, *ad vitam ingredi, serua mandata* [k].

d c 1. 4.
e c. 11.25.c. 14 6.
f Genes 1.2.
g Lact. in Zenone.
h lib.1.cap. 11.
i Psalm 33.
k Matth.19.
l Ioan.5 11.

Et vidimus.] Repetitio testimonium exaggerat. Videndi verbum, reliquos complectitur sensus antea positos, auditus, & tactus, immò quoscunque: & quia significat sensum externum, aptè repetitur, vt cum testandi verbo iungatur, vt Didymus notat; *quod enim vidimus, testamur* [l]: quæ verò perspiciuntur intellectu, huiuimodi

sunt

a 1.Cor.12.4.

sunt aliquando, vt non liceat homini loqui [a], hoc est, possibile non sit.

Et testamur.] Aliis videtur clausa priore verbo parenthesis, quòd præterito tempore, sicut & alia, fuerit expressum, hoc præsenti, nihil admodum refert. Idoneum sane hoc testimonium, vt priùs notauimus. Μάρτυρες ἀπὸ τοῦ μαρτυρεῖν. *Martyres à testificando vocantur*, cùm non verbis dumtaxat, sed aliquid patiendo, maximè mortem, profitentur Christum & veritatem. Hoc Didymus innuit, & Augustinus magis clarè notat. *Testimonium enim dicendo*, inquit, *ex eo quòd viderunt, & testimonium dicendo ex eo, quòd audierunt ab his, qui viderũt (hoc de aliis post Apostolos) cùm displiceret ipsũ testimonium hominibus, aduersus quos dicebatur, passi sunt omnia, quæ passi sunt Martyres. Testes Dei passi sunt*, &c. Ipsemet Ioannes Apocalypsis initio videtur indicare se hoc modo testem ac martyrem: & fortasse isto etiam loco voluit innuere, videlicet, quia propter martyrium missus est in feruentis olei dolium [b], aut potius solium, cuius in Vrbe monumentum, hodiéque visitur, vocat Tertullianus [c] oleum igneum. Qui *testimonium perhibuit*, inquit, *Verbo Dei, & testimonium Iesu Christi quæcumque vidit.* Nam quod de scripto dicunt Euangelio Ambrosius, Ansbertus, Rupertus, alij, in quo est illustrissimum illud testimonium: *In principio erat Verbum, &c. & vidimus gloriam eius, &c.* repugnat rationi temporis, cùm prior scripta fuerit Apocalypsis, quàm Euangelium, illa in insula Pathmo, hoc Ephesi post reditum de exilio, aut priore quoque loco, vt plures demonstrant [d], colligúntque ex eodem Ioanne scribente in Apocalypsi [e] dictum sibi. *Oportet te iterum prophetare*, &c. quæ tamen etiam aliter verba nonnullos interpretari scio. Sed & in quadam ad eundem Dionysius epistola [f] velut ratiocinando id testari videtur, scribens adhuc in insula versanti. Quanti referat este testem Christi, qualis debeat esse, cur humano vti voluerit testimonio Christus, disserui, declarans Actus Apostolicos [g]. Tandem *testari* potest hoc loco idem esse, quod protestari, & obtestari cum quadam interminatione liberando fidem suam, prouocando incredulos ad Dei iudicium. Audi quàm hoc scitè Cassianus [h] exposuerit; *Deinde*, inquit, *addit Verbũ vitæ, & vitam manifestatam: hoc se vidisse, hoc annuntiare, hoc protestari, simul scilicet & exequens officium fidei, & ingerens terrorem incredulitati: vt cùm ille vtique protestatur se prædicare, sibi imputaret periculum suum, qui nos noluisset audire.* Sunt in scripturis exempla plura verbi testandi, vel testificandi, τὸ μαρτυρεῖν, in ea significatione quam diximus [i].

b Hier. 1. contr. Iouin. & in ca. 20. Matth. ex Tertull.
c lib. de Præscr. Hæret. c. 36. & ex Histo. Eccl.
d Baron. to. 1. Anna. & Interp. Ioannis cum Euãgelij, tũ Apocalyps.
e cap. 10. 11.
f epist. 10.
g cap. 1. 8.
h 4. de Incarn. cap. 6.
i 2. Machab. 3. 36. 1. Timot. 5. 21. Deut. 32. 46. 3 Reg. 2. 42. & alibi, vt etiam sæpe videmus in Act. Apost. præsertim c. 2. 40.

Et annunciamus vobis.] Ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν Syriacè, סהדין *sahedinan, loquimur familiari sermone vobis.* Græcum verbum non modò simpliciter nunciare, narrare, exponere, referre significat, verum etiam denunciare: verbi gratia, litem, bellum, &c. Præterea renunciare, vt legati faciunt redeuntes de legatione. Quadrant omnia proposito, hisque quæ proximè dicta sunt ad verbũ testandi. Certè *Apostolicum munus legationis est pro Christo, & Deo* [k].

k 2. Cor. 5. 20. Ephes. 6. 20.
Christus est vita apud Patrem.

Vitam æternam, quæ erat apud Patrem.] Hæc, vt dixi, vita, est Christus Dei filius, qui cùm abstractè sit ipsa vita, atque æterna, & apud Patrem, necessariò Deus est. Quare Caietanus non placet, dum vitam æternam visam sumit oculis mentis eam, quæ est gratiæ inhabitantis in iusto, æternæ quædam inchoatio, quia Ioannes, & coapostoli in seipsis id viderint: nam vidisse, aut certos fuisse de sua gratia, non est omni ex parte certum, etsi verum arbitror. Deinde communis expositio est de persona Trinitatis secunda, seu de Verbo, cui expositioni prorsus fauent antecedentia, & consequentia. Illud probo, quod idẽ Caietanus ait, Vitam istam æternam participatam quidem in transfiguratione, cui Ioannes cum fratre interfuit [l] cum Petro: veram, & sine limitatione post resurrectionem. Velim tamen extendi ad totum cursum vitæ Christi, quando Vita æterna, id est, Verbum in carne visum est, nempe, Verbum incarnatum, & homo, vt suppositum includit, terminabat visionem externam: ipsa autem Verbi diuinitas in effectis videbatur, & mentis oculis inferebatur: & credebatur. Proprium Dei est, vt simpliciter simplices perfectiones simplici modo dicantur in abstracto, de ipso: infinitas quoque durationis absoluta, & independens, vt à distincta causa, non potest alteri conuenire, quàm Deo: nec desunt qui communicare illam creaturæ Deum negent posse, & ex modo significandi abstractum nomen cuiusuis naturæ videtur omnem possibilem eius perfectionem includere, etsi sit accidens, quamdam veluti infinitam illimitationem, præsertim si verum esset ex sola prædicatione subiecti sumere intensionem, & ex inhærentia indiuiduationem.

l Matth. 17. 1. & seq.
Proprium Dei vt simplices perfectiones de eo dicantur in abstracto.

Non est, fuitve, aut erit apud Patrem alia, quàm vita diuina, sicut nec Verbum apud Deũ [m], aliud est quàm diuinum: Verbum autem, & Vitam esse apud Deum, & Patrem, est quidem perinde, ac si dicatur esse in Deo, & in Patre [n], vt docent Irenæus [o], Athanasius [p], Augustinus [q], Victorinus [r], Fulgentius [s], & vtraque præpositio denotat distinctionẽ, & Didymus in commẽtario ponit præpositionẽ *in*, quamquam si de Patre loquamur, non æquè de ipso dici poterit esse apud Filium, aut Verbum, sicut in Filio [t], seu Verbo, nam quòd quis *Apud*, (Græcè πρὸς) *aliquem* (τινὰ) sit, innuit pendere quodammodo; sicut filios, aut famulos eadem habitantes in domo cum patre, vel domino, dicimus esse apud patrem, aut dominum, non hos apud illos. Sed docet Hilarius [u] vocans, paulò tamen nunc duriore voce, Patrem auctorem Filij, & Chrysostomus [x] & Tertullianus [y].

m 1. Ioan. 1. 1.
n Ioa. 14. 10. 11.
o lib. 3. cap. 8.
p Orat. quod Deus de Deo sit Verbum.
q 6. de Tri. c. 2.
r 1. contra Arium.
s 3. ad Monimum.
t Ioan. 14. 2.
u 2. de Trin.
x Homil. 2. in cap. 1. Ioan.
y contr. Praxeam, c. 5.
Esse apud Patrẽ quid sit.

Vel erit, esse apud Patrem, id quod aliter Ioãnes scribit [z] esse in sinu eius, vt exponit Theophylactus [a], id est, intimè coniunctum illi, & cum illo. Hac ratione quod Latinè apud Marcum [b] est, *sorores eius nobiscum sunt*, Græcè legitur, πρὸς ἡμᾶς.

z cap. 1. 18. ibid.
a in ca. 1. Ioan.
b cap. 6. 3.

Importat eadem formula præterea, vt placet Gregorio [c], fuisse Verbum inuisibile, & veluti absconditum ante incarnationem, postea, vt hoc ipso loco subditur, apparuisse nobis. Tandem, nihil aliud est, Verbum, vel Vitam æternam, vt de hoc dicitur, esse apud Deum Patrem [d], quàm illi æqualem, quasi dicas iuxta ipsum, & ad dexteram ipsius, quò post ascensionẽ veluti rediit [e], subductus ab humanis oculis nostris, & mortalis vitæ loco statúque.

c 5. Moral. cap. 19.
d Mar. 16. 19. Act. 1. 34. ca. 5. 31. c. 7. 55. Ro. 8. 34. Ephes. 1. 20. Coloss. 3. 1. Heb. 1. 3. c. 8. 1. c. 10. 12. c. 12. 2. 1 Petr. 3. 22.
e lib. de Fide.

Traditur iste dicendi modus à Nysseno [e], Cyrillo [f] Hierosolymitano, Ambrosio [g], Ruperto [h], nec non à iam citato Hilario [i]: qui addit, & cum eo Augustinus [k], notari discrimen à verbo nostro, quod non manet apud nos, sed transit. Huic affinis Epiphanij [l] ratio de verbo, quod Pro-

f Catechesi 11.
g de Incarnat. Dominicæ Sacrament. c. 3.
h in c. 1. Ioan.
i lib. 2. de Trinit.
k 5. de Trinit. cap. 4.
l Hæres. 93.

phetis Deus loquutus est, quoniam hoc extra Dei substantiam, & creatum est. Postremò, verum est significari concordiam, & quandam nostro more luquendi, consultationem Verbi & Patris (non excluso Spiritu sancto) de creatione, de redemptione hominis; mutuam comprehensiuam cognitionem, quando dicitur vitam ęternam, seu Verbum & Filium Dei fuisse apud Deum, siue apud Patrem, denique, quam vocant circuminsessionem vnius, in alia persona.

Inepta Ariani argumentatio.
a 3. cōtra Monimum, cap. 2. & 3.

Ineptus profectò erat Arianus ille, qui vt narrat Fulgentius [a], hinc argumentabatur Dei Filium non esse Patri ὁμοούσιον: arrepto de capite Catholici, quo cum agebat, pileo, quærebat manu eum tenens, hic pileus est ne in me, an apud me? respondente altero, apud te: sic inferebat, Verbum erat apud Deum, quia Deo non consubstantiale, sed externum erat. Refellit cauillum Fulgentius, docens, quod diximus, ac pluribus confirmans exemplis, confundi posse præpositiones duas *apud* & *in*: quod planè conuineit, & est iam allatum, dici quoque Filium in Patre [b], non tantùm apud Patrem.

b Io. 14. 11.

c 2. de Trin.

Scio Victorinū [c] in verbis ex Euangelio, *Verbum erat apud Deum*, pro *apud* legere *ad*: fateor πρὸς, habere hanc quoque notionem: sensus item commodus esset ad significandum personas diuinas includere πρὸς τί, *ad aliquid*, siue relationem non accidentalem, sed substantialem; tamen Caietanus eiusmodi versionem nostræ non debuit præponere.

Dei nomine Pater intelligitur.

Quamuis autem nomine Dei, Pater intelligendus sit, vt priùs etiam diximus, ideoque Caietanus quando relationem Verbi notat per præpositionem *ad* sic loqui videatur: cùm cōstet non referri Verbum ad Deum essentialiter, & absolutè sumptum: nihilominus opus non fuit prępositione *ad*, quia satis exprimitur dicta relatio per præpositionem *apud*, ac passim ex eadem qui sunt hactenus citati, & alij, colligunt Verbi distinctionem à Patre. Eiusdem Caietani Commentarium loci præsentis, vt fuerit vita æterna apud Patrem, priusquàm Verbum incarnaretur, quia nondum erat communicata æterna animæ vita homini in anima Christi, & corporis in resurrectione eiusdem, recipere non possum, non modò, quia non simul Christi anima fuit in rebus, cum ęterna vita beatitudinis, homines vlli vitam habuerunt eandem, sed ius tantùm, quod ante incarnationem quoque iustus quilibet habuit, licet propter merita præuisa Christi, vt nihil dicam de Resurrectione, quam pariter aut nemo, aut pauci resurgente Christo sunt adepti: sed potissimùm quia talis explicatio singularis est, ac parum cohærens Ioanni, qui disertè vitam hanc intelligit Trinitatis personam secundam, siue Verbum & Filium Dei, vt satis hactenus videmur probasse.

Hæresis ex hoc dicto confutata.

Ex dictis multiplex confutatur hęresis, nempe non fuisse Christum ante Mariam, vt Ebion sensit, &, vt Cherintus, genitum ex semine viri: &, vt Eunomius, diuersum esse Filium, & Verbum. Quod attinet ad vltimam, distinguebat duo Verba Dei, vnum internum, atque Deo connaturale: alterum externum, quod reciperet verba Dei ab ipso Deo, quod annunciaret nobis, & hoc esse creatum, & Filium Dei, & dici Deum secundum quamdam similitudinem. Celebris est mentio in Historia Ecclesiastica & Patribus, & Hæreseologis de hæresibus istis, tum de vltima apud Athanasium [d], Cyrillum Alexandrinum [e], Ambrosium [f], quā propriè destruit quod hic dicitur, *Vitam æternam, siue Verbum, quod erat apud Patrem, illud apparuisse nobis.*

d Ser. 4. contr. Arianos.
e 1. in Ioan. c. 4 Thes. cap. 2. & 4. &c.
f de Incarn. Dom. Sacram. cap. 6.

Vers. 3.] Quod vidimus annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo.

MAGNA emphasis in tanta asseueratione, prolixus, & accuratus apparatus, vt auditor, lectórve percipiat attentiùs, & audiùs. Quò spectant adhuc sequens repetitio, atque pollicitatio, vel vtilitatis expositio.

Quod vidimus, & audiuimus.] Præponitur visio, quæ initio postposita est. Inde forsan, qui prima in sententia priore loco *vidimus* citauerunt, vt antea meminimus, occasionem sumpserunt.

Annūtiamus vobis.] Ab hoc verbo totam superiorem sententiam pendere vult Oecumenius.

Ioannes Græcā facundiam ac nugacitatem spernit.

Obseruat verò Ioannem obscurè scribere, tū propter orationis concisę vsum, tum de industria, vt Græcam, id est, Gentilium facundiam ac nugacitatem sperneret, ostenderétque salutem nostram in rebus & operibus, non in verbis esse: vt attentiores efficeret: vt profanos arceret à sacrorum perceptione. Hæ, hisque similes obscuritatis scripturarum causæ pluribus verbis, & aliorum testimoniis Patrum confirmari possent, & illustrari, quod Cardinalis Bellarminus [g] facit, aliique, & nos aliàs exequuti sumus.

g Tom. 1. libr. 3. de Verbo Dei scripto, cap. 1.
Ioannes inter Ecclesiasticos Scriptores est maximè obscurus.
h 2. epi. c. 3. 15.

Verùm inter noui Testamenti scriptores, præter Paulum, de quo Petrus [h], Ioannes maximè videtur obscurus. Prouenit id ex tractatione rerum altissimarum, & difficillimarum, nec non ex abundantia, seu redundātia variorum affectuum, qui subinde occurrentes, non valent adeo perspicuè, distinctéque proponi. Constat etiam peritis Ioannem, Græcè licet scripserit, Hebraismis crebris vti, qui eius linguæ ignaris, obscuritatem necessariò pariunt.

Vt & vos societatem habeatis nobiscum.] Græcè ἵνα καὶ ὑμεῖς. *Vt & vos etiam*, vos, qui nimirum non audistis, nec vidistis, nec manibus vestris contrectastis Verbum vitæ κοινωνίαν ἔχητε μεθ' ἡμῶν. Declarat Ioannes charitatem suam, qui socios velit habere gratiæ eiusdem: meritum fidei, atque obedientiæ non minus in iis, qui docentur & aliis credunt, quàm in iis qui docent, & viderunt: fructum communionis sanctorum, vt esse quiuis possit *particeps timentium Deum* [i], & vicissim in alios deriuare, si quid habet in se boni sine periculo iacturæ, sed cum certa spe, nisi quid obstet, incrementi. Non sumus minus felices, quia *beati* id est magis beati *qui non viderunt & crediderunt* [k], vt notat Augustinus: *nec habere societatem cum Deo*, de qua postea, *quisquam valet*, ait Beda, *qui non prius vnitur Ecclesiæ societati*, Fidem discens, eiúsque Sacramentis imbutus, quam discipuli perceperunt à Domino. Nam vere Cyprianus [l] scripsit, *quòd non potest Deum habere patrem, qui non habet, vel agnoscit Ecclesiam matrem.*

i Psal. 118. 63.
k Ioan. 20. 29.
Societatem cum Deo quisquam habere non valet, qui non habet cum Ecclesia.
l ep. 3. & lib. de vnit. Ecclesiæ.

Quo fit, vt qui eiiciuntur, vel abscinduntur ab Ecclesia, nominētur excommunicati, quasi communione ista, & societate priuati, perinde vt detruncatus ramus, aut membrum humore vitali destitutum. Hæreticus, & quiuis Apostata religionis Christianæ, ipse seipsum extrahit ab hac societate tamquam fugitiuū pecus; abiicit enim

fidem,

fidem: excommunicatus expellitus velut ouis morbosa, licet retineat fidem: infidelis, & Iudæus numquam in societatem admissus est. Hos Ecclesia cupit habere socios, detrectantes non cogit: secundos separat ad tempus, vt resipiscant & cedeant: primos vt redeant in castra, pœnis etiam compellit.

Societatis nomen non tollit heterodoxam ordinationem quæ est in Ecclesia.

Nec verò te societatis dulce, pulchrúmque fallat nomen, quasi vel hicsatchiam tollat ordinémque ciuilem, ita vt sint omnes omninò pares, & exactè per omnia socij vel consistere sine vinculo charitatis, & confœderatione societas non possit veræ dilectionis. Nam viget ac necessarius est in Ecclesia sacer, ac politicus magistratus: quibus componitur, & pastoribus: iis, qui præsunt, & illis qui subsunt. Præterea sicut & quævis alia Respublica, & τὸ κοινὸν, quam vocant communitatem, ita continet Ecclesia in se, non bonos tantùm, sed malos quoque ciues. Societatis, & κοινωνίας ratio in eo est, vt iisdem omnes legibus, & commodis vtantur communibus pro sua quisque parte hi, qui pertinent ad ipsam, perinde vt omnia corporis membra, quamuis dissimilia communi totius potiuntur bono: quíque vel in mercatura, vel in militia vocantur socij, vel in eadem domo familiares, aut etiam fratres.

Ad quos hæc scribatur epistola.

Hinc Hugo Cardinalis colligit illis epistolam scribi, qui nondum erant fidei sinceritate imbuti, nec adhuc inierant eandem societatem cum Ioanne. Tamen potest adhortatio existimati ad retinendam societatem. Sunt enim deinceps multa, quæ innuunt loqui Ioannem cum fidelibus, qui priùs edocti sint.

Κοινωνία hic quam vim habeat.

Videtur Didymus κοινωνίαν intellexisse consensum eiusdem doctrinæ, ac sententiæ: cui iunge professionem quoque saltem externam, atque vsurpationem legis eiusdem, ac rituum, &c. Quamquam summoperè intima charitatis capetenda societas, de qua nonnihil deinceps idem Ioannes in hac epistola. Oecumenius notat Ioannem desidesium exponere summæ voluptatis, quam perceptuius esset, si aliis contingeret asciscì in eandem communionem: quemadmodum seminator in messedis distributione gaudet, quā facis messoribus. Eximium hac de te gaudium suum testatur epistola vltima [a]. *Maiorem horum non habeo gratiam*, χαρὰν gaudium, *quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.* Paulus item, cùm alibi, tum scribens Romanis [b], *desiderare se profitetur consolari in ipsis per eam, quæ inuicem est fidem ipsorum, & suam.*

a vers.4.

b cap.1.11.12.

Et societas nostra sit cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo] Καὶ ἡ κοινωνία δὲ ἡ ἡμετέρα μετὰ τοῦ πατρὸς, καὶ μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ ἰησοῦ χριστοῦ. *Est autem societas nostra*, &c. Vbique Ioannes valde accuratus in adhibendis particulis illatiuis, causalibus, coniunctiuis, & similibus, ex quibus pendet sententiæ contextio, & intelligentia: exprimit igitur quam velit intelligi societatem, non humanam videlicet secum, & cum condiscipulis: neque in peregrino numine; qualem Simon magus excitauerat societatem cum nescio quo Deo, & mediatoribus Angelis. Non quærit Ioannes seipsum, vel suam non alienam proponit doctrinam: remittit ad verum Deum, & Filium eius Iesum Christum. Vult nos omnes immediatè vniri Deo, ve nemo se profiteatur *esse Ioannis vel Pauli, vel Cephæ, vel Apollo* [c]. Influit in omnes Deus, & Christus immediatè, interno, viuifico influxu, dans incrementum & esse [d]: nam externum operatur etiam per alios, vt propositionem credendorum, agendorum, Sacramentorum administrationem, &c. quę ad hierarchiam quam dixi, pertinent, ab ipsomet Deo institutam, *Qui sunt ministri eius, cui credidimus* [e].

Qual sit societas Ioannes exponit.

c 1.Cor. 1.12. cap.3.4.

d 1.Cor.3.6.

e 1.Cor.3.5.

Portò societas cum Patre, & Filio perfectè non fit, nisi per charitatem, quæ tribuitur Spiritui sancto [f], qui procedit ab illis ceu donum, & nexus, vnio, ac societas amborum, vt ideìrco inclusus intelligatur in hac societate Spiritus sanctus. Illam Paulus [g] vocat *societatem Spiritus*, aliquando *Fily Dei Iesu Christi, per quem Deum vocati sumus in eam* [h]: & planè contrariam societati Dæmoniorum [i], Petrus [k] *diuinæ consortium naturæ*.

f Rom.5.5. Societas cum Patre & Filio fit per Spiritum sanctum.

h 1.Cor.1.9. i 1.Cor.10.20. k 2.Petr.1.4 Quæ sint iura societatis.

Iura societatis requirunt vt inuicem nos iuuemus, & capitis, ducísque hostes expugnemus, ditionem eius amplificemus, voluntatem ipsius exequamur. Socij agunt inter se libenter, ægrè seiunguntur: arcana communicant, & tes: collætantur, & condolent secundis aduersísque. Lege piam, & enucleatam de societate cum Deo tractationem apud Carthusianum, circa medium Commentarij Capitis huius primi.

Communionis, & κοινωνίας Sacramentum huc tendit maximè, vt vno nutsiti Christo, intimè cum illo coniungamur, ac inter nos, & in morem quodammodo cõiuratorum [l], proprium sanguinem, qui idem est Christi, delibemus. Vtraque in fortuna fidus socius socium se præbet: *Si socij passionum Christi erimus, erimus & consolationis* [m]. *Congaudendum gaudio sociorum* [n]: *suscipiendi in charitate quos socij commendant perinde vt ipsi* [o].

l Sallust.in Catilin.

m 2.Cor.1.7.

n Phil.2.7.

o Philem.17.

Societatis Iesu nomen quomodo sibi arrogent religiosi ordines.

Qui Societatis sibi Iesu nomē arrogaret, quasi non alij de hac essent societate, hoc est, de Ecclesia, sicut olim Donatistæ penes vnos se iactabant Ecclesiam esse, profectò censeri deberent hæretici, vt Melchiori Cano [p] libenter concedimus. At non opinor tam peruersè de religiosis vitis homo sentit religiosus, vt quod pietatis, ac patrocinij, & modestiæ fecerunt studio (quemadmodum qui à Trinitate, à Christo, item à Iesu, vt Iesuatæ, & Rauennæ collegium Boni Iesu, & aliud Iesu Christi apud Anglos Oxoniensis: & in Lusitania milites Iesu Christi: Romæ sodalitas Saluatoris, vel Diuini Amoris: quo nomine primi fundatores regularium, qui postea dicti sunt Theatini vocabantur, vt scribit Diegus Paiua [q] inter Catholicos (vt mittam notatā à Gebennensibus hæreticis monetā nomine Iesu) & à similibus æquè communibus in omnes alios titulis denominari voluerunt) deputet vel improbæ superbiæ, vel hæresi perniciosæ.

p 4. de locis Theolog.c.2. sub prime.

q lib 1. Orthodox.explic.

Prædicatorum ordo celebris hoc nomine in Ecclesia, & cùm primis vtilis existit. Quis tamen cùm non soli funguntur ipsi prædicandi munere, id ordini nomen inuideat? aut peiorem accipiat in partem, quod potest, debétque ad impensiorem referre curam, quam sibi facer ille ordo in opere tam laborioso, & necessario maiorem in modum ponendam iudicauit?

Prædicatorum ordo cur sic dictus.

Huic aduersus societatem Iesu ordinem nostrum calumniæ, quam non Catholici modò pietatis quodam zelo, sed maleuolo quoque, ac impio hæretici animo struxerunt, & obtruserunt, plures dudum docti iuxta, pũque responderunt, præsertim celebris pro Pontifice in Tridentino Concilio Theologus, qui nostris adiunxit se socium Franciscus Turrianus [r].

Societatis Iesu nomē nostri ab aliis tributum quis propugnarunt.

r contr.Petr. Boquinum.

Iesu Christo.] De his nunc nominibus non agam, quid significent, neque cur subinde ordo

variet inter illa, vt modò Iesus Christus, modò Christus Iesus dicatur, vel solitariè quandoque alterum dumtaxat ponatur. Est epistolæ præsenti secunda potissimùm vtilis quæstio. De ea consule Toletum in Ioannem [a], & quæ notauimus ipsi in Apostolicis Actibus. Sæpius coniunguntur maximè à Ioanne contra illos, qui soluebant Christum, vt est in capite quarto [b], asserentes alium fuisse Iesum, qui passus est, aliũ Christum, qui fecit miracula, vel [c] contra Iudæos, qui inficiantur Iesum fuisse Messiam, siue Christum in lege promissum. Huius appositæ professio veritatis nomen Christianis dedit, de quo egimus in eàdem Historia [d]. Socij Christi secundum naturam eius diuinam sumus, & humanam. Societas initur cum Deo per fidem pœnitentiamque, quoniam peccata diuidunt à Deo [e]. Communio hæc est cum Deo tamquam domini & serui: patris, & filij adoptiui: illuminãtis, & illuminati: iustificantis, & iustificati: regentis, & subditi: dantis, & accipientis: inuocantis, & exaudientis: donantis munera, & gratias agentis: beatificantis, & beati: denique vt adhærens Deo vnus cum illo sit spiritus [f], & in luce ambulans, sicut ipse est in luce, societatem habeat cum ipso [g]. Secundum humanam naturam cum Christo est, vt magistri ad discipulos: sacerdotis ad eos pro quibus sacrificat, & interpellat: soluentis pro alio pœnam debitam, & promerentis seu consequentis gratiam indebitam: gratias agentis cum iis, pro quibus gratias agit: regis rursum, & subditorum.

Explicant scripturæ societatẽ huiusmodi parabola pastoris & ouium [h], capitis & mẽbrorum [i], cibi & edentium [k], vitis & palmitum [l], & aliis eiusdem generis. Notata sunt hæc à Ioanne Hesselio hoc loco: possuntq; amplificari, & exaggerari. Tandẽ *qui socij passionum, socij & consolationum* [m]. Vocauit *nos quoque Christus amicos suos* [n] *fratres, sorores, mãtres* [o]: *dixit eundem Deum suum, & Deum nostrum, Patrem suum, & Patrem nostrum* [p]. *Societatem istam cum personis Trinitatis, Deoq; vno ac trino non habet, qui cum Ecclesia non habet: quoniam, vt cum Cypriano* [q] *Augustinus* [r] *profitetur; non potest habere Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.*

Vers. 4.] Et hæc scribimus vobis vt gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum.

GRÆCE ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη: *vt gaudium nostrum*, &c. deest autem, *vt gaudeatis*, Syriacè quoque hoc desideratur, legitur autem, *Vt gaudium nostrum quod est in vobis*, דבכון *dabbechun, sit plenum*, id est, vt plenè de vobis, & vestri causa gaudeamus, qui iam gaudere cœpimus: vel quia gaudij aliqua imminutio accessit ob hæreses subortas, & falsam de Christo doctrinam, quæ vos inficere potest. Sic Paulus [s]: *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem caritatem habentes, vnanimes, idipsum sapientes.* Vocat quoque discipulos gaudium suum [t], benè scilicet institutos, & proficientes. Meminit Glossa Interlin. alterius lectionis, *nostrum*.

Plenitudo gaudij est in summa felicitate, *quæ sola rapiat in bonis desiderium* [u], cùm adimplet Deus *lætitia cum vultu suo* [x], & satiat apparitione gloriæ suæ [y], & cum intratur in gaudiũ Domini nostri [z], quam Petrus [a] vocat *lætitiam inenarrabilem, & glorificatam*, vel vt legit Augustinus [b], *gaudium honoratum*: licèt id quidam [c] intelligant de singulari voluptate, quam percipiunt, qui Christum in Eucharistia venerantur, sumuntq; reportantes, quod ibidem subiungit Petrus, *finem fidei salutẽ animarum suarũ ab eo, in quem desiderant Angeli*, qui circũstant etiã Eucharistiam *prospicere*, vt proinde succincti lumbos mentis, ac sobrij, perfectè debeãt omnes sperare in eam, quæ offertur gratiam, τὴν ἀχαρισίαν. Lege huius loci commẽtarium nostrum. Sed in futura, de qua dicebamus, felicitate, sine velamine visio plena, ac perfecta erit, & in lumine gloriæ [d], quo roborabitur intellectus, totus collectus in se, non distractus, vt hic contingit, plenè, ac perspicuè videbimus infinitũ lumen, & omni voluntatis contẽtione diligemus. Interim *spe gaudemus* [e], ac *testimonio conscientiæ gloriamur* [f]: imò & scientiæ, seu cognitionis certæ per fidem absque vllo errore.

De hoc vltimo gaudio potissimũ Ioannes agit, nec non de illo, qui primus post Charitatem recensetur in fructibus Spiritus sancti [g], nempe de Charitate. Vel certè, si Lyranum sequimur, per gaudendi Verbũ, quod priore ponitur loco, gaudium in spe viæq;, per nomen gaudij pleni significatur id, quod in re, atque in patria percipitur.

Glossa Interlinearis primum gaudium ait esse in hoc seculo in vnitate Ecclesię, vt multi præterea ad eam perducantur (quam diluunt, scinduntque Hæreses) alterum in futuro in Angelorum societate, *quando implebuntur ruinæ* [h].

Imbibisse videtur mihi plerasque formulas Ioannes, quibus vtebatur Christus, quod solent, qui quempiam, vt magistrum, dominum, familiarem, &c. diligunt magis: eum namque verbis, gestu, anima ipsa quodammodo exprimunt. *Hæc locutus sum vobis*, ait Christus [i], *vt gaudium meum in vobis sit*, (id, quo dignatur gaudere de nobis, exponit Augustinus, vel causa ipsorum, & propter ipsos) *& gaudium vestrum impleatur.* Itẽ [k]: *Hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis*; id est, me absente per mortem, & ascensionem gaudeant magis tuo Pater auxilio protecti, quam me gaudent præsente. Tale idquoque [l]: *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum*, id est, plus gaudeatis, cùm abero gaudio spirituali, tunc scilicet fide, fiduciáq; magis crescente, vobísque quicquid à Patre petieritis in nomine meo, impetrantibus.

Itaque plenitudo gaudij perfectionem importat, vel summæ felicitatis, vel si vitæ sit quoque præsentis, quando est spirituale. Quisquis spiritualiter gaudet, hac ratione gaudium habet plenum. Deesse plenitudini tamen aliquid potest, tum gaudij, tum cuiuslibet operis boni, si non respondet quantitati gratiæ, quam consecutus est, vel statui, quem profitetur: denique si capacitati, non dicam, communi quæ quodammodo est infinita, sed propriæ, ac proximæ, iuxta mensuram donationis Christi [m], non nititur satisfacere. Hoc sensu documus [n] alios plures diei gratia plenos, vel Spiritu Sancto, vel fide, &c. licet dispares sint, & inæquales: nonnullorum quoque licet opera bona dici non plena [o], πεπληρωμένα, quia non totam perfectionem habent sibi congruentem. Quamquam Sardensis Episcopi, de quo libet Apocalypsis, ideo non erant opera plena, quia propter hypocrisim meritò vacua, & exciderat ex caritate, *quæ est plenitudo legis* [p].

Marginal notes:
a c.1.ann.75. — b vers.3. — c testis liturgus lib. 3. cap. 19 & Tertul. de Carne Christi. — d cap.11. 26. *Socij sumus Christi secundũ vtramque naturam, & quomodo.* — e Esa. 59.2. — f 1.Cor.6.17. — g 1 Io.1.3. — h Ioan.10.11. 1.Cor.6.15. Coloss.1.18. k Ioann.6.55. l Ioan.15.5. — m 2.Cor.1.7. n Ioan.15.15. — o Matt.12.50. — p Ioan.20.17. — q de vnit. Eccl. r in Psalm.88 sub finem. — s Philip.2.2. — t infra c.4.1. — *Plenitudo gaudij est in summa felicitate.* u Psal.102.5. x Psal.15 vlt. y Ps.16.vlt. z Mat.25.21. a 1.Pet.1.8. b de peccato. meri. & remiss. c.27. — c B. Thomas opusc. de Ven. Sacr. Corpor. Christi Sacr. c.15. — d Psal.35.10. — e Rom.12.12. f 2.Cor.1.12. — *Gaudium fructus est Spiritus sancti.* g Gal.5.22. — h Psal.109.6. — *Ioannes Christi formulas loqui desiderat.* — i Ioan.15.11. — k Ioan.17.13. — l Ioan.16.24. — *Plenitudo gaudij quid importat.* — m Ephes.4.7. — n Act.6.&7. — o Apoc.3.2. — p Rom.13.10.

Vers. 5.] Et hæc est annuntiatio, quam audiuimus ab eo, & annuntiamus vobis, quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.

EN iam tertiò repetit audiisse se, & quidem à Christo, quem denotat pronomen, *eo*; & vltima præcedentis versus verba; annuntiatio autem pro re annuntiata dicitur. Hoc non insolens profanis quoque scriptoribus, quoniam verbalia abstracta continent emphasim. Sic Plautus [a]:

Sume tibi optionem Leonidam;

nempe militem optatum, seu qui optari solet, ac eligi. In scripturis plurima sunt exempla, vt cùm ponitur speculatio [b], redemptio [s], & sanctificatio [d], expectatio [c], & similia tum actiuè, tum passiuè, tum respectu nostri, tum respectu aliorum. Dicimur verbi gratia, *Dei sanctificatio* [f], *ædificatio* [g], &c. hoc est, sancta eius possessio, domus, ac sedes &c. sicut contra Deus in allatis exemplis, sanctificatio, atque redemptio nostra, hoc est sanctificator, & redemptor. Græcum nomen ἐπαγγελία Erasmus & Heutenius vertunt *promissionem*. Transtulit versu 25. Interpres *repromissionem*. Vtraque notio illi conuenit: sed congruit proposito magis *annuntiatio*, quia nihil pertinens ad promissionem continent sequentia, sed doctrinam quæ applicetur ad exhortationem.

Quam audiuimus.] Christus id, quod deinceps de luce sequitur, dixit, vt idem Ioannes refert [h], etiam de seipso. Apud Boreales populos quidam feruntur esse, quibus cum sol aliquot absit mensibus, in edito stent aliqui loco, qui auroræ quotidie obseruent aduentum, & cùm illuxerit, læti renuntient.

Deus lux est.] Deus essentialiter lux est, *illuminans omnem hominem* [i], cui lucem quamdam communicat, & nonnullos ipsemet lucem vocat mundi [k], & Angeli ipsi dicuntur Astra matutina [l], & stellæ [m]. Sed Deus *lux vera* [n], non quòd alia falsa, sed quia ipse naturalis, ac vt Philosophi de Deo loquentes, pura, seu purus actus absque vlla tenebrarum admixtione, vt paulò pòst ostendemus, ea ratione qua Christus appellatur *verus Filius Dei* [o]: vel quoniam ratio lucis corporeæ translata per metaphoram ad Deum, siue Christum (quem delirauit Manichæus [p] esse solem istum) multo exercetur magis ab eo secundum spiritualem modum, quàm ab ipsa, vt cum etiam nominatur *visio vera* [q], *verus cibus, potusque* [r]. Facit id nō per intellectus dūtaxat lumen, (à quo Græci φῶτα hominem nuncupant [s]: *signatum est super nos lumen*, &c.) sed maximè per gratiam, quam qui primus ex Sacramentis operatur Baptismus in nobis, dicitur ab iisdē φωτισμὸς, necnon à Paulo [t], & cum qua luce gratiæ, seu charitatis (hæc enim etiam dicitur Deus, sicut lux, vt notat Augustinus [u]; & veritas, vt idem ait [x]) Christum *sequens mundi lucem, incedit, habebit lumen vitæ* [y], videlicet æternæ, quódque gloriæ lumen appellamus, vt exponunt Augustinus, & Beda [z]. *Apud te est fons vitæ*, ait Dauid [a], *& in lumine tuo videbimus lumen*: prorsus *admirabile*, vt Petrus loquitur [b].

Creberrima occurrit in Scripturis antithesis Lucis, & Tenebrarum, vt hæ, quod repugnat Deo, peccatum designent, atque ignorantiam infidelitatis [c]: & vt filij lucis iidem sint, qui Dei [d]. Deus, vt dixi, lux est essentialiter, videlicet Pater, Filius, & Spiritus, *& habitat lucem inaccessibilem* [e]: & distincte prima potest persona intelligi per Patrem luminum [f], vt antea dixi: Spiritum sanctum appellat Ecclesia *lumen cordium*. Et lux corporis luminosi refert Patrem: in medio diffusa, Filium, splendor Spiritum sanctum: & Dionysius [g] Trinitatem declarat exemplo trium luminum idem cubiculum implentium indistincta quadam distinctione. & Augustinus, seu alius [h], per lucem, calorem: Damascenus [i] cum tribus solibus inseparabiliter nexis comparat. Auctor libri de deitate & incarnatione verbi apud Augustinum [k], argumentatur quia Deus Pater lux est, Filium splendorem esse, ex ipso inseparabiliter.

Sunt præterea qui tribus sacratioribus linguis triliterum nomen obseruant אור *or*, φῶς, Lux: & primò primam literam א designare Patrem, qui vocatur אב *ab*, secundam ו *van*, quæ vim habet copulandi, Filium, qui sibi Humanitatem copulauit hypostatice: tertiam ר *reb*, Spiritum sanctum, qui vocatur רוח הקדש *rua h h kkadesch*, inchoante hoc nomen litera ר *reb*. Non delector admodum illis, nec sperno penitus.

Nihilominus tamen peculiari quadam ratione cóueoit Filium dici *lumen de lumine*, quod priùs quoque notatum est: & lucem, sicut & vt dicatur splendor, imago, similitudo: quia producitur per cognitionem, & per Verbum fit omnis manifestatio: *quod autem manifestatur, lumen est* [l]: Hinc factum, vt de Christo tanquam de lumine aggratulati sint Ioannis pater [m], & Simeon [n], & eo nato, *claritas Dei circumfulsit* [o], & nos Deum ad Orientem adoramus, vbi paradisus erat, quasi vel vaticinium, vel præceptum id fecerit: *oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum solis te adorare* [p].

Nulla qualitas nobilior, quàm lux inter materiales, primatum obtinuit in creatione secundum ordinem temporis: omnia subit, ac in momento quidem, & sine sui diminutione: nihil ea notius simul, & ignotius: efficacissima est, aliásque permultas habet proprietates, quibus Diuinitatis apud nos notio præclare describitur. Verum hoc à nobis alibi ostentum pluribus, legique Dionysius [q] debet.

Origenem [r] caue, qui hoc loco de Patre lucem, in capite primo Euangelij Ioānis [s] de Christo interpretans dici docet Christum non naturalem esse, & Patrem esse meliorem, atque præstantiorem. Arrianismus hic est, nisi præstantiam principij dignitatem, & auctoritatem generationis intelligat quis, pro Origene, ad eum modum quo quidam [t] illud: *Pater maior me est* [u]: quod alij dictum accipiunt de Christo, vt est homo.

Illud certum, creaturæ tribui diuina quædam attributa. Sed finito modo, sicut nominatim de luce, vt & de immortalitate, de Sapientia, de perfectione Hieronymus [x] obseruauit. Chrysostomus [y] volens hoc loco sermonem esse de Deo Patre, cùm dicitur: *Deus lux*, cùm tamen Verbum dicatur *lux vera* [z], colligit, perperam argumentari Arrianos, ex eo quòd Christus vocat Deum verum, à quo ipse missus sit [a], non etiam ipsum esse verum Deum. Potuit quoque responderi, verum vocari Filium Dei hac ipsa epistola [b], hoc est natura, non adoptione sola, vt videbimus. Vnde Sapienter Nicenum Symbolum iubet nos confiteri *lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*.

Ad extremum notari debet quandoque dici de Deo, *quod lucem habitet* [c], non quòd ea cir-

Marginal notes (left): *Annuntiatio pro re annuntiata, & optio pro re optata.* a in Asinaria. — b Osee 9. 8. c 1. Cor. 1. 30. d ibidem. e Gen. 49. 18. f Psal. 113. g 1. Cor. 3. 9. — h in Euangelio c. 3. 19. c. 8. 12. c. 9. 5. c. 12. 46. — *Deus lux est essentialiter.* i Ioan. c. 1. 9. — k Matth. 5. 14. l Iob. 38. 7. m Baruch 3. 34. n Ioan. 1. 9. — o 1. Ioan. 5. 20. — p refert Aug. tract. 34. in Ioan. — q Ioan. 17. 3. r c. 6. 56. — f Psal. 4. 7. *Baptismus dicitur a Græcis φωτισμὸς, & illuminatio.* t Heb. 6. 4. — u ep. 130. c. 13. x 8. de Trin. c. 2. y Ioan. 8. 12. z ibidem. a Ps. 35. 10. b 1. ep. 2. 9. c Esa. 9. 2. Matth. 4. 16. Luc. 1. 79. Ioan. 1. 5. c. 8. 12. 12. 35. Act. 26. 18. 2. Cor. 6. 14. Ephes. 5. 8. d Luc. 16. 8. Ioan. 12. 36. Ephes. 5. 8. 1. Thess. 5. 5. *Lux Deus est.*

Marginal notes (right): e 1. Tim. 6. 16. — f Iacob 1. 17. — g de Diuin. nom. c. 4. — h de cognit. veræ vitæ. cap. 20. i lib. 1. de Fide, c. 8. k ca. 11. & 14. Tom. 4. — *Filius est lumen de lumine.* — l Ephes. 5. 13. — m Luc. 1. 79. n Luc. 2. 32. o ibidem. 9. — p Sap. 16. 28. *Nulla est qualitas luce nobilior.* — q c. 4. de Diu. nomin. & 4. Origenes cauēdus. r in 1. in Ioan. s vers. 9. t Chrys. hom. 74. in Ioann. Cyrill. 2. Thes. c. 3. Hilar. 9. de Trin. & in de Synodis. Basil. 4. cont. Eunom. & ep. 142 ad Cæsarienses. Ath. orat. 2 contra Arrianos. Naz. orat. 4. & 5. Theologi. Epiph. hæresi 69. Cæsar. Dialog. 1. Damasc. 4. de fide cap. 19. Leontius Theop. Euth. in Ioann. *Creaturæ diuinæ quædam attributa tribuuntur.* u Ioan. 14. 28. x 3. cont. Pelagianos. y Serm. 3. de Trin. z Ioan. 1. 9. a Ioan. 17. 3. b cap. 5. 20. *Deus quomodo lucem inhabitare dicatur.* c 1. Tim. 6. 16.

cumscribatur, atque vt alibi dicitur [a], propriè sit amictus illa, cùm sit ipsissima lux. Hæ formulæ potiùs accommodatæ ad vsum & captum nostrum, sicut Græci, epistola ad Timotheum citata, docent expositores, hoc ipsum denotant, quod dicimus, Deum ipsissimam lucem esse.

Et tenebræ in eo non sunt vlla.] Omnes abigit à se tenebras, nullas admittit in se, nulla caret perfectione, est sine omni imperfectione, totus, ac purus, & simplex actus [b], *apud quem nulla transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio*: οὐκ ἔνι τροπῆς ἀποσκίασμα, vel vt legisse videtur Augustinus [c], ῥοπῆς, *momenti*, non potentialitas quam vocant, non mutabilitas, aut in substantia, aut in operationibus. Immò nihil est, nisi prorsus inuariabilis substantia, nec peccare, nec ignorare quicquam potens. Omnis, quantumuis perfecta creatura, cum luce necessariò tenebrarum nonnullam permixtionem continet, quia de nihilo veniens, rediens sua sponte in nihilum, potentialis, mutabilis, limitata, & finita, atque imperfecta. Audi Doctorem illustrem [d]: *Res, quæ actus quidem sunt, sed non puri, lucent tantùm, non etiam lux sunt: Diuina autem Essentia cum actus purus sit, lux est. Vnde de hominum sanctissimo dicitur tamen, non erat ille lux* [e]: *de Dei autem Verbo: erat lux vera omnem hominem illuminans* [f].

Videtur hic excludi præcipuè turpitudo morum, & falsitas doctrinæ, quæ iam vigebant, non in Philosophorum solùm scholis, verùm etiam apud nonnullos Hereticos. De gentibus, Paulus [g] testis, quòd ambulabant in *vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei*, (siue à luce. Vita enim est lux hominis [h].) Inculcat similia sæpè, multisque locis, necnon Petrus & Iudas, atque ij, qui de hæreticis scripserunt.

In isto quoque sensu vult Ioannes interprete Hieronymo [i], nullas tenebras, quando dicit in Dei lumine reperiri, omnia aliorum lumina aliqua sorde maculari, hoc est peccato nonnullo, vt propterea lux quidem mundi appellentur Apostoli [k], non tamen sit scriptum, quòd in Apostolorum luce nullæ sint tenebræ, &c. Et videtur idem asserere de Ioanne, *qui non erat lux vera, sed testimonium duntaxat de lumine perhibebat* [l].

Rectè verò dictum, quòd *tenebræ in Deo non sunt vlla*. Solus enim seipsum Deus infinitus modo comprehendit infinito: quilibet, etiam Christus secundum animam, & lumen gloriæ finitum, non sine tenebris, hoc est, limitatione, atque obscuritate, quæ quia sequitur necessariò naturalem rei creatæ conditionem, simpliciter non censetur imperfectio.

In hac vita caligat cognitio nostra de Deo, & est nobis *Deus absconditus* [m], *ponens nobis tenebras latibulum suum* [n], *habitans lucem inaccessibilem* vt videri non possit [o], habens in circuitu nubem, & caliginem [p], & omnino sicut in se παμφαής, ita nostris oculis παγκρυφής, exigens fidem, quæ est ἔλεγχος *rerum non apparentium* [q]. Quoties apparuit Deus, potissimum in vetere Testamento, id non absque nube, vel fumo, vel caligine fecit. *Caligo diuina lux est*, ait Dionysius [r], *tum inuisibilis propter eximiam, & substantiæ supereminentem claritatem, tum inaccessibilis, pro immensa supersubstantialis luminis ex se manantis copia. Ad hanc pertingit, & absorbetur quisquis Deum nosse, ac videre meruerit, eòque ipso quòd nec videt, nec cognoscit* (hoc est, non comprehendit) *Deo, visionem, omnémque cognitionem transcendenti familiarius iungitur, hoc ipsum noscens,*

a Psal. 103. 2.
b Iacob. 1. 17. Deus planè est immutabilis.
c 22. de ciuit. cap. 21.
Creatura omnis tenebrarum aliquid habet.
d S. Thom. in 1. ad Tim. 6.
e Ioan. 1. 8.
f ibid. 9.
Falsitas doctrinæ & turpitudo morum tunc vigebat apud hæreticos.
g Ephes. 4. 17. & seqq.
h Ioan. 1. 4.
i 2. cont. Pel.
k Matt. 5. 14.
l Ioan 1. 8. 9.
Solus Deus infinitum lumen est.
m Esa. 45. 15.
n Psa. 17. 12.
Deus est παμφαὴς, id est, omnino per se lucens, & παγκρυφής.
omnino latens.
o 1. Tim. 6. 16.
p Psal. 96. 2.
q Hebr. 11. 1.
r epi. 5.

quod post, & super omnia est, quæ in sensum cadunt; & cum propheta exclamat, Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam [s] & Apostolus eam agnoscens, *vias eius inuestigabiles, iudicia inscrutabilia* [t]: *donum eius inenarrabile* [u]: *pacem omnem sensum superantem testatus est* [x]. Sic ille. Postremò, affirmatio lucis de Deo cum tenebrarum negatione, præter phrasim Scripturæ (qualis: *& confessus est, & non negauit*, &c. [y]) admonet nos duplicis Theologiæ, affirmantis, & negantis, quarum quæ cui præstet, anceps apud doctos. Picturæ illa colores addenti, sculpturæ materiam cædenti similis hæc. Qui negat, simul tacitè quippiam aliud melius eo, quod negat, asserit esse Deum, ipsius fauet infinitati, magis quàm qui affirmat solùm.

Non ergo lux duntaxat, vel charitas, vel Spiritus, inquit Nouatianus [a], nec aliud quidlibet, sed quid maius. *Nam si, quæ præparauit Deus*, inquit ille, *his qui diligunt illum, nec oculus vidit, nec auris audiuit* [a], *nec cor hominis, aut mens ipsa percepit; qualis, & quantus ille ipse, qui hæc repromisit. ad quæ intelligenda & mens hominis, & natura defecit?*

Sed Augustinus [b] responderet, necnon Theologi, in simplici summaque natura Dei substantiam ipsam esse charitatem, lucem, & quidquid more nostro prædicatur vel concipitur de ipso. Legatur quoque Didymi Commentarius. Maximè nobilis dici solet clarissimus, & illustrissimus. & nobilis est quasi noscibilis: ignobilis vocatur obscurus.

Vt compendio dicam, Deus lux est, quia clarissimè seipsum percipit, omniáque in seipso, vtpote prima & ipsissima veritas: quia summè bonus, ac summa & ipsissima bonitas, fidelis, absque vlla iniquitate, iustus, & rectus [c]: quia fons omnis lucis in aliis, id est, veritatis atque virtutis, non solùm illustrans mẽtem, docénsque quid agendum sit; verùm etiam operans in nobis vt agamus, & sic radiis suis liberans mentem ab ignorantiæ tenebris, purgans à prauitate voluntatem. Venisse se Christus dixit lucem in mundum, vt omnis qui crederet in ipsum, in tenebris non maneret [d]: sed dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem [e]: & cùm vita esset lux hominum, lúxque ista in tenebris luceret, tenebræ eam non comprehenderunt [f]. Denique tenebræ in eo vel Deo, vel lumine (si referas ad φῶς, quo pacto etiam legit Hieronymus [g]) non sunt vllæ, quia vt errores & peccata dissiparet, misit Filium suum, & hic propterea factus est homo.

Vers. 6.] Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.

Si lux est Deus, non ergo consortium admittit tenebrarum: *Quæ enim societas luci ad tenebras* [h] infidelitatis, aliorúmve peccatorum? nam cum aliquibus tenebris esse creaturam necesse est, eo modo quo priùs docuimus Deo proprium esse, vt sit παμφαής, & lux ipsa. Dum hanc viuimus vitam, tenebras effugere possumus errorum, qui obscurant insipiens [i] cor, & salutem profligant, vel speculatiuorum, vel practicorum: prauorum quoque affectuum, quatenus in opera prodeunt lethifera. Precabatur ea oratione S. Thomas, quam studio præmittebat, ab se duplices tenebras amoueri, peccati, & ignorantiæ. Præsto est gratiæ

s Psa. 138. 6.
t Rom. 11. 33.
u 2. Cor. 9. 15.
x Phil. 4. 7.
y Ioan. 1. 20.
Theologia duplex, affirmans & negans.
a lib. de Trin. cap. 7.
a 1. Cor. 2. 8. Esa. 64. 4.
b lib. 15 de Trin. cap. 17.
c Deut. 32. 4.
d Ioan. 12. 46.
e c. 3. 19.
f d. c. 1. 5.
g 2. cont. Pel.
h 2. Cor. 6. 14.
i Rom. 1. 21.

diuinæ

diuinæ lumen ad has abigendas tenebras. Venialiter peccamus omnes, leuibúsque tum in intellectu, tum in voluntate tenebris aspergimur. Multa nesciunt multi, quæ pertinent ad artes, & ad scientias: nec beati nouerunt omnia. Versantur tamen in lumine maximo, videntes in eo lumen, quod est Deus [a]. Damnatos occupant duplices tenebræ, interiores in animo, exteriores [b] in corpore, in quo sunt, hoc est, in inferno, quæ tenebræ in corporibus ipsorum erunt etiam palpabiles post resurrectionem.

Lux oritur iustis habitantibus Gessen [c] præsentis quoque vitæ: iacent Ægyptij, id est, peccatores cum Pharaone, nempe cum Dæmone, qui princeps vocatur tenebrarum [d], in densissimis tenebris, quas non Moses [e] tantùm, & Sapiēs describit [f], sed etiam Philo [g], & aptissimè possunt ad mores transferri [h]. *Peccatores luminis sunt rebelles; nesciunt vias eius: non reuertuntur per semitas eius*: & quamuis *lux in tenebris luceat* parata ipsas illuminare, tamen *tenebræ non comprehenderunt* [i] *eam*, nec admiserunt. Putant se latere lumen diuini oculi, despiciunt Deum: insito, ac naturali nec respondent lumini: tenebris externis delectantur, & oderunt lucem, quia mala sunt [k] opera ipsorum quæ in occulto faciunt, ac in tenebris, eáque turpe est & dicere [l].

Nox [m], *& amor, vinúmque, nihil moderabile suadent:*
Illa pudore vacat, liber amórque metu.

Commoda sceleribus nox, maximè fœdioribus: qua de re Poëtæ multa, optimè verò Salomon [n] & Iob [o].

Si dixerimus.] Intellectu, affectu, verbo, facto, si persuaserimus nobis, si professi fuerimus, si præ nobis tulerimus, si fiduciam habuerimus, non affirmat Ioannes, vel nominatim exprimit vllum, ac suam quoque in hac hypothesi personam cōiungit, vt leniùs ac faciliùs agat, quamuis non ignoraret eo tempore sentire quosdam, non dirimi societatem cum Deo, propter peccata, si vel prædestinasset Deus, qui etiam de peccatis elicit gloriam suam, vel in ipsis esset fides operibus quoque vacua. Tales vigent hodiéque in Hæreticis errores.

In tenebris ambulamus.] Rectè præsentis temporis verbum ponitur: potuit enim qui societatem habet cum Deo, priùs ambulauisse in tenebris, & peccauisse. Ambulandi latè patet verbum, & accipitur pro vitæ ratione, quam quis iniit, tenétque, siue sit bona, siue mala. Hinc sæpè dicitur aliquis ambulare cum Deo, vel coram Deo, vel post Deum, vel ad lumen, seu in lumine Dei aut vultus eius, vel in nomine, vel in lege, vel in viis ipsius, vel per vias prudentiæ, vel in via immaculata siue bona: vel in innocentia cordis, vel simpliciter, vel in directione sua, vel secundum spiritum, vel spiritu, vel dignè Deo, vel dignè vocatione sua, vel in dilectione, vel vt filij lucis.

E contrario vsurpatur, cùm dicitur quispiam ambulare secundum carnem, & similibus modis, qui significant idem. In genere, ambulare in viis alicuius, est illum imitari. Exempla sunt obuia. In tenebris autem ambulare, sicut antea docuimus, est versari in ignorantia, & peccato. Aliquando ambulare coram aliquo significat fungi officio, quod est destinatum ad illum, verbi gratia, ambulare coram Christo Dei [p], est fungi Sacerdotio. Nonnumquam in tenebris ambulare, bonam in partem sumi potest. Sic enim Hieronymus [q] illud exponit de Christo, quod est apud

Gratia diuina abigit mentis, & affectuum tenebras.
a Psal. 35. 10.
b Matt. 8. 12. c. 22. 13. c. 25. 30. *Tenebræ duplices in inferno.*
c Exo. 10. 23.
d Ephes. 6. 12.
e Exod. 10. 21.
f Sap. 17. 18. 21.
g 1. de vita Mosis.
h Iob 24. 13.
i Ioann. 1. 5.
k Ioan. 3. 19.
l Ephes. 5. 12.
m Ouid.
Nox commoda sceleribus.
n Prou. 7. 9. Eccl. 23. 24.
o c. 24. 13. 14. 15. 16. 17.
Ambulare est vitæ rationem inire.
Ambulare secundum carnem quid sit.
p 1. Reg. 2. 3.
q in c. 50. Esa.

Esaiam [r]: *Quis est ex vobis timens Dominum, audiens vocem serui eius, qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei*: id est, qui fuit incognitus, sine specie, vel decore [s], sed in similitudinem carnis peccati [t], & secundum formam serui [u], sed rara talis acceptio. Ferè semper ambulare in tenebris malè sonat, sicut & in vmbra, seu in medio vmbræ mortis, id est, in grauissimis periculis, eorúmque timore, qui obscurat lætitiam; in tristissima rerum facie, & accommodatè ad institutum nostrum, in obliuione à diuini amoris notitia, vt Gregorius [x] loquitur; item in peccato mortali, quia mors est damnatio æterna, cui illud proximum est, vt intelligere videtur Hieronymus [y], aut est imago quædam ipsius. Hebræi enim vmbram pro imagine vsurpant, quia in vmbra est imago corporis.

Ambulandi autem verbum denotat progressum in peius, & ad vlteriores veluti, tetrioréśque tenebras. Simul indicat deflendam oblectationem, quam percipit quis in tenebris suis, quasi animi gratia in ipsis *ὀσιτατῶν*. Interdum dicitur quis in tenebris, aut vmbra, & regione mortis sedere [z], ad indicandam peccatoris desidiam, & cessationem ab operibus bonis, adhæsionem verò atque defixionem in malis, & perniciosam quietem, quasi sedeat in cathedra pestilentiæ [a]: vel certè nesciens quò vadat [b], ambulat in circuitu [c], vt cæci solent, quíve quippiam quærunt in tenebris, ac proinde nihil promouent. Alioqui ישב *iaschab*, Hebræis idem est, quod *sedit*, aut *stetit*, aut simpliciter fuit, seu mansit, & habitauit. Peccata tenebræ sunt à principe tenebrarum, obtenebrantia animam, facta in ignoratione, deducentia ad tenebras damnationis. Meritò in mortis non externæ magis, quàm internæ periculo Deus imploratur illuminator: *Illumina* [d] *oculos meos ne vnquam obdormiam in morte* [e]. *Dominus illuminatio mea, & salus mea*, &c. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum* [f].

Mentimur, & veritatem non facimus.] Illud pertinet ad verba, hoc ad facta: vtroque modo mentiri contingit, seu falsum profiteri; quamuis non contra mentem. Mentimur etiam commissione, veritatem non facimus omissione: mentimur nobis: veritatem non facimus alios inducendo ad mendacium exemplo. *Confitentur quidem se nosse Deum: factis autem negant* [g]. Veritatem facit, qui agnitæ veritati per opera respondet: & qualem se profitetur, talis est, non personatus hypocrita, non hominem vestita simia, de qua Nyssenus [h], non *veritatem Dei in iniustitia detinens* [i], hoc est, habens, vt Anselmus [k] declarat, scientiam Dei: sed malè viuens. *Veritatem facientes*, ait Apostolus [l], *per omnia, crescamus in ipso*, hoc est, respondeamus vocationi, & gratiæ, quæ nos ad meritorum inuitat augmenta. *In veritate non stetit Diabolus* [m], quia quod Angelo tantis prædito Dei donis, dignum erat, non fecit: præterquàm quòd etiam verbis mentitus est, homicida existens [n], dum dixit: *Eritis sicut dij*, &c. [o] Et *Spiritus mendax* [p], *mendaciique pater* [q], ad mentiendum semper paratus, aliósque id vt faciant, inducens. Eodem sensu facere mendacium quis dicitur, vel apprehendere [r], & operari [s], quo veritatem non facere.

Sed nihil quoque vetat, vt sint synonyma, mentiri, & veritatem non facere: faciendi namque verbum, omnium linguis de sermone etiam dicitur [t]. *Qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit*

r ibid. 10.
s Esa. 53. 2.
t Rom. 8. 3.
u Philip. 2. 7.
x 4. Moral. ca. 17. vel 20.
y in c. 9. Esa.
Ambulare quid denotat.
z Esa. 9. 2. Luc. 1. 79.
a Psal. 1. 1.
b Ioan. 12. 35.
c Psal. 11. 9.
Peccata tenebræ sunt obtenebrantia animam.
d Psal. 12. 4.
e Psal. 26. 1.
f Psal. 22. 4.
Mentimur commissione, veritatem non facimus omissione
g Tit. 1. 16.
h ep. ad Harm.
i Rom. 1. 18.
k ibidem.
l Ephes. 4. 15.
m Ioan. 8. 44.
n ibid.
o Genes. 3. 5.
p 3. Reg. 22. 22.
q Ioan. 8. 44.
r Ierem. 8. 5.
s Osea 7. 1.
t Ioann. 3. 20. 21.

veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Facis veritatem, inquit Augustinus[a] *si non te palpas, non tibi blandiris, non tibi adularis, non dicis, iustus sum cùm sis iniquus*, &c. Lux veritatem declarat[b]: *emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Idcirco veritatem non facit, qui in tenebris ambulat, qui non modò errat, & peccat, sed has ipsas suas tenebras amat, latet, & latere vult Deum. Atqui *nox illuminatio in deliciis tuis*[c], illuminabit te, clarum & conspicuum reddit ei, cui omnia nuda, & aperta[d], quamlibet tutò te putes in tenebris deliciari sine arbitris: nec enim tenebræ obscurabuntur à Deo[e], nihil abscondent ipsi, *sicut tenebræ, ita & lumen eius*[f]: tam luminosa nox illi, támque cernit eâ clarè, quàm die clarissima.

Qui facit veritatem.
a Tract. 12. in Ioan.
b Psal. 42. 3.
c Psal. 138. 11.
d Heb. 4. 13.
Tenebræ nihil abscondunt Deo.
e Psal. 138. 12.
f ibidem.

Vers. 7.] Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi, Filij eius, emundat nos ab omni peccato.

DOCET societatem cum Luce, qui est Deus, simul esse, vel cognosci ex ea, quæ inter nos est, quoniam & ipsa Lux, qui Deus est, hanc veluti tenet, semitam lucis, vt nos ad suam ducat societatem, pellendo per sanguinem, ac merita Filij sui cuncta peccata nostra, vt si quæ contrahantur peccata ex vsu, & humano consortio, paratum sit antidotum à sanguine Christi.

Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce.] Lux propriè non est in luce, sed exponi potest admodum priùs dictum, quòd *lucem Deus habitat inaccessibilem*[g], & quia Deus in ipso est incomprehensus, & incomprehensibilis à creatura. *Nemo enim nouit in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit*[h], id est quid sit Deus, quid nihil. Deus in luce est, nos ambulamus in ea, quoniam proficimus nos in luce; non ille, qui est substantialis lux, vt Thomas Anglicus, Carthusianus, Hugo, Caietanus notāt. Idcirco comparationis particula, *sicut*, solùm importat similitudinem, & imitationem, non æqualitatem, quemadmodum quando iubemur esse perfecti, *sicut & Pater noster cœlestis perfectus est*[i], & cùm orat Christus *vt simus vnum, sicut ipse cum Patre vnum est*[k]: & quando præcipit, *vt simus misericordes, sicut & ipse Pater noster misericors est*[l]. Notauit hoc de ista particula similitudinis aduersus Arrianos Athanasius[m], & Ambrosius[n]. Nec semper tamen ea vis est, sed quandoque, sicut vel quasi, & similes dictiones rei significant exactam veritatem, non solā cum comparatione similitudinem. Exēpli causa, cùm nominat Ioannes[o] in euangelio *gloriam quasi vnigeniti à Patre*, id est signa diuinitatis Christi tamquam veri, & consubstantialis Filij Dei, præsertim in eius transfiguratione[p], de qua pari modo scribit Petrus[q]. Hoc monent de illis particulis in illum Ioannis locum Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, præterea Gregorius[r], Augustinus[s], Ambrosius[t]. Sic vulgò dicimus, incedit quasi Rex, id est, vt regem decet: fecit vt vir bonus, id est, vt appareat virum bonum esse, & apud Nehemiam[u], *quasi vir verax*, id est, verè vir verax. Nec verò discrimen antea traditum inter nos in luce ambulantes, & Deum, qui non ambulans in luce dicatur, sed in ea esse, valdè solidum est: quoniam capite sequenti[x] scribitur: qui dicit se in ipso, (id est, Christo) manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare: Christus autem non profecit in virtutibus cùm illas exercebat.

Lux quomodo in luce sit.
g 1. Tim. 6. 16.
h Iob 38. 19.
Sicut non importat æqualitatem, sed similitudinem.
i Mat. 5. 48.
k Ioan. 17. 22. 23.
l Luc. 6. 36.
m ser. 4. cont. Arrianos.
n lib. de incar. Dom. Sacra. cap. 10.
o cap. 1. 14.
p Mat. 17. 5.
q 2. ep. 1. 17. 18.
r 18. Moral. c. 4.
s in Psal. 125. epist. 47. & sermon. 18. in Psal. 118.
u cap. 7. 2.
x vers. 6.

Societatem habemus ad inuicem.] Μετ' ἀλλήλων, Syriacè אחדדא עם *bham chadade, inter nos, mutuam, vnius ad alterum.* Caietanus cogi se dicit vt intelligat de societate nostra cum Deo ipso Patre, sicut & verbis proximè sequentibus cum filio eius Christo; de quibus antea Ioannes locutus fuerat[y]. Eadem videtur opinio Catharini. Glossa Interlin. & Lyranus explicant de societate mutuæ charitatis inter nos, Carthusianus de vtrâque, & quam cum Deo Patre, & quam habemus inter nos per fidem, & charitatem, communicantes inuicem in iisdem Sacramentis, & virtutum operibus. Hugo pro Deo Patre Christum in hac societate ponit. Placet vtraque societas, sed prout intelligitur à Carthusiano, nimirum vt ex diuinis Personis nunc sumatur Pater: qua in re prima probatur opinio. Non autem societatem inter homines excludit, sed firmat potiùs ea, quæ nobis est cum Deo, & de nostra quoque pridem antea fuit sermo[z].

y vers. 3.
z vers. 3.

Et sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.] Causa redditur diuinæ societatis (crebrò vocula *&*, maximè apud Ioannem, causaliter vsurpatur) cùm nos simus infra longè tam altum ordinem, immò de nihilo, & *natura*[a] *filij iræ*, atque peccatores. Debetur videlicet munus tantum Christi meritis, quæ potissimùm enituerunt in passione, & sanguine ipsius: neque enim sanguinis hic nomine aliud intelligo quàm sanguinem, non verò præcisè doctrinam Christi, sicut intellexit Clemens Alexandrinus, tametsi doctrinæ quoque tribuitur vt mundet[b]. Hic sanguis, vt Apostolus loquitur[c], *eos fecit propè, qui erant longè, pacem conciliauit, fecit vtraque vnum, medium parietem maceriæ soluit, interfecit inimicitias.* Potest locus intelligi præterea de leuioribus quotidianis peccatis, sicut est interpretatus Catharinus, quæ nimirum luci, ac societati cum Deo repugnant aliquo modo: tamen quotidiano quoque sanguinis Christi remedio mundantur. De his peccatis videntur esse verba sequentia: *Si dixerimus quia peccatum non habemus*, &c. licet de grauioribus quoque debeant exponi, vt dicemus. Qui fuerunt in peccato mortali, tenebræ dicebantur, postea ex illo liberati vocantur lux in Domino[d]: licèt vix reperiatur immunis ab aliquo peccato veniali, quantumuis mortali careat, & sit iustus, Christianus malus ac in tenebris peccati mortalis ambulās, non desinit habere societatem cum Christo, Deóque, & esse in Ecclesia, quæ est societas fidelium profitentium veram fidem atque Sacramentorum communionem sub vno capite visibili. Loquitur autem Ioannes de societate quæ consistit in vera amicitia cum Deo per internam caritatem. Cauendus Tertullianus[e], dum exponit præsentem sententiam de emundatione eorum, qui incedunt in lumine, habèntque communionem cum Deo, non si deliquerint, semel ad id admissi lumen, atque communionem, immunditiæ scilicet peccato, & fornicationis, de quo ipse disputat; sed vt non delinquant, & hanc esse vim sanguinis dominici, vt quos iam delicto mundarit, & exinde in lumine constituerit, mundos exinde præstet, si in lumine incedere perseuerauerint. Error fuit huius Auctoris, non recipiendos pœnitentes, saltem mœchos, & fornicatores, quem eo libro errorem tutatus est con-

Et causaliter apud Ioannem vsurpatur
a Ephes. 2. 3.
Sanguis Iesu Christi quid sit operatus
b Ioan 13. 10. c. 15. 3.
c Ephes. 2. 13. 14. 15.
Leuia peccata a Christi sanguine mundantur.
d Ephes. 5. 8.
e de Pudici. c. 19.
Error Tertulliani.

tra Ecclesiam, vt testantur Hieronymus [a], Nicephorus [b], Pacianus [c].

Pergit eodem loco ille varia Ioannis epistolæ loca conciliare, tum verò, cùm versu sequenti negat vllum esse, qui non peccet, de leuibus loqui; de grauibus, quando capite tertio ait non peccare. Atqui Ioannes vniuersè pronunciat emundari nos per sanguinem Christi ab omni peccato: inde videlicet fieri, vt in luce possimus ambulare, nec ampliùs peccare non recedendo à luce, peccatis nimirum grauioribus. Sanguini tribuitur peculiari quadam ratione peccatorum nostrorum emundatio, & vniuersa redemptio [d], licet quodlibet opus Christi meritorium propter infinitam dignitatem personæ ipsius sufficeret, quia velut hostia voluit Christus immolari, nec potest vel in ratione satisfaciendi plus offerri quàm vita, *nec maiorem, aduersus alium, quis dilectionem declarare, quam vt animam suam ponat pro illo* [e]. Pretium [f] magnum pretiosi sanguinis [g]: bonum aurum sanguis Christi, diues ad pretium, *profluum ad lauandum omne peccatum* [h]: fusus ex mortui vulnere sanguis cum aqua [i] nullum attulit nouum meritum, quia separata anima, cui soli conuenit mereri, erat extra merendi statum. Quatenus præuisa talis iniuria à Christo, dum viueret, & acceptata est, meritoria fuit.

Habet sanguis hac de causa (quidquid sit de aliis humoribus; est autem probabilius & hos assumptos, quia pertinent ad integritatem naturę) vt quamuis inanimatus, & alimentum venis contentum velut in vase [k], vt aliàs demonstraui [l]; tamen assumptus fuerit ad vnionem hypostaticam. Quæ sententia longè nunc communior est, ac planè certa [m], quoniam fertur Clementem VI. imperasse, vt Barcinonensis nescio quis retractaret sicut hæresim, quod dixerat, in triduo mortis Christi sanguinem eius non vnitum fuisse hypostaticè: sed & id à Pio II. damnatum esse [n], Patres item atque Concilia valdè clarè hoc docent: & alioqui non esset in consecratione calicis per concomitantiam sub speciebus vini Verbum diuinum, si nempe non esset hypostaticè vnitum ipsi, quemadmodum est corpori. Nec audienda distinctio parum philosophica de sanguine nutrimentali, & de perfecto [o]: nec enim specie differunt: & scripturæ, ac Patres, & Concilia, immò Christus, & scripturæ loquuntur indefinitè de quolibet sanguine.

Sanguis filij eius.] Oecumenius & Beda notant Idiomatum communicationem, vt sanguinem habere dicatur Filius Dei non in Diuinitatis natura, sed ob vnitatem personæ, cõtra Nestorium. Sic Paulus [p] dixit *quod Ecclesiam Deus acquisiuit sanguine suo.* Idacius [q] legit *caro, & sanguis*, &c.

Emundat.] Est quippe sanguis agni *immaculati* [r] *& incontaminati*, qui maculas alienas, & *peccata mundi tollit* [s]; *Qui lauat* [t], *& dealbat* [u], *& emundat conscientias nostras* [x]: Tincta veluti, ac rubricata hoc coccino, & *vermiculo peccata quasi nix dealbantur, ac velut lana fiunt alba* [y]: quemadmodum & non de peccatis ipsis, quæ sint rubra, (vt plures) exponit Tertullianus [z], Cyprianus [a], Augustinus [b], Basilius [c], qua de re ipsimet in Commentario Esaiæ. Simile est quod continetur verbis illis Iacob benedicentis filio Iudæ [d]: *lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* eodem namque sensu accipit [e] Augustinus, Origenes [f] quoque & Ambrosius [g].

Est sanguis Christi purpura, vt ait Tertullianus [h], & sanctorum inficiens animas, & colore resplendens, & potestate, inquit Ambrosius [i]. Veteres in coccineis procedebant in exercitu, vt est apud Nahum [k], & apud Historias profanas, de quibus Martinus Roa [l], vt sanguis fusus absorberetur à cocco, sicque pugnarent confidentius. *Absorpta est mors in victoria* [m].

Porrò cùm verbo præsentis temporis dicitur emundare sanguis Christi nos ab omni peccato, & tempus ipsum præsens importat modum naturalis cuiusdam, & propriæ ad id efficiendum habitudinis, vel quotidianum præsertim Eucharistiæ vsum, atque cooperationem nostram: sicut præteritum in propositionibus de eâdem passione, infallibilitatem prophetiarum: aut si à posteris Christi prolatæ sunt fecisse illum quod in ipso erat: postremò futurum, tum prædictionem Prophetarum, tum pronitatem nostram ad relapsum cum parato remedio, tum statum futuræ vitæ, in qua erit exacta emũdatio, & redemptio. Præterea denotat præsens tempus realem, ac physicam efficientiam fusi sanguinis [n], qui censetur moralis tantùm causa gratiæ, quam consecuti sunt antea omnes *ab origine mundi* [o], ex quo ipso tempore dicitur Agnus occisus. Nam propter præuisam occisionem istam, & sanguinis effusionem collata omnibus est gratia, quatenus Deus statuit, ac prædefiniuit homines redimere per merita fundendi sanguinis Christi.

Hic ipse pretiosus adeo sanguis receptus est in corpore suscitati Christi (nisi portio illius modica nunc seruetur in terris, vt quidam volunt, idque sine vnione hypostatica) non autem, ipsum, sicut blasphemant Caluiniani, quos refellit Feuardentius [p], in terra computruit, etenim *nec vidit caro*, & proinde sanguis Christi, corruptionem [q], nec humanum resuscitati verum corpus absque sanguine potest esse, atque vt numero idem omnino sit, debet eundem numero sanguinem resumere.

Ab omni peccato] Nullum excipitur peccatum, ad quod reuocari possent occasiones, passiones, pœnæ, seu pœnalitates, à quibus emundamur efficacia sanguinis, sed quomodo, & quando expedit: neque de Baptismi lauacro sermo dumtaxat est: pœnitentiæ quoque munere sanguinis pretium peccatori communicatur, licèt spiritui gratiæ sanctificantis contumeliam fecerit, *sanguinémque testamenti conculcauerit, & pollutum duxerit* [r]. In capite vltimo differetur de peccato ad mortem, simúlque sine vllum peccatum, quod ablui sanguine isto non valeat.

Potest præterea omnis peccati vocabulo reatus ac pœna comprehendi, quam sua sanguis efficacia delere penitus valeat, ac interdum etiam, non in Baptismo tantùm, sed in pœnitentia, aliisve Sacramentis, nec non per interiorem contritionem reipsa deleat. Item aliquod peccatum est id, quod appellatur veniale, maculámque idcirco nonnullam includit, cùm & ipsum, Christi sanguis emundet. Hoc discrimen leuis & mortalis peccati nunc suppono.

Illud etiam de reatu temporali constat, manere posse post deletum reatum pœnæ æternæ, vnà cum macula peccati mortalis etiam deleta. Nam legimus in scripturis à Deo ipso decretam nonnullis aliquam temporalem pœnam, quibus condonauerat cum peccato æternam. Testis Adã [s], testis Dauid [t]: testis soror Mosis [u]: testis Moses ipse, & Aaron [x]: testis Propheta occisus in iti-

a de Viris illustrib. in Tertul. & ep. 148.
b lib. 4 c. 34. Hist. eccl.
c Tract. cont. Nouat.
Sanguini tribuitur peccatorum emundatio.
d Ro. 3. 24. 25. Ephe. 1. 7 Colos. 1. 20. Heb. 9. cap. 13. 12. 1. Pet. 1. 19. Act. 20. 28. Apoc. 1. 5. c. 5. 9. & c 7 14.
e Ioan. 15. 13.
f 1. Cor. 6. 20.
g 1. Pet. 1. 19.
h Ambr. Præf. 1. in Psal. 35.
i Ioan. 19. 34.
Sanguis Christi post mortem fusus an fuerit meritorius.
k Aristot. de Partib. anim. c. 3. & li. 3. ca. 5. S. Tho. 3. Par. 9. 31. art. 5. ad 1. & 1. q. 109. a. 1. ad 1 & alibi apud Capreolum Dist. 25. art. 3. ad 3. conc. 3. conc. & 4. Dist. 10. q. 2. a. 3. ad 4. Scoti contra 1. Conclu. & alij multi.
l Tract. de Anima.
Sanguis assumptus fuit ad vnionem hypostaticam.
m B. Thom. 3. Par. 9 5. art. 2. & Quod. 5. a. 5. Soto 4. Dist. 10. q. 1. art. 1. Sy. Rosa aur. q. 1. q 16. Suarez 3. Par. tom. 1. Disp. 15. Section. 6. qui citat alios.
n Refertur primum in Directo. Inquisit. 2. Par. q. 10. & vtrumque à Syl. sup. d. & à Dominico de Ostmonicis lib. de sanguine Christi.
Communicatio Idiomatum hic introducitur.
o est Sylu. supra d. & Caiet. 3. Part. qu. 54. a. 5 & q. 31 a. 1.
Sanguis Christi emundat nos a peccatis.
p Act. 20. 28.
q Contra Va rimundum sub finem.
r 1 Pet. 1. 18.
s Ioan. 1 29.
t Apoc. 1. 5.
u Apoc. 7. 14.
x Heb 9. 14.
y Esa. 1. 18.
z 4. contra Marcion. c. 40.
a 2. Testi. c. vlt.
b 12. contra Faustum c. 42.
Sanguis Christi est purpura.
c in Magnis Asceticis, Interrog. 20.
d Gen. 49. 11.
e supra.
f Hom. 17. in Genes.
g de Benedictio. Patriarch.

h de corona milit.
i serm. 17. in Psalm. 118.
k Nahum 2. 3.
l 1. sing. c. 2.
m 1. Cor. 15 54.
Cur verbo præsentis temporis Apostolus vtatur.
n S. Thom. 3. par. q. 48. art. 6 & q. 50. a. 6.
o Apoc. 13. 8.
Christi sanguis quomodo sit effusus ab origine mundi.
Portio sanguinis Christi aliqua in terris seruatur.
p In 1. epistol. Petri cap. 1. vers. 19.
q Ps. 15. 10. ps. 29. 10.
r Heb. 10. 29.
Omnis peccati nomine quid intelligatur.
Reatus peccati manet post deletam culpam.
s Gen. 3. vbi de peccato & pœna, & Sap. 10. vbi, de resipiscenti.
t 2. Reg. 12. & cap 24.
u Num. 12.
x Num 20.

nere[a] : testes Corinthij propter indignam Eucharistiæ sumptionem puniti[b] : quorum tamen nonnullos pœnituisse credi potest : ille quoque testis, quem Paulus *tradere Satanæ coguauit in interitum carnis, vt spiritus in die Domini saluus fieret*[c].

a 3.Reg. 13. b 1.Cor. 11.30. c 1.Cor. 5.5.

Patrum hac de re non cito testimonia; tam multa, certa, clara sunt, maximè Ambrosij[d], Hieronymi[e], Augustini[f], Gregorij[g].

d in Psal. 37. e in cap. 6. Ose. *Remissa culpa remanet pœna.* f 1. de Pœnit. c. 5. & Tract. 124. in Ioan. g 9 Moral. c. 27 & hom. 10. in Euang.

Non recordatur quidem amplius Deus postquàm remisit, ita vt velit punire damnatione æterna: gratis condonat culpam, recipítque in gratiam: *redemptio Christi copiosissima fuit*[h], nec non satisfactio, verumtamen recordatur sæpe peccatorum, vt conuenientem vindictam reposeat hoc tempore[i] : neque repugnat gratuitæ reconciliationi, & amori, vt castiget, arguat, corripiat filium quem recipit[k].

h Psal. 129. 7. i Exo. 32. 14. k Prou. 3. 12. Hebr. 12 6 Apoc. 3 19.

Postremò, meritorum & satisfactionis Christi copiosissimus fructus per certa nobis media debet applicari, quorum satisfactio nostra vnum est per gratiam ipsiusmet facta, quæ ipsa redundat in maius commodum nostrum, atque dignitatem. Alioqui nec vllis precibus, nec aliis operibus meritoriis vacandum esset. Siquidem Christus omnia nobis cumulatissimè impetrauit. At hoc omnino falsum est, quia sic impetrauit, & procurauit, vt voluerit nos per preces, aliáque opera bona tāquam per media nixa semper eius gratiæ, nobis applicare dictum fructum precum ac meritorum, & satisfactionum eius. Sed nec Deus hæc à Filio suo profecta acceptauit absque vllo respectu ad nostram cooperationem. Verùm Christus offerendo suam, simul obtulit satisfactionem nostram, vt ex vi quoque nostræ cum illius gratia coniunctæ solueretur debitum temporalis pœnæ. Pluribus hac de re tum Theologi, tum Hæreseologi, potissimum Cardinalis Bellarminus[l], & Suarez[m]. Extat verò aperta Concilij Tridentini definitio[n].

Satisfactio Christi nobis est per certa media applicanda.

l lib. 4. de pœnit. m Tom. 4. in 3. Par. Disp. 10. Sect. 4. n Sess. 6. c. 14. & can. 30. Sess. 14. c. 1. & 8 & can. 12.

Illa videtur molesta ratio, quo pacto reatus remaneat post remissam culpam, cum ex hac ille veluti ex causa, nascatur, & proprius, ac necessarios in passionis morem effectus. Augustini[o] sententia est: *Productior est pœna quam culpa, ne parua putaretur culpa, cum illa finiretur & pœna.* Inter homines quoque videmus dimitti iniuriam, non simul semper & pœnam. qua ratione Dauid prohibuit ne Absalom faciem suam videret, quamuis ei condonasset[p]. *Exigit quoque*, vt traditur à Concilio Tridentino[q], *iustitia diuina ratio aliter in gratiam recipere, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter qui semel à peccati, & Dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter tēplum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidauerit, & diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij, & contumeliosi Spiritui sancto, in grauiora labamur, &c.*

o Tract. 124. in Ioan. *Pœna productior est quam culpa.* p 2 Reg. 14. 24 q Sess 14. c. 8.

Addit Concilium alias causas, vt medeamur peccatorum reliquiis, & vitiosis habitibus, vt remoueamus imminentes nobis à Domino pœnas alias : vt Christo conformemur, qui pro nobis satisfecit, atque compatiendo spem concipiamus nos conglorificandos cum ipso.

Cur pœnitentia graues a quando imponantur.

Primæ duæ rationes aptius argumento satisfaciunt, magísque respiciunt pœnam vt satisfactoriam, aliæ vt medicinalem. Itaque nulla, propriè loquendo, manet in iustificato post baptismum moralis malitia, ratione cuius debitor existat pœnæ temporalis: multóque minùs, quòd Caietanus[r], ac Soto[s] dicunt, concedi potest ex duplici ratione malitiæ peccati mortalis, hoc est, ex auersione a Deo, & conuersione ad creaturam remanere conuersionem, cui per se debeatur tantùm pœna sensus finita. Restat ea pœna infligenda, quam decreuit Deus ei, qui veniam æternam adeptus, completè non satisfecit, & illa quædam inæqualitas donec sit satisfactum Deo, si conuersionis dicatur inordinatio, vt citati Auctores B. Thomam[t] pro se citantes loquuntur, non secundum effectum, & maculam, sed secundum effectum ea quam dixi ratione debet intelligi. Alioqui sanguis Christi non emundaret ab omni peccato, nec in iustificatione deleretur integrè peccatum quantum ad culpam, nisi cùm omnis reatus tollitur. Hoc ratò fit: illud repugnare videtur Tridentino Concilio, & Hæreticis fauere, qui asserunt non penitus auferri peccata quantum ad culpam sed radi, &c. Denique in peccato mortali conuersio quæ iniuriam facit Deo, seiungi nequit ab auersione, quæ est inimicitia cum eodem. Læditur enim amicitia, & incurritur inimicitia per iniuriam. Accersenda quoque scholastica subtilitas, vt seruiat simplici Scripturarum maiestati.

r To. 1. opusc. Tract. 4. q. 4. s 4. Dist. 15. q. 1. art. 4. t 4. Dist. 14. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2.

Probabilis opinio, dixisse Ioannem ista contra Ebionitas, qui ambulantes in tenebris placere se Deo dictitabant: credebántque crebris se lotionibus à peccatis emundari, quemadmodum & alij Iudaizantes inanibus cerimoniis, contra quos disputat Paulus[u]. Porro peccati emundationem Augustinus ac Beda hoc loco, & Hieronymus contra Pelagianos[x], vt hic asseritur, de peccatis intelligunt ante, póstque Baptismum.

u Colos. 2. 16. & alibi. x lib. 2.

Vers. 8.] Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

HVNC locum Carthusianus ait intelligi communiter de venialibus peccatis, sine quibus præsens vita non agitur, quoniam *septies in die cadit iustus*[y] (etsi sermo etiam ibi est de rebus aduersis) *& in multis offendimus omnes*[z]. Confirmat expositionem, Augustini testimonio: præterea ratione, quoniam Ioannes hac seipsum sententia includit, cui, sicut & Apostolis, ac nonnullis etiam aliis non erat obscurum se in gratia esse: & ex aliis quibus id non est reuelatum, possunt aliqui pia, miniméque temeraria, & mendaci confidentia putare, atque asserere se non habere peccatum mortale. Consentit in ista sententia Hugo Cardinalis, sed subiungit : *licet sancti Apostoli etiam sine veniali peccato fuerint post Pentecostem, non erat eis reuelatum hoc ipsum, quod eo quoque carerent, vt propterea non id auderent affirmare.* Non fuit forsitan Petrus sine veniali quando ei vt reprehensibili Paulus *restitit in faciem*[a] : nec forsitan Paulus in altercatione cum Barnaba propter Ioannem cognominatum Marcum[b].

Peccata venialia sine quotidiana. y Prou. 24. 16 z Iaco. 3. 2 *Apostoli sine veniali post Pentecostem forsan fuerunt.* a Gal. 2. 11. b Act. 15. 37. & seq.

Caietanus notat non loqui Ioannem de peccato, quod quis actu in tempore præsenti faciat: quia non dicit, *Si dixerimus, quòd non peccamus* Sed, *quòd peccatum non habemus*, videlicet aut commissum, aut contractum, quamuis nunc aliquo tempore non peccemus. Ne quis ergo ab emundatione per Christi sanguinem eximeret se, docetur his verbis omnes habere peccatum. Sed

Aliquis pro breui tempore potest esse sine peccato.

hac

hac ratione non debet vim ponere Caietanus in verbo temporis præsentis, quasi nullus sit, qui non habeat iam peccatum. Nam fieri potest, vt aliquis Iustus modò nec venialem, pro aliquo inquam breui tempore culpam committat. Immò posset & omnis peccati præteriti iã deleti reatus, esse quoque deletus per contritioné perfectã, per indulgentias, per similia remedia. Itaque Caietani mens erit, non esse qui negare possit se peccatum habere, hoc est, habuisse, saltem originale quod sanguine Christi mundandum fuerit.

Catharinus intelligit de concupiscentia, quod est naturæ vitium, & quandoque appellatur peccatum, remanétque, ac habetur etiam à Iustis in morem habitus; & de peccato venit, in idque incitat: & per illud fit, vt nequeamus abstinere à quotidianis leuibus peccatis, quę proinde Christi sanguinis emundatione purgentur. Eandem sententiam sequitur Salmeron [a]. Augustinus [b], quem citat Catharinus, hoc testimonium, quod versamus, & de reliquiis vetustatis, & de peccatis, quæ vitari nunc non possunt, interpretatur. Quo pacto, nempe loquendo de istis peccatis, incipit hæc expositio cum prima.

a hoc loco, qui tamen Tom. V. Tract. 10. intelligit vel de Originali vel de Venialibus peccatis.
b 2. de pecc. mer. c. 8.

Quis de peccato mortali hoc intelligat.

Lyranus contendit sensum esse de peccato mortali; quia hoc solum separat à Dei societate, de qua proximis prioribus verbis. Adde pro eo solo per se necessariam esse sanguinis Christi emundationem, sicut & simpliciter solum commaculat: licet veniale quoque nonnulla macula nos adspergat, & non sine Christi meritis, ac idcirco non absque sanguine ipsius nunc remittatur. Atqui quilibet, quamuis iustos, dicere non potest, ait Lyranus, absque Dei reuelatione, vel sine peccato iactantiæ, & superbiæ, & etiam falsitatis, asserendo quòd scit, se carere omni peccato mortali. *Nescit enim homo, vtrum amore, vel odio dignus sit* [c]. Innuit eandem opinionem vtraque Glossa, ordinaria, & Interlinearis. Fauet Cyrillus Ierosolymitanus [d], vocans damnationis opera: licèt id simul asserat de iis, quæ dimitti petimus in Oratione Dominica. Loquitur eodem modo Chrysostomus [e].

c Eccl. 9. 1.
Nemo potest asserere se esse sine mortali peccato.
d Catechesi mystago. 5.
e Homil. 9. ex variis in Mat. locis.

Bonauentura [f] triplicem affert sensum, quòd nemo potest certus esse vtrum omni peccato careat, nisi reuelatum sit: quòd nullus aut sine peccato sit, aut ab actu denominatur, aut sine causa, & sequela ipsius, id est, sine fomite: quòd si quidem præsentis temporis verbum *habemus* accipiatur indiuisibiliter, seu pro breui tempore, potest quis esse sine vllo peccato, vt infans, vel etiam adultus recens baptizatus, vel alius absolutus ab omnibus peccatis: non tamen si sumatur simpliciter pro tempore toto præsentis vitæ: sed B. Virginem ab hac omni lege excipi. B. Thomas [g] docet non fuisse intentionem Apostoli dicere, quòd non sit aliquod momentum, in quo homo non sit in peccato quantum ad culpam, sed quia ista vita à nullo sine peccato agitur: & quia etiam dimissa culpa, reatus aliquis manet.

f 3. Dist. 3. Par. dub. 5.
g 4. Dist. 21. q. 2. art. 1. ad 4.

Auctoris sententia.

Arbitror propositionem maximè generaliter accipiendam, vt amplectatur quodcunque peccatum, nec non peccati effectum, qui simul est causa, vt est concupiscentia, vel reatum etiam ipsius. Nam Patres variis vtuntur dicendi modis circa hunc locum: & quo magis vniuersalis propositio, hoc efficit magis, quod antè dictum est, sanguinem Christi nos emundare ab omni peccato.

Augustinus [h] Innocētio Papæ scribēs de Pelagianorũ erroribus, negat fieri posse, vt in hac vita simus absque peccato: tum quia omnibus incumbit orare: *Dimitte* [i] *nobis debita nostra*: tum propter verba Ioannis in hoc loco, quamuis qui talia habet peccata sine querela sit, quia sine graui peccato. Reperit hoc idē sæpè aliàs Augustinus [k], vsurpans eundem hunc locum, vrgens prætera, Ioannem æque de se, ac de aliis scribere, sicut & Iacobum, dum scribit [l]: *In multis offendimus omnes*, quia nemo est sine aliquo vitio, id est, inquit, *sine fomite quodam, vel quasi radice peccati. Absit*, subdit præterea [m], *vt quisquam fidelis existimet, tot millia seruorum Christi, qui veraciter dicunt se habere peccatum, ne se ipsos decipiant, & veritas in eis non sit*, &c. non habere pietatem, εὐσέβειαν, vel θεοσέβειαν, cultum Dei, qui non colitur (propriè, & perfectè) nisi charitate.

h epist. 95.
i Mat. 6. 12.
k ep. 89. & 90. ibi. de Virgin. cap. 48. & 49. Serm. 19. de Verb. Apost. cap. 6. li. 4. cont. duas epist. Pelag. c. 10. & lib. 3. c. 1. lib. de perfect. Iustit. cap. vlt.
l c. 3. 2.
m epist. 29.

Ad hæc monet [n] Virginibus etiam, & incontaminabilibus, & non illis aut illis, sed omnibus Christianis hîc Ioannem loqui, & de peccatis nō mortiferis, quæ non ictu vno perimunt [o]. Denique probat [p] Cypriani [q] auctoritate rem eandem eodem isto testimonio confirmantis, & vocantis Sanctorum quædam vulnera, & docentis quotidianis sacrificiis quotidiana tegi peccata. Profert etiam Ambrosium [r] eadem ratione vtentem propter eandem sententiam. Non dubitat etiam eos vocare [s] Dei filios, qui peccant dicto modo.

n de Virgin. c. 49.
o Serm. 19. de verb. Apostoli.
p 4. Con. 2. ep. Pelag. c. 10. & 11.
q ep. de ope. & eleemosy. & de o. Dominic. Adde & 2. lib. Testim. ca. 14.
r in Esaiam.
s idem Aug. 1. cont. 2. epi. Pelag. cap. 1.
t lib. de perfe. iusti. c. vlt.

Præterea notat [t], dicere Ioannem non de præteritis peccatis (*habuimus*) sed de præsentibus (*habemus*) hoc est, quandoque solemus peccare: & subtiliter quidem dici posse de concupiscentia Ioannem agere. Id concedimus, sed non sicut Lutherus vult, & alij Hæretici, concupiscentiam ex natura sua, & propriè esse peccatum, licet non imputetur) tamen aliud omnino significari, quādo iubemur petere dimitti peccata nostra [u], & cùm Iacobus [x] ait nos omnes in multis offendere. Tandem ait [y], omnes sanctos, excepta B. Virgine Deipara, dicere posse verba ista Ioannis.

Concupiscentia propriè non est peccatum.
u Matth. 6. 12.
x cap. 3. 2.
y lib. de Natu. & Gr. c. 36.

Valent hæc, vt & quæ disputat Hieronymus [z] ab eodem citatus Augustino [a] contra Iouinianum, & Pelagium, distinctionem tollentes peccati mortalis, venialísque, nec Iustū leuiter peccare. Damnatur hæc hæresis in Concilio Mileuitano [b], & Tridentino [c], & alibi copiosè refutata est. Gregorius [d] vtroque loco, isto, & Iacobi de his leuioribus prolato peccatis intelligit. Quis ergo iam quasi victor extolli audeat, si tanti viri peccatorum tela se euadere non posse manifestāt? Philo Carpathius [e] eodem pacto explicat eadem loca.

z 2. contra Pelag.
a ep. 29.
b can. 6. 7. 8.
c Sess. 6. c. 11. & Can. 23.
d 1. 2. Disp. 6. de peccatis.
e in Ca. c. 4.

Non obstat explicatio Patrum ad præsentem locum, præsertim de venialibus peccatis, quā tradit Augustinus etiam in Commentario, quo minus alia quoque peccata, & res aliæ, quas dixi, sicut de concupiscentia, videri concedere Augustinum retuli, possint comprehendi.

Postremò hîc apponendum censui canonem Concilij Mileuitani [f], quo locus totus declaratur. *Item placuit, quod ait sanctus Ioannes Apostolus: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putauerit, vt dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere ita est; anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adiungit. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & iustus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquita-*

f est Sextus.
Nos peccatum non habere veraciter dici non potest.

16. Vbi satis apparet, hoc non tantùm humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: *Si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est:* Sed cùm ait: (*nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est,*) satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum. Similis alius Canon [a] de verbis illis: *Dimitte nobis debita nostra* [b]. Recitantur eadem in libro de Ecclesiasticis dogmatibus [c].

Moneo iterum caueas à Tertulliano, de quo dixi priore versu: sic ille de venialibus, & leuibus peccatis accipit præsentem locum, vt non aliter velit accipi, putans non admitti, qui grauiùs impudicitia potissimùm peccet post baptismum: nam peccare posse, cuius ei contrariū impingunt, sentit ipse [d], illum qui in lumine incedere non perseuerauerit, vt Pamelius obseruauit [e].

Hieronymus [f] disputans contra vtrumque errorem, & istum citans locum ex superiore versu, dicit: *Quod autem scriptum est: & sanguis Iesu filij eius mundat nos ab omni peccato, tam in confessione baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis accipiendum est.* Nempe, sicut dictum est, propositio illa, *si dixerimus, quia peccatum non habemus*, &c. late sumi de quouis peccato potest.

Quare vocari nos rectè filios Dei, etiam si non omnino peccatis careamus, docet vt antè dixi Augustinus [g]. Præterea locum istū, non ex humilitate, sed secundum veritatem accipi debere de omnibus, definitum est, in citato Mileuitano Cōcilio [h], quod Hesselius Carthaginense nominat: idque non in aliorum peccatorum, sed in propria quoque persona [i]. Sed & Hieronymus [k] confutat Pelagianorum effugium, peccatum hic, & in similibus locis, dici, quod ex natura & conditione nostra habemus, nec indiget remissione. Refellit idipsum Ioannes Maxentius [l], videlicet asserentes vnum ac idem esse naturale, & originale peccatum. Cautè verò legendus Gennadius libro de Ecclesiasticis dogmatibus [m], qui adscribitur Augustino, veraciter omnes sanctos asserere se peccatores, quia in veritate habent, quòd plāgant, & si non reprehensione conscientiæ, certe mobilitate, & mutabilitate præuaricatricis naturæ.

De peccatis propriè dictis loquitur Ioannes, vt crebrò docet Augustinus, maximè in fine libri de perfectione iustitiæ. Vt Cassianus in collatione 23. non bene illum explicet, volens peccatum esse, quo vel inuiti à summi boni contemplatione retrahamur: & inde colligens, vniuersos sanctorum actus esse peccata; Paulum verbi gratia sic peccasse laborando manibus.

Ipsi nos seducimus.] Ἑαυτοὺς πλανῶμεν, [Hebrew] *mathhinan* Cyrillus Ierosolymitanus [n] legit (*mētimur*) vel memoriæ lapsu, quoniam id verbum antea positum est [o], vel existimans esse Synonymum vtrumque.

Existimat Salmeron, minus esse seducere seipsum, quàm mentiri: quia magis est contra Synteresin ambulare in tenebris, & se arbitrari societatem habere cum luce, qui est Deus [p], quam dicere se non habere peccatum, maximè si quis hoc ipsum beneficium tribuat Deo, sicut Pharisæus in templo [q], seductus ab amore proprio. Attamen ipsa loquendi formula videtur peius quid importare, vt dicatur quis decipere seipsum, quàm simpliciter mentiri: nec solùm abesse veritatem quomodocumque, sed vel pertinacitatem, vel prauam aliam animi dispositionem, & quod solet dici, non ignorantiam simplicis negationis, sed prauæ dispositionis. Nec facile definiri puto posse, quid magis Synteresi repugnet, arbitrari se sine peccatu, aut cum sis in peccato, non id tamen animaduertas, vel etiam dissimules existimante te societatem habere cum Deo. Grauiter vtrobique tum mentimur, tum decipimur, perniciosus error vterque. Quamquam persæpe mentiri est idem quod falli, seduci, errare, non propriè contra mentem loqui [r]. (Festúsque mendacem vocat, cuius fefellit mentem fortuna) Seducere quoque seipsum, idem quod seduci, quamuis auctor sibi quis minimè sit, nec ex animi proposito seipsum seducat. Sic Hispani, Itali, Galli, alij loqui solent, *Decipis teipsum*, pro eo quod est, *deciperis*.

Et veritas in nobis non est.] Hoc est decipi, & se decipere, seduci, & se seducere, falli, & se fallere, mentiri, seu verum non dicere, & quòd veritas non sit in quopiam: nec est sola humilitas dicere se peccatorem, sed veritas, vt antè retulimus ex Concilio Mileuitano. *In hoc non est veritas*, inquit Augustinus, *quæ priùs vocata est lux, quia non perfectè splēdet vita eius, in quo insūt peccata: incipit illuminari, qui incipit ea confiteri.* Quapropter intellexit etiam Augustinus hoc loco de peccatis grauibus, quoniam leuia tenebras non inducunt.

Potest tamen ipsummet negare, habere leuia peccata, graue peccatum esse, & tenebras inducere: immò maxima cæcitas mētis est id sibi persuadere. Dum adest sol, vel atomi seu ramenta per aërem volitantia discernuntur. Oecumenius arbitratur, induere Ioannem personam Iudæorum, qui Christum peccatorem censuerunt, & hoc nomine cruci fixerunt. Erit forsan sensus accōmodatior, ac non, opinione ea, litetalis. Cauendus Illyricus, qui originale hic intelligit peccatū in renatis vere remanens, & Kemnitius, qui concupiscentiam, quæ verè peccatum sit.

Ex dictis eruit possèt distinctio, quam perspicuè positam legi à Gulielmo Estio, cùm nostros hos commentarios recognoscerem, & ex dictis satis colligitur; vt quatuor modis censeatur quis habere peccatum: propter affectum peccati, quatenus in hac vita inordinatus existit, quantumlibet studeat purgando animo: propter peccati reatum, & aliquas seu pœnalitates, seu etiam pœnas, quibus vix ac ne vix quidem est, qui non sit aliquo pacto obnoxius: propter actum peccati, quem nemo in hac vita vitat penitus secundùm legem ordinariam: propter peccatum in quo nati sumus, vel quod actu deinde commisimus. Omnes istos modos confirmat Patrum testimoniis, ac de tertio profert Hieronymum [s], Ambrosium [t], Augustinum [u], Gregorium [x], Bernardum [y], Gersonem [z], peccandi frequentiam in seipsis agnoscentes. Refellit quoque iure nonnullos, inter quos Clementem Alexandr. qui putant post Christi resurrectionem Apostolos accepto Spiritu sancto ita confirmatos in gratia, vt deinceps nullis essent peccatis passionibúsve obnoxij. Ex his quæ dixi oppositum liquet, quantum ad leuia nonnulla peccata, & ad aliquos motus passionum.

Vers. 9.] Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.

a est 8. sine tit.
b Matt. 6. 12.
c ca. 15. & 17. apud August tom 3.
d lib. de pudicitia, c. 19.
e ibid. n. 107.
f 3. cōt. Pela.
g epist. 106. & hæt. 88.
h can. 6.
i can. 7.
k 2 cōt. Pelag.
l lib. fidei. c. 30. anathe. 10.
m cap 86.
n Catechesi mystag. 5.
o vers. 6.
Decipere seipsum vel mentiri vtrū sit peius.
p ibidem.
q Lucæ 18. 9. & seq.
r vt Iob 34. 6.
Negare habere leuia peccata, graue peccatum est.
s ad Pāmach. contra errores Ioan. Ierosoly.
t 4. de Sacram. c. 6 & in apol. Dauid.
u in Psal. 118.
x in 4. epist. 39.
y epist. 24.
z tract. de statu Cathol.
6. Strom.

DOcui superius cum Hieronymo [a], pertinere hanc a peccatis emundationem, etiam ad illa quæ fiunt post Baptismum. Propterea nulli clauditur aditus peccatori ad pœnitētiam in Ecclesia: nec Dei duntaxat iudicio, siue misericordiæ soli, & immediatè talis permittitur, sed Ecclesiæ quoque claues externæ, possunt ei prodesse, quod seductores negauerunt Montanistę [b], atque Nouatiani [c], & quoad iudiciariam potestatē in ministris Ecclesiæ huius temporis hæretici [d]. Sed hi qui in Anabaptistis dicti sunt liberi, post Anabaptismum docent nō posse peccare, vel carnem dumtaxat [e]. Pelagianos præterea Beda, coargui hinc ait, qui & paruulos sine peccato docebant nasci, & Electos in hac vita tantùm proficere posse, vt sine peccato existerent.

a 1.cont. Pela.

Nulli clauditur aditus in regnū cælorum.

b Hieron. epist. ad Marcellam de erroribus Montani.
c Socr. 4. hist. c. 35. Cypr. lib. 2. ep. 4. Ambr. 1. de pœnit. c. 2.
d de quibus Bell. lib. 1. de pœnit. c. 9.
e Lind. a. in dubitantio. Stala. 3. & Prateolus in elencho.

Non constat, de qua hic Ioannes confessione loquatur, illáne, qua nos peccatores agnoscimus, vel taciti corā Deo vel hominibus, siue particulatim, siue vniuersè, sed extra Sacramentum, vel apud proprios ministros Sacramētalis pœnitētiæ.

De vitiosa confessione nec memorandum quidem nunc non agi, quæ pote remissionē non meretur. Nec videtur sermo de confessione, quam Baptizandi olim vsurpabant, de qua diximus in Apostolicis Actibus [f]. Loquitur enim cum Baptizatis, licet iudicet Oecumenius contrarium. Non etiam solùm de certis peccatis, vt pridem contra Tertullianum admonuimus. Augustinus nihil aliud exprimit, nisi vt humiliter nos confiteamur peccatores, tū hominibus tum Deo, huic dicendo [g]: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Beda cōfessionem interpretatur orationem (profectò veræ cōfessioni iungi solet oratio) pro peccatis electorum leuibus, & remissionem tum ab his, tum à maioribus tentamentis, ne vincantur: tum à minimis, ne lædantur: & emundationem perfectā, ne aliqua prorsus Beatis in regno perpetuo iniquitas adsit. Cyprianus confessionis quoque voce sumit orationem [h].

f cap. 19. 18.

g Psal. 50. 11.
Veræ confessioni iūgi solet oratio.

h de orat. Dō.

Ex interpretibus, (ex quibus præcisè negat Catharinus quia Ioannes includit se) Thomam Anglicum & Carthusianum reperio, qui Sacramentalem confessionem hic dicant innui, cùm sufficeret in lege naturæ, & in scripta contritio, & confessio Deo facta. Idem sentit, vel certè vtilem, & conuenientem esse confessionem externam factam hominibus Turrianus [i]: Bellarminus verò præterea probat ex promissione illis verbis contenta [k]: *Fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra:* quoniam promissio non alia extat, quàm accedentibus ad eos, quibus dixit Christus [l]: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* & quia, si Ioānes promittit hic in epistola remissionem sibi Deo confitentibus, frustra Christus illud aliud proposuisset, cùm longè sit facilius Deo confiteri, quàm hominibus, & hoc homines potius electuri fuerint: denique quia falsum, aut frustra esset: *quorum retinueritis, retenta sunt*, & [m], *Quæcunque obligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo:* si per confessionem Deo factam Sacerdote etiam inuito, aliquis absolueretur. Colligit idem Bellarminus [n], verum nō esse, quod Lutherani sentiūt, venialia peccata illa esse, quæ à Deo non imputantur, quamuis ex se digna sint pœna, & supplicio æterno. Nam si non de solis mortalibus, sed de venialibus quoque peccatis Ioannes hic loquitur, quorum nihil opus esset à Deo remissionem petere, si recta, non imputata, condonata essent, non oporteret ea confiteri. Probabilis argumentatio ei, qui suadibilem [o] sectatur sapientiam, & piè afficitur ad ea, quæ fides proponit. Nec refert quod Ioannes seipsum includat: solent enim homines ita loqui, vt magis alios sibi concilient, aut ob præterita peccata, aut ob ea, quę contrahere possunt. Diadochus [p] tractans de confessione, citat præsentem locum: sed non præcisè loquitur de Sacramentali: verùm de ea quam religiosus facit Patri spirituali, cogitationes ipsas manifestando. Postremò sequitur, illatione priore posita, debere confessionem distinctè fieri de singulis peccatis, non confusè dumtaxat, generaliterque de omnibus. Elicit hoc & diligenter demonstrat citatus antea Turrianus [q]: Quàm aptè confessio sit instituta, tam multi demonstrant, vt aliò nos tendere præstet, quā in re obuia morari.

De Sacramentali confessione hunc locum qui explicant.
i 4. de Dogmatibus characteristicis.
k l. 1. de pœn. c. 3. & lib. 1. c. 4.
l Ioan. 20. 23.

m Matt. 18. 18.

n lib. 1. de Amiss. gratiæ & statu peccati. cap. 8.

o Iac. 3. 17.

p lib. de perf. Spir. c. vlt.

q 4. pro epist. Pontif. c. 17.

Fidelis est, & iustus.] *In epistola sua Ioānes,* inquit Cyprianus [r], *vtrumque complexus est, quòd & rogare pro peccatis debeamus, & impetremus indulgētiam, cùm rogamus. Ideo & fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suæ reseruantem. Quia qui orare nos pro debitis, & peccatis monuit, paternam misericordiam promisit, & veniam secuturam.* Hæc Beda transcripsit. Promissio continetur tum apud Matthæum, ac Ioannem citatos superiùs, tum apud Ezechielem [s], vbi illud: *viuo ego*, denotat iuramēto firmatam promissionem: & aliud *Nunquid via mea non sunt aqua*, &c. indicat Deum esse iustum, qui nec quemquam immeritum puniat, & pœnitentem recipiat. Suarez [t] putat, si sumatur primum epithetum *fidelis* in proprietate, de mortalibus peccatis intelligi: secundum *iustus* de venialibus, quorum, qui est in gratia, potest de condigno remissionem mereri, vt Augustinus etiam sētit [u]. Quamquam huiusmodi promissio, qua pollicetur Deus veniam pœnitenti, qui scilicet versatur in peccatis mortalibus, non per se fundatur in dignitate operis, vel meriti de cōgruo, licet habeat nonnullam dignitatem, quia est donum gratiæ: nec propriè continet pactum de mercede reddēda, sed, vt benè notat Cardinalis Bellarminus [x] (docens idem de merito remissionis venialium, & de nomine iusti, quod hic habeat dictam vim) assertionem rei certò futuræ, vt reddatur peccator securus de venia obtinenda, si egerit pœnitētiam. Vnde vocatur sæpe vita æterna *merces, brauium, stipendium, denarius diurnus, corona iustitiæ*: iustificatio solùm dicitur gratia, & misericordia, &c.

Ioannes docens & rogare pro peccatis & veniam promisit.
r de ora. Dom.

s c. 18. 32. c. 33. 11.

t com. 4. in 3. p. disp. 11. sect. 1. concl. 3.
Fidelis & iustus cur hic Deus dicatur.
u de corrept. & gratia, cap. 13.

x 1. de iustific. c. 21.

Hæc equidem probo, sed etiam existimo dici fidelem ac iustū Deum indefinitè, ratione vtriusque generis peccatorum grauium, & leuium; vt omnium promiserit remissionem, salua tamē iustitia. Iustitiam possumus intelligere vel ex parte Dei, quia remittit peccata per sanguinē Filij sui (pretium iustissimū) vt Caietanus notat; & quoniam, vt ait Lyranus, atque Carthusianus, omne promissum est aliquo modo debitum, idque reddere idcirco est iustum: vel ex parte hominis, à quo, vt ei remittantur peccata, Deus exigit eorum confessionem cum reliquis dispositionibus: & quia dimissa peccati, præsertim grauis per misericordiam macula, potest quis pœnę mereri remissionem, vt docet Hugo, ex iustitia. Alij [y] aiunt iustum dici Deum, vt iustificare potest, vel poni pro misericordi: hoc est, pro æquo, leni, blando, iucundo, facili, grato. Respexit forsitan Ioannes Græcè scribens, ad ישר *iaschar*, Hebræum, cuius sunt omnes eæ significationes, sicut & apud Hebræos alias docui misericordiam sumi pro iustitia, vicéque versa. Denique vocari posset iustitia

Auctoris cur Deus dicatur fidelis, & iustus sententia.

y Sā hoc loco.

C 2 decentiæ,

decentiæ, eo quòd bonitatem Dei deceat. *Iuſtum eſt*, ait Anſelmus [a] *ô Deus vt parcas malis: ſed & iuſtum eſt, vt malos punias*, &c. Cùm punis malos iuſtum eſt, quia illorum meritis conuenit: cum verò parcis malis, iuſtum eſt, non quia illorum meritis, ſed quia bonitati tuæ condecens eſt.

Et emundet nos ab omni iniquitate.] ἀπὸ πάσης ἀδικίας. Exponit hoc Turrianus [b] de grauiore peccato, quod importat iniuriā charitati contrariam, ac innui obligationem confitendi omne tale peccatum, verſu autem ſeptimo per emundationem ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, de quolibet etiam leui, quod confiteri non tenemur, deletur autem per Baptiſmum, cum aliis maioribus, de quo Baptiſmo ibi ſit ſermo. Non egemus hac diſtinctione: vt ſatis docent, quæ hactenus dicta ſunt. Sed & ſynonyma ſæpe ſunt ἁμαρτία, καὶ ἀδικία. peccatum, & iniquitas: & Hugo iniquitatem accipit aut pro veniali culpa, aut pro peccati pœna, à qua pœna penitus liberandi ſumus, quemadmodum à peccati cauſa, id eſt, à fomite, &c. Si de mortalibus agatur, conſtat omnia ſimul remitti, quocumque tandem remittantur modo. nam

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit:
Aut nihil, aut totum te lacrymante dabit.

Sed vt dicebam, peccatum, & iniquitas idem valent. Immo noſter Ioannes in capite tertio [c] nullum ponit diſcrimen, vt notauit quoque Gregorius [d], cùm dicit: *Iniquitas peccatum eſt, vbi tamen eſt* ἀνομία, id eſt, *prauaricatio legis.* Et licet idem Gregorius velit plus iniquitatem, quàm peccatum ſonare, quia quiuis facilè ſe peccatorem fateatur, iniquum non ita. Nihilominus oppoſitum tradit ob oppoſitam rationem Ambroſius [e], (quamuis Commentario quem ipſi tribuunt in epiſtolam ad Romanos [f], diſcernat ſignificationes iſtarum vocum) & alij. Poſtremò ex emundationis nomine infertur non fieri remiſſionem peccatorum per ſolam non imputationem, vel eandem, atque iuſtificationem per ſolam imputationem iuſtitię. Sic remittit Deus peccata, vt ab iis emundet; ſic iuſtificat, vt loco ſordium, macularum, turpitudinum quas anima contraxerat ex peccatis, reddatur munda, formoſa, pulchra per donum gratiæ ſeu iuſtitiæ informantis, inhęrentis, permanentis.

Verſ.10.] Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis.

REPETITIO quædam eſt ſententiæ verſu octauo comprehenſæ: niſi quòd præſens mutatum tempus eſt in præteritum, & adeo pernicioſi erroris velut appoſita pœna noua, quòd qui eū habeant, Deum faciant mendacem. Solet Ioannes in omnibus ſcriptis ſuis repetitionibus delectari, vt qui res maximè ſerias ſeriò tractet, ac ſuauiore quodam animi ſenſu, affectúque vnus ex Euangeliſtis aſſeuerantem vocem *âmen* geminare ſolet, quia quæ ab ipſo traduntur, vt pote de Chriſti diuinitate, vt notat B. Antonius [g], aliíque, quos alio loco citabo, requirunt magnam aſſeuerationem. Cui rationi adde, quam modò dixi: non cenſeo de venialibus dumtaxat peccatis eſſe ſermonem, ſed indefinitè, vt antè dixi, ne originali quidem excepto, ratione quoque cuius dici poſſumus peccauiſſe. Sic Paulus [h] loquitur: *In quo omnes peccauerunt*, id eſt, in Adam [i], quamuis quod in ipſo fuit propriè peccatum actuale, ſiue perſonale, ac habituale, ex actuali relictum immediatè, in omnibus originale ſit, & naturæ peccatum habituale, proueniens ex peccato illius tāquam capitis. Peccauimus omnes in Adam, quatenus eramus in ipſo virtute, ac poteſtate generationis, non per phyſicam, realem & actualem voluntatum noſtrarum coexiſtentiam cum eiuſdem voluntate, vt Auctor quidam recentior, cuius nomini parcendum, conſiuxit. Hoc peccatum in primo parente tunc à nobis dicto modo commiſſum, cauſa eſt, *vt naſcamur iræ filij* [k], auerſi à Deo, & peccatores. Sic & nata, & concepta eſſet B. Virgo, quæ peccauit in eodem parente, atque peccatum contraxiſſet, niſi adiuta, & præuenta fuiſſet à Deo mane diluculo [l], non antè concepta, quàm ſanctificata. Si diceret ipſa, non peccaui, aut nos de illa, non peccauit, mendacem faceremus Deum, &c. Sed aſſerens in ea peccatum non fuiſſe, non eſt falſum, ſed maximè probabile & pium, & Eccleſiæ nunc ſenſui magis congruum. Nam non adeo probabile præuiſam eſſe Matrem Chriſti ante peccatum Adæ.

Si quis mortalia actualia peccata conſideret. de nonnullis affirmari poteſt non peccaſſe, & poſſent ipſi quoq; de ſe affirmare: vtrique vel probabili quodam iudicio, vel per reuelationē ſi qua ſuper ea re fiat [m], & Iob, & Paulus [n] aſſerebāt ſe ſibi conſcios non eſſe: poteſt etiam obiectum crimen diluere, præſertim vt dāno ac famæ cōſular.

De venialibus longè difficilior aſſertio, nec probabilis, cùm vna ſoleat eximi Deipara. Itaque locus, vt dixi, intelligendus tum de leuibus peccatis. tum de originali: de mortalibus, propterea quòd obnoxij ſumus ad ea in cauſa, hoc eſt, in fomite. qui remanēt; atque peccauiſſem omnes per proprios actus mortaliter, niſi diuina gratia ipſis auxilio fuiſſet.

Eſt quidem verum, quòd qui poſt baptiſmum aliquantulo tempore viuit homo ratione vtens, peccat actualiter aliquo modo ſaltem leuiter: item quòd admodum breui tempore poſſet forſitan dicere ſe non peccauiſſe: præterea quòd de tempore ante Baptiſmum non poteſt affirmare ſe non peccauiſſe: denique quòd ratione peccati originalis nullus eſt, qui non debeāt fateri ſe peccauiſſe, id eſt, ſe vel non id contraxiſſe, vel quamuis non contraxerit ex priuilegio, quod vni duntaxat Deiparæ conceſſum dixi, debuerit contrahere. At videtur Ioanni ſermo eſſe per ſe de vrenibus ratione, déque peccatis actualibus; quorum ſi quis aſſereret ſe non peccauiſſe actualiter, conſequenter iuxta doctrinam Auguſtini [o], affirmaret ſe originale peccatum nō habuiſſe: quod eſt falſum de omnibus, excepta Deipara, quæ quia verè potuit dicere, ſe nunquam actualiter peccauiſſe, vt Concilium Tridentinum [p] aſſerit tenere Eccleſiam reipſa nunquam peccauiſſe; ſequitur ſecundum mentem eiuſdem Auguſtini, nec originale peccatum contraxiſſe.

Non peccauimus.] οὐχ ἡμαρτήκαμεν. Cur præterito vtatur Ioannes, dictum eſt. Caietanus putat indicari cauſam, cur, quod octauus continet verſus mentiantur, dicentes ſe peccatum non habere, videlicet quia mentiuntur dicentes ſe non peccauiſſe. Nihil obſtaret ſi prętęritum loco præſentis vſurpatum diceremus. Non eſt id nouum, vel inuſitatum. Syrus quoque interpres reddit דלא חטין *dela chattain, quod non peccatores*, nempe ſimus, & vt vertit Latinus interpres Syri: *Quod ſi dixerimus nos non peccare.* Notauit Ambroſius [q] conſuetudinem

Marginal notes (left): *...ſtitia qua ... eminat in Deo ...* — a ... proſol. cap. 9. ... 10. — b ... 4. pro epiſt. Pontif. c. 27. — *...iniquitas & peccatum idem valent.* — c ... verſ. 4. — d ... 11. Moral. ca. ... 18. aut 22. — e lib. de Apologia Dauid. — f in cap. 4. — *Ioannes vel ſolus crebra ſuorum verborum repetitione.* — g 4. p. hiſtoria. tit. 5. c. 3. §. 8. — h Rom. 5. 12. i Aug. 4. contr. duas epiſt. Pelag. c. 4. Chryſ. homil. 10. in ep. ad Ro. & alij.

Marginal notes (right): *Omnes in Adā peccauimus: & quomodo.* — k Epheſ. 2. 3. — *B. Virgo peccauit in Adam, ſed nō contraxit peccatum.* — l Pſal. 45. 6. — m cap. 27. 6. — n 1. Cor. 4. 4. — o 5. cōt. Iulian. c. 15. — p ſeſſ. 6. can. 23. — q 1. de Abrahā cap 8.

tudinem Scripturæ, vt præterita plerunque ponat pro futuris, vel præsentibus exemplis confirmat. Sufficiant hæc pauca [a]: *Super cathedram Moysi sederunt*, id est, sedent: vigebat enim adhuc lex [b]: *Medius vestrum stetit*, id est, stat, quo etiam modo legit Cyprianus [c]: *exultauit* [d] *Spiritus meus*, id est, exultat, sicut & [e], *magnificat anima mea Dominum* [f], *remittuntur tibi peccata tua*, Græcè est in præterito, ἀφέωνται [g]: *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructũ plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli: ἐν τούτῳ ἐδοξάσθη*, id est, *in hac re clarificatur*, aut etiam *clarificabitur*. Dixit Hebræus populus aliquando, *non peccaui, absque peccato, & innocens sum*, vt conquerietur apud Ieremiam Deus [h]. Iob contra, *etiamsi nonnunquam dixerit* [i], *non peccaui*, prout nempe sui putabant illum inimici pœnas luere pro peccatis: tamen dixit quoque [k]: *si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.* Præterea [l], Deo ipsi dixit, *peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum?*

Mendacem facimus eum.] Re quidem ipsa, quoniam Filium Deus misit propter peccata nostra: sed verbo quoque Scripturis multis comprehenso, & de originali peccato, & de aliis. Gelasius Papa [m] intelligit mendacem fieri Christum, qui docuerit [n], orare quotidie pro debitorum remissione, liberatione à tentatione, & à malo. Non congeram plura, præsertim de originali. Theologi, quique disputant aduersus hæreticos, id accuratè faciunt. Patentissimam portam, qua peccatũ illud intrauerit, Augustinus ait designari verbis epistolæ ad Romanos [o]: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertrãsiit, in quo omnes peccauerunt*, videlicet, non per solam imitationem: non enim omnes imitantur peccatum Adę: *Sed quia nascimur omnes filij iræ* [p], & ratione imitationis Diabolus potiùs, qui ab initio homicida fuit, peccá que [q], & quem imitantur qui sunt *ex parte ipsius* [r], nominari debuisset. In vetere Testamento præter Psalmum quinquagesimum [s]: *ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum*, ex Iob citari [t] maximè solet: *quid est homo vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere?* vbi legunt LXX. *quis enim homo cùm sit, quia erit sine crimine, aut tamquam futurus iustus natus de muliere?* Sed luculentior alius [u] secundum versionem eorundem interpretum: Τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου, οὐδ' εἷς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς; Quod Patres sic Latinè citant absque interrogatione: *Nemo mũdus à sorde, neque infans, cuius est vnius diei vita super terrã.* Congruit Hebræus textus: מי יתן טהור מטמא לא אחד אם חרוצים ימיו *mi ithen tahor mittame lo echad im charutsim iamau. Quis dabit mundum ab immundo? non vnus* (videlicet est mundus) *etiamsi breuiati, seu breues dies eius.* Vulgata editio cõsentit, quamuis in modum paraphrasis: *Quis potest mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? breues dies hominis sunt.* Colligitur originale peccatum iuxta versionem nostram, quia solus Deus est sine sorde per se, & peculiariter Dei Filius tum generatione æterna, tum temporali, & solus potest mundare hominẽ de immundo conceptum semine: est enim *agnus qui tollit τὴν ἁμαρτίαν mundi* [x]. Immunditiam corporalẽ homo mũdare posset, nec magnum quid esset, si corporis immunditia intelligeretur. Gregorius, Philippus presbyter, aliíque expositores Latini hoc legentes modo, explicant de Originali peccato. At LXX. paulò sunt clariùs locuti, & eorũ ad hoc propositum vtuntur versione Græci [y], Latiníque [z].

[a] Matth. 23. 2. *Præterita in Scripturis pro præsentibus vel futuris.*
[b] Ioan. 1. 26.
[c] 2. testim. c. 19.
[d] Lucæ 1. 47.
[e] ibid. 46.
[f] ca. 7. 47. 48.
[g] Ioan. 15. 8.
[h] cap. 3. 15.
[i] cap. 17. 2.
[k] cap. 31. 32.
[l] cap. 7. 20.
[m] epist. 6. *Quomodo faciãt Deum mendacẽ qui dicunt se sine peccato esse.*
[n] Mat. 6. 12. 13.
Porta patentissima per quã peccatum intrauit.
[o] cap. 5. 12.
[p] Ephes. 2. 3.
[q] Ioan. 8. 44.
[r] Sap. 2. 25.
[s] vers. 7.
[t] cap. 15. 14. *Iob de peccato originali versus insignis.*
[u] cap. 14. 4.
[x] Ioan. 1. 29.

Quocirca Lyranum probare non possum, qui proprio Commentario in Iob cùm de Originali peccato exposuisset, hîc tamen docet, eos malè dicere, qui propter dictum testimoniũ, putent mendacem facere Deum illos qui dicant se non peccauisse. Ratio ipsius est, quoniam non sunt verba Domini, sed Eliphaz, qui licet multa vera subinde dicat, falsam nititur sustinere conclusionem. Refellit Carthusianus, nomine tacito Lyranum, tum quia Patres recitata verba producunt vt authentica, & diuina; tum quia *quodlibet verũ à quocumque profertur, est à Deo* [a], *eique tribuendum*, tum quia Deus alterius amici Iob nomine Eliu verba tanquam sententiosa probat [b], ita vt quæ ab his, & alio dicta narrãtur, cùm non reprobantur, approbata censeantur.

Negari non potest, quod Augustinus [c] docet, quæcumque libro Iob continentur, vera nõ esse, sed & illud certum quod subdit, ex amicorũ Iob verbis, qui aduersus ipsum nihil verum dixerũt, posse aliquam sanam sententiam in testimonium veritatis eum assumere, qui nouit sapienter dicta discernere. Immò diuinos esse amicorum Iob sermones, nisi videlicet vbi constat de eorum absurditate, affirmant catenæ Auctor [d], Origenes [e], Anselmus [f]. Differit hac de re Pineda [g] noster: sed quod contẽdit, posteriores sacros scriptores mutuatos quasdam sententias amicorum Iob, equidem dubito. Inspirator cõmunis Deus: nec vllus nominatim significat se da illis accepisse: & alioquin, si sufficit similitudo, facilè doceam plures ex pluribus transcripsisse tam prophanos, quàm sacros Auctores. Sed hoc modò non agitur. Volui tantùm mendacij coarguere negantes præcipuè peccatum originale, simul ostendere mendacem ab ipsis Deum fieri, qui sententiam inspirauerit vni ex amicis Iob, quam hactenus tractauimus.

Barbarissimus est, quem non pudet Deum affirmare mendacem, vt Priscillianistæ [h] senserunt, & Armeni [i]. De primis testis Augustinus [k], non se aliter arbitratos veracem suam ostendere falsitatem, nisi veritatem dicerent mendacem. Ipsissima veritas Deus est [l], verax [m]: *non quasi homo vt mentiatur* [n], sed & id est impossibile [o], *& negare seipsum non potest* [p]: quia naturæ, virtuti, maiestati eius repugnãs, inquit Ambrosius [q], quia hoc non posse, est esse omnipotentem: ait Augustinus [r]. Nec mentiri magis potest Deus per alium (quod dicere Canus [s] tamen loquens etiam de lege ordinaria male non audet, vt hæreticum damnare) quàm per seipsum: vtroque enim modo, & Scripturæ, & rationes euincunt, sicut disputantes de fide docuimus de lege quoque, & potentia extraordinaria, siue absoluta, de qua secus nõ boni hac in re Theologi senserunt [t].

Nihilominus Pelagiani negantes Originale peccatum, aliíve hæretici [u] versantes in eadem hæresi, vel simili de aliis peccatis, aut qui fas dicunt quandoque nobis mentiri, dicuntur mendacem facere Deum eo sensu, quem principio dixi. Quemadmodum multi peccatores, vt ait Paulus [x], *tametsi fatentur se nosse Deum, factis negant*: & secundum quandam rationem omni mortali peccato communem potest quinia peccator infidelis censeri, non expressè, propriè, formaliter. Ne Plato [y] quidem, per quem licuit vti mendacio hominibus pro medicamẽto, cadere id in Deum posse

[y] Orig. hom. 8. in Leu. Clem. Alex. 3. Strom. c. vlt. Basil. in Psal. 32. Cyril. hom. 12. in Leuit. Olymp. in Catena Iob.
[z] Ambros. 1 in Lucam, & 1. de interpell. Iob c. 7. August. in Psal. 50. & 20. de ciuit. Dei, cap. 26. 2. cont. Iulia. c. 1. 4. Hypog. ca. 4. Leo serm. de Nat. Bern. ser. 70. in Cant.
Lyranus in interpretatione huius versus arguitur.
[a] Ambr. in ca. 12. 1. ad Cor. sub finem.
[b] cap. 38.
[c] lib. contra Prisc. & Orig. c. 19.
Quæ in Iob negari possunt.
[d] in Proch. ca. 10.
[e] citatus in Catena supra.
[f] in cap. 3. 1. ad Cor.
[g] in c. 4. Iob in annot. præuia.
[h] Aug. de hær. cap. 70. & lib. cont. Mendacium c. 1.
[i] apud Guidonem Carm.
Deus communis inspirator est.
[k] lib. 16. Mendacium c. 1.
[l] Ioan. 14. 6.
[m] Exod. 34. 6. Ioa. 3. 33. Rom. 3. 4. Psal. 85. 15. Apoc. 19. 11.
[n] Num. 23. 19. Tit. 1. 2.
[o] Heb. 6. 18.
[p] 2. Tim. 2. 13.
[q] epist. 37. ad Chromat.
Deus est ipsissima veritas, nec mentiri potest.
[r] 2. de Symbolo ad Cate. c. 2. & 22. de ciu. cap. 25.
[s] 2. de locis cap. 3.
[t] Gabr. 3. dist. 38. q. vnica Aliaco p. 9. 12. Hybernicus & Adam apud Armacan. 1. dist. 42. qu. 2. Holcot. 2. dist. 2. q. 2 art. 8.
[u] illi scilicet, de quibus Aug. cont. Mendacium, & Bern. ser. 65 & 66. in Cantica. quod tenuit etiam Cassianus col. 17. à cap. 13.
Mendacem facere Deum qui dicantur.
[x] Tit. 1. 16.
[y] 3. de Repu.

putauit: illi namque prorsus esse inutile. Suprà Ioannes scribendo, *si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, non adeò vehementer atrocitérque locutus est, sicut hìc. Sæpius enim scripturæ inculcant omnes, antequàm veniant ad Christum, impios esse, quàm quòd qui iam iusti sunt, habeant peccata, nimirum leuia. Sed & error ille, quo sine Christo putetur quis non fuisse impius, redemptionis euertit mysterium, religionémque Christianam: tolerabilis magis ille, quo aliquis existimetur posse per gratiam Christi eò peruenire, vt in hac vita sit absque omni peccato, vt Augustinus aliquando concessit se hac de re nolle contendere, maximè cùm procul dubio in futura vita beati careant omni prorsus peccato.

Et verbum eius non est in nobis.] Vel Christus, per quem remissio peccatorum, inquit Glossa interlin. & Hugo, non manet in superbis: vel verbum, quod dixit Deus [a]: *Quanto maior es, humilia te in omnibus.* Lyranus amplectitur primum sensum. Carthusianus explicat eum, qui huiusmodi sit, non intelligere Scripturam, nec sacrum sermonem in eo effectum sortiri salubrem, nec increatum Dei Verbum per charitatem, gratiámque cor ipsius inhabitare.

a Eccl. 3. 20.

Caietanus, & Catharinus interpretantur de verbo scripto, cui fidē ille non adhibet, ac proinde diuinam prorsus non habet, quia qui vnum articulum non credit, nullum credit: qui namque vnum dixit, & alium dixit. Neque potest Deus mendax esse in vno, & verax in alio, inquit Catharinus. Placet maximè hic dicendi modus, quem Clemens etiam ac Didymus indicant.

Qui vnum articulum nō credit, nullum credit.

Improbabilis planè Durandi [b] sententia, fidem Theologicam in Hæretico remanere. Supponit vt certissimam contrariam doctrinam Concilium Tridentinum [c], dum asserit per infidelitatem, qualis profectò quælibet hæresis, amitti fidem. Augustinus præterea generaliter pronunciat [d], non pertinere Hæreticum ad Ecclesiam Catholicam [e]: & qui falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad fidei pertinet ædificationem, hæreticum esse, & foris animo esse, quamuis intus esse videatur.

b 3. dist. 23. qu. 9. num. 8.

Catholicam fidē hæreticus non habet.

c sess. 6. c. 15.

d de fide & Symbolo c. 10.

e idem Aug. q. 11. in Mat.

Hæretici non pertinēt ad Ecclesiam.

Denique ratio concludit, quam attigi; neque enim formalis ratio propria diuino assensui esse potest in Hæretico, videlicet diuina reuelatio, vel potiùs auctoritas primæ veritatis, quæ reuelat, & innotescit fidelibus, ac manifestatur per Ecclesiam proponentem, quam etiam Ecclesiam persuadere sibi debent falli non posse. Porrò Gelasius Papa [f] (vt etiam priùs indicaui) validè argumentatur contra Pelagianos, nos egere gratia, & peccare posse quamuis renatos Baptismo, cùm vir tantus Ioannes talem hìc pronunciet sententiam, qua comprehendit seipsum.

f epist. 6.

CAPVT SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

Proponitur Christus pro peccatis propitiator: vera eius ac Dei notitia comprobatur, dilectióque per mandatorum obseruationem: primarij mandati de charitate vis explicatur: informatur omnis ætas, vt sese à Mundi amore abstrahat, & ab Hæreticis, firmiter fidem retinendo, ac Spiritus sancti ductum sequendo.

1 Filioli mei, hæc scribo vobis, vt nõ peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum:

2 Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

3 Et in hoc scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus.

4 Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.

5 Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est: & in hoc scimus quoniam in ipso sumus.

6 Qui dicit se in ipso manere, debet, sic ut ille ambulauit, & ipse ambulare.

7 Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod audistis ab initio.

8 Iterum mandatum nouum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis: quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet.

9 Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc.

10 Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.

11 Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.

12 Scribo vobis, filioli, quoniã remittuntur vobis peccata propter nomen eius.

13 Scribo vobis patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis adolescẽtes, quoniam vicistis malignum.

14 Scribo vobis infãtes, quoniam cognouistis patrem. Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.

15 Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo:

16 Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.

17 Et mundus transit, & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

18 Filioli, nouissima hora est: & sicut audistis quia Antichristus venit: & nũc Antichristi multi facti sunt: vnde scimus, quia nouissima hora est.

19 Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum: sed vt manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.

20 Sed vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.

21 Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi sciẽtibus eam: & quoniã omne mendaciũ ex veritate non est.

22 Quis est mendax, nisi is, qui negat quoniam Iesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.

23 Omnis, qui negat Filiũ, nec Patrẽ habet: qui confitetur Filiũ, & Patrem habet.

24 Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat: Si in vobis permanserit quod audistis ab initio, & vos in Filio, & Patre manebitis.

25 Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam.

26 Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos.

27 Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et nõ necesse habetis

vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo.

28 Et nunc filioli manete in eo: vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.

29 Si scitis quoniā iustus est, scitote quoniam & omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est.

Vers. 1.] Filioli mei, hæc scribo vobis vt non peccetis. Sed etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.

POSITVM est extremo priore capite, nos sine dubio peccauisse quandoque, & si quidem deleta sint priora peccata, aliis obnoxios esse: monet nūc ne relabamur: id si contingat, ne deiiciamur, paratum esse remedium ab aduocato Christo: fieri non posse, quin contraxerimus peccatū, futura vitari posse: quod si non consequamur, præsertim labendo in grauiora, confugiamus ad patronum. Videtur Catharino cauere Ioannem propriè, ne nouo illo peccato quis peccet, quo se neget peccauisse, saltem in primo parente tamquam superbus ac ingratus, sicque proinde diuino destitutus auxilio, ruat in alia. Prior sententia melior, quia generalior, & toti contextui aptior. Augustinus maximè dictam explicat connexionem non hic modò, sed libro quoque de sancta Virginitate [a]. *Sed rursus*, ait, *ne per occasionem huius sententiæ, (quæ præcessit priore capite) quisquam cum mortifera securitate peccaret, seque trahendum permitteret tamquam mox delendis facili confessione peccatis, continuò subiecit*: Hinc quoque colligit Hieronymus [b], Iouinianum falsò docuisse, quòd baptizatus non possit à Diabolo tentari, vel peccare: Ioannem baptizatum ad baptizatos scripsisse. Illic, id est, in priore illa sententia qua Ioannes negauit nos viuere posse sine peccato, salubriter nos admonuit nostræ fragilitatis, inquit Beda in commentario, ne quis sibi quasi innocens placeat, & se de meritis extollendo grauiùs peccat: hic autem consequenter hortatur, vt si omni culpa carere nequimus, demus tamen operam quantum valemus ne nos ipsi fragilitatem nostræ conditionis, negligenter agendo, augeamus: sed contra omnia vitia strenuè vigilanterque dimicemus; maximè contra maiora & aperiora, quæ, Domino iuuante, faciliùs superare, vel cauere possumus. Ab illo propterea petimus, vt dignetur die isto sine peccato nos custodire: & vt sua nos hodie saluet virtute, vt in hac die ad nullum inclinemus peccatum.

Filioli.] Τεκνία. Diminutiua nomina teneri ac blandientis sunt amoris signa, (licet interdum quoque contemptus) tum propria, tum appellatiua. Ioannes charitate feruens, vnus maximè hac vtitur voce, minimum, octies ista epistola. Refert et ēa vsum Christum [c], (adde, quod interpres dicit pueri [d], Græcè esse παιδία) nec non & Marcus, quamuis Græcè sit absque diminutione τέκνα [e]: ille cùm discessurus esset ex hac vita, & mandatum nouum traderet dilectionis: hic quando Discipuli obstupuerunt super Christi sententia, qua singulos circumspiciens, cum admiratione, ac epiphonemate pronunciauerit esse difficile, vt habentes pecunias, quod postea de confidentibus in eis est interpretatus, in regnum Dei introirent. Simili de causa puto pusillum gregem appellatum apud Lucam [f]; egerat enim Christus de abiicienda rerum temporalium cura, quæ res vt incutiebat eis timorem, ita conciliabat apud ipsum beneuolentiam. Naturalis insitus est amor, atque sympathia erga res paruas, quæ quia nondum perfectæ, alienæ opis videntur indigere. Paulus visceribus abundans maternis, Galatas filiolos vocat [g], quos antea satis acriter acceperat [h], simul testatus eo illos in ipsum amore fuisse, vt oculos ipsos suos eius causa eruere parati essent. Huc facit trita illa Ioannis historia & adolescentis, de qua Eusebius [i], Antiochus Lauræ [k], & alij quos citat noster Serarius [l].

Apud Hebræos negant aliqui, vsum esse nominum diminutiuorum: alij [m] asserunt: verbi gratia: שבתח אישון אביון אלילים *sabbaton*, *iscion*, *enion*, *elilim* [n] & ex propriis אמינון *Aminon* [o], quasi Amnonulus, quem frater Absalom, sic appellauerit per contemptum post constupratam sororem Thamar [p]. Si verior prior opinio, ita vt idē duplici nomine vocatus sit Amnon, & Aminon, sicut Salmah & Salmon, Absai, & Abisai, Abner, & Abiner, dicendum erit, Euangelistas affectum illum paternum Christi, quem cognouerunt, aliunde nominibus diminutiuis exprimere voluisse.

Idem iudicium facere possumus de nomine τῶν παιδίων, quo piscantes Discipulos à Christo vocatos Ioannes [q] narrat. Quamquam quia specie mercari pisces volentis apparebat, potuit sic esse locutus, vt vir grauis solet, superior inferiores, senex iuniores, dux milites, dominus famulos, magister discipulos domesticè, familiariterque filiorum vocabulo, vel etiam infantum (hoc modo Galli) nuncupare. Reddit huiusmodi causam Clemens Alexandrinus [r]: Vnus quidem Pater noster in cœlis Deus [s]; non solum naturæ nostræ, verùm etiam supernaturalium donorum, & sæculi futuri [t], hoc est, æternæ vitæ, denique Pater spirituum [u], & luminum [x], à quo omnis paternitas [y]: sed vicarios habet hìc patres, qui nos in Deo, Christóque gignunt [z], & matres, quæ nos parturiunt [a], verbo veritatis tamquam patres nos generant [b], & renasci faciunt non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum [c], hoc est per prædicationem verbi, & ceu matres nobis materiam subministrant in Sacramentis.

Christus voluntatem Patris sui facientem, dixit habere se loco matris [d], fratris, sororis, quia ex iis quidam alios ad Christum conuertunt, nōnulli sola contenti sunt adoptione filiali, vt Gregorius [e] notat: licet & hi dici matres possint, quatenus per fidem viuam Christus nascitur in eis natiuitate spirituali, vt Augustino placet [f].

De patre non meminit, non quia virtus præcipua, per quam in cordibus fideliū nascitur Christus, sit ab ipso solo Deo, non ab aliis, quamuis hoc verè dicatur, alioqui tollenda penitus esset patrum spiritualium appellatio: sed quoniam tūc solam Christo mentionem fecerant de matre, &

Omnino prioris capitis cum hoc sequente.

a cap. 48.

b 2. contra Iouin. in principio.

Baptizatus etiā peccare potest, & à Diabolo tentari.

c Euang. cap. 13.

d Ioan. 21.5.

e Marc. 10. 24.

Christus quando Apostolos filiolos dixit.

f cap. 12. 32.

g Gal. 4. 19.

Paulus cur Galatas filiolos vocauerit.

h Gal. 3. 1.

i 3. hist. c. 17.

k hom. de Episcopatu.

l lib. de Apostolis.

m Gal. 4. 15.

n Rab. Abraham, Abenezra citatus in Thesau. ling. sanctæ in rad. אבה in nomine אביון Ludouicus Lusita. a. Globi ling. san. c. 2. c. Samorensis 2. Instit. cap 5.

Diminutiua nomina sunt apud Hebræos.

o Bellarmin. in Gram. Hebrea Par. 2. c. 2. Pagnin. 2 institut. cap. 8.

p 2. Reg. 13.

q Ioan. vlt. 5.

Pater noster vnus Deus est.

r Pædag. c. 5.

s Matth. 6. 9. cap. 23.

t Is. 9. 6.

u Heb. 12. 9.

x Ia 0. 1. 18.

y Ephes. 3. 15.

z 1 Cor. 4. 15.

a Gal. 4. 19.

b Iaco. 1. 18.

c 1. Pet. 1 23.

d Matt. 12. 50. Luc. 8. 21.

e hom. 3. in Euang.

f lib. de san. Virg. c. 5.

Cur Christus Patris loco se habiturum dixerit.

fratri

fratribus(sub his comprehendendo sorores:) & præterea patrem carnalem nullum habebat verum.

Alioqui Ricardus[a] S. Victoris docet eum, qui veritatem intelligit, vel alium intelligere facit, gignere Christum: cui veritas sibi à se, vel ab alio persuadetur, veraciter concipere Christum: atque ita quando gignit, patrem Christi esse; quando concipit, matrem.

Hæc scribo.] Tertullianus[b] legit: *Hæc scripsi.* Vtitur quoque verbo delinquendi, nec non & Cyprianus[c]. Augustinus[d] præterea citat *scripsi.* fortasse censuerunt, quod antè generaliter monui, positum præsens pro præterito.

Vt non peccatis.] Meminerat priùs de societate malorum, indicaueratque peccandi consuetudinem: & egerat de veniæ facilitate. Hæc peccandi facilitatem & incentiuum præbent. Sed & ætate Apostolorum dictitabant Gentiles, tradi à Christianis doctrinam de remissione peccatorum, quò liberiùs homines peccarêt. Innuunt id verba Petri[e]; *quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem.* Hoc hîc quoque monet Augustinus, ita loqui Ioannem, ne impunitatem videretur dedisse peccatis. Occurrit & Paulus[f] errori simili dicentium, vel apud se cogitantium, Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia Dei abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Scripserat paulò antè[g]; vbi abundauit delictum, superabundauisse gratiam &c.

Aduocatum habemus.] Euthymius[h] ex Nazianzeno[i] docet Christum esse nunc apud Patrem aduocatum, non quòd seruorum more prostratus genibus eius obuoluatur; quia nec Patris est hoc postulare, nec Filium, si vt Deus est consideretur, id agere æquum est; sed quia nos, pro quibus passus est, vt homo, cohortatur tamquam Verbum & monitor, vt nos strenuè geramus: hoc enim vocem παρακλήτου videri significare. Nec negant tamen Patres hi, eum orandi modum ac interpellandi pro nobis apud Patrem, de quo diximus.

Aduocatum.] Παράκλητον, quam dictionem Syrus retinuit. פרקליטא *paraclita.* Interpres quoties tribuitur Spiritui sancto, eâdem Latinè reliquit, & passim qui Paracletum audit, Spiritum sanctum intelligit; quamuis ex obliquo Christum nominauerit Paracletũ ibi[k]: *& alium Paracletum dabit vobis,* nempe distinctum à me, qui sum quoque hominum consolator, vel exhortator, vt notant eum tractantes locum Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, Theodorus Heracleensis, Theophylactus, Euthymius, Augustinus.

Constat præterea non semel de Deo Patre affirmari, cùm hortari[l], & consolari[m] nos dicitur, & auctor est Hieronymus[n], & Athanasius[o]. Basilius[p] vocem Paracleti ait communem esse toti Trinitati. Sed vt significat aduocatum, patronum causarum, siue defensorem, soli Christo conuenit ratione humanæ naturæ. nam Deus iudex supremus est, apud quem causa nostra oratur; ipse apud nullum orat, aut patrocinatur. Quòd si Spiritus sanctus *dicitur postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*[q], sensus est quia in nobis vt in instrumentis: & facit vt postulemus communicando, ac effundendo spiritum precum[r], gratiam, charitatem. Probabiliora sunt hæc, quàm vel de ministro Ecclesiæ, vel de Angelo custode. Abusi sunt Macedoniani eo loco contra Deitatem Spiritus sancti, contra quos Leo[s]. Retinet vocẽ Paracleti Syra editio, & Rabbini[t].

[a] p. 2. in Ps. 28. [b] lib. de Pudicitia, ca. 19. [c] lib. 4. ep. 2. vel epist. 52. [d] lib. de Sa. Virginit. c. 49. [e] 1. Pet. 2. 16. [f] Rom. 6. 1. [g] c. 5. 20. [h] Panop. p. c. p. 146. [i] orat. 3. de Filio. [k] Ioan. 14. 16. [l] 2. Thess. 2. [m] 2. Cor. 1. 6. [n] ep. ad Hedib. q. 9. [o] de Cõmuni essen. Patris, &c. [p] de Spiritu Sancto c. 19. [q] Rom. 8. 26. [r] Zach. 12. 10.

Id obiter monendum cum Francisco Philelpho[u], & Iodoco Clichtoueo[x]: cauendum ne dum communi siue errori, siue consuetudini seruitur, Latinè dicendo *Paraclitus*, non *Paracletus*, litteram exprimamus. etenim παράκλυτος, à παρὰ, quod valet *præter*, & diminutionem importat, & à κλυτὸς, vnde inclytus, hoc est, magni nominis & famæ, absurdè, ac impiè de Deo diceretur. Aliàs de hoc eodem nomine disputaui, & cur soleamus Latinè dicere paraclitum cum accentu Græco in antepenultima. Egi quoque de verbo παρακαλῶ simul cum ἐρωτῶ iuxta peculiarem vsum quem habent in Nouo Testamento inferiùs capite quinto[y].

Latinè distinguunt Aduocatum à Patrono, vt hic dicendo, reum defendat: ille quamuis non oret, ius suggerat, vel præsentiam commodet. Christus nunc *apparet vultui Dei pro nobis*[z], semper *viuens ad interpellandum*[a], immò interpellans[b], exhibens vulnera, & merita omnia, & sermone etiam ipso interpellat pro nobis[c], vt audiant, & intelligant etiam cœlites ipsum *exaudiri pro sua reuerentia*[d]. Ipsemet promisit abiens se rogaturum Patrem[e]. Quod si etiam dixit: *Et non dico vobis, quia rogabo Patrem*[f], significare voluit, licet id sit facturus, tamen Patris *amorem erga illos* pluris æstimandum: *Ipse enim Pater*, inquit, *amat vos*[g]. Non verendum ne non obtineat, ne nos tali aduocato, & patrono cadamus causa. Si enim aliquando in hac vita *committit se homo diserta linguæ*, ait hoc loco Augustinus, *& non perit: committis te Verbo, & periturus es? Clama: Aduocatum habemus apud Patrem.* Hic nouit momenta causæ nostræ: rationes optimè tenet, quibus persuadeat: ipsiusmet interest, quia os, & caro nostra est, vt vincamus: valet gratia apud Iudicem: *in labiis eius diffusa est gratia*[h]: æstimat quanti plus sit apud Patrem sanguis, quem pro nobis dedit, quàm peccata nostra: *nouit figmentum nostrum*[i]: scit infinitam misericordiam Dei, qui simul læsus, simul est iudex: Summi huius oratoris in quolibet oratore laudatissima pars actionis est manuum, & pedum confixorum, laterisque effossi manifestatio: denique suamet tamquam Pontificis magni oblatio, quæ simul est, vt Ambrosius[k] loquitur, aduocatio. eundem lege Ambrosium[l] declarantem, quàm varias idem Christus pro nobis personas induerit, multorum affectus, & officia susceperit, vt doceret quomodo nos in his conuersari oporteret officiis.

Discat hinc igitur aduocatus.

Cùm autem idem Doctor[m] aduocatum vocat Christum Christianis, Iudicem Iudæis, loquens de ipsius ascẽsione, significare voluit, quos Filius Patris tum commendare maximè videretur, quos vt obstinatos potissimum condemnare: sicut & cùm ait, quòd Iudæ proditoris, qui pridem obierat, damnat admissum, id est, peccatum. Alioquin dubitari nequit, Christum in cœlo pro Iudæis quoque deprecari, quod fecerat priùs in cruce[n]: & paulò pôst hic dicitur *propitiatio totius mundi.* Secundum quod Christus Deus est, Chrysostomus[o] videtur omnino intelligendus cum negat nunc orare.

Si quæras liceátne aduocatum hunc, & deprecatorem nostrum (quæ duo Cyprianus[p] coniungit) deprecari vt pro nobis deprecetur, qui negat illum nunc externa oratione deprecari, Rupertus

[s] Serm. 1. de Penteco. [t] in Eliezer in c. 4. Pirke, & alij, vt est in Bahal haruch. fol. 127. [u] in epistol. [x] in Not. ad Damasc. lib. 1. c. 10. [y] vers. 16. *Paracletus etiã Christus dictus est.* [z] Heb. 9. 24. [a] Heb. 7. 25. [b] Rom. 8. 34. *S. Trinitati cõmunis est vox Paracleti.* [c] S. Thomas in ep. ad Ro. & lect. 4. in ca. 7. ep. ad Hebræos. Bona. Tom. 1. opusc. in 39. ca. 98 & alij, immò Aug. ep. 59. ad 5. q. tamen cum Valentia. To. 4. in q. 21. p. 1. Azor 9 insl. Moral. c. 29. q. 7. & 2. Suar. 3. Par. Tom. 1 Disp. 41. Sect. 3. Tol. Io. 16. Annot. 35. & in c. 8. ep. ad Rom. Annot. 35. Ribera in ca. 7. ep. ad Heb num. 78. Aug. de Pastil. & in Symbolo. c. 32. Catharinus hoc loco, & alij citati à Suarez, & Ribera. Cuius contrarium sententia videntur de Oratione expressa Rupertus 5. de offic. c. 3. Alensis 4. Par. 86. membr. 3. a. 4. q. 9. membr. 1. & alij apud Henriq. lib. 9 de Missæ Sacrif. c. 13. n. 4. in Gl. lit. r. *Paracletus & aduocatus differunt.* Sed possunt exponi non orare abiecto corporis gestu, & nouo merito, vt etiam inquirit Naz. Orat. 4. Theol. [d] Hebr. 5. 7. [e] Ioan. 14. 16. [f] Ioan. 16. 26. [g] ibidem 27. *Aduocatus Christo pro nobis perorante possumus.* [h] Psal. 44. 3. [i] Psal. 102. 14. [k] in Psal. 40. [l] In Psal. 118. octon. 20. [m] in Psal. 109. edit. Rom. *Christus quomodo sit aduocatus Christianis, Iudex Iudæis.* [n] Lucæ 23. 34. [o] ho. 15. in ep. ad Rom. [p] a ist. 8 vel lib. 4. ep. 4. *Christus an rogandus sit vt pro nobis roget.*

l. lib. de offi. cap. 3.

tus [a] inter alios arbitratur, non esse Catholicum, qui id faciat; sed videri malè sentire de Christi diuinitate, & maiestate. Potest id nihilominus orthodoxè fieri ab eo, qui scienter distinguat in Christo à Diuinitate Humanitatem, secundum quam est aduocatus & orat. Non expedit vt ita fiat, publicè præsertim, quoniam Ecclesia hunc vitat prorsus orandi modum, numquam Christo dicens, *Ora pro nobis*, sed, *Miserere nobis, audi nos, exaudi nos*, & similia. Hac ratione, vt monet B. Thomas [b], longiùs recedimus ab erroribus Nestorij, & Arij, qui Christi personam (ad quam dirigi solet in primis Oratio.) existimabant esse creatam, atque diuina inferiorem; & Ecclesia Christi redemptorem suum quanto maximo potest honore prosequitur, tribuitque quod præstabilius est.

Non licet orare Christum, vt oret pro nobis.

b in Addit. 3. Par. q. 30. art. 2. ad 3. ex 4. Dist. 15 q. 4. a. 6. ad 1.

Neque verò morari nos debent hæretici, propterea patrocinium Sanctorum negantes, quia patronus & aduocatus Christus sit, &, quod statim subiicitur, *propitiatio pro peccatis nostris*. Impartitur & huic amicis honorem suis Christus tum hanc, tum feliciorem illam viuentibus vitam, vt ipsius adiutores, ministri, cooperatores, coaduocati sint: quemadmodum, licèt saluare per seipsum possit, media Sacramentorũ instituit, & non aliis causa salutis æternæ reipsa voluit esse, *quàm obtemperantibus sibi* [c]; *& Deus erat in Christo Mundũ reconcilians sibi* [d]. Sed exhortatur etiam per homines *legatione pro ipso fungentes*, vt reconcilientur ipsi [e], *lauit nos Christus in sanguine suo* [f]: sed lauant quoque stolas suas alij, & dealbant in sanguine eiusdem [g], omnésque, vt lauentur, seu vt lauent se ipsos mundique sint, Esaias [h] hortatur: & Paulus, *vt emundemus nos ab omni inquinamento carnis* [i], *& spiritus*, perficientes sanctificationẽ in timore Dei: denique Christus omnibus est sufficiens aduocatus, & propitiator: sed non omnibus applicatur fructus beneficij tanti, vt Prosper [k] notat, qui meminit huius loci nominatim, quia non omnes id acceptãt, non omnes recipiunt efficacem gratiam.

Orare etiã Sanctos licet vt Christi coaduocatos.

c Heb. 5. 9.
d 2. Cor. 5. 20.
e ibidem.
f Apoc. 1. 5.
g Isaia 7. 14.
h cap. 1. 16.
i 2. Cor. 7. 1.
k 2 de Vocat. Gent. c. 2.

Occurrit Augustinus iam pridem Hæreticorum errori: ergo sancti non petunt: obiicit hoc loco sibi, pro nobis? Ergo Episcopi, vel Præpositi non petunt pro populo? Sed attendite scripturas, & videte, quia & Præpositi commendant se populo. *Nam Apostolus dicit plebi* [l] *orantes simul & pro nobis. Orat Apostolus, orat plebs pro Apostolo: oramus pro vobis fratres, sed & vos orate pro nobis. Inuicem pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet.* Hoc modo ille.

Episcopi & Præpositi pro nobis orant.

l Coloss. 4. 3.

Mediator vnus Dei, & hominum Christus [m], quatenus solus seipsum dedit *ἀντίλυτρον, pretium, ac redemptionem*, & reconciliauit homines Deo, & naturaliter, ac substantialiter & Deus, & homo in vna hypostasi est, ait Cyrillus Alexandrinus [n], qui addit: *Nam aliter quomodo vnum mediatorem Christum Paulus dixisset?* Multi enim sanctorum mediationis ministerio vsi sunt, & ipse Paulus clamat: *Rogamus pro Christo, reconciliamini Deo* [o]. Affert quoque Mosis exemplum [p], Ieremiæ [q], Prophetarum singulorum, &c. Ecclesia B. Virginem aduocatam nominat [r] post Irenæum [s], & Augustinum [t], quem citat Ioannes Fernandez [u]. Centuriatores verò illud ab Irenæo incommodè dictum scripserunt [x], & Gallasius Scoliastes hæreticus impudenter vociferatur, magnam inde Christo iniuriam inferri, séque testatur stupidus homo stupuisse, ac mente ferè alienatum esse dum admiraretur tantam Satanæ efficaciam, serpentísque paulatim subrepentis calliditatem.

m 1. Tim. 2. 5.
n 11. Thesau. cap. 10.
o 2. Cor. 5. 20.
p Exod. 20.
q cap. 18.
B. Virgo aduocata ab Irenæo dicta.
r in Antiph. Salue Regina.
s lib. 5. c. 19.
t lib. cur Deus homo ca. vlt.
u in Thesau. verbo Aduocatus.
x Refert Fenar. in Irenæum.

Apud Patrem.] Sine dubio apud Personas tres diuinas, apud Deum (Pater quandoque sumitur substantialiter) qui & læsus, & Iudex est. Sed Patris personæ attribui solet gubernatio, prouidentia, prædestinatio, pœnæ præmiique assignatio, causarum discussio, atque iudicium. *Non* [y] *est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, ait Christus; &, *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* [z]. Ad eum locum nos plura hac de re diximus.

Christus est aduocatus apud tres personas diuinas.

y Mat. 20. 23.
z Act. 1. 7.

Nõ est quod prouocetur ex cognitione, & sententia Patris more nostro loquendo, quia est prima persona, licet omnino par, eadémque prorsus sit auctoritas, atque potestas trium Personarum. Vox quoque dulcissima Patris veniæ facilitatem indicat, quam & aduocatus natura Filius impetret pro nobis, & nos vocati ad adoptionem, per intercessionem ipsius impetremus.

Pro [a] *maximo delicto, paululum supplicij satis est patri.* Christus, etiam quà homo, peccata remittere potest [b]: Sed principalis causa est solus Deus. Cæterum cùm dicitur Christus aduocatos, Græcè *παράκλητος* apud Patrem, non satis commodam videri puto Nazianzeni [c] expositionem de sola exhortatione ad tolerantiam ex his quę passus est: nam sic non apud Patrem, sed apud nos est paracletus.

a Terentius in Andria.
b Matth. 9. 6.
c or. 4. de theolo.

Iesum Christum iustum.] Gelasius Papa [d] citans hunc locum contra Pelagianos volentes hominem viuere posse sine peccato vllo, non exprimit Iesum Christum, viderísque potest epithetum Iusti tribuere Patri. Commoda tamen interpunctio facilè referri faciet ad aduocatum, qui sine dubio non alius est, quàm Christus. Cur Christus dicatur Iustus, vel etiam Pater, docui in [e] Historia Apostolica. Hic aptè iungitur epithetum Iusti aduocato. Iustus namque aduocatus iniustas, ait Beda, causas non suscipit, qui tunc iustus nos defendet in iudicio, si nunc nosmet ipsos & cognoscimus, & accusamus iniustos. *Cur enim iustus non sit, qui contra suam iniustitiam iam per lacrymas sæuit?* Sic ille. Catharinus ponens hic sermonem esse de iustificatione post baptismum, ait habere peccatorem aduocatum Christum, nõ vt vlterius crucifixum, quasi peccatorem, sic enim habuisse nos illũ in baptismo, quemadmodum & semel ipse fuit crucifixus: nunc habere vt iustum, vt totum ipse soluat satisfaciens omnino pro nobis per sanguinem suum, quod fecit semel in baptismo: nam requiritur ab eo, qui post baptismum, peccat, satisfactio. Sed & à quocumque dispositio exigitur alicuius pœnitentiæ, quæ ipsa Christi obtinetur oratione, ac merito. Quare meritò Carthusianus reiicit opinionem, quòd is pro verè pœnitentibus dumtaxat interpellet.

d epist. 6.
e cap. 3. 14.
Iustus aduocatus iniustas causas non suscipit.
Christus nunc est iustus aduocatus.

Hugo tertiam innuit causam, aduocati integritatem, vt nec prece corrumpatur, nec pretio, quin clientulum defendat. Quartò iustus est hic Aduocatus, non solùm quia nihil excipi contra ipsum potest, cùm sit innocens [f], sed prætereà quoniam habet, vnde satisfaciat de suo, non rationum vi dumtaxat, sed re, atque pretio, sanguinis videlicet, ac meritorum infinitorum.

f Heb. 7. 26.

Habemus.] Augustinus, ac Beda obseruant Ioannis modestiam, & humilitatem. Possem breuiùs, at non ea pietate, & energia hoc exponere, qua Augustinus. *Videte*, Augustinus inquit, ipsum *Ioannem obseruantem humilitatem. Certè vir*

iustum

in:tius erat, & magnus, qui de pectore Dei mysteriorum secreta bibebat. Ille, ille, qui b.bendo de pectore Domini diuinitatem ructauit: In principio erat Verbum [a], *& Verbum erat apud Deum: ille talis vir non dixit: Aduocatum habetis* (quidam addunt me) *apud Patrem: Sed, si quis peccauerit, aduocatum*, inquit, *habemus. Non dixit, habetis, nec me habetis dixit, nec* (legunt alij, *sed*) *ipsum Christum habetis, dixit, sed & Christum posuit, non se, & habemus dixit, non habetis. Maluit se ponere in numero peccatorum, vt haberet aduocatum Christum, quàm ponere se pro Christo aduocato, & inueniri inter damnandos superbos.* Hactenus ex Augustino.

Aduocatum habemus apud Patrem Christum cur Ioannes dixerit.
a Ioan. 1. 1.

Vltimò tamen nihil præiudicant his, quæ priùs monuimus de inuocatione, ac intercessione Sanctorum. Confer fiduciam, quam habere debemus in Christo apud Patrem cum illa, quam fratres Ioseph habebant in patre Iacob, cum dicerent: *Pater* [b] *tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus, vt seruis* (iuxta alios, vt seruo) *Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc.* Nullus aduocatus ius causæ tribuit, sed quod inest, aperit, & defendit. *Christus iustificat, quis est qui condemnet*: [c]?

Christi intercessio non præiudicat Sanctorum intercessioni.
b Gen. 50. 16. 17.
c Rom. 8. 34.
d lib. 4. ep. 4.

Cæterum Cyprianus [d] bene argumentatur: *si pro nobis ac pro delictis nostris Christus laborat, & vigilat, & precatur, quantò nos magis insistere precibus, & orare, & primò ipsum Dominum rogare, tum deinde per ipsum Dei Patri satisfacere debemus?* Ambrosius [e] ait vmbram in lege, imaginem in Euangelio, in cœlo veritatem esse: antea oblatum agnum & vitulum: hîc Christum oblatum recipiendo passionem: in cœlo in veritate apud Patrem pro nobis non eo modo, nec quasi Sacerdotem, sed vt aduocatum interuenire. Ibi ergo apparens Christus vultui Dei [f], pro nobis offert iustitiæ satisfactionem: reorum humiles preces confessionémque velut confessionis nostræ Pontifex [g]: ita vt ageret Paulus gratias Patri per illum de fide Romanorum [h]: & asserat Petrus [i] nos per eundem offerre hostias spiritales acceptabiles: tandem interpellat [k], agens cum iudice, vt gratiosè cum reis agat.

e 1. offic. c. 48.
f Hebr. 9. 14.
g cap. 3. 1.
h Rom. 1. 8.
i 1. epist. 2. 5.
k Rom. 8. 34. Heb. 7. 25.

Vers. 2.] Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

VINCET aduocatus causam quantumvis difficilem. nam nō est priuata, vt aliorum, V. G. Noe, Danielis, Iob [l], iustitia eius, quæ solos liberet, in quibus reperiatur, sed publica, & generalis tāquam capitis, ac proinde eius qui homo simul sit Deúsque, non simplex aduocatus, aut iudex honorarius, quod Apostolis est promissum [m], sed læsus idémque absolutus cognitor, ac definitor causæ: quíque propter valorem infinitum ex diuinæ dignitate personæ ad plenū satisfaciat. Apud hunc ergo aduocatum propitiatio [n] est, *qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris* [o], vt Deus, & vt homo, sacrificium est, atque oblatio, quæ nomen habet propitiationis [p], quia per eam consequimur à Deo propitiationem. Est præterea propitiatorium aspersum sanguine [q], vnde consultus Deus respondet misericorditer propitiando. *Propositus enim Deus*, inquit Paulus [r], *propitiationem* (aliàs propitiatorem, ἱλαστήριον vel genere masculino, vel neutro) *per fidem, in sanguine ipsius.* Concilium [s] Ephesinum, & Theodoretus [t] allusionem agnoscunt ad operculum illud aureum super arcam templi [u], quæ vocatur propitiatorium, & aptè arcam totam tegebat, indéque dicebatur Hebraicè כפורת *chapporeth*, Græcè ἱλαστήριον ἐπίθεμα: tegebatur verò alis Cherubim, vt idcirco Deus ibi apparens, & loquens, diceretur sedere super Cherubim [x]. Lege Riberæ disputationem de tēplo [y].

l Eze. 14. 14.
Iustitia Christi publica & generalis est.
m Mat. 19. 28.
n Psal. 129. 4.
o Psal. 102. 3.
Christus est propitiatio & propitiator & propitiatorium.
p Gen. 32. 20. Iob 33. 24. Eccl. 34. 2. Ez. 45. 17.
q Leuit. 16. 2. Heb. 9. 5.
r Rom. 3. 25.
s tom. 4. c. 13.
t in c. 3. ep. ad Rom.
u Exo. 25. 17.
x Psal. 79. 2. 98. 1.
y lib. 2. c. 4. & seq.

Refelluntur hinc blasphemiæ Caluini, nō esse sufficiens meritum Christi ad conciliandum nobis Deum [z]: mortem eius nihil per se profuisse [a]: Christum mortuum dumtaxat pro electis [b]: licet veritate compulsus, alicubi [c] docuerit, quod res est, pro omnibus mortuum, at non omnes apprehendisse: & in Commentario præsentis loci, hanc ait communem scholarum sententiam esse veram. Christus pro toto mundo sufficienter passus est, efficaciter autem pro solis electis. Plusquàm sexcentis Scripturarum locis res eadem demōstrari potest, quibus omnium nostrum iniquitates super Christum positæ scribuntur [d]: datum esse, vt saluaretur mundus per ipsum [e]: prædicandum omnibus gentibus [f], omni creaturæ, id est, homini, &c. [g] Sed cum testimonio luculenta continetur his Apostoli Pauli verbia argu[...]: *Æstimantes* [h] *hoc, quòd si vnus mortuus est pro omnibus, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Postremò, *vult*, inquit idem [i] de saluatore nostro *Deo, omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: &, *Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*: &, *est saluator omnium, maximè fidelium* [k].

Blasphemia Caluini refelluntur.
z hoc tradit 2. inst. c. 17 §. 1. cont. quem Feuar. Dial. 4. hæres. 111. & 113.
a idem suprà ca. 16. §. 10. & contra illum Feuard. supra hæres. 127.
b idem in ca. 17. Ioa. & cont. illum Feuard. Dial. 5. hæres. 140.
c in c. 5. ep ad Rom.
d Esa. 53. 6.
e Ioan. 3. 17.
f Mat. vlt. 19.
g Mar. vlt. 15.
h 2. Cor. 5. 14. 15.
Christus pro omnibus reprobis & electis mortuus est.
i 1. Tim. 2. 3. 4. 5.
k 1. Tim. 4. 10.

Inter articulos Augustino [l] falsò impositos, & quos refellit ipse, damnátque, primus erat, *quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum redemptione sit passus.* Inter alia sic ait: *Poculum quippe* immortalitatis, quod confectum est *de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non proficit*: Sequentes ibidem secundus, tertius, quartus, septimus, octauus, nonus articuli non valdè dissimiles, & lectu digni.

l libr. ad articulos falsò impositos.

Idem doctor in Commentario huius loci, Ecclesiam infert non contineri angustis terminis Africanis (quos definiebant Donatistæ.) Sed distendi per orbem terrarum, quia Christus propitiatio est non peccatorum tantùm nostrorum, sed totius quoque mundi.

Ecclesia nō continetur angustis terminis, sed per totum orbem diffunditur.

Obiicit apud eundem Auctor [m] quæstionum noui Testamenti, quoniam viuens vita mortali Christus dicebat Patri, *ego pro eis rogo quos mihi dedisti, non pro mundo rogo* [n]. Respondet rogasse Christum vt discipuli à mali infestatione tuti præstarentur, hoc est, vt subdit Christus ipse, vt seruarentur à malo, Ioannem loqui de peccatis ne plectantur, sed expectentur peccatores ad pœnitentiam.

m tom. 4. q. 36.
n Ioan. 17. 9.
Quomodo Christus nō pro mundo, sed pro discipulis rogauerit.

Eodem abusi sunt loco Prædestinatiani vetustiores hæretici [o], & nostri temporis nonnulli, vt probarent Christum pro solis mortuum prædestinatis. Voluit solùm Christus ibi causam peculiarem assignare, cur pro discipulis orans exaudiri deberet cum effectu.

o meminit Maldonatus in c. 17. Ioan.
Contra prædestinatianos.

Cyrillus Alexandrinus [p] exponens Euangelium, ait, Ioannem hîc in epistola, ne existimaretur docuisse pro Iudæis vnis Christum esse propitiationem, quia dixerat *pro peccatis nostris*, addidisse *non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*: vt Gentiles comprehenderet. At Christum separasse suos à non suis, & iis, qui à Patre [q] tracti

p lib. 11. c. 19.
q Ioan. 6. 44.

non essent, & quibus mediationis suæ bonum non tribueret, nempe secundum fructum.

Quid Christus petierit propriè.

Dici simplicius potest, petere Christum, vt discipuli conseruentur in fide, & gratia, & vt fiant vnum spiritu, atque concordia: quæ postulatio non competit incredulis, & separatis à capite, licet inter istos aliqui essent conuertendi, & de numero prædestinatorum: sicut forsitan ex aliis quidam de numero reproborum: & omninò talis proditor Iudas. In hoc loco epistolæ sermo generalis est de aduocato eorum causas suscipiente, qui egent patrocinio, quales sunt, nemine excepto, cuncti.

De Iudæis Ioãnes tantum loquitur.

Fieri potest, vt Ioannes Iudæorum rationem habuerit, viderique voluerit, quia Iudæus erat, de illis tantùm loqui. Hoc quidem placuit Oecumenio, qui addit præterea, respectum habuisse ad posteros, non ad suæ dumtaxat tempestatis homines. Catharinus primos accipit pro primariis Ecclesiæ fundamentis, secundos pro aliis quibuscumque. Clemens Alexandrinus indicat, primos esse fideles, per mundum intelligi, qui nondum fidem sunt amplexi. Hæc optima expositio.

De Eucharistia, vt est propitiatorium sacrificium, modò non loquimur: dicunt multi hac ratione Christum esse propitiationem tantùm pro fidelibus viuis, ac defunctis ad Ecclesiam pertinentibus: *Quis enim offerat corpus Christi pro iis, qui non sunt membra Christi?* ait Augustinus [a], & nota Ecclesiastica consuetudo, vt sub tempus sacrificij dimitterentur foras Catechumeni [b]. Quin verò inde Missam nominatam aliqui putant [c].

a 1. de anima, & orig. eius, c. 9.
Missa pro infidelibus sit indirectè.
b Alcuin. de diui. offi. c. de celeb. Missæ. Isido. 2. Etym. c. 19. à Rabano 1. inst. clericor. c. 32. Remig. lib. de offic. Missæ, & de eadem in plura lo. Stephan. Duran. 2. de ritib. Eccles. c. 1 & Hessiques lib. 9. de Missæ sacrificio, cap. 15.
c Bellar. 2. de Missa c. 6. vbi probat exemplis & testimoniis.

Indirectè tamen fit pro infidelibus, hæreticis, excommunicatis sacrificium, dum in eo pro Ecclesiæ amplificatione oratur: immò, si non prohibeat Ecclesia, licebit offerre ipsum sacrificium, quia sacrificium Crucis pro omnibus est oblatum. Sola verò videtur prohibitio de excommunicatis [d]. Augustinus de defunctis loquitur, qui non sunt actu membra Christi, nec ampliùs possunt esse. Qui viuunt, possunt: idcirco pro membris orat, & sacrificat Christi, qui id facit, vt fiant membra Christi. Simili de causa Paulus [e] imperat pro omnibus orari, *quòd velit Deus omnes saluos fieri.*

d à nobis de sent. excom. sic B. Thom. 4. d. 18. q. 2. a. 2. q. 1. ad 4
e 1. Tim. 2. 1. & 3. 4.

Propitiatio.] Ἱλασμὸς, Syriacè חוסיא *chusaia*. Hoc idem valet, quod *propitiatorium*, de quo antè dixi Hebraicè vocari כפרת *chapporeth*, nimirum à כפר *chaphar*, quod est tegere, quæ est significatio verbi כסה *chasa*, & Græcè ἱλαστήριον. Vtrumque est citato loco ex epistola ad Romanos [f], nec non in ea quæ est ad Hebræos [g]. Non placet mihi in etymologia Latini verbi vim facere [h], vt propitiare, sit prope ire, & propterea peccatum innuat, quod longiùs remouet à Deo, qui propitiando appropinquare nos facit sibi, & ipse appropinquat nobis. Græcè scripsit Ioannes, & alij propitium derioant, velut prorsus, aut porrò, id est, valdè piũ [i]. Denique fallax plerumque argumentum etymologicum, tum verò aptius, quando vocabula sunt eius linguæ, qua Scripturæ sacræ conditæ sunt immediatè. Hebræum themã, vt dicebam, significat tegere, cooperire, nec non linire, inducere, V. G. bitumine, gypso, aliáve materia quæ vel arceat externam iniuriam, vel etiam abscondat immunditiam. Tropologicè propitiatorium, quasi dicas tectorium, & operculum, Arcam, qua lex inclusa erat, operiendo, denotat Deum, qui se ibi exhibebat, propitium, texisse misericordia sua peccata hominum: vt iure beatos Dauid [k] cecinerit, *quorum remissæ iniquitates, quorum tecta peccata*, non ita tamen vt adhuc sint, & viuant, vt opportunè præmonet Augustinus [l], quasi præuidens absurdam hæresim nostri temporis, manere, ac solùm tegi peccata.

f cap. 3. 25.
g cap 9. 5.
h Salmer. hoc loco.
Propositum quã etymologiam h. boni.
i Noalius.
Propitiatorium quid significet.
k Psal. 31. 1.
l Ibidem.

Tegendi verbum vestem caritatis indicat, & gratiæ.

Tegendi verbum præterea, vt id breuiter attingam, potest indicare vestem charitatis, & gratiæ, qua induitur is, qui iustificatur, & vocatur *stola prima* [m], & *vestis nuptialis* [n], & *operit multitudinem peccatorum, simul exornans* [o]. Tractat eum locum Psalmi Toletus [p] diligenter, & nos in Commentario eiusdem loci.

m Luc. 15. 22.
n Mat. 22. 12.
o 1. Pet. 4. 8.
p in Psalmum citatum, qui comment. est in fine eorum quæ sunt in ep. ad Rom.

Porrò, quod attinet ad vocabulum Græcum, videtur Augustinus legere nũ ἱλασμὸν, sed ἱλαστῆρα: propitiatorem enim dicit. Eodem modo Beda. Sed Augustinus infra, c. 4. litatorem. Carthusianus notat sic legendo de Christo exponi, vt est Deus: vt autẽ legimus, quatenus est homo, vtrouis modo secundum vtramque lectionem possumus interpretari, si dicamus propitiationem factam a Christo, & Christum fuisse propitiatorem principali efficientia vt Deus erat, morali, ac instrumentali, quatenus homo. Hugoni Cardinali nullam varietas lectionis difficultatẽ fecit. Legit idem Augustinus alibi [q] verbali nomine: *& ipse est exoratio pro peccatis nostris.* Legit & Fulbertus [r] hoc loco, *exoratio*. Cyprianus [s] *deprecatio*, sed Græcum nomen multò meliùs reddidit vulgatus interpres. Cyrillus [t] Alexandrinus typum propitiationis huius, propitiatorisque Christi affirmat fuisse illud in lege veteri propitiatorium.

Christus vt Deus & homo quomodo sit propitiator & propitiatio.
q ep. 59. q. 5. & de fide, & oper. c. 21.
r ap 14. & fer. de Trinit.
s lib. 4. ap. vel ep. 52.
t in scholiis de incarn. ca. 15. & de adorat. lib.
u epist. 6.

Pro peccatis nostris.] Gelasius Papa [u] legit *propitiatio peccatorum nostrorum.* Sensu prorsus eodem, sicut & Augustinus.

Sed etiam pro totius mundi.] Antea explicui quos mundi nomine intelligat. Deprimitur his verbis fastus Iudæorum, erigitur spes Gentilium. & posset videri argumentum à minori, nempe vt si pro Iudæis perfidis, & peruicacibus, multò magis pro cæteris propitiatio facta sit. Inde verò etiam colligitur nullum esse peccatum, quod Christi propitiatione remitti non possit.

Fastus Iudæorũ deprimitur, & Gentilium spes erigitur.

Itaque mundus non hic sumitur pro vniuersitate creaturarum [x], quæ sunt ceu muliebris mundus, & ornatus, qui Græcè quoque vocatur κόσμος: non pro terra præsertim habitabili [y], quo modo qui nascitur, venire dicitur in hunc mundum: non pro diuitiis, & omnibus aliis commodis, & bonis, vt honore, potestate, sapientia, qua ratione paulò post [z] iubemur non diligere mundum. Sed mundus omnes homines sub sublunari ambitu habitantes significat. Est enim homo præcipua pars istius mundi, ad quem res cæteræ referuntur. Hoc pacto *Deus dilexit mundum* [a], *Filiúmque dedit: & Filius lux est mundi* [b]: & *caro pro mundi vita* [c]. Quia verò peccato originali labefactatus est homo, & ad peccãdum pronus factus: idcirco, persæpe, potissimùm in nouo Testamento, mundus vsurpatur in partem deteriorem. Boni dum viuunt, sunt in mundo [d], quia continentur intra illum, sed non de mundo [e], quia mores malorum non sequuntur.

Mundus quomodo hic sumatur.
x Act. 17. 24.
y 1. Tim. 6. 7. & alibi.
z vers. 15.
a Ioan. 3. 16.
b Ioan. 8. 12. & c. 9. 5.
c Ioan. 6. 52.
d Ioan. 17. 11.
e ibid. vers. 14. & 16.

Auctores profani quàm variè mundi vocem vsurpent, docet qui scholio Manilium illustrauit Scaliger [f] post Diodorum Siculum. Sex iste notiones numerat, complexum cœli, terræ, mediorum corporum: cœlum, vbi habitat Deus: societatem Deorum, hominúmque: Æthera siue ignem: sphæram fixarum stellarum: Prouidentiam, quæ cuncta moderatur, & exornat.

Mundus quomodo vsurpetur apud auctores profanos.
f li. vlt. vel. 22.

Verf. 3.

Vers. 3.] Et in hoc ſcimus quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruemus.

DEinceps per aliquot verſus rationem tradit vitandi tenebras,& ambulādi in luce, poſtquàm remotum fuerit peccatorum impedimentum interceſſione, ac propitiatione Chriſti: vel aſſignat notas, quibus intelligamos, ac in luce verſemur. Sunt illæ, mandatorum diuinorum obſeruatio,& internæ dilectionis cuſtodia. Sciendi, & cognoſcendi verba (Græcè verò eſt idem verbum γινώσκω) non ſignificant neceſſariò neceſſariam, certam, euidentémque ſcientiam: ſed minus quoque perfectam, & coniecturalem, atque ea ſignis, & effectis. Sed ne videatur inutilis, ac inepta ταυτολογία, variauit interpres, necnon & Syrus, indicantes poſteriorem cognitionem nō eſſe ſimplicem, ſed vt vocant affectiuam, & practicā, & applicantem, ac prodeuntem in opus. *Nequaquam mens fallatur*, ait Auguſtinus [a], *vt ſe exiſtimet Deum cognouiſſe, ſi cum fide mortua, hoc eſt, ſine bonis operibus confiteatur*, &c. Venire quippe debet etiam illud, quod ſcriptum eſt: *In hoc cognoſcimus eū*, &c. Crebra ſunt in ſcripturis exēpla dictæ acceptionis verbi ſciendi, noſcendi, cognoſcendi cū quadam voluntatis propendentis approbatione. Exēpli cauſa, dicitur *Deus noſſe qui ſunt eius* [b]: *& quibuſdam dicere non noui vos* [c], *& cauere ne quis in alio glorietur, quàm ſcire, & noſſe ipſum* [d]. Vnde quod cōqueritur Oſeas [e], *Non eſſe ſcientiam Dei*, Chaldæus interpretatus eſt, *Nō eſſe qui ambulant in timore Domini*: eodémque modo Cyrillus [f] intellexit, & Cyprianus [g]. Simile eſt apud eundem Prophetam [h], *cùm Deus ſcientiam Dei ſe magis exigere dicit, quàm holocauſta*, vbi Chaldæus iterum vertit: *Et in operantibus legem Domini magis, quàm in offerentibus holocauſta.* Cùm Dauid [i] Salomonem adhortaretur: *Tu autem Salomon fili mi, ſcito Deum patris tui*: de amore intelligebat, nam ſubdit: *Et ſerui ei corde perfecto, & animo voluntario.* Idem voluit apud Ieremiam Deus [k] quod citat Paulus [l] teſtimonium: *Non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominum*: quo adhuc loco paraphraſis Chaldæa habet: *& non docebunt vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicendo: ſcitote timere Dominum*, &c. *Nunquid non veſtrum eſt ſcire iudicium*, ait idem apud Michæam Deus [m], *qui odio habetis bonum, & diligitis malum?*

Cognoſcere quod hic ſignificet.

a lib. de fide, & operib. cap. 13.
Deus non cognoſcitur fide mortua.

b Num. 16. 5. 2. Tim. 2. 19.
c Mat. 7. 23. & 25. 12. Luc. 13. 27.
d Ier. 9. 24.
e cap. 4. 1.
f in Oſee c. 4.
g cont. Demetrianum.
h cap. 6. 6.

i Paral. 28. 9.
Deus amare & amore cognoſcitur.

k cap. 31. 34.
l Heb. 8. 11.

m cap. 3. 1. 2.

Item de eo, qui cognoſcit vt oportet: *Protegam* [n] *eum, quoniam cognouit nomen meum*: Et Dauid [o]: *Memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea.*

n Pſal. 90. 14.
o Pſal. 102. 18.

Cæterùm nihil hinc prò certitudine gratiæ Catharinus [p] habet, & Caietanus, à quo ſolet in plurimis diſſentire, hac ei in re non hic fauet. Nā cùm Caietanus vocat infallibile ſignum internæ lucis diuinæ in nobis eſſe, ſi mandata eius ſeruauerimus, nō ait hoc ipſum nos infallibiliter noſſe: ſed ſcientiam experimentalem intelligit piam quandam perſuaſionem, quam ſolet habere, qui ſeruat Dei mandata, quæ moleſtum angorem pellit, non tamen ſalubrem dubitationem, timorémque.

p hoc loco, & opuſc. de certitud. gratiæ.
Certitudo gratiæ hinc colligi nō poteſt.

Carthuſianus ex profeſſo negat, quicquam facere locum præſentem illi ſententiæ, docétque poſſe nos tantùm ſcire diuina à nobis ſecundum ſubſtantiam præcepta ſeruari, non autē quomodo oportet ea vera, & ſpirituali dilectione, ad Dei honorem, & propter æternam ſalutem.

Communis Theologorum ſententia eſt, tum B. Thomæ [q], citra ſpecialem reuelationem Dei, nulli certum eſſe poſſe, quòd ſit in gratia Dei. Vous, quod ſciam, ea paulo antiquioribus cum Catharino docuit Ioannes de Baccone Carmelita. Vnica cunctis vel argumentis, vel Scripturæ locis [r] reddi ſolutio poteſt de probabili, & coniecturali quam dixi ſcientia, atque de fiducia ſimili, quæ inde conſequitur. Nam res ſupernaturalis ſuperat captum naturalis intelligentiæ: ſunt quoque cognitu difficilia quædam delicta, & noſtram fugientia cognitionem. Poſtremò naturales cum ſupernaturalibus permiſcentur actus, cognatione tanta, vt ægrè admodum, immò diſtinctè penitus nequeant dignoſci. Tot etiam ſanctiſſimi viri perpetuo verſati ſunt in mortis metu, ídque etiā ſub mortem.

q 1. 2. q. 112. a. vlt.
Certitudo gratiæ nō habetur extra ſpecialem reuelationem.

r Rom. 8. 38. 1. Cor. 2. 12. 13. 2. Cor. 2. 11. & c. vlt. 3. 5. 1. Io. 3. 1. 2. 3. 2. Pet. 1. 10.

Tantùm non damnatur ſententia illa in Concilio Tridentino [s]. *Nam ſicut*, inquit, *nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, déque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet; ſic quilibet, dum ſeipſum, ſuámque propriam infirmitatē, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt: cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiā Dei eſſe conſecutum* [t]. Nō ſentiunt quidem illi, fidei Catholicæ certitudine ſcire poſſe me, an ſim Deo gratus: deberes enim & tu de meipſo illud credere, nec de particulari loquuntur reuelatione: paucorum enim eſt. Non etiam volunt pendere huiuſmodi certitudinem ex ſola fide, ſed ex bonorum quoque operū exercitio longè poſt remiſſionem peccatorum: tamen putant ex vniuerſali de fide, V. G. dignè quod in ſe eſt, facienti, ac pœnitenti dare Deum gratiam: *item diligi à Deo qui diligat ipſum, & in eo manere* [u]: tum ex minore, qua tales aſſerā actus in me eſſe, colligi neceſſariā, infallibilémque certitudinem. Sed hanc minorem propoſitionem à nemine tutò, certóque fieri, ſine reuelatione diuina, ſatis euincunt pauca quæ diximus. Plura qui amat, ſcholaſticos adeat, vel Hæreſeologos, qui propendent magis, vt quantauis certitudo moralis obtineatur, non eximat hæſitationem, (ita vt liceat vel mori pro ea certitudine, vel illam iuramento confirmare.) quod aſſerit tamen Vega [x]. Diſſerit præ aliis hac etiam de re Tapez, [y] Pererius [z], Valentia [a], Soto [b], Bartholomæus [c], Medina, Bellarminus [d].

s ſeſſ. 6. c. 9.

t lege præter ea c. 16.
Quomodo de certitudine gratiæ fides haberi non poſſit.

u Ioan. 14. 23. 5.

x 9. in Conc. Trid. c. 46.
y art. 9.
z in epiſt. ad Rom. c. 8. diſ. 7. 8. 9.
a 1. 2. diſp. 3. q. 4. puncto 4.
b Apol. cont. Catharinum.
c 1. 2. q. 112. 2. 5.
d 3. de iuſtific. c. 1. & ſeq.

Cognouimus.] Ἐγνώκαμεν in præterito. Carthuſianus meminit alios legiſſe in præſenti. In nullo codice aliter legi.

Si mandata eius obſeruemus.] Græcum verbum τηρῶν idem eſt verſu ſequenti, pro quo interpres vtitur verbo cuſtodiendi: & in capite quinto, vbi eſt verbum ſimplex *ſeruare*, & alibi *conſeruare*: important ſedulum ſtudium verba iſta, quale adhibent, qui arcem, theſaurum, quiduis cum primis neceſſarium, vel pretioſum, vel charum ſeruatum volunt. Sic iubemur *cuſtodire verbum Dei* [e], & B. Virgo *conſeruabat omnia verba* [f], non perpendens tantùm, ſed voluntate venerans, & exoſculans.

e Luc. 11. 28.
f Luc. 2. 19.

Egregia paronomaſia vtitur Auctor Eccleſiaſtici [g], *ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te.* Sed ſuppleuit interpres ſenſum: ſiquidem Græcè ita legimus: Ἐὰν θέλῃς, συντηρήσει ἐντολάς. *Si volueris, conſeruabis mandata.* Quàm boni non σωματοφύλακες, ſed animæ cuſtodes aduerſus animæ hoſtes intimos, externos, quemadmodum & *regem cuſtodiunt* magis *miſericordia & veritas* [h], quàm milites, & ſatellites, *& roboratur clementia thronus eius.* Cōſeruat Deus tales conſeruatores. Cōſeruat Chri-

g cap. 15. 15.
Mādata ſi ſeruantur conſeruant.

h Prou. 20. 28.

ſtus *cuſtos hominum* [a], & Samaritanus myſticus [b]. Reprehendit Chriſtus Iudæos, quòd ſe ſcire diſſimularent, quem ſciebant Deum, vel ſcire poterant, vel cognitioni de illo moribus non reſpondebant: de ſe ipſo verò affirmat, *quòd eum ſciebat, & ſermonem eius ſeruabat* [c], probans quòd Deum ſciebat, vt exponunt Euthymius, & Theophylactus [d], quia ſermonem illius ſeruabat. Crebrò particula & apud Ioannem cauſalis eſt. Itaque non ſufficit noſſe Deum, ſi factis neges [e], exemplo Gentiliũ, qui cùm *illum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt* [f]: vel *Iudæorum, qui videntes ſigna, credebant in Chriſtum, ſed confiteri verebantur* [g]: immò cùm viderent, oderant & ipſum, & Patrem [h]: denique illorum, qui dicent in illa die: *Domine, Domine nónne in nomine tuo prophetauimus* [i], *&c.* dicetur autem illis: *Neſcio vos.*

Scientia nuda *inflat* [k], *charitas* præſertim iuncta ſcientiæ *ædificat. Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eũ ſcire.* Siquis autem diligit Deum (quod eſt ſcire eo quo oportet modo) hic cognitus eſt ab eo (cognitione approbationis, & cũ affectu.) Profectò qui non obſeruat Dei mandata, non eum nouit, & non æſtimat practicè immenſam ſapientiam, iuſtitiam bonitatem, potentiam, maieſtatem ipſius. Non eſt in talibus, libera expeditáque ſcientia, ſed veritas detenta in iuſtitia [l], & tanquam vinculis præpedita, ſuo fruſtrata fine, qui eſt attollere mentem noſtram ad Deum, & amore eiuſdem inflammare voluntatem. *Cognouerunt Gentiles aliqui Deum, ſed non glorificauerunt* [m]: & ideo etiã dici poteſt quòd in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum [n], quia non affectiua, practicáque cognitione, ſed ſpeculatiua, arida, infructuoſã.

Verſ.4.] Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.

PRiore Capite [o] homo mendacem Deum faciebat qui veritas eſt ipſiſſima: quid mirum, ſi qui *mendax eſt homo* [p] mendax item nominetur? Quamquam mendax omnis homo, quia de nihilo prouenit, in nihilum tendit, & variis obnoxius mutationibus, atque peccato.

Magis propriè, ac peculiariter hoc loco mendax peccator, & diuinorum violator mandatorum, quia datam in Baptiſmo fidem non perſoluit, non retinet promiſſam in Sacramento Pœnitentiæ conſtantiam, contra mẽtem ipſam agit, & Synteresis conſcientiæque dictamen; perſonam gerit hominis Chriſtiani, noménque, res profeſſioni non ſubeſt. Depoſitum nõ cuſtodit [q], nec vtiliter Domino villicatur [r], aut negotiatur doctrina gratiæ [s], & gratiæ donis vel abutẽs, vel non, vt par eſt, vtens: ſed defodiẽs [t], aut abſcondens [u], & in vacuum accipiens [x]. Tandem ſuam non ſequitur *συντήρησιν*, quam aptè Græci *ἀπὸ τοῦ συντηρεῖν*, quod eſt cuſtodire, vocauerunt, quaſi dicas cuſtodiam.

Poſſet quis quoque modò dubitare, Dauidem in exceſſu, & ſummo pauore, & ſtupore minùs circumſpectè pronunciaſſe [y], quòd eſſet omnis homo mendax, immò, vt legit Aquila, *quòd ſit mendacium*; & vt Symmachus [z] *quòd mentiatur.* Vana ſuſpicio; ſed nec ſubibit quidem cuiuſquam animum, id de Ioanne ſuſpicari, qui, teſte Cypriano, memor mandaſſe [a] Chriſtum baptizatus docere omnia ſeruare, quæcumque mandaſſet, ſic modò loquitur; & Dauidem credo ſe ipſum ea cogitatione erexiſſe in tribulatione, quòd *fallax equus equéſve ad ſalutem* [b], mendax, vanúmque ſubſidium humanum, ſolo nitendum Deo. Ioannes non ſolùm conditionem attendit inconſtãtis naturæ noſtræ, ſed morale mendacium, ſi minùs expreſſum, ac formale, quo, vt Carthuſianus explicat, dicat quis ſe noſſe Deum, cùm mandata eius non cuſtodiat, implicitum certè in omni peccato, & præuaricatione mandatorum Dei. Iam frequenter peccando mentimur, tam indignè ferimus nos mentiri, ſi quis affirmet. Prouocant ſe mendaces, ac deſcendunt in duellum, vt mendacij vindicent, expiéntque iniuriam. Credamus, & cedamus veritati, nóſque fateamur eſſe mendaces, mendacij deteſtatione, veritatis proſecutione. Adeo bonus Dominus, & tantus, vt eum perfectè qui cognoſcit, non poſſit non diligere (non poſſit ipſe non *αἴθειν*, vnde *θεὸν* quidam deriuant) hoc eſt, *inflammare affectum nostrum.*

Et in hoc veritas non eſt.] Vel Chriſtus, vel ſcriptura, cuius nempe non vtitur monitis. Similis capite ſuperiore [c] phraſis, nec non de Verbo. *Commutauerunt* [d] *iſti veritatem Dei in mendacium* [e], *diligit vanitatem* [f], *quærit mendacium* [g]. Poſſet quoque veritas pro veracitate ſumi, ac fidelitate, vt Hugo ſentit, quoniam non præſtat iſte quod ſcit, quod profitetur, quod dicit, quod promittit. *Vera diligimus*, ait Cicero [h], id eſt, fidelia, ſimplicia, conſtantia.

Præterea quandoque veritas iuſtitiam ſignificat, honeſtatem, vitæque ſanctitatem, vt epiſtola ad Epheſios [i]: *Veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.* Id ſolùm bonum, quod rationi, & veræ doctrinæ conforme. Gregorius [k] deſcribens moraliter quadrilaterum Templi atrium, ob fidem, ſpem, charitatem, operationem, quæ quamdiu viuimus, æquales quodammodo debent eſſe, ſubdit: *De fide quoque, & operatione Ioannes Apoſtolus fatetur, dicens: Qui ſe dicit noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Notitia quippe Dei ad Fidem pertinet, mandatorum cuſtodia ad operationem. Cùm ergo virtus, tempus, & locus operandi ſuppetit, tanto quis operatur, quanto Deum nouerat: & tantùm ſe noſſe Deum indicat, quantùm pro Deo bona operatur.

Hinc & ex his, quæ priùs dicta ſunt, colligitur non fauere præſentem locum Hæreticis, exiſtimantibus fidem veram non poſſe re ipſa à dilectione, alíiſque virtutibus ſeparari [l]. Nam loquitur hic Ioannes de notitia familiaritatis, & amicitiæ, ſicut & Oecumenius, & Beda declarãt. *Nam quiſquis Deum non amat*, inquit Beda, *profectò oſtendit, quia quàm ſit amabilis non nouit: & quàm ſit ſuauis Dominus* [m] *& dulcis guſtare, ac videre nõ didicit, qui eius conſpectibus placere continua dilectione non ſatagit.*

Multò ſequitur minùs, in peccatore nullam notitiam veritatis eſſe poſſe, etiam moralis, & practicæ, nec hanc abſque peculiari auxilio gratiæ obtineri. Meminit B. Thomas [n] quoſdam de ſpeculatiuo quoque omni vero id ſenſiſſe. Petrus de Aliaco [o] id exiſtimauit de qualibet cognitione, quæ ſit circa Deum, Tilmannus Heſſuſius [p], quòd ſit Deus, & vnus. Caluinus [q], poſſe quidem cognoſci, quòd ſit Deus, at non quòd vnus. Quod attinet ad practicum, eandem de quouis opinio-

nem

a 2.Inst. c.2.§. 24. 25. 26.
b 2.dist. 28.q. vnica art.3. ad arg.contra 1. conclus.
c 2.dist. 26.q. 1.art.1.concl. 2.dist.29.q.1. art.2.
Quomodo non sit notitia Dei peccantibus.
d 1. de Quadrip.iustitia cap. 32.

A nem tenuit Caluinus idem[a], ac præterea ex Catholicis Ioannes Capreolus[b], Gregorius[c] Ariminensis, Gaspar Casalius[d]. Affinis verò difficultas de bono morali. Non ero longior.

Aio nihil hinc effici. Non est veritas, inquit Carthusianus, tum in ea, quam quis asserit propositione, se Deum nosse, cùm mandata eius non obseruet, notitia scil. approbationis, & affectus, tum quia Deus qui veritas est, in ipso non inhabitat, quamuis in eo sit veritas entis seu naturæ: veritas quoque sententiarum, ac propositionum, quantùm ad alia multa, quæ verè potest cognoscere. Quòd autem possit, ratio est, quia multæ veritates in vtroque genere non excedũt B naturalem vim intellectus nostri, & de cognitione vnius Dei, disertè asseritur in libro Sapientiæ[e], & epistola ad Romanos[f]. Patres[g], & Concilia[h], quæ affirmant nihil nos habere de nostro, nisi mendacium & peccatum: (sic est in can. 22. conc. Arausic.) veritatem, & iustitiam ab illo fonte esse, quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam irrorari non deficiamus in via, loquuntur de ea cognitione (idémque dico de operatione) quæ ad salutem spiritualem valeat, id est, quæ proximè disponat ad gratiam, vel gloriam mereatur: legatur eiusdem Concilij Canon septimus, vbi clarè declaratur locus Pauli[i]: *Non sumus sufficientes*, &c. de cogitatione boni, quod ad salutem vitæ pertineat C æternæ, sicut & exponit Augustinus[k]. Legendi Scholastici[l], & S. Thomas eum interpretibus[m], & Tractatores controuersiarum, præsertim Bellarminus[n].

e cap.13.
f cap. 1. & cap. 2.
g maximè Aug.ep.105.1. de gratia Christi c. 28.
h præcipuè Mileuit. can. 4. Arausica. can. 22.
i 2.Cor.3. 5.
k de prædest. sancto.c.2.
l 1.dist. 26. & 28.& 29.
m 1.2.q. 109.
n lib.4.& 5. de gra.& lib. arb.

Vers. 5.] Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est: & in hoc scimus quoniam in ipso sumus.

AB opposito prior sententia cõfirmatur. Vbi verbum quoque potest intelligi, vel pro æterno Dei Filio, vel potiùs pro diuino præcepto. Per charitatem Dei magis creatam, & infusam, quàm increatam intelligere debemus, illam scilicet, quæ dat operandi virtutem, & est operatiua, & D efficit, vt meritò Deum nosse censeri possimus notitia priùs explicata: Quare non arbitror necessariam Clementis Alexandrini notationem, eum qui intellector sit, opera quoque perficere virtutis, non vice versa. Reciprocatio potiùs quædam est inter ista, quam etiam Didymus agnouit.

Nec refert quòd charitas perfecta dicatur: perinde est, ac si diceretur vera, non adulterina, & fucata, & ficta[o]. Explicat rectè Lyranus, bifariam aliquid esse perfectum, & nihil ei deesse: vno modo, cùm continet, quæ ipsius naturæ, ac integritati necessaria sunt. Talem habet charitatem qui seruat verbum Dei cum necessariis conditio- E nibus, ex toto corde, anima, mente, viribus. Alio modo, quando ei adsunt, quæ possunt adesse, vel extensione obiecti, vel intensione graduum. Sic in via charitas, quia proficere potest semper, & in operibus cõsiliorum, ac supererogationis, quæ vocantur etiam opera perfectionis, & in gradibus, & in vitandis pluribus peccatis venialibus, perfecta non est. Primam vocant perfectionem sufficientiæ ad quam hortatur Christus *estote perfecti*[p]: &c. Secundam supererogationis, de qua idem[q], *si vis perfectus esse*, &c.

o 2. ad Cor. 6.6.
Bifariam aliquid perfectum est.
p Matt.5.48
q cap 19.21.

Nimis acutum, quod Hugo dicit, mandata, de A quibus priore versu, qui custodiat, quæ Deus per hominem tradidit, non esse obiectum perfectæ charitatis: Verbum quod immediate Christus loqui dignatus est, esse consilium, circa quod versetur charitas perfecta. Nam in Psalmis, & alibi sæpe verbum pro quouis diuino præcepto sumitur: & Christus *mandatum vocauit nouum* id, quod est de charitate, vt paulò pòst videbimus. Potiùs verbum denotat charitatis præceptum, vt notat Thomas Anglicus, quem vocant alij malè Angelicum, siue Aquinatem, mandata priore versu plura præcepta, quæ ad illud reuocantur, sicut ad radicem, vt Gregorius loquitur.

Mandatum & verbũ quomodo differant.

Errant qui perfectam putant hac in vita cha- B ritatem comparari posse, ita vt nec vlterius crescere possit, nec veniale quidem peccatum ea præditus committere. Pelagius, & Iouinianus[r] secundum docuerunt; sed quia credebant etiam quodlibet peccatum iustitiæ, charitatíque repugnare. Mouebant istos præsertim scripturæ, in quibus iubemur esse perfecti[s], aut dicuntur quidam tales[t]; verùm perfectio charitatis creatæ, ac finitæ triplex est: prima Beatorum qui semper actu Deum diligunt, ad eam Paulus tendere se testatur[u]: secunda viatorum, qui totos se Deo relictis omnibus dedicant[x]: tertia, de qua priùs dicebamus, quando super omnia Deus amatur, nec admittitur vllum peccatum, quod charitati re- C pugnet, quæ *præcepti omnis finis est*[y]. Necessaria, & omnibus iniuncta est vltima perfectio, quam in Commentario explicat Augustinus, de amore inimicorum: secundum quam Noe perfectus describitur[z], exigitur ab Abraham[a], & à quocumque, & indefinitè pluribus eam Christianis Paulus tribuit[b]: de secunda, consilium duntaxat datur[c], vt Ambrosius[d], & Augustinus[e] monent. Ad tertiam aspiramus: & ex eo vt idem docet Augustinus[f], quòd non est in hac vita charitas tam perfecta, quàm erit in futura: committuntur ab habente charitate venialia, leuiáque peccata. Postremò quæuis charitas huius etiam vitæ *est vinculum perfectionis*[g], nempe ligans eum Deo, reddénsque hominem perfectum, continendo in D homine omnes virtutes. Facit ad rem quam B. Thomas[h] tradit distinctio de quadruplici gradu charitatis, vt ametur Deus quantùm est diligibilis, quantùm creatura diligere potest, quantùm mortalis creatura, denique quãtùm nulla res alia diligatur secundum æstimationem. Carthusianus præterito nomine, videtur in huius solutione difficultatis vti dicta distinctione.

r apud Aug. ep.29. & de hæres.c. 82. & 88.& Hier.1. contra Iouin. & 1.ac 3. cõt. Pelag.
s Deut.18.13. Gen.17. 1. Matth.5. 48.
t Phil.3.12. 15. Gen.6.9. 1. Cor. 2. 6.
Caritatis perfectio triplex est.
u Phil.3.12.
x Mat. 19.27.
y 1.Tim.1.5.
z Gen.6. 9.
a Gen 17.1. Deut 18.13. Matth.5.48.
b Phil. 3.15. 1.Cor.2.6.
c Matt. 19.21.
d lib. de viduis.
e ep.89. q.4.
f ep.29.
g Colos.3.14. *Charitas quæ is vis est vinculum perfectionis*
h Opusc. 18. de perfect. vitæ spiritualis.

Eodem ex principio refelluntur illi, quos indicaui primo loco, scilicet Begardi, qui & Fraticelli, seu Fratres de paupere vita, vel Bisochi Germaniam inferiorem incolentes, professione monachi: nec non Beguinæ mulierculæ[i]: horum erat primus error, posse pertingi in hac vita E beatitudinem finalem iuxta omnem gradum perfectionis, quem quis habiturus sit in cœlesti patria, & impeccabilem reddi, & ampliùs proficere non posse. Damnati sunt in Concilio Viennensi[k].

Merentur eandem censuram, qui solos censent Prædestinatos perfectam, hoc est, veram habere charitatem: nec non hos tantùm pertinere ad Ecclesiam: tandem qui quod eandem censent cunctis impositam legem perfectionis, & perfectæ charitatis, nullos in perfectione gradus recipientes, de medio tollunt eorum hominum statum, qui dicuntur peculiariter perfectionẽ pro-

i Prateolus in Flécho sic floruisse anno 1314. *Begardorum error.*
k Clem. ad nostram, de hæret. *Prædestinatos solos qui putant ad Ecclesiã pertinere errant.*

fitesi,& ad perfectionem tendere, quos Religiosos nominamus. Sit iudicasse satis,ne quis impingat:sed quid sibi *charitas perfecta* velit hoc loco intelligat.

Cæterùm participiū est *perfecta*.Græcè verbum τετελείωται: quasi dicat, quod ad suum charitas exitum,finémq; peruenit,qoando prodit in opus, & ad seruandum verbum,ac mandata Dei.Hoc si desit, charitas vera non est:ac proinde neque hac ratione perfecta. Significat idem verbum Græcum præterea absoluere, consummare, hisque verbis illud Interpres reddere soler, sicut & verbo synonymo perficiendi. Versatus in Augustini scriptis multa reperiet de perfectione iustitiæ, sanctitatis, charitatis in hac vita, & in alia: & quod possint omnes nominari perfecti, qui sunt iusti, & charitate præditi, eósque secundum istios vitæ modum esse perfectos, & illorum deputari perfectioni hoc ipsum, quòd se nouerint, nondum esse perfectos.

Postremò Didymus verè perfectam charitatem describit, per quam nihil malorum, atque fallaciam segregare potest eum in quo est.Nemo distinctionem expectet amoris Dei soper omnia, vt est amor naturalis,& vt supernaturalis.De hoc sine dubio semper Ioanni est sermo.Postea in hac epistola quædam dicetur charitas non perfecta, quæ non expellat prorsus timorem.

In hoc scimus,quoniam in eo manemus.] Asseuerās repetitio.Videtur Augustinus addere tanquā verba textus:*si in illo perfecti fuerimus*,& interpretatur, vt autè dixi,de dilectionis inimicorum præcepto. Lyranus monet non esse in libris correctis, & Carthusianus approbat:& reperi in duobus Manuscriptis Bibliothecæ nostræ Romanæ. Scientiam hic qualem oporteat intelligere, superiùs diximus. In Deo esse, quódque mox sequitur, manere, non communem solam importat depēdentiam à Creatore & conseruatore aut ideali causa,aut cognoscente,aut finali secundum principia naturæ. Sed vt amati in amante,& vice versa:manet enim quis Deum,quia ipsum amat Deus, & hic ipse simul est effector amoris, quo amatur per donum charitatis,& gratiæ concursum,estq; obiectum,quod amatur. Vnde longè est Dominus hac ratione ab impiis. Hoc est manendo in charitate,manere in Deo, qui est auctor charitatis,& obiectum,& Deum in illo, per donum, concursúmque, & rationem obiecti vniti. Clemens Alexandrinus esse in Deo, & secundum fidem interpretatur, & secundum charitatem. Explicat Hugo: sicut sunt in corpore membra viua iunctum,ac potius in capite:& sicut id quod regitur, in regente, nempe regimine peculiari, & sancto.

Porò sermo videtur esse de Christo, quia sequenti versu eum,in quo manetur, dicit Ioannes ambulasse,& prout ambulauit, ambulandum ei, qoi maneat in ipso: indicat autem ambulatio rationem agendi propositam humano more nobis ad imitandum.Nullus hac in re discrepat,sed potiùs distinctè id monent Augustinus,Beda, posteriores.Hinc & simul ex dictis, vt & ex cōsequentibus aliis concluditur,posse nos diuina mandata seruare,fretos tamen præsenti gratia Dei.

Vers.6. Qui dicit se in ipso manere,debet, sicut ille ambulauit,& ipse ambulare.

CHristus (de quo præsentem locum præter eos,quos antè dixi,Tertullianus etiam intelligit) exemplar est,quod imitari debemus, & vnde discere: Sancti, qui propiùs ad eum accedunt, sunt quoque nobis imitandi. Naturale homini est alium imitari,& docilem esse;id enim deprehenditur in animalibus, quæ quippiam habere rationis videntur, vt nempe consuescant alienis moribus, & institutionibus, quales elephanti,simiæ,psittaci, canes,&c. Ad imaginem, & similitudinem Dei factus est homo, vt suum respiciat prototypum,& imitetur. tandémque in beatitudine maximè similis ei efficiatur, videns ipsum sicuti est. *Si pateres*, ait Leo, *atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inueniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset Auctoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobie quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat. Estote imitatores Dei*, ait Paulus, *sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos*. Hac est potissimùm imitandus in virtute, simúlque in humilitate.Nulla quidem virtus consistit, vel otiatur, sed ambulat,proceditque semper: at nescio quo pacto id illis duabus magis proprium, tametsi ascendendo, descendendo motibus impelli contrariis videantur,haud tamen inuicem aduersantibus.*Hoc est velle cum Christo inueniri*, ait Cyprianus? *id quod Christus & docuit,& fecit, imitari*, secundum Ioannem Apostolum dicentem:*Qui dicit se in Christo manere*,&c. Rursum: *Qui esse cupimus Christiani,debemus quod Christus fecit, imitari*. Scriptum est,& legitur, & auditur, & in exemplum nostri,Ecclesiæ ore celebratur: *Qui dicit se in Christo manere,debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare*. Ambulandum est igitur vestigiis paribus, æmola ingressione nitendum est.Tunc respondet ad fidem nominis factatio veritatis: & credenti præmium datur,si quod creditur,& geratur. Audi Prosperum: *Quid est ambulare sicut ille ambulauit, nisi contemnere omnia prospera quæ concupiscit, non timere aduersa quæ pertulit, libenter facere quæ fecit,docere quæ docuit, sperare quæ promisit, & sequi quò ipse præcessit?* Plura sequuntur lectu sanè dignissima:quæ ferè eadem extant in libro de salutaribus documentis relato inter Opera Augustini.

Paulinus tractat eundem locum, licet nimis restringat ad opera perfectionis, & legat paulò aliter: *Qui dicit se Christum sequi*,&c. legit quoque alio modo Chrysostomus: *Qui in Christo credit*, &c.& egregiè locum versat. Primus quidem finis incarnationis redemptio nostra est: sed ille valdè præcipuus, vt Deum similem nobis factum imitari liceret, vt fusè, & admodum piè docet Basilius. Non debent hæc dura videri monita, præceptáve, quod admonet Saluianus, vt ambulandum nobis dicator sicut ambulauit Christus:quod enim imperant Apostoli, hoc faciunt, & ex iis,Paulus inuitat vt ipsum imitemur, sicut ipse Christum. Ad rem etiam Cypriani sententia: *Si hominibus lætum est,& gloriosum, filios habere consimiles,& tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles subcisiua respondeat: quanto maior in Deo Patre lætitia est,cùm quis sic spiritaliter nascitur,vt in actibus eius, & laudibus diuina generositas prædicetur?*

Optima descriptio Christiani quam hoc eodē etiam ex loco Augustinus, seu alius apud eum colligit. Legatur epistola Nysseni ad Harmaniū, qoid nomen professióve Christiana sibi velit. Definit ibi inter alia Christianismum, imitationem diuinæ naturæ. Aliam præterea scripsit Olympio

Marginal notes (left): ege aellar. Monachis in lib.4.de milit. *vitas perfecta a sit hoc loco.* | *Antiu Græquod significat.* | lege Tom. libram de ... iustitiæ serm.17. de ... Apost.c. & 2. retract 19.& alibi. de Milleluium. sic loquutur b.1.cor.duas epist.Pelagi. | vers.3. | *Amat quis ... amat* | Prou.15.29. *Manere in charitate, & manere in Deo,idem.* 1.Ioan.4.16. | *... de Monog.*

Marginal notes (right): h Ioan.13.15. 1 Pe.2.21. i Matt 11.29. k 1 Cor. 4.1. | l 1.Ioan.3.2. m serm 1.de Ieiun.x. mensis. | n Ephes.5.1. | o ... hoc Ioann Petri,... monia. *Nulla virtus consistit vel otiatur.* | p lib.4.ep.6. vel ... q de Discipl. & habitu Virgin. | r 2 de vita contempl.cap. 21. | s cap.19. t ep.2. | u epist.6.ad Theodorum monachum. *... Christi... b... & fusè* ... de prouidentia. | a 1.Cor.11.1 ... de zelo,& liuore. | c To.9.tract. ... de vita Christi,c.14. *Christianismus definitio.*

pio monacho de perfecti Christiani hominis forma: hanc verò Paulum docet expressisse in se, qui & in se *loqui affirmaret Christum* [a], *& viuere* [b], tum post multa, sic ait: *Quid igitur eum oportet facere, qui magno Christi cognomine dignus effectus est, nisi vt omnia sua tum cogitata, tum dicta, tum facta diligenter exploret, & vtrum eorum singula ad Christum tendant, an ab illo sint aliena, diiudicet?* Tandem hortatur ad promouendum vltrà in dies: nunquam nos arbitrando ad perfectionis metam peruenisse. Hoc videlicet est ambulare: cuius de verbi vi ad hoc idem propositum, aliàs memini dixisse [c]. Lege Ioannem Ferdinandū in Thesauro scripturarum, verbo, *ambulare*.

a 2.Cor.13.3.
b Gal.2.20.
c Act.9.31.

Hæreticorū fides vana non potest efficere vt quis in Christo maneat.

Hinc porrò egregiè refutatur vana, vacuáque bonis operibus Hæreticorum fides, quæ sanè non potest efficere, vt esse in Christo quisquam absolutè censeatur.

Manere.] Esse per modum habitus, & inhabitantis. Id fit per gratiam habitualem inhærētem. *Manete in me, & ego in vobis* [d], ait Christus, *& ad eum veniemus, & mãsionem apud eum faciemus* [e]. Itaque manet Deus in nobis, & verba eius [f]: manemus & nos in Deo atque in dilectione eius [g]: reciprocatio necessaria. Manent quidam per solam fidem: in his hoc manet quoque modo Deus, siue Christus. Tamē absolutè videtur manēdi verbum perfectam denotare mansionem per charitatem, quæ sola sedem Deo ac domiciliū gratum facit. *Quid vocatis me, Domine Domine*, ait Christus, *& non facitis quæ dico* [h]? Quasi diceret, domi meæ plena possessione non censetur manere, qui non obedit mihi. Cæterum ambulandi verbo non importatur necessariò profectus, sed tantùm processus, progressus, motus de actione in actionem. Alioqui non tribueretur Christo, qui non potuit proficere; quemadmodum iam priùs monui.

d Ioan.15.4.
e Ibid. c.14.
f Ibid. c.15.7.
g ibidem 9.
h Luc.6.46.

Vers. 7] Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est verbum quod audistis.

Mandatum dilectionis cur antiquū dicatur.

Illud profectò mandatum intelligit charitatis, quod in primis commendauit Christus, & cuius obseruator in ipso manet, & qui manet, id obseruat. Erat vetus, vel quia pridē tum ipsemet Ioannes tradiderat, nullum adeò sæpè, & enixè solitus inculcare, atque commendare: tum Christus sub mortem præsertim [i]: vel quoniam in vetere quoque Testamento [k] extabat: vel quia datum primis parentibus, & quodammodo insitum à natura. Ioannes occurrit, si Didymo, & Carthusiano credimus, criminantibus ab Apostolis destrui veterem legem, & nouam introduci. Si legis nomine comprehendatur lex quoque naturæ, recipi posset hæc expositio, quia videtur epistola scribi conuersis de Gentilitate, vt est dictum aliàs, & postea dicetur.

i Ioan.13.34.
k Deut.6.5.

Auctoritatem conciliat antiquitas.

l Mar.1.27.
m Act.17.18.21.

Conciliat antiquitas auctoritatem: esse suspecta nouitas solet. Hanc Iudæi obiiciebant ipsi Christo [l], & Paulo Athenienses [m]: eandem potiore iure Nouatoribus obiicimus, eos antiquitatis venerādæ præscriptione confutantes. Operi aureolo suo Vincentius Lyrinensis titulum fecit *aduersus profanas omnium hæresum nouationes*. Idem de Præscriptionibus Tertulliani denotat liber, quamuis generaliter præscriptio Iurisconsultis *sit exceptio, ac defensio, seu allegatio, quod aduersarij non procedat intentio*, licèt aliàs vera in eo casu, de quo agitur. Definit autem Hæreticum [n], *qui deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit, quod retro non erat.*

Præscriptio quid sit.
n Tertullian. aduersus Marcionem c.2.

Charissimi.] Ἀδελφοί, Fratres. Roberti Stephani Græca editio notatos habet quosdam codices in margine, qui legunt Ἀγαπητοί. Hi præferendi sunt, tum quia redolet magis hoc epithetum suauem Ioannis charitatem, & aliquoties ab eo ponitur: tum quia Latini omnes idē, vel dilectissimorum nomen retinent, vt August. Fauet præterea editio Syra. Interpres verò positiuum τῶν ἀγαπητῶν frequētiùs reddit per superlatiuum charissimorum, vel dilectissimorum: nonnunquam tamen etiam vertit dilectos. Egimus his de vocibus in Actibus Apostolorum [o]. Spirant humilitatē, & dilectionem: vt nempe significant ex amore Dei pendere, quòd nos vocauerit, & sanctificauerit: nos item propter idem vinculum commune dilectionis, qua nos Deus diligit, diligere inter nos.

o cap.15.25.

Opportunum videtur hic recolere quod notauit Origenes [p] inter φιλεῖν καὶ ἀγαπᾶν, φιλίαν καὶ ἀγάπην discrimen in sacris litteris, vt honestius loqui volens vsurpauerit semper ἀγαπᾶν, καὶ ἀγάπην. Augustinus qui commentario [q] huius epistolę, dilectionem de rebus bonis dici frequentiùs vult, amorem de carnalibus, tacitè hoc alibi [r] reprehendit aliquot allatis exemplis. Amare, & diligere simul sumuntur in bonam partem in interrogatione Christi, & Petri responsione, vtrùm is illum amaret, ac diligeret [s], vbi bis Christo tribuitur ἀγαπᾶν, semel φιλεῖν, Petro semper φιλεῖν. Et sine dubio, *Qui* [t] *diligit iniquitatem, odit quoque animam suam*, *propterea malus est.*

p homil.2. in cantica.
q Tract.7.
Dilectio & amor quomodo differant.
r 14. de ciuit. c.7.
s Ioan. vlt.15. & seq.
t Psal.10.6.

Tamen non Græcę modò dictiones, sed etiam Latinæ multo sæpius accipiuntur, sicut notauit de Græcis Origenes. Gregorius Episcopus Tauromenij [u] notat Petrum Christo quærenti: *Diligis me*, ἀγαπᾷς, respondisse: *Tu scis Domine, quia amo te*, φιλῶ, quasi posterius verbum Græcum, sicut & Latinum, sit intensioris significationis. Testis quoque Cicero [x] ἐμφατικώτερον esse, verbum amādi, quàm diligendi, & [y] de accessione loquens amoris, ait fuisse tantum, vt sibi tunc denique amare videretur, antea dilexisse. Lege Commentarium Viuis [z] in Augustinum. Tale & Terentianum illud [a]:

Non pol quò quemquam plus amem, aut plus diligam, eò feci.

u hom.21. in c.27. Math.
x ep.1. ad Brutum, & lib.13. ep. famil. ep.48.
y 9. Famil. ep.14. & lib.14. ad Attic. epi.19.
z lib.14. de ciuit. c.8.
a in Eunucho.

Indicio præterea vetus vocabulum τῆς ἀγάπης in vsum quoque translatum Latini sermonis apud antiquos Patres Latinos, pro honestissimo piissimóque Christianorum conuiuio. Numquam diuinæ scripturæ Latinè loquentes, charitatis, & chari, & charissimi sumunt aliter nomina, quàm honestè, atque religiosè. Ego nihilominus obseruaui tributum τὸ φιλεῖν non rarò Patri cœlesti Filiū diligenti [b]: Christo Lazarum [c]: eidē rursus Patri Discipulos Christi [d], & illis Christū [e]: iterū Christo Ioannem [f]. Postremò relictis aliis exemplis, εἴ τις, ait Apostolus Paulus [g], οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἤτω ἀνάθεμα μαρὰν ἀθά: & Latinus interpres: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema maranatha.* De verbo item ἀγαπᾶν notaui perrarò positum pro vitioso amore [h]: *Nolite diligere mundum*, &c. nunquam nomina ἀγάπη, & ἀγαπητὸς in nouo Testamento, & forsan deprehendet idem in vetere, qui quæret. Hæc multa transtulimus ex nostris in Actus Apostolicos Cōmentariis [i]. Mitto quam ponit Dionysius [k] inter ἔρωτα, & ἀγάπην differentiam.

b Ioan.5.
c Ioan.11.
d Ioan.16.
e ibidem.
f Ioan.10.
g 1.Cor.16.22.
h 1.Ioan.2.15.
i cap.15.25.
k cap.4. de Diui. nom.

a Ioan.13.34.

Non mandatũ nouum.] Quomodo Christus nouum vocar[a],& sequenti versu Ioannes? Augustinus,Beda, aliíque Latini interpretes respondent iis ferè modis, quos attùli principio huius versus, necnõ Iunilius Africanus citatus à Glossa noua, censeri mandatum vetus.Clemens Alexandrinus vetustatem refert ad legem, & Prophetas, vbi dicitur, inquit, *vnus est Deus*. Didymus eodem pacto, sed exprimit mandatum de dilectione Dei,& proximi. Verùm quia scribitur epistola Gentilibus, seu ex Gentilitate conuersis Christianis, vltimis enim verbis monentur se custodire à simulacris, idem Pater conuenienter aliam dat rationem, quòd dilectionis mandatum homini maximè congruat, & cùm sit sociale, ac mansuetum animal, quodammodo naturale ipsi censeatur, iuxta illud principium, cuius meminit Christus[b],& est prorsus naturale: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. Addit non vocari vetus mandatum, quasi ei aliud succedat,sicut Nouum veteri Testamento: nec enim omnia, quæ in antiqua scriptura referuntur præteriisse, aliis succedentibus, sed absolutè,propter antiquitatem,quemadmodũ qui Prophetæ narratur apparuisse, *Antiquus dierum*[c].Lyrano eadem placet ratio, & Hugoni,& Carthusiano.Oecumenius vtramque cõiungit, vúltque communiter ad Iudæos, & Gentiles,hoc est,ad conuersos ex vtrisque scribi epistolam.

Dilectionis mãdatum homini maximè congruit.

b Matt.7.12.

c Dan. 7.9.

Cur hoc præceptum nouum dicatur.

Nihilominus nouum vocatur idem mandatũ, quia renouatum in lege Euangelica, apertiúsque declaratum, cùm desuetudine antiquatum videretur, & multis ceremoniis penè obrutum: & cùm sibi permissum, vel iniunctum quoque putarent Iudæi odium inimicorum[d]: quia noua ad id obseruandum, id est,maior, & veluti vegetior communicata gratia in eadem lege, quæ vocatur gratiæ,& charitatis,& renouationis, seu nouitatis Spiritus. Solent prætereà passim Euangelij Ioannis interpretes Græci,& ex Latinis, Rupertus, nouitatem mandati charitatis in eo ponere, quòd lex Euangelica exigat vt non solùm diligamus proximum sicut nos ipsos, sed plus etiam quàm nos ipsos, eo nimirum modo, quo nos Christus plusquàm seipsum, moriendo pro nobis,qui charitatis modus in antiqua lege videtur inauditus, vt quis nimirum moreretur pro alio, maximè pro inimico. Nouum item dici potest, quòd tanta Christus velit à nobis,ac adeo recenti volũtate,studióque seruari, ac si nunc primùm daretur, ita vt de nouo, iterúmque etiam atque etiam inculcetur, & commendetur propter eius super alia præcepta omnia summam dignitatem, vtilitatem,necessitatem. Glossa Interlinearis innuit hunc sensum,& Hugo,*plus*,inquit, *redditur, plus debetur*. Appellant Hebræi nouum quod præstantissimum,vt *canticum nouum*[e].

d Matt.5.43.

e Psal.95.1. & 97.1.

Quid si alio Hebræo idiotismo nouum interpretemur postremum? *Filioli*, ait Christus, *adhuc modicum vobiscum sum*[f], &c.tum verò subdit: *Mãdatum*[g] *nouum do vobis*, quod nempe in hoc vitæ meæ termino per velim fixum hærere memoriæ omnium vestrum.

f Ioan.13.33. g ver.34.

Mandatum vetus est verbum quod audistis.] Addunt hîc rursus Græca *ab initio*. Volunt autẽ alioqui significari hîc legem æternam de diligendo proximo, quæ videbatur noua ob prædicationẽ publicationémque. Probabilius est accipi sicut priùs, & idem esse atque quod antea dicebatur, *quod habuistis ab initio*, nempe à nobis prædicantibus, aut quid tale.

Vers.8.] Iterum mandatum nouum scribo vobis,quod verum est & in ipso, & in vobis:quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet.

Exigit istius, ac sequentis intelligentia sententiæ, quæ maiore iam ex parte superiùs tradita est,nonnullarum dictionum particularem explicationem.

Quod verum est.] ὅ ἐστιν ἀληθές: sine solœcismo non potest referri ad mandatum, quia Græcè est ἐντολὴ fœminini generis,& Oecumenius tamẽ sic interpretatur.Potest absque hoc vitio substantialiter sumi *quod* pro *quæ*,nempe, quæ res vera est, scilicet illud charitatis præceptum reipsa renouatum, & nouo quodam modo traditum, ac demonstratum in Christo,& à Christo, quem propter nimiam charitatem suam *Pater nobis dedit*[h], nostrum fecit, & redemptorem, & exemplum, excussis tenebris status naturæ, legísque, lumine illato Euangelij, ac ipsomet Christo, qui *lux est mundi*[i], *omnem hominem illuminans*[k], ita vt plures vestrum exactè charitatem colant, & tolerando, & diuina cõsilia sequendo. Erat antè præceptum idem,sed quodammodo in vmbra,& sine viribus ad id implendum,ac potiùs, vt cognitio peccati haberetur[l], quàm vt vitari posset, & illud executioni mandari. Nam *ad nihil perfectum adducebat*[m] *lex:gratia & veritas per Christum*[n], qui & præceptum verè expressit in se,& vires nobis suppeditauit ad præstandum.

h Ephes.2.4.

i Ioan.8.12. k Ioan.1.9.

Præceptũ dilectionis erat obscurũ ante Christum.

l Rom.3.20.

m Heb.7.19. n Ioan.1.17.

Hoc præceptum cur sit verum.

Verum est præceptum nunc, quia præsens affert pręmium obseruantibus illud,vt innuit Hugo,& Catharinus,quod antea longiùs aberat. In præcepto includitur obligatio implendi & pollicitatio præmij,tanquam fructus,& effectus:si desit virtus implendi, & complentibus vitæ terminum,præmium vmbratile, quodammodo videri adhuc potest,ac obscurum.

Prætereà illud mandatum charitatis,res quædam est, quæ facit,vt verè simus in ipso, id est, Christo,nec non in nobis: stringit nos enim inuicem,& cum Christo. Sic sensus erit, *Quod verũ est in ipso, & in vobis*, id est, quod est verè esse in Christo,& in vobis ipsis.

Et in ipso.] Deest quidem cõiunctio *&* in Græco, Syróque textu, & nonnullis codicibus Latinis,sed quod rem exprimit magis, non redundat, pronomen *ipso*,Deum denotat, qui est Christus, vt antè docui. Hieronymus[o] hunc locum recitat aliter: *Mandatum nouum scripsi vobis,quod est verissimum,& in Christo,& in nobis*.

o 2.cont.Iouin.

Et in vobis.] Pauci codices Græci, quos notat Robertus Stephanus in editione noui Testamenti,legunt ἡμῖν,nobis,Hieronymus quoque, sicut modò retuli. Sensus nil inde variatur. Tamen aptiùs congruit pręcedentibus pronomen secundæ personæ,nec non Ioannis modestiæ, qui, cùm de peccatis est sermo, seipsum coniungit cum aliis[p],non autem quando nominat charitatem, quam verè alij persequãtur. Caietanus tres alias dictiones supplet,*idem verum est*,sanè haud necessariò, vel ex cuiusquam, quod sciam, codicis alterius fide,aut scriptoris auctoritate.

p c.1.& 9.10. & isto c. vers. 1 & 2.

Quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet.] Transierunt vmbræ,ac figuræ,status imperfectus, ignoratio, atque peccatum, prout satis antea declarauimus:Quod per se malum est, vel

omni

omninò negatiuum, vt peccatum & ignorantia, transire in totum debet: quod est imperfectum; sed positiuum, & ad perfectionem relatum tendénsque, deposita manet imperfectione. Verbi gratia, qui puer est, dum adolescit, & fit vir, idem ipse perdurat, sed sine defectu ætatis. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit*[a], *eramus tenebræ, nunc lux in Domino*[b]: & *qui sapiebat, ac loquebatur vt paruulus, vir factus euacuat quæ sunt paruuli*[c]. *Tempora prioris ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus vt vbique pœnitentiam agant*[d], & sumus tamẽ adhuc, *lucemúsque in caliginoso loco, donec orietur Lucifer in cordibus nostris*[e]. Videntibus lumen ipsum in ipsomet lumine[f], non in vmbra, nõ in ænigmate, nõ obscurè per fidem. Pater lumen est ceu in luminoso corpore: Filius lumen est, vt id quod producitur primarium rectúmque: Spiritus sanctus tanquã splendor, quod vocant reflexum lumen: lumen creatum secundarium est, permixtum vmbræ, iacens in vmbra. Hoc modo solus Deus est verum lumen[g], & *lux vera*[h]; sicut *panis verus, vitis vera*[i], *via, veritas, vita*[k], id est, *vera via, vitáque.*

a Rom.13.12. b Ephes.5.8. c 1.Cor.13.11. d Act.17.30. e 2.Pet.1.19. f Psal.35.10. *Pater est lumen, Filius est lumen, & Spiritus S. lumen.* g Ioan.1.9. h Ioan.6.32. i Ioan.15.1. k Ioan.14.6. *Cur Deus vocetur lumen verum.*

Vocatur hoc loco lumẽ verum, propter maiorem copiam luminis diuini pertinentis ad ordinem diuinum, respectu cuius non ignoratio tantùm, & peccatum, quæ vigebant priùs in orbe, veræ tenebræ sunt; sed quicquid etiam præcessit lucem magnam, *quæ ambulantibus in tenebris, & regione vmbræ mortis orta est*[l], quamuis luminosum, & diuinum, censeri quodammodo tenebræ possunt, nec omnino verum, id est, perfectum lumen, spectata illa imperfectione, & propria relatione ad vlteriorem perfectionem, huius quoque temporis & vitæ. Nunc quidem ablatum est *à facie Mosis velamen*[m], & *templi scissum velum*[n], sed adhuc *lucem habitat inaccessibilem Deus*[o]. Illuminamur, calefimus, vegetamur, exhilaramur hoc lumine, suo postea tempore introibimus in gaudium[p], perficiemur, ardebimus, resplẽdescemus.

l Matt.4.16. m Exo.34.33. 2.Cor.3.13. n Mat.27.51. o 1.Tim.6.16. p Mat.25.21.23.

Iam lucet.] Syriacè שרי מתחזא *schari methchaze, incipit apparere.* In Euangelio dicitur *lux in tenebris lucere*[q]: hîc autem trãsisse tenebras. Certè lux tenebras expellit, nec illæ sunt, vbi ista. Ibi Christum interpretantur magis eluxisse, ac enituisse inter Principis tenebrarum, & hostium suorum vexationes. Alij, Diuinitatem Verbi in carne, & variis aliis quos Maldonatus recitat modis. Illa dictis antea conuenit, vt nos ipsi, quibus lux lucet, dicamur tenebræ, quia quantumcumque illuminemur, semper eius comparatione tenebræ sumus, & *mirabilis scientia Dei*, etiam incarnati, id est de Deo incarnato, *ex nobis*, id est, supra vires nostras, *confortata est, & non poterimus ad eam*[r].

q Ioan.1.5. r Psal.138.6.

Tatianus[s], Leo[t], Lanfrancus[u], B. Thomas[x], & ex Græcis Ammonius[y] in Catena citatus, Cyrillus[z] quoque, & Origenes hunc sequuntur sensum.

s orat. contra Græcos. t serm.18.de Pass. u cont. Berẽg. x in Iohnem. y hoc loco. z homil.9. in Ezech.

Sed simplicior expositio lucera lucem in tenebris, quia quod in sa est, abigit tenebras: sed hæ non comprehendũt, quia non admittunt, homines sæpe tenebricosi, & lumini rebelles[a], quod non sine maxima dici, cogitatiue potest admiratione. Eo exponunt modo Augustinus, Beda, Rupertus, Enthymius in Commentariis, & Bernardus[b].

a Iob 24.13. b 5.de consid. *Tenebræ quæ transierunt quæ non sint.*

Hoc loco tenebræ, quæ transisse scribuntur, designant, vt non semel dixi, statum obscurioré, ac imperfectiorem, in quo vigebant magis ignorantia, & peccatum: transiit ille status, & maior modò lucis copia, diuinæque gratiæ suppetit. Non probo, vt cum Glossa ordinaria tenebras transisse sit, corpus passibile, ac miserias carnis in Christo. Potest id ferri secundum sensum accommodationis: quemadmodum & quod ait Chrysostomus[c], incarnationem contigisse octano Kalend. Aprilis, die Æquinoctialis ad inchoationem lucis iam detersa caligine à mundo. Similis obseruatio Augustini[d], natum Christũ quando incipiunt dies crescere.

c hom. de Io. Baptista. d serm.22. de tempore.v.9.

Vers.9.] Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc.

Vers.10.] Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.

Vers.11.] Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.

ILligata versibus his eadem sententia de amore, odióque fraterno, vt ille cum lumine, seu luminoso, istud cum tenebris, ac tenebricoso comparetur.

Generaliter Ioannes agit, non propriè de Iudæis, vt quibusdam placet[e]: quòd hi se Dei profiterentur cultores filiósque, tamen odissent primogenitum fratrem suum Christum. Dirigitur epistola ad omnes, cunctique interpretes vniuersalem hîc agnoscunt sermonem: nec professioni nomini que respondere Christiano, sed in tenebris versari peccatorum, & externis illis inferni deputatum esse, ac de vitio progredi in vitium, odio ipso cæcatum, nec agnoscentem quid agat, vel vbi iaceat, eum qui fratrem odit. Contrà verò illum, qui fratrem diligit, incedere in lumine bonorum operum sine offensione, atque impedimento.

e Salmer. *Epistola dirigitur ad omnes.*

Nihil tetrius maleuolo & iracundo, nihil vt ira offundit rationi tenebras: *Iucundus est homo qui miseretur*[f]: & charitatem comitatur proximus Spiritus sancti fructus[g], gaudium. Præterea, qui odit, & nocet, latebras noctis obseruat. Res compertissima, testatissimáque. Non opus profano testimonio: sacrum sufficit ex libro[h] Iob, etsi distinctè loquatur de adulteris. Denique *qui male agit, odit lucem*, ait lux Christus[i]. Præit sine dubio lux intellectus operantem voluntatem. Sed hæc illum quoque mouet, applicátque. Idcirco ambulat in tenebris qui odit: sicut qui diligit, manet in lumine. Et paulo pòst, *vnctio ipsa docere dicitur*. *Error autem, & tenebræ peccatoribus cõcreata*[k] *sunt, & via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant*[l]. Primatum in virtutibus charitas tenet, iure, vt doceat & illuminet eo qui dictus est modo, tribuitur charitati: vicéque versa odium tenebras inducere dicitur. Qui caret caritate, nec finem videt qui est Deus, practicis oculis, nec sua seipsúmque, nec fratrem. *Ipse*[m] *scelere cæcatus est*, ait Chrysostomus, *vadit nesciens in gehennam ignis, & præceps fertur ad pœnam, separatus à lumine Christi docentis, & dicentis: Ego sum lux mundi*[n] *huius: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Cypriani[o] penè genuina sententia: *Qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, & non scit quo eat: it enim*

Maleuolo & iracundo nihil tetrius. f Psal.111.5. g Gal.5.22. h c.24.13.14.15.16.17. i Ioan.3.20. *Ambulat in tenebris qui odit.* k Eccl.11.16. l Prou.4.19. m hom. de Erud. discipulum. n Ioan.8.12. o de zelo, & liuore.

nescius in gehennam, ignarus & cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scil. à Christi lumine, monentis, & dicentis [a]: *Ego sum lumen mundi*, &c. Quæ sequuntur pariter extant priore loco, qui vt Chrysostomi citatur: necessaria verò coniectura est, esse Latini Auctoris, qui ex Cypriano transcripserit.

Et fratrem suum odit.] Cyprianus [b] his verbis alia subiicit immediate, *mendax est*, facile fuit vel interpretari mendacem esse, qui se, odiendo fratrem diceret esse in lumine: vel hæc verba repetiisse ex versu quarto: faciunt id nónunquam fratres aut confusione quadam memoriæ, aut etiam de industria. De fratris nomine disputaui in Historia Apostolica [c]. Comprehendit quemlibet ad quem se Charitas extendit, etiam Dominum, vt Clemens Alexandrinus docet, nec non Oecumenius. Omnes vos fratres estis, ait Christus [d], vnúsque Pater omnium qui in cœlis est, quem & communiter vt nostrum orari præcepit [e]. Malachias [f] verò, *nunquid non*, inquit, *Pater vnus omnium nostrum?*

In tenebris est.] Præter dicta de tenebris, lege Augustini [g] cõparationem elegantem inter carceris tenebras & peccati: qui præterea monet, debere nos hanc Ioannis terrere sententiam. *Non potest in lumine Christi esse, & ad Christum pertinere*, ait Oecumenius, *qui pro quo Christus mortuus est, odit.*

Vsque adhuc.] Tum si nondum baptizatus est: tum si ad Baptismum fictus accessit: tum si à Baptismo fratris odio exarsit. Sic Augustinus & Beda, Hugo, & Caietanus, nõ obstante Baptismo, & quibuscumque Sacramentis.

Qui diligit fratrem suum, in lumine manet.] In gratia diuina, in fide formata, & practica: fidei namque informis lumen, ac mortuæ residere potest in peccatore. Dilectioni fratris legis impletio tribuitur [h] potiùs quã Dei, quia hæc est illius causa: potest autem intelligi causa sine effectu, hic non ita, maximè cùm est immediatus, & includit habitudinem essentialem, tanquam rei propter rem, amari propter aliud, vt in proposito, proximi propter Deum. Humanæ vis amicitiæ est tanta, si vera sit, & solida, satis vt esse censuerint Aristoteles [i], & Cicero [k] ad continendas absque legibus vllis aliis Respublicas. Quanto superoaturalis diuináque charitas efficacior? non eximit à singulorum executione præceptorum, vt visus est Marcion sensisse [l]: sed facilem ac suauem exigit executionem. Cæterùm nihil interest inter lumen & lucem apud Ioannem, quoniam eadem iis Græca vox respondet: quamuis alioqui Grammatici lumen dictum velint quasi lucimen, hoc est deriuationem à luce, & qualitatẽ nõ natiuã, sed communicatam, vt in medio illuminato, &c.

Et scandalum in eo non est.] Pax [m] enim *multa diligentibus legem* Dei, cuius impletio & finis est charitas, *& non est illis scandalum* [n], nec actiuè, nec passiuè: *& qui in luce ambulat, non offendit* [o]. *Nam charitas patiens est, & benigna* [p]: *non æmulatur, non agit perperam: non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Nihil est ergo, vnde scandalum vel accipere, vel dare possit, qui charitate præditus est, & dicto, factóve minùs recto suo, aut alterius occasionem ruinæ sumere, aut præbere. *Sollicitus est seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis* [q]. Nam *si propter cibum, frater tuus contristatur, & scandalizatur, iam non secundum charitatem* [r] *ambulas: noli & in Christum peccas percutiens conscientiam alterius*, paratúsque deberes esse nec in æternum manducare carnem, ne scandalizares fratrem [illegible]. Leue scandalum, seu veniale excipias, nullum namque tale peccatũ euertit charitatem.

Quà digrediendo differit Augustinus contra Donatistas ab Ecclesia sese separantes propter nonnullorum siue veram, siue fictam ab ipsis improbitatẽ: quadrant aptissimè nostris tẽporis Hæreticis, qui puti puti reformati, Euangelici, gloriosè, magis quam verè, nominari volunt. Qui diligit fratrem, tolerat omnia, propter vnitatem, quia in vnitate charitatis est fraterna dilectio. Offendit te nescio quis, siue malus, siue, vt tu putas, malus, siue, vt tu fingis, malus, cur deseris tot bonos? Qualis dilectio est fraterna? Certè videtur Augustinus, quem sequi solet Beda, scandalum actiuum intellexisse, quod Hugo quoque facit. Legendus idem Augustinus [t] in Psalmum 118. & Prosper. Caietanus per se de passiuo contendit intelligendum, vt nempe quis ingrediatur in lumine absque offendiculo: & idem innuit Glossa interl. Cæteri amplectuntur vtrumque.

Æqua, plana, expedita, denique excellentior via charitatis [illegible], sine sorde, sine flexu, sine saxis, *ita vt nec stulti errent per eam* [u], nisi data opera errare velint. *Via iustorum absque offendiculo* [y].

Vox scandali è Græca τοῦ σκανδάλου sumpta est, cui synonyma est τοῦ προσκόμματος, quam vocem vtramque coniungit Paulus scribens Romanis [x]. *Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Primum est, in quod quis impingit, licet non cadat: secundum, in quod impingens cadit. Ita vt eo loco Apostoli, vt ait Toletus, offendat, qui peccando fidem nõ perdit: scandalizetur, qui fidem quoque perdit. Vel offendere dicatur, qui ex occasione turbatur, tentatúrque: scandalizari, qui prorumpit in peccatum. Fatetur tamen discrimen id perpetuum non esse: & ita est.

Hieronymus [a], nisi fallor, ait σκῶλον & σκάνδαλον. Apud Græcos ex offensione & ruinæ nomen accepit. Videtur autem sacrum, vel Ecclesiasticum dumtaxat hoc vocabulum, nec profanis vsitatum. Testis idem Hieronymus [b], qui sic rursus de hoc nomine: *Quia crebrò scribitur in Ecclesiasticis Scripturis scandalum, breuiter dicamus quid significet πρόσκομμα, & σκάνδαλον. Nos offendiculum, vel ruinam, & impactionem pedis, possumus dicere: deriuant à σκάζω, siue σκάω, id est, claudico, quod cogat claudicare pedibus obiectum offendiculum: aut est, vt aliis placet, σκάνδαλον, lignum id curuum, quo sustinetur decipula, vel tendicula; & in quod animal dum impingit, in sui ipsius ruinam euertit decipulam: aut postremò impedimentum insidiosè positum in via, vt transiens offendat.*

Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est.] Augustam nimis faciunt [c] sententiam, qui de Gentili odiente Christum, sicut superiorem de Iudæo interpretantur. Familiare monui Ioanni esse, rem eandem idem significantibus exaggerare sententiis.

Et nescit quò eat.] *Is enim*, ait Cyprianus [d], *nescius in gehennam, ignarus, & cæcus præcipitatur in pœnam*, recedens scilicet à Christi *lumine monentis, & dicentis* [e]: *Ego sum lumen mundi: qui me sequitur fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

Quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.] Error, ignoratio, peccatum, passiones immoderatæ cæcitatem oculis mentis ingerunt: quæ sunt figuratæ,

a Ioan. 8. 12. b De zelo, & liuore. c Hist. Apost. d Matt. 23. 8. e c. 6. 9. f c. 2. 10. h Rom. 13. 10. i Ethic. l. 8. k lib. de amicitia. m Psal. 118. 165. n Rom. 13. 10. o Ioan. 11. 9. p 1. Cor. 13. 4. q Ephes. 4. 3. r Rom. 14. 15. s 1. Cor. 8. 13. t Concio. 31. x cap. 14. 13. a 1. cor. Pela. b in c. 25. Mat. c Salmer. d de zelo, & liuore. e Ioan. 8. 12.

iatæ, moralesque tenebræ, *excæcauit eos malitia eorũ* [a]: *Ambulabant vt cæci, quia Domino peccauerũt* [b]: *Palpant sicut cæci parietem: & quasi absque oculis attrectant, impingunt in meridie, quasi in tenebris* [c]. *Turbatus in ira oculus* [d]: *Ignorantia est in ipsis propter cæcitatem cordis ipsorum* [e]. Sic de nihilo nihil est, de tenebris cæcitas: & ipsi verò corporis oculi exterius cæci tenebris diuturnis effici possunt, sicut de nimio splendore aliàs docui [f]. Petrus Damiani sic scribit, eum qui odit fratrem, in tenebris esse, quia turbatur præ ira, & furore oculus mentis, vt modò dixi: caritatis verò præceptum lucidũ *est, illuminans oculos* [g]: & quia qui credit in Christũ, in tenebris nõ manet, ait effici, vt qui fratrẽ odit, conuincatur non credere in Christum, & inter Christi fideles superfluè numeretur: nempe, quia fide *caret, quæ per dilectionem operetur* [h]. Deplorandæ mentis tenebræ, multo magis, cæcitásque.

O miseras [i], ait ille, *hominum mentes, ô pectora cæca,*
Qualibus in tenebris vitæ, quantísque periclis
Degitur hoc æui quodcumque est!

& alius [k]:

Proh superi, quantùm mortalia pectora cæca
Noctis habent!

Qui captus oculis corporis est, id agnoscit, & aliena incedit opera: Spiritualiter cæci se profitentur videre, *sicque peccatum eorum manet* [l]. Illud non habituri, hoc est, facilè diuina ope depositurι, si cæci essent, nimirum si se quod sunt, esse cognoscerent. Oculos materiales constat quosdã eruisse sibi, quòd internorum viderentur aciem impedire [m]. Certè quibus vel natura, vel morbus visum ademit, si Deum respiciunt, & res spirituales, non est, quòd cõmune illud formicis munus, culicibus, muscísque, vehementiùs expetant, sicut Antonium Didymo narrant dixisse [n], eùm scientias cæcus vsque ad perfectum didicisset [o]: cæcitatem verò ferret cum mœrore. Hac solatur Antonij sententia Hieronymus [p] Castrutium, ratione verò ipsa eiusdem Abigaum [q], & aliis nonnullis.

Robertus Olcot [r] ingeniosè, piéque differit de spirituali iam multiplici cæcitate, quàm est capitale septenario numero comprehensum peccatũ, & superbiæ figuram quandam vult esse, Sauli cæcitatem [s] quam patiebatur, Heli Sacerdotis [t], Inuidiæ: Iræ, Lamech pro sera Cain interficientis [u]: cæcitatem Tobiæ [x], peccati fœdiæ: auaritię, secus viam sedentis mendici cæci [y]: cæci nati, gulæ [z]: denique luxuriæ, Samsonis cæcitatem [a], & Sodomitarum [b].

Infidelitas vendicat peculiariter sibi nomen cæcitatis: Sed Gentiles cæci dicuntur potiùs, Iudæi cæcati: quoniam illis non sic affulsit, vt istis, lux Scripturarum. Gentiles innuit Esaias [c], *de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt*. Rursus [d]: *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium, vt aperires oculos cæcorum*. Iudæos idem apertè significat [e]: *Videte visionem, & nolite cognoscere: excæca cor populi huius*. Item [f]: *Quis cæcus nisi seruus meus? qui vides multa, nónne custodies?* prætereà [g]: *Educ foras populum cæcum, & oculos habentem.*

Lege de hac Iudæorum cæcitate, vel potiùs excæcatione Augustinum [h]. Tandem Iudæi de videntibus cæci, Gentiles de cæcis facti sunt videntes [i], vt Christum intellexit Chrysostomus, & Cyrillus. Quanquam his, qui quam habebãt, abusi sunt sapientia Gentilibus, obscuratum cor tradit Paulus [k], & non obscurum dumtaxat.

a Sap. 2.21. b Soph. 1.17. c Esa. 59.10. d Psal. 6.8. e Ephes. 4.18. f Act. 9. g Psal. 18.9. h Gal. 5.6. *Turba & captiui sunt in mundo multiplices.* i 2. de natur. rerum. Lucretius. k Ouid. 6. Metamorph. l Ioan. 9.41. m vt Democritus apud ... lib. 10. ... Cic. Tusc. 5. & alios. *Cæcitas quibus non sit lugenda.* n Ruffin. li. 11. ... Niceph. lib. 9. cap. 17. Hier. epist. ad Castrutiũ. 35. o idem Hier. de script. Ecc. in Didymo. p epist. 33. ad ipsum. q epist. 32. *Septem cæcitatis genera quæ sint.* r in c. 2. Sapientiæ lect. 32. s Act. 9. 8. t 1. Reg. 3. 2. u Gen. 4. iuxta quorundam opinionem. x Tob. 2. 11. y Luc. 18. 35. z Ioan. 9. 8. a Iud. 16. 21. b Gen. 19. 11. c cap. 29. 18. d cap. 42. 7. e cap. 6. 9. f cap. 42. 19. g cap. 43. 8. *Iudæi de videntibus cæci facti sunt.* h lib. 13. cont. Faustũ. tom. 6. i Ioan. 9. 39. k Rom. 1. 21.

Lepidum est quod de Harpaste Seneca [l] commemorat vxoris suæ ancilla fatua: Hæc subitò desiit videre, nesciebat esse se cæcam: pædagogũ rogabat, vt migraret: aiebat domum tenebrosam esse. *Hoc quod in illa ridemus*, ait Stoicus philosophus, *nobis accidere, liqueat tibi. Nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum: cæci tamen ducem quærunt: nos sine duce erramus, & dicimus: Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest viuere, &c.* De surdastro familiari suo Muretus in notis ad Senecam narrat historiam penitus assimilem, qui iam octogenario maior, hoc in se vitium non agnosceret, sed verè ac seriò conquereretur pessimam consuetudinem inualuisse homines, multò submissiùs loqui quàm solebant, ita vt videantur vereri, ne intelligantur. Talis cæcitas Laodicensis [m] Episcopi tepidi, dicentis *se diuitem, & locupletatum, & nullius indigentem, & nescientis quia miser esset, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Postremò, qui fratrem non diligit, despicit: oculos auertit, aut etiam claudit, & se simulat cæcum, & quod vulgus dicere solet, pinguescunt, seu crassescunt ei oculi. De spirituali, ac optabili cæcitate legat qui cupit, Paulinum [n].

Vers. 12.] Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius.

INstituit ætates singulas (quod quodam fecit modo Petrus [o], & Paulus [p]) eadem opera gratulans illis de bonis, quæ acceperunt. Sed & hac ætate varia variam denotat dispositionem, progressúmque illorum, quibus scribit, vt notant Clemens Alexandrinus, & Oecumenius, nempe vt placet Caietano, & Catharino Incipientium, Proficientium, Perfectorum. Nec obstat nomen infantum, vt Catharinus obiicit, negans esse de ætatibus dictum sermonem: quid enim sibi velit, postea declarabitur. Illa tamen Origenis [q] quoque sententia est, negantis vllum de contrario dubium esse posse. Sed Augustinus eosdem docet ætatum trium nominibus appellari: vt filij dicantur, quia nascuntur: patres, quia Christum, qui est principium [r], & antiquus dierum [s] agnoscunt: adolescentes, siue iuuenes, quia fortes sunt.

Filioli.] Τεκνία. Quidam codices Παιδία: vtrumque synonymum est. Hoc loco nomen ætatis est, non vt superiùs, & inferiùs quoque tenerioris amoris. Vnde non placet quod ait Lyranus, & Carthusianus, esse filiolos, quos Ioannes ipse baptizauerit. Potiùs concedam quod paulo antè innui, docétque Carthusianus, filiolos dici eos, qui sint in fide recentes, tenelli, ac velut pueri, atque sic Hugo loquitur, neophyti, vt Augustinus, ac Beda, per Baptismum renati in nouam vitam. Ætatum hîc distinctionem non ponam, de qua dixi alibi. Lege Ambrosium [t], & Augustinum [u], prętter alios. Idem Origenes attendit hîc diuersa tempora ingressus in Ecclesiam: quemadmodum & doctor eius Clemens Alexandrinus in cõmentario, diuersum in religione Christiana progressum.

Quoniam remittuntur vobis peccata.] Prima, necessaria, minima verę iustitiæ ratio, vt sint remissa peccata: quem primus ex Sacramentis Baptismus operatur effectum: & si opus postea sit, etiam pœnitentia. Ab eo quod minus perfectum est, denominãtur *filioli*, ac neophyti, & incipientiũ gradus, licet sanctificante gratia præditi sint.

l epist. 32. *Laodicensis episcopi cæcitas.* m Apoc. 3. 15. 16. 17. n ep. 4. ad Seuerum ante medium. o 1. ep. 5. 1. 5. p 1. Tim. 5. 1. & seq. Tit. 2. 2. & seq. *Tres hominum ætates docet Paulus, & quæ sint illæ.* q Prolego in Cantica. r Ioan. 1. 1. c. 8. 25. s Dan. 7. 9. *Filioli quinam hic dicantur.* t ep. 9. in edit. vete. u lib. 83. qq. q. 58. *Remissio peccatorum prima iustitiæ ratio.*

Si posset puer gloriari, non alia re posset, nisi qu a natos est. Caietanus sic hos incipientes dicit ambulare in luce, vt eorum studium ad remissionem consequendam peccatorum admitatur. Catharinus remitti peccata, quæ ab iisdem incipientibus continuò admittuntur in imperfectione sua, nec ea ponderant, quòd nondum norint Dominum suum. Hæ expositiones duæ supponunt istos incipientes nondum allecutos gratiam iustificātem: quod repugnant aliis. & esse, vel ambulare in luce apud Ioannem, non iustificatis non conuenit, saltem opinione Caietani, qui idem vult esse ac habere societatem cum Deo, & Christo. De iustis vera quoque sententia, quòd remittuntur eis peccata, nempe leuia, quo forsitan modo Catharinus intellexit. Tempus autem præsens indicat paratam semper, & pro his, & pro grauioribus remissionem.

Quæ sit vis verbi remittendi, vt de peccatis dicitur, alibi docuimus: a debitis condonādis, aut à vinculis relaxatis peti formula videtur.

Aliquando remissio peccatorum, seu delictorum non significat condonationem, sed tabem, & corruptionem, ob quam venit medicus Christus. Sic epist. ad Romanos [a]: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum*: διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, &c.

Propter nomen eius.] Loquitur flagrans Ioannes amore Christi de Christo tanquam de valdè noto: notans eum pronominibus tertiæ personæ, non designans nisi admodum rarò, nomine proprio. Rectè autem remissio propter nomē Christi facta dicitur, ne quis abeat in partes, vel factiones, asserens se aut [b] Pauli, aut Cephæ, aut Apollo, aut etiam Ioannis, vt hoc obseruat loco Augustinus, se ipsum exempli quoque vice ponens, & Donatum.

Nomen.] Inuocatio nominis est, auctoritas potestásque & gloria, sicut aliàs crebrò meminimus. Thomas Anglicus putatus Aquinas, ait indicari baptismum solitum primo Ecclesiæ sæculo conferri in nomine Christi inuocati: qua de re diximus in Apostolicis Actibus [c]. Commodè hîc subintelligendū eum Hugone; sicut & in sequentibus monitis, vt *Deum diligant*: Proximumque, *vt Dei seruent mandata*: vt se gratos Deo præbeant, quod istos maximè facere decet recens è peccatis extractos, & in viam salutis traductos, dum videlicet recentior præteriti memoria periculi, & accepti grauitas beneficij. Cùm Ioannes etiam pueris ætatē catentibus scribere dignetur; monemur de formāda bene pueritia, *quæ ad malum prona est* [d]; & quia *colligatam habet in corde stultitiam* [e]; *virga disciplina diligentique cura fugandam hāc ab ea esse*. Meminerat forsitan Ioannes, talem ætatem amplexatum esse [f]: vetuisse ne quis tales scandalizaret [g]. Celebris etiam eiusdem Ioannis sollicitudo in adolescentis Episcopi cuidā commendanda cura, & exigenda [h].

Vers. 13.] Scribo vobis patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum.

Patres intelliguntur ætate quidem maturi, sed moribus, sapientiáque præsertim, quorum est alios generare spiritualiter, siue diuinis Sacramentis, siue doctrinis. Idcirco tribuitur istis cognitio Christi, quem soler Ioannes circumloqui per *eum, qui ab initio est, fuitve*, vt huius epi stolæ vidimus exordio. Idacius [i] tamen explicat de Patre. Cognitio verò haud paulò debet esse maior, nempe in morem sapientis contemplationis, quæ perfectorum est, ac veluti fœcundorū, quoniam simplex, qualis fidei subest, necessaria est etiam filiolis, id est, neophytis, & quibuscumque Christianis. Propria laus ætate grandiorū scientia, & sapientia: sed in hoc gloriandum solide, scire, & nosse Deum [k].

Latè patet patris nomen pro quolibet, qui sit ætate, loco, potestate, auctoritate superior, vt pro domino quoque famulorum respectu: quemadmodum parentes minùs quidem propriè, sed latiore tamen notione Galli, Itali, Hispani quosuis cognatos nominant: immò Latinorum Ecclesiasticorum antiquissimus Tertullianus [l]: Idem ubsetuat Auctor Calepini in Lampridio, & Iulio Capitolino. Eôdem referri potest quod Rex Gallorum principem virum appellat *mon cousin*: Hispanorum, *mi primo*.

Scribo.] Græci quidam codices in Testamento Græco nouo Roberti Stephani ad marginem notati habent ἔγραψα, *scripsi*.

Scribo vobis patres.] Ætates nostrar Augustinus tropologicè disputat in libro de vera religione [m]: Primam ætatem spiritualem ait esse in vberibus vtilis historiæ, quæ nutrit exemplis: secundam iam obliuiscentem humana, & ad diuina tendentem, nec iam contentam auctoritatis humanæ sinu, sed ad summam incommutabilem lucem legém ve passibus rationis innixam: tertiam iam fidentiorem, & carnalem appetitum rationis robore maritantem, gaudentémque intrinsecus in quadam dulcedine coniugali, cùm anima menti copulatur, & velamento pudoris obnubitur, vt iam rectè viuere non cogatur: sed etiamsi omnes concedant, peccare non libeat: quartam iam idipsum multo firmiùs ordinatiúsque facientem, & emicantem in virum perfectum, atque aptam & idoneam omnibus etiam persecutionibus, & mūdi huius tempestatibus ac fluctibus sustinendis, atque frangendis: quintam pacatam atque ex omni parte tranquillam, viuentem in opibus & abundantia incommutabilis regni, summæ atque ineffabilis Sapientiæ: sextam omnimodæ mutationis in æternam vitam, & vsque ad totam obliuionem vitæ temporalis transeuntem in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem & similitudinem Dei: septima enim iam, in qua quies æterna est, & nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua. Non potui mihi temperare, quin, quod minimè soleo, paulo longiorem alicrum hic insererem alienam orationem, propter eximiam ætatum hominis descriptionem spiritualem.

Scribo vobis patres.] Augustinus [n], per patres intelligit, mysticè videlicet, eos, qui ex senibus Isaac parentibus gignuntur secundum spiritum, hoc est, credentes, & ad nouum testamentū pertinentes, quorum fides ac prædestinatio est antiqua. Eundem lege in Esaiam [o].

Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignū.] Adolescenter corpore robusti, & militiæ apti, designant strenuè pugnantes, & victoriam de aduersario Diabolo reportantes, quos & proficientes nominamus.

Acris pugna cum hoste maligno, & astuto, qui

Marginal notes: remissio peccatorum nō significat semper condonationem, sed tabem. a cap. 3. 25. — Ioannes loquitur de Christo tanquam de valdè noto. b 1. Cor. 1. 12. — c Act. 2. 38. — d Gen. 8. 21. e Prou. 22. 15. — f Mar. 10. 16. g Matth. 18. 6. — h Hist. Eccle. — Patres quinam intelliguntur. — i contra Varimadum. — k Iere. 9. 24. Patris nomen latè patet. — l lib. ad Martyres cap. 2. & l. 5. de carne Christi. — m cap. 26. — n in c. 4. epist. ad Gal. — o in cap. 35. — Cum hoste maligno.

qui præferuida quoque abutatur adolescentis ipsius concupiscentia contra ipsam. *Mendax, & mendacij pater est* [a] *nec in veritate stetit.* Non omniū est cognoscere *Satanæ cogitationes* [b], *τὰ νοήματα*, *& altitudinem eius* [c], *τὰ βαθεῖα, alta, & profunda*, *insidias* [d], & methodos, *τὰς μεθοδείας*. Callidissimus callidissimum induit serpentem [e], vt sapientia præditos parentes nostros falleret, varióque consilio priorem adortus est fœminam.

Fraudes Diaboli detegit inter alios Gregorius [f]. Ipsa nomina Dæmonis, ac Dæmonij, Diaboli, Satanæ, & de quibus egi aliàs, malignos dolos, ac fraudulentum animum præ se ferunt. Maximè id significat vox *maligni*, *τοῦ πονηροῦ*. Vnde Paulus *colluctationem nobis dixit esse contra spiritualia nequitiæ, τῆς πονηρίας*, id est, *spirituales nequitias* [g]. Vocatur præterea nomine Hebraico numeri pluralis בהמות *Behemoth* [h], ob varios bestiarū quos comprehendit, ac exercet actus, quasi appelles Hydram Lerneam septem, vel octo, vel quinquaginta [i], vel nonaginta [k] capitum: aut magis propheticè, quàm poëticè, quasi *draco ille sit, habens capita septem, & cornua decem* [l], & *Bestia similis pardo, & vrso, cuius os vt leonis* [m] &c. *corpus quasi scuta fusilia compactum squamis se prementibus* [n]. Draconem hunc formauit Deus ad illudendum nobis [o], vt exponit Hieronymus: vel vt ei illuderetur à nobis post passionem præcipuè Christi, vt placet Augustino, & alijs [p]. Rem eadem significatur per *colubrum tortuosum* [q]: per *serpentem item tortuosum, ac vectem* [r], qui, vt ait Basilius [s], multas spiras facit, & inuolucra in itinere, sicut & *inuoluta sunt semita gressuum impij* [t], *& ambulat in circuitu* [u]. Magnum decus, gloria singularis Christo, quòd pusillus grex vincat, inexperti adolescētes, ac paruuli sagittis imbellibus tantam Belluam confodiant, lege Cassianum [x]. Idem præterea bene monet [y], non sine suo labore Dæmonem confligere nobiscum. Testimonia scripturarum quæ citat, id comprobant. Sufficit nunc præsens vincendi verbum: nam sine pugna non est victoria.

Adolescentes.] Νεανίσκοι, Aliter Νεανίαι. His de vocabulis disputatum in Actibus Apostolicis [z], cùm de Saulo, qui appellatur adolescens. Adolescentes iidem sunt, qui postea iuuenes, eadem Græca voce νεανίσκοι. Hos Pollux in quarta esse ēset annorū hebdomade, id est, ab anno vigesimo primo ad vigesimum octauum: licèt alij aliter. Ætatem bello idoneam Ioannes indicare voluit, qualis iuuentus, & virilis ætas: Vnde apud Poëtam [a] *Romana iuuentus*, pro iuuenum bellatorum multitudine ex Romanis. Porrò quod alicubi scribit Hieronymus [b], hoc loco senes poni post adolescentes, equidem non video.

Vicistis malignum.] Glossa ordinaria putat alludi ad turpissimum, periculosissimumque tormēti genus, vt traherentur adolescentes ad lupanar, sed viriliter resistendo vincerent. Difficile est probare de ætate Ioannis; postea non defuerunt exempla, quorūm meminere tum Martyrologia, tum Ecclesiasticæ historiæ Lege Baronium [c]: in Martyrologio [d] autem illustre adolescentis ex sexu masculo factum extat, & de quo Hieronymus [e].

Quod in præterito dicit, *vicistis*, indicat vel nonnullas iam ab ipsis partas victorias, vel Christum, in quo omnes vicerunt: vel tantas suppeditatas vires, vt per solos nos stet, si non vicerimus. Sic fiducia plenus, & opportunitatem nactus Lucullus ipso pugnæ principio contra Tigranis, ac Mithridatis copias, exclamauit, *vicimus* [f], multo certiore, & secundiore Angeli epinicio *pacem decantauerunt, gloriam, & triumphū Christo recens nato* [g]. Magnum incitamentum, ne qui vicit, vinci se sinat. De voce maligni lege quæ notantur capite quinto. Vertitur etiam nunc per nomen *mali* [h], nunc *nequam* [i], nunc *nequissimi* [k].

Vers. 14.] Scribo vobis, infantes, quoniam cognouistis Patrem. Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbū Dei manet in vobis, & vicistis malignum.

Latini quidam, Græcique codices legunt in primo membro *scripsi*, Ἔγραψα. Pro infantibus Græcè est παιδία: sicut & versu duodecimo quidam legebant pro τεκνία, nomine synonymo. Augustinus vertit *pueri*: Hieronymus præterea in translatione Prologi Origenis in cantica, vbi, haud sanè parum diuerso modo sic legimus locum totum: *Scripsi vobis pueri, quoniam cognouistis patrem. Scripsi vobis patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scripsi vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & per Verbum Dei, quod manet in cœlo, vicistis malignum.*

Quocirca dicto versu 12. & isto videtur oratio eosdem spectare, nisi sibi genericè cunctos dulciùs compellatos, hic propriè corpore pusillos, & loquendo tropologicè ad pugnam adhuc ineptos spiritualem. Non semper interpres infantum voce ætatulam illam intelligit quæ fari nequit. Exempli causa. In libro Iob [l]. *Infantes eorum exultant lusibus.* Vbi Græcè est παιδία. Non saltarent, qui loqui non possunt. Satis est, si sint infra adolescentiam. Sic quidam quoque vates Alexandrum blandè salutans [m], sed barbarè postremam litteram inflectens, ac pronuntians pro παιδίον, παῖδίος, in causa fuit, vt se Ioue crederet satum, Deique nominate filium inciperet.

Quoniam cognouistis Patrem.] Videtur denotari habitudo, atque relatio, vt qui sunt adhuc ætatis minoris, patrem cognoscant, ex eóque toti pendeant spiritualem per spiritualem regenerati per Baptismum. Pueri primùm omnes viros patres appellant, ait philosophus [n]: & fœminas, matres, posteriùs determinant horum vtrumque. Itaque pater nunc essentialiter sumitur, non notionaliter, vt excepto Caietano, plures explicant. Non etiam peculiariter Christum (vt Gulielmum Estium velle postea vidi) quamuis pater dici possit, quatenus per fidem ex eo renascimur. At non solemus cum patris nomine appellare: quamuis si rectè intelligamus, possimus. Nec ideo tamen diffitemur exigendam à quibusuis Baptismi candidatis, qui rationis vsum habēt, nonnullam fidem Trinitatis. Incipientium vita, inquit Catharinus, est esse quodammodo sub Patre, qui blanditijs, & paternis foueat complexibus, prohibens tantisper duriores tentationes: postea vt crescant, ac pleniùs erudiantur, tradat Filio: demum hic Spiritui sancto magis magísque perficiendos.

Scribo vobis iuuenes.] Nonnulli Græci libri ante hæc illa inferunt; Ἔγραψα ὑμῖν πατέρες, ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς, quod decimotertio versu totidem verbis præcessit in omni editione. Syra autem hoc loco hoc etiam reperit. Sed Græcè est aoristus ἔγραψα, & est in nonnullis Latinis libris *scripsi*. Ex Auctoribus Latinis agnouit eandem

Marginal notes:

a Ioan. 8. 44.
b 2. Cor. 2. 11.
c Apoc. 2. 24.
d Ephes. 6. 11.
e Gen. 3. 1.
f Hom. 12. in Ezech. longè post med.
g Eph. vlt. 12.
h Iob 40. 10. *Diabolus nūc Behemoth* בהמות *Behemoth, dicitur.*
i Tot numerat Alceus.
k Tot numerat Simonides.
l Apoc. 12. 3.
m Ibid. 13. 2.
n Iob 41. 6.
o Psal. 103. 26.
p In eundem Psalmum.
q Iob 26. 13.
r Esa. 27. 1.
s In Psal. 33.
t Iob 6. 18.
u Psal. 11. 9.
x Collat. 7. c. 21.
y Collat. 8. c. 19.
 c. 11. 7. c. 21. *Dæmones non sine suo labore confligunt nobiscum.*
z cap. 7. 57.
a Virgil.
b in Esa. c. 3.
c in Notis 21. Ianua. & 3. Sep.
d 28. August.
e in Paula.
f Plutar. in Lucullo.
g Luc. 2. 14.
h Matt. 6. 13.
i c. 13. 38.
k Ephes. 6. 16.
l cap. 21. 11. *Infans non semper eū indicat, qui fari nequit.*
m Plutar. in Alex. Eusta. thius in Dionysium de situ orbis. Zonaras tomo. & alij.
n 1. Phys. c. 4. *Pueri vocant omnes viros patres, & omnes fœminas matres.*

dem sententiam præter Augustinum, Bedam, Thomam, Oecumenium, Origenem quoque, citato priùs loco Hugo, qui cur id repetatur, atque de adolescẽtibus, siue de iuuenibus, dat causam, vt Dei dilectio melius infigatur eorum memoriæ: ne, si prætermittant grauius puniantur; quod in infantibus non est metuendum, qui rationis non sunt vsu adeò præditi. Augustinus: vt se meminerint patres, nec tanto desint officio. Caietanus: vt omnes magni faciant tantam dignitatem patrum, cùm tanti viderint à Ioanne fieri. Catharinus contendit aduersus aliquos, has repetitiones non esse superfluas, vel adiectas, videlicet ad iuuenes, infantes, senes. Vatablus retinet eadem verba, quæ reperi etiam in vno manuscripto Bibliothecæ nostræ Romanæ, & de alio testatur Lucas Brugensis [a], nec non de editione Lugdunensi 1514. Sequenda nobis correctio Sextiana Bibliorum, in quibus hæc omittuntur.

Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis.] Proprium hoc epithetum iuuenum, & victorum. Iidem verò iuuenes, qui priùs vocati sunt adolescentes, nam vtrobique *νεανίσκοι* dicuntur. Sunt autem *ἰσχυροὶ*, qui valent viribus, tametsi fortassis non ipsa sint fortitudinis virtute præditi. Ipsæ corporis vires animum corroborare possunt.

Et verbum Dei manet in vobis.] Perseueratis in diuini præcepti custodia: Manendi namque verbo significatur perseuerantia, quæ fortiter pugnantibus est necessaria. Potest quoque *Verbum Dei* accipi pro Scriptura sacra, vel prædicatione, singularis ambobus vis ad armandum pectus. *Ego dabo vobis* [b] *os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Postremò virtus omnis nobis ab increato Verbo, quod Incarnatum præluxit exemplo, & animauit documento. Hæc si hærent in animo, si conseruamus horum memoriam, fortes efficimur. Sed & constantia in fide potest exponi, cui victoriã tribuit postea Ioannes in hac ipsa epistola [c]: & in qua Petrus aduersario diabolo resistendum fortiter monet.

Et vicistis malignum.] Retuli antea ex Origene [d], quem Latinum fecit Hieronymus, hãc istorum cum prioribus verbis interpretationem, & *per verbum Dei, quod manet in cælo, & vicistis malignũ.* Sed textui non congruit.

Vers. 15.] Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.

QVid scribat omni fidelium ætati nunc aperit: cúmque ad fraternam cum primis dilectionem hortari velit, illarũ remouet amorem rerum, quæ isti caritati repugnãt, vel impedimẽto sunt. Caritati diuinę aduersantur duo potissimùm, odiũ proximi, de quo dictũ pridẽ; immodicus eiusdem amor, qui nimio amore mundi, eorúmve quæ sunt in eo, potest intelligi. Optima quoque vincendi malignũ ratio, & vires in eum exerendi, exuere rerum earum amorem, quibus ille ceu armis aduersus nos ipsos pugnat, & de propinquo ferit. Igitur priusquam æterni amoris semina proferat, amorum seculariũ spinas Ioannes eradicat, inquit Gregorius [e]. Cohibendus hic immorandi nimius appetitus, amici, necessarijque non sine modo diligendi: vitandi impij, diuitiæ, voluptates, honores, commoda itémque temperanter vsurpanda: primarius affectuum amor, primariæ dicandus rei, nimirum Deo. Secundum Deum, & pro Deo fas tantum alia diligere.

Ambrosius [f] videtur sentire caueri venerationem, cultumque aduersus hæc elementa, simul etiam approbationem errorum, quos humana adinuenit traditio. Non dissimilis hunc tractantis locum sensus Auctoris de sexdecim Abusionum gradibus [g]. Labor esset non pœnitendus, laboriosiorem, vt Augustinus [h] loquitur, huius ostendere laborem mundi, quàm Dei: & nulli non paradoxum est, virtutem faciliorem esse, quam vitium; ac proinde amorem ad illam quàm ad hoc proniorem. Argumentatur egregiè Cyprianus [i]: *Porrò cum mundum oderit Christianum, quid amas eũ, qui te odit, & non magis sequeris Christum, qui te & redemit, & diligit? Ioannes in epistola sua clamat, & loquitur, & ne carnalia desideria sectantes mundum diligamus, hortatur: Nolite diligere mundum, &c.* Augustinus [k] exultat ac veluti saltat ad hoc quod ipse vocat canticum, & saltantes inducit piscatores, immò senatores, atque Cyprianum.

Non est charitas Patris in eo.] Contrarij sunt Amor mundi, & Dei: non capit cor nostrum duos adeo compugnantes, *angustum, artũmque stratum, & pallium, duos non capit* [l]: *nec idoneus quis duobus dominis seruire* [m]: *nec iidem oculi terram simul aspicere, cælúmque possunt* [n]: Amari Deus debet, & homo, qui cum Deo semper manere valet, non hæ res quæ transeunt [o]. Liberauit nos Pater *per Filium suum de hoc seculo nequam*: flagitiũ ergo maximum id amare. & cùm sit in libertatem assertus filiorum, Patrem denuo cœlestem deserere pro turpis ac vilis rei amóre. Charitatem Patri attribuit quoque Paulus [p], quẽadmodum gratiam Christo, Spiritui sancto communicationem. *Sic enim Deus dilexit mundum* (Pater procul dubio) *vt Filium suum vnigenitum daret* [q]. Naturalis & vnigenitus Filius fecit voluntatem Patris, quantò magis eam facere conuenit adoptione sua filium, natura seruum? Insinuat hanc rationem idem Cyprianus [r], monens vt amemus id quod pater est: timeamus, quod Deus est. Lenis quidem oratio, sed intelligenti plena magno aculeo vt filius esse desinat, vt hæreditatis priuetur iure, vt abijciatur inter vilissima Diaboli mancipia: vt præuaricator, ac perduellis flagitiosus habeatur. Audi alterum Apostolum [s] rem acerbiore sermone exaggerantem, & cum quadam indignatione: *Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur.* Vt autem intelligamus quàm displiceat Deo mundi amor [t]: *An putatis* (ait) *quia inaniter Scriptura dicat: Ad inuidiam concupiscit Spiritus qui habitat in vobis?* id est, quanto ardeat Deus per gratiam in vobis habitans, vestri zelo, quem nominãt sacræ Scripturæ [u] *zelotem & æmulatorem* [x], ac testantur *alteri gloriam suam nolle dare* [y], vel quàm crebrò Spiritus humani nostri ad omne vitium procliuitatem propter cõmercium carnis arguat, damnétque, vtpote quæ diuellat, & longiùs ab amore Dei nos separet. Ne verò quispiam causetur difficultatem negotij *maiorem autem*, subdit, *dat gratiam*, qua quod imbecillitas naturæ vitium præstare non potest, recreata diuino auxilio, exequi promptè, suauitérque valeat. Vt prauam cum mundo dirimeret amicitiã,

[Margin notes, left:] in notis. — *Manendi verbo significatur perseuerantia.* — b Luc. 21. 15. — *Virtus omnis est ab increato Verbo.* — c 5. 4. — d Prologo in Cantica. — *Caritati diuinæ aduersantur duo & quæ illa.* — e 18. Moral. c. vel 6.

[Margin notes, right:] *Amici necessarijque non sine modo diligendi.* — f in c. 2. ep. ad Coloss. — g gradu 7. apud August. to. 9. — h lib. 6. de musica. c. 4. — i de mortalitate. — k serm. 115. de diuersis. cap. 6. & 7. — *Amor mundi, & Dei sunt contrarij.* — l Esa. 28. 20. — m Matt. 6. 24. Aug. supra lib. de 12. Abusion. — o Gal. 1. 4. — p 2. Cor. vlt. 13. — q Ioan. 3. 16. — r de orat. Dom. — s Iaco. 4. 4. — t vers. 5. — u Exod. 20. 5. c. 34. 14. — x Ioelis 2. 18. Zachar. 1. 14. — y Esaiæ 42. 8. c. 48. 11.

venit Christus, vt Iacobum enarrans obseruat Didymus, & gladium, bellum, diuisionem, seu separationem ignémque attulit [a], pacem autem non eam, quam se mundus amanti dat. Denique attendens ad hanc sententiam totam Esaias [b] Abbas, mundum quærenti quid sit, describit hoc pacto: *Mundus est animi ad peccata distractio: mundus est, cùm ea, quæ natura contraria sunt, sequimur: mundus est, cùm carnis voluptates implemus: mundus est, cùm arbitramur, diu nos in hoc seculo permansures: mundus est, cùm maiorem corporis, quàm animæ curam gerimus: mundus est, cùm iis quæ caduca sunt, gloriamur. Non ex meipso ista confingo, ita loquimur; Nolite diligere mundum*, &c. sic ille.

a Matt. 10.34. Luc. 12.51.
b Orat. 22. tom. 2. Bibl. Patrum.
Mūdus quid sit.

At Augustinus locum [c] totum legens aliter: *Si quis dilexerit mundum, non est Spiritus Patris in illo*: colligit Spiritum sanctum esse Patris, sicut & quod sit Filij, aliis ex verbis Pauli: *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius* [d]. Nullum reperio, qui pro charitate hîc legat Spiritū: Charitas verò licèt attribuatur Spiritui sancto, de Deo tamen dicitur inferius [e] absolutè, sicut & alio loco de quo meminimus. Nicol. Tolentinas istius sententiæ vi cùm de illa concionantem ex Eremitanis, qui regulam Augustini profitentur audiuisset, permotus ilicò est ad idem amplectendum religiosæ genus vitæ. Veteres vocasse mundum malorum congeriem: terram improbitatis prouinciam, testis Rhodiginus [f]. Legatur Cassianus [g], Augustinus [h], Ferrandus [i].

c tractat. 9. in Euang. Ioan.
d Rom. 8.9.
e cap. 4. 8. & 2. Cor. vlt. 13.
f lib. 1. c. 2.
g Coll. 23. c. 8.
h 6. musicæ. ca. 14.
i in prin. li. sui.

Vers. 16.] Quoniam omne, quod est in mūdo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quę non est ex Patre, sed ex mundo est.

Ad extrahendū nos ab amore mundi, quid valeat.

VEhemens argumentum ad abstrahendum ab amore mundi, in quo nihil in pretio sit præter obiecta titillantia, & recreantia partē animæ concupiscibilem, præter externa fortunę bona, quibus oculi capiuntur, & cum suauitate detinentur: præter fastum, ambitúmque honorum, dignitatúmque, proprium vani pabulum rationalis, tametsi ratione abutentis, appetitus. Voluptuosi, auari, ambitiosi designantur. Triplex appetitus, concupiscibilis, irascibilis, rationalis. immoderatus, licet hunc assignent quidam membro secundo, quò denotetur sciendi, cuius porta præsertim visus, curiositas.

Ex interpretibus accuratior est hîc Carthusianus, vt doceat varias partitiones, & ceu radices capitáque vitiorum: tria verò membra ista demonstrat in casu primorum parentum. Fecit hoc prior Beda, & totidem Satanam contra Christum machinas admouisse, quando tentauit illum [k]. Hac in re præiuit Augustinus. Et priorem de primis parentibus comparationem tradit Auctor de salutaribus documentis [l], eóque respicere Ioannem voluisse. Prosper eodem modo de Triplici tentatione primorum parentum, vt concupiscētia carnis, ligni gustus fuerit: Oculorum, promissio de aperiendis oculis: superbia vitæ, quòd forent sicut Dij. Bernardus [m] comparat cum triplici turma Chaldæorum [n], eísque tres turmas Iacob opponit [o], mortificationis carnis, compūctionis, lachrymarúmque, caritatis, ac rectæ intentionis [p]: item, amorem, quem à Petro Christus exegit ter [q]: *nec non qui sit ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute* [r] affectuosus, prudens, fortis.

k Matt. 4.
l cap. 13. tom. 4. Augustin. *Tentatio primorum parentum hac tria genera quomodo complexa sit.*
m serm. 1. in oct. Paschæ.
n Iob. 1. 17.
o Gen. 32. 7. 8.
p serm. de diligendo Deo.
q Ioan. 21. 15. 16. 17.
r Deuter. 6. 5. Matth. 22. 37.

Alij paleam, lutum, fornacem Ægyptiacā [s], tres hos morbos laqueósve captiuati in lege peccati tropologicè accipiūt. Quidam paupertatem, esuriem, lacrymas apud Lucam [t] commendatas à Christo tamquam remedia contra intrinseca hęc tria mala interpretantur, necnon ieiunium, eleemosynam, siue misericordiam, orationem, de quibus Matthæus [u], sobrietatem, iustitiam, pietatem, quas nominat Paulus [x]. Adi & Petrum Blesensem [y] variè eadem inter se conferentem. Appellare possis triplex aureum pomum quo Hippomenes Atalantem retardauit in cursu.

s Exo 5.
t cap. 6. 20. & seq.
u cap. 6.
x Tit. 2. 12.
y serm. 44. & 46.

In aureo vitulo exaltato & adorato [z] typicè vitia hæc tria quidam obseruant: quia vitulus vt animal petulans denotat concupiscētiam carnis; vt aureus concupiscentiam oculorū, sumendo hāc pro auaritia; vt exaltatus superbiam vitę. Tres itē lanceæ, quas infixit Ioab in cor Absalom [a], designare possunt eadē vitia, quæ diabolus infigit in cor diligentis mundum, quęque in eo sunt. Pręter indicata aduersus tantum hoc triplex malum remedia, vsurpant hi qui mundum relinquunt, tria vota castitatis, paupertatis, obedientiæ. Zeno Veronensis [b] his auctoribus ait concipi, his ducibus geri, his ministris impleri, quicquid quotidie concupiscentia, ambitione, auaritia ardet in sæculo.

z Exod. 32. 1. & seq.
a 2. Reg. 18. 14.
b serm. 1. in Ps. 130. de humil.

Quæ postrema numeratur superbia vitæ, periculosior. *Ideo enim habere aliquid homines, & vltra quàm necesse est concupiscunt*, ait Gregorius [c], *videlicet per carnis, & oculorum concupiscentiam, vt habendo superbiant, & quia hoc alius non habet se in cogitationibus extollant*. Quamquam non pauci consistunt in duobus primis, in imis defixi, non admodum curantes altiùs procedere. Extat inter sermones ad Fratres in eremo vnus de mundi odio, déque triplici isto malo eius [d] simplex & pius.

Superbia vitæ periculosior est omnibus vitiis.
c Hom. 19. in Ezech.
d est 31. to. 10. operū August.

Vitandi hæretici, dū hinc argumentantur, omnia opera nostra esse peccata: Catholici quoque, dum probant sine fide, & speciali auxilio nullum fieri posse opus mortale. Nam aut intelligendus locus de mundi amatore, vt est talis: aut in hac rerum vniuersitate esse peccatorum obiecta, vt proinde non creatura, sed amari debeat Creator, veræ, perfectæque felicitatis obiectum.

Hæretici malè interpretantur hunc locum, & quidam Catholici.

Omne quod in mundo est.] De triplici hac in mūdo tentatione disputat Augustinus multis verbis, & accuratè libro de vera religione [e], docens designari amatores voluptatis infimæ, curiosos, superbos: & iisdem tentationibus tribus tentatum à diabolo Christum [f]. Disserit exactè de his idem Augustinus in confessionibus [g]: & in opere soliloquiorum [h] quod ei tribuitur (lego enim [i] ibi Boëtij [k] licet nomine tacito sententiam) vbi confert cū his tribus tria illa quæ sunt in Ecclesiastici [l] libro, extollētiam oculorum cum eorundem concupiscentia ventris, concupiscentias & concubitus concupiscentię cum carnis concupiscentia, animum irreuerentem & infrunitum cum superbia vitæ. Præterea ex istis tribus versatur primum in amore immodico rerum, quas recipis in teipsum cuiusmodi est voluptas cibi, potus, Veneris: secundum quas per species à rebus visis: tertium quæ sunt extra te, qualis honor, laus, gloria, opes. Cecinit & de hoc triplici modo Ouid. [m]

e ca. 38. ad fin. lib. & maximè c. 55.
f Matt. 4. 4 & seq.
g c. 10 ad 39.
h cap 12.
i cap 14.
k 5. de consol. in fine.
l c. 23. 5. 6.
m 10. Metam.

Quod in mundo est.] Verbum esse dicitur de iis aliquando quæ sunt in pretio: vt cùm ait Apostolus [n]: *Elegit (Deus) ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt destrueret*, nempe quod ante dicit, stulta, infirma, ignobilia, contemptibilia.

n 1. Cor. 1. 27. 28.

Concupiscentia carnis.] Ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς Con-

cupiſcentia cum hoc addito, *carnis*, male ſonat nunquam tamen ſumitur in bonam partem, vt ibi *concupiſcit* [a], *& deficit anima mea in atria Domini*: item, *concupiſcet rex decorem tuum* [b]; rurſus *concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas* [c]: De hac duplici notione τῆς ἐπιθυμίας, concupiſcentiæ, in vtramque partem admonuit Origenes [d], & Ambroſius [e] in epiſtolam ad Romanos, vbi per legem dicitur cognitam concupiſcentiam [f]. Etſi autem anima concupiſcit, carnis tamen dicitur concupiſcentia, quando præſertim in iis, quæ ſpectant ad guſtum, tactúmve, qui toti pendent à carne, ſe gerit intemperanter, vel effrenatiùs indulget quibuslibet ſenſibus, non eorum referens exercitium ad neceſſariam, honeſtámque ſuſtentationem carnis vel ſcientiæ, ac virtutis comparationem. Hoc ſenſu fomes quam pater amplè concupiſcentia carnis nominari poteſt, atque *caro* ipſa dicitur *aduerſus ſpiritum concupiſcere, ſicut hic aduerſus illam* vice verſa [g]. Quin & ea, quæ naſcuntur de carnis concupiſcentia, magis ſpiritualia peccata, recenſentur inter pernicioſos carnis fructus [h], vt *inimicitiæ, contentiones, ſectæ*. Et Hieronymus [i] concupiſcentiæ nomine perturbationes omnes intelligit, quibus mœremus, & gaudemus, timemus, & concupiſcimus. Auguſtinus recitans præſentem locum, ſubinde deſiderium reddit pro concupiſcentia: eodem pacto Hieronymus [k]. Denique adeo generale ſeminarium omnis peccati concupiſcentia, vt interdum ſubeat originalis nomen peccati, quamuis non formaliter, ac proprie, quia deleta penitus originali culpa, manet adhuc, manebitque cum vita.

Concupiſcentia iſta non eſt ex Patre, ſed ex mundo: tum quia per ſe dumtaxat eſt à Deo, quod bonum, & eius eſt: non verò defectus, inordinatio, morbus, priuatio, ex conditione materiæ conſequens: tum quia dictæ inordinationi naturali cōcupiſcentiæ remedium dederat Deus iuſtitiam originalem; qua ſublata, per peccatum rediit in priſtinum ſtatum concupiſcentia, id eſt, naturæ debitam imperfectionem.

Quò pertinent Iacobi verba [l], quòd *neminem Deus tentat, ſed tentatur vnuſquiſque a ſua propria concupiſcentia abſtractus, & illectus*. Lex præterea non concupiſcendi, non eſt à Deo, ſi ab eodem eſt concupiſcentia. A Deo concedi poteſt eſſe, quatenus in pœnam peccati eam retribuit, vt ſæpe loqui ſolet Auguſtinus, eo ferè modo, quo peccatum vocare nonnunquam peccati pœnam. Denique cauſam dicere poſſumus ceu remouentem prohibens.

Concupiſcentia oculorum.] Vt membra magis aptè diſtinguantur, oculorum concupiſcentiam debemus accipere pro curioſo ſtudio res oculis luſtrādi, & inde ad imaginationem, intellectúmque transferendi, alioqui concupiſcentia carnis omnes comprehendere ſenſus poteſt. *Oculi membra carnis ſunt*, inquit Auguſtinus [m] *feneſtræ ſunt mētis, interior eſt qui per eas videt; quando cogitatione aliqua abſens eſt, fruſtra patent.* Pactus eſt Iob *fœdus cum oculis ſuis vt ne cogitaret quidem de virgine* [n]; maxima namque cognatio eſt cum mente, ac ſpirituali appetitu oculorum coniunctio. Subeunt per illos velut feneſtras obiecta ſenſibilia, & ipſe animus egreditur, & effundit ſeſe in res externas per concupiſcentiam, atque delectationem [o]. Tribuit iiſdem oculis Eccleſiaſtes deſiderium. Seneca [p] vocat oculos irritamenta vitiorum, ducéſque ſceleſtum. De damnis prauarum cogitationum leges multa ſcitu digna in Commentariis Pinedæ [q] ſuper Iob, vbi prudenter Olympiodorus [r] monet, quæ digna ſunt in hac rerum vniuerſitate, & laudare, & contemplari honeſtum eſſe, vt corporum ſymmetriam & proportionem, vt cœlorum varias temperationes, vt lapidum ſplendorem ac nitorem, ſed nulla capi nos debere harum rerum cupiditate. Hoc eſt *faſcinatio nugacitatis, quæ obſcurat bona* [s].

Aliter poteſt concupiſcentia oculorum ad laſciuiam, impudicitiámque referri, vt cùm de Ieruſalē ſub nomine Oolibæ ſcribit Ezechiel [t], *inſaniuit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum*: & quando Chriſtus *mœchatum in corde ſuo* pronunciat illum, *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam* [u]. Sed hoc pacto non differt iſta concupiſcētia oculorum a concupiſcentia carnis. Modus alius probabilior eſt, vt ſumatur oculorum concupiſcentia pro auaritia, cuius expoſitionis Aquinas [x], meminit, placuitque Caietano [y], Eſtio [z], Ianſenio [a]. Quo ſenſu ſapiens negat *ſatiari oculos diuitiis* [b]: & alius [c] vocat *inſatiabilem oculum cupidi, qui non ſatiatur, donec conſumat animam ſuam*: rurſum idem, cuius prior ſententia eſt [d], *infernum & perditionem* ait *nunquam repleri: ſimiliter & oculos hominum inſatiabiles eſſe*. Prima expoſitio nihilominus de veritate Auguſtini eſt hic & alibi [e], hic verò etiam Bedæ, Heſſelij, & aliorum, nec diſplicet Aquinati [f] ſimul cum alia de libidinoſo aſpectu.

Superbia vitæ.] Cyprianus, & Auguſtinus ambitionem ſeculi vocare ſolent. Bernardus [g] quoque, licet etiam ambitionem Spiritus: Hieronymus [h], ſuperbiam vitæ huius; Syrus interpres faſtum mundi: Græcè dicitur ἀλαζονεία τοῦ βίου, id eſt, *oſtentatio, iactantia, gloriatio, venditatio, ſuipſius prædicatio, arrogantia ſupra quàm præſtare poſſis pollicitatio, vendicatio laudis alienæ*. Proprium epithetum pauonis, ταὼς ἀλαζών. nam

Laudatas oſtentat auis Iunonia pennas [i]. Vatablus faſtum & iactationem exponit rerum, quæ ad victum, vitámque ſpectant. Intelligunt quidam [k] dici ſuperbiam vitæ, quod pro honore, gloriáque & laude vitam ipſam profundimus, & mori malumus, quàm hoc priuari bono. *Bonum eſt mihi*, *ait Paulus* [l], (Sed non agens de vitioſo, vanóve gloriæ appetitu) magis *mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet*. Alij [m] quia maneat ſemper, nūquámque deficiat, ſemper viuat, vigeátque, *ſemper aſcendat* [n], ſuper eat, creſcátque. Hoc ſane ingenium ſuperbiæ non deprimi, non eôdem conſiſtere gradu: innaſci nobiſcum, nec nos dum ſuperſumus, penitus deſerere. Superbus deſcribit ſeipſū apud Senecam [o].

Æqualis aſtris gradior, & cunctos ſuper
Altum ſuperbos vertice attingens polum.

Solus Deus altiſſimus [p], fulgurat, & fulminat ſuper eleuantes ſe. Hugo, quamuis ſuperbia vitæ vna ſit de concupiſcentiis, nominari ſuperbiam notat, quia, non eſt iuxta, ſicut aliæ, ſed ſupra viam humanam, vitáque, cui propter vilitatem conditionis non competunt modo honores. At hi quoque cum mediocritate ſunt vtiles, conuenientes, neceſſarij. *(cui enim honorem, honorem*, ait Paulus [q]. Exceſſus vbique vitioſus. Auguſtinus [r] docet, qui vincat hæc tria, concupiſcentiam ſcilicet carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitę, vincere mundum, & per hæc, illum etiam, qui ſuadendo per ſuperbiam decipit mundum.

Marginalia: *Concupiſcere & bonam & in malam partem ſumitur.* a Pſal. 83.3. b Pſal. 44.12. c Pſal. 118.20. d in Pſal. 37. e in cap. 7. epiſt. ad Roman. f cap. 7.7. *Concupiſcentia carnis quæ ſit.* g Gal. 5.17. h ibid. 10.22. i epiſt. 151. q. 8. k ep. 27. *Concupiſcentia generale ſeminarium eſt omnis peccati.* *Concupiſcentia non ſit ex Patre, ſed ex mundo.* l cap. 1.13.14. *Concupiſcentia oculorū quid ſit.* m in Pſal. 41. n cap. 31.1. o cap. 2.10. p de Remedio fortuitorum. *Anima praua cogitationibus ...* q cap. 31. verſ. 1. & 2. & 7. r in Catena. s Sap. 4.12. t c. 23.16. u Matt. 5.28. x 1.2. q. 77. a. 5. y hic. z hic. a in Prou. 2. b Eccle. 4.8. c Eccli. 14.9. d Prou. 27.20. e 10. confeſſ. c. [illegible] & de [illegible] relig. c. 38. f 2.2. q. 167. a. 2. *Superbia vitæ quæ dicatur.* g Serm. de diligendo Deo. h ep. 17. i Ouid. k Salmer. diſp. 16. l 1. Cor. 9.15. m Ribera Apoc. 2. n. 16. n Pſ. 73.23. o in Thyeſte, Actu 5. p Pſ. 82.19. q Rom. 13.7. r 3. de Symb. c. 8.

dum. Alicubi [a] hæc tria primos parentes è paradiso eiecisse notat idem Augustinus, côcupiscentiam carnis comedendo, concupiscentiam oculorum, volendo aperiri sibi oculos: superbiam vitæ, appetendo esse sicut dij. De triplici ista malorum omnium radice consule B.Thomam [b].

Quæ non est ex Patre.] De sensu dictum satis. Pronomen *quæ*, quod non est in Græco textu, refert non superbiam vitæ dumtaxat, sed etiâ concupiscentiam oculorum, & concupiscentiam carnis, Syrus vertit, הלין דלא הוי מן אבא *halen dela bauaimen aba, quæ quidam non sunt à Patre*, eodémque pacto Bernardus legit [c].

Sed ex mundo est.] Ex homine mundano, rerum homanarum amatore immoderato, & perturbationibus depravato. Cyprianus legit [d]. *Sed ex concupiscentia mundi, aut seculi* [e]. Verum est, sed proposito haud valdè congruum [f], obiecta multiplicis appetitus nostri, ex mundo esse, quod substantiam ipsam, entitatémque, quia Deus non ea facit immediatè, sed secundæ causæ, quæ imprimunt etiam quandam propensionem ad illa, vt astra ad opes, vel &c. dignitates, vel ad vitia carnis, &c. sunt nonnulla, quibus prouocatur appetitos, non ab alio auctore facta, quàm à Deo, vt cœli, elementa integra, &c.

Vers. 17.] Et mundus transit, & concupiscêtia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

Alia ratio ad amorem mundi, quæque continentur in illo, dissuadendum: abeunt enim velocissimo cursu, ita vt ipsummet *desiderium peccatorum pereat* [g], id est, nequeat impleri, vel duratere cum rei desideratæ fruitione, sed exacta vita cruciet propter absentiam obiecti, & id denuò consequendi impossibilitatem. Amans Deum, quod est facere voluntatem eius, manet semper, quia versatur in obiecto æterno, quod *replet in bonis desiderium* [h], nec nisi velit is, qui se iunxit obiecto tam perfecto, vllo valet tempore auelli ab ipso. Imbibit amor conditionem amatæ rei, & chamæleontis instar vertit se in eatum colorem rerum, quas amat, quia est impulsus quidam ad ipsam, vnióque eom ipsa, secus quàm res habeat in intelligêdo, vbi res intellecta transit quodammodò in intelligentis naturam. Facti sunt abominabiles [i], sicut & ea quæ dilexerunt, Hebraicè כאהבם *chehob'am*, id est, *sicut amores eorum*.

Mundus transit.] Quidam codices excusi *transibit*, & tú Cyprianus [k], tum aliquàdo Augustinus [l] ita legit. (meminitque Carthusianus) & idem Augustinus, seu alius, qui scribit de salutaribus documentis [m], *peribit* Græcè in præsenti παράγεται, *præterit*, euanescit, sicut epistola ad Corinthios [n], παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου, *Præterit enim figura huius mũdi*. Vbi Budeus [o] explicat, *transuersos agit*: Alij, *decipit* blãda specie alliciês. Melior interpretatio nostra, sicut & superius [p], ὅτι ἡ σκοτία παράγεται: *Quia tenebræ transierûit*; quã Oecumenius quoque tradit. Hãc figurã Theodoretos [q] exponit de artibus comparatis ad vsus humanos, & vario statu diuitom ac pauperũ, seruorum & dominorum, & aliorum, iuxta sententiã Esaiæ [r]. Finita comœdia, ex forma regiæ domus aulæa suscipiunt sæpe tugurij pastoralis formam. Philaster [s] locũ istum sumit de vita, honore, &c. ideo desideranda cælestia. In enarrationibus ad Ecclesiastem [t] docuimus quomodo transeant omnia, cœlũ etiam terráque [u], *stet tamen terra in æternum*. Mutatio perpetua fit in rebus corruptibilibus: variæ sunt circumlationes in cœlo. Sed hoc, secundum substantiam est incorruptibile, terra secundum se totam non corrompetur: omnis moles corporum elemẽtarium, & cœlestium purgabitur, & perficietur in exitu Mundi. Lege de fluxu rerum mundanarum librũ Sapientiæ [x]; & epistolam quandam Bernardi [y] valdè piam. *Debemus*, ait Hieronymus [z], *& nos animo præmeditari quod aliquando futuri sumus, & quod velimus, nolimus abesse, longiùs non potest. Nam si nongentos vita excederemus annos, vt ante diluuium humanum viuebat genus; & Mathusalẽ nobis tempora donarentur, tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desisset.* Etenim inter eum, qui decem vixit annos, & eum, qui mille, postquàm idem vitæ finis aduenerit, & irreeusabilis mortis necessitas, transactum omne tantumdem est; nisi quod senex magis onustus peccatorũ fasce proficiscitur. Lege alia apud eumdem, quæ eodem spectant. Basilius [a] ob persecutionem grauem ab Hæreticis in Ægypto suspicatus instare nouissimam horam Antichristi, vt alios consoletur, ita ratiocinatur: Si vniuersa creatura fuluetur, & transmotabitur figura huius mundi, nihil noui, vel miri, si & nos portio quædã eius. Deinique transit concupiscentia quantum ad actum delectabilem, quia nõ manebit in damnatis, vt Augustinus [b] docet, ad delectationem, sed ad pœnam: & quantũ ad obiecta, quoniam voluptates, opes, honores, ne quidem secundùm vllum fructum manebunt apud eosdem. *Erit caro vt fœnum, & gloria eius vt flos fœni; fœnum exarescet, flos decidet, & transibit* [c].

Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternũ.] Cyprianus [d], & Augustinus: *Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus, manet in æternum.* Complent vltima verba vim rationis ex habitudine concupiscentiæ bonæ, siue diuini amoris, ad obiectum, qui est Deus æternus, quia talis est quisque, qualis est dilectio eius: vt vterque ratiocinatur: *Si quis sermonem meum seruauerit*, ait Christus [e], *mortem non gustabit in æternum*, non animi quidem, sed neque corporis propter resurrectionem ad vitam felicem.

Vers. 18.] Filioli, nouissima hora est: & sicut audistis quia Antichristus venit: & nûc Antichristi multi facti sunt: vnde scimus, quia nouissima hora est.

Charitati quidem aduersantur maximè fratris odium, amórque mundi, de quibus actũ prius: peculiari tamen ratione pugnare cum illa docet fidei errores, quoniam fides radix est ac fundamẽtum omnis charitatis, pietatis & sanctitatis, ac sine ipsa impossibile est placere Deo [f]. *Si ipsis, fides est sanctitas*, vt ait Augustinus [g], *nec ex quibuscumque, & qualibuscumque personis probamus fidem, sed ex fide personas*, inquit Tertullianus [h].

Filioli.] De hac voce anteà egimus. Codices quidam addunt *mei*, sed redundat.

Nouissima hora est.] Capite secundo [i] Actuum Apostolorũ dictũ satis de nouissima hora, vel diebus, vel temporibus, vel finibus seculorum [k], vel modico aliquantulo [l], vel consummatione seculorum [m]: & quo pacto hæc hisque similia conueniant legi Euangelicæ. vt intellexit quodã etiam loco Augustinus [n], & Isychius [o], quæ omniũ si- ne dubio

Marginalia: [a] Li. de Grat. docu. c. 13.14. — [b] 1.2. q.77. a.5. — [c] Serm. de diligen. Deo. — [d] de Ora. Dominica, & de mortalit. — [e] 1. de testim. c.13. Sic habet Salmer. disp. 26. — [f] — [g] Ps. 112. vlt. — Amans Deum manet semper. — [h] Psal. 102.5. — Amor mutabit conditionem rei amatæ. — [i] Osee 9.10. — [k] Cypr. lib. de mortalit. & de mun. & lib. 3. de testim. c.11. — [l] cap. 25. in 4. opus August. — [m] c.25. tom. 4. apud Aug. — [n] 1.Cor.7.31. — [o] comm. ling. Græc. — [p] vers. 8. — [q] in 1.Cor.7. — [r] cap. 24.2. — [s] de hæresib. c.83. — [t] cap. 1.4. — [u] Matt. 24.35. — Mutatio rerum mundanarum qualis. — [x] cap. 2.5. & sequent. — [y] epist. 107. — [z] epist. 3. — [a] epist. 71. — [b] contr. Iulian. c.5. vel 16. — [c] Iacob. 1.10. 1.Pet. 1.24. — [d] supra. — Talis est quisque, qualis est dilectio eius. — [e] Ioan. 8.52. — Fides radix & fundamentum virtute. — [f] Heb. 11.6. — [g] contr. duas epi. Pelag. c.8. — [h] de præscr. c.3. — [i] vers. 17. — [k] 1.Cor. 10.11. — [l] Heb. 10.37. — [m] Heb. 9.27. — [n] 4. de doctrin. Christi. c.6. — [o] in c. 23. Leu.

 ne dubio

ne dubio legum postrema est. Glossa ordin. & plerique alij, præcipuè Carthusianus, & Cietanus interpretantur horam nouissimam similem nouissimæ, necnon persecutionem, qualis extremo illo tempore, quo existet Antichristus, continget. Exemplo Christi Carthusianus rem illustrat, cùm is dixit de Ioãne [a]: *Si vultis scire, Ioãnes ipse est Elias*: item verbis Apostoli de Antichristo [b]: *Mysterium iam operatur iniquitatis.* Vult Ioãnes exhibitum iam Christum, nõ retinendam Mosis legem ampliùs, vt Ebion faciebat, Cherintus, aliique: nihil prætereà expectandum: cauendum ab iis, qui secus sentiant, docẽãtve: esse enim Antichristos Christo aduersarios, & contrarios. Oecumenius ἐσχάτην ὥραν putat intelligi posse pro pessima, quemadmodum cum dicimus, ait, εἰς ἔσχατον ἀφίγμαι κακῶ, *in extremum deueni mali*: tunc enim magnis malis & turbationibus agitatum mundum, & vexatum ab hæreticis, tanquam ab Antichristi anteambulonibus, qui & ipsi eo nomine vocari possent.

Interlineatis angustiùs exponit, vnicuique finem propè esse. Ea expositio aptè necteretur mundi contemptui, ad quem Ioannes proximè hortatus est, vtpote quòd is transiret cum concupiscentia eius, sed prima melior. In Actibus Apostolorum [c] disseruimus de duratione Mundi, & qua ratione Patres grauitet vexato Mundo finem dicerent eius ingruere. Lege Basilium [d], præterea Sixtum [e] Senensem, Ioseph à Costa [f], Riberam [g]. Huius postremi acuta expositio, dici consummationem seculorum, qua venit Christus, aliisque nomioibus idem valentibus, quia tunc venit, quando definiuit Deus: nouissimam autem horam eo modo dici vult, quo docuit Caietanus. Alioqui & verum est quod est in Habacue [h]: *In medio annorum notum facies*: tempúsque legis Euangelicæ tùm diu hactenus durat, tum diutius forsan durabit.

Et sicut audistis quia Antichristus venit.] Theodorus Antiochenus credidit quòd Antichristus non punietur, sed omnino redigetur in nihilum: vt Leontius [i] Byzantinus testatur. De persona autem ipsa Paulus [k], Christus [l], Daniel [m], & rursus Ioannes [n] in Apocalypsi meminerunt. Nomen solus Ioannes in epistolis expressit. Audiuisse igitur ait illos, tum ab aliis, falsò existimantibus venisse, tum à seipso non scripto solùm, sed sermone etiã, & ab aliis Christi Discipulis, sed verè propter errores, & persecutiones. *Venit* præsenti tempore, dicit Ioannes, ἔρχεται, pro futuro, propter certitudinem aduentus futuri: seu quia instat aduentus eius, & vt dici solet, aduentat (quomodo de Elia dicitur quòd ἔρχεται, in editione nostra *venturus est* [o]: Christúsque ante aduentum etiam dicebatur ἐρχόμενος [p]: & de die iudicij quòd ἔρχεται, in editione item vulgata *veniet* [q].) licèt in futuro legat Augustinus [r]: ὁ Ἀντίχριστος, cum articulo, ad certam designandam personam (sicut in genere docet Epiphanius [s] per articulum cõtrahi significationem ad vnam rem determinatam, non ad solam denotandam communem pluribus appellationẽ, quemadmodũ cùm paulò post absque articulo subdit: καὶ νῦν Ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν, *nunc Antichristi multi facti sunt.* Syrus vertit Christum, & Christos falsos, seu pseudochristum, & pseudochristos. Hoc pacto Ioannes propter morum similitudinem dictus est Elias [t], Iudas proditor, Diabolus [u], Iudæi ex patre Diabolo [x]: Petrus Satanas [y]. Sic Irenæus [z] Antichristos cognominat Valentinianos, & Marcionitas, Arianos Hilarius [a], Cyprianus [b] Nouatianos: Origenes [c], & Hieronymus [d] quoslibet hæreticos: & Hilario Constantium, Lucifer Athanasios [e], & Ambrosius [f], Arium, Sabellium, aliósque: idem rursus, atque Chrysostomus, & Oecumenius, & Hieronymus in explanatione capitis secundi secundæ epistolæ ad Thessalonicenses [g], omnes hæreticos: necnon Augustinus: indicat quoque Tertullianus [h], immò apertè significat [i]. Cyprianus [k] omnes aduersarios Christi ait hic Antichristos dici, qui recesserint à charitate, atque ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ tum hæretici, tum Schismatici. Loquitur eodem pacto Concilium Carthaginense apud eundem Cyprianum [l]: rursum Cyprianus [m] Schismatum duces, & dissensionum auctores dicto nomine vocari docet à Ioanne: iterum Chrysostomus [n]. Vnde non mirum, si hæreticum neget esse Christianum Tertullianus [o], Cyprianus [p], Athanasius [q], Hieronymus [r], Augustinus [s], & in synodo 8. Photius damnatus negatus esse Christianus, immò Theodosius minor, & Valentinianus III. hoc nomine, vetant hæreticis nomen Christianorum retinere [t]. Videtur Hieronymus [u] hanc agnoscere acceptionem, dum Neroni nomen accommodat Antichristi, & cognominat hæresiarchas [x]. Solemus etiam de tyranno affirmare Turcam esse, Neronem, Diocletianum, &c. Simile est in Christi voce, quę nonnunquam est appellatiua, vt ibi, *nolite tangere Christos meos.* Hebræis familiare est nomina propria ob similitudinem vertere in communia.

Verùm planè communis, & prorsus certa, atque orthodoxa opinio est, definitam vnam personam Antichristum esse, quod & allata Scripturæ testimonia prout passim explicantur, liquidò demonstrant, & adeo multi Patres, vt eos sit recitare superuacaneum. Legat qui cupit, apud Cardinalem Bellarminum, & interpretes Danielis, vt Pererium, atque Apocalypsis, vt Riberam, & Vegam, ac eundem Pererium, & posterioris epistolæ ad Thessalonicenses cap. 2. & Matth. 24. ac Marci 13. & Ioan. 5. Necnon & Thomam Maluendam in opere de Antichristo.

Summa itaque Magdeburgensium [x] impudentia, Lutheri, aliorúmque hæreticorum, quos citat Card. Bellarminus [a], Nicolaus [b] Sanderus, Feuardètius [c], qui non verẽtur negare, Antichristum esse singularem personam, sed singularem thronum, siue regnum tyrãnicum, ac sedem apostaticam eorum, qui Ecclesiæ præsident, potissimum Papæ, qui se nominando Vicarium Christi, nolens, ac imprudens nominet Ἀντίχριστον. Id enim propriè significari hoc nomine Græco. Huic etymologiæ aduersantur optimi Auctores linguæ Græcæ, etiam is, qui Thesaurum illius confecit, Genouensis alumnus: & prætet alios plurimos linguę eiusdem peritissimus Hieronymus [d], atque Damascenus [e]: compositio item nominis, ex ἀντὶ, quod importat oppositionem, licet interdũ quoque æquiualentiam, in qua cernitur aliqua oppositio: primi generis exempla sunt antithesis, antiphrasis, ἀντίδικος: secũdi ἀντίθεος, ἀντίστροφος, ἀντίταλος. Augustinus [f] præterea tradit candẽ primam notionem, reprehendens eos, qui deriuabãt ab ante, quòd ante Christum venturus esset.

Tãdem descriptio Antichristi expressa in Scripturis, vt omittam Patres nulla ratione Vicarium, & subordinatum Christo, sed penitus contrarium designat.

Inter

---

a Matt. 11. 14.
b 2. Thess. 2. 7.
c cap. 1. 7.
d epist. 79.
e 5. Biblioth. Annot 190.
f 1. de nouiss. temporib. iam inde à princ.
g in c. 2. epist. ad Heb. & nu. 123.
h cap. 3. 2.
i lib. 3. contr. Nestor. & Eutych.
k 2. Thess. 2.
l *Solus Ioannes Antichristum nominat.*
m 1. Ioan. 5. 43.
n c. 7. & 11.
n c. 13. & c. 17.
o Matt. 17. 11.
p c. 11. 3.
q 1. Thess. 5. 2.
r 10. de ciuit. c. 19.
s hæres. 9. *Articulo Græci vis.*
Antichristi propter similitudinem hæretici dicuntur.
t Luc. 1. 17. Matt. 17. 11. 12.
u Ioan. 6. 70.
x infra 8. 45.
y Matt. 16. 23.
z lib. 3. contr. hær. c. 1.

a lib. ad Constantium, & contra Auxent.
b lib. 4. epist. 9.
c in c. 24. Matt. d lib. de nomine decem . . . Deum derelinquendo.
e epist. ad Solitar.
f in c. 21. Luc.
g 2. contr. aduersarios legis & Prophetar.
h 11. & 20. de cœlo. c. 19.
i de præscrip. c. 3.
k 13. contr. Marc. c. 8. & lib. contr. Praxeam, cap. vlt.
l lib. 1. epist. 8. vel 76. lib. 4. ep. 11. vel 79.
m lib. ad Nouatian. non longè à princ.
n in 10 Psal.
o de præscript. c. 37. lib. de pudicitia & 1. 6.
p Matt. 8. . . .
q 4. epist. 2. & de . . .
r Ecc. 1. post medium.
s orat. 2. contr. Arian.
t cont. Luciferianos.
u de gratia Christi c. . . .
x lib. 2. C. de hæret.
u ep. 151. ad Algasiam q. 11.
Antichristus est persona determinata.
x in c. 13. Ezechiel y Psal. 104. 15.

x cent. 1. lib. 2. c. 4. co. 433.
a 3. de Roman. Pontif. c. 2.
b lib. 8. de visibili Monarch. Eccl.
c contr. hæres. verbo Antichrist.
d ep. 151. q. 11.
e 4. de fide, ca. 27.
f Tract. 3. in 1. epist. Ioan.
Antichristus est . . . Christo, sed aduersarius.

Inter alia dicitur *extolli supra omne quod dicitur Deus* [a], *interpretandus Spiritu oris Domini Iesu* [b]: *negare Iesum esse Christum* [c]: & soluere Iesum [d]. Didymus restringit significationem ad eum, qui deficiat à Christiana professione ad hæreses, & errores contra Christum. Illud non probo vniuersè, licet Ioannes de talibus loqui videatur, vtpote qui priùs essent in Ecclesia: quia vnus ille maximus Christi aduersarius Antichristus doctrinam Christi numquam profitebitur, sed maximè impugnabit, & re, moribusque longissimè distabit ab ipso. Nam exempli causa nasciturus creditur de fornicatione [e], ex infima tribu Dan, in infami Babylone, ac forsan quidem opera incubi diaboli: quo tempore bellis mundus conflagrabit: *erit homo peccati, & filius perditionis* [f]: totúsque *in dæmonis potestate, atque gubernatione* [g]: nihil ipso superbius, ferocius, truculentius: nullus magis contumeliosus, impius, blasphemus in Deum: *plenus enim erit nominibus blasphemiæ* [h]: fraudibus, hypocrisi, mendacio abundabit, fictisque miraculis: inibit societatem cum magis, incātatoribus, maleficis, cum turpissima fæce, & colluuione hominum: certo quodam charactere suos consignabit: mori se finget, ac resurgere: id vnum aget in primis, vt persuadeat Dominum Iesum non fuisse verum Messiam, Deique filium; nec eius legem bonam vtilémve hominibus: summos honores ambitiosissimè persequetur: voluptatibus immerget sese: bella durissima exercebit, plurimum sanguinis humani fundet, illorum videlicet, qui eius detrectabunt imperium. Non persequar cetera quæ pertinent ad Antichristum, nec enitar probare hominem futurum, non dæmonem in corpore assumpto, vel informato, cùm tot liceat legere huius argumenti tractatores accuratos, quibus adnumerari possunt Scholiastes Irenæi [i], & Damasceni [k], & prior in additionibus ad hæreses impugnatas à Castro [l]: præterea Enriquez [m], Suarez [n], Ioannes Ferdinandus [o], Ioseph Acosta [p], & Malauendius [q].

Nunc Antichristi multi facti sunt.] Similes illi vni Antichristo, qui venturus est nouissima hora, id est, sub Mundi finem, sicut antea Declarauimus Legédus ex citatis præsertim Augustinus [r], nec verò soli errores de Christo errorum sectatores denominant Antichristos, verùm etiam aduersatius Christi est, ait Hieronymus [s], & Antichristus, cui præcepta displicent Christi, & in cordibus iniquorum, inquit Gregorius [t], secreta sua iam nunc occultus operatur Antichristus.

Scribit autem eadem de re tali sermone Augustinus [u], vel potius Rabanus: Antichristus multos habet suæ malignitatis ministros, ex quibus multi in mundo præcesserunt, qualis fuit Antiochus (præcessit hic tamen Christum) Nero, Domitianus. Nos quoque nostro tempore Antichristos multos nouimus esse. Quicumque enim siue laicus, siue canonicus, siue monachus contra iustitiam viuit, & ordinis sui gloriam impugnat, & quod bonum est, blasphemat, Antichristus est, minister Satanæ. Certè sicut Christum Paulus ait *in se loqui* [x], *ita negat esse Christi qui non habet Spiritum ipsius.* Tertullianus neminem Christianum esse affirmat, nisi qui ad finem vsque perseuerauerit. Quod nimis restrictè dicitur.

Inde scimus quia nouissima hora est.] Similis hora, seu tempus illi horę, temporique quo grassabitur Antichristus Videtur hoc modo Ioānes ratiocinari: scimus venturum Antichristum in fine Mundi: nunc postquam Christus ascendit, adsunt multi præcursores illius magni Antichristi, vt loquitur Augustinus, ac veluti minores Antichristi, *per quos operatur mysterium iniquitatis* [y], ea ratione quā modò retuli ex Hieronymo, Gregorio, Augustino: ergo signum est, hanc esse nouissimam horam, & ætatem. Quemadmodum nouimus hanc esse noctis vltimam horam, qua sol oritur in ipso noctis fine, iam verò multi radij solis illuminant aërem. Paulo lōgior est hora ista nouissima, dies, tempus, ætas, nec præcisè constat quando postrema contiget pars eius, qua verus veniet Antichristus.

Vers. 19.] Ex nobis prodierunt, sed non erāt ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum: sed vt manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.

DESCRIBIT quales sint Antichristi, cauens, ne propter eorum discessionem perturbentur. Hoc ipsum cauerat Christus [z], Paulus etiam scribens Timotheo [a], & Hebræis [b]. *Numquid & vos vultis abire?* ait Christus: *Cognouit Dominus, qui sunt eius*, &, *non deserētes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes*, inquit Apostolus.

Ex nobis prodierunt] Ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον. Augustinus legit: *exierunt*, necnon Cyprianus, sæpe citatis locis. Erant prius intra Ecclesiam seu animo simulato, vt Simon Magus cum suis, seu etiam vero. Quando euomuntur humores mali de corpore, releuatur corpus: quādo exeūt mali, releuatur Ecclesia. Et dicit, quando eos euomit, atque ex corpore proicit, ex me exierunt humores isti, sed non erāt ex me. Quid est, Non erant ex me? Non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebāt, cum inessent. Sic Augustinus [c]. Alia multiplici Cyprianus [d] rem eandem illustrat comparatione. Non enim bonos posse de Ecclesia discedere, nempe dum boni sunt: similes esse amaritudini, caligini, pluuiæ, pugnę, sterilitati, siccitati, tempestati, non rapi vento triticum: non solida fundatam radice arborem procella concuti: hos verbis istis execrari, & percutere Ioannem.

Cæterùm non omnis qui extra Ecclesiam est, ita propriè dicitur exire. Pelluntur excommunicati, Schismatici quasi facta irruptione discedunt: hæretici, vel Apostatæ dicuntur exire, quia fide veluti egrediuntur, per quam ceu per portam intratur in Ecclesiam, *& sunt a semetipso condemnati* [e]. Tremit enim cor (ait Augustinus [f]) quando hoc audiunt hæretici.

Sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.] Augustinus disserens de bono perseuerantiæ [g], præsentem locum explicat de prædestinatis secundum propositum vocatis, in Christo electis ante cōstitutionem mundi: consentit Auctor Commentarij in epistolam ad Romanos, Ambrosij nomen gerés [h], & Prosper [i], hócque loco innuit Oecumenius, item Lyranus, & Clemens Alexandrinus, qui comprehendit quinque Angelus. Glossa interlin. & Hugo inter alias expositiones, & Carthusianus, qui restringit tamen ad prædestinationem perseuerantiæ intra Ecclesiam, in fide, & Ecclesiastica vnitate. Eadem sententia Gratiani [k] distinguentis duplicem præordinationem; vnam, qua quis præordinatur hîc ad iustitiam, alteram, quæ ad vitam æternam ob-

a 2. Thess. 2. 4. Dan. 11. 36.
b ibid. 2. The.
c 1. Epis. 11. 4.
c 1. Ioan. 2.
d 1. Ioan. 4. 3.
e Hippol. ora. de consumm. Mundi. Dam. 4. de fide c. 37.
f Thes. 2. 3.
g Hierony. in Dan. c. 11.
h Apoc. 17. 3.
Omen Antichristi.
i lib. 5. ca. 25. & seq.
k lib. 4. de fide cap. 7.
l verbo Antichristus.
m ad fine ho mini. c. 24. 25. & 26.
n Rom. 2. in 3. p. q. 56. § 4.
o in Thes. scri verbo Antichristus.
p de nouiss. tempor. & Concionib. in 4. in Do. 24. post Pentec. & ten quæ sunt in princ. Conc. de Aduentu.
q proprio hac de re lib.
Antichristus multos habet suæ malitiæ ficiatores.
r 2. c. 20. & 20. legis & Prophet. c. 12. & 20. de ciu. cap. 19.
s ep. 11. ad Mar. de ærror. Heluid.
t 29. Mor. c. 7.
u Tract. de Antichristo.
x 2. Cor. 13. 3.

Quæ sit nouissima mundi hora.
y 2. Thess. 2. 7.
z Ioan. 6. 68.
a 2. epist. 2. 9.
b Heb. 10. 25.
Hæretici sunt extra Ecclesiam.
c hoc loco.
d lib. de Vnit. Eccl.
Non omnis qui extra Ecclesiam est exire dicitur.
e Tit. 3. 11.
f de ouib. c. 10.
g c. 8. nec non de corrept. & gra. c. 9 & 10. de ciu. c. 8.
h in cap. 9.
i ad obiect. Vincētij in 12.
k de Pœn. 4. c. 10 domo.

Duplex prædestinatio, vna ad iustitiam, altera ad vitam æternam.

tinendam: ratione primę dicere Ioannem aliquos fuisse ex nobis: ratione secundæ, exisse, ita vt non permanserint, scilicet vsque ad finem.

Non puto loqui Ioannem de prædestinatis, potissimùm ad beatitudinem: nã & sunt non pauci, qui exeunt ex Ecclesia, sicut & intra illam magni peccatores, de numero prædestinatorum: immò contra ex iis, qui sunt in Ecclesia, quin etiam in gratia, quidam pertinent ad reprobos, & nonnulli redeunt qui exierunt, licet hos Beda dicat non dicendos Antichristos, quos nempe finis vitę præsentis in Ecclesia manentes inuenit. Nec scio an Ioanni noti fuerint reprobi, & prædestinati, quæ cognitio adeo propria est Deo cognoscenti qui sunt eius [a], & quos elegerit [b]. Quorsum prætereà id ille diceret, non video, neque quid vel cõsolationis, vel vtilitatis inde prouenire valeat iis quibus ipse scribebat. Nec obest quod paulò post subiicitur: *si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscũ* [c]. mãsuros etenim fuisse rectè intelliguntur in vnitate, & doctrina Ecclesiæ, siue de prędestinatis essent siue non, si videlicet retinuissent eandem doctrinam, mores eosdem, quibus fuerant instituti. Quamquam potuit Ioannes de hæresiarchis intelligens, dicere, quòd non erant ex prędestinatis, quatenus rarissimè contingit redire tales ad Ecclesiæ vnitatem, sed vt est in Apocalypsi [d], quamuis illis tempus detur, vt pœnitentiam agant, nolunt pœnitere. Vnus, quod sciam, Berengarius relapsus bis, resipuit tandem, de quo Gerson [e].

Cognitio prædestinatorum & reprobatorum solius Dei est.
a 2.Tim.2.19.
b Ioan.13.18.

c vtitur hoc argumento Bellarminus 2. de Gra. & lib. arbitr. c.12. qui tamẽ locis quę postea citabimus, negare videtur intelligi de prædestinatis: sicut qui ex professo hic id negat Salmeron, contrarium docet Tomo 13. disp. 30.
d cap. 2.
e p. 4. tra. cont. Romantium de Rosa.
Berengarius vnus de Hæresiarchis resipuit.

Nolim quoque de vnis illis esse sermonem, qui se, quod erant origine profitebantur etiam religione, priùs esse Iudæos, sed Christi discipulos: quique cùm segregassent se ab Ecclesia, & à vera fide, ad synagogam potiùs Satanæ spectabant, nec secundum spiritum erant, veri Iudæi, vt idem Ioannes in Apocalypsi [f] scribit, hoc est, sinceri confitentes, *vt neque*, quod ait Paulus, *Israelita, filiíve Abrahã* [g]. Catholica est epistola, communísque fidelibus, tum ex Gentilitate, tum ex Iudaismo: & quod ait Ioannes, *ex nobis*, non se significare voluit gente Iudæum, similésque, sed vniuersitatem fideliũ, Catharinus nimis accipit anguste de solis Apostolis: nimirum tales de numero Apostolorum non fuisse. Idem tradit Canus [h].

f Apoc. 2. 9.
g Rom. 9. 7.
h 4. de locis c. vlt. ad 7. vers. finem.

Affirmat ergo, quòd priusquam in publicum disseminarent errores suos hi, qui degebant inter fideles, & vel hæretici palàm euaderẽt, vel Iudęi, vel etiam Pagani, priusquàm apertè se proderẽt, vt patricidiale Ecclesiæ, & exitiale bellum inferrent (verbis vtor Cypriani [i]) iam ab Ecclesiæ fide, & moribus Christianis discesserant: & foras prodierunt, vt inquit Hieronymus [k], vt publicè colerent, quod intus priùs venerabantur: sic intellexit Cyrillus Ierosolymitanus [l] præsentem locum, applicans ad Simonem magum. Denique Augustinus [m]: qui in Commentario huius loci sequitur sententiam istam, & innuit eam alibi [n], asserit neminem ab Ecclesia posse discedere, quin priùs animo se ab ea diuulserit. Hęresis culmẽ est impietatis, nec fit quisquam repentè pessimus: indicant vitia priora alia, quò quis præcipitaturus sit. Id optimè Flauianus ad Leonem [o] Papam scribens de Eutyche, eiusdémque sectatoribus, declarat, vocans etiam ouina vestitos veste lupos rapaces. Isti prima fronte videntur esse de numero nostro, sed non sunt de numero nostro, si enim de numero nostro essent, nobiscum mansissent. Quando autem cœperunt assumere impietatem, illud quod prius occultabatur in illis, aperitur, & dolus fit omnibus manifestus.

Quomodo hæretici ex nobis exierunt.
i de simplicitate Prælat. & lib. 1. epist. in 8.
k lib. 1. in Lucif. in fine.
l Catech. 6.
m hoc loco.
n 7. de Baptis. cap. 13.
Hæresis culmen est impietatis.
o apud Leonẽ post. epist. 8.

Hinc porrò colligimus, vt quis vera censeatur pars Ecclesiæ, quam visibilem esse omninò oportet, satis esse, si sola externa professione doctrinæ, cultúsque, ceteris iungatur fidelibus, licet moribus, & fide dissideat interna, de quibus iudicare nequimus. Docet hoc, probátque tum auctoritate, tum ratione Card. Bellarminus [p], ac nos ipsi aliàs, cum disputaremus scholasticè de Ecclesia. Sic autem quod dixi, colligitur. Ioannes quos nominat Antichristos, hęreticos, & similes, ait antequàm exirent, non fuisse ex nobis, id est, animo voluntatéque Catholicos, & Orthodoxos: exiuisse tamen ex nobis: quia nimirum, licet non essent ex nobis animo ac voluntate, professione externa erant ex nobis: at vbi se prodiderunt, & in apertos proruperunt errores atque schismata, iam penitus, omnibúsque modis desierunt esse ex nobis.

Quid necessariũ sit vt quis de Ecclesia censeatur.
p li. 3. de Eccl. milit. c. 10.

Fatetur hoc loco Augustinus, multos intus esse in Ecclesia, qui nondum exierint, & tamen Antichristi sint: eodémque planè modo loquitur aliis locis [q], & exponit locum præsentem. Origenes [r] præterea disertè tradit, in Ierusalem, id est, in Ecclesia, quosdam Iebusæos esse, qui & fide, & actibus peruersi sint. Legendus quoque Gregorius [s].

q 3. de Bapt. c. 19 tract. 6. in Ioan.
r Hom. 21. in Iosue
s 13. Mor. c. 4.

Aliud prætereà sequitur, quo facile discernantur falsi dogmatis auctores. Nam exeunt, prodeúntque ex orthodoxis. Atqui Lutherani, Caluinistæ, omnis Nouatorum secta fuit in Ecclesia aliquando, inde se proripuit, inde defecit. Erasmus [t] Sarcerius confitetur omnes ferè prædecessores Lutheranorum, séque ipsum Romano Pontifici aliquando paruisse. Quare conuenit in illos potius, quam in nos, quod scribit Paulus [u]: *Nisi venerit discessio seu apostasia, &c.* Discesserunt enim ab Ecclesia in qua erant, in qua nos perseueramus. Argumentantur hinc hunc ad modum Franciscus Turrianus [x], & Cardinalis Bellarminus [y], immo verò Augustinus hoc loco vrgens Donatistas, aptissimè Zizaniorum [z] nomine illos intelligas, ceu ex tritici, hordeive corruptis natos seminibus, hoc est, ex fide corrupta.

Hæretici fuerũt ex nobis, sed foras prodierunt.
t in 2. ad The. 2.
u ibid. vers. 3.
x 3. pro epist. Pontif. c. 27.
y 3. de Rom. Pont. cap. 1. sub finem.
z Mat. 13. 38.

Vitandus & iste hoc loco scopulus, in quem Caluinus impegit, qui sit iustus, cadere nõ posse; quoniam Ioannes ratiocinatur, *si qui essent ex nobis, permansuros vtique nobiscum fuisse*: nam vel Ioannes vult tales non fuisse ex prædestinatis, vt intelligebat Augustinus, vel remansuros fuisse intra Ecclesiam, doctrina palàm discrepaturos non fuisse: quod cùm fecerint, probabile esse ficto illos animo intra Ecclesiam fuisse.

Iustum cadere non posse ex hoc loco Caluinus tradit, sed malè.

Sed & occurrendum rudibus ac imprudentibus cum Tertulliano [a], qui solent mirari tot clarorum hominum apostasiam, & de quibusdam ab hæresi captis ædificari in ruinam. Varia profert exempla ex vtroque Testamento. Tandem premit aduersarium: *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Auolent igitur quantùm volent palea leuis fidei, eò purior massa frumenti in horreum Domini reponetur* Similis hac de re monitio Cypriani [b], qui affert Paulum dicentem [c]: *Quid enim si exciderunt à fide quidam eorum? numquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit.*

a de præscrip. c. 1. 2. 3.
Fides ex personis nõ probamus, sed contra.
b lib. 2. epi. 3.
c Rom. 11. 22.

Subiiciam salubre monitum, sibi quisque vt caueat, locum suum ne dimittat [d], seu collectionem [e], dum stat, videat ne cadat [f]: teneat quod habet [g]: non exeat de Ecclesia, de ordine: ibi verò non solo sit numero, sed etiam merito: conten-

Quisque in sua vocatione manere debet.
d Eccl. 10. 4.
e Heb. 10. 25.
f 1 Cor 10. 12.
g Apoc. 3. 11.

dat & impetret precibus, ac bonis operibus perseuerantiam: alieno cautus malo fiat, diuina veneretur, vereatúrque iudicia, quibus nonnullos flebiles permittit lapsus. Horum obuia plura exempla: testatur Climachus [a] de centum viginti primis illis, quos memorat Historia Apostolica [b], super quos cecidit Spiritus sanctus [c], prodiisse quatuordecim hæresiarchas. Paulus quoque *fore prædixit* [d] *vt ex ipsisinet discipulis exurgerent viri loquentes peruersa, & lupi rapaces.* Sunt intra Ecclesiam quidam improbi, & interdum etiam ex pastoribus, at non proinde exeundum de Ecclesia: In Ecclesia remedium, extrà pernicies irremediabilis. Persequatur licet nos Saul, & sit sceleratus, atque coniuratus hostis, pronuncia eum Dauid, *illos maledictos in conspectu Domini, qui eiecerunt te,* suadendo *vt non habites in hereditate Domini, dicentes: Vade, serui diis alienis* [e]. Vtilitas ex hæresibus percipitur, sicut ex Tyrannorum persecutionibus, & ex malis moribus. Malus Christianus, ac flagitiosus nobiscum non est, inquit Nazianzenus [f], quem à communi corpore flagitiosa vitæ ratio separat.

Sed vt manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.] Syrus: אלא נפקו מנו דנתידע דלו מנו הוו *ella naphaku menan dethethidahh delau menan hauu. At egressi sunt è nobis, vt innotescat eos ex nobis non fuisse.* Id est, hæc extitit ex eorum egressu vtilitas, vt quales latebant intus, tales foris agnoscerentur, & quod latebat virus, prodiret in publicum, atque caueri magis posset. *Oportet hæreses esse,* dixit Paulus [g], *vt & qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Respicit hoc manifestationem proborum, oppositu improborum: quod autem hic dicitur, declarationem improborum, vt à probis vitentur. Potest denique Græcismus esse; sed vt manifesti fiant non omnes esse ex nobis, id est, quod non omnes qui nobiscum sunt in Ecclesia, sint ex numero nostro, vel qui veram fidem intus animo tenemus; vel saltem qui sumus ex electis. Quæ tamen intelligenda sunt, vt antè diximus. Exponi præterea potest, vt significet fuisse aliquando nostros, sed recessisse; immo nec vnquam fuisse, quoniam permansissent. Quo pacto *nostri*, pro iis accipiuntur, qui sunt in Ecclesia, deinde pro electis. Probabili quadam scientia sciebat Ioannes tales non fuisse ex electis, quia, vt priùs dixi, rarissimè ad Ecclesiam reuertuntur. In genere autem, ac indistinctè sciebat id certò, ex Spiritu, quo dictante scribebat; sicut Paulus [h] aliquoties in vniuersum prædixit eiusmodi nonnullos futuros: vt & Petrus [i], ac Iudas [k]: & primus cùm scribit aliquos circa fidem naufragauisse [l]: atque Hymenæum & Philetum à veritate excidisse [m]. Ex quo sequitur falsum esse Caluini & sectatorum dogma, neminem illorum veram fidem habuisse.

a citat eū Salmeron hoc loco, sed locum adhuc non reperi.
b Act. 1. 15.
c infra c. 2. 4.
d Act. 20. 29.
In Ecclesia remedium, extra pernicies.
e 1. Reg. 26. 19.
f orat. in funere patris.
g 1. Cor. 11. 19.
h Actuum 20. 29. 1. Timot. 4. 1.
i 2. epist. 2. 17.
k vers. 18.
l 1. Timot. 1. 19.
m 2. ep. 2. 18.

Vers. 20.] Sed vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.

EVTHYMIVS [n], citans Cyrillum [o] Alexandrinum, ostendit aliter vnctum dici Christum Spiritu sancto, aliter nos: nec ex eo loquendi modo colligi posse nos æquales esse Deo, sicut ipse est: ac proinde vnctionem Christi non accipiendam esse, quasi tantùm postquàm natus est eam acceperit, & Christi nomen obtinuerit.

Vnctionem habetis.] Instructi estis, vt dignoscere possitis tale hominum genus, qui peruertunt fidem, quam vos accepistis, & retinetis: gratiæ quoque oleo inuncti, vt si velitis, perseuerare possitis, & non ex vobis exire: probè tenetis quod dixi de Antichristo, déque præconibus eius, pridem antè prædictum esse: nihil vobis accidet noui: nostis hæc omnia, quæque saluti sunt vestræ necessaria: vnum restat, vt perseueretis, nec vos patiamini seduci, aut offendi, & scandalizari nonnullorum apostasia. Denique modestè Apostolus videtur excusare, quòd eadem inculcet atque ingerat, quasi cum rudibus ignarísque ageret, cùm probè essent in doctrina Christi instituti. Id facere se significat, ne se sinant ab eo quod teneant abduci, sed vt, quemadmodum postea [p] monet, quod audiuerunt ab initio, in ipsis permaneat, & vt vnctio quam acceperunt, maneat in ipsis [q].

Vnctionem.] Χρῖσμα, inde Χριστὸς Christus, & nos nomine appellatiuo Christi vocamur, vt ait Cyrillus [r] Alexandrinus, & Ierosolymitanus [s], non solùm Christiani. Hieronymus [t] vertit vnguentum, & retinet etiam chrismatis nomen in sequentibus versiculis. Verbale χρῖσμα vtrumque significat, & *vnctionem*, & *vnguentum*. Nec infrequens Græcis, Latinísque nomine vti actionis pro re ipsa, & termino eius. Profectò non dicetur quis propriè vnctionem habere, quæ est actio fluens, sed vnguentum permanens.

Christum ipsum vnctum testantur Sacræ litteræ [u], sicut aliàs ostendimus. De nostra quoque vnctione meminerunt. Hæc vnctio est Spiritus sancti, vt ait Augustinus, siue, *diuina gratia charitatísque diffusa in cordibus nostris* [x]: necnon externa visibilísque in Sacramento, vt idem Augustinus docet. Cùm verò materialiter vngamur in Baptismo, Confirmatione, Ordine, Extrema vnctione, illa potissimum innui videtur vnctio, à qua denominamur Christiani: est autem quæ adhibetur in Baptismo, quamuis illi Sacramento non sit essentialis, & prorsus necessaria.

Cyrillus Ierosolymitanus [y] de Sacramento chrismatis, siue confirmationis exponit, negans ante illud absolutè Christianum dici quem posse. Turrianus [z] intelligit quoque Ioannem, & Cyrillum eodem pacto, & Cardinalis Bellarminus [a], sed Oecumenius de Baptismo.

Haud dubium quin per se Ioannes solam significare velit vnctionem internam, nec gratiæ quidem iustificātis sed doni intellectus, quo vulnus ignorantiæ curetur. Et vt Gregorius [b] interpretatus est, allocutionem intimæ inspirationis, quæ humanam mentem contingendo subleuat. Quamuis cum gratia iustificante solet hoc esse coniunctum donum. Sed & Irenæus [c] chrisma veritatis nominat, hoc est doctrinam.

Vngebantur in lege vetere Pontifex ad ritè orandum, & sacrificandum: Prophetæ, vt rectè intelligerent, docerentque: Reges, vt benè gubernarent. Vngimur & nos, vt voluntatis & affectus sanitatem consequamur: vt ignorantia dispellatur: vt vires ad bene operandum confirmentur. Innocentius III [d]. *Vnctionem istam vocat interiorem, spiritualem, inuisibilem, qua cor inungatur, & qua simul sit signum, siue sacramentum, quia si dignè sumatur, vel agit, vel auget absque dubio, quod designat.*

Hieronymus [e] disputans de vario illo hominum genere, quos vngi solitos apud veteres dixi, vnguentum istud, de quo modò Ioannes, ait esse spirituale, ídque quod in Baptismo datur.

n panop. p. 2. p. 584.
o ora. ad Presbyt. Diac. & Monachos.
p vers. 24.
q vers. 27.
r apist. 1.
Christus & Chrisma vnde dicantur.
s Catech. Mystag. 3.
t lib. 2. in c. 3. Habacuc.
u Psalm. 44. 8. Heb. 1. 9. Esa. 61. 1. Luc. 4. 18. Act. 4. 27. c. 10. 38.
Vnctio quid sit.
x Rom. 5. 5.
y Catech. 3. Mystag.
z 3. de dogm. chara. paulo post med. & 1. pro ep. Pontif. c. 18.
a 2. de Sacrā. in c. 5. & 8.
b 5 Mor. c. 19. aut 20.
c lib. 4. c. 43.
d de Sacr. vnctio. c. vnico.
e lib. 2. in c. 3. Habacuc.

a refertur in Tom. 1. Concil. Ephes. cap. 1.
B. Virgo non Christipara dicenda ab antiqua Ecclesia.
b 3. de fide ca. 12.

Eadem ratione Cyrillus intellexit Alexandrinus, quem prius citaui[a], propterea docens non satis exprimi Diuinitatem Filij Dei per nomen Christi, nec sufficere, vt B. Virgo nominetur Χριστοτόκος, sed Θεοτόκος. Abhorruit Ecclesia propter errorem Nestorij B. Virginem vocare Christiparam, nec ex professo Damascenus[b] monet, eodémque vtitur Cyrilli argumento, quoniam quiuis purus homo Christus dici possit. Alioqui constat hoc nomine aptissimè designari eũ qui duabus constat, humana diuináque naturis in vna hypostasi diuina coniunctis, ac proinde sic optime appellari Christiparam.

Christus Dominus noster sic merito dicitur.

c ep. ad Serapionem, qua probat Spiritum sanctum esse creaturam. Vngimur à tota à Trinitate.

Athanasius[c], quod vnguentum istud sit ipsemet Spiritus sanctus, quo res conditæ inunguntur, argumentatur non esse de numero earum, sed superiorem, ac Deum. Reuera ipsomet Spiritu sancto non vngimur formaliter: efficienter a Trinitate tota, per attributionem quamdam ab illo. Quocirca vis argumenti attendenda est in causa efficiente principali, cuiusmodi esse Spiritum sanctum Scripturæ præ se ferunt, & hic & alibi.

d Hym. Veni Creator Spiritus.

Prætermitto varias olei, & vnguenti proprietates Spiritui sancto, quem *spiritualem canit vnctionem Ecclesia*[d], conuenientes. & Sacramento confirmationis. vt lætificare, lassos reficere, æstuantésque refrigerare: vulneribus mederi: ignem alere luménque. Eas commodiore loco protuli: consulendique sunt qui disserunt de hoc Sacramento, atque Cyrillus[e]. Allusit Ioannes in vnctionis voce ad Antichristos, qui gratiæ spiritualis munere, vt ait Beda, quasi videlicet interna vnctione sunt priuati. Non ineptè quidam coniiciunt Ioannem delectarum Vnctionis Oleive voce aut chrismatis, quia & nomine Iesu, quod est *Oleum effusum*[f], vt proinde damnatus sit oleo feruenti, quasi pœna responderet voto, quemadmodum Andreas Cruce, quam libens vsurpabat sermone: nec inepte accommodari posset Ioanni quod est in Psalmo: *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus est*[g]? Atque hac ratione dici posset Ioannes Christianissimus, id est, maxime vnctus. Hoc epithetum Rex Galliæ obtinuit, qui cœlitus allato vngitur oleo.

e lib. 3. in Ioan. c. 4.
f cant. 1. 2.
g Psal. 22. 5.
Rex Galliæ Christianissimus vnctus.

A sancto.] Vel à Spiritu sancto, vel à Patre, vel à Christo, vel a Deo. Sancti de his epithetum dici, docui in Apostolica historia[h]. Beda, & Salmeron de Christo interpretantur, qui Sãctus vocari consueuit a Prophetis: Lyranus de Spiritu sancto, nec non Oecumenius, & Catharinus. Hugo, & Caietanus de vtroque. Carthusianus de Deo, vel specialiter de Spiritu sancto. *Sanctum sanctorum* Daniel[i] cognominat Christum, vt & in Actibus Apostolorum[k] appellatur absolutè *iustus*: aliquando[l] *iustus & sanctus* simul.

h cap. 3. 14.
i c. 9. 24.
k c. 7. 52. c. 22. 14.
l c. 3. 14.

Et nostis omnia.] Saluti necessaria, & vtilia, nominatim quæ sunt credenda de Deo, & Christo, cui aduersantur Antichristi satores errorũ. Quæcumque audiuit Christus a Patre, nota fecit Discipulis[m], multa reseruans tamen in Doctorem Paracletum: *Spiritus[n] veritatis docet omnem veritatem. Dat Dominus de omnibus in electum*[o]: *Spiritualis iudicat omnia*[p], pro tẽpore, loco, personis, qualitate rerum, denique quatenus oportet, ac decet. Dat enim omnibus Deus hoc modo sapientiam affluenter[q], prout exigit cuiusque status & occasio. *Discernimus inter probos, & improbos*, ait Beda, *ex tempore Antichristorum prouenimus, omnia plena menda esse*, inquit Oecumenius. Syra versio: *Discernitis vnumquemque hominem*. Augustinus: *Et ipsi vobis manifesti estis*. Id vnde hauserit, nescio, forsan ex paraphrasi eius, transierit in textum. Hoc modo quod Syrus posuit Interpres, nõ simplex, sed paraphrastica interpretatio est.

m Ioan. 14. 26. c. 16. 12.
n Ioan. 16. 13.
o 2. Tim. 2. 7.
p 1. Cor. 2. 15.
q Iacobi, 1. 5.

Crescit paulatim Ecclesia ipsa in mysteriorum cognitione, & Spiritus sanctus dator ei doctor vt doceat, ac suggerat[r] *omnia omnémque veritatem*, non simul, & semel id facit, sed quando iudicat opportunum. Testes Historiæ, atque Conciliorum, & Pontificum decreta: nam quæ olim sine hæresis nota licuit asserere, cùm nondum diluxisset veritas, postea nefas fuit Orthodoxo sentire. Nouit omnia Ecclesia quæ nosse in præsenti expedit, & quæ nondum reipsa nouit, noscet autem aliquando, nosse nunc dicitur, quia in potestate eius est, vt noscat; & illud *habere* dicimur, ait Lyranus, quod est in potestate nostra habendi, siue vt habeamus. Symbolicè vocatur Ecclesia luna; lumẽ subinde suuit à sole maius: *& iustorum[s] semita quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectam diem*. Sunt in Ecclesia *pastores & doctores*[t]: *& alij per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo sciẽtiæ secundum eumdem[u] Spiritum: si amas vnitatem, etiam tibi habet*, ait Augustinus[x], quisquis in ea habet aliquid. Sic oculus non soli videt sibi. Ex gratia Spiritus sancti est vt inter nos aliqui doceant, alij per illos discant, proficiántque: ac ex lucerna eadem videat *non solum qui accendit, sed omnes qui in domo sunt*[y]. Porro similis isti est locus Pauli[z]: *Certus sum fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, ita vt possitis alterutrum monere*. Præterea[a], *de charitate fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis vt diligatis inuicem*. Item[b], *de temporibus & momentis non indigetis, vt scribamus vobis: ipsi enim diligenter scitis*, &c. Tandem potuit hic significari fidelibus suppetere in suis particularibus Ecclesiis, per quos doceri possint, pastores, doctores, episcopos, presbyteros, de iis quæ ad Christianæ doctrinæ veritatem spectant, atque ad mores conformandos.

Crescit Ecclesia paulatim in mysteriorum cognitione.
r Ioan. 14. 26.
s Prou. 4. 18.
t Ephe. 4. 11.
u 1. Cor. 12. 8. 9.
x tr. 32. in Ioan.
y Matth. 5. 15.
z Rom. 15. 14.
a 1. Thes. 4. 9.
b cap. 5. 1. 2.

Vers. 21] Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non est.

NOn tam docendi vos gratia scripsi, quàm confirmandi, & cohortandi: quia *Audiens sapiens sapientior erit*[c] & *cùm datur sapienti occasio, additur ei sapientia*[d]. Sic Paulus, *scientibus*, inquit, *legem loquor*[e], &, *Tamquam in memoriam vos reducens*[f], quasi diceret, *Non sicut paruulis lac dedi vobis, sed tamquam adultis solidum cibum*[g].

c Prou. 1. 5.
d Prou. 9. 9.
e Rom. 7. 1.
f Rom. 15. 15.
g 1. Cor. 3. 2.

Valent hæc ad conciliandam beneuolentiam magnopere. capiturque auditor, & persuadetur meliùs, quando à suo se deprehendit æstimari Doctore.

Et quoniam.] Id est, *Quòd*, ὅτι: Scripsi quasi scientibus hoc etiam, quòd &c. Crebrò hæc particula, & similis *quia*, hanc habent vim in scripturis.

Omne mẽdacium ex veritate non est.] Ex vero non nisi verum sequitur: & verum vero consonat: Non est à Deo, qui ipsissima veritas est[h], mendacium, quod sectantur αἱρετικοί, καὶ Ἀντίχριστοι Diabolus *mendax est, mendaciíque pater*[i], & per Me-

Verum vero consonat.
h Ioan. 14. 6.
i Ioan. 8. 44.

tonymiam

tonymiam dici mendacium potest, nec non qui docent mendacium. *Qui mentitur, non est ex Christo*, inquit Beda, & Glossa Interlinearis: nempe qui mentitur in materia Religionis, amittit Christum, non qui quomodolibet, ac in materia leui, vt admonet Hugo, & Thomas Anglicus, probátque ex proximè sequenti sententia, Nullum quidem mendacium, quamuis leuissimum, est ex veritate, ex Deo, & ex Christo, ideóque nullo modo mentiri licet, quia læditur aliqua ratione mentiendo veritas, ac proinde Deus, & Christus: tamen non nisi graue mendacium contra veritatem, contra Deum, contra Christum est. Acutè Augustinus [a], & accommodatè ad præsentem sententiam: Si falsum est, quod docet is, qui mentiri docet licere, quis falsæ velit studere doctrinæ, vbi & fallit docens, & fallitur discens? Si autem, vt aliquem possit inuenire discipulum, docere se asserit verum, cùm doceat esse mentiendum, quomodo erit vllum ex veritate mendacium, Ioanne Apostolo reclamante: *Omne mendacium non est ex veritate*? Idem valet scire veritatem, & scire quòd nullum mendacium sit ex veritate: sicut postea [b], *& verum est, & non est mendacium.* quoniam, Philopono teste, rectum & sui iudex est & obliqui. Quanquam posset hoc discrimen videri, vt scire veritatem conueniat multis, qui tamen non ita nouerunt mendacium detegere ac demonstrare veritati contrarium esse, mendacium, inquam, illud καθ' ἐξοχὴν καὶ ἀντονομαστικῶς, quod aduersatur orthodoxæ doctrinæ.

Cæterùm notanda phrasis ista: *omne mendacium non est ex veritate*] Quamuis enim more dialectico, *omne non*, aut *non omne* æquipolleat alicui, verbi gratia: Non omne animal currit, vel, omne animal non currit, id est, aliquod currit: in scripturis tamen accipiuntur pro nullo: vt [c], *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, id est, nullum: & [d] *omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*, nempe nullus. Eodem pacto [e]: *Omnis Spiritus non est in visceribus eius.* Tale est & id, *Fili* [f], *noli velle mentiri omne mendacium*: Et in hac ipsa epistola sequenti Capite [g]: *Omnis qui peccat, non vidit eum*: *Omnis qui in eo manet, non peccat* [h]: *Omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem* [i]; & in Euãgelio, *Omne* [k] *quod dat mihi Pater, non perdam ex eo.* Alia suppetunt exempla multa. Lege Salmeronem [l].

a lib. con. mendacium. c. 18.
b vers. 27.
c Lucæ 1. 37.
d Ephe. 4. 29.
e Habac. 2. 19.
f Eccl. c. 7. 14.
g vers. 6.
h ibidem.
i ibidem 15.
k Ioan. 6. 39.
l 1. Prole. 14. formula 10.

Vers. 22.] **Quis est mendax, nisi is, qui negat quoniam Iesus non est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.**

Mendacium illud, cuius antè meminerat, exprimit esse, quo negabant nonnulli eum, qui vocabatur Iesum, esse Christum, siue Messiam. Erat hæc Iudaizantium præsertim hæresis, qui simul, ac multò magis contendebant non esse Filium Dei. Talis Simon, Cherintus, Ebion, alij, contra quos Ioannes non epistolas dumtaxat, sed Euangelium quoque condidit, ibi scribens: *Hæc* [m] *autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei.* Grauissimum hoc mendacium, quod omnem abolet incarnationis œconomiã, & redẽmptionis opus, mysterium Trinitatis etiam, totam postremò Christianam fidem. *In huius*, ait Beda, *comparatione mendacij, cætera aut parua videntur, aut nulla.* Subdit mendacem dicendum, quin & Antichristum, qui factis, & moribus Iesum non colat, vt Christum, & Dei Filium. Ex Augustino mutuatus est, qui multùm laborat in hac velut descriptione & signo Antichristorum, cùm videat Donatistas æquè vt Catholicos, non inficiari Iesum esse Christum: & occurrit eo responso, quod comprehendit improbos Christianos intra Ecclesiam remanentes. Facilior solutio: erant, (vti dixi) Iudaizantes hæretici, de quibus propriè Ioannes agit, qui disertè negabant esse Iesum Messiam, & Filium Dei. Hi maximè aduersabantur Christo, ídque faciebant, quod est Antichristus ex professo facturus. Quidam asserebant, vt Simon, Iesum eum fuisse, qui natus est de Maria, Christum, qui descendit in Iordanem è cœlo. Alij, vt Cherintus, cœpisse Iesum à baptismo esse filium Dei in specie columbæ, ac eiusdem virtute miracula patrasse; sed cùm ab eodem recessisset, passum, & mortuum esse. Alij præterea similia confingebant eôdem tendentia, vt verè, & absolutè negaretur Iesum fuisse Messiam & Filium Dei.

Mendacium maximum negare Iesum esse Christum.
m cap. 20. 31.
Iudaizantes hæretici quales fuerint.

Paulus [n] per κατατομὴν, *concisionem*, videtur intellexisse istos, qui concidebant, ac separabant Iesum à Christo, nec non per inimicos Crucis Christi [o], qui negabant Christum crucifixum, sed Iesum tãtùm. Idem de talibus indicat Ignatius [p], dum vocat *negatores Crucis*, & *circumcisores partus Virginis*: Quamquam concisio illa potest intelligi per contemptum vocari propter Iudaizantes, qui περιτομὴν circumcisionem fidelibus obtrudebant. *Non conciditur*, inquit Chrysostomus [q], *quod præter artem ac temerè inciditur: circumciditur quod refectis superfluis resecatur.*

Abest Romanus Pontifex ab hac doctrina lõgissimè; non igitur Antichristus est, vt hæretici blasphemant. Atqui re Papa, si non verbis id facit, ait Matthias Illyricus [r], *Quoniam adimit Christo Sacerdotium, & non solum vult audiri, sed magis se, suosq; pseudoapostolos aliud Euangelium afferentes, alios nobis mediatores, multos nobis in cœlo pro Christo substituit, qui pro nobis coram Patre intercedant neglecto Christo seuero Iudice: infinitos sacrificulos pro Christo substituit, qui generi humano Deum placent, ad quos dicit à Christo per Petrum Sacerdotium translatum esse: denique per merita suorum spiritualium sanctorúmque nos saluari vult.* quot verba, tot calumniæ, tot blasphemiæ: & dici de Illyrico potest: *Quis est mendax, nisi is qui talia affirmat*: Recitat hæc, simúlque refellit & alia nonnulla Cardinalis Bellarminus [s], quæ tu apud eum legas.

Qui negat, quoniam Iesus non est Christus.] Quidam codices auferunt *non*. Plures Latini retinent, omnes Græci, Syrique, tum etiam Irenæus [t]. Græcè, ac Syriacè duæ negationes magis negant: nec voluit Interpres à Græca phrasi recedere. Sẽsus vtrouis modo idem. *Mendax est, qui negat Iesum esse Christum*, vel qui negando ait quòd Iesus non sit Christus. Tertullianus [u] de sensu dumtaxat curans: *Ioannes autem*, inquit, *etiam mendacem notat eum, qui negauerit Iesum esse Christum.* Augustinus: *Qui negat quòd Iesus non sit Christus.* Obseruauit Salmeron [x], negationes interdum in textu Scripturæ quæ demi deberent. Sed hac in re vulgata emendata editio planè sequenda est: tandem notat Hugo aliam lectionem: *Qui negat, quoniam Iesus non est homo.*

Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.] Posito singulari illo Christo, siue Messia, quem pollicebantur Scripturæ, recepta quoque notio-

n Phil. 3. 2. Concisio quid sit apud Paulum.
o Ibid. 18.
p epist. 8. ad Philip.
q in epist. ad Philip.
Pontifex Romanus non potest esse Antichristus.
r lib. aduersus primatum Papæ.
s 3. de Rom. Pont. li. c. 21.
t lib. 3. c. 18.
u cont. Prax. cap. 28.
x tom. 1 Prolog. 4. & Proleg. 11. can. 4.

ne vocis, pro eo quod duplici constet natura, humana, diuinaque, in hypostasi vna diuina, quæ sit Filius Dei, & qui vnctus sit. vt non vnus Patruos philosophatur, à Patre & Vnctione, qua dicatur ipsemet Spiritus sanctus: proculdubio maxime Antichristi meretur nomen, tamquam maximè ad ersatius Christo, negans Iesum esse Christum: si enim negat Deum Patrem vngentem, & consequenter Filium Dei, qui necessariò atque inseparabilem, etiam cogitatione habitudinem includit ad Deum Patrem.

Patris nomen hoc & sequenti versu notionaliter, seu personaliter sumitur: essentialiter namque solùsque ratione innascibilitatis sine generatiua vi recipiebatur Deus Pater à Iudæis, vt ipsimet Christo professi sunt[a], nec abnuit Christus[b]: qua de re alibi copiosiùs. ea ratione cognosci potest Pater sine proprio dicto cõsubstantiali Filio. Itaque cui de Christo, & Trinitatis mysterio facta sufficiens promulgatio est, Antichristus censeti potest, si Christum neget: & si Patrem, certa atque necessaria consecutione etiam Filium.

Improbabilis porrò quorundam suspicio, hic prænunciari Mahometum. Etsi enim in Alcorano neget Filium, tideáque Christianos, quòd credant Deum habere filium: tamen desunt ei conditiones aliæ quas in Antichristo agnoscunt omnes, vt peculiaris ætatis Pererius noster demonstrauit. Exempli causa, Deum se non venditauit, sed prophetam Dei: neque *aduenit eius in omni virtute, signis, prodigiis mendacibus* fuit: quibus duabus notis, inter alias, Antichristum describit Paulus[c]. Nec restrictè de vero Antichristo, qui adhuc expectatur, locutus videtur Ioannes, licèt, & ille, vt faciliùs adiungat sibi tum Iudæos, tum Turcas siue Mahometanos, Filium sit se blaturus è diuinis. Generaliter loquitur de Antichristis; quamuis numero singulari, cúmque art culo nominet τὸν ἀντίχριστον, qui articulus apud Græcos non semper habet emphasim; nempe de sui temporis hæreticis, vt antè docui, & sensit Irenæus[d], aliique. Fabulabantur illi, vt etiam indicaui, venisse Christum in Iesum in specie columbæ, ac ei reuelasse ignotum quendam patrem. Frustra ergo de Patre blanditos ait sibi, qui negabant Iesum esse Christum, ac Filium Dei; cùm etiam non alium Dei Filium agnoscerent Iudæi vel expectarent, quàm Christum siue Messiam sibi promissum; Et Pontifex *adiurat eum leſum per Deum viuum, vt ei diceret, an esset Christus Filius Dei*[e]. Quanquam non ita multi ex Iudæis credebant expectatum à se Messiam, Dei quoque verum & consubstantialem Filium futurum, vt alibi annotaui.

Vers. 23]Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.

Reciprocat in correlatiuis præpositionem. Posterius membrum, plures quidem Græci codices non habēt nec legit Oecumenius: legitur tamen in nonnullis[f] hoc pacto: ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱὸν, καὶ τὸν Πατέρα ἔχει. & apud Cyrillum Alexandrinum[g], qui mox citabitur, & in Syriacis, & in Latinis. Valde premit Cyrillus Alexandrinus hoc testimonium pro Filij consubstantialitate: nec non Hilarius[h], fieri enim nequit vt verus Pater non verum generet, eiusdémque substantiæ, & naturæ Filium: & necessariò verum negat Patrem, qui Filio adimit veritatem eiusdem cum Patre naturæ: & qui Filium ait esse sine existentia, & non subsistere, sed esse solùm prolatitium sermonem, nec alio modo habitasse in Christo, quàm in sanctis quidem sanctior sit, sed non Deus: coguntur asserere Patrem non esse reuera Patrem, aut propriè genuisse, quia quod non subsistit, gigni non potest. Similis ipsiusmet Christi ratiocinatio[i]: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* [k] rursus: *Si[l] cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis*: Et iterum: *Est[m] Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, & non cognouistis eum.* Rursum[n]: *Qui videt me, videt & Patrem*[o] *: ego in Patre, & Pater in me est: &: ego[p], & Pater vnum sumus*, &; *vocem[q] Patris mei nunquam audistis, neque speciem eius vidistis; & verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis.* Irenæum lege[r].

Nec Patrem hab.t.] Non confitetur, Deum esse non admittit, non verè colit, *sed derogat ei, generationem eius non credens aeternam*, inquit Carthusianus: *Non habet placatum*, ait Glossa Interlinearis, *voce, & opere non confitetur, & in Spiritu sancto*, inquit Beda: *non habet*, ait Caietanus, *Patrem tamquam in quo maneat, nec tamquam manentem in se.*

Habendi verbum vsurp. nt Latini pro credere, existimare, intelligere, æstimare. seu perdere, reputare penè similis apud Græcos verbi τὸ ἔχειν. Simplicior primos sensus pro fide, seu confessione; & quidem non tantum Patris relatiuè sumpti sed etiam pro Deo: qui enim rebus Fidei debito modo propositis non credit, nec Deum verè colit, aut credit.

Qui confitetur Filium, & Patrem habet.] Præter id quod notaui, desiderari hæc in pluribus libris Græcis (prætereuntur autem etiam à Vatablo, & Clario) etsi sint in nonnullis: Cyprianus[s] legit sic: *Qui confitetur Filium, & Filium, & Patrem habet*, iudicans alium sensum verb. habendi, hoc est, habet Filium, & Patrem beneuolum, & fauentē, vt colligitur ex aliis Scripturæ locis, quos ibidem profert. Legit Augustinus eodem pacto exponitque de cultu: vt falsum sit eos colere Patrem Christi, a quo non colatur Christus eadem lectio est apud Hilarium[t], & Idacium[u].

Vers. 24.] Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Si in vobis permanserit quod audistis ab initio, & vos in Filio, & Patre manebitis.

Monet eos, vt sint retinentes ac tenaces traditæ ab initio doctrinæ de Iesu, quòd sit Christus, & Dei Patris filius: ita fore vt non exeant, neque euadant Antichristi, sed hæreant intra Ecclesiam, profitentes dictam veritatem, & propterea capaciores diuini fauoris vtriusque personæ. Res nouas qui comminiscuntur, & sequuntur, quos etiam Nouantes, & Nouatores appellant, & ab antiqua recedunt maiorum, & Ecclesiæ traditione, atque auctoritate, nun manent in Patre, *quoniam non potest habere Deum patrem, qui non habet*, inquit Cyprianus[x], *Ecclesiam matrem.* Non manent quoque in Filio, siquidem amborum eadem voluntas, & natura: *nec venit quis ad Patrem, nisi per Filium*[y], *vt nec ad Filium nisi*

Patris nomen notionaliter & personaliter sumitur.

a Ioan. 8. 41. b ibidem 42.

c 2. Thess. 2. 9.

d lib. 3. c. 15.

e Matth. 26. 63.

f in nouo Testam. Roberti Stepha. g in Ioan. c. 40. & lib. de Recta fide ad Theod. h lib. 6. de Trin. Patrem & Filij consubstantialitatem.

i Ioan. 5. 23. k infra 8. 19. infra 14. 7. m Ioan. 8. 54. & 55. n Ioan. 14. 9. o ibidem 11. p Ioan. 10. 30. q c. 5. 37. 38. r lib. 4. c. 13.

Habere pro credere vsurpatur.

s de vnitate Eccl. t, u

Pater ab eo non colitur, qui non colit Filium.

Res nouas comminiscentes, non in Deo non manent.

x de simplicit. Prælator. y Ioan. 14. 6.

Pater traxerit eum [a]: ex duobus postremis locis Theophylactus [b] infert Filium esse æqualem Patri. *Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit*, ait, *nisi Patris Filius, & cui voluerit Filius reuelare* [c]. Verus, & certus canon aduersus hæreticos, facilis, & aperta ratio diiudicandi de dogmatum, ac morum vnitate, atque rectitudine, *state super vias vestras*, ait Ieremias [d], *& interrogate de semitis antiquis, & ambulate in eis, & bene vobis erit. Veruntamen*, inquit Paulus [e], *ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula* [f]. *Obseruate eos qui dissensiones faciunt præter doctrinam, quam vos didicistis* [g]. *Si quis euangelizauerit præter quam quod accepistis, anathema sit: Tu verò*, [h] *Timothee permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ: Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci* [i], monet Hebræos idem Apostolus [k].

Anacletus [l] ad idem propositum vtitur hoc Ioannis testimonio, multa præterea decerpês ex illa. Sententia est Augustini [m]: *Non magnum est tunc discernere Spiritum, cum ad aliqua peruenerit, vel perduxerit quæ sunt contra bonos mores, vel contra regulam Fidei, tunc enim à multis discernitur.*

Si in vobis.] Quidam codices, *Quia si*, tum impressi, tum manuscripti. Augustinus [n], *Quòd si.*

Si in vobis permanserit quod audistis ab initio.] Idacius (*Quod si in verbo manseritis.*)

In Filio, & Patre manebitis] Idem valet, quod antea dictum est verbo habendi, quod est, credere & confiteri. Neque fortasse loqui vult Ioannes de mansione per amorem, & charitatem, siue gratiam in hac vita, in futura per fruitionem beatitudinis, licet expositores ita passim interpretentur, & intelligi possit, maximè propter id quod hic subditur de vita æterna: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus* [o].

De Spiritu sancto non fit mentio, quia de Filio hæreses extiterant. Est autem per se relatiua oppositio, atque comparatio, & habitudo Filij ad Patrem, quæ concipitur absque respectu ad Spiritum sanctum, qui reipsa tamen est Patris, ac Filij nexus, & amor, & ab vtroq; per spiratiuam vim, & actualem spirationem procedit.

Obseruauit Beda, & Thomas Anglicus, primo loco hic positum Filium, *quia nemo venit ad Patrem, nisi per Filium* [p]: nullus diuinæ gloriæ celsitudinem videbit, nisi qui per Sacramenta humanitatis, quam Filius suscepit, tenatus est. Item ne Ariani minorem Patre Filium dicerent. Placuit Hugoni ratio prima. Paulò antè docui, Christi testimonio, neminem ad eum venire nisi tractum à Patre. Deinde celsitudo gloriæ communis est Filio cum Patre. De Arianis non cogitabat Ioannes. Illi res erat cum iis, qui Iesum negabant Filium Dei, nihil mirum, si hunc priore nominet loco. Postea in epistola secunda [q] similem proferens sententiam, priore Patrem ponit loco. Tandem notandum, vti verbis manendi ac permanendi promiscuè ac indifferenter Interpretem, licèt sit idem Græcum μένειν.

a Ioan. 6. 44. Filium æqualem Patri. b in cap. 14. Ioan. c Matth. 11. 27. Luc. 10. 22. d cap. 6. 16. e Phil. 3. 16. f Rom. 16. 17. g Gal. 1. 9. h 2. cap. 3. 14. i Ephe. 4. 14. k Heb. 13. 9. l epist. 2. m 22. Gen. ad lit. c. 14. n contra Verimadum. o Ioan. 14. 23. Spiritus S. à Patre filioque procedit. p Ioan. 14. 6. Celsitudo gloriæ communis est Patri cum Filio. q vers. 9.

Vers. 25.] Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam.

MAGNA prouocatio, graue incitamentum, & efficax ad permanendum, & obediendum auditis: vt è contrario ignis æterni minæ. *Exhorresce*, (monet sapienter Augustinus) *quod minatur Omnipotens: ama, quod pollicetur Omnipotens, & vilescit omnis mundus siue promittens, siue terrens.* Occurrit Ioannes obiectioni: quæ ab initio audiuimus, custodiuimus, & obtemperauimus; pericula, labores, tentationes sustinemus. Quis tandem fructus, merceésve?

Repromissio.] Res promissa. Lege versum vigesimum, vbi vnctionem poni docuimus pro vnguento. Nullam vim agnosco in nomine composito repromissionis, vt facit Hugo, & Thomas Anglicus, quòd sit promissio multoties facta per Prophetas, per Apostolos, per Christum, vel vt alij [t], quia iterum post Adæ peccatum ἐπαγγελία, simplex promissum est, quod suo Syrus quoque idiomate vsurpat. Sæpissimè hoc modo repromissionem, aut repromissiones, aut repromittere Interpres accipit, vt cùm meminit de eo promisso, quod Abrahæ Deus fecit [s], & alibi. Vnde quod legimus in epistola ad Ephesios [t]: *Quod est mandatum primum in promissione*, Hieronymus [u] in Commentario legit *in repromissione*. Notauit id etiam Ribera, vti postea deprehendimus. Docent quoque Latini Grammatici, nihil interdum particulam *re* addere significationi sui simplicis. Vatablus vsus est simplici nomine. Sed & Hugo testatur se legisse. Augustinus legit *pollicitationem*. Constat denique bonos Auctores linguæ Latinæ [x] repromittere loco simplicis promittere, vsurpare.

Quam ipse pollicitus est.] Iesus, de quo versu vigesimo: idque non semel, tum nomine vitæ æternæ, tum regni cœlorum, tum mercedis, & denarij diurni. Non hæreo in distinctione ciuili, & canonica inter Promissionem, Pollicitationem, Stipulationem, Pactum. Verbum Græcum est ἐπηγγείλατο, vnde nomen de quo diximus, τῆς ἐπαγγελίας.

Vitam æternam.] Augustinus, *vita æterna* Sic paulo elatior esset constructio. Nec tamen propriè antiptosis hic admittenda casus obliqui pro recto, vt voluit Estius. Et hæc est repromissio, id est, res promissa, quam ipse pollicitus est, vitam æternam, quam nempe vitam, quæ est res promissa, pollicitus est. Et viuunt in æternum damnatorum animæ, viuéntque post resurrectionem eorumdem corpora: & sub articulo de Vita æterna damnatio continetur: tamen simpliciter per vitam æternam solet intelligi beata. Viuit quod à seipso mouetur: quo pacto per translationem vocatur fontis aqua viua, paludosa mortua. Beati pro arbitrio operantur, & eorum se corpora mouebunt: Damnati adstricti sunt tormentis, & quæ minimè volunt, pati compelluntur: ita vt mortem potiùs mori sempiternam censeantur, & dicantur, vtpote quos depascet mors [y], non radicitus extinguens, sed more pecoris edens.

Felicitas appellatur æterna vita, quod, vt ait Dionysius [z], *nihil vita iucundius, optabilius, præstantius, notius.* Indicant hoc vulgares sermones: *Vita mihi charior ipsa* [a]: & Ζωὴ καὶ ψυχὴ, de re supra modum suaui [b]; quo abutuntur lasciui poetæ [c] ad turpicula. *Potest quidem vita æterna, sed ab iis qui familiaritatem non habent cum Scripturis*, ait Augustinus [d], *accipi etiam malorum vita: vel secundum quosdam Philosophos, propter animæ immortalitatem: vel secundum Fidem nostram, propter pœnas interminabiles Impiorum.* Vnde in talium gratiam dicit pacem in vita æterna, vel vitam æternam in pace, vt res faciliùs intelligi possit, dici debere. Quocirca

Exhorresce quod minatur Omnipotens, ama quod pollicetur. Repromissio idē est quod simplex promissio. t Salmeron. s Gal. 3. 18. t cap. 6. 2. u in ca. 9. ep. ad Heb. n. 76. x vt Sueton. in Claudio c. 30. Vita æterna propriè est beatitudo. y Psal. 48. 15. Vita æterna cur felicitas dicatur. z c. 6. de Diuin. nom. a c. 19. de Ciuit. c. 11. b Chiliades Adagio. c Iuuenal & Martia. d supra. Felicitas est propter vita æterna in pace, vel pax in vita æterna.

minus aptè Scotus [a] illud Ioannis [b]: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant, &c.* exponit: *Vt cognitio Dei vocetur vita æterna, quoniam est actio vitalis: pari namque ratione Damnati tristitia vocari posset vita æterna.* Sed & repugnat illa expositio cunctis aliis Interpretibus, & Patribus.

Non expendam nunc, quod Hieronymus [c] contra Pelagianos tradit, regnum cœlorum in vetere Testamento non repromitti, sed in Euangelio, prædicare id cœpisse Ioānem, deinde Christum, Apostolos, &c. Theophylactus etiam [d] dicit, quòd lex benedictiones in diuitiis dabat, & Prophetæ bona terræ promittebant; ita auditorum infirmitate postulante, & quòd non meminerunt regni cœlorum.

Vocat [e] Paulus noui Testamenti meliorem spem: *& in melioribus* [f] *repromissionibus sancitam esse.* Augustinus [g] præterea, Bernardus [h], & alij vile, ac terrenum, & temporale præmium atque promissionem vocant Testamenti veteris. Tamē distinctè mentio est æternæ vitæ in Machabæorum historia [i], & apud Danielem [k]. Quidam Christum interrogauit quid faciendo, vitam æternam possideret [l]: & Christus iussit Iudæos *scrutari Scripturas, quia ipsi putarent in ipsis vitam æternam habere* [m]. Paulus veteres scribit *à longe aspexisse, & salutasse, quas non acceperant*, id est, perceperant, & possederant *repromissiones, & patriam requisiuisse*: Orat Ecclesia, vt Michael defunctorum animas repræsentet in lucem sanctam, *quam olim Deus Abrahæ promisit, & semini eius.*

At hæc non efficiunt vt lex ipsa contineat expressam huiusmodi promissionem. Lege Sebastianum Barradium [n]. Sciendum verò quòd aliquando vita æterna sumitur pro iure ad felicitatem; licitúrque à nobis hîc adhuc viuentibus haberi, si iusti sumus [o].

Vers. 26] Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos.

IDcirco sum digressus aliquantulum in Antichristos, vt monerem vos, quos illi nituntur seducere: hæc ingero, & inculco, ne de vestra labantur memoria *Seductores* isti, ac deceptores (nec enim πλανῶντες aliud sonat, & quasi seorsum, ac extra ouile nimirum, bonáque omnia ducentes) *proficient*, ni caueantur, *in peius* [p] *errantes, & in errorem mittentes*, πλανῶντες, καὶ πλανώμενοι, *seducentes & seducti, fallentes & falsi.* Importunus, ac noxius etiam ad populum sermo de hæreticis, eorúmque erroribus, vbi nullum ab eis periculum, notitia nulla. Intelligit faciliùs argumenta vulgus, quibus impugnatur veritas, quam solutiones: sicque vulnus infigitur sanis absque remedio. Scribit Ioannes adactus necessitate seductorum: & prudenter quidem nullum nominatim exprimit, ne magis irritarentur, & magis læderent irritati. Abstinendū quoad eius fieri potest à cuiusquam publica nota, sed res tacito nomine tractanda, & transigenda. Quandoque designare personas oportet; quod fecisse Ioannem videbimus epistola tertia [q]: & apud Paulum legere est nō semel [r]. Denique videtur fidem suam liberare, ac suo se functum munere protestari, quòd admonuerit; sicut & Paulus idem protestabatur, dicens [s]: *Quapropter contestor vos ab hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minùs annuntiarem omne consilium Dei, vobis.* Et ad Colossenses [t]; *cognouistis gratiam Dei in veritate sicut didicistis ab Epaphra carissimo conseruo meo.* Item Petrus [u]; *breuiter scripsi vobis, obsecrans, & contestans hanc esse veram gratiam Dei, in qua & statis.*

Vers. 27] Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo.

VNCTIONEM, *quam, &c. maneat.*] Est Antiptosis, qualis in Euangelio [x]: *Sermonem quem audistis, non est meus*, & in Psalmo [y]: *lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est*, &c. nec desunt exempla profana. Lege Salmeronem [z]. Quidam codices habent casum rectum, *Vnctio*, & τὸ χρῖσμα est vtriusque casus: ita quoque legit Augustinus. Syriacè redditur sententia paulò clarior: *Sed & vos, si permanserit vobiscum Vnctio illa, quam accepistis ab eo, necesse non habebitis, vt quis doceat vos*, &c. Iuxta nostram, & Græcam editionem, & vos ἐκλειπτικῶς ponitur, & supplendum est, vt Hugoni placet: *vt eos vitetis, & caueatis ab eis*, &c. Breuius interpres Syrus eo quem dixi modo supplenit. Vsum ecclipticæ orationis in Scriptura frequentem, explicat Salmeron [a]: similis autem ratio Ἀποσιώπησις, id est, *reticentiæ.*

Maneat in vobis.] Sic nonnulli Græci codices [b]: Ἐν ὑμῖν μενέτω: plures autem in præsenti indicatiuo, μένει, *manet*: sed præferenda versio nostra, quam Catharinus malè postponit. Augustinus paulò aliter totum reddit locum. *Hæc scripsi vobis de his qui vos seducunt, vt sciatis quia vnctionem habetis, & vnctio, quam accepimus ab eo, permaneat in vobis.* Manichæus dixit ab Ecclesia Spiritum sanctum ad se transiuisse. Mahometus, alia docuisse per Mosem, alia per Iesum.

Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus] Idcirco prædixi me vobis, non vt ignorantibus scribere, nostis necessaria edocti non à Catechista solum, verùm etiam ab Spiritu sancto per fidei donum infusum, quod vos propensos, ac promptos reddit, vt vobis à Doctoribus orthodoxis proposita credatis. Nil opus vobis nouis magistris, estote traditis contenti. Idacius [c] vnctionem istam tribuit Christo, qui videlicet docuerit aliorum doctores.

Rectè verò doctrina vnctio dicitur, quia, vt priùs etiam dixi, fouet lumen, & calorem, erudit & inflammat, corroborat, promptū reddit & expeditum ad bonum, eum, in quo est. Non loquitur Ioannes de singulari quadam doctrina diuina, de mysteriis, & Scripturis, quam nonnullis communicatam scimus à Deo sine illorum labore, vel industria. Generalis est oratio complectens omnes fideles, qui nec Angelum [d] de cœlo, præter id quod euangelizatum est afferentem, id est, repugnans admittere debent. At suos habet Ecclesia Doctores: exterior necessaria doctrina: requiritur index vnus, qui fidei dogmata proponat, ac dubia quæque circa eadem, moresque communes decernat. His positis, vnctio est interni doni, quæ maximè docet, ac persuadet.

Augustinus quæstionem sibi, ac Ioanni mouet ipsi, cur doceat ille in epistola, quare ipse in suis

tracta

Marginal notes:

a 4. D. 49 qu. 4 ad 1.
b cap. 17. 3.
c lib. 2.
d In Lucæ c. 16.
e Heb. 7. 19.
f infra 8. 6.
g ep. 120. 4. cont. Faust. 18. de Ciuit. c. 32.
h serm. 30. in cant.
i lib. 2. cap. 7.
k c. 12. 2.
l Luc. 18. 18.
m Ioan. 5. 39.
n lib. 2. Harmoniæ Euangel. cap. 6.
o Ioan. 3. 36. c. 6. 33. c. 17. 2. 3. 1. Ioa. 5. 13.
p 2. Tim. 3. 13.
Ad populum sermo de hæreticis importunus.
q vers. 9.
r 1. Tim. 1. 20. 2. Tim. 2. 15. c. 3. 14.
s Act. 20. 26. & seq.
t cap. 1. 6. 7.
u 1 ep. 5. 12.
x Ioan. 14. 24.
y Ps. 117. 22. Matth. 21. 42.
z hoc loco, & suius To. 1. Prolego. 24. Formula 25.
a Tom 1. Proleg. 12.
b citati in nouo Test. Roberti Steph.
c cont. Varimadum.
Doctrina recte vnctio dicitur.
d Gal. 1. 8.
Exterior doctrina necessaria Pastorum est à solo docetur Deo.

tractatibus, & sermonibus, si sufficit vnctio. Respondet quod modò dicebam, sonum Doctoris aures percutere, intus esse magistrum: nec quemquam hominem aliquid discere ab homine, cathedram in cœlo habere, qui corda docet: vnum esse magistrum nostrum Christum [a]. Omnino paucorum est à solo doceri Deo. *Cœlum cœli Domino* [b], qui erexit, & sublimauit quorumdam sanctorum mentes in tantùm, ait Augustinus [c], *vt nulli hominum, sed ipsi Deo suo docibiles fierent.* Id de Antonio testatur Athanasius [d]. Idem de aliis Cassianus [e], qui erant alioqui elingues, & illiterati. Et rursus idem Augustinus [f].

Omnes passim hæretici nostri temporis detorquent præsentem locum, vt confirment errorem illum suum, Spiritum sanctum, quo doctore discendæ sunt Scripturæ, & fidei dirimendæ controuersiæ [g], non esse alligatum concilio, vel Papæ, vel vlli hominum generi, sed quemlibet iudicare posse, siue Spiritum suum proprium, ac priuatum sequendo, si ipse donum habeat interpretationis [h], siue cuipiam alij adhærẽdo, quem viderit præditum eôdem dono.

Profert Cardin. Bellarminus [i] ipsa hac de re testimonia hæreticorum, eósque diligenter confutat. Ad id verò, quod hîc docet Ioannes, bene respondet [k], loqui tantum de dogmatibus, quæ illi ad quos scribebat, iam acceperãt ab Apostolis, & cooperante vnctione Spiritus sancti didicerant, & crediderant: atque eos monere vt in fide permaneant, nec aures dent falsis doctoribus contraria proponentibus. *Simile*, inquit, *esset, si Catholicus Catholicis, quos perturbarent hæretici, scriberet: non necesse habetis, vt Lutheranus, aut Caluinista doctrinam vos doceat Christianam: quæ vos oportet scire, plenè didicistis, & tenetis ex prædicatione Ecclesiæ, adiuuante vnctione Spiritus sancti.*

Est omnis fidelis docibilis Dei θεοδίδακτος [l], sed eo modo, quo & Christus est qui baptizat, id est, auctor principalis est doctrinæ, & gratiæ, sed non absque ministerio externo doctoris humani, sicut & visibilium Sacramentorum.

Eunuchum Philippus [m] Dei iussu, Ananias Saulum [n], Cornelium Petrus erudiit [o], & Christus præmonuit fidelem in persecutione non locuturum [p], id est, non solum, nec propriis viribus, sed Spiritũ Patris in illo. *Ipse enim est, qui docet hominem* scientiam [q]: lege Ioannem Dryedonem [r]. Consuetudo est Scripturæ, quæ facit Deus principaliter, sic ei tribuere, ac si planè solus faceret, idque etiam propterea, quod simul vim suppeditet secundis causis ad operandum, sicut & in effectu omninò naturali: *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* [s]. Lege dicta in actus Apostolicos [t].

Sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus.] Addunt codices quidam excusi, *ita faciatis.* Hugo supplet, *sic tenete & facite.* Potiùs comparatio iungitur sequentibus, *& verum est, & non est mendacium.* Scilicet sic se res habent, vt vos docet vnctio, nec in illis cadere quicquam potest falsi, vel quemadmodum dicta vnctio eius est, id est, Dei, sic docet vos, vt proinde nullum sit periculum mendacij, aut erroris. Augustinus legit: *Quia vnctio ipsius, docet, &c. ὅτι* significat quoque, quia, verum nullam habet Augustinus rationem τῦ ἀλλά. *Sed.*

Eius.] Τὸ αὐτὸ χρίσμα: *Ipsa vnctio*: est tamen etiam in quibusdam libris, Τὸ αὐτῦ [u], quam lectionẽ secutus Augustinus, vt modo retuli. Syriacè אלא איך משיחותא דאיתיה מן אלהא הו מלפא לכון על כל מדם *ella euk meschichutha, dithaicha men elaha hau malpha lachun khal col medam. Sed sicut illa vnctio a Deo est, ipsa docebit vos de omnibus.* Impẽsè amantis amatam personam solùm indicare, nomen reticere, quasi non vlli sit incognita. Sed sæpius Ioannes Christum designat per pronomen *eius.*

Vnctio eius docet.]. Fortassis nomen abstractum vnctionis & χρίσματος pro concreto ponitur, vncti & Christi. Nam quod apud Danielem [x] legimus, *occidetur Christus*, LXX. dixerunt χρίσμα quamuis aliter dispungat Bibliorum textus Græcus. Tertullianus [y] quoque legit, *exterminabitur vnctio*: & Augustinus [z], *cessabit vnctio.* Quamuis Augustinus exponat non de Christo, sed de vnctione Iudæorum, videlicet quam vsurpabant in vetere lege ad consecrandos Sacerdotes, & ad alia. Sed agnoscit quoque lectionem vulgatam de Christo, nempe, occidetur Christus.

Et verum est, & non est mendacium.] Augustinus: *& verax est, & non est mendax.* Videlicet vnctio. Dictæ lectionis meminit Beda, & Hugo. Græcè. Καὶ ἀληθές ἐστι, καὶ οὐκ ἔστι ψεῦδος: *& verum est*, vel τὸ χρίσμα, *vera vnctio, & nõ est mendacium*, nimirum in ea, vel, *& verum est quicquid vnctio docet, & non est mendacium in iis, quæ docet.* Videtur Augustinus legisse: καὶ οὐκ ἔστι ψευδής vel sensum reddidisse, non verba: Spiritum sanctum vocat Christus Spiritum veritatis [a], & seipsum veritatem [b], & Paulus Deum veracem [c]. Maior asseueratio composita ex affirmatione, cum negatione oppositi. Talis de Baptista Ioannis nostri Euangelistæ [d]: *Et confessus est, & non negauit*, talis de Verbo creante omnia [e]: *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Talis quæ priore præcessit capite [f]: *Deus lux est & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Ezechias apud Esaiam [g], *omnia*, inquit, *quæ sunt in domo mea, viderunt: non fuit res, quam non ostenderim eis*: & Ieremias [h]: *Omne verbũ quodcunque responderit mihi, indicabo vobis, nec celabo vos quidquam.* Scripturis nulla subest falsitas, nec fidei, sed nec subesse quidem potest, vt demonstratum est disputatione de fide [i].

Et sicut docuit vos manete in eo.] Sicut docuit vel cuius vnctio est, vel vnctio ipsa. Hoc vrgendum cõtra spirituales illos *Spiritũ reuera non habentes* [k], dum spiritum priuatum iactant, cuius instinctu sine doctore Ecclesiastico, sine Ecclesia ipsa Scripturas intelligant, res fidei definiant. Manendum in eo, quod edocti sumus, noua suspecta habendo, nisi probet is, cuius est antiquissima auctoritas, qui nõ tam noua definit, quàm in antiquitate delitescentia in apertum profert, ac declarat. Is est Hierarcha supremus, summúsque Pontifex, *qui pascit oues* [l], *& confirmat* [m] *fratres.*

Mãsio verò quo pacto debeat intelligi, dictum superius [n], posse quidem, non necessariò tamen, de coniunctione charitatis, atque de perseuerantia in eadem. Hortatur Christus [o], *vt in ipso maneamus, & ipse in nobis*: præscribit rationem manendi in eius dilectione [p], *vt ipsius præcepta seruemus, sicut præcepta Patris ipse seruauit, & mãsit in eius dilectione.* De doctrina fidei præsertim sermo est, vt mordicus, & summa constantiã retineant acceptam cũ ipsa vnctione ac dono Spiritus sancti, & effectu percepti Sacramenti. Conseruãda memoria præpositorum, & doctorum nostrorum, *qui nobis locuti sunt verbum Dei* [q], imitanda eorum fides: cogitandum quòd Christus *heri est & hodie, & ipse in secula*: atque sicut non mutatur ipse, sic quæ tradita sunt ab idoneis prædicatoribus, vera, certa, fixa,

Marginal notes (left): *Paucorum est à solo doceri Deo.* a Mat. 23. 10. b Psal. 113. 16. c in eundé Ps. d in vita. e Collat. 14. c. 16. f Prologo in doctrinam Christi. *Error hæreticorũ ex hoc loco depromptus.* g 2. Petr. 1. 19. h 1. Cor. 12. 10. i 3. de Verbo Dei cap. 3. & seqq. k c. 10. ad 12. argum. *Docibiles Dei, & omnes fideles, & quomodo.* l Esa. 54. 13. Ioan. 6. 45. m Act. 8. n infra 9. o infra 10. p Matt. 10. 19. 20. q Psal. 93. 10. r lib. 3. de via modo ecclesiasticæ Script. c. 3. ad 2. argum. *Consuetudo Scripturæ, tribuere Deo quæ ipse facit sed non solus.* s 1. Cor. 3. 6. 7. t cap. 9. 7. u in nonnullis — Robert. Steph.

Marginal notes (right): x cap. 9. 26. y cont. Iudæos c. 8. z in 2t. contr. Iud. Pagan. & Arianos, c. 13. a Ioan. 16. 13. b Ioan. 14. 6. c Rom. 3. 4. d Ioan. 1. 20. e ibid. 3. f vers. 5. g cap. 39. 4. h cap. 42. 4. *Falsitas nulla Scripturæ subesse potest.* i 2. 2. q. 1. art. 3. k epi. Iud. vers. 19. *Manendum in eo quod edocti sumus.* l Ioan. 21. 15. 16 17. m Luc. 22. 32. n vers. 19. & 25. o Ioan. 15. 4. p ibid. 10. q Heb. 13. 7. 8. 9.

immutabilia eſſe, nec minùs adiutorem nunc nobis eſſe, forèque poſteris, quam præceſſoribus fuerit. *Cauendum ne doctrinis variis, & peregrinis abducamur, ſed gratia, & vnctione diuina ſtabiliamus cor: ne bonam conſcientiam repellentes, circa fidem naufragemus* [a]: *& corrupti mente, reprobi ſimus circa fidem* [b].

a 1. Tim. 1. 19.
b 2 ad Tim. 3. 8.

Hæreticorum doctrinæ variæ ſunt.

Hæreticorum doctrinæ variæ ſunt, quia & à Catholica, & inter ſe diſcrepant: peregrinæ quoniam non conſiſtunt, ſed peregrinorum oberrant in morem, ipſique ab Eccleſia peregrinantur, & exulant, vnde ſponte receſſerunt: ſunt ceu nouæ, ſed fucatę merces. Qui audit iſtos, *fluctuat, & circumfertur omni vento doctrinæ* [c].

c Epheſ. 4. 14.

Manete.] Μενεῖτε, *Manebitis.* Futuris non infrequens vti pro imperatiuis. Sed alij codices [d] habent μένετε. Cæterùm vtitur Ioannes verbo tum præſentis temporis, tum præteriti, *docet*, & *docuit*; vt denotet in Eccleſia perpetuam eſſe Spiritus ſancti doctrinam magiſterium: quoniam datus eſt hic Spiritus veritatis, vt maneat nobiſcum, & cum Eccleſia in æternum [e]; ſicut & Chriſtus mãſurum ſe promiſit vſque ad conſummationem ſæculi [f].

d In nouo Teſtam. Robert. Steph.
e Ioan. 14. 16.
f Matt. 28. vlt.

Verſ. 28.] Et nunc filioli manete in eo: vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.

MIRA Ioannis & ſollicita de ſuorum ſalute cura. Toties repetit, vt maneant, & præmium proponit cum pœna manentibus, & non manentibus.

Et, pro igitur vſurpatur.

Et.] Id eſt, itaque, igitur, ideirco, &c. Sæpe habet hunc vſum. Quo fit, vt interpres aliquando quod Hebraicè eſt, vel Græcè *&* vertat per *enim*, aut *itaque*. Obuia ſunt numero magno exempla. Id valet principio verſus præcedentis, & alibi [g]. Redundare tamen etiam ſolet, idque cum altera dictione, quæ hîc ſubnectitur *& nunc*, ac ſolùm poni ad continuationem ſententiæ. Exemplum eſt in Eſaia [h]: *Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Et* [i] *nũc, dicit Dominus, formans me ex vtero ſeruum ſibi.* In Oſea [k], *& nunc reuelabo ſtultitiam eius.* In Aggæo [l]: *& nunc confortare Zorobabel.* Forſitan tale quid vſurpant vulgò Itali, *hora*, id eſt, itaque, vel cæterum, &c. Eadem ratio quandoque de nunc ſolo ſine coniunctione *&* [m].

g Pſalm. 9. 21. Matth. 25. 46. Marc. 12. 10. Ioan. 4. 24. c. 5. 30. cap. 10. 29. c 12. 16. &c.
h cap. 5. 5.
i Eſa. 49. 5.
k cap. 2. 10.
l cap. 2. 5.
m Hebr. 12. 15. & alibi.

Nunc.] Poteſt vim habere ad ingerendum memoriam breuiſſimi temporis tum vitæ tum errorum, & perſecutionum. *Modicum* [n] *nunc*, ait Petrus, *ſi oportet contriſtari in variis tentationibus*, & Paulus: *momentaneum* [o] *& leue tribulationis noſtræ*, & Iacobus [p]: *vita veſtra, vapor eſt ad modicum parens; & deinceps exterminabitur*: & alij plures plura ſimilia.

n 1. epiſt. 1. 6.
o 2. Cor. 4. 7.
p cap. 4. 14.

Poſtremò poteſt *nunc*, eſſe blandientis, vnà cum ſuauiſſimo illo vocabulo filiolorum, & obſecrantis, reſpondens particulæ Hebrææ נא *na*, vt in נא הושיע *hoſciahbna*. Vulgares quoque linguæ ſimili quadam ratione vſurpant eandem vocem *nunc*.

Vt cùm apparuerit.] φανερωθῇ, Manifeſtatus & reuelatus fuerit. *Modò vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto.*

q Col. 3. 3.

In Deo.] Ipſamet quidem incarnatio ἐπιφάνεια vocatur à patribus, id eſt, *manifeſtatio* [q]. Sed per eã *Deus erat abſconditus* [r], eſtque adhuc latens in Euchariſtia, & minimè ſubiectus oculis, vt erant Idola: quãuis & viuens inter homines, & nunc in cœlo edat, edideritque tot, ac tãta miracula. Cùm veniet ad iudicium, tunc maximè apparebit. *Cum Chriſtus apparuerit*, inquit Apoſtolus [s] *vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.*

Incarnatio ἐπιφάνεια dicitur.
r Eſa. 45. 15.
s Coloſſ. 3. 4.

Habeamus fiduciam.] Παῤῥησίαν, loquẽdi, & quidquid aliud faciendi libertatem, in tanta totius vniuerſitatis trepidatione, etiam quodammodo ſanctorum ipſorum, ſic ſancti nonnulli de ſanctis loquuntur. Sed profectò aberit à ſanctis iam in charitate perfectis, timor ille, quem *charitas foras mittit* [t], *caſtum, filialem*, reuerentialem, eò maiorem habent, quo & charitatem ipſam.

t 1. Ioan. 4. 18.

Quare mitiùs accipienda ſententia Baſilij [u], quòd *Abraham quoque timebit in iudicio, & agoniam patietur*, non de damnatione quidem, ſed quem ſit locum inter ſanctos habiturus. Nam quod attinet ad eſſentialem animæ beatitudinem, iam de illa certus eſt, eámque percipit: corporis beatitudo proportione reſpondet dictæ beatitudini. Si qua igitur hærere poteſt dubitatio in Abraham, & aliis, iſta erit, quibus ſint iſti ſanctis propriè, diſtinctéque connumerandi, quoniam ante cognitas ſingulorum cauſas & ſententias conſtare non poteſt quod cuiuſque ſit meritum, qui gradus gloriæ, quo ſit ordine inter ſanctos collocandus. *Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia*, ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ, *in confidentia & fiducia multa* [x], nõ hi dũtaxat, quibus communicabitur iudicandi cum Chriſto dignitas [y], verùm etiam & ceteri, quorum non damnationis, ſed diſcuſſionis tantùm iudicio, & publica ſententia laudis opera palàm pronunciabuntur. *Tunc laus erit vnicuique à Deo* [z].

u Hom. 11. Hexaem.
Abraham quomodo timebit in iudicio.
x Sap. 5. 1.
y Mat. 19. 28.
z 1. Cor. 4. 5.

Habemus.] Coniungit ſeipſum diſcipulis, ſpe de illorum gloria adgaudens. Vel certè hortatus alios ad manendum & perſeuerandum, hunc exhortationis ac prædicationis ſuæ fructum futurum affirmat ſi obtemperauerint, vt non confundatur in die iudicij, id eſt, non fruſtretur gaudio accidentali, ob fructum quem illi retulerint ex ea. Hoc pacto ſcribit in epiſtola ſecunda [a] iuxta Græcum textum: *Videte voſmetipſos, ne perdamus quæ operati ſumus, ſed vt mercedem plenam recipiamus.* Paulus [b] etiam hortatur ad obedientiam præpoſitis exhibendam; *Ipſi enim*, ait, *peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Pudor quidam eſt ac gemitus in ipſo communi iudicio conſpicere malè collocatos labores ſuos circa conuerſionem & profectum aliquorum: quemadmodum pudore nonnullo afficitur œconomus, cùm compellitur damna domini ſui in rationes referre, quamuis abſque culpa damnum id ſequutum ſit.

a verſ. 8.
b Hebr. 13. 17.

Et non cõfundamur in aduẽtu eius.] Καὶ μὴ αἰσχυνθῶμεν ἀπ' αὐτοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ. *Et non pudefiamus ab ipſo in præſentia eius*: nimirum in die iudicij, quãdo aderit, cùm adueniet. Præmonuit iudex Chriſtus [c], *Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in maieſtate Patris ſui, & ſanctorum Angelorum.* Erubeſcunt hęretici, de quibus Ioannes egit, Filium hominis in hac noſtræ naturæ humilitate, confiteri ſimul eſſe Filiũ Dei: erubeſcet ipſe illos in maieſtate ſua, quando ſe, id quod fuit, eſtque, declarabit apertiſſimè, Filium Dei. Eadem ratio de Chriſtianis, quos pudet crucem, & improperium Chriſti portare, ac mãdatis eius obtemperare: & verbis quidem ſe Chriſtum *noſſe fatentur vt Deum, factis autem negant* [d].

c Luc. 9. 26.
Qui ſint qui erubeſcunt in iudicio.
d Tit. 1. 16.

Lucas modò citatus, nec non Marcus [e], vtuntur eodẽ verbo quod hic habetur, Τῷ αἰσχύνεσθαι, pro quo apud Marcum interpres reddit verbum

e cap. 8. 38.

confun

confundendi, Matthæus [a] verbo negandi. Confundere, autem quod vult, Hebraico idiotismo, est negare illi, quod vult, & quod petit: vt, *In te sperauerunt, & non sunt confusi* [b]: &, *non confundas me ab exspectatione mea* [c]: Paulus dixit *se non erubescere Euangelium* [d] indicans gentiles, *quibus erat stultitia*, Iudæos, *quibus scandalum* [e]. Clemens Alexandrinus in Commentario vocat hoc graue supplicium. Basilius [f] docet, omnium durissimam pœnam damnatis fore probrum illud, & verecundiam sempiternam, quam patientur in diuino iudicio: & tradunt alij longè laturos acerbius iratum iudicis vultum, & decretorium sermonem, quàm ipsam gehennam. Solum in hominem pudor cadit ex animalibus, ideo grauissima illius pœna. Maximam Christus passus est [g], sed contempsit confusionem causa nostra. Pudefaciet impios secretorum omnium, quæ gesserunt in vita, manifestatio, peccatorum ignauia, contemptúsque præteritus propriæ salutis, personarum humano nunc iudicio vilissimarum ad præcelsum gloriæ gradum erectio, & id genus alia plura. Non audebunt ad cœlum, vel etiam ad alios homines oculos leuare: dicent montibus, *Cadite super nos: & collibus, operite nos à facie iræ Agni.* Videtur Cyrillus Ierosolymitanus [h], vt eum quidem Turrianus intellexit, per confusionem vitandam innuere vnctionem chrismatis, de qua vt dictum est. Cyrillus Ioannem [i] de vnctione loquentem est interpretatus, prout fit in fronte. Ibi namque fieri docet ne erubescamus, & pudeat nos, id est, ne vereamur profiteri Christum, & ne quid committamus, cuius meritò pudeat, *sed reuelata, & aperta facie gloriam Dei speculemur* [k].

In aduentu eius.] Ad iudicium, vt dixi. Prior fuit aduentus per incarnationē, sed ille, quia manifestus intelligi solet, cùm nomen aduentus absolutè ponitur. Sed Græcè est παρουσία: quam vocem etsi patres quoque, vt antè dixi, de primo sumant aduentu, non tamē scripturæ, verùm ἐλεύσις, quæ semel sicut & Latina dictio aduentus, pro primo reperitur [l]. Non desunt, qui Paulum, quoties loquitur de aduentu Domini, de cuiusque ex hac vita migratione interpretentur [m], in qua quales erimus, tales & in alio illo solenni, publicóque eiusdem Domini aduentu reperiemur, vt sanctus docet Thomas [n].

Quadruplicem nonnulli Rituum tractatores Ecclesiasticorum distinguunt aduentum Domini quatuor Dominicis Aduentus in officio Diuino respondentem [o]: in igne iudicij, in turbine mortis, in rore gratiæ (cùm quis iustificatur) in nube carnis. Hac de re disserui alio loco [p].

Dubitaui multoties, quid aduentus Domini differret in obsecratione Litaniæ à mysterio Incarnationis. Non aliud occurrit, nisi posterius magis abstractè, ac per se sumi: prius tamquam rem iam executioni mandatam, & in opus redactam, & desideriis, ac expectationi satisfacientem Patrum, legis naturalis, atque scriptæ. Videri potest eadem ratio de aduentu, nempe secundo, & de Regno Christi, quæ coniungit Paulus [q], vocans quoque aduentum gloriæ [r].

Haud dubium, quin hoc loco significetur aduentus ad iudicium, & eadem per se aliis locis significatio sit in quibus est quam diximus, Græca vox τῆς ἐπιφανείας, quæ illustrem denotat atque gloriosam declarationem, apparitionem, manifestationem, vt Augustinus [s] vertit, & quam vocat Apostolus [t], *beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Iusti hunc diligunt, auidéque desiderant aduentum [u], qui ipsius gaudent præsentia, τῇ παρουσίᾳ, dignáque faciunt præsentia tali, gerunt se pro eius dignitate aduentus. *Veni*, aiunt [x], *Domine Iesu: veniat dilectus meus* [y]. *Adueniat* [z] *regnum tuum.* Expetunt, & expectant illud, *venite* [a]. *Spes*, quam patientia, probat óque comitatur cum charitate, bonarúmque exercitio actionum, *non confundit* [b]. Confundentur autem vehementer qui hæc negligunt, quia non intellexerūt *opprobrium sempiternum, & ignominiā æternam, quæ numquam obliuione delebitur* [c], quando miseri audient: *væ. Væ desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis* [d]*? Dies ista Domini, tenebræ, & non lux* [e].

Vers. 29.] Si scitis quoniā iustus est, scitote quoniam & omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est.

VVLT Caietanus hinc inchoari caput tertiū. Cæteros sequimur. Monet verò Ioannes hac extrema sententia, vt qui se fiducia præditos & constantia sentiunt, de quibus antè dixerat, referant hęc iustitię dona in illū, qui iustus essentialiter auctor est, ac effector, & largitor omnis iustitiæ, & per iustitiam, quam communicat, adoptione, suos nos filios constituit.

Si scitis.] Si constat, vel potius, si creditis. nam de Christo vt est Deus, & auctor iustitiæ nostræ, sermo est. Scire autem, de fide dicitur propter certitudinem, non propter euidentiam. Thomas Anglicus certitudinem fidei exponit hoc loco. Carthusianus, *si*, pro *quia*, & huiusmodi quidem vsum interdum habet, vel sumitur pro *cum* [f], & *quandoquidem* [g].

Quoniam iustus est] Christum intelligit, qui, vt Deus est essentialiter iustus: vt homo, per donum tum vnionis hypostaticæ, tum gratiæ habitualis Lege quæ notata sunt in historia Apostolica [h].

Omnis qui facit iustitiam ex ipso natus est.] Omnis siue prædestinatus siue reprobus: potest enim hic etiā iustè operari: & quia qui natus est ex Deo, filius Dei est, non colligitur ex operibus quempiam talem esse, nisi sint opera supernaturalia, & meritoria de condigno. Quare non probo Lyranum, intelligi quoque locum de operibus iustitiæ, quæ est virtus politica, eo quòd omne bonum naturæ sit à Deo.

Facit iustitiam.] Opera iustitiæ, quo modo quis dicitur facere veritatem, iudicium, &c. Iustitia habitualis, supernaturalis, siue gratia, & quoduis donum eius habituale, vt communior fert opinio, non fit à nobis, sed a solo Deo infunditur, & intenditur: operibus verò iustis meremur augmentum, & iis, quæ præcedunt iustitiam factis auxilio gratię, disponimur ad ipsam iustitiam, non meremur ipsam de condigno. Hoc optimè significat natiuitas ex Deo: nemo namque nascitur nisi ex alio, & idcirco natiuitatis supernaturalis nullus sibi ipsi potest esse causa propria, & principalis, & quod idem est, non valet quis facere iustitiam, in qua consistit dicta natiuitas.

Infans baptizatus, ex Deo natus est, nec tamen iustitiam facit: vt autem iudicetur quis ex Deo natus, nullum certius argumentum, quàm si moribus Deum exprimat, velut lineamentis. Rectè Didymus dictū obseruat *qui facit*, non *qui fecit* vel *faciet*. bonæ namq; radicis in præsentia boni fructus sunt indices. Illud item, Deum, quia substan-

a cap. 10. 33. Confundere Hebraicè quid sit
b Psal. 21. 5.
c Psal. 118. 116.
d Rom. 1. 16.
e 1. Cor. 1. 23.
f Hom. in Psal. 33. in ... Domini ...
Solum in hominem pudor cadit.
g Hebr. 12. 2.
h Catech. 2. Mystag.
i ... de Dogmatic. ...
k 2. Cor. 3. 18.
l Act. 7. 52.
m Græci in 2. Tim. 4. 14. ... Anselmus, Bruno, & alii.
n ... de ...
Aduentus Quadruplex Christi ...
p Præf. in Euang. Domini.
q 2. Tim. 4. 1.
r Tit. 2. 13.
Epiphania quid denotet.
s ... Cresc. ...
t Tit. 2. 13.
u 2. Tim. 4. 8.
x Apoc. 22. 20.
y Cant. 5. 1.
z Matt. 6. 10.
a Matt. 25. 34.
Viuite, & ... extrema ... fiat.
b Rom. 5. 5.
c Ier. 20. 11. ... 23. 40.
d Matt. 25. 41.
e Amos 5. 18.
Scire de fide dicitur.
f Ies. 4. 4.
Ioan. 14. 3.
g Ioan. 7. 4.
k Act. 3. 14.
Omne bonū naturæ est à Deo.
Gratiam nō meremur de condigno.

tialiter iuſtus, abſtracta voce dici quoque iuſtitiam, nos non ita propriè, & abſolute, ſed cum addito, & habitus inhærentis ratione, vt cùm Paulus dixit [a]: *vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo*, id eſt, vt eam conſequeremur per Chriſtum. Peccator adiutus auxilio gratiæ, facit opera quædam iuſtitiæ, tamen non ſimpliciter tale merentur nomen, niſi quæ fiunt à iuſto, qui præditus ſit habitu gratiæ iuſtificantis, quia ſolius iſtius opera habent condignitatem iuſtitiæ.

a 2.Cor.5.21.

Ex ipſo natus eſt.] Ex Chriſto, de quo priora ſunt omnia. Dicitur quoque quis ex Deo [b] naſci, quando *ex Spiritu ſancto renaſcimur, & ex aqua* [c]. Hęc natiuitas opponitur carnali tamquam ſpiritualis [d], & vt renouatio quædam ſpiritus, & mētis [e]: denique ex ſpiritu [f]. Particula *ex* deſignat cauſam efficientem, quando dicimur renaſci ex Spiritu ſancto, materialem quodammodo, cùm ex aqua, vel efficiētem inſtrumentalem: veluti formalem, quando ex ſpiritu, aut certè materialem ſubiectiuam, id eſt, ſubiectum natiuitatis.

b Ioan.1.13. *Ex Deo naſci quid dicatur.*
c infra 3.1.
d Ioan.1.13.
e 2.Cor.4.16. Ephes.4. 23. Coloſſ.3.10.
f Ioan.3.8.

Diuinæ conſortes efficimur naturæ [g] per hanc natiuitatem, tametſi, quia participata, non ſubſtantialis, vel conſubſtantialis eſt Deo, ſiue Chriſto, ſiue Spiritui ſancto generanti, ſed accidentalis in ordine ſupernaturali, atque diuino, cuiuſmodi quoque ſeruata proportione, cenſetur beatifica viſio, ſunt videlicet expreſſiora quædam veſtigia, & ſimilitudines, non ſubſtantiales, reales participationes, incommunicabilis extra ſeipſam ſubſtantiæ Dei. Natiuitas carnalis eſt ex Deo, vt ex efficiente prima cauſa: ſpiritualis, vt ex ſola principali. Qui naſcitur carnaliter, hominum naturalis filius eſt: qui ſpiritualiter, adoptione per ſe Dei ſolius, aliorum Dei coadiutorum, qui & ipſi gignere dicuntur, & patres eſſe ſpirituales, non niſi moraliter, ac ſpiritualiter ſubordinato quodam modo. Eſt non nemo [h], qui in hac ſpirituali natiuitate, carnalis quamdam rationem conſideret. Ait eundem Chriſtum fœminæ in modum paſſiuè concurrere per paſſionem, mortem, merita ipſius, vt homo eſt parturiens cum dolore: ratione Deitatis tamquam virum agendo, & efficiendo, nempe iuſtificationem, & gratiam. Cernitur priore quoque ratione moralis efficientia: ſed ad phyſicam comparata, meritò paſſio magis habetur, & ad materialem cauſam potius redigitur. De dignitate filiationis diuinæ nobis communicatæ plura Ioannes capite ſequenti.

g 2.Pet.1.4.

Differentia inter carnalem & ſpiritualem generationem.

h Salmeron.

Ad extremum, quando natus dicitur *iuſtus ex Deo*, indicatur, iuſtitiam non eſſe imputatiuam, vel per ſolam externam denominationem à iuſtitia Chriſti, ſed inhęrentem, ac permanētem. Vera namque formalis, & realis, & perdurans denominatio eſt, à forma intrinſeca tali: item quod naſcitur, accipit eſſe reale, ac permanens. Soli actus ſecundi, & operationes quæ tranſeunt, & in ordine ſupernaturali qualitatem habitus non producunt, nequeunt realem, internam, & manentem denominationem formaliter tribuere, quamuis ipſæ fieri poſſint per ſolum actualem gratiæ concurſum ſine habitu, quod quidam negant. Quòd ſi producerent habitum, ab hoc, & non ab illis oriretur formalis denominatio. Tandem conſtat, infantem baptizatum eſſe intrinſecè, permanenter, realiter, ac formaliter iuſtum: nec tamen vllum elicit actum ſecundum virtutis: igitur iuſtitia eius eſt qualitas inhærens & permanens: eſt autem eadem ratio atq; forma iuſtitiæ in omni iuſto. Sumus itaque & nos adulti iuſti per huiuſmodi qualitatem, etiamſi fortè primam in Baptiſmo datam amiſerimus, & aliam recuperauerimus, quæ naturæ profectò, & conditionis eiuſdem eſt.

Contra iuſtitiam imputatiuam.

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM.

Diuinæ humano generi communicatæ præstantiam natiuitatis isto capite Ioannes exaggerat, modum tradit eius conseruandæ, ac retinendæ, vitiorum diligentem fugam, charitatis amorem, studiumq́, mundi odium, & contemptum. Inserit præterea discrimen eorum, quiq́ sunt ex Deo, & qui ex Diabolo, reprehensionem odij fraterni: nihil non impetrare Deo, qui mentis puritate, & in Christum fide quidpiam petat.

1 VIDETE qualem charitatē dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. Propter hoc mūdus non nouit nos: quia nō nouit eum.

2 Charissimi nunc filij Dei sumus, & nōdum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.

3 Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.

4 Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas.

5 Et scitis quia ille apparuit vt peccata nostra tolleret: & peccatum in eo non est.

6 Omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum.

7 Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam iustus est: sicut & ille iustus est.

8 Qui facit peccatū, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.

9 Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.

10 In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.

11 Quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum.

12 Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant: fratris autem eius, iusta.

13 Nolite mirari fratres, si odit vos mundus.

14 Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.

15 Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.

16 In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & non debemus pro fratribus animas ponere.

17 Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?

18 Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.

19 In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus: & in conspectu eius suadebimus corda nostra.

20 Quoniam si reprehēderit nos cor nostrum: maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.

21 Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum:

22 Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo facimus.

23 Et hoc est mandatum eius: Vt credamus in nomine Filij eius Iesu Christi: & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.

24 Et qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.

Vers. 1.] Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur,& simus. Propter hoc mundus non nouit nos,quia non nouit eum.

PATERNVM, & perutile Ioannis præceptum, vt seriò attendamus, & expendamus, quæ à Deo donata sunt nobis [a]: illud præcipuè donorum omnium maximum, & ex singulari Dei erga nos amore profectum,vt nos dici, & reuera esse, filios suos voluerit, non quidem natura, secundum quam vnigenitus est filius Dei Iesus Christus,sed adoptione & gratia. Nec exigitur tamen, vt vel hanc filiationem re ipsa credamus fide Catholica nos habere, quod arbitrantur hæretici: vel nobis id saltem certò persuadeamus morali, sed indubitata certitudine,quod existimat Catharinus,& hoc loco inculcat. Vtrumque superiùs hac eâdem epistola refellimus.

a 1.Cor.2.12.

Magnum Dei beneficium est filios Dei esse.

Hoc exigit Ioannes, vt omnibus, ac singulis id beneficium in commune à Deo exhibitum orthodoxè credamus,hócque nomine Deo summas gratias habeamus: propriè autem, & sigillatim singuli bene idipsum de nobis speremus, nisi per nos ipsos stet, atque ex bonis, quæ facimus,operibus, coniecturam, iudiciúmque probabile de nobis faciamus, dignatos nos hoc beneficio: nec sine metu tamen, & quadam hæsitatione, quæ nos in modestia contineat,& calcar ad melius in obsequio diuino procedendum admoneat. Prorsus opportunè Ioannes ingerit tanti memoriam beneficij, vt ei bonis conemur operibus respondere,ad quæ nos opera proximè hortatus fuerat, vt obseruauit Ioannes Ferus.

Quomodo id singuli sperare debeamus, non credere.

Videte.] Attendite, animum aduertite, ac reflectite, & experimentum percipite, expendite, ac æstimate. Non affero alia exempla, tam sunt & obuia, & multa, & partim quoque superiùs notata. Importat verò etiam nonnunquam videndi verbum experimentum cum voluptate, animique lætitia & alacritate: *Ecce* [b], *odor filij mei, sicut odor agri pleni*, ἴδε, vide: Hebraicè ראה *reeh*. Capio ego incredibilem voluptatem. Interpres verbum Græcum, cui simile est ἴδε, sæpè vertit per aduerbia demonstrandi, *en*, *ecce*, quæ attentionem requirunt, & hoc loco Augustinus legit *ecce*. Ad hæc denotatur eo verbo rei certitudo, & quasi publica de ipsa cognitio. Quadrant hæc proposito.

Videte verbum quam vim habeat.

b Gen.27.27.

Qualem.] Ποταπὴν *Quantam*. Si Græcè sciuisset, aut vocabulum hoc Græcum Hugo attendisset, quæstionem non mouisset, cur qualem, non quantam Ioannes dixerit, respondens plus modum attendere quàm quantitatem. Pro Interprete valet responsio, & quòd qualitatis quantitas cùm sit virtutis, non molis, rectiùs eo modo declarata est. Syriacè quoque attributum quantæ ponitur כמא סגי *chema sagghi*. Alibi [c] idem Interpres Græcam vocem reddidit eodem pacto.

Qualis pro quãtus vsurpatur.

c Luc.1.29. Matt.8.27. Matt.31.12.

Charitatem dedit nobis Pater.] Vel,quantam declarauit erga nos, vt actiuè sumatur charitas pro amoris actu, qui cognitus est in tempore per illum talem,& tantum effectum. Vel, quàm magnum *donum* [d] *contulit diffundendo charitatem ipsam in cordibus nostris*, & dando Spiritum sanctum ratione dicti doni. Quod est passiuè charitatem accipi. Notauit vtrumque sensum Carthusianus: & congruit.

d Rom.5.5.

Disceptare charitásne sit idem quod sanctificans iustitia,siue gratia,superfluum duco: distinguendi necessitatem nullam video; sed in scripturis charitati tributa lego,quæ gratiæ tribuunt Theologi: & qualitas charitatis esse diuinum communicat simul cum esse operatiuo, quod est item diuinum,ratione cuius esse,quod immediate recipitur in animæ potentia, substantia denominari potest habens esse diuinum. Sed hæc scholis permittimus.

Charitas & gratia sanctificans idem sunt.

Dedit.] Gratiæ maximè conuenit, vt donum vocetur,& dari dicatur,quia ratio donationis est, vt liberè, liberaliter, gratis fiat: sed potiori ratione ipsi æternæ charitati,qua dilexit nos, & adoptauit, & quosdam elegit. Pelagium hinc Beda condemnat gratiæ aduersarium.

Nobis.] Indignis, inimicis, & peccatoribus [e]. Et omnibus absque exceptione, non solis Prædestinatis, vt Prædestinatiani senserunt hæretici, de quibus Arnobius [f], vel quis alius, cõtra quos Hincmarus [g], qui nũc quoque est Caluinistarum error. Consule Alphonsum à Castro [h]. Præterea omnibus,non Iudæis solis, qui hoc sibi vendicabant,vt in cap. 1. Ioannis Cyrillus obseruauit, & Procopius: ideóque istius potissimum Ioannem eo loco beneficij fecisse mentionem.

e Rom.5.8.

f In Psalmos, vt eum citat Maldonatus Ioan.5.

g libro contra illos.

h cont.hære'm verb.Prædestinatio.

Pater.] Tota Trinitas per proprietatem, persona Patris per appropriationem, ait Thomas Anglicus. Posterior modus aptior, vt includatur grata quædam & suauis comparatio cum naturali Filio Christo; & quoniam Patri, vt est prima persona, solet accommodari vocatio, electio, prædestinatio, glorificatio, gubernatio, vt alibi [i] docui: & nescio quo pacto vox *Pater* dulciùs allicit amorem nostrum cõsiderata cum habitudine ad Filium,quem misit & dedit. *Sic Deus dilexit mundum* [k], exclamat Filius ipse Dei, admirabundo similis, *vt Filium suum vnigenitum daret*.

i Act.2.7.

k Ioan.3.16.

Quia verò in Euangelio Ioannis est,quòd *Verbum dedit potestatem filios Dei fieri his qui crederent in nomine eius* [l], hic autem de Patre idem scribitur: coarguit Arianos Beda pro Filij seu Verbi consubstantialitate cum Patre. Verisimile præterea mihi est,in illa gratulatione Christi [m] pro reuelato Euangelio,& vocatis ad id paruulis, ac vilibus personis,vt ad filiorum Dei dignitatem significaret electos,Patris nomen expressisse: *Confiteor tibi Pater*. Quemadmodum vt denotaretur iustitia Dei in deserendis sapientibus,& prudentibus,vox *Domini* ab eodem coniuncta est.

l Ioan.1.12. *Patris & filij consubstantialitas.*

m Matt.11.25.

Vt filij Dei nominemur,& simus.] Non redundat, *& simus*, vt Caietanus voluit vulgaribus contentus codicibus Græcis,cùm alij non pauci habeãt, (etsi pro, ἐσμέν) mallem ὦμεν propter alterum τὸ κληθῶμεν: non auctoritate permotus Augustini, qui retinuit, exposuitque, quia multi vocantur, quod non sunt, non Oecumenij Græci auctoris perpendens testimoniũ, qui saltẽ in Commentario id posuit. In Psalmo [n] quod legimus *Ante solẽ permanet nomen eius*, Hebraicè ינון *innon*, quod Burgensis [o] & Genebrardus [p] cũ Rab. Abenezra confecto verbo interpretantur *filiabitur* aut *filiabit* vt Galatinus [q] ex Rab. Rahamon, id est, *vocabitur* נין *nin*, filius (vnde Hispanum *niño*,) nempe Dei ab æterno, & secundum etiam decretum æternum filius hominis ob incarnationem futurã. nec hoc tantũ,sed adoptabit sibi filios,vel propter

Simus hic non redundat.

n Psal.71.17.

o ibidem.

p ibidem.

q lib.12.c.3.

merita

merita ipsius Pater per quamdam attributionem, vt *sint fratres filij sui Christi, & coheredes* [a]. Hæc est potestas, ἐξουσία, data hominibus, *filios Dei fieri* [b]. Quamuis de filiatione per resurrectionem dictus exponat Galatinos locum Psalmi: & alij *filiabitur* idem velint esse quod *perpetuabitur*, vt solent patres in filiis.

Æstimari non potest creato indicio dignitas filiationis diuinæ, licet adoptiuæ, sicut nec is qui dignatur Pater esse, nósque in filios adoptare, nec hæreditas, quæ filios Dei manet [c], qui est ipsemet Deus, *merces magna nimis* [d], & *cuius naturæ consors fit* [e], *& moribus similis*. Venit Filius Dei pacē illaturus mundo, & reconciliaturus nos Patri. Omnem quidem iustum fratris, & filij Dei nomine cohonestat, sed in primis qui simili funguntur inter homines officio, pollicens hoc eis ceu præmium: *Beati* [f] *pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur*. &, *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri* [g], &c. Solent filij patrum referre mores: quo Christus & Paulus [h] vtuntur argumento, vt nos hortentur ad virtutem.

Mira protsus ratio filiationis huius: qui filius naturalis est Dei, per quamdam parturitionem, id est, sanctam institutionem formatur in nobis [i], & agitur Spiritu Dei [k]. Dei filius Deo similis est, quia soli illi placere studens, perinde se gerit, ac si esset inuisibilis, cætera despiciens: redditur per animi constantiam immutabilis: euadit omnipotens, in ipso, qui eum confortat [l], & omnia Patris solent esse filij [m]: non potest peccare, qui ex Deo natus est [n], vt inferiùs videbimus, id est, potest non peccare: prouidentiam, cooperationem, bonitatem extendit ad omnes, ob vim charitatis, qua præditus est. Vani se stulti Gentiles nullum magis honorificum titulum repererunt quàm vt se Ioue, aliòve Deo ortos, vel oriundos dictitarent. Scripturæ ipsæ Regibus, Iudicibúsque Deorum dant nomen [o]: & hominem ipsum fieri Deum posse Mercurius dixit Trismegistus. Iure ciuili adoptantur, & arrogantur alienæ personæ in filios, ab iis potissimùm, qui filios non habent. Sola Deum charitas impulit vt adoptaret, & optaret nos filios suos, vt arrogaret, & rogaret, voluntatémque nostram interrogaret, vellemúsne ipsum patrem. Non erat sine filio, & quidem tali, vt alieno solatio non egeret. Spiritus sanctus, qui Charitas accommodatè nominatur, *testimonium reddit huius amoris Spiritui nostro quoniam filij Dei sumus* [p]. Nudæ sunt voces, inanes tituli Gentilium, quos dixi. Ius humanum nihil interim tribuit filiis, quos ciuiliter creat, nec appellatio quidem illa Scripturarum. Sic Iustus, qui idem Dei filius, non denominatione talis externa, sed reipsa est, non imputatione, sed veritate. Filij Dei non nominamur tantùm, sed & sumus: efficax est Dei charitas, quam dedit nobis, operatur realem, & insitum effectum. Sicut filius Virginis de Spiritu sancto conceptus est [q], & filiationem Dei peculiari quodam modo ab Spiritu sancto accepit: ita nos eximius amor, & Spiritus proinde sanctus efficit filios Dei.

Nominemur, & simus.] Iam dixi *& simus* meritò retineri, licet Græci codices Complutenses, Regij, & alij non habeant. Quamquam nihil officeret sententiæ harum duarum detractio vocum, nam Hebraismus est, vt vocari, & nominari sit idem quod esse. Quod in Esaia [r] legitur: *Domus mea domus orationis vocabitur*, Lucas [s] id recitans dixit: *Domus mea, domus orationis est*: Et quod in Genesi [t]; *In Isaac vocabitur tibi semen*, Paulus ita refert [u]: *Qui filij sunt promissionis, æstimãtur in semine.* Ad eumdem modū [x] *quando Christus pacificos beatos asserit, quia filij Dei vocabuntur*, sensus est, *erunt. Vocabitur Emmanuel* [y], *Admirabilis, &c* [z]. id est, erit. Pari ratione: *Filius altissimi vocabitur* [a], nimirum, erit. Immò vocandi verbum rem exaggerat; docet enim ita esse, vt appareat, vt celebretur, ac prædicetur. Quocirca cùm Hilarius [b] scribit, quòd *filios Dei opera secundum Spiritum gesta connuncupant, & clamatur à nobis potius Abba* [c] *Pater, quam ex natura manet proprietate, quia extra naturæ proprietatem est vocis officium, & dici, atque esse non idem est, & quod proprietatis in aliis significatio nulla est: nominis tantùm, quod Deo dignum est, indulta dignatio est*: hoc, inquam, quod præ se fert, nos, qui adoptione filij Dei sumus, dici tantùm, non esse, comparatione naturalis Filij Dei debet intelligi, cùm, vt antè dixi, reuera, & intrinsecè simus per donum internum, & Christus à Patre ipso petierit, *vt dilectio qua Pater illum dilexit in suis sit, & ipse in eis* [d], hoc est, per esse quoddam, & effectum, sicut & dilectio, qua Pater dilexit Christum, otiosa non fuit, sed efficax, & realis effectus communicatrix.

Igitur, licet sufficere poterat, dixisse *vt filij Dei nominemur*: tamen quod adduur, *& simus*, emphasim habet, & rem ipsam magis exprimit. Vel certè *esse* denotat rem ipsam filiationis: *nominari*, statum nouæ legis, in quo non iam paruuli, & instar serui sumus [e], sed palàm, & passim nominamur, quod sumus, filij Dei, filiorum adoptionem recipientes, id est, vt iure, ac more filiorum quodammodo magis agamur, cùm in lege veteri Iusti, qui reipsa erant filij Dei, adhuc agerentur spiritu timoris, & seruorum [f].

Quàm vereor, ne (quod Varro veritatis adactus vi fateri compulsus est, vt Augustinus [g] memorat, & apud Lucianum [h] ridet Diogenes Alexandrum eodem nomine,) *viri fortes, etiamsi falsum esset, quia vtile ciuitatibus erat, ex Diis genitos crederent se (vel vulgabant,) hoc eo modo velut diuinæ stirpis fiduciam (, aut opinionem vulgi) gerentes (& obtinentes) res magnas aggrediendas præsumerent audaciùs, agerēt vehementiùs, & ob hoc implerent ipsa securitate (vel communi opinione) feliciùs*: Quàm vereor, inquam; ne Christianum multi nomen, sanctiúsve aliud gerant, prætexántque, rei, quæ nemini subsit, veritatem, minimè curantes, vt speciosa larua ista vulgo imponant, res agant suas, auctoritate, ac potestate polleant? *Agnoscat Christianus dignitatem suam, & diuinæ consors factus naturæ, in pristinam caueat redire vilitatem* [i]. *Clericus interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur, nempe* κλῆρος, *sors, id est, vel de sorte Domini, vel vt eius Dominus sors sit siue pars* [k]. *Monachus interpretetur vocabulum suum quid facit in turba qui solus est* [l]? quare videlicet non se abstrahit à curis secularibus, quas vitare non solùm debet vel anachoreta, vel soli vacans contemplationi, sed alius quilibet qui Regularis, vel Religiosi nomen habet?

Qui Pastor est vocatus, hoc quod humano ore dicitur, Deum precetur, vt in ipsius oculis esse valeat [m]. Applicet sibi quisque suóque statui eandem Orationem: *Deus qui nos pastores* (dicam ego, qui nos clericos regulares) *in populo vocare voluisti; præsta quæsumus, vt hoc quod humano ore dici-*

a Rom. 8.17.
b Ioan. 1.12.
Filiatio diuinæ æstimari non potest.
c Eph. 1.14.17.
1 Cor. 1.9.10.
d Gen. 15.1.
e 2. Pet. 1.4.
f Matt. 5. 9.
g Ibid. 44.45.
h Ephes. 5.1.
i Gal. 4.19.
Dignitas filij Dei adoptiui quanta.
k Rom. 8.14.
l Philip. 4.13.
m Ioan. 17.7. 10.
n 1. Ioan. 3. 9.
o Psalm. 81.6.
Ioann. 10.34.
Exod. 22. 28.
Magna benignitate nos filios Dei fecerit adoptatt.
p Rom. 8.16.
Gal. 4.6.
q Luc. 1. 35.
Matth. 1.20.
Vocari & esse pro eodem in Scriptura ponuntur.
r cap. 56.7.
s cap. 19.46.
t cap. 21.12.
u Rom. 9.8.
x Matt. 5.9.
y Esa. 7. 14.
z Esa. 9. 6.
a Luc. 1.32.
b 6. de Trin.
c Rom. 8.15.
Gal. 4.6.
d Ioan. 17.26.
e Gal. 4.1.7.
f Rom. 8.14.
Antiqui cur se Deorum filios iactauerint.
g 3. de Ciuit. c.4.
h in Dialogis mortuorum, Dialo. Diogenis, &c.
i Leo 1. serm. 1. de Natiuit. Christi.
k Hieron. ad Nepotianum.
l Item ad Heliodorum.
m Greg. hom. 17 in Euang. in fine.

mur, in tuis oculis esse valeamus.

Porrò vt cum Cypriano[a] locum hunc concludam, numquam humana opera mirabitur, quisquis se cognouerit filium Dei: deiicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest. Indignam arbitror confutatione sententiam quam à nonnullis etsi timidè pronuntiari accepi, munus hoc filiationis diuinæ adeo proprium esse Euangelij, vt nullus antea Dei filius appellari propriè potuerit, sed nec quisquam per intrinsecus inhærentis gratiæ donum iustus fuerit. Scio legis antiquæ statum seruorum potiùs fuisse, quàm filiorum: at non reuera filios Dei fuisse, iustósque per gratiam inhabitantem in lege scripta, vel naturali, certus sum sine magna temeritate dici non posse: tum quòd legam illorum quoque vocatū patrem Deū, cùm quòd iidem propriè iusti nominantur: non est verò iustitia remitti dumtaxat peccata, vt illa sentit opinio, fauens hac in re hæreticis huius temporis, sed renouari quoque, & immutari per qualitatem sanctificantem: denique Concilium Tridentinum, & alia, dum habitus diuinos affirmant, iisque iustificationem formalem tribuunt, generaliter loquuntur, non de solis hominibus noui Testamenti.

Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum. Tantam dignitatem diuinæ filiationis ne miremini, si ceteri nec æstimant, nec norunt quidem, quia Primogenitus in adoptatis Christus naturalis filius Dei Patris, & Deus quoque Pater prorsus incognitus est mūdo. Hic placet sensos magis quam quia filij Dei sumus, ideo mondum non nosse nos, non approbare, nō magnifacere. Qui hominē distinctè conspicatus est, vel picturam, si alius occurrat homo, ex lineamentis facilè iudicabit esse seu patrem, seu filium pro ætate, vel eum, quem refert imago. *Homo Dei ad imaginem factus est a que similitudinē*[b], non ratione magis naturæ humanæ, quàm diuinæ gratiæ, quam à Deo accipit. Itaque hominem, qui penitus cognoscit, Dei notionem format, vicéque versa, qui ignorat Deum non intelligit, & è conuerso. *Prædestinauit Deus homines cōformes fieri imaginis Filij sui*[c]: tametsi etiā in nō prædestinato, sed iusto, vera reperiatur imago filij Dei: sicut & adoptione verus est filius Dei. Si Deus esset Pater mundi, diligeret vtique nos mundus. Licet enim sic ratiocinari post Christum Iudæis, dicentem[d]: *Si Deus Pater vester esset, diligeretis vtique me*, & suos in persecutione consolantem[e]: *Sed hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me*, ac proinde neque vos fratres meos, filios Patris mei. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit[f]. Dixit Pharao[g]: *Quis est Dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Dauid qui nouerat optimè Dominum, summo afficiebat honore Domini seruos[h]: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus*: & de iusto loquens[i]: *Timentes autem Dominum glorificat.*

Minor iniuria ignoto fit, quamlibet illustris, & potens existat. *Nesciunt qui nos contumelia afficiūt (ait Chrysostomus[k]) quales sumus, vtpote qui cœli ciues, & supernæ patriæ adscripti, & Cherubim socij sumus*, adde filij Dei, hæredes Dei, fratres, & cohæredes Christi. Cùm risu potius, & voluptate Princeps conuitia famulorum excipit, quæ illi in eum vt in peregrinam iaciunt personam. Tempus erit cùm stulti recognoscendo præteritam stultitiam, cum rubore, & dolore dicent[l]: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorū est.* De mundo non sunt, quos odit mundus[m]: mundi filij non sunt, quos ipse non nouit. Ergo filij Dei. Hi patiuntur in mundo pressuram[n], & persecutiones[o]: Qui mundi, placet hominibus[p]: Christi seruus non est, multo minus frater: illi admirantur de iis, qui non concurrunt in eandem luxuriæ confusionem, atque ideo eos blasphemant[q].

Non nouit nos.] Caietanus, Vatablus, Clarius legunt *vos*: & primus notat, quamuis contextui quadret legere in prima persona *nos*, Ioannem tamen in modo loquēdi vitando iactantiā scripsisse in secunda persona *vos*. Augustinus, cæterique interpretes legunt *nos*, & codicum pars maxima: Syriaca quoque versio. Græcum nullum vidi, qui aliter habeat vel recitet. Solus Oecumenius excipiendus videtur, apud quem tamen in Commentario nunc reperio ὑμᾶς, nunc ἡμᾶς. Contextus certè, vt fatetur Caietanus, requirit vt legamus *nos*, nec Ioanni id obest modestiæ, quem constabat professione Christianum esse, & Christianorum doctorem, quos mundus non nouerat, quia neque Christum.

Vers. 2.] Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

PRopterea nos nunc non nouit mundus, quia licet filij Dei simus, in obscuro veluti tecta latet hæc filiatio, & est in gloria, nec apparet adhuc foris ad oculos mundi gloria, decor, ac splendor, qui filiis Dei debetur, & suo dabitur illis tempore ad similitudinem eius gloriæ, quam Deus ipse, siue Christus habet. Nam filiorum Dei hæreditas est ipsemet Deus, quo rationalis creatura fruitur, ratione atque intellectu ipsum percipiendo, & videndo, sicut ipsemet Deus semet ipsius beatus est contemplatione, & perfecta cognitione. Similes quoque Christo secundū corpus erimus, *cōfiguratu corpori claritatis eius*[r]: quemadmodum per filiationem conformes efficimur imagini ipsius[s], qui est Filius Dei. Vita nunc nostra etiam qua viuimus nos iam nō nos, sed in nobis Christus[t], abscōdita est cum Christo in Deo[u], sumúsque interim mortui mundo, & incogniti, quia extinctione veteris vitæ, qua viuit mundus: *cum autem apparuerit Christus vita nostra*, veniens ad Iudicium, & nos secum assumens ad gloriam, tunc *& nos apparebimus cum eo in gloria*[x].

Charissimi.] Ἀγαπητοί. Augustinus, *Dilectissimi.* Lege cap. 2[y].

Nunc filij Dei sumus.] Hanc nobis dilectionem dedit Pater[z] & potestatem[a]. Hoc malim, quàm de actu ipso, vt nempe significet Ioannes se (quod de se tamen sciuisse credibile est, & modestè potest quis ex certis quibusdam indiciis de se aliisque existimare) aliósque reipsa, & actu esse filios Dei. Vniuersè tamen id verum est, secundum actum quoque, quia multi sunt actu filij Dei, & de singulis intelligi propositio potest hypotheticè. Sensus primus melior est, cui fauet hoc sermone

a lib. de spectaculis. *Humana opera admiranda non sunt.*
Iustitia non remissio tantum peccatorum, sed renouatio.
b Gen. 1. 26. & cap. 9. 6. & alibi.
c Rom. 8. 29.
d Ioan. 8. 42.
e infra 16. 3.
f Ioan. 15. 18.
g Exod. 5. 2.
h Psal. 138. 17.
i Psal. 14. 4.
k hom. 78. in Ioan.
l Sap. 5. 3-4-5.
Di mundo non sunt, quos mundus odit.
m Ioan. 17. 19.
o Ioan. 16. 33.
o 2. Tim. 3. 12.
p Gal. 1. 10.
q 1. Pet. 4. 4.
Filiorum Dei hæreditas est ipsemet Deus.
r Philip. 3. 21.
(Rom. 8. 29.
t Gal. 2. 20.
u Coloss. 3. 3.
x Ibidem 4.
y vers. 7.
z vers. præcedenti.
a Ioan. 1. 12.

munc Augustinus [a]. Vnde enim nunc filij Dei sumus, *nisi quia potestatem dedit nobis filios Dei fieri, credentibus in nomine eius, vt videamus in ænigmate* [b]?

Non probo præterea explicationem illius loci in Euangelio Ioannis [c], cuius Theophylactus [d] meminit, & est Carthusiani [e] atque Catharini. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*: hoc est, his, qui nunc filij Dei sunt filiatione imperfecta, vt sint perfecta, ita vt modò sint *expectantes adoptionem* [f] *filiorum Dei, redemptionem corporis sui*, quam vocat Ecclesia in oratione de Festo Trãsfigurationis, *adoptionem filiorum perfectam*. Nam loquitur Ioannes de filiatione, quam comparamus per Baptismum cum fide, vel per gratiam ipsam iustificantem, cuius hic effectus est filios Dei constituere.

Et nondum apparuit quid erimus.] Apud Hieronymum [g] lege, *quod erimus*, nisi mendum sit: nam Græcè est, *τί ἐσόμεθα*, & obseruant quidam [h] constare quod erimus, quia non possumus esse plus quàm filij Dei, sed non quid, id est, quantam in numero filiorum Dei, & qualem gloriam consequemur. In Commentario Clementis Alexandrini reperio item *quod erimus*, hoc est, inquit, ad qualem peruenturi sumus gloriam: quasi dicatur: *id quod erimus*, quod accommodatè debet accipi de eo, quod iam non sumus. Sic etiam Vatablus. Sed & alicubi legit Augustinus [i] eodem modo. Didymus legit: *nondum manifestatum est quo sumus*, id est, virtus, & operatio adoptionis filiorum, per quam tales constituimur.

Refutat citato in margine loco Epiphanius abutentes hac sententia Origenistas, qui arbitrabantur imaginem Dei, ad quam conditi sumus, esse deletam: restituendam verò postea in futura vita. *Hoc*, inquit, *propter gloriam, quæ ibi reuelanda est sanctis eius dictum est*, &c. Vocantur sancti, dum hic viuunt, absconditi, arcani, & celati, quia celat Deus, quanti eos faciat, & amet. *Cogitauerunt aduersus sanctos tuos* [k]. Hieronymus ex Hebræo: *Inierunt consilium aduersus arcanum tuum.* Hæc est vita abscondita, de qua priùs cum Paulo.

Scimus, quoniam cùm apparuerit.] Οἴδαμεν δὲ ὅτι ἐὰν φανερωθῇ. Nescias, an cùm apparuerit quid erimus, interpreteris, an cùm apparuerit, seu reuelatus fuerit alius, nempe vel Deus, vel Christus. Secundo modo Syra editio intellexit: ידעינן דין דמא דאתגלי *iadebhinan den dema detegli. Scimus autem cùm ipse reuelatus fuerit.* Epiphanius [l] Latinè redditus ab Hieronymo: *nouimus autem quia cùm ille reuelatus fuerit.* Bedæ idem videtur, qui, & quidẽ aptiùs istum sequẽdo modum, intelligit de Christo, citans [m] illud: *Cùm autem apparuerit Christus vita vestra: tunc & vos apparebitis cum eo in gloria.* Eadem est Hugonis expositio: & Thomæ Anglici, necnon Carthusiani: qui Carthusianus alteram tamẽ etiam sequitur de Deo, cùm se nobis patrẽ ostenderit, in possessione cœlestis hæreditatis nos ponendo publicè coram omnibus Sanctis. Origenes [n] explicat, *si reuelatum nobis fuerit de Domino & Saluatore*, & inde consummationẽ Mundi probat.

Primus sensus est Didymi, fauétque Augustinus, & magis placet Caietano, ac mihi verò etiam propter simplicitatem.

Hoc pacto meliùs argumento satisfit Hæreticorum, qui negant iustorum animas Deo frui ante iudicium vniuersale, sicut obseruauit Cardinalis Bellarminus [o]. Sequitur verò, saltem secundum legem ordinariam, non videri Deum in hac vita, si de visione Dei quis interpretetur. Valẽtia [p] explicat eodem pacto, *cùm apparuit* non ad Christum referri, sed ad id, quod post hanc vitam erimus. Addit, licèt de tempore vniuersalis iudicij sermo foret, quo singulis apparebit quales sint omnes omninò futuri, non sequi ante id tempus animas iustorum non esse visuras Deum. Tãdem Ioannem non tantùm loqui de dicta notitia in iudicio vniuersali, sed etiam de morte cuiusuis, in qua cuiuis apparebit, qualis ipsemet sit futurus, & hæc quidem de primo dicendi modo.

Sed qui alterum dicendi modum sequi volet, apparitionem potius Christi eligat, quàm Dei; externa enim manifestatio, & visibilis magis cõuenit Christo. Clemens Alexandrinus: *si enim*, inquit, *manifestatus fuerit* (arbitror manifestatum reponi debere) hoc est, *si perfecti fuerimus*: indicat sanè sensum primũ. Tertullianus [q] legit: *scimus quia si manifestauerit*, nempe Christus, reddens nos sibi similes per carnis resurrectionem. Pamelius tamen notat, & codicem vnum manu scriptum habere, *si manifestatus fuerit*, & solere Tertullianum pro verbis passiuis vti actiuis. Tunc verò loquitur etiam Tertullianus de manifestatione Christi futura in iudicio, quem aduentum superiùs docuimus vocari solere ἐπιφάνειαν.

Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.] Similes Deo, cuius maiestatis gloriæ pleni sunt cœli, & terra. Similes Christo secundum immortalem corporis gloriam. Primo modo similitudo expressa, vt loquuntur Theologi, est in visione non per speciem impressam (siue repugnet per eam videri Deum, siue non) cuius vice fungitur Deus ipse visioni beatificæ obiectus immediatè: & visus absque inuolucro, & ænigmate, & ope alterius creaturæ, quæ sit intra ordinem naturalẽ. Hoc est videri Deũ sicuti est. Nam quamuis per fidem, luménve naturale cognoscatur Deus, sicuti est, prout cognitio adæquatur rei cognitæ, ita vt vera cognoscantur de Deo: non tamen secundum modum, quia neque claritate, neque immediatione supernaturali, sed imperfectè, & cum quodam ceu integumento, atque per effecta. Cur & quomodo beatitudo formalis in visione consistat, qua ratione quoque fiat, vtrum videri Deus possit in essentia sua, vel quod aliqui perperam senserunt, in quodam splendore ipsius, quæ vocetur gloria [r], consule Scholasticos.

Augustinus ponderat verbum substantiuum *est*, quasi proprium Deo [s], cuius in se videnda sit Essentia in beatitudine. Lege capitis sequentis versum duodecimum. Glossa interlin. & Hugo alteram expositionem sequuntur: quam & ego proposito iudico conuenientiorem; & his quæ præcesserunt de apparitione, quæ quid externum importat.

Corporis autem gloria, & ornamenta quæ tanti fiunt hic ab hominibus, qui propterea non nouerunt, vel æstimant filios Dei adhuc viuentes mortalem vitam, quoniam destituũtur, aut se sponte abdicant illis, hæc, inquam, sensibilia bona, & quæ vocantur dotes gloriosi corporis, manant ex animæ gloria, & felicitate. Idcirco rectè dicitur similes nos Christo futuros ea in re, quia videbimus eum quatenus Deus est: vel contemplabimur etiam gloriam, & maiestatem corporis ipsius cũ voluptate. Visio verò talis nemini cõceditur nisi Filio Dei. *Auferatur impius vt non videat gloriam Dei* [t], *& qui corpus habeat configuratũ corpori claritatis Christi* [u], ac proinde similis illi. Ergo similes ei erimus in gloria, nõ ampliùs obscuri, &

despe

a 20. q. Euang. c. 39.
b 1 Cor. 13. 12.
c Ioan. 1.
d ibid.
e ibid.
f Rom. 8. 23.
g epi. 60. quæ est Epiph. sed ab Hier. Latinè versa.
h Salmeron.
i In Psal. 17.
k Psal. 82. 4.
l [illegible] 60.
m Col. 3. 4.
n Hom. 6. in Gen. & 3. de princ. c. 6.
Sanctorum animæ fruuntur Dei visione ante iudicium.
o lib. 1. de sanctorum beat. c. 1.
p Tom. 3. disp. 1. q. 4. pun. 1.
q lib. de resur. carnis c. 23.
Quid sit videri Deum sicuti est.
r memini Greg. 18. Mor. cap. 28 vel 32.
s Exo. 3 14.
Dotes gloriosi corporis manant ex gloria animæ.
t Esa. 26. 10. iuxta LXX.
u Phil. 3 21.

despecti, quia videbimus eũ sicuti est, id est, sicuti est nũc circumamictus imméso corporis decore, atque pulchritudine. Legi postea, Cardinali Bellarmino [a] placuisse istam sententiam, eóque mihi placuit magis. idem deprehendi apud Valentiã [b], & Ioannem Ferum [c]. Tertullianus [d] hunc ipsum locum interpretatur de immortalitate corporis, quam Christo similem consequemur. Fulgẽtius [e] explicat, imitatione iustitiæ. Auctor Commenta[r.] in epistolam ad Romanos sub Ambrosij nomine [f], illa verba [g]: *Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*, declarat per ista præsentis loci: negátque fore similitudinem in diuinitatis natura (erit tamen secundum rationem obiectiuam, vt explicatum est) sed in corporis gloria. Obstare videtur pronomen *ei*, quod respicit Deum paulo antè nominatum. *Nunc sumus filij Dei*: atqui Christus quoque Deus est: vidimus quoque superiùs non semel intelligi Christum per pronomen absolutè positum: postremò personarum permutatio non raro fit post pauca verba.

Fateor aliam sententiam passim recipi, & præsentem locum de celebrioribus esse, quos versant Scholastici, disputantes de beatifica visione. Sic eum Origenes [h] præterea intellexit, idem docens videre Deum *sicuti est*, quod, *facie ad faciem* [i]: nunc non videri sicuti est, sed sicut propter nostram dispensationem factus est: sic alibi Augustinus [k], non hîc dumtaxat: sic Epiphanius [l]: sic Gregorius [m], qui adiungit æternitatem participatam: in qua Deum videntes, Deo beati similes sunt: sic is qui nomen habens Ambrosij [n], exposuit epistolas ad Corinthios. Sic Euaristus [o] Papa: sic Francofordiense Concilium [p], negans de similitudine in adoptione carnis intelligi: sic Armacanus [q]: sic ex recentioribus magis ex professo Gabriel Vasquez [r] noster, qui addit similitudinem esse, quod beatus sit impeccabilis. Id innuit Augustinus [s].

Videbitis eum sicuti est.] Exponit Fulgentius [t] de visione deitatis. Solent Theologi sequentes istam expositionem, colligere Dei Essentiam posse videri in se, vt antè monui: aliqui visionem ipsam diuinæ Essentiæ esse imaginem rei visæ, siue Dei, & verbum repræsentans expressè Deum, licèt inadæquatè, non quantum in se repræsentari potest. Sed Ioannes solùm vult etiam iuxta modum illum exponendi similes futuros Deo, qui videbunt ipsũ, quatenus vt se ille videt, ac seipso fruitur, sic & illorum mens Deum videbit, eiúsque fruitione potietor: vel per participationem luminis gloriæ, vt explicat B. Thomas [u]. Colligunt adhuc sequentes illam sententiam, argumentum: si videbimus Deum sicuti est, ergo cuncta, quæ sunt in Deo, sunt in ipso formaliter, & tamẽ nonnulla dicuntur esse dumtaxat eminenter. Item fieri non posse, quod Scotus [x] existimauit, vt beatus videat Essentiam Dei, non videndo personas, aut vnam personam, & non aliam, V. G. Patrem vt Patrem, & non Spiritum sanctum, cum quo vt Pater, non habet oppositionem relatiuam. nã ex natura rei nulla est distinctio, ne formalis quidem inter Essentiam & personas, sicut nec inter attributa secum comparata & cum essentia, & personis, quicquid Auctor ille contradicat, alioqui non esset Deus summè simplex. Quare non potest videri vnum ex his, quæ ratione, & modo nostro imperfecto intelligendi separamus, quin videãtur & alia eodem modo, & æquè tamquam primarium obiectum. Rectè hoc ex loco id probat Caietanus [y].

Postremò, videre Deũ sicuti est, non est comprehendere: nequit enim comprehendi nisi à seipso Deus, sed ipsam eius essentiam attingi in se, & clarè, eséque ratione istius visionis cum similitudinem non æqualitatis, sed conformitatis, sicut & cum Christo secundum corporis beatitudinem, licèt quia finita est, non ita repugnaret hanc exæquare. Verùm id re ipsa non fiet, sicut nec in eiusdem gratia, quæ finita est. Similitudo magis & minus admittit, perinde vt fundamentum ipsius quod est qualitas. Lege Bedam. Origenes [z] expendens illud [a]: *Quis similis tui in dijs Domine?* de hominibus qui Deo sunt grati, & dij vocantur [b], ait esse sermonem, quia nullus inuisibilis, nullus incorporeus (sic non excluderentur Angeli) nullus sine initio, & fine, nullus Creator omnium, nisi Pater, cum Filio, & Spiritu sancto.

Hæc in gratiam satis cõmunis opinionis. hunc locum de beatifica visione debere intelligi. Nam aliam iudicauimus aptiorem, quæ Auctores habet non spernendos tum veteres, tum recentiores, & idoneam rationem de similitudine in corpore, atque immortalitate gloriosa eius, quæ vel resultare significatiuè ex visione beatifica Essentiæ Dei, vel etiam colligi ex visione extrinseca dictæ gloriæ corporis Christi, non quomodocumque, quia & Reprobi percipient eam in iudicio, sed cum voluptate, & securitate.

Cauenda hîc minùs probabilis Origenis [c] opinio, & aliorum in prima conditione factum hominem dumtaxat ad imaginem Dei, similitudinem verò, quæ est perfectio quædam diuinior, sibi comparare debuisse, vel cõseruare, & perficere per virtutum opera, & hoc modo loqui etiam Ioannem. Communis ceterorum sententia, quod dixerat in Genesi Deus [d]: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, fecit*: licet paulò post eodem [e] libro dicatur, tãtùm fecisse ad imaginem. Quod non obstat, quia vis eadem est vtriusque nominis. Nam Seth genitus dicitur ad imaginem, & similitudinem Adam [f]. Paulus hortatur ad *portãdam imaginem cœlestis Christi, sicut portauimus stolam terreni* [g]. Creatio hominis facta narratur alio Scripturæ loco ad imaginem similitudinis [h], vel ad imaginem tantùm [i]: siue secundum imaginem Dei [k]. Lege Pererium [l]. Non potest, inquit Augustinus [m], imago aliqua esse, in qua nõ sit similitudo. & Iacobi [n] verba citat loquentis de lingua: *in lingua benedicimus Deum, & in ipsa benedicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.* Homines nominat, qui nunc sunt, & similitudinis nomine comprehendit imaginem: sicut antè vidimus hanc solam positam, quòd sub ea comprehenderetur illa.

Vers. 3.] Et omnis, qui habet hanc spem, in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.

Res magna, & ardua, quæ proximè memorata est, visio, & similitudo cũ Deo vel Christo. Absentem, ac difficilem rem maximè appetibilem. Spes virtus eam partem occupans voluntatis, quæ proportione quadam ad appetitũ pertinens sensibilem, vocatur irascibilis. huiusmodi tendit in obiectum. Nititur autem Deo, & bonis ac sanctis operibus cum Dei gratia factis. Hæc ergo perueniendi ad tantum bonum via, spem locare in Deo, sanctitatis exercitio vacare. Nam

a lib. 1. de beatitudine sanctor. c. 3.
b Tom. 3. disp. 1. q. 4. punct. 2. in hunc locum.
c [illegible]
d lib. de resur. carn. c. 23.
e ad Ferrand. Diac. q. 3. fin. c. 6.
g Rom. 6. 5.

h Hom. 6. in Gen. & tract. 31. in Mat.
i 1. Cor. 13. 12.

k 14 de Trinit. 1. c. 17. epist. 112. c. 12. & 15. ser. 118. c. 5. tract. 111. c. 26. 2. de Pec. mor. c. 8.
l ep. 60. inter epist. Hieron.
m Hom. 2. in Ezech. sub finem. & lib. 5. Moral.

y 1. p. q. 12. art. 8.
Videre Deum sicuti est, non est ipsum comprehendere.
z Hom. 4. in Genes.
a Psa. 85. 9.
b Ioan. 10. 34. Psa. 81. 6.
Reprobi in iudicio Christi gloriam videbunt.
c 3. de princ. cap.
d Gen. 1. 26.
e Gen. 1. 7.
Imago Dei & similitudo non differunt.
f Gen. 5. 3.
g 1. Cor. 15. 49.
h Sap. 2. 23.
i Gen. 9. 6.
k Ec. 17.
l lib. 4. in Gen.
m li. de [illegible] ad [illegible] imperf. sub finem.
n cap. 3. 9.
Spem locare in Deo est via perueniendi ad beatitudinem.

a Matt.5.8. b Heb.12.14. c Apoc.21. 27.

ſoli mundi corde vident Deum[a]: *ſine ſanctimonia nemo videbit Deum*[b]. *Nihil in ciuitatem cœleſtem coinquinatum intrabit*[c]. Sanctus Deus, & Chriſtus ſanctos requirunt. Spem vel accipimus informem, quæ propoſito deſiderio beatitudinis promouet ad opera, quibus diſponitur quis ad charitatem, & gratiam, in qua ſanctitas conſiſtit: vel formatam, quæ cum ſanctitate gratiæ iuncta eſt: ſed vrget ad exercitationem ſanctitatis, & ad augmentum ipſius, & ad remouenda impedimenta, quæ ſubinde hîc degentibus occurrunt.

Spes informis, & formata quid ſit.

Carthuſianus & Catharinus intelligunt de ſpe viua, & formata. Nihil obſtat & aliam intelligere, quam cõſtat eſſe diſpoſitionem ad iuſtitiam[d]. Hoc ſenſu concedi poteſt quòd peccator ſanctificet ac iuſtificet ſeipſum. Sic alibi legimus, *quòd quem pœnitet, animam ſuam viuificabit*[e], *& qui timent Dominum, ſanctificabunt animas ſuas*[f]: & timori, pœnitentiæ, dilectioni tribuitur, quandoque iuſtitiæ, ſicut & fidei, cui vni tribuunt illam hæretici. Denique Paulus vniuerſè pronuntiat[g]: *Qui emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino, & ad omne opus bonum paratum.* Attamen ſuperiùs Ioannes filios nos Dei dixit eſſe, taléſque videtur alloqui, quos dubium non eſt viua ſpe præditos. Hinc verò colligunt liberum arbitrium, ſimulque Pelagij errorem nos declinare monent illi nimium ſine gratia tribuentis.

d probat Car. Bell. lib. 3. de Iuſt. c. 13. e Eze. 18. 27. f Eccl. 2. 20. g 2. Tim. 2. 21.

Liberum arbitrium vnde colligatur.

Auguſtinus & Beda. *Caſtificas te*, ait Auguſtinus, ſiue *ſanctificas*, non de te, ſed de illo, qui venit, vt habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tributum eſt, vt dicas, ſicut in Pſalmo: *Adiutor*[h] *meus eſto, ne derelinquas me.* Nam ſi nihil agis, quomodo ille adiuuat[i]? Repetit idem aliis verbis alibi ſæpe. Similis modus loquendi Petri[k]: *Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis.* O quantæ ſpei vires, præſertim viuæ? Suſtentauit hæc Iobum[l] illam in ſuo reponentem ſinu: fortiſſimum ſolatium eſt, & *anchora animæ tuta, ac firma, & incedens vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus*[m], cœli poſſeſſionem videlicet etiam pro nobis iniens, *& galea ſalutis*[n]. Vt proprium iuſtorum Scripturæ nomen, ac velut epithetum vſurpant. *Qui ſperant in Deum, & ſperantes*[o]. *Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo*[p]. Væ iis qui perdiderunt ſuſtinentiam. Hic videtur finis vniuerſarum Scripturarum, *vt ſpem habeamus per patientiam*[q], & conſolationem, quam continent. *Spe enim ſalui facti ſumus*[r]: *& gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*[s]: *Regenerati in ſpem viuam*[t]: quæ facit, *vt ſperantes faciamus quoque bonitatem*[u], *& ſpei teneamus confeſſionem indeclinabilem*[x], quæ vocatur *gloria ſpei*[y]. Valdè pendet ſpes ex conſcientia bona. *Ille enim ſe ad id, quod credit, & diligit, peruenturum eſſe deſperat, cui mala conſcientiæ ſcrupulus ineſt*, inquit Auguſtinus[z]: & rectè viuendo id ſperamus, vt nullo modo ſpes noſtra fallatur.

h Pſal. 26. 9. i lege Conf. Auguſt. lib. 2. cap. n. k 1. epiſt. 1. 22. *Spes laudes ex Scriptura.* l Iob. 19. 27. m Hebr. 6. 18. 19. 10 n Eph. 6. 17. 1 Theſ. 5. 8 o Pſ. 1 Pſa. 20. 7 Pſ. 10. 0. Pſ. 110 Pſa. 111 9 n 33. Eſ. 40. 31 lu 15 17. & alibi paſſim. p Eccl. 2. 15 16 q Rom. 15. 4. r Rom. 8. 24. s Rom. 5. 2. t 1 Pet. 1. 3. u Pſa. 36. 3. x Heb. 10. 23. *Spes pendet ex conſcientia bona.* y Heb. 3. 6. z 1 de D. Ch. c. 20 lege eundem lib. 3. c. 20 perf. in P. 31.

Sanctificat ſe.] Ἁγιάζει ἑαυτὸν. *Caſtificat ſeipſum*, ſicut vertit Auguſtinus, aut purificat: & legit[a] Clemens Alexand. necnon in Commentario Didymus, & Oecumenius. Item Tertullianus[b], & Hieronymus[c] aut luſtrat, expiátque. Interpres videtur legiſſe ἁγιάζει, & Auguſtinus[d] legit aliquando, vt nos legimus. Modica differentia, vt & inter ſanctum, caſtúmque: vt caſtum eſſe, non modò reſpiciat purum corpus, vt voluit tamen Tertullianus, ſed animum quoque ab omni labe, atque immunditia, & vitio, ſecretum, & ſeparatum. Id aliàs notatum ad voces Hebræas קדש & קדוש *kadoſch* & *kadoſch*. Et ideo Baptiſmo quondam ablutos, & abſterſos omni culpa, ſanctos appellatos.

a 3 Stro. c. 4. b de Monog. c. 3. & de pudicitia c. 19. c 1. contr. Iouin. d de perf. iuſtitia c. 18. *Inter ſanctum & caſtum modica differentia.*

Denotant præſertim puritatem coniugalem: & aptè transferuntur ad ſpirituales nuptias, in quibus *deſpondemur vni viro Chriſto tamquam virgo caſta*[e]. Vnde κατ᾽ ἀντίφρασιν vocât Hebræi Scortum קדשה *kedeſchah*, ſicut benedicere apud illos vſurpatur pro maledicere, aut blaſphemare.

e 2. Cor. 11. 2.

Eſt præterea ſacrificij proprium verbum ſanctificare ex vſu Scripturæ, idem valens quod, offerre, dicare, deſtinare, ac præparare ritu religioſo[f], ſiue ad oblationem, ſiue ad ſacrificium: & per quamdam ſimilitudinem à mactatione hoſtiæ refertur etiam ad ſupplicium[g], & ad indictionem belli ſolenni cerimonia[h]: vel ieiunij[i], & ad ſpirituale animarum ſacrificium[k]: vnde Chriſtus, ipſe animo, corporéque pro nobis ſacrificans ſe ipſum, dicebat Patri[l]: *Pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate*, id eſt, iuſtificati, & Deo dicati, ac deputati velut in ſacrificium: vel ſacrati, & initiati, & Deo deuoti, non ritu veteris legis, quo ſacrabantur miniſtri[m], ſed ſpiritu, & vera internáque ſanctitate, quam iiſdem deprecatus eſt à Patre[n], *ſanctifica eos*, inquit, *in veritate*, id eſt, ſegrega eos ſpiritu ſancto replendo, vt prædicent Euangelium. Immò *ſanctificatum* ipſemet à Patre ſe dicit[o], & Paulus *præſtitutum ſecundum Spiritum ſanctificationis*[p]. Sic Ieremias dicitur *antequàm exires de vulua, ſanctificaui te*[q], quando Gentibus datus, licet paſſim, & gratia tunc ſanctificante præditus credatur, quod nec ego inficior. Chriſtus autem ſanctificatus eſt tum quatenus deſtinatus & miſſus, tum ſecundum animam, (quæ non eſt per ſe ſancta, licet numquam non fuerit ſancta, vt Hilarius[r] docet:) tum, vt in Ioannem[s] Auguſtinus, ac Beda, ratione generationis æternæ per quam à Sancto ſanctum accepit eſſe. Sanctificauit ille ſeipſum, vt dixi, offerendo in ſacrificium, atque ſe ad eiuſmodi oblationem parando & accingendo; de quo dixit Gabriel[t], *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* De induſtria verò Ioannes hoc loco non ſcripſit, *ſicut ille ſanctificat ſe*, ſed *ſicut ille ſanctus eſt*. Eſt enim ex quo conceptus eſt, ſemper æquè ac perfectiſſimè ſanctus: nos licèt iuſti ac ſancti adhuc iuſtificari atque ſanctificari[u] poſſumus, & debemus. Qui loquendi modus, vt & loci præſentia, allatíque ſimiles denotant veram ac intrinſecam ſanctitatem in nobis eſſe, quemadmodum in Chriſto eſt, quamuis abſque comparatione inferior ſit.

Sacrificii proprium eſt ſanctificare. f Exo. 19. 10. 11. 1 Reg. 7. c. 18. 5 Iob. 1. 5. & paſſim. lib. Leuit. & Numerorum. g Ier. 12 | Sophon. 1. 7. h Ier. 6. 4. i Ioel. 1. 14. k Rom. 15. 16. l Ioan. 17. 19. m Exo. 29. 1. n Ioan. 17. 17. o Ioan. 10. 36. p Rom. 1. 4. q Ierem. 1. 5. *Chriſtus quomodo ſanctificatus.* r 7 de Trinit. s cap. 10. t Luc. 1. 35. u Apoc. 22. 11.

Verſ. 4.] Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas.

QVemadmodum ſolis conceditur ſanctis viſio beatifica, ſic negatur admittentibus peccatum, & iniquè degentibus, ac legis præuaricatoribus. Iniquitas Græcè hoc loco vocatur ἀνομία, quod ſignificat, inquit Beda, quaſi *contra legem*, vel *ſine lege factum*, quia lex Græcè νόμος appellatur, & quicquid peccamus, contra legem Dei facimus (iuxta illud Pſalmiſtæ[x]: *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ*) idque nõ modò de ſcripta ſed de naturali quoque loquentes lege, quam Deos

x Pſ. 118. 119.

etiam

etiam condidit. Huc pertinet trita peccati ex Augustino[a] sumpta definitio, *est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.* In qua definitione subintelligéda est omissio, vt S. Thomas monet[b]: traditur verò de actuali peccato, & vt principali analogato per se conuenit mortali: nec enim veniale directò repugnat legi, aut fini, quem lex intendit. Et rectè Canus[c] docet Ioannem hîc loqui de solo mortali. Similis est alia definitio eiusdem Augustini[d]: *est legis transgressio.* Ambrosius non dissidet, cùm ait[e]: *Quid aliud est peccatum, nisi diuinæ legis transgressio, ac cœlestium inobedientia mandatorum?* Hæ descriptiones innuũt, & intrinsecam esse in peccato habitudinem ad æternam Dei legem, & Deum non esse causam peccati, licet vt causa prima efficiat materiale peccati, seu actionem physicam: & ipsam eius malitiam formalem nihil esse positiuum, quod præ se fert vel ipsum nomen ἀνομίας, id est, *defectus ac deuiatio à lege.*

Hæc sub disputationem cadunt. De primo constare puto, nihil positiuum reale in peccato includi, etsi quis contendat positiuum respectum rationis. Quod attinet ad vltimum, non improbabile duco præscindi formalem malitiæ moralis rationem ab ordine ad regulam æternam; & solam dicere cum ratione, & recto repugnantiam, quamuis per impossibile nec lex Dei æterna, nec Deus esset, qui quod intrinsece malum est, ideo ipse odit, quia est tale, non ideo id est tale, quia contra legem ipsius. Est tamen vera definitio illa, quatenus te ipsa peccatum aduersatur æternæ legi.

De secundo nil aliud modò dicendum, nec enim primæ causæ, sed deficienti secundæ, defectus effectus tribuitur, & Deus perinde concurrit, ac si necessariò, & non liberè: & ipse contra legem non facit legis auctor.

Interpres *iniquitatem* vertit, quasi exorbitationem ab æquo, siue recto, quod lex præscribit æterna. Sicut omnis virtus iustitiæ nomine sæpè vocatur, ita peccatum quodlibet dicitur iniustitia. Hoc pacto Philosophus[f] ἄδικον nominat ἄνομον, quasi dicas eum, qui est iniustus, *illegitimum, & exlegem,* hoc est, exorbitantem à lege in quauis materia, & non in eadumtaxat, quæ est ad alterum propria peculiarisque seu virtutis iustitiæ, seu contrarij vitij. Sed & capite quinto[g], quando dicitur quòd *omnis iniquitas peccatum est,* Græcè habetur ἀδικία pro iniquitate. Iniquitas æquitati opposita, omne designat peccatum: quacemus æquitas ab æqualitate dicitur: virtus autem est *æqualitas quædam vitæ, rationi vndique consentientis*[h], *siue* vt M. T. definit, *habitus naturæ, rationi, atque modo consentaneus.* Paulo pòst adhuc hac de re plura.

Qui facit peccatum, & iniquitatem facit.]Coniunctio *&*, inter alioa hunc habet vsum, vt affirmet, idémque valeat quod *etiam*, vt múltis testimonis confirmat Cantapretensis[i], & Salmeron[k]. Verbi gratia[l]: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, id est, etiam, tam sic ego.

Et peccatum est iniquitas.] Ponitur *&* pro *nam* vt alibi sæpè. Exemplum sit illud ex Genesi[m]: *En morieris* (sermo est de Abimelech rege Geraræ) *propter mulierem quam tulisti, habet enim virum:* Hebraicè est ו *ve &*. Itè aliud, *erat enim Melchisedech Sacerdos Dei altissimi*[n]: Hebraicè, *& erat.* Præterea ex Esaia[o] *ecce tu iratus es, & peccauimus*, id est, peccauimos enim. Eosdem lege, ques citaui, præterea Card. Bellarminum[p], Franciscum Riberam[q], Ioannem Pinedam[r], Emmanuelem Sà[s].

Pro peccato autem reddidit Augustinus delictum. Synonyma crebrò sunt; licet exactius distingui possint; ita vt delictum sit æquali derelictum, & omissum siue omissionis peccatum. In libro Iob certo quodam loco[t] hæc separatim numerantur; *iniquitates & peccata, scelera, & delicta.* Vbi Gregorius[u] docet, hîc quidem Ioannem perhibere, nihil inter iniquitatem, atque peccatum distare, ipso tamen vsu loquendi plùs iniquitatem sonare, quàm peccatum, cùm omnis homo facilè se peccatorem fateatur, iniquum verò dicere nonnumquam erubescat. Addit scelus grauius quid esse, ac interdum in opere versari, delictum leuius, & plerumque in sola cogitatione. B. Thomas[x] delictum ait esse omissionem; iniquitatem contra proximum: peccatum, quo homo in seipso prauè disponitur: delictum omissionem.

Ambrosius[y] videtur contraria ductus ratione illi quam dedit Gregorius, pluris quàm iniquitatem æstimare peccatum. Scribit enim iniquitatem æstimari habitudinem mentis iniustæ, *licet inquit Ioannes in epistola eum, qui fecerit peccatum, & iniquitatem fecisse dixerit*, & quòd peccatum est iniquitas, quia in peccato ipso iniquitas est. Subdit: *Tamen, vt nobis videtur, peccatum est opus iniquitatis, iniquitas autem operatrix culpæ, aut delicti.* Verùm Synonyma sunt hæc isto loco, & alias plurimis locis. Sicut etiam de iniusto, & iniquo notat Hieronymus[z]: quamuis illud aliqui velint dici de eo qui se foris talem profert, hoc quando quis in corde tantùm talis est. quod ego dicimen vereor vt probare possint. Quòd autem fomator iniquitas pro pœna, & reatu, necnon pro concupiscentia, siue fomite, qui tamen in iustis non est propriè peccatum, vt nec reatus pœnæ temporalis, in quem æterna mutata est, adeo vulgatum est, vt monere superfluum putem. Idem est de peccato. Iniquitatis nomen tribuit etiam Ambrosius[a], eundémque proferens Augustinus[b], concupiscentiæ quæ post Baptismum etiam remanet, quoniam radix & seminarium est peccatorum, tanquam fructuum malorum. Vbi quoque tamen Augustinus negat esse peccatum. Quod concedi posset accipiendo synonymè, vt est idem ac iniquitas. Videtur porrò Ioannes monere velle, ne vllum putemus peccatum tanquam leue contemnendum, quoniam in omni peccato est ἀνομία, id est, quædam legis diuinæ violatio, & repugnantia eum sanctitate, ac nominatim quidem, si sit impudicitiæ immunditiæue peccatum; *voluntas* enim *Dei est sanctificatio vestra, vt abstineamus a fornicatione*[c]; quod quia leges humanæ non solent ferè punire, adulterij excepta iniuria Simoniani, Nicolaitæ, similesque hæretici liberiùs ac licentiùs exercebant. Si quæras, an originale peccatum dici possit ἀνομία, & iniquitas, & contra legem Dei est, respondebo posse, ac debere. Nam Dauid ait *se conceptum in iniquitatibus*[d]: & id peccatum virtute in se continet actus malos lege prohibitos: prouenit quoque ex actuali præuaricatione primorum parentum contra legem.

Vers. 5.] Et scitis, quia ille apparuit, vt peccata nostra tolleret: & peccatum in eo non est.

ILLE.] Christus proculdubio in carne, atque factus homo. Magnæ venerationis, amoris cai-

Marginal notes (left): a contra Faust. l. 22. c. 27. etiam quod — b 1. 2. q. 71. art. 6 ad 1. — c 4. de locis theol. ca. 4. (?) § 3. — d 1. de cons. euang. c. 4. — e de Paradiso c. 8. — Deus non est causa peccati. — f 5. Ethic. c. 1. — g vers. 17. — h Aug. de anima c. 9. & 16. — i Hypoth. c. 8. — k Tom. 1. Prolog. 16. dum 29. 3 de coniunction. b. — l Ioan. 20. 21. Et pro ipso (?) … Hebræis. — m cap. 20. 3. — n Gen. 14. 18. — o cap. 64. 5. — p 1. c. de Missa c. 6. — q in c. 7. ep. ad Heb. n. 63.

Marginal notes (right): r in c. 15. Iob vers. 16. — s in … Script. — t cap. 13. 23. Iniquitates & peccata in quo differunt. — u Moral. c. 21. vel 13. — Iniquitas & delictum. — x … — y Ambr. … & … Rer. … de parad. lib. 3. — z in c. 22. Ezech. — Peccatum originale est iniquitas. — a … lib. … — b … lib. … — c 1. Thess. 4. 3. — d Psal. 50. 7.

mij, grauissimi de Christo argumentum indicij est, de ipso toties in tertia persona loqui his pronominibus Is, *αὐτὸς, ἐκεῖνος*, vt antea quoque monuimus.

Vt peccata nostra tolleret.] Originale quidem præsertim, & primo loco, reliqua tamen etiam cuncta mortalia, venialia cum reatu, atque pœna ipsis debita. Potuit nihilominus facta Incarnatio simul esse per se, non propter peccata dumtaxat, & futura fuisse, quamuis quis remedio illius pro ipsis non fuisset. Sed hoc aliò remittendum. Hîc quod verum est, exponitur, aliud non negatur. *Dedit semetipsum*, ait Paulus[a], *pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Augustinus legit: *& scitis quia ille manifestatus est, vt peccata auferat.* Porrò tollere, & Græcum *αἴρειν*, & Syriacum נסב *nesan*, duo significant, accipere, seu portare, & ferre, vel auferre, delere, remouere. Peccatum vnius, vel reatus formaliter ab alio non accipitur. Potest alter pro altero pœnam luere, pœnæ relaxationem impetrare, gratiam mereri. Qui hæc perfectè facit, ab alio remouet, & isto sensu, tollit peccata. Præstitit, quod in se fuit, Christus omnia ista perfectissimè: si qui tantæ redemptionis fructum non percipiunt, nihil habent quod querantur de Christo. *Posuit Dominus* Deus, vel Pater *in eo iniquitatem omnium nostrum*[b], id est, pœnas iniquitati nostræ debitas. Hebraicè, הִפְגִּיעַ *hiphgihabhhenni, incurrere, aut irruere fecit in eum*, velut hostes videlicet, à quibus occideretur, vel perderentur ab ipso. *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*[c]. Vbi sunt Hebraica verba סבל *& נשא saual & nasa.* Matthæus[d] id explicat de curatis infirmitatibus corporis: *ipse infirmitates nostras accepit*, *ἔλαβε*. Septuaginta apud Esaiam: Οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει. Sic intelligitur sententia Ioannis[e]: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum (vel peccata) mundi*: aut pœnas tolerando, aut quasi *manu pondus circumstantis nos peccati*[f] *auferendo*, nec sibi tamen imponendo, nisi quantum ad pœnas. Simili forma in libro Iob[g]: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Denique Petrus de Christo: *Peccata*, inquit[h], *nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.*

a Tit.2.14.
Peccatũ vnius, vel reatus ab alio non accipitur, sed pœna.
b Esa.53.6.
c Esa.53.4.
d cap.8.17.
e cap.1.29.
f Heb.12.1.
g cap.7.21.
h Pet.2.24.

Diuinitas Christi maximè probatur ex eo, quòd peccata sustulit: nemo enim, vel inimicorũ eius confessione, *peccata dimittit, nisi solus Deus*[i], potestate nimirum principali, incommunicata, independente. *Ego sum, aut Deus ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*[k]. *Quis potest facere mũdum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es*[l]? Nam vt ratiocinatus Irenæus[m], peccato Deus offenditur: est igitur solius Dei iniuriam istam remittere, qui solus potest in gratiam recipere illum, qui offendit, & æternam pœnam condonare quæ debetur peccato. *Immò difficilius est*, vt August.[n], & Leo[o] docent, *hominem iustificare, quàm cælum, & terram creare*, & Gregorius[p], *quàm mortuum Lazarum suscitare*; & Chrysostomus[q], *quàm paralyticum sanare*; Ecclesia quoque sentit in quadam Oratione, *parcendo, & miserando Dei omnipotentiam maximè manifestari*[r].

Diuinitas Christi vnde maximè probetur.
i Mar.2.7. Luc.5.21. & cap.7.49.
Nemo potest peccatum tollere nisi solus Deus
k Esa.43.25.
l Iob 14.4.
m lib.5.c.17.
n Tract.72. in Ioan.
o serm.3. de Pass.
p 3 Dial.c.17.
q hom.30. in Matth.
r Domin.10. post Pẽtecost.

Quòd autem primam illam, ac primariã Christus potestatem Deo propriam habuerit, probat tum apparitio, quæ idem valet, quod Incarnatio, tum quæ subiiciuntur, *quòd in eo peccatum non sit, & qui maneat in eo, non peccet*; prout exponemus. Quò fit præterea, vt remitteret Christus peccata, etiam quatenus homo, potestate infra Deum capitali, & principali, quæ soli homini, qui simul sit Deus, conuenit. *Vt autem sciatis*, inquit[s], *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, &c.

Christus vt homo peccata dimisit.
s Matth.9.6.

Et peccatum in eo non est.] Coniunctio hîc quoque *αἰτιολογικὴ* est causalis, vt Oecumenius docet. Inde verò efficitur quod prædixi, habuisse Christum summam, ac diuinam potestatem tollendi, ac remittendi peccata, vtpote quia solus est expers peccati, vel non obnoxius ad contrahẽdum peccatum; ad quod obnoxia fuit ipsius quoque Mater, sed id non contraxit. Horret animus ad blasphemas voces Caluini, similiúmque, quibus horrori non est asserere blasphemum Christum, desperantem, & aliis sordidatum criminibus[t]. Prouocat Christus[u] omnes, vt arguant eum, si possunt, de peccato. Petrus[x] edit de ipso authenticum & locuples testimonium ipsis Esaiæ verbis: *quòd peccatum non fecerit, nec inuentus sit dolus in ore eius*[y]. Paulus vocat *sanctum, innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus*[z]. *Non Petrus erat, qui hoc dicebat*, ait Cyrillus[a] Ierosolymitanus (id est, non propriis, sed alterius verbis) *ne quis suspicetur adulari illum Magistro: Sed Isaias id dicit, qui corpore quidem non aderat, Spiritu tamen aduentum eius in carne præuidebat.*

t lege controuersias de Christo, maximè Dialogos Feuardẽtij cõtra Caluinianos.
u Ioan.8.46.
x 1.Pet.2.22.
y cap.53.9.
Christus omnis proprij peccati expers fuit.
z Heb.7.26.
a Catechesi 13.

In recitatis paulò antè verbis Iob[b]: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* vltima, quæ Hebraicè sunt, *nõ vnus*, referunt quidam[c] ad illa *de immundo conceptum semine*, id est, nullus est, qui sic conceptus non sit: at iuxta lectionem nostram volunt esse sensum, quòd solus Deus & Christus excipiatur secundum æternam atque temporalem generationem: *In splendoribus enim sanctorum velut ex vtero* Dei Patris *ante Luciferum genitus est* Filius[d]: *& natus est ex vtero Virginis sanctus*[e]. Sed obstat, & quòd sermo est de generatione ex semine, quæ non conuenit diuinæ, & ex immundo, quæ non conuenit generationi Christi, sumendo pro immunditia originalis peccati, vel concupiscentia, quæ est in genitoribus. Communis autem est priùs allata expositio, solum Deum posse, & Christum maculas peccatorum eluere, atque mundos reddere, qui sunt concepti ex immundo semine. De impeccabilitate Christi tum ex gratia sanctificante habituali, tum vnionis hypostaticæ præcisè sumpta Scholastici disputant, & nonnihil attigimus hac epistola superiùs.

b cap.14.4.
c Pineda ibidem.vers.4. num.4.
d Psal.109.
e Luc.1.35.
Christus planè impeccabilis.

Vers.6] Omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum.

NObis peccare ampliùs nõ licet, qui gratiam Christi consecuti sumus, inquit Oecumenius, vel quia nec licet non habenti gratiam: displicétque ea explicatio Augustino[f]. *Possumus, si volumus, non peccare, propter vim gratiæ, & in quantum in ea manemus*, ait idem Augustinus, & Beda, & Didymus: sicut qui in virtute, & disciplina manet, non peccat, nec ignorat: vel potuit peccata Christus tollere, & ab iis probatur immunis, *quoniam qui adhærent ei, ex eo quòd adhærent, vitant peccata*, inquit Glossa Interlinearis: si quidem *qui sustulit facta, iuuat ne fiant, & perducit ad vitam*, inquit rursus Beda, *vbi peri omnino non possunt.*

f de Nat. & Gra.cap.14.
Possumus si volumus non peccare.

Thomas Anglicus ideirco notat in Missa, dum dicitur *Agnus Dei*, &c. his nos misericordiã precari, tertiò pacem. Et olim tamen ter dicebant

miserere, & cœptum est tertio loco dici *dona nobis pacem*: alibi, præterquàm Romæ in Ecclesia Lateranensi, ob irruentes persecutiones, & errores. Lege Ioannem Stephanum Durantum [a].

Videtur primum hoc membrum hypotheticum, non de perseuerantia in futurum, quasi nũc manet in Deo per gratiam, non possit non manere, gratiámque perdere: sed sensus est, quamdiu retinet gratiam, non peccare. Cui similis propositio, quòd [b] *Arbor bona non potest malos fructus facere, nec bonos mala*: & illa versu nono huius capitis: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* item capite quinto [c], & in Euangelio [d]: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Et, *Qui* [e] *manducat hunc panem, viuet in æternum.* Item [f]: *Charitas nunquam excidit*; rursus [g]: *Nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei.* iterum [h]: *Aqua multæ non poterunt extinguere charitatem.* Interpretes non tantùm sic exponunt istas sententias, in sensu nimirum, vt aiunt, composito, neque consistere posse iustitiam veram cum peccato mortali, quod iustitiæ repugnat, licet possit cum leui, ac veniali per quod nullus nominatur filius Diaboli, quem filium Ioannes distinguit à filio Dei: Sed mens est eadem Origenis [i] fusè tractantis etiam quod hinc occurrit hoc capire, & Augustini variis locis [k], Gregorij [l], Hieronymi [m], B. Thomæ [n]. Verum est, Augustinum alicubi [o] velle significari, nec venialiter peccare qui manet in Deo, & filius eius est, quatenus nempe talis est, & operatur ex iustitia, siue charitate, quam habet, etiam si possit, prout ratione corruptionis carnis est adhuc filius non quidem Diaboli, sed huius seculi. Negari id non potest, Nihilominus facilior sensus est de peccato mortali, sicut & communior. Vera item Bernardi [p] doctrina, *Prædestinatos non posse peccare*, non quòd non quandoque peccent, etiam mortaliter aliqui, sed quòd perinde sit, ac si non peccarent, quia remittenda sunt eis peccata, & ipsamet cooperantur illis in bonum. At non hoc Ioannes intendebat, qui sicut scribit [q] *natum ex Deo non peccare*, ita, *qui facit iustitiam, ex Deo natum esse*: constátque nõ omnem, qui facit iustitiam, esse prædestinatum; &, vt dixi, statuit differentiam inter filios Diaboli, & Dei, non inter Prædestinatos ac Reprobos. Solet Bernardus vti Scripturæ verbis ad aliquid explicandum quod ipse intendit, licet non intendat is, qui scripsit: qui vocatur sensus accommodationis. Idem sentio de alia expositione, quæ est apud eundem Augustinum [r], dari per gratiam ius impeccabilitatis, quæ erit in æterna vita. Ex Ambrosij Commentario super Esaiam refert Augustinus [s] quædam verba, quibus exponit locum hunc de futuro sæculo, cùm erit mansio perfecta, cõiunctióque in Christo & cum Christo. At scribere se Ioannes professus est initio secundi capitis vt non peccemus, & hic paulò pòst [t] in hoc manifestos ait esse filios Dei, & filios Diaboli, nempe in hac ipsa vita, quòd isti peccent, non illi. Frequentiùs idem Augustinus [u] exponit, eúmque imitatus Bernardus [a], in Christo manentes, siue iustos ex ea parte, qua sunt in illo renati renouatíque, non peccare, sed ex ea parte, qua sunt adhuc vetusti, ac filij huius sæculi. Meliùs adhuc explicatur ab eodem Augustino in cõmentario [y], Ioannem loqui de grauiore, id est mortali peccato, nominatim quidem quod est non diligere fratrem, vt sequentia [z] indicant, sub quo tamen reliqua mortalia comprehenduntur, quæ hîc mox [a] appellantur opera diaboli, opposita operibus bonis ac iustitiæ. Nec aliter intellexit Hieronymus contra Iouinianum [b], & Pelagianos [c]. Manere autem in Christo non importat solam perseuerantiam; sed nec illam per se; verùm quandam coniunctionem sicut membri cum capite, à quo capit influxum; & nonnullam quietem, quemadmodum in domo manere dicitur, qui sedem habet in ea. Lege Canum [d], Cardinalem Bellarminum [e], Pererium [f], aliósque qui disserunt contra illum errorem, semel habitam gratiam amitti nõ posse, vel saltem à Prædestinato.

Et omnis qui peccat, non vidit, nec cognouit eum.] Visionem, & cognitionem non arbitror hic distinguenda, illam, cuius obiectum sit Humanitas Christi, istam, cuius Deitas, vt Glossæ placet Interlineari. Multò minus visio de beatifica intelligitur, vt innuit tamen Lyranus, & qui paulò pòst citabitur Augustinus, & Origenes. Synonyma sunt, cognitionem practicam formatæ fidei significantia. Nam qui Deum, & Christum illo modo considerat, non peccat. Igitur qui peccauit, tunc non considerauit (licet antea considerauerit) cùm se offerret occasio alicuius moralis operis, in quo periclitaretur amicitia Dei, si perperam fieret, si gustasset, & vidisset is, qui sollicitatur ad peccandum, *quàm suauis est Dominus* [g], inquit Beda, nequaquam se, peccando, à videnda eius gloria segregaret: & in quantùm iusti *memoriam abundantiæ suauitatis eius eructant* [h], *& in iustitia eius exultant*, in tantùm se à peccatis abstinẽdo, iustitiæ eius incommutabili, & incomparabili concordare satagunt.

Magna visa quæstio est Augustino [i], & difficillima tum hic, tum alibi, circa præsentem locum, quando respondet, eum qui peccat, non credere, ac neminem, quantùm ad fidem pertinet, peccare, intelligas oportet, eo, quem dixi, modo, de practica, formatáque fide, si sit sermo de illo, qui dicitur nunc in Deo manere. Nam & qui fidem habet informem, contineri potest ab aliquo, saltem mortali, peccato, de quo loquimur, per practicam considerationem de Deo: & certum est, quòd fides per se retrahit potiùs à peccando, nec vllo modo inclinat ad peccatum. Docere præterea videtur idẽ Augustinus, (quod satis innuit Origenes [k], legens, *non tantùm intelligens.*) *Qui vidit Filium*, Deum non vidisse clara visione, qui peccat etiam leuiter, ideirco non esse in hac vita, qui non aliqua huiusmodi committat peccata. Nihilominus non diceret ipse non vitari venialia peccata omnia, nisi ab eo qui videat Deum. Vitauit enim, etiam ipso fatente, B. [l] Virgo, quæ si aliquando Deum vidit, non certè per vitam totam, quod vnius Christi priuilegium est, qui erat comprehensor, & visum nonnullis est, id priuilegium, nec venialiter peccandi ad plures extendere, vt aliàs monui, quos nemo tamen dubitat visionem Dei claram, dum viueret, non habuisse. Ioãnes quidem certè de visione beatifica non loquitur, cùm, vt toties notatum est, discrimen statuat inter iustos & iniustos, Dei filios, atque Diaboli. Itaque Deum, seu Christum non videt, non cognoscit; non attendit, non sibi proponit ob oculos mentis, qui peccat, *non aspicit in auctorem fidei, & consummatorem in certamine* [m], non in exaltatum serpentem mysticum [n] veneno percussus tentationis: *non ad petram, vnde excisus est* [o]. *Nec recogitat iste supereminentem scientiæ charitatem* [p] *Christi pro nobis crucifixi*, quam solam Paulus

habere

a 3. de Ritib. Eccle. Catho. c.53.
Homo in gratia positus an possit eam perdere, quamdiu est in gratia.
b Matth.7.
c vers.18.
d cap.4.13.
e cap.6.59.
f 1.Cor.13.8.
g Rom.8.39.
h Cant.8.7.
i Tract.21.in Ioan.
k 3.cõtra duas ep.Pelag.c.3. 2.de pec. mer. cap.7. de gra. Christi c.21. de perfe. iust. cap.18.
l lib.5.in 5. Reg.c.14.
m 2.cõtra Iouin. & 1. cõtra Pelagian. Refertur cap. si enim. de Pœnit.q.6.
n 2.2.q.24. a.11.ad 1.
o 2.de peccat. mer.cap.21. de gra.Christi. c.21.
p serm.1.de septuag. & 23. in cantica. *Prædestinatos non posse peccare quomodo verum sit*
q Rom.8.
r de peccat. mer.c.7. & 8.
s 4.cont. duas epist.Pelag. c.11.
t vers.10.
u epist.95. 2. de bapt. par. uul.c.8.9.10. 2.cont.Parme. c.7.de perfect. iust.c.vlt.
x de n tu. diuini amoris. c. 6.
y tract.5.
z vers.10.
a vers.8.
b lib.2.
c lib.1.
d 4.de locis. c.vlt.ad 8.
e 4.de iustif. c.15.
f in c.8.ep.ad Rom.disp. 26. num.126.
Visio & cognitio cur quo differant.
g Ps.33.2.Pet.
h Psal.144.
i de perfect. iust. c.18.& 2. cont.2.ep. Pelag.c.11. *Quomodo qui peccat non credat.*
k Tom.21.in Ioan.
l de natura & gratia, c.36. *B.Virgo omnia peccata vitauit.*
m Heb.12.2.
n Num.21. Io. 3.14.
o Esa.51.1.
p Ephes.3.19.

a 1. Cor. 8. 1. b 2. Cor. 5. 14.

habere se scientiam arbitratus se professus est [a], & ab ea se vehementer vigeri [b]. Non reputat præmij magnitudinem sempiterni, nec perpendit sempiternæ pœnæ grauitatem, quam Deus decreuit.

Vers. 7.] **Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam iustus est: sicut & ille iustus est.**

MOnet eos caueant doctores, qui sinceritatem doctrinæ fidei adulterabant, peccandi licentia, tum per verba, tum per facta: quales qui Nicolaitæ dicebantur, & alij. Imitandum iustum Christum, ei qui se profiteatur in eo manere. Gnosticorum est sola contentos esse cognitione, sola speculatiua fide, negligere bonorum exercitium operum, vacare voluptatibus, & cœnosis turpitudinibus, à quibus & Borboritæ, seu Borboriani [c] sunt cognominati. Est enim Βόρβορος cœnum, ac lutum (Gallice *bourbier*.)

c Prateol. in elencho ex [...] auctoribus verbo Borb[oria]ni & Gnostici. d vers. 1.

Filiol.] Lege cap. 2. [d] Magis vox, Ioannis charitatis denotat suauitatem, quàm eorum, quos alloquitur in charitate, imperfectionem, vel ætatem minorem, vt Hugoni tamen videtur.

e vers. 26. f Rom. 16. 18. 1. Cor. 15. 33. Eph. 5. 6. Col. 2. 18. 2. Thess. 2. 3.

Nemo vos seducat.] De his seductoribus meminerat iam capite secundo [e], quò te remitto. Idem Pauli monitum [f]. Seductio multis contingit modis: ea nunc intelligitur, quæ fit sermone, atque exemplo.

Ex operibus cognoscitur homo iustus. g Matt. 7. 17.

Qui facit iustitiam, iustus est.] Ex operibus cognoscitur homo iustus, sicut ex functionibus vitæ vita, & viuens arbor ex fructibus. Quare quemadmodum non ideo *arbor bona, quia fructus facit bonos* [g], non propterea viuit quis, quoniam mouetur, ita causa formalis, ob quam sumus iusti, non sunt opera. Nihil habent hinc igitur, qui licet concedant quod verum est, in nobis esse veram iustitiam inhærentem, simul volũt per opera nos formaliter iustificari, atque secundum habitudinem ad illa per contraria peccata non retractata iustos verè denominari. Vnicam Concilium Tridentinum [h] iustificationis formalẽ agnoscit causam, illam videlicet, quæ reperitur etiam in pueris: & cuius in adultis dispositiones asserit esse bona opera, secundùm quorum mensuram ipsa, nempe iustitia, siue gratia, vel charitas infundatur, & sit diuersa ab actibus fidei, spei, & dilectionis. Qua de re ex eiusdẽ Concilij auctoritate Catechismus quoque Romanus [i]. Augustinus accedat, qui simul explanare præsentem locum videtur, dum tractat versiculum psalmi CXVIII. *feci iudicium, & iustitiam* [k], ita scribit: *Iustitiæ nomine hoc loco non ipsa virtus*, sed opus eius significatum est. *Quis enim fecit in homine iustitiam, nisi qui iustificat impium, hoc est, per gratiam ex impio facit iustum?* Facit ergo iustitiam, id est, opus iustitiæ, qui habet in se iustitiam, id est opus gratiæ, videlicet virtutem infusam. Loquitur autem de operibus absolutè iustis, & gratis, ac meritoriis, quę a subiecto iusto proficiscuntur, & grato per dictam iustitiam, quam docet in homine, Deum facere, vocátque magnam virtutem, & præcipuè laudabilem, & quæ nos faciat filios Dei. Hanc, vt primùm datur, præcedunt opera minùs perfecta per modum dispositionum: ex eâdem opera perfecta procedunt, quibus augetur ipsa meritoriè.

h sess. 6. c. 7. & can. 3.

Iustificationis causa formalis quæ sit.

i Tract. de Baptismo.

k concio. 26. in Psal. 18. vers. 121.

Nec valet dicere, per actum amoris vel contritionis remitti peccata, quia retractantur per illum: per habitum, qui simul datur, nos renouari. nam renouationis denominatio, si semel admittimus denominationis modum, peti posset ab actu præterito bono, deinde in adulto talis actus non haberet illum effectum remissionis ratione peccati originalis, quia non est actuale. Denique vel absque infusione doni habitualis posset quis mereri vel non. Secundum non videtur admittendum, quoniam tunc non est persona indigna, & iuuari potest auxilio gratiæ, & denominatio relicta ex actu facit, vt dicantur iusta, & idcirco grata, & digna. Si primum dicitur, non ergo habitus tribuit simpliciter renouationem, sed quandam dumtaxat, vt ita dicam, principij interni connaturalitatem, ob inhærentiam gratiæ dignificantis, & ob actiuitatem habituũ actiuorum, si velimus omnes, etiam charitatem à gratia distinguere.

Sed satis pro instituto: & hæc quidem accipiẽda de homine secundum præsentem statum post Adæ lapsum, atque de ordinaria, vt vocant, Dei potentia, plura in disputatione de Iustificatione, vel de Pœnitentia.

Thomas Anglicus obiicit, quod antè nos attigimus, iustitiam facere, qui iustus est, non verò formaliter iustum esse, qui iustitiam facit. Respõdet in via essendi primum sequi, secundum in via cognoscendi, id est, iustum ostendi ex operibus. Præterea hic non esse sermonem de iustitiæ infusione, sed de exercitatione in iustitia. Vnde qui hoc modo facit iustitiam, magis fieri iustum: sicut Abrahã dictus est iustificari ex operibus [l], quod negare nihilominus de eo videtur Paulus [m]. Retuli tanti viri expositionem ipsis ferè illius verbis, quia vnus ex Interpretibus nodum hunc euoluit planè. Catharinus enim obscuriùs indicat. Caietanus præterit, qui, si Thomas ille esset Aquinas ipsius iudicio, quem dixit Anglicum, & hic, & aliis locis istius, atque ceterarum epistolarum, absque dubio eius, vt solet, interpretationibus vsus esset. Multis modis tractat hunc locum recentior auctor Estius. Verùm quæ dixi, videntur magis expedita & facilia: nec deest in illis alia difficultas, in qua morari non libet.

l Iacob. 2. 21. m Rom. 4. 2.

Quomodo sicut Christus iusti simus.

Sicut & ille iustus est.] Imitatione, ac similitudine, non æqualitate iusti sumus, sicut Christus. Trita verò, & aliàs à nobis animaduersa phrasis, vt quod ei similes vidẽdo futuri essemus, *& sancti sicut ipse sanctus est* [n], *cùm non sit similis illi etiam in diis* [o], id est, perfectissimis viris: *nec sanctus, vt est Dominus Deus noster* [p]. Lege Augustinum.

n Leuit. 11. 44. 1. Pet. 1. 16. o Psalm. 85. 8. p 1. Reg. 2. 2.

Vers. 8.] **Qui facit peccatũ, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli.**

Antithesis inter iustos, & peccatores.

ANtithesis ponitur inter Deo siue Christo iusto similes iustos, & peccatores Diabolo similes, qui peccator est, & cuius Christus Deus Dei filius, vt dissoluat opera, quæ sunt peccata, homo fieri voluit. Iusti sunt filij Dei, non substantia, sed moribus, & imitatione, & participatione quadam accidentali: eodem modo secundum proportionem filij Diaboli censentur peccatores.

Filij per similitudinem qui nominentur. q Ezech. 16. 3. r ibidem. s Dan. 13. 56. t Ioan. 8. 44.

Frequens, ac vsitata phrasis, vt cum etiam Iudæi *patrem dicuntur Amorrhæum, Cethæam habere matrem* [q], *sororem Sodomam* [r] *esse semen Chanaan* [s], immò *ex patre Diabolo* [t]: & cùm obiicitur eis, vt *si sint Abrahæ filij* (cuius erant teneri secundum

carnem:) *opera eius faciant* [a], & cùm ad inimicis benefaciendū prouocamus, *vt simus filij Patris nostri* [b] *Dei, ac tanquam filij lucis ambulare iubemur* [c] *in bonitate, & iustitia, & veritate.* Christus ipse ὁμοούσιος Patri filius hoc argumento vulgari vtitur. *Filius non potest a se facere quicquam, nisi viderit Patrem facientem* [d]: *& si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi* [e]. Itaque ex Diabolo esse, illum imitari est, illum sequi, illum audire: quemadmodum *ex Deo dicitur, qui verba Dei audit* [f], *& propterea quempiam non audire, quia ex Deo non sit.* Paulus Elyman vocauit *filium Diaboli* [g] *quia inimicus erat omnis iustitiæ.* Manichæi, pluréſque alij heretici hominem ipsum, non res dumtaxat corporeas alias, à Diabolo, siue à malo Deo conditas arbitrabātur, hoc, & similibus locis abutēdo. Augustinus crebrò [h], & Epiphanius [i] refellunt, & respondent, omnéſque Interpretes Euangelij Ioannis [k], & præsentis loci. Sed Epiphanius intellexit dictos in Euāgelio [l] Iudæos filios Diaboli, hoc est Iudæ proditoris, quem nominauit Christus Diabolum, & Auctor [m] Quæstionum vtriusque Testamenti, atque Anastasius [n] Sinaita, & Macarius [o], Cain. Mirum, cur non aliquis Petri dixerit, qui pariter à Christo vocatus est Satanas [p]. Confutandus eadem ratione crassissimus error Illyrici de originali peccato, esse substantiam malam à Dæmone factam, ipsiúsque viuam, & essentialem imaginem.

Trahi contra nostri temporis hæreticos hinc argumentum potest, Deum auctorem non esse peccati: nam si sic esset, qui peccatum facit, Dei, non Diaboli, esset filius; Verū quodlibet omnino peccatum, quod à singulis nostrûm committitur, auctore, vel instigatore, vel promotore fiat Diabolo, quæri nunc possit. Ad commentarios nostros in Actus Apostolicos [q] studiosum lectorem reiicio, semel dicta certus non repetere. Ibi docui multa peccari sine Diabolo; tamen omnia iure transferri in Diabolum propter Adæ peccatum, quod in nos deriuatur, & inde peccata omnia. Didymus in Commentario fauet contrariæ sententiæ, sic exponens verba quæ sequuntur: *Ab initio Diabolus peccat: Primas, ait, immisit suggestiones peccatorum.* Id ex eo mutuatus Oecumenius videtur, eodem loco expositæ sunt voces Diaboli, & Satanæ, Accusatoris, & Aduersarij, qui quos gignit filios, perdit, & instar Saturni deuorat, Deorum patris. Filios diaboli Iudæos vocauit Christus [r], vel quòd ab eo impietatē didicissent, *quæ vidissent apud illum patrem suum facientes*; qui operabatur in *eis tanquam in filiis diffidentiæ* [s]: vel quia eum imitarentur, *cuius inuidia mors introierat in orbem terrarum* [t]. Est etiam impiorum omnium pater, *princeps mundi* [u], *rector tenebrarum harum* [x], & qui resistunt veritati, *captiui tenentur à diabolo ad ipsius voluntatem* [y]: *& auari seruiunt mammonæ* [z]: & possidet diabolus genus humanum. quemadmodum *fortis quispiam armatus castrum* [a]. Lege Augustinum [b] Monet Didymus, aptè hîc dici, *qui facit peccatum*, non qui fecit, quia quem pœnitet, non ampliùs ex diabolo est. Oecumenius hoc ipsum repetit.

Quoniam ab initio diabolus peccat.] Sicut Deus Iustus, ita diabolus iniustus, & peccator: & quemadmodum iustus Deus iustos facit filios, ita diabolus iniustos. Huic autem vacat generatio longo ab hinc tempore. Primus peccauit, Adamum impulit ad peccandum. Obstinatus in peccato persistit, quoscumque potest, inducit ad peccandum: primatum obtinet inter operatores, & veluti princeps peccatorest. Innuit Didymus id sibi velle, τὸ ἀπ' ἀρχῆς ἁμαρτάνει. Sed hoc nimis coactum, nec sum certus an grauitate, an solum prioritate omnium sit Lucifer ipse maximus censendus peccator. Confutat autem optimè illos, qui peccantes dicebant naturaliter malos esse ex diabolo, & substantiale quid esse malū. *Nō intelligunt hunc locum*, ait Augustinus [c], *qui inde volunt asserere peccati naturam, cùm naturale nullum sit omnino peccatum: & Scriptura casum diaboli discrete tradant ex eo statu in quo priùs erat sine peccato* [d], *& cùm Christus illum dicat in veritate non stetisse* [e], *in veritate sequitur aliquando fuisse, sed non permansisse.* nec non idem insinuat Christus dicens: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* [f].

Ab initio igitur diabolus peccat, non ab initio, inquit, *ex quo creatus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cœperit esse peccatum.* Eadem sunt apud Cyrillum [g], vel potius instauratorem ipsius Clictoueum. Origenes [h] quoque legendus. Adde, cùm Ioannes loquatur de violatione caritatis fraternæ, diabolum hoc pacto constitui omnium peccatorum caput, contra caritatem, quia homini suasit contemptum Dei, ex quo contemptu oritur violatio caritatis fraternæ, omnéque peccatum. Placet Augustini Scholiastis Viuis monitio [i], non ad anxias illas modularum inquisitiones hæc esse verba reuocanda: quia non impediat vnum, aut alterum momentum, quo minus ab initio aliquid aliquem dicamus fecisse, vt quod à mundi principio fuerit inuidia fratrum. Immò sic loquitur Christus, cùm pronuntiat diabolum ab initio homicidam fuisse [k], siue homicidia cuncta sitiendo & procurando, siue primos parentes, & humanum genus vniuersum peccati persuasione secundum animam interficiendo propter gratiæ iacturam [l], & secundum corpus, quod obnoxium morti factum est: siue Cain in fratris cædem armando [m]: siue animo, & voluntate Christū ipsum occidendo, quia inuidit Incarnationem [n]. Simili sensu dicitur apud Matthæum [o], & Marcum quòd ab initio creaturæ masculum & fœminam fecit eos Deus. Scholasticis excutiendum relinquamus, potuerit ne Angelus (quem pro certo puto debet in peccato creatum non esse) in eo momento peccare, in quo conditus est. Qui negant, verentur ne Deo ipsi crimen id imputandum foret. Ratio forsitan haud adeo necessaria: & si merito locus fuit, vt plurimi sentiunt, cur demerito non potuit esse? Augustinus [t] quidē docet, eum, qui diceret Angelos peccasse in primo instanti, non ideo sentire cum Manichæis, qui nempe dicebant auctorem peccati Deum, ac si essent natura mali. Sed nihil nunc definio: id feci cùm tractatem Scholastica.

Innuunt quoque aliud hæc verba, *diabolus ab initio peccat*, quemadmodum vt multis videtur illa Psalmi [s]: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* diabolum, ac omnes damnatos, quorum eadem hac in re ratio, quia vt primùm peccauit diabolus, damnatus est, semper in peccato perseuerate, vt ait Beda, Carthusianus, Lyranus, Hugo, ita vt considerantes acerbitatem pœnæ suæ, aliáque similia, nunquam vacent ab actu peccandi, & nullum moraliter bonum actum, & virtutis elicere possint, nec mala vnquam carere voluntate, sicut neque pœna, vt loquitur Fulgentius [t]. Videtur autē peccata diaboli omnia mortalia, ob circūstantiā finis, vt insinuat Aquinas [u]:

Marginal notes (left): a ibidem 39. — b Matth. 5. 45. — c Eph. 5. 9. — d Ioan. 5. 19. — e infra 10. 37. — f Ioan. 8. 47. — g Act. 13. 10. — h in tract. Ioānnis & variis libris contra Manich. & cont. Adamāt. c. 4. ité 1. lib. de retract. c. 22. — *Filij diaboli quomodo Iudæi dicti sint.* — i hæresi 38. & 40. — k in cap. 8. — l Ioan. 6. 71 — m quæst. 90. & 98. apud Aug. Tom. 8. — n lib. 8. Anag. contemplat. in Hexameron. — o hom. 5. — p Matth. 16. 23. — *Deus peccati auctor non est.* — q in cap. 5. 3. — r Ioan. 8. 44. — s Ephes. 2. 2. — t Sap. 2. 24. — u Ioan. 12. 31. c. 14. 30. c. 16. 11. — x Eph. 6. 12. — y 2 Tim. 2. 26. — z Matt. 6. 24. — a Luc. 11. 21. — b hoc tract. 4. & 1. de nup. & concup. c. 23. — *Deus iustus, diabolus iniustus & peccator.*

Marginal notes (right): c 11. de ciuit. cap. 15. — d Esa. 14. 12. Ezech. 28. & seq. — e Ioan. 8. 44. — f Luc. 10. 18. — g lib. 6. in Io. cap. — h tom. 11. in Ioan. — i in Aug. citatum locum. — k Ioan. 8. 44. Homicida quomodo diabolus ab initio. — l Aug. & Beda in I. Hieronym. vel Philip. presb. in c. 14. Iob — m hoc, & proximè priore loco Euthy. Theophyl. Heracleotan. — n Rup. ibid. — o c. 10. 6. — p c. 10. 6. — [illegible] — t 11. de Ciuit. ca. 13. — *Diabolus & omnes damnati in peccato semper perseuerant.* — s Psal. 73. 23. — t de Fide ad Petrum, cap. ... est etiam inter opera Aug. tom. 3. — u 1. 2. q. 89. a. 4. in corp. & ad 3.

qua

qua in te damnatorum quoque hominum ratio eadem est. Huius rei causa, non est habitus pessimus illis in pœnam a Deo infusus, quo ad malum necessariò inclinentur, & ad odium Dei, quod Aureolus teste Marsilio [a], & Maior [b] (qui probabilem opinionem putat) sensit, multò minùs, quòd ipsemet Deus producat solus odium sui ipsius: quæ sententia Gabrielis [c] est, & Ochami [d]. Vtrumque absurditatem continet, & quodammodò facit auctorem peccati Deum: licet non omnino, quia non relinquit in creatura rationali libertatem: & aduersatur illis verbis Ioannis, quibus innuitur diabolum peccare vsque ad hanc diem: non enim peccat quis in eo, quod necessariò facit, & vitare non valet. Denique nō potest voluntas necessitatem pati, quæ impediat libertatem per aliud, quàm vel per visionem beatificam ad diligendum Deum, & ad non peccandum: vel per vnionem hypostaticam ad non peccandum, vel per perturbationem sensuum, & impeditum vsum rationis. Peccāt semper in multis damnati libera praua voluntate. bonum operari non queunt, quia negat iis generalem concursum Deus ad huiusmodi opera, vt & specialem gratiam ad pœnitentiam.

Postremò notatu dignum, quòd quamuis magis humanæ nostræ naturæ sit accommodatum hominis Adami peccatoris exemplum, qui hoc pacto dici potest ab initio peccans, quia peccatum quod transiit, ac etiam deletum est, prauo tamen adhuc nocet exemplo: nihilominus diabolus potiùs esse dicitur, quem peccatores imitantur, quam Adam, per quem peccatum intrauit [e]. nam si solùm intrasset peccatum imitatione, non origine, & propagatione, vt docebant Pelagiani, ô debuisset, vt inquit Augustinus [f] dicere Apostolus, per hominem [g], sed potius intrauisse peccatum per diabolum, qui ab initio peccat, & imitantur illum, qui sunt ex parte illius [h].

In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.] Causam Incarnationis assignat *In hoc*, idē est, quod propter hoc *εἰς τοῦτο in hoc, aut ad hoc, in eum finem*: non solam tamen, & fortasse non omnino primariam, sicut antè dixi [i]. Solatur peccantes propter remedium: deterret propter peccantium cum diabolo consortium, quodque aduentus Filij Dei tam vrgens causa fuerint peccata.

Vt dissoluat opera diaboli.] Euthymius [k] citans Athanasium, ideo hoc fieri potuisse à Christo docet, quia dixit [l] principem mundi huius in se non habuisse quidquam, id est, nullum repetisse peccatum. Hoc est quod v. 5. dicebatur: *ille apparuit, vt peccata nostra tolleret.*

Opera diaboli. *Sunt colligationes impietatis* [m], & *funes peccatorum* [n], siue *funiculi* [o], ac *fasciculi* [p] atque *catena* [q], & *vincula* [r], & nodi, & iugum, quibus vnà Dæmon ipse, creaturæ appetibiles, errores, idololatria, concupiscentia, mors, infernus fœdere quodam constricta sunt. Dissoluit Christus, quod in se est, & coniunctas vires aduersarij dissipauit, ita vt supersit tamen certaminis nobis, ac pugnæ locus, & liberi arbitrij sauciati, & roborati cooperatio, vt Prosper docet [t]. Venit Christus in plenitudine temporis [u], & quando mundi videbantur impletæ iniquitates, atque maximè vigere opera Diaboli, ac tyrannis, & nosmet remedij necessitatem meliùs agnituri, & maximè tum humilitate, tum gratitudine Lege S. Thomam [x], Augustinum [y], Irenæum [z], Theodoretū [a], Chrysostomum [b] præter alios. Non habet amplius diabolus imperium seu potestatem mortis, sed eum Christus per mortem destruxit [c].

Dissoluat.] Augustinus, & Prosper, *soluat*, *λύσῃ*, Rei difficultatem importat hoc verbū, & quandam ceu impotentiam operandi, qualem ligati patiuntur. Idcirco soluendi potestatem Petro & Apostolis dedit Christus, & sacramenti pœnitentiæ forma perficitur verbo absoluendi, & huius rei Symbolum quoddam fuit, cùm Lazarum solui voluit Christus ab Apostolis [d]: & vim spiritualis absolutionis innuit quod dicitur de corporali [e]: *Dominus soluit compeditos*, vbi est Hebræū נתר *nathar*.

Abulensis [f] offenditur immeritò verbo isto, quasi non sint peccata vera quædam vincula. Sunt enim, sicut antè docui, ac Esaiæ testantur verba [g]: *solue vincula colli tui captiua filia Sion.* Ligatur quidem homo ad pœnam, ad quam dicitur obligatus, ac peccata sunt, quæ sic ligant, stringunt, detinent, & prætereà, quod modò quoque dicebam, impediunt à benefaciendo, seu merendo. Falsum etiam est, quod Auctor idem videtur sentire, nihil aliud esse peccatum post actū, quàm reatum, seu obligationem ad pœnam. Remanet enim macula, cuius effectus est reatus. *Quodcumque solueris super terram*, dixit Petro Christus [h], &c. Tamen nullo verbo aptius exprimitur iudicialis actus, quem Sacerdos exercet circa pœnitentem & reum, plenam ei libertatem largiendo, secundum receptum loquendi vsum. Remittere, quo Christus etiam vsus est verbo, quando paralytico [i] remisit peccata & cùm Magdalenæ [k], & quando cunctis tradidit Apostolis potestatem peccata remittēdi [l]: latiùs patet. Creditor enim, & quiuis offensus debitum, vel iniuriā remittere dicitur. Cùm autē opera diaboli quæ Dei Filius vt dissolueret, apparuit, dixerimus esse peccata, sequitur propriè mortem minime censendā opus diaboli, sed tantùm pœnam consecutam ex peccato, quod persuasit diabolus. Quare mortē Deus per se non fecit [m], eiusdem tamen auctor dici potest, quia vt pœnam, irrogat illam. quam pœnam peccatis nostris debitam Christus voluit subire, in quo non potest locū habere opus diaboli propriè sumptum. *Venit enim*, ait ipse [n], *princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*; mortem verò moriendo destruxit, destructáque est ab illo inimica mors [o], simul cum peccato, per quod fuit mors [p]. Inferunt porrò quidam hinc non satis aptè, signa quibus vtuntur malefici ad nocēdum, dissoluenda à nobis esse. De peccatis agitur tantùm, vt dixi. Possunt nihilominus dissolui, ac destrui signa illa, quoniam ex diaboli pacto adhibētur, vt hoc ipsum pactum execremur; at non in eum finem, vt à nocendo diabolus cesset; id enim esset illius pactu sese immiscere, quod nefas est.

Vers. 9.] **Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.**

SEntentia ipsa superiùs exposita est versu sexto: supersunt quædam tamen adhuc annotanda Augustinus, & Beda, quod ibi dicebamus, de peccato mortali quocumque, restringunt ad id, quo propriè violatur fraterna charitas, de qua paulo pòst sequenti versu. Malim ego in exemplum produci peccatum id, vt magis notū, pro

a 2. q. 5. ar. 3.
b 2. dist. 7. q. 1.
c 2. dist. 7. q. 3.
d 2. dist. 19. & Quodlib. 1. q. 15.
Non peccant quia non quod vitare non possunt.
e Rom. 5. 12.
f 1. de peccat. mer. c. 9.
g Rom. 5. 12.
h sup. v. 8.
i vt Act. 7. 29. quod ibi notaui, & alios sæpe, vt notat Emmanuel in Lexico...
k Panop. p. 1. tit. 11. pag. 156
l Ioan. 14. 30
m Isa. 58. 6.
n Psal. 118. 61. Prou. 5. 22.
o Isa. 5. 18
p Isa. 58. 6.
q Thr. 3. 7.
r Isa. 52.
s Eccl. 40. 1.
t *Quomodo Christus opera Diaboli dissoluerit.* De vocat. Gen. cap. 8.
u Gal. 4. 4.
x 3. Part. q. 1. a. 1. & 6.
y ep. 49. q. 2. tract. 31 in Io. lib. 83. q. 18
z lib. 4. c. 75.
a de curat. affect. Græcorum.
b hom. 17. in ep. ad Ro. hom. 4. in epist. ad Coloss. & 9. ad populum.
c Hebr. 2. 14.
d Ioan. 11. 44.
e Psal. 145. 7.
f 1. p. defensorij c. 5. & 6. *Peccata sunt quædam vincula.*
g cap. 52. 2.
h Matt. 16. 19.
i Matt. 9. 2.
k Luc. 7. 47. 48.
l Ioan. 20. 23.
m Sap. 1. 13.
n Ioan. 14. 30.
o 1. Cor. 15. 26.
p Rom. 5. 12.

pter magis inculcatum contrarium de diligendo proximo præceptum. Alioqui constat, eum qui quoduis mortale committat peccatum, charitatis certam iacturam facere. De infidelitatis peccato sentit Hugo. Sed latius est de omni mortali.

Tertullianus eo libro, quem iam Ecclesiæ transfuga, hostisque scripsit de pudicitia, cuius etiam fertur amore lapsus in hæresim, Montani tuetur errorem de non recipiendis pœnitentibus, saltem mœchis, & fornicatoribus. Is in capite decimonono testimonia dissoluit quæ Catholici petebat ex hac epistola, docétque iis qui desierint in lumine incedere, & filij Dei esse per talia peccata, quæ censentur etiam ad mortem, & pro quibus negat orandum Ioannes, non amplius promitti emundationem per sanguinem Christi, sed quotidianæ delictis incursionis, quibus omnes sumus obiecti: sicque Ioannem conciliari, cùm delinquere filios Dei nunc adnuit, nunc abnuit.

Hæc apertissima hæresis plurimis confutatur argumentis. Ioannis nostri sufficit auctoritas, qui capite primo disertè tradidit, *sanguine Iesu Christi nos emundari ab omni peccato, ab eodem remitti peccata, & emundari nos ab omni iniquitate.* Nec explicatio, ac euasio Tertulliani vllo modo cohæret. Præstaret sanè labi in atrocia illa crimina natos ex Deo, quod de baptizatis affirmabant alij. Tertullianus verò, vt ei quidam impingunt, id non sentit, qui tamen est non minùs perniciosus error.

Nec Origenem [a] quoque probare penitus possum, cùm quocomque quis modo peccet, filium nominat diaboli, & in Deo negat manere, vel esse filium Dei, hoc argumento, quòd nihil intersit inter committere peccatum, & non committere: & si in Deo manet, ac filius Dei censetur qui non committit, diaboli filium esse qui committat. Nam in Deo mansioni, & filiationi diuinæ non omne peccatum repugnat, sed graue dumtaxat, & mortale. Concedi tamen potest, quoniam leue peccatum, ex originali nascitur, & Dei non congruit voluntati, hoc pacto, quatenus quis peccat venialiter, dici posse filium Diaboli, quemadmodum seculi filium vocare solet Augustinus: & sic non manere in Deo, sed aliqua ratione deflectere.

Illud præterea displicet in Origene, quòd statuere differentiam videtur inter has propositiones: *qui facit iustitiam, iustus est:* & *qui facit iustitiã, ex Deo est.* Quamuis enim qui ex diabolo est, siue peccator, atque infidelis, etiam possit iusta, id est, bona opera facere: non tamen iustitiã eo sensu, quo hic accipitur pro iustificante, illam per meritoria opera, & Deo grata adaugendo, sicut antea declarauimus.

Postremò, non admodum solida notarim vidi tur Origenis [b], de filiis diaboli dictum esse quòd sint ex eo, de filiis Dei, quòd geniti, siue nati. Nam extrema fere epistola, *scimus*, ait Ioannes, *quoniam ex Deo sumus.* & Christus in eiusdem Euãgelio [c]: *qui ex Deo est, verba Dei audit.* Minùs per se est esse ex Deo, quàm natum, propriè loquendo, tamen ex adiũctis intelligitur hoc loco idem esse: siquidem qui ex diabolo dicuntur esse, vocantur quoque filij eius sicut & qui ex Deo nati.

Idem iudicium facio de Didymo, & Oecumenio, qui obseruant dixisse Ioannem, *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit:* non autem *nõ peccat:* ne infantes etiam comprehenderet, quibus per ætatem inest, vt non peccent: etenim nõ peccare, negationem absolutam significare: non facere peccatum, non inesse ex dispositione, & affectione: quod de infantibus, nimirum non baptizatis affirmari nequit. Arbitror facere peccatũ, & peccare, prorsus idem esse: alioqui nõ scripsisset superiùs Ioannes [d]: *omnis qui in eo manet, nõ peccat: & omnis, qui peccat non vidit eum, nec cognouit eũ.*

Est præterea in adulto, etiam iusto dispositio, & affectio ad peccandum, non quidem ex peccato habitualiter manente, aut ex vitiatali mala voluntate, sed ex fomite, vel simul ex habitibus malis prioribus acquisitis, qui remanent. Non facit iustus tamen peccatum, & nõ peccat, iuxta illum sensum, qui pridem datus est, & paulò pòst innuetur, nempe, quoniam ex ea parte qua renouatus est, non potest [e]: non debet, nec licet ei [f]: non vult [g], quemadmodum Ioseph negabat vxori domini se posse illi consentire [h]: non potest, si de prædestinato agatur, ad finem vsque vitæ mortali aliquo peccato peccare.

Praua Caluini & aliorum hæreticorum interpretatio, eum qui fidem habeat, quam solam requirunt ad iustificationem, non posse ita peccare, quin illud semen in eo maneat, quo regeneratus ac iustificatus est, nimirum fides, quam semel habitam negant amitti posse. Error hic olim in Iouiniano notatus est, dubitarique nequit, quin possit quis à gratia excidere, atque quin præter donum iustificationis, gratia perseuerantiæ nonnullis concedatur, non auté omnibus quamuis reuera iustis.

Quoniam semen ipsius in eo manet.] Semen Oecumenio est Christus, in iusto, ac filio maneos adoptiuo Dei. Sic pronomen *ipsius* Deum Patrem indicabit. Valde impropriè Filius Dei semen Dei dicitur, quia relationem importat semen ad generationẽ alterius ex ipso: non generatur autem a Filio Dei alius, sed spiratur Spiritus sanctus. Nihilominus aliquando semen accipitur pro Filio. Vocatur Christus, vt homo semen Abrahæ [i], sed hac ratione non est semen Dei peculiari modo, nisi fortè propter peculiarem promissionem, vt in eo benedicantur omnes gentes [k]. Idem Oecumenius post Didymum, quem mihi videtur exscribere, interpretatur Spiritum, siue gratiam in Baptismo acceptam. Extendi potest, ac debet ad eam, quæ cõfertur per pœnitentiam, & in alia iustificatione. Sic vniuersè de gratia loquuntur Lyranus, Thomas Anglicus, Hugo, Caietanus, Catharinus, & alij. Gratia, & charitas semẽ est aliarum virtutum, & donorum, quæ veluti pullulãt ex ea: semen meritorum, quæ vel eliciuntur à charitate, vel imperantur: semen gloriæ tãquam fructus vltimi, & cuius quantitas, charitatis respondet quantitati. Vocat Apostolus *fructum Spiritus* [l], & *fructum lucis*.

Colligimus hinc minus proposito, & verbis proximè ante ista declaratis cõuenire quod Ambrosius [m] docuit, nec non sequentibus: *& nõ potest peccare, quoniam ex Deo natus est*, loqui Ioannem de regeneratione, statúque futuræ gloriæ, vbi nemo peccare potest. nam ratio quare non possit natus ex Deo peccare, redditur semen, id est, gratia præsentis status, & est sermo de differentia Dei & diaboli filiorum in hac vita. Ex semine, vt dixi, fructus oritur, & ex gratia, & charitate gloria. *Nunc vita illa nostra abscondita est* [n], sicut in semine fructus: ipsummet semen latet, ac paruum est: nati sumus, spiritualiter renati comparatione ad

gene

Marginal notes:
Tertulliani error contra id quod dicitur ... esse
Eius erroris confutatio.
Alter Origenis error.
a Tom. 21. in Ioan.
b 1. ep. 5. 19.
c cap 8. 47.
Latere peccatum, & per eum fieri idem.
d vers. 6.
e Aug. hoc loco.
f idem de natu. & grat. c. 14.
g Oecum. hoc loco.
h Gen. 39. 9. Semen hoc loco quid sit.
i Gal. 3. 29.
k Gen. 22. c. 18. c. 26.
Semen virtutum est caritas.
l Gal. 5. 22. Ephes. 5. 9.
m apud Aug. li. 4. ... duas ep. Pelag. c. 11.
n Coloss. 3. 3.

generationem carnalem, nondum renati regeneratione gloriæ, quæ bifariam distinguitur, tum animæ, tum corporis. *Diuinæ sumus consortes naturæ* [a], & est in nobis Dei natura, si filij sumus, si grati Deo: Ioannes tamen maluit dicere, *quoniam semen ipsius in eo manet*, quàm *natura*, vt intelligamus, gratiam, dum viuimus, communicari ad acquirendam vitam illam, & naturam beatam, non vt ipsa viuamus vita otiosi quodam modo, quod est beatorum: vt terra voluntatis nostræ, cæterarúmque virium collaboret, atque cooperetur seminis efficaciæ. Lege Hieronymum [b], & Basilium [c], de loci præsentis intelligentia.

a 1. Pet. 1. 4.
b 2. cont. Pel.
c in regu. moral. regu. 22.

B. Thomas [d], vt probet Angelos in gratia creatos, vtitur ratione ducta ex rebus naturalibus, quibus Deus in prima creatione seminales rationes indidit effectuum propriorum, vt Augustinus docuit [e]: gratiam verò hoc modo comparari ad beatitudinem, sicut rationem seminalem in natura ad effectum naturalem, iuxta id, quod hoc loco, quem citat, habetur. Ex hoc ipso nomine seminis, vt ex verbo manendi, colligitur, gratiam, & iustitiam esse quid inhærens, permanens, habituale.

d 1. p. q. 62. a. 3. *Angeli creati sunt in gratia.*
e 5. Genes. ad lit. c. 24. lib. 8. cap. 4.
Gratia est quid permanens.

Tertiò, semen alij verbum Dei volunt hîc intelligi, vt Clemens Alexãdrinus, Augustinus, Beda, Glossa interlinearis, iterum Thomas Anglicus, & Hugo. *Voluntariè namque nos genuisse Iacobus* [f] *Deum dicit verbo veritatis*: & Christus [g] *semen esse verbum Dei*, vnde σπερμολόγος & disserere. Non peccat, nec potest peccare, in quo manet verbum Dei benè conceptum, atque practicè consideratum, cordi infixum, ac, vt ita dicam, incorporatũ. Donec germinet semen, nescis, an sit mandatum terræ, vel quale: sine operibus sepulta iacet, ac incognita fides, & verbum Dei: hoc idem verbum litteraliter sumptum nihil prodest, atque sine sensu, sicut semen aut non molitum, aut non seminatum: monstrum, vel miraculum esset, fructificare semen absque agricultura: eget verbũ Dei prædicatore, doctore, patre, qui per hoc semen, & Euãgelij prædicationem *filios gignat in Christo* [h], cuius est semen, nõ dispergentis, aut recipientis. *Semen dum crescit, magnum quidem è modico redditur*, ait Basilius [i], idem tamen est quod antea, non immutatum genere, sed perfectum ex incremento: ad eundem modum contingit in diuina doctrina, quæ à nobis exculta veluti crescit. Postremò semen cum fructu producit semen: sic bonus auditor verbi, vel iustus continet vim alios in Christo gignendi, saltem impetratione, & exemplo.

Verbum Dei est semen hoc loco.
f cap. 1. 18.
g Luc. 8. 11.
h 1. Cor. 4. 15.
i epist. 79.
Semen cum fructu producit semen.

Sed varias verbi cum semine tropologicas cõparationes vberiùs alibi sum prosecutus [k]: hoc illud est semen, de quo Petrus [l]: *Renati non ex semine corruptibili* (licet secundum spirituale quandam analogiam corrumpi, & mori debeat, quamuis *sermo sit viuus & efficax* [m], id est, viuificatiuus) sed incorruptibili per verbum Dei, permanentis in æternum.

k in Euang. Dom. 5. & 6. post Epiph. & Sexagesim.
l 1. ep. 1. 23.
m Heb. 4. 12.

Et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.] Iam pridem diximus, quàm variæ loci huius, & similium, qui præcesserunt, essent explicationes: illam autem commodissimam, & magis communem de sensu composito, seu hypothetico, quamdiu quis diuinum retinet semen, & in Deo manet, ex quo natus est.

Quocirca nihil hinc habet hæreticus contra liberum arbitrium, nec licet Caluino dicere, elici ex his verbis sic efficaciter gubernari diuinitus piorum corda, vt necessariò inflexibili affectu sequantur. Videtur Ioannes eos notare, vt Caietanus notat, qui quòd accepissent liberũ arbitrium indifferens quoque ad malum, putabant se liberè ac licitè peccare posse. Non potest peccare, ait Ioannes, natus ex Deo: vitium est, ac imperfectio, & impotentia peccare posse, & peccare: natiuitas diuina, siue gratia vires dat, vt possimus non peccare: siquidem illa nos ad virtutem inclinat, retrahit prorsus à peccato.

Contra liberum arbitrium obiicit hæreticus vim dictorum.

Non potest.] Non est vera distinctio quorũdam Thomistarum, quando modus in propositione ponitur in fine dicti, accipi debere in sensu composito: cùm autem in medio, in diuiso. Licet enim S. Thomas [n] sic videatur docere, tamen neque constat esse auctorem illius operis: & certum est plurimis aliis locis non agnoscere hoc discrimẽ, quo tempore senior, ac doctior erat: vt omittam alios Scholasticos. Sed &, vt antè dixi, Scripturæ non curant has argutias, & æquipollent tales propositiones.

n opusc. 40.

Quoniam ex Deo natus est] Præter illa, quæ sunt priùs allata de hac spirituali generatione, & adoptiua filiatione, obseruandum occurrit, Arium abusum fuisse, vt Athanasius [o] testatur, huiusmodi locis, vt eluderet alia testimonia Scripturarũ quibus ὁμοούσιος Christi cum Patre natura probatur. Afferebat quoque res ipsas insensibiles, vt pluuiam, niuémque Deũ dici habere patrẽ [p]. Ad hanc obiectionẽ responsum elicitur ex Athanasio: si hæ dicendi spectentur per se formulæ, ac seorsim, habere vim: sin autem, vt par est, antecedentia considerentur, & consequentia, atque rerum, de quibus est sermo, natura, necessarium esse, vt nunc eædem secundum orationis proprietatem sumantur, nũc figuratè. Nam exempli causa, quando dicit Christus [q], *sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso: & sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem* [r]: nec enim nosse, differt ab esse: hæc, inquam, hisque similia cùm dicuntur, quæ plurima possent afferri, planè demonstrant propriè nos intelligere debere, naturalem atque consubstantialem Filium in diuinis, præter etiam rationem, quæ fide posita, magnam verisimilitudinem facit. At certum est, pluuiam niuémque non posse substantiam cum Deo habere eandem, sed nec aliam rem creatam vllam, etiam hominem: nec Arius, vt eum vrget Athanasius, ita concedit processisse ex Deo, seu more Scripturarum loquẽdo, ex vtero Dei creaturas, quo processit modo is, quem ipse nobiscum nominat Filium Dei, ne cum Photino sentiat sola illum adoptione esse Filium Dei, sicut sunt homines: processit ergo substantialiter, & eandem accipiendo substantiam, quia non nisi vnus Deus est.

Aristotelam obiectum contra Filij diuinitatem.
o disp. contra Arium.
p Iob 38. 28.
q Ioan. 5. 26.
r Ioan. 10. 15.
Deus quomodo ... pluuiæ pater.

Vers. 10.] **In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui nõ est iustus, non est ex Deo: & qui non diligit fratrem suum.**

MAnifesta quoque satis hæc ex dictis sententia. Rectè verò retinetur præsens tempus, quoniã & potest, qui nunc peccat antea Dei filius fuisse, & qui nunc est iustus, facitve iustitiam, priùs fuisse filius Diaboli. Acuta mihi videtur Oecumenij distinctio, vt nõ quilibet peccator dicatur ita propriè, atque peculiariter filius Diaboli, sed genericè propter imitationem. Verùm is mereatur magis hoc nomen, qui sponte, ac velut

Quis peccator propriè dicatur filius diaboli.

ex proposito perpetrat malum. seruus autem, & mancipium (quamuis *quicumque facit peccatum, seruus sit peccati* [a], & diaboli non politicus, & paternus, sed sit dominatus despoticus, immò tyrannicus in omnes, qui parent, vel etiam eum imitantur) qui succumbit grauitati, ab eóque subiugatur, & in seruitutem addicitur. Quoniam *qui exhibent se seruos ad obediendum, serui sunt eius, cui obeditum* [b]: & quos diabolus habet in laqueis, captiui tenentur ad ipsius voluntatem [c]: &, *A quo quis superatus est, huius & seruus est* [d]. Mancipium gloriæ Diogenes, Alexandrum vocabat [e], se imperatorem: illum seruum seruorum suorum, se Dominum, quòd obediret ille cupiditatibus, quibus imperaret ipse. Eidem scripsit Alexandro Bracmanes, *nihil prodesse orbis dominum fieri, infima animi abiectaque res seruire: subuertere inimicos externos, vt foueas ac sustentes internos.* Sic tandem recidit in seruitutem vilissimam & durissimam omnis aduersus diabolum filiatio.

In hoc.] ἐν τούτῳ, videlicet quod antea dictū est, *qui facit peccatum, ex diabolo est*, &c. *qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Ibi ergo de mortali peccato agitur tantùm, quod filius Dei discernit à filiis diaboli, non autem veniale. Vtrosque etiā oportet intelligere secundùm præsentem statum, iustitiámve; non verò secundum prædestinationē: potest enim qui nunc est filius Dei, mori filius diaboli, & vice versa.

Omnis qui non est iustus.] Πᾶς ὁ μὴ ποιῶν δικαιοσύνην. *Omnis qui non facit iustitiam.* Sic etiam Syra editio. Non ausim præponere nostræ, quod nonnulli faciunt [f]. Eam constanter sequuntur omnes Latini, non expositores tantùm, sed alij, vt antiquissimus Tertullianus [g], & Cyprianus [h]. Et sanè iustus censendus non est, qui non facit iustitiam quando potest. Satis quoque declaratum putauit Interpres opus, & actum secundum per verba quæ sequuntur.

Et qui non diligit fratrem suum.] Hoc est opus iustitiæ, vt omnem amplectitur iustitia virtutem, & vniuersæ legis adimpletionem. Nam *qui diligit proximum, legem impleuit* [i]: &, *plenitudo legis est dilectio* [k]: &, *finis præcepti charitas* [l], sicut *qui diligit Deū, mandata seruabit* [m], hucque potissimum tota tendit, vt Augustinus, & Oecumenius docent, hæc epistola. Aristoteles [n] tradit *contineri ciuitates amicitia, & si homines sint amici, non esse opus iustitia. Si verò sint iusti, indigere amicitia:* & quod est maximè iustum, ad amicitiam pertinere. Sunt eadem apud Ciceronem [o].

Sed errabat Marcion [p], propterea cessasse legē totam veterē, etiam quod attinet ad Decalogum. Epilogus enim illorum est charitas: nō tollit autem Epilogus ea, quæ continētur Epilogo: immò charitas est causa, cur alia impleantur præcepta, quatenus qui habet charitatem, implet illa, & sine illa nullum impleri meritoriè potest.

Singularis porrò Dei erga nos amor, vt eos respuat, ac neget filios esse suos, qui fratrem non diligant: nec separatum patiatur amorem sui ab amore fratris, ac proximi. Vnica vtrumque charitatis virtus amorem Dei, Proximíque complectitur. Nam proximus amandus propter Deū, & quando diligitur Deus, promptus, ac paratus est animus ad eos amandos, quos ille, & quo modo vult amari.

Fratrem.] Dicere potuit proximum, & sic melios videretur dixisse, ne solis Christianis impendi dilectio videretur. Propterea charitatis præcepto iubemur generaliter diligere proximum. Dilectus Iesu in omni sermone, sed maxime de dilectione dilectionem spirat. Fraternum nomen, si quod aliud, eximiæ dilectionis est, vt alias [q] docui. Non dubito, vel codicum, & manuscriptorum, & excusorum esse mendum, qui apud Cyprianum istam recitantem sententiam habent [r]: *& qui non diligit patrem suum, & matrem suam*, vel Cyprianum ipsum, vt non rarò fit, memoria lapsum. Primum credo potius, quia mētio patris, aut matris, instituto eius haud ita conueniebat. Bonus Cypriani Scholiastes Pamelius post Manutium, & Morelium, ex fide Græcorum exemplorum errorem correxit. Præclara Augustini [s] hoc loco sententia. *Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli: signēt se omnes signo crucis Christi: respondeant omnes, amen: cantent omnes halleluiah: baptizentur omnes: intrent omnes Ecclesias: faciant parietes basilicarum: non discernuntur filij Dei à filiis diaboli, nisi in caritate. Qui habent caritatem, nati sunt ex Deo: qui non, non sunt nati ex Deo. Quidquid vis habe: hoc solum non habeas, nihil tibi prodest. Alia si non habeas, hoc habe: implesti legem.* Eadem ferè transtulit Beda in suum commentarium. Cum autem Ioannes manifestos ait esse filios Dei, & diaboli, ex eo quòd vel diligant vel non diligant, non vult hæc esse nobis euidentia, sed quantum cognoscere nobis licet, tantum iudicare de hominibus posse, atque inter illos discernere: quemadmodum & Christus docuit [t], *a fructibus*, hoc est, ab operibus *homines cognosci.*

Vers. 11.] Quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum.

MVtuæ, fraternæque charitatis commendat præceptum, & auctoritate, & in sequenti versu exemplo.

Hæc est annuntiatio.] Sic primo capite [u], pro re scilicet annuntiata, sicut est ibi declaratum, vel pro doctrinæ, & prædicationis summa. Syriace hoc loco: Quoniā hoc est præceptū דהנו פוקדנא *dehanan pukedana*, vbi ὅτι exposuit *quoniam*, sicut & Interpres noster, quo sæpius alibi modo sumitur: annuntiationem verò *præceptum*. præcepti enim, legísque necessaria conditio, promulgatio est. Ἀγγελία, & ἐπαγγελία habent eandem vim. Secundum est dicto capite primo (Syra סברתא) *sbaretha*: in secundo etiam [x], sed pro promissione nonnulli codices [y] hîc quoque legunt cōpositum nomen: nunc idem est quod denuntiatio, edictum, significatio diuinæ voluntatis. Emphasim notat Hugo, vt significetur res annunciatione digna.

Quam audistis ab initio.] Tum, cùm primùm prędicatum est ab ipsomet Ioanne, vel ab aliis.

Vt diligatis alterutrum.] Præceptum hoc nouum, suumque Christus esse dixit [z], & suorum propriam tesseram discipulorum [a]. *De charitate fraternitatis, ait Paulus* [b], *non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo* à Christo *didicistis, vt diligatis inuicem.* Disseruimus aliis locis hac de re [c]. Gentiles ipsi prouocabant sese stupore pleni ad contemplandum adeo eximium in Christianos amorem, licet in peiorem partem interpretando. *Vide (dicebant illi) vt inuicem se diligant* [d]. Nouum, & Christi præceptum, quia & vltimum dedit, & sub extremum vitæ maximè exercuit [e], & ipsi præ cunctis aliis charissimum fuit: ac veluti de

Margin notes (left column): a Ioan. 8. 34. — b Rom. 6. 16. — c 2. Tim. 2. 26. — d 2. Pet. 2. 19. *Alexander seruus suorum nominatus seruorum.* — e in Apopht. Manutij lib. 3. in Diogen. Cent. 1. nu. 47. — f Vatablus, Clarius, Salm. — g de pudicitia c. 19. — h 3. testim. c. 3. — i Rom. 13. 8. — k ibid. 10. — l 1. Tim. 1. 5. — m Ioan. 14. 15. — n 8. Ethic. c. 1. *Si homines sint amici, non est opus iustitia.* — o Dialog. de Amicitia. — p testis Orig. 2. cont. Marc. — *Caritas est causa cur alia impleantur præcepta.*

Margin notes (right column): q Act. 2. 26. — r lib. 3. test. c. 3. — s Tract. 5. *Dilectio sola discernit filios Dei, & Diaboli.* — t Matt. 7. 16. 20. — u vers. 5. — *Præcepti & legis necessaria conditio, est promulgatio.* — x vers. 25. — y in nouo Testam. Robert. Steph. — z Ioan. 13. 34. & 15. 12. 17. — a Ioan. 13. 35. — b 1. Thes. 4. 9. *De dilectione præceptū Christi proprium est.* — c in Act. c. 2. — d Tertul. in Apolog. c. 39. — e Ioan. 13. 1.

nouo

nouo sæpius proponendum censuit, & voluit peculiari quadam ratione inter Christianos vigere, illo modo, quem erant discipuli experti in Christi erga ipsos amore tam suaui, tam familiari, tam tenaci, vt pridem docuimus [a].

Diligatis.] Eodem pacto Syrus דתחבבון *dethebachebun, vt diligatis*: at Græcè *ἀγαπῶμεν diligamus*, quidam quoque codices Latini, & Augustinus hoc loco.

Alterutrum.] Reciprocus hic, atque mutuus amor indicat, quod modò dicebam de Christi præcepto. Eundem Ioannes amorem sine dubio iuxta modum eundem commendat, vt maximè coniuncti hoc inter se amore Christiani, fortiùs resistant nouorum & falsorum dogmatum, quos innuit antea, disseminatoribus. Tantum abest, vt per *alterutrum* maximè generalem significare voluerit amorem, qui se ad quosuis extendat [b]: & hunc sanè vult Ioannes: sed nunc illum propriè, & maximè. Fauet fratris vocabulum priore versu: quod Christianis inter se comparatis aptiùs longè conuenit, quàm ceteris.

Vers. 12] Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suũ. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant: fratris autem eius, iusta.

HOc est exemplum fratricidæ Cain, quod caueri vult, quódque de industria profert, vt quò abhorret magis ab humano sensu, eò doceat abhorrere nos maximè debere ab odio fraterno, qui diuiniore inter nos, arctioréque sumus vinculo colligati, ac imitari potiùs Dei filium Abel iustum velle, quàm impium Cain, *maligni*, hoc est, diaboli filium.

Non sicut Cain, qui.] Deest Græcè relatiuum, *non sicut Cain ex malo erat*, supplendum est, atque construendum, vt diligatis, aut diligamus alterutrum, & non oderitis, vel, non oderimus fratres, siue proximos; ne sitis, aut, simus, ex maligno; sicut Cain odio fratrẽ prosequens, ex maligno erat. Iuxta trãslationem nostram hoc modo, vt diligatis alterutrum, non agendo sicut Cain, qui ex maligno erat; sic enim agere, hoc est, odisse, ac occidere fratrem, quod Cain fecit, nõ est fratrem diligere, sed prorsus oppositum fraternæ dilectioni.

Qui ex maligno erat.] Omnes passim diabolum interpretantur, qui fuit homicida ab initio [c], & nos cum primis parentibus occidit [d]. Sic enim masculini generis, *maligno*, & Græcus articulus cum nomine *ἐκ τοῦ πονηροῦ*. Priore capite [e] fuit eadẽ acceptio huius Græci, ac Latini nominis pro diabolo. Capite præterea vltimo huius epistolæ [f], vt videbimus. Postrema dominica oratione [g] *sed libera nos à malo, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ*, diabolum Tertullianus [h] significari vult præsidem, & artificem tentationis: Chrysostomus quoque, quique sequi ipsum solent, Euthymius, Theophylactus [i], item Nyssenus [k], Cyrillus Ierosolymitanus [l], Ambrosius [m], Cassianus [n], Chrysologus [o]: sentit verò Theophylactus idem de illis verbis [p]: *quod his abundantius est, à malo est*, id est, à diabolo, qui iurandi consuetudinem induxit. Et Leontius [q], de istis [r]: *non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Certè dubitari nequit de istis, *venit malus* [s], qui quod est seminatũ in corde rapit: siquidem vocat eum diabolum Lucas [t], Marcus Satanam [u]. Quod verò attinet ad petitionẽ orationis dominicæ, probabilis expositio est aliorum grauium Auctorũ, intelligi de re qualibet mala, siue calamitate. Fauet precatio Sacerdotis in Missa post orationem dominicam: *libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis*, &c. Lege præ cæteris Card. Bellarminum [x].

Porrò diaboli malignitas in inuidia potissimũ consistit, & odio Dei, quo vtroque diabolus vitio impulsus, quia Deũ non poterat, hominẽ ad imaginem Dei factũ læsit, sicut aliàs cum Basilio [y] docui, pardalis exẽplo pulcherrimo. Cain igitur ex maligno erat, hoc est, ex diabolo, diaboli sequẽdo & instinctũ, & exẽplum in eo quod sequitur, non quasi creatus ab ipso, vel eiusdẽ naturæ cũ ipso.

Et.] Quia, vt aliàs persæpè.

Occidit fratrem suum.] Nota ex Genesis [z] libro historia. Vbi cùm nominis Cain Eua tradat etymologiam: *possedi hominem per Deum*, non debuit Eusebius [a], eo vocabulo dicere inuidiam significari. Orta æquiuocatio est ex קנא *kana, inuidit*, & קנה *kanah, possedit*. Similis homonymia in notatione Abel, vt dixi aliàs [b], vel pro vanitate, vel pro planctu. Si licet alludere ad secundum etymum, fuisse videtur omen in nomine, quo præsignificaretur ingens parentum super filij morte planctus. Is durauit, vt Methodio martyri reuelatum in carcere prodit magister historiæ Scholasticę [c], centum annos, quibus etiam abstinuerunt à copula vsque ad ducentesimumtrigesimum ætatis eorum annum. Sed hæc inuerisimilia sunt. Nam diuturnior luctus arguit inconstantiam, & imprudentiam: abstinentia tam longa, generis humani propagationi obfuisset: postremò Scriptura editionis vulgatæ, necnon Hebraicæ, trigesimo supra cẽtesimum Adę anno natum testatur Seth, de quo ille dixit: *posuit mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain* [d]. lege Abulensem.

Non inuehat in homicidas, quibus nihil inuisum, & exosum magis, & verò crescunt odij causæ pro conditione cæsorum. De ipsa interfectione Abelis, quæ vel quomodo contigerit, paulò pòst. Parricidium vocat Cyprianus [e], sed & ius ciuile [f] interfectionem non tantùm patris, vel matris, sed fratris quoque, sororis, patruelis, matruelis, filij, filiæ, nepotis, nurus, aliorum propinquorum [g]. Egi quoque in capite primo Actuum de fratrum odio grauissimo.

Quoniam opera eius maligna erant.] Legimus in Genesi dumtaxat, *non respexisse Deum ad munera Cain, sed Abel* [h], signo videlicet ignis externo. (Theodotio legit: *Inflammauit Dominus super Abel*) vel alio aliquo. quod non ignorauerit Cain, quos in monte Moriah sacrificasse putant Hebræi, & Noe finito diluuio [i], & Abrahã [k], vbi postea tẽplum ædificatum est à Salomone [l]. Deinde [m] admonitum à Deo Cain *quòd iratus esset, & concidisset vultus, siue facies eius*, &c. quòd sibi nẽpe fratrem videret prælatum, vereretúrque iacturam primogenituræ, & ideo moliretur animo cædem ipsius. Verumtamen opera ista maligna indicantur, velut quæ præcesserint despectionem Dei in eius sacrificio, & personam ipsam Cain Dei benigno respectu reddiderint indignam. Cùm dixit Deus: *Nonne si bene egeris, recipies*, &c. tametsi nõnullum quoque peccatum inter sacrificãdum Cain commisisse significetur, maximè iuxta versionẽ LXX. Interpretum, quam Græci sequuntur, & Ambrosius, atque Augustinus: *Nonne si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti?* nam & tardè, & ex deterioribus offerebat, volens tamen videri pius

Vltima

Marginal notes:

a cap. 1. 7.
b ad Salmer. cassimus.
Malignus pro diabolo sumitur.
c Ioan. 8. 44.
d Gen. 3.
e vers. 13. 14.
f vers. 18.
g Matt. 6. 13.
h lib. de oratione.
i in Mat. c. 6.
k in oratio. Dom.
l Catechef. 5. Mystag.
m 5. de Sacra. c. 4.
n Cass. coll. 9. c. 23.
o serm. 67.
p Mat. 5. 37.
q in Catena Ioan.
r Ioan. 17. 15
s Mat. 13. 19.
t cap. 8. 13.
u cap. 4. 15.
A malo liberatio in oratione Dominica quid sit.
x lib. 1. de bonis operibus in particulari c. 6.
Malignitas diaboli in quo maximè consistat.
y hom. in aliquot Scripturæ locos. hom. de inuidia. hom. quòd Deus non sit auctor malorum.
z cap. 4.
a 11. de præparat. Euang. c. 4.
b Eccl. 1. 2.
Planctus Adæ super filij Abel morte quamdiu durauerit.
c in lib. Gen. c. 25.
Non probatur.
d Gen. 4. q. 4.
Parricidii cædem propinquorum complectitur.
e de bono patientiæ ante med.
f l. Pompeia. de parricid.
g vers. 14.
h Gen. 4. 4.
Quomodo ad Cain non respexerit Dominus sicut ad Abel.
i infra c. 9.
k infra c. 22.
l 3. Reg. 8.
m Gen. 4. 6. 7.

Victimæ [a] *impiorum abominabiles Domino: vota iustorum placabilia.*

a Prou. 15. 6.

Cur Cain Abelem occiderit.

Occidit Cain fratrem, quia præcessit prauitas morum, quæ minus effecit grata, quæ offerebat Deo: hinc orta fraterna inuidia, odiúmque, & ob dissimiles mores, & quoniam carum sibi Deus illum declarauerat, edito super eius sacrificia quod diximus signo. Etsi bene coniectat Catharinus, quia homicidij huius instigator diabolus, verebatur, ne quia sanctus, & Deo percarus Abel erat, esset ipse illud semen mulieris, ex quo progigneretur, à quo serpentis caput contritum iri prædictum à Deo erat. Hæc opera Cain maligna vno verbo Augustinus [b] citans locum istum, aptè comprehendit, *Quia dabat*, inquit, *aliquid Deo suũ, sibi autem seipsum. Quisquis enim grauiter seu mortaliter peccat, se sibi dat, & in seipso finem constituit vltimum.* Innuit porrò Irenæus [c], odium Cain antiquius fuisse, Deumque id significasse, cùm ei dixit (vt quidem vertunt Septuaginta:) *Nonne si rectè offeras, rectè autem non diuidas*, &c. Id est, si sacrifices, animum autem à fratre diuisum habeas. Cyprianus [d] ait ideo ad Cain munera Deum non respexisse, nec illum paratum sibi Deum habere potuisse, quia cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat.

b 15. de Ciuit. cap. 7.

Quisquis grauiter peccat, se sibi dat.

c lib. 3. c. 36. & lib. 4. c. 34.

d de vnit. Eccles.

Mors Abelis qualiter acciderit, ignoratur.

e Gen. 4. 8. 9.

Quem in occidendo Cain tenuerit modum nescimus, qualive morte affecerit fratrem. Id vnũ narratur [e]: *Dixitque Cain ad Abel fratrem suũ, egrediamur foras: Cùmque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Hieronymus [f] putat retulisse Cain, quæ illi Deus antè dixerat, monens ipsum, quasi ea veneraretur, vt notat Caietanus. Videtur aliis, odio dissimulato, blandè, amantérque fratrem ad ambulandum inuitasse. Audi Nyssenum [g]: *Ait. cum quendam mitem, ac benignum vultum fingens, procul ab auxilio, atque præsidio parentum, illum in campum produxit, atque ita deinde cæde inuidiam detexit.* Putat Saluianus [h] Dei prouidentiam non creditam à Cain, ideo hominum aspectũ subterfugisse, vt patraret scelus: Deum existimasse nescire inferiora. Idem Caietanus ait *fieri potuisse vt exordiretur sermonem à verbis duris, & contumeliosis, lacessendo, & occasionem captando in eum sæuiendi.* Priores opiniones duæ probabiliores. Si quid enim irarum deprehendisset Abel in fratre, non exisset cũ illo foras in agrum, siue campum, vt Hebraicè, Græcéque legimus: & consurgendi verbo innuitur, dum vna vel sederent, vel iacerent, Cain ex improuiso irruisse, & apprehendisse Abel, quò facilius, & illæsus ipse interficeret ipsum. Sanguinis Abel mentio cùm fiat & à Deo in Genesi [i], & à Christo in Euangelio [k], & à Paulo [l]: Probabile fit admodũ, necem sanguinis effusione perfectam, vel rabiosis morsibus, si Rabbinis credi debet, vel ferro, vel fustibus, vel lapidibus, &c. quod vltimum maximè probat Abulensis [m]. Didymus autem recitat ex libro, cui titulus *Leptogenesis*, Cain lapide, aut ligno percussisse Abel: docétque non sola percussione dici fieri vulnus, sed absolutè omnem plagam, quæ lacerationem facit in corpore. Attamen sanguinis vocabulo non est diffitendum quodcumque mortis genus non infrequenter in Scripturis denotari [n]: expeditior quoque fuisset ratio aut strangulandi, aut si non procul aquæ aberant, Abelem demergendi. Sed non propterea prior deserenda sententia, quæ facit sicut in aliis sic in fuso sanguine, vt Abel expressior sit typus Christi. Quin etiam vbi cæsus est

f in tradit. Hebr. in Genesim.

g lib. de Beatitudinib. non longè ante finem.

h 1. de prouiden. circa medium.

i Gen. 4. 10.
k Matt. 23. 35.
l Heb. 12. 24.

m q. 6. in c. 4. Gen.

n Exec. 33. 4. & sequent. Matth. 23. 35. Psalm. 50. 16. Apoc. 6. 10. sanguinis nomine quodcumque mortis genus designatur.

Abel, conditam Damascum Rupertus [o] refert, cuius notio est, Bibens sanguinem. Tantus demùm Cain furor extitit, ferocia tanta; vt verberibus potiùs, quàm verbis vtendum sibi duxerit, aut prolixiore dialogismo aduersus Prouidentiã, prout Ierosolymitana Paraphrasis recitat. *Dixit Cain ad Abel, veni, & egrediamur in agrum. Et accidit, cum egressi essent ambo in agrum, respondit Cain* (id est, sic exorsus est loqui:) *Non est iudicium nec Iudex, nec seculum aliud; nec merces bona pro iustis, nec pœna pro impiis: nec Dei misericordia creatus est Mundus, nec Dei misericordia regitur, re quòd suscepta est oblatio tua cum beneplacito, mea autem non est suscepta cum beneplacito.* Respondit Abel, & dixit ad Cain: *Est iudicium, est Iudex, est seculum aliud, est item merces pro bonis, & pœna pro impiis: misericordia quoque Dei Mundus creatus est, & misericordia Dei gubernatur: quia verò meliora fuerunt opera mea tuis, suscepta est oblatio mea cum beneplacito, tua autem non est suscepta.* Cúmque duo isti contenderent in agro, insurrexit Cain contra Abel, & occidit eum. Huc vsque Paraphrasis.

o lib. 3 in Genes. cap. 77.

Oratio Cain impia.

Possem de laudibus Abel multa proferre Patrum testimonia præter id Christi quod produxi, vocantis eum Iustum [p], & aliud Pauli [q] qui celebrat eum inter fideles, aitque, *fide, plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus.* Tria maximè præconia iustitiæ in Abel fuisse comprobantur, ait Augustinus [r], scilicet Virginitas, Sacerdotium, & Martyrium, in quibus Christi figuram primus gessit; ideo ignis missus de cœlis hostiam eius approbauit. Idem iisdem propemodum verbis repetit apud eundem auctor operis de Mirabilibus Scripturæ [s]. Quamuis nec prioris magis est auctor Augustinus, quam istius. Albinus [t] propter hæc tria singulariter Iustum docet in Euangelio nominatum. Cyprianus [u] proponit Abel imitandum, qui initiauerit martyria, dum propter iustitiam primus occisus est: nec restitit, quod de ipso quoque notat Gregorius [x], quod multò probabilius est, quàm in colluctatione superatum, sicut meminit Abulensis [y]. Videtur & inter Martyres Abelem Tertullianus [z] numerare, ac Prosper [a], (quem hortor legas crimina Cain eleganter exaggerantem,) & quotquot præfiguratum in eo Christum docent, eiúsque mortem: sunt verò plurimi [b]. Rupertus appellat protomartyrem. Procopius notat nimiam Abelis in credendo facilitatem, & obediendo voluntati Cain, indéque mortem sibi conciliasse. Intelligit, opinor, quando foras solus in campum exiit: Id tamen bonitati, & candori deputandum Abelis, qui tam sinistra cogitare non posset de fratre, omnibúsque officiis alieniorem à se demereri vellet.

p Matt. 23. 35.
q Heb. 11. 4.

Iustitiæ tria præconia in Abel comprobantur.

r lib. diuersa. q. ad Orosi.

s lib. 1. cap. 3.
t [illegible]
t lib. quæst. in Gen. q. [illegible]
u lib. 4. ep. 6. vel 56. lib. de P[illegible] no Pa[illegible] an me[illegible] di[illegible]
x lib. [illegible] Mo[illegible] 9. vel 16.
y Gen. 4. post quæst. 5.
z in Scorpiaco. cap. 8.
a [illegible] c P[illegible] & Prædi. par. [illegible]
b lege pr[illegible] in Irenæ. [illegible] b. 4 cap. 4. 3. & A[illegible] con. [illegible] c. 9. A[illegible] & Rupertum lib. [illegible] in Gen. [illegible] 27. [illegible] in Esa. c. 50. pag. 608.

Abhorret ab omni ratione Marcionis dogma, qui Cain saluum volebat, alióque impios, Abel, ac Iustos, qui placuerant Deo, collocabat inter damnatos, vt meminit Irenæus [c]. Ecclesia in Litaniis, quibus moribundum commẽdat Deo, inuocat Abel, & in canone Missæ petit (*vt accepta pueri sui iusti Abel habere dignatus est, sic super panem sacrum, & calicem proprio, ac sereno vultu respicere digneur.*

Marcionis dogma contra rationem.

c lib. 1. c. 29.

Frater autem eius iusta.] Abelis innocentiam, pietatémque satis docet facta cum Cain operibus malignis collatio: & absolutum illud Iusti cognomen cum aliis encomiis eiusdẽ, de quibus egimus. Scriptura pastoritium vitæ simplicium

genus

genus tradit sectatum [a], quódque diuinatum rerum cótemplationi magis est aptum, sicut aliàs [b] demonstrauimus, & laudat in eo Basilius [c]. Sacrificium autem opimum obtulisse de primogenitis gregia [d], & de adipibus eorum. Et fuit nihilominus, vt paulo ante referebã, qui damnaret Abel, Cain absolueret. Quin à Cain Caiani cognominati hæretici sunt, vel Caini, siue Cainani [e]. Hi colebant cum Iuda proditore, cum Core, Dathã, & Abiron, cum Sodomitis Cain. Asserebant hũc fuisse virtutis fortissimæ, propter quam præualuerit. De Gnosticis idem proditur [f].

Haud abest multùm ab errore, qui placatum nouo propter fratricidiũ sacrificio Deũ sentit, & fratricidij pœnã remisisse. Scriptis hoc Iosephus [g] mandauit: Dilatam fatemur pœnam, sed ad acerbiorem, atque diuturniorem vindictam. Et verò scribit idem Auctor peiorem euasisse, ac latrocinantium ducem. Omnes Catholici æternis mactatum suppliciis vno consensu tradunt: nec præsens locus obscurè significat, ísque qui est in epistola Iudæ [h]: *Væ illis, quia in via Cain abierunt.* Eum locum luculenter tractat Feuardentius, & Cain deprauatos mores aptat ad eos, quos præ se ferunt nostri temporis hæretici, desperationis, feritatis, hypocrisis, impiæ sententiæ. Postremò nõ legitur Cain retractasse quod protulit desperabundus [i]: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Octauum hoc grauissimum peccatum connumerari potest aliis septem, quæ distinctè recensent Hieronymus [k], ac Theodoretus [l], indiscreti sacrificij, tristitiæ de reprobato sacrificio suo, quòd iussus à peccato quiescere, Domini monitum contempsit, inuidiæ fraternæ, qua in re primus diaboli Discipulus fuit, auctore Basilio [m]; & idcirco plenus cæde cum inuidia (quæ iungit Paulus φθόνῳ καὶ φόνῳ) fratricidij: quòd est mentitus Deo: quòd parentes affecit dolore. Has iidem volunt esse vindictas septem, quas qui occideret ipsum, soluturus erat, vt vertunt Septuaginta [n], & Theodotio pro eo quod vulgata, *Septuplum punietur*, cùm illas ille propter dicta peccata meruisset. Chrysostomus [o] eadem Caini crimina recenset septem, sed paulò aliter, & Cæsarius [p] frater Nazianzeni. Illud celebrius crimen eius in sacrificio, cum pietate Abelis in eodem aptè tritum expressit distichon:

Sacrum pingue dabo (Abel loquitur) *macrum non sacrificabo.*
Sacrificabo macrum (ait Cain) *non dabo pingue sacrum.*

Cæterùm Iudæorum odium in Christum, odio Cain aduersus Abel simile fuit. Eorum namque apud Sapientem [q] vox est, quam in Ecclesiastico quoque officio [r] ad hoc propositum vsurpatam legimus, *Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis:* cuius loci lege commentarium nostrum. Augustini [s] præterea sententia est, quòd omnis malus ideò persequitur bonum, quia non illi consentit bonus ad malum.

a Gen. 4. 2. b Act. 7. c Orat. de S. Mamerte. d Gen. 4. 4. *Caiani hæretici colebant Cain & Iudam.* e Philaster. Aug. de hæres. cap. 38. Damasc. lib. de hæres. num. Theodoret. 1. de hæret. fab. Epipha. hære. 38. f ab Irenæo lib. 1. cap. 35. g lib. 1. anti q. cap. 3. vel 4. h vers. 11. i Gen. 4. 13. k epist. 125. *Peccata Cain quot & quanta.* l in Genes. m ho. de inuidia. n in Gen. o in Genes. p 4. Dialog. q c. 2. 12. r hebd. sanct. fer. s in Psal. 118.

Vers. 13.] Nolite mirari fratres, si odit vos mundus.

SI fratres soli duo non retinuerunt amicitiam inter se, verùm malus bonum odio prosecutus est; quid mirum, quòd in tanta hominum turba, plures inueniantur, qui iustos oderint? Sunt enim planè contraria: & repugnantia horum, ac illorum opera: nec mundus diligit, nisi qui de mundo sunt, sed odit, qui de mundo non sunt, & sunt electi & separati de mundo. Tales etiã, qui nempe non sunt de mundo [t], testimonium perhibent de illo dictis, factísque, quòd opera eius mala sunt [u], *veritas autem odium parit* [x]. *Ergo inimicus vobis factus sum*, verum vobis dicens, ait Apostolus [y].

[z] *Oderunt hilarem tristes, tristémque iocosi,*
Sedatum celeres, agilem gnauúmque remissi.

Quomodo igitur, inquies, dixit Christus aliquando [a]: *Non potest mundus odisse vos?* Distinguendum de mundo. Interdum pertinent ad mundum qui vitam communem cæteris agunt, nihil eximium præ se ferentes, nec aliorum corruptos mores reprehendentes. Tales viuo Christo erant Discipuli, quibus propterea tutò versari licebat inter Iudæos absque mortis periculo, non æquè Christo contrariis de causis [b]. *Non potest mundus odisse vos*, inquit, *me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt.* Quanquam quibus eo loco loquitur Christus, non Apostoli, ac ne Discipuli quidem forsan erant: vocantur enim fratres, qui Christum vrgebant [c], *vt manifestaret seipsum mundo, & quos*, ait Ioannes [d], *non credidisse in eum.* Nam vt antè dixi, Apostolos solabatur Christus, ne molestè ferrent, si nos odisset mundus, & in solenni prece, quam sub mortem ipsis audientibus Apostolis fudit ad Patrem [e]: *De mundo*, inquit, *non sunt, sicut & ego non sum de mundo:* &, *mũdus eos odio habuit, quia nõ sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* Immò non mirandum, vel peregrinandum, vt Petrus loquitur [f], Cyprianus [g] vertit: *Nolite mirari.* Tertullianus [h]: *Ne expauescatis.* Fulgentius [i]: *Nolite expauescere.* Syrus Interpres ולא תתדמרון *velo shethdamerun*, *Ne miremini.* Μὴ θαυμάζετε, id est, non vt quid peregrinum, & insolens, & nouum existimandum, sed lætandum, & exultandum, & gloriandum, cùm nos odit mundus. Nam quos odit, hos amat Deus.

Iubet itaque Ioannes, vt admiratione deposita, nos inter nos tanto diligamus magis, quasi vires integrando, & aduersus odium mundi obiiciendo: sed nec remittamus quicquã de eo amore, qui debetur omnibus vniuerse. Cum Christo, cum sanctis id patiamur, vt bene meritis conuitia, damnáque reddantur. *Quicunque voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur* [k]. *Qui hominibus placet, Christi seruus non est* [l]. *Magis mirabile esset*, inquit Didymus, *si praui homines diligerent eos, qui secundum Christum pie viuunt.* Quocirca si cui videtur, homines tamẽ pios ab impiis & peccatoribus diligi, perpendat, aut vel iam cœpisse vitam corrigere velle, aut ad amandum non honestate virtutis, sed studio duci commodi proprij, aut amorem simulare, vt peruertant, vel perdant: aut affici erga cõsanguineos, aliáve naturali causa diligere. Lege Carthusianum. Græcè porrò & Syriacè habetur cum pronomine, *fratres mei*, quod valet ad beneuolentiam conciliandam.

Vers. 14.] Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.

SIgnũ vitæ diuinæ, quæ hîc in gratia, post mortem corporalem consistit in gloria, hoc est, quòd nunc illam viuamus, & quòd ius ad hanc

t Ioan. 15. 18. 19. u Ioan. 7. 7. x Terent. in Andria. y Gal. 4. 16. z Horatius lib. 1. ep. 19. *Mundi nomine duo hominum genera significantur.* a Ioan. 7. 7. b ibidem. c Ioan. 7. 4. d ibidem 5. e Ioan. 17. 16. f 1. ep. 4. 12. g ep. 56. h in Scorpiaco c. 12. i 3. ad Thrasymundum. *Ioannes ad dilectionem quomodo nos adhortatur.* k Iaco. 4. 4. l Gal. 1. 10. *Pij ab impiis quomodo diligantur.* *Signum vitæ diuinæ.*

habeamus, est, si fratres diligamus, videlicet, sicut oportet, *ex charitate non ficta* [a]. Idcirco non est, quod vereamur, si nobis ex probabilibus coniecturis probè conscij sumus, odium cuiusquam tanquam Cain: vitam enim corporis eripere potest, vitam animæ, gratiámque Dei, & eius ad gloriam non potest. Animæ vita Deus est, eiúsve gratia, sicut corporis anima, vt notat Beda. Extat in Apocalypsi [b] mentio de morte secunda, & de resurrectione [c]. Illa est Damnatorum, & vocari posset tertia, facta comparatione ad priuationem vitæ corporalis, & vitæ gratiæ. Resurrectio secunda dicitur de Beatis corpora gloriosa resumentibus, & posset dici tertia comparando cum iustificatione, & gloria animæ. Lege Augustinum [d]. Vitæ istius, quæ cõsistit in gratia, signum & argumentum, vt dicebam, est charitatis actus, quem piè & probabiliter videmur posse in nobis experiri, sicut alios aliarum virtutum supernaturaliũ, & gratiæ ipsius præsentiam: qua de re iam antea nonnihil est dictum. Nihilominus illa distinctio etiam Dei, quæ præcedit aliquando gratiæ infusionem, prius saltem natura, & velut dispositio, non dat absolutè vitam, sed quoddã eius initium, quemadmodum viuit Embryo contentus adhuc in vtero matris. Vtitur hoc exemplo de Catechumenis agens Augustinus [e], docens nasci per baptismum, vt ad vitam perueniant sempiternam.

a 1. Cor. 6. 6.

Odium cuiusquam non est quod vereamur. Animæ vita Deus est.

b cap. 2. 11. c. 20. 6. 14. c 21. 8.

d 20. de Ciui. cap. 6. & 7.

e li. 1. ad Simplic. q. 2.

Sciendum præterea, in morte manere, qui non diligit, vel intelligi, si contrarium odij actum habeat, vel si non diligit, quando debet, vel si careat habitu gratiæ, & charitatis, per quem sit benè dispositus ad amorem Proximi, ac Dei. Nam vt omittam infantes, ac similes incapaces actus secundi, peccator adultus, & compos rationis potest iustificari per Sacramentum sine contritione, actúve charitatis, & cum sola attritione. Sed cùm hoc loco sermo sit de dilectione Proximi, prior sensus aptior est. De morte pro peccato, & punitione damnationis lege Augustinum [f]. Similis Baptistæ sententia [g]. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum.*

Quomodo quis in morte maneat.

Translati sumus de morte ad vitam.] Similis phrasis in Euangelio [h]: *Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte ad vitam.* Vbi fidei tribuitur, quod est charitatis: sed fidei, tanquam fundamento, charitati tanquam complemento, & formæ omnium virtutum. Transitum à morte ad vitam Augustinus [i] exponit de peccato ad vitam gratiæ, & confirmat ex hoc loco Chrysostomus [k], & Cyrillus de morte corporis, & vita æterna.

f ep. 99. 13. de ciu. c. 2. & 12. lib. 20. c. 6. 4. de Trin. c. 4. Enchir. c. 55. 92. 93.
g Ioan. 3. 36.
h Ioan. 5. 24.

Quomodo quod est caritatis, tribuatur fidei.

i tract. 22. in Ioan.
k in Ioan.

Nos itaque sensum vtrumque vtrobique complectimur, & synonyma putamus transire de morte ad vitam, & non venire in iudicium, id est, non esse reum inimicitiarum Dei, & damnationis, &c.

Translatio, & transitus, nomina sunt mutationis localis, per quam prior locus penitus deseritur, & in proposito peccatum prorsus relinquitur, immò perit. Transferendi quoque verbum nonnunquam importat vim, ac potestatem magnam, qua quippiam conuellitur, eradicatur, aboletur, vt quando montes transferri dicũtur [l], &c. Transire sæpè dicitur ad exprimendam euasionem; vt, *Transiuimus per ignem, & aquam* [m]; &, *omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes trãsierunt fideles* [n]: id est, *probati, ac fideles tandem euaserunt.* &, *Cadent in retiaculo eius peccatores, singulariter sum ego, donec transeam* [o]. Thomas Anglicus obseruat, non hîc dici, Transimus, sed *translati sumus*, quia mortuus virtute sua non potest suscitare seipsum, sed *transtulit* [p] *nos Deus de potestate tenebrarum ereptos, in regnum filij dilectionis suæ.* Nihilominus aliquando, vt ex dictis constat, valent idem duo illa verba, licet verum sit allatum discrimẽ. Videtur autem alludere ad Israëlis translationem de Ægypto per mare rubrum in valida manu [q]. Terminus à quo in hoc transitu, & translatione, scilicet mors, denominationem tribuit peccato mortali, quod nos sic alienat à Deo, vt nos ipso priuet, hoc est, gratia & charitate, quæ est spiritualis vita animæ nostræ, atque principiũ vtiliter, & efficaciter operandi ad conseruationẽ beatitudinis. Quòd autem hîc Ioannes dicit *scimus*, non est sensus, vnumquemque fidelem certò scire quòd sit translatus de morte ad vitam, ac proinde constitutus in statu gratiæ, vt Hæretici argumentantur pro sua illa fide speciali, & Catharinus pro certitudine citra fidem, quam nonnulli saltem iusti ea de re consequantur. Generalis est sermo in persona fidelium; quasi dicatur: Nos Christiani nouimus fide certa omnes fideles iustos, è quorum nosmet numero singuli esse confidimus, ac piè probabilitérque credimus, translatos esse de morte ad vitam. In verbo etiam illo *translati*, indicatur id non viribus ac meritis nostris tribui, sed gratiæ diuinæ, sicut citato priùs Pauli loco.

l Iob 2. 5. Psalm. 45. 3. Matth. 7. 20. cap. 21. 21. Luce 17. 16.
m Psal. 65. 12.
n Iudith 8. 23.
o Ps. 141. 10.
p Coloss. 1. 13.
q Exod. 14.

Vita animæ nostræ est gratia.

Quoniam diligimus fratres.] Causalis particula causam continet non rei, sed cognitionis. non enim quia diligimus, trãslati sumus de morte ad vitam, nisi forsitan dispositiuè, vt dixi: sed quoniam translati sumus de morte ad vitam, & vitam consecuti sumus principium diuinarum actionum, dilectionis actionem dicimus: & ex huiusmodi actione tãquam ex effectu cognoscimus nos istius vitæ participes esse. Vel certè si agatur de ea dilectione quæ præcedit vt dispositio, intelligimus formam illam vitæ supernaturalis mox affore, immò eodem instanti temporis præsentem esse, licet secundum naturæ momentum, siue ordinis, posterior accedat.

Similis sententia Christi pronũciata de Magdalena [r]: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Nam non vult Christus cum peccatis charitatem fuisse, quidquid sit, an etiam repugnet. Nec loquitur de charitatis officiis, ex humana caritate profectis, quæ aliquo modo, vt dispositiones meruerint remissionem ex æquo & bono, siue de congruo. Neque remissionem pro remissione pœnæ duntaxat intellexit, quam nimirum præcedere charitas possit, non verò culpæ [s]. Præterea non est, vt ante dixi, propria, & vera causa remissionis dilectio, sed solùm est dispositiua, de qua possumus Augustinum [t] intelligere, atque Euthymium [u]. Non sufficit quoque dicere cum Ambrosio [x], propter præmissam dilectionem, & gratitudinem ob concessam remissionem concessisse hanc ei Christum.

Simili sententiæ similem immò eandẽ adhibeamus explicationem, quam tradit etiam Gregorius [y], & approbat Toletus [z], & fauent Irenæus [a], Cyprianus [b], & Hieronymus [c], videlicet argumentum hoc esse ab effectu, vt in eo demonstratum sit ei remissa peccata multa, quoniã dilectionem multam ostendit. Ideo colligit contra Pharisæum Christus quam putabat ipse, iam

r Luc. 7. 47

s Placent hi duo modi Maldonat in Lucam. *Dilectio quomodo sit causa remissionis peccatorum.*
t lib. 50. hom. in 23.
u in c. Luc. 7.
x de Tobia c. 22. 2. de Pœnit. ... 5. & in Lucam.
y lib. 6. ep. 22.
z in Luc. c. 7. annot. 72.
a lib. 3. c. 33.
b lib. 3. testim. c. 11.
c 2. contra Iouin.

non

non esse peccatricem, permisíamque ad se accedere, vt eam mundaret, eíque peccata semitteret: indicio esse tot, ac tanta gratitudinis, ac dilectionis signa, ad quam felix illa mulier impellebatur ab intrinseco dono remissionis & gratiæ iã inhabitantis, licet de illo nondum esset certa, priusquàm Christus remissionis proferret verba: *Remittuntur tibi peccata tua*, siue vt est Græcè, *ἀφίονται remissa sunt*. Posuit nempe interpres tempus præsens pro præterito, sicut quandoque vice versa. Sed proposito commodius est, vt retineatur significatio præteriti temporis, & interpres dicatur vsus presenti pro præterito: quod quia non valde antè præcesserat, æstimasi præsens poterat. *Mactata intrinsecus*, inquit Cyprianus [a], *anima propriũ in sancta sanguinem intulit, singula suum prabuere ministerium: cor contritum erupit in lachrymas, fides lauit, charitas vnxit.* Quamquam si quis contendat, cùm Christus dixit Simoni [b]: *Remittuntur ei peccata multa*, voluisse dicere, mox remittentur: cùm verò mulieri: *Remittuntur tibi peccata tua*, tunc verbis illis remisisse, prout conuiuæ videntur intellexisse, dicendo [c]: *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* Si hæc, inquam, concedamus, nihil officient explicationi traditæ.

a serm. de ablution. pedum.

b Luc. 7. 47.

c ibid. 49.

Probabiliter quoque dici potest, Christi verbis ad mulierem exteriùs declaratam coram hominibus absolutionem, quę iam interiùs perfecta erat, vel confirmatam, quæ inuisibiliter data fuerat, vt quando iam sanatæ mulieri à fluxu sanguinis dixit Christus [d]: *Esto sana à plaga tua.* Sed caue, putes formę absolutionis eum dumtaxat esse sensum, vt demonstret verbis absolutum, quem solus absoluit Deus. Abusus est Gratianus [e] verbis sequentibus ad id sentiendum.

Absolutio peccatorũ interius data, per hæc verba exterius declarata est.

d Mat. 5. 34.

e c. omnis qui de pœn. dist. 1.

Qui non diligit, manet in morte.] Exprimit editio Græca & Syra *fratrem*. Iam exposui non diligere idem esse, quod odisse, idque sequens comprobat versus: nec desunt apud profanos exempla eius figuræ, quam *μείωσιν* vocant, verbi gratia, cùm dicunt *illaudatum* pro valdè vituperato: est verò etiam negatio, & omissio, peccatum, quando quis tenetur diligere, oblata nimirum occasione, de qua præter alios Soto [f]. Sic nimirum sententiam supremus Iudex pronunciaturus est aduersus eos, qui misericordiæ caritatisque opera omiserint [g], ac sic proinde non dilexerint. Inferiùs quoque vers. 17. habetur, quòd qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera ab eo, caritas Dei non est in eo.

μείωσις figura quæ sit.

f 2. de natura & grat. cap. 22. post med.

g Mat. 25. 42. & seqq.

Verbum manendi, nomen mortis, vt etiam vitæ denotant habitualem tum peccati maculam, reatúmque, tum gratiã inhęrentẽ, ac permanentẽ. Manet peccator in morte, id est, in reatu mortis ęternę, in macula peccati, cuius reatus effectus est, quia non potest per se inde exire, vt inquit Thomas Anglicus [h]. Mors hæc est, *in qua non est qui memor Dei sit*, inquit Didymus, & secũdùm quam *quæ in delicijs est vidua, viuens dicitur mortua* [i]. Qui non diligit, sed alium odit, mortem sibi consciscit. Inimicos Dauid [k] apibus comparat, quæ leuiter feriendo, ipsæ intereunt: & parieti inclinato [l], & maceriæ depulsæ, quæ vt lædant ruunt, *stultum interficit iracundia* [m]: *plus enim se quàm alium lædit.*

h Psl. 6. vers. 6.

i 1. Tim. 5. 6.

k Psl. 117. 12.

l Psl. 61. 4.

m Iob. 5. 2.

Vers. 15.] Omnis, qui odit fratrẽ suum, homicida est: & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.

Hæc est causa cur non diligens fratrem, maneat in morte, quia homicida est: ita vt quod antè notabamus, sit nunc idem non diligere, & odisse: nisi velis, non diligere, denotare voluntatem non benefaciendi, odisse præterea malefaciendi. Hugo non diligere, interpretatur odium internum. Potest præterea videri à minori collecta ratio aduersus odium fraternum, vt si manere iudicatur in morte qui non diligit; multò magis is qui etiam odit. Syrus interpres inseruit causalem particulam גיר *ghir*, à Græco γὰρ mutuatam. Homicidij porrò reus est, qui fratrem odit non tantùm propter ipsius peccatum, animam occidendo, nec solùm quia Christus censeatus in eo mori secundum infidelitatem; vt Clemens ait Alexandrinus, (id est, quia non seruat fidelitatem): neque duntaxat respectu alterius, si ex odio illum insequendo, prouocet ad iram & discordiam, vt explicat Glossa ordinaria, verùm etiã si intus in animo retineat odium, censetur ob maleuolentiam nocere velle rebus Proximi, & vitæ ipsius.

Non diligere idẽ quod odisse.

Quomodo sit reus homicidij qui non diligit.

Thomas Anglicus doctè distinguit varios homicidij modos: prouocatione, *quia odium suscitat rixas* [n]: opere, cauetur enim. *Non occides* [o]: consensu, siquidem & qui faciunt, *& qui consentiunt digni sunt morte* [p]: subtractione rei debitæ; *panis namque egentium vita pauperum: qui defraudat illum homo sanguinis est* [q]. Carthusianus totidem modos recenset, quamuis paulò aliter, nimirum prouocatione, voluntate, procuratione, opere. Meminit præterea Petrum apud Clementem distinxisse triplex homicidium, corporale, quod aufert esse naturæ; detractionis, quod tollit esse famæ, occidítque ciuiliter: deniq; odij. Hinc discimus peccati malitiam ex interna voluntate proficisci, & in actum externum deriuari. Propterea nec qui casu quemquam occidit, nec qui iussus ab eo, qui necis, ac vitæ potestatem habet, propriè censetur homicida. *Qui videt mulierem ad concupiscendum eam, mœchus est* [r]: Similiter homicida qui odit. Alioquin *in modico consisteret*, ait Tertullianus [s], *Diaboli ingenium de malitia, & Dei dominus de disciplina, qua nos aduersus diaboli altitudines munit, si in his tantùm delictis iudicaremur, quæ etiam nationes decreuerunt vindicanda.*

Homicidij varij modi.

n Prou. 10. 12.

o Exo. 20. 13.

p Ro. 1. vlt.

q Eccl. 34. 25.

r Mat. 5. 28.

s de idololatria cap. 2.

Ibidem [t] iram, & maledictum, quæ nominatim prohibet Christus [u], refert ad homicidium: quod faciunt & Theologi, dum explicant Decalogi pręceptum, *Non occides*: exterior tamen actus sicut bonitatem, ita malitiam addit non aliam specie, sed eo modo, quem importat executio: & hac ratione respondet ei proprium quoddam, vel præmium, vel supplicium accidentale: essentiale verò idem est, quemadmodum & specifica bonitas, atque malitia non alia est in actu externo, quàm in interno. Legẽdus S. Thomas in Sũma [x], & in II. sentent. [y] cum alijs Scholasticis, præsertim Ariminẽsi. Hic Petrum Abailardum. (de quo item Bernardus [z]) refellit negantem actui externo inesse bonitatem, vel malitiam, & asserentem esse inutilem non solùm vt est externus, sed etiam vt procedit ab interiori actu, seu voluntate. Crassi etiam Ebionitæ sectatores Scribarum, & Pharisæorum, præcepto de non occidendo, solam peremptionem corporis existimabant prohibitam. Legatur Augustinus [a].

t ibidem.

u Matt 5. 28.

Cogitationes & opera peccata quomodo differunt.

x P. 1 2. q. 19. art 4.

y dist. 40.

z epist. 188.

a 19. con. Faust. c. 23.

Porrò quamuis non omnis qui odit alium, mortuum vult ipsum; est saltem homicida dispositiuè, inquit Carthusianus, quoniam odium est

Quo odit alium, iā homicida dici possunt.
a tom. 2. Bibl. Patrum.
b epist. 62.

via ad homicidium. Lege Homiliam LVII. Antiochi [a] Monachi. Trita illa sententia, quam Hieronymus [b] quoque recitat; *quem odit, quis periisse cupit.* Odium quippe fratris completum, licèt in animo lateat, homicidij induett reatum. Quomodo Aquinas [c] disputans an proximi odium sit grauissimum peccatorum, quæ committuntur in eum, videtur accepisse hunc locum: & quidam illud *qui* [d] *irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, interpretantur de iudicis condemnationis. Quod autē de dispositione afferebat Carthusianus, non intelligatur nisi de magis propinqua & graui; quoniā ob odij fraterni motus veniales, nemo manet in morte. Cyprianus [e] omnem Schismaticum vocat homicidam, qui nempe discordat, dissidet, pacem cum fratribus non habet: nec tale delictum ablui baptismo sanguinis, siue martyrio. Adaptat etiam ad liuidum inuidúmque sententiam hanc Ioannis. [f] Cassianus obseruat [g], ne homicidium perpetretur, iram, odiúmque succidi, sine quibus homicidij crimen nullo modo valet admitti. Tamē Ioannem intelligit de eo, qui fratrem corde cupiat interire. Saluianus [h] hinc infert multos esse homicidas, qui se innoxios putant, quòd manu nimirum non occidunt ipsi, non considerantes homicidium etiam odientis animo perpetrari. Sixtus Papa III. [i] sciuisse Ioannem vbi odium sit, homicidij manere affectum, cuius effectum non Dei lex, sed impossibilitatis impediat infirmitas, aut secularia iura prohibeant: difficillimum quoque esse, vt quem oderis, superesse velis. Alexander Papa I. [k] videtur legisse: *Omnis qui detrahit fratri suo, homicida est, & omnis homicida non habet partem in regno Dei.*

c 2.2.q.34.a.4.
d Matt.5.22.
e de orat. Dominic.
f de zelo, & liuore.
g 8. de instit. renunt. c. 12.
h 3. de Proui.
Homicidæ multi sunt, qui se innoxios putant.
i tract. de malis Doctor. & operib. fidei ante med.
k epist. 3.

Fratrem suum.] Quemlibet hominem, etiam fœminam, ad quam pariter hæc sententia pertinet, ait Augustinus [l]. Sexu enim masculino, quem primum Deus fecit, etiam fœmineus præceptum sexus accepit. Multis exemplis potest hęc dicendi formula illustrari, nósque id notauimus alibi.

l epist. 119.

Homicida est] *Non*, (inquit Ferus) *à Deo abiectus est, damnatus est; peccatum enim gratiam tollit, neminem tamen ad desperationem adigit, nec Dei misericordiam destruit, vt pœnitenti misereri nolit.*

Non habet vitam æternam in se manentem.] Charitatem, ac proinde Deum, qui charitas est, ac per charitatem, gratiámque peculiariter in nobis manet: nec recedit (quod ad ipsum quidem pertinet) cùm sit alioqui in re quacumque per essentiam, pręsentiam, potentiam. non habet ius ad beatitudinem, qui fratrem odit. Lege Augustinum [m], qui valde locum hunc totum perpendit, & vt is, qui odit fratrem, audiens expauescat, monet.

m lib. 50. hom. in 40. cap. 2. in 42. c. 7.

Vers. 16.] In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & non debemus pro fratribus animas ponere.

PRoponitur maxima ràtio fratres diligendi, ab exemplo Christi, qui vitā suam diuinam pro nobis posuit, ita vt & nos nostram ponere pro aliis debeamus propter amorem illius. Hic primo loco ponendum, primum charitatis actum, perfectissimúmque videri effectum, pro alio mori: *Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, vt animā suam ponat quis pro amicis suis* [n]: & adhuc magis *pro inimicis* [o]. Quamuis Christus hanc de seipso proferens sententiam, amicos nominauit, quos habebat vt amicos, qui vicissim nondum amabāt ipsum, vt notauit Rupertus [p], nosque ea ratione etiam inimicos diligimus, dici possumus diligere amicos, id est, qui nos oderunt, sed quos amicorū habemus loco: tamen distingui præterea potest in amore quantitas æstimationis, & intensionis. Prior est, cùm amicus pluris æstimatur, eique res ceteræ postponūtur: posterior cōsistit in gradibus pluribus, & paucioribus. Qui animam ac vitam pro amico, temporalem ponit, qua nihil esse carius solet, amore æstimationis bene ordinato, (inordinatus enim esset, si spiritualem poneret) maximè diligit amicum. Potest nihilominus ille ipse dilectionis actus minor, & maior esse secundum intensionem. Is verò qui poneret etiam pro inimico vitā, censeretur magis extensè diligere, quā qui dumtaxat pro amico, & faceret quod fit magis rarò, & cum maiore difficultate, & hoc pacto cū maiore quadam perfectione. Ceterùm adeò perfectum charitatis actum Ioānes proponit, vt certos nos reddat charitatem Christianam superiorem esse debere omni alia humana: & vt tam alte spectantes non deficiamus pro imbecillitate humanę naturę ab ea charitate, quę magis visitata est.

Perfectissimus amoris actus est pro alio mori.
n Ioan. 15. 13.
o Rom. 5. 7. 8. 1. Pet. 3. 18.
p in Ioan.
Amor æstimationis, & intensionis.
Caritas Christiana … aliis superior esse debet.

Secundò sciendum est, ex tāta charitate Christi, in incarnatione quidem [q], & reliqua vita, sed magis euidenter in passione, ac morte [r], colligi, non necessariò, sed spontaneè, liberè, liberaliter incarnatū, & mortuum Christum, cùm alio modo liberari potuisset genus humanum. Causas autē, propter quas conueniēs fuerit incarnatio, & passio Christi, petes ex Theologis, & Patribus.

q Ioan. 3. 16. 1. epi. Ioan. 4. 10. 19.
r Rom. 5. 7.
Incarnatio & … in Christo sunt liberæ.

Tertiò, magnitudo charitatis istius deprehenditur ex Deo ipso, qui est infinitum bonum, nulla re indigens, nullum inde commodum reportans, nullam in iis quos diligit, reperiens causam, cur diligat, immò quare non diligat, cùm sint inimici, & peccatores; præuidens præterea multos abusuros tam insigni beneficio. Lege Toletum in Ioannem [s].

s c. 3 Anno. 24.

Quartò, quod ait Ioannes debere nos pro fratribus animas ponere, intelligendo non de debito tantum congruitatis, vt loquitur, ac sentit Bonauētura [t], sed necessitatis, vt passim alij, locum habet, cùm agitur de spirituali vita Proximi, cui cōsuli aliter non possit. *Hoc est præceptum meum*, ait Christus [u], *vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Quem locum citans Augustinus [x], temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit, inquit, Christianus amittere. Affert Lyranus Vitalis exemplum, qui nutantem valdè Vrsinum medicū in fidei professione confirmauit, eaque de causa martyrium subiit cum eodem. Similis causa martyrij Sebastiani: & Lambertus mortē subire maluit, quàm à correptione fraterna abstinere, sicut & tantò antè Ioannes Baptista.

Pro fratribus ex necessitate debemus animas ponere.
t … art. 1. … ad 2. g.
u Ioan. 15. 12.
x de men. c. 6.

Respicit omnem Christianum hoc pręceptum (sicut & mori pro Christo quando oportet) non eum dumtaxat, qui perfectam habeat charitatem, vt sentit tamen hoc loco Thomas Anglicus, excipiens eum, in quo sit charitas imperfecta. De prælato concordant omnes maiori quadam obligatione astringi, de qua Augustinus [y]. Ceterùm pro vita temporali alterius propriam ponere, charitas per se non dictat quidem, sed vt ait Augustinus [z], hoc esset diligere proximū plusquàm seipsum, quod doctrinæ regulam excedit. Nihilominus honestè faceret, & laudabiliter, qui mortem pro alterius vita seruanda oppeteret, virtutis amore, atque ad aliorum exemplum, & præsentibus debitis circumstantiis: verbi gratia, ex hone-

y epist. 180.
z supra men. c. 6.
Quando quis pro alterius vita mortem subire debet.

stissima

ſtiſſima inter ſe copulatis amicitia, poſſet alter mori pro altero: magis amando ſeipſum hac in re, quàm proximum, ratione boni ſpiritualis, quod ineſt in amicitiæ virtute. Concedunt hoc Hieronymus [a], Ambroſius [b], Auguſtinus [c], Ariſtoteles [d], vt alios mittã Theologos, Philoſophóſque. Immò verò licet aliquando vitæ ſe periculo exponere pro rebus temporalibus alterius, quando hoc ad honeſtum finem dirigitur: quo pacto maioris boni rationem habet. Quo in genere perilluſtre eſt exemplũ Paulini Epiſcopi Nolani, omnium Latinorum Eccleſiæ quatuor Doctorũ laudibus celebratum: & quod Euſebius [e] de contagione mali extinctis narrat cùm peſte ſuccurriſſent laborantibus, quos veluti martyres memorat martyrologium Romanum [f]: & quod cum laude narrat de Sãctulo presbytero Gregorius [g], obtuliſſe ſe obtruncandum pro diacono, quem Lõgobardi occidere volebãt: affirmans quod hoc loco Ioannes præcipit præſtitiſſe, animam pro fratre ponendo.

a In ca. 7. Mic.
b 1. offic. c. 15.
c de Amicitia. c. 16
d 8. Ethico.
e lib. 7. ca. 20. hiſt.
f vit. Februar.
g 3. dialog. ca. 37.

Quintò: Tertullianus [h] elicit aptũ argumẽtum contra Gnoſticos martyrij aduerſarios, ex comparatione minorum, & maiorum. Quòd ſi pro fratribus, quanto magis pro Domino moriendum docet? Sed caue Auctoris eiuſdem venenum [i], quando abutitur eadem ſententia contra fugientes in perſecutione, quod ſine dubio licet.

h in Scorp. ca. 12.
i de fuga in perſec. ca. 9. & 12.

Quis nunc audeat Samſonem [k] comparare cũ Chriſto morti ſe vltrò pro populi ſui ſalute obiicientem [l]: aut Leonidam pro Lacedæmoniis: aut pro Athenienſibus Codrũ: aut Decios pro Romanis: aut pro amico amicum: Pyladem pro Oreſte, nomine, atque perſona eius in ſe aſſumpta: mori volẽtem Damonem pro Pythia, aliíſq; pro aliis? Suppetunt & in Chriſtianis exempla non pauca eorũ, qui carcere detẽtos habitu iis proprio conceſſo liberauerint: & paſtorum qui pro grege, ac paſtorum principe Chriſto [m] paſſi ſint, de quorũ numero sũt primi triginta tres Põtifices Romani.

Qui & quot pro amicis mortem non detrectarint.
k Iud. 16.
l lege Textor. officin. tit. de Amicis aſſiſ...
m 1. Pet. 5. 4.

Dei.] Sine dubio Chriſti, ſicut & omnes interpretes explicãt. Vatablus, Clarius, Caietanus, Catharinus expungũt hoc nomẽ *Dei*: *nec*, inquit poſtremus, *in Græcis legitur, & notabilior ſenſus colligitur. in hoc cognouimus charitatẽ*: id eſt, debitũ charitatis, ad quod tenemur, quia in illo, id eſt, in Chriſto conſpicitur: *quoniam ille animam ſuam poſuit*, &c. Auguſtinus quidem in textu, quem declarat non poſuit. Attamen & Beda, aliique Latini retinent hoc nomen, ex eóque nonnulli Chriſti argumentantur diuinitatem, & quidam præterea Græci codices id habent [n]: & ſic ſenſus melior, ac vberior conſtat, nec ſunt ſupplenda tam mũlta.

Chriſti diuinitas hoc probatur.
n in nouo Te. Rob. Steph.

Animam ſuam pro nobis poſuit.] Sponte, vt antè dixi, & liberè, atque quaſi paulò pòſt eam repetiturus, vt quidam accipiunt illud Chriſti [o]. *Ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam*: quo modo veſtem deponere dicitur, qui ea ita ſe exuit, vt paulò pòſt eam ſit reſumpturus. Chriſto ſanè cõuenit vis ea dictæ phraſis: nõ ita verò nobis, quos Ioannes debere dicit animas quoque noſtras pro fratribus ponere. Nam mortui non tam citò reſurgimus: tametſi ad æternitatem quoduis tempus cenſetur breue. Itaque ponere animam, generaliter idem eſt quod mori. Sed Chriſtus illo alio priore modo propriè ſolus poſuit animam ſuam, & mortuus eſt, non moriturus, ſi mori noluiſſet ex vi vnionis hypoſtaticæ, & ſua morte liberans, ac redimens alios, iiſque vtilitatem per ſe afferens potiùs, quàm ſibi. Non verò ſemper ponere animam, vel dare pro aliquo, eſt mori pro eo: ſed interdum vitæ periculo ſe exponere: vt quando de Paulo, & Barnaba, qui tunc viuebant, dicitur quòd *animas ſuas tradiderunt pro nomine Domini noſtri* [p]. *Demõſtrauit Spiritus mediatoris*, ait Auguſtinus [q], *quàm nulla pœna peccati vſque ad mortem carnis acceſſerit*, quia nõ *eam deſeruit inuitus, ſed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit.*

o Ioan. 10. 17.
Ponere animam non ita propriè de nobis dicitur ac de Chriſto.
p Act. 14. 15.
q 4. de Trinit. c. 13.

Pro nobis.] Clemens Alexandrinus reſtringit ad Apoſtolos, ſicut & illud: *& nos debemus*. Sed generalis eſt, ac omnes comprehendens oratio.

Verſ. 17.] **Qui habuerit ſubſtantiam huius mũdi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatẽ habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?**

SI non vales animam ponere pro fratre, qui charitatis gradus perfectiſſimus eſt: vel inferiorem iſtum ſectare, & ab hoc incipe, vt egeſtatem fratris ſubleues. Hoc ſi recuſas, non illa modò perfectior in te charitas non eſt, ſed nec vlla quidem vera, & ſincera. Vrget optimè Gregorius [r] iſtud argumentum, licèt propriè de paſtoribus loquatur. Proditum quoque de Ioanne eleemoſynario, cum eius liberalitatem effuſam mirarentur etiam hi qui accipiebant, dicere ſolitum: *frater, nondum pro te ſanguinem fudi, ſicut mãdauit mihi Dominus meus Chriſtus.*

r hom. 4. in Euang.
S. Ioannis Eleemoſynarij dictũ memorabile.

Eleemoſynę pręceptum obligat aliquando ſub mortali peccato: quod Manichęos negaſſe docet Auguſtinus [s], immò & prohibuiſſe, ne daretur mẽdico. Ad hos reuocari poſſunt Vviclef, de quo Thomas [t] Vvaldenſis refert docuiſſe, non licere dare peccatoribus eleemoſynam. Nomen fratris quod hic eſt, ſicut & proximi, neminem excludit. Nam Scripturæ monent, *ne quis eleemoſynam pauperis defraudet, ſed reddat debitum* [u]: extremam pronunciandam ſententiam aduerſus eos, qui neglexerint [x]: *obturantem aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamaturum, ſed non exaudiendum* [y]. Denique hoc loco negatur is, qui claudit viſcera, charitatem habere: ſuperius autem aſſeritur [z], *qui non diligit, manere in morte*. & Iacobus [a] aſſerit, *iudicium ſine miſericordia ei fore, qui non facit miſericordiam.*

Eleemoſynæ præceptum obligat ſub mortali.
s 1. con. Fauſtũ c. 16. lib. contr. A ſim. c. 17.
t Tom. 3. lib. 2. Doct. c. 81.
u Eccl. 4. 1.
x Matt. 25. 41.
y Prou. 21. 13.
z verſ. 14.
a Iac. 2. 13.

Patres omnes, & Theologi grauiſſimè idem confirmant, & ſæpiſsimè inculcant. Cyprianus [b] negat immiſericordi erga fratrem miſericordiam Dei. Ambroſius [c] minatur ignem, & vocat debitum. Nazianzenus [d] & Baſilius [e] appellant præceptum & mandatum. Poſtremò id perſuadet vera charitatis, & amicitiæ ſecundum illam ratio: quæ non vult ſolũ bene alteri, ſed facit quoque. Sicut ergo charitatis actus neceſſarius eſt, ita & eleemoſynę, quo, vt paulò pòſt ſubditur, non verbo, & lingua dumtaxat, vel etiam corde, ſed opere, & veritate diligamus.

De eleemoſyna Patres quid ſcripſerint.
b de opere & eleemoſy.
c de Nab. c. 12.
d orat. de Amore pauperum.
e in id Lucæ 12. deſtruã horrea mea, &c.

Non eſt meum, quæ pertinent ad eleemoſynam, hic omnia fusè tractare. Pręſens locus primam indicat neceſſariam circunſtantiam, vt ſuppetat facultas, *ſi quis habuerit ſubſtantiam huius mũdi*, & ſint quidem propria, iuſtéque poſſeſſa bona. *Honora Dominum de tua ſubſtantia* [f]: *qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filiũ in cõſpectu patris* [g]: ſi ſacrificium diſplicet, multò magis eleemoſyna, quæ minus bonum eſt. Præterea ſecundam, vt ſciatur proximi neceſsitas, *& viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere.* Vnde ſequitur, neminem per ſe teneri ad inueſtigandum quis neceſsitatem patiatur, ſed quibus incumbit ex officio. Alioqui cùm non ſit ratio maior de vno, quã

Eleemoſyna de proprio facienda eſt.
f Prou. 3. 9.
g Eccl. 34. 24.

de alio: deberet quiuis de omnibus inquirere, quod esset onus intolerabile, ita vt vix aliis rebus, & actionibus necessariis posset quis vacare. *Pauperes semper habebitis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere*, ait Christus [a]: qui inexcusabilem indicat diuitem, cuius ad ianuam Lazarus mendicans iacebat [b]. Non omnium Abrahæ virtus, qui sedebat in ostio tentorij, expectans hospites prætereuntes [c].

Tertiam illud indicat, *viderit necessitatem habere*, nempe ita, vt nesciat certò futurum, vt alius subueniat, seu, quod ait B. Thomas [d], quando non apparet in promptu, qui ei subueniat.

Quarta continetur in nomine *necessitatis*, quam distinguunt in extremam, & grauem: & certum est priorem obligare, nec tamen cùm par est propria necessitas: & illam explicant, non tunc solùm, cùm quis est statim exhalaturus animam, sed si vel certum, vel probabile vitæ discrimen sit.

Hic quæri posset, satisne sit tunc dare mutuum, vel oporteat liberaliter donare in extrema necessitate? An interdum vigeat obligatio etiam in posteriore, & teneatur quis de rebus ad status sui, & suorum decentiam non necessariis eleemosynam largiri, non adeò quidem constat: est tamen multò magis communis, veráque sententia, quæ ait. Nā requirit ordo charitatis, vt plus alterius vitā corporalem, quis diligat, quàm se, suósque, quantum ad ea bona temporalia, quæ dicto modo non sunt necessaria. *Grandis culpa, si sciente te, fidelis egeat* (immò & quilibet etiam infidelis) inquit Ambrosius [e], *si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat.*

Lyranus, & Carthusianus hoc loco sequuntur dictam opinionem, voluntque per substantiam huius mundi, etiam superflua intelligi, sicque Christum præcipere, cùm ait [f]: *Quod superest, date eleemosynam, τὰ ἐνόντα, quæ adsunt, quæ sup petunt*, &c. κατὰ τὰ ἐνόντα, pro facultate vestra, pro quantitate illorum quæ habetis. Eodem pertinet doctrina Ioannis Baptistæ, qui præfatus [g], quòd *omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, subdit explicans fructus: *qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui escas habet, similiter faciat*. Quem etiam Hieronymus [h] locum ad hunc exponit modum, & plures alij Patres apertissimè fauent [i]. Tandem ratio suadet, quoniam cùm iure naturæ sint omnia communia, diuisio vt rectè sit facta, ex consensu gentium videlicet tenentur qui abundant, egētibus communicare superflua: alioqui valde incommodum, & damnosum accidisset maiori hominum parti, quæ talibus constat. Hoc argumentum B. Thomas [k] facit, & indicatur ab Ambrosio [l], & Basilio [m].

Profectò Ioannes noster non hic definit, aut limitat extremam necessitatem, sed vniuersè, ac absolutè denunciat: *qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Nec est ferè, qui non arbitretur, violari officium amicitię, atque charitatis ab illo, qui ne sibi quidem superflua velit amico tribuere, vt eius necessitati succurrat. Immò verò longè quoque probabilius censeri debet, in graui cuiuspiam necessitate teneri aliquem ei subuenire etiā ex necessariis ad proprium statum, quando nempe minori suo incommodo id potest, siue simpliciter donando, siue mutuando, siue vendendo, iuxta illud [n]: *iucundus homo qui miseretur, & commodat; &* *fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius* [o]. Sic

a Mat. 14.
b Lucæ 16.
c Gen. 18.
d 2. 2. q. 32. art. 6. ad 3.
Quæ necessitas obliget ad eleemosynam.
An sufficiat dare mutuum extremè laboranti.
e 1. offic. c. 32.
f Luc. 11. 41.
g Luc. 3. 8. 9. 10. 11.
h epl. ad Hed. q. 1.
i citat aliquos Greg. à Valēt. Tom. 3. disp. 3. q. 9. punct. 4. & Bell. libr. 3. de bonis operib. in particulari cap. 7.
Ex superfluis quomodo iure naturæ egētibus dare homines teneantur.
k 2. 2. q. 66. ar. 7.
l serm. 81.
m homil. in id Lucæ 12. destruam horrea mea.
n Psal. 111. 5.
o Eccl. 29. 1. 2.

Gabelo [p] Tobias mutuauit, Ægyptus Ioseph vendidit frumentum [q]. Hoc ipsum præsens hic locus insinuat, omissis aliis. Nam non dicit Ioannes: qui habuerit substantiam superfluam, sed absolutè. Et Augustinus in Commentario sic intellexisse Ioannem videtur: *A creditore, inquit, angustiatur frater tuus: nō habet ille, habes tu: frater est, ambo sanguine Christi redempti estis: vnde, si misereris, si habes facultates mundi. Forte dicis: quid ad me pertinet? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, nō es natus ex Deo. Quomodo ergo gloriaris te esse Christianum?*

Substantiam huius mundi] Τὸν βίον τοῦ κόσμου. Syriacè קניאנא *keniana, possessionem*. De nomine Latino substantiæ in hac notione, sicut & de Græco τῆς οὐσίας, egimus in historia Apostolica [r]. Vtūtur Marcus [s], & Lucas [t] vocabulo τοῦ βίου eodem pacto. Interpres enim reddidit *victum, & substantiam*: *victum*, cùm de vidua duo æra minuta mittente in Gazophylacium: *substantiam*, quando de impensa in medicos mulieris sanguinis fluxum patientis, & attributa portione facultatum, quæ fratri adolescentiori contingebat. Paulus quoque *βιωτικὰ κριτήρια* nominat [u]: quæ vertit idem interpres *secularia iudicia*, id est, quæ spectant ad victum. Græci non modò vt Synonymum τῷ ζωῇ vsurpant τὸν βίον, verùm etiam sumūt pro annona, victu, bonis, facultatibus, rebus ad vitam necessariis. Immò & numero multitudinis οἱ βίοι idem quandoque significant. Sic Galli dicunt, *le viure & les viures*: Itali *il vinere*. Videtur & apud Ciceronem [x] talis vsus vitæ, cùm scribit: *Constituebantque extremum esse rerum expetendarum, & finem bonorum adeptū esse, omnia e natura, & animo, & corpore, & vita*, id est, fortunę bonis ad vitā degēdā necessariis.

Idem iudicium de Hebręo nomine חיה *chaiah*, vt apud Esaiam [y]: *vitam manus tuæ inuenisti, propterea non rogasti* חית ידך מצאת *chaiath iadech matsatha*. Rab. Dauid de victu, & escis explicat: & extendi potest ad omnia bona fortunæ, quæ tandem referuntur ad sustentandam vitam. Apud Iob [z] in verbis illis: *& vita ipsa putabantur indigni*, pro vita Hebraicè est כלח *callach*, & Græcè *συντέλεια*, Chaldaicè, בך *chuch*, tamē Scholiast. explicat τῶν συντελούντων πρὸς τὴν ζωὴν ἀφθονίαν, *eorum quæ conferunt ad vitam, copiam*. Symmachus πᾶν τὸ πρὸς ζωὴν, *quicquid ad vitam facit*. S. Augustinus: *omnem vitam*, & Chrysostomus, ac Nicetas *vtilitatem, seu quæ vitæ hanc præbent*. Hæc volui dixisse in gratiam nostrę editionis, quam Gagneius, vir alioqui pius, & doctus, non satis consultò hîc reprehendit: Augustinus legit *facultates mundi*. Particulam porrò *huius*, omittunt aliquot Codices, nec Gręci habēt.

Fratrem suum.] Id est, proximum, & quemlibet hominem, non enim soli iusto, qui maximè propriè frater est, meritóque præferendus est, dari debet eleemosyna, vt antè monuimus. *Si esurierit* [a] *inimicus tuus, ciba illum: benefacite his qui oderūt vos* [b]: *omni petenti te, tribue* [c]: *operemur bonum ad omnes* [d]. Igitur quod ait auctor Ecclesiastici [e]: *da bono, & non receperis peccatorem prohibe panes illi dari*: vel de beneficio loquitur erga impios, quando non egēt, vel ne foueatur peccatum, & peccatori quatenus talis est, eleemosyna detur, ait B. Thomas [f], respondet: lege quæ dixi ad caput XI. Ecclesiastæ [g].

Necessitatem habere.] De necessitate, quæ, quantáve debeat esse, satis, pro instituti ratione, superiùs. Cyprianus [h] legit, *desiderantem*, vel vt vetus

p Tob. 1. 17.
q Gen. 42. 19. c. 44. 1.
r Act. 2. 45.
Substantia pro facultatibus & bonis vsurpatur.
s 12. 44.
t c. 8. 43. c. 15. 12 c. 21. 4.
u 1. Cor. 6. 4.
x 1. Academ.
y cap. 57. 10.
z cap. 30. 2.
Soli iusto nō est danda eleemosyna.
a Prou. 25. 21. Rom. 12. 20.
b Matt. 5. 44. Luc. 6. 30.
d Gal. vlt. 10.
e cap. 12. 6.
f 2. 2. q. 32. art. 9. ad 1.
g vers. 2.
h de opere & eleemosyn. & lib. 3. testi. c. 1.

eiusdem codex habet, *esurientem*. Hoc secundo modo Augustinus [a], licet etiam legat *egentem*: nullum ex his conuenit cum Græcis χρείαν ἔχοντα. Est autem χρεία non necessitas sola, sed etiam indigentia: ita vt præter extremam alia quoq; necessitas possit intelligi. Quamuis autem de corporali necessitate propriè dũtaxat nunc sit sermo, multò tamen magis ad eleemosynam applicanda spiritualem, & necessitatem, quæ de priore dicta sũt.

a meminit Psalmi. 42 Matei.

Distingui solet necessitas extrema, extremæ proxima, arcta, vulgaris, communisve: vt prima omnes obliget habẽtes quod possint dare, quamuis sint pauperes: secunda illos etiam qui tantùm mediocriter habẽt: tertia, eos quibus bene sit prospectum, licèt non habeant superfluum, quoad statum: vltima omnes qui habẽt superfluum: quorum quanto facultates maiores, tanto maior sit obligatio.

Et clauserit viscera sua ab eo.] Vt non compatiatur miseriæ illius, vel nihil det, etiamsi compatiatur, inquit Glossa interlinearis. Notatu digna Gregorij [b] sententia: *quamuis vera compassio est compassioni Proximi ex largitate concurrere: nonnumquam tamen cùm exteriora quaque abũde ad largiendum suppetunt, celerius dantis manus dationem inuenit, quàm animus dolorem*, &c. Vult videlicet maius quid esse compati, quàm exteriùs largiri: quia compatiens perfectè plerumque & hoc, vt ille subdit, *indigenti tribuit, in quo ipse quod dederit, angustatur, & minùs æstimat omne quod dat, & maius aliquando datum est inentis, quam muneris: & exteriora largiens, rem extra semetipsum præbet, qui compassionem proximo tribuit, ei aliquid de semetipso dat: & rem quamlibet plerumque dat etiam qui non cõpatitur: nunquam autem qui verè compatitur, quod necessarium proximo conspicit, negat.*

b 10. Moral. cap.26. *Compassionis fur currere quam cælerrime misfero debet.*

Hæc optimè declarant vim præsentis formulę, qua Ioannes charitatis atque misericordiæ declarat rationem, & vim veram, atque ex intimo affectu. Nam viscera, in quibus numeratur cor, iecúrque, sedes sunt affectuum, & ad alienam miseriã, si quis commiseratione tangitur, teneriora redduntur, mollefiunt, patefiunt quodammodo, vt ex iis erumpant solatia verborum, & factorum, si suppetat facultas. *Defecerunt*, inquit verus fratrum amator Ieremias [c], *præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra iecur meum super contritione filiæ populi mei, cùm deficeret paruulus*, & lactens in plateis oppidi. Idcirco is qui *in visceribus* (id est, *propter viscera*, vt legit Ambrosius [d], vel Prosper) *misericordiæ visitauit nos oriens ex alto* [e], latus ipsum voluit aperiri, & patentem eorum manuum, pedúmque cicatricibus ibi perpetuò cicatricem, vulnúsque conseruare, vt infinitum illum ipsius erga nos amorem penitius consideraremus.

c Thren. 2. 11.

d 1 de vocat. Gent.c.7.
e Luc.1.78.

Appellat Paulus [f] viscera miserationis, & misericordiæ: viscera Titi [g]: viscera Iesu Christi [h]: viscera sanctorum [i]: viscera sua [k]: videlicet singularem amorem, aut singulariter amatos. Valde frequens est hic loquendi modus in vetere Testamento, vt dicantur viscera commoueri, & turbari, crudelia esse, & e in iis positam esse sapiẽtiam, legem, spiritum, cor, &c. renes verò increpare. Idẽ sibi vult quippiam velle, amare, facere, benedicere ex corde, ex præcordiis, ex omnibus quæ intra sũt, ex interioribus. Quem idem Paulus Onesimum [l] vocauerat filium, nominat quoq; *viscera sua*. quia sunt, ait Hieronymus eo loco, *omnes filij parentum viscera*, immò anima, teste Apollonio Tyaneo [m].

Viscera misericordiæ quam vim habeant.
f Phi.2.1. Col. 3.12.
g 2.Cor. 7.15.
h Phil.1.8.
i Philem. v. 7.
k ibid.12.

l Ibidem.

m apud Philostrat. lib.2 vit.q.

Igitur innuit Ioannes, charitatem in nobis erga alios non fraternum dumtaxat, sed etiam affectum operari maternum, vt omnes quodammodo parturiamus in vtero, gestemus, & tamquam viscera nostra, nósque ipsos amore tenero diligamus. Oecumenius Paulum [n] declarans, *induite viscera misericordiæ*, docet hortari ad affectum paternum erga proximos, qualem patres erga filios habent, quos ex suis generant visceribus.

n Col 3.12.

Præterea viscerum nomen adiunctum misericordiæ virtuti, non alteri vlli, *multitudo viscerũ tuorum, & miserationum tuarũ* (inquit de Deo Esaias [o]) denotat propriũ id illius esse, vt excitetur, ex quodam compassionis affectu in parte sensitiua, qui, dum alteri compatimur, facit, vt nobis ipsis quodammodo medeamur minuentes compassionem, quam sentimus.

Viscera misericordiæ quæ dicantur.
o cap.63 15.

Quocirca Ioãnes videtur inhumanitatẽ arguere, & argumentari, multò minus planè spiritualẽ charitatem Dei manere in nobis, cùm nec viscera nostra commoueantur ad alterius calamitatem, qui eamdem habet humanam naturam, & vt Esaias loquitur [p], *carnem ipsam nostram despiciamus*, & in nos ipsos, visceráque nostra sęuiamus. *Nouit iustus* etiam *iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia* [q]. Vocant Græci quoque numero singulari σιδηροῦν σπλάγχνον, *ferreũ ac durum cor*, & ἄσπλαγχνον hominem immitem: & è contrario εὔσπλαγχνον mitem, & σπλαγχνίζεσθαι, ex intimis commisereri. Propterea petebat Dauid [r] *Spiritum rectum in visceribus innoua*, id est, Spiritum, quo respiceret alienum bonum per συμπάθειαν. Iudæ viscera proditoris [s] diffusa sunt, quoniam viscera misericordiæ Dei nostri à se, & prodendo, & desperando excluserat. Hebræi vocãt רחם *rachem*, misericordiam & amorem à רחם *rechem*, quod est matrix, & vulua: & apud Esaiam [t] etiam dicuntur מעי רחמי *mehhe rachame, viscera miserationum.*

p cap.58.7.

q Prou.12.10.

r Psal.50.12.

s Act.1.18.

t c 63 15.

Quomodo charitas Dei manet in eo.] Augustinus: *quomodo charitas Dei poterit manere in eo?* Charitas vel Dei Patris, vel Christi, cuius est proximè antè allatum exemplum. Videtur Oecumenius allusionem notare ad viscera, quasi qui in ea non admittat fratris indigentiam, hoc ipso, quam habebat, excludat charitatem, & ea euacuet viscera sua. Ioannes Ferus hoc loco secus quàm sit in omnibus codicibus, iubet nos notare dici hoc loco, *Patris*, non autem *Dei*. Non manet verò charitas tum habitualis, quæ est principiũ productiuũ dilectionis, tum Dei, qua diligat: nõ enim diligit eũ, qui proximum suum non item diligit, & *iudicium sine misericordia ei est à Deo, qui nõ facit misericordiã* [u]: & *qua quis mensura mensus fuerit, remetietur ei* [x].

u Iacob.2.13.

x Mat.7.2.
Qui cum debet non facit eleemosynam, non peccat contra iustitiam.

Porrò nõ negat Ioãnes alias virtutes merè morales, & acquisitas manere, nec ait, eum, qui non tribuit egenti substantiam huius mundi, peccare contra iustitiam: reuera enim non peccat contra illam, sed tantũ peccat contra charitatẽ siue misericordiam charitati subordinatam. Alioqui teneretur qui prætermittit eleemosynam, cũ debet, ad restitutionem, neque censeretur dominus eorum, quæ illũ oportet dare, quod falsum est. Si quando Patres illud præ se ferunt, asserentes non diuitis esse panem, quẽ retinet, aliásve res, sed pauperis, volunt dumtaxat notare peccatum contra charitatem & fidelitatem, quarum obligationem soluit, qui non largitur. Nam verè dixit Sapiens [y], quòd *diues & pauper obuiauerũt sibi, & vtriusque operator est Dominus*, hoc est, diuitiarum est etiam auctor, & vni dat, alteri negat, prout vult.

y Prou. 22.2.

Vanus itaque, ac fatuus error Iuliani Aposta-

tæ[a], Apostolicorum sic dictorum hæreticorum[b], Manichæorum[c], Pelagianorum[d], Christianis in lege Euangelica diuitias interdictas esse, ac rerum proprietatem. Proposuit solum Christus[e] hanc abdicationem tanquam consilium volentibus perfectionem sequi, & Petrus Ananię dixit[f], *Nonne manens tibi manebat, & venumdatū in tua erat potestate?* quem locum in Actibus exposuimus: Paulus[g] diuitibus præcipi vult *non sublime sapere, sed facilè tribuere:* postremò non essent prohibenda furta, non exigenda tributa, non erogandæ collectæ, & eleemosynæ: & ex communitate rerum orirentur incommoda plurima, & maxima pro humanæ naturæ corruptione. Lege Cardinalem Bellarminum[h]. Cauendus loquendi modus Arnoldi de Villa Noua[i], eleemosynarum largitione magis Christi repræsentari, & exhiberi Passionem, quàm altaris Sacrificio. Negari non potest *talibus hostiis promereri* Deum[k]: ac sapientissimè piissimam Placillam Theodosij senioris vxorem respondisse, reprehendentibus in ipsa hæc obsequia pietatis erga pauperes, ægrósque *aurum distribuere decet Imperatorem, se pro ipso imperio, ei qui id ipsum dederat, illam operam offerre debere*[l], at in alio genere, & absolutè Sacrificiū altaris præferendū.

a apud Nazianz. orat. 1. con. Iulian.
b de quibus Epiph. hæresi 61. Aug. hære. 40.
c apud Aug. 1. de mor. Eccl. c. vlt.
d apud Aug. ep. 89. & 106.
e Matt. 19. 21.
f Act. 5. 4.
g 1. Tim. 6. 17. 18.
h 3. de bonis operib. in partic. c. 10. & 11.
i apud Platonolum.
k Heb. 13. 16.
l Theodor. 5. hist. c. 18.

Vers. 18.] Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.

Diligere licet verbo, & lingua, sed non tantùm. Et hoc quidem, tantùm, in textu posuit Augustinus, quem Hesselius imitatus est. Sed sæpè alibi subintelligitur: vt, *Misericordiam volo*[m], *& non sacrificium*[n], id est, nō hoc solùm, nec adeo, vt illam verbo diligit, qui laudat charitatis, misericordię, eleemosynę opera: lingua, qui vel suauiter alloquitur egentes, vel pollicetur fictè subsidium, quasi dicat, quod refert Iacobus[o]: *Ite in pace, calefacimini, & saturamini*, non dando quæ necessaria sunt corpori; vel verbo, qui simulat dilectionem, nihil tribuendo; lingua, qui tribuit quidem, sed respiciendo ad commodum proprium. Nec sufficit opere diligere, nisi fiat ex animo, & verè studióque virtutis, non ad vexationem, vt dicunt, redimendam, & amouendam importunitatem, non ob peruersum finem. Si potestas desit operis, verbis benignis solandi pauperes, sed sinceris ac veris, nō fictis. Tales Theognis appellat φίλους ἀπὸ γλώττης, καὶ μίχει σπουργεσίας: eosdémque in Candidu quodam bene describit Martialis. *Congregationi pauperum affabilem te*[p] *facito*: &, *Nonne ardorem refrigerabit ros? sic verbum melius, quàm datum*[q]. Sed audi quod sequitur: *Nōne ecce verbum super datum, bonum? sed vtraque cum homine iustificato*, id est, iustus præstabit vtrūque, siue vt est Græcè κεχαριτωμένῳ, *gratioso, gratia pleno, Deo grato, & hominibus*, vel κεχαριτωμένα vtraque παρὰ ἀνθρώπῳ *apud hominem gratiosa*. Expendit egregiè Gregorius[r] hunc locū Ecclesiastici, & Iacobi, & Ioannis, atque declaratis viris eleemosynas largientium, & cōditionibus, quæ requirūtur concludit. *Dilectio nostra sēper exhibēda est, & veneratione sermonis, & ministerio largitatis.*

Si quis contendat synonyma esse, diligere verbo, & lingua, nec non opere, & veritate, non admodum repugnabo, doctus exēplis aliis in vtroq; Testamento, neque Catharino credens asserenti, quòd Apostolica doctrina reiicit synonyma. Ipsius tamen est prior expositio, quam posuimus, & placet. Bernardus[s] prior videtur sic intellexisse. *Nec lingua mentientis*, inquit, *in hac dilectione recipitur, nec rursum afficientis excipit sapientia gustum: Opere diligamus, & veritate, quod videlicet mouemur ad bene operandum magis quodam viuida veritatis impulsu, quàm sapida illius charitatis affectu.* Agit ibi de charitate duplici, siue de duobus illius modis, propter quos vocatur affectualis, & actualis. Eiusdem lege suauissimam epistolā centesimam-decimam, qua docet longè præferendas veras & æternas amicitias vanis atque transitoriis, quæ iactari solent, verbulis, & scriptitationibus. Clemens Alexandrinus in pædagogo[t] infert ex hoc loco, sicut Deus diligi debet interius, ita & proximum, non per externa sola signa.

Cæterùm ex hac sententia colligitur, propriè loquendo, beneficentiam, vt docet B. Thomas[u], esse actum charitatis, quia actus externus, per quem virtutis internus actus perducitur ad opus, ad eandem pertinet virtutem, & moraliter censeri solet idem actus, propter eandem rationem obiecti. Docet quoque Philosophus[x], *esse actum etiam amicitiæ benefacere amicis*: Sub alia ratione actus benefaciendi per eleemosynam, spectat ad virtutem misericordię, quatenus respicit alienam miseriam, vt subleuari potest opera nostra.

m Oseæ 6. 6.
n Matt. 9. 13. & 12. 7.
Quid est diligere verbo & lingua.
o cap. 2. 15.
p Eccl. 4. 17.
q Eccl. 18. 16. 17.
r 21. Moral. ca. 13.
s serm. 50. in cantica.
Quid sit opere & veritate diligere.
t lib. 3. c. 12 sub finem.
u 2. 2. q. 31. a. 1. & 4.
x Ethic. c. 4. *Actus amicitiæ est amicis benefacere.*

Vers. 19.] In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus: & in conspectu eius suadebimus corda nostra.

Magnæ deinceps charitatis afferuntur vtilitates, vt nō immeritò repetat Augustinus, quid valeat charitas, omnem scripturam cōmendare, sed nescire se, si alicubi ampliùs, quàm in ista epistola commendetur. Docet verò his verbis conueniri cuiusque conscientiam, vt expendat, an facultates det, immò & animam pro fratribus, ex visceribus, & in veritate, & propter fratrum dilectionem, quoniam *potest quis omnes facultates pauperibus, & corpus tradere, ita vt ardeat, sine charitate*[y]. Ideo *probare quemque debere opus suum, vt gloriam suam habeat in semetipso, & non in alio*[z], propter testimonium conscientiæ, quæ sit testis, sibique ipsi persuadeat, quod in conspectu Dei, ac studio illi placendi operetur, nec detrectet, immò cupiat, & lætetur opera sua parere diuinæ notitiæ. Nam *qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta*[a]. Itaque censetur esse ex veritate, id est, ex Christo *qui est veritas*[b], & ideo *audire vocem eius*[c], qui, vt dictum est, diligit in veritate, habens consentaneam doctrinæ, verbísque actionem. Et qui de hac sua tali actione probabile capit experimentum, piè sibi polliceri potest, se dignas Dei conspectu cogitationes, & voluntates habere; atque pacato tranquilloque animo stare posse ante tribunal Dei, erit conscientia confidente, ac secura coram Deo. Consimilis posteriore ad Corinthios[d] epistola locus: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.* Potest præterea exponi esse ex veritate cognosci ab eo qui diligit opere & veritate, quoniam cognoscit esse se ex Deo & Christo: quoniam omnis qui est ex veritate, audit vocem Christi[e]: vel quia veritatem amat & sectatur, liber à prauis cupiditatibus: vel quia cognoscit veracis Dei promissionem in se implendam, séque ex filiis[f] promissionis esse, ac numero etiam prædestinatorum.

Quid valeat charitas omnis scriptura commendat.
y 1. Cor. 13. 3.
z Gal. 6. 4.
a Ioan. 3. 21.
b Ioan. 14. 6.
c Ioan. 18. 37.
Qui diligit in veritate audit vocem Christi.
d cap. 1. 12.
e Ioan. 18. 37.
f Rom. 9. 8.

Catharinus hic exultat, ac inuehitur in Scholasticos, qui negant certam haberi cognitionem à nobis, cui non subsit fallaciæ periculum. Vrget verbum cognoscendi, & suadendi corda, vel cordibus nostris in conspectu Dei, *in quo*, inquit, *non admittuntur humana fallacia, & incerta huiusmodi certitudines*. Sed sæpè superiùs tali argumento satisfactum est, Quod in conspectu Dei quis constituat sese, de gratia ipsius cogitans, & eā se habere arbitrās, potiùs facit. vt, quod dicebat Paulus, secum reputet non iudicando seipsum: *tametsi nihil sibi conscius sit, Dominum esse qui iudicat* [a], & adhuc nos diuina de nobis latere iudicia, non solùm pro futuro, sed etiam pro præsenti statu, ac tempore. Qui etiam suadet, non semper persuadet, sed aliquando inducit probabilem dumtaxat assensum.

Nemo potest certo iudicare de se esse in gratia.

a 1. Cor. 4. 4.

Et in conspectu eius suadebimus corda nostra.] De sensu satis dictum, qui est Augustini, Bedæ, & communior. Ille minùs probatur, quem dat Hugo cum Glossa Interlin. & Lyrano: suadebimus corda nostra, vt magis proficiamus, & meliora excogitemus: Paulò magis, qui traditur à Carthusiano, nos per opera charitatis cognoscere, quòd mentes nostras instruimus secundum doctrinam Scripturæ dirigendo intentionem in Deum, & cogitando, quæ Deo placent, vt semper stemus in conspectu Dei [b], & meditatio nostra [c], & omnes viæ, vnde fiat, vt seruemus mandata, & testimonia eius [d], considerando simul, *quod Deus considerat viam nostram, & omnes gressus nostros dinumerat* [e]. Ioannes Ferus explicat, nos ea operibus charitatis cognoscere quòd sumus ex veritate, id est, filij Dei, & sic suadere corda nostra in conspectu Dei, id est, fiduciam consequi quiduis impetrandi. Interpres Græcismum secutus est, iungendo verbum accusandi casui πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν, cùm magis Latina cōstructio datiuum requireret: *suadebimus cordibus nostris*. Sic in libro Iudith [f]: *suade Hebræam illam*. Legit Augustinus in hoc loco: *& coram ipso persuademus cordi nostro*. Vertit alibi noster Interpres in datiuo; *modò [g] hominibus suadeo, an Deo? &, hominibus [h] suademus*.

b 3. Reg. 17. 1.
c Psal. 18. 15.
d Psal. 118. 46. 168.
e Iob 31. 4.
f cap. 12. 10.
g Gal. 1. 10.
h 2. Cor. 5.

Porrò hinc refelli possunt hæretici. qui fidei tribuunt iustitiam totā, & conscientias suas tranquillant credendo diuina fide se esse iustos: quasi velit id Paulus dicendo [i]: *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum*: Non aduersatur Apostolus Apostolo. Ioannes hîc ait, *persuasionem, & confidentiam, quam habemus esse ex veritate*, oriri ex dilectione in opere & veritate. Paulus non loquitur de tranquillitate conscientiæ, quæ nō agitetur peccatorum terroribus, aut scrupulis: & sæpe iusti timent, & peccatores tranquilla sunt consciētia, non cognoscentes peccata sua, sed agit de pace reconciliationis apud Deum, quæ oritur ex fide, vt fundamento, & quæ nobis indicat auctorem reconciliationis nostræ Christum. Vndecumque verò conscientiæ bonæ testimonium oriatur, beatitudinis cœlestis præceptio quædam videtur, & *secura mens velut iuge conuiuium* [k], & *gloria nostra* [l], & non murus dumtaxat aheneus [m], & virtuti theatrum [n], & loco mille testium [o], sed vt ait quidam.

Contra hæreticos qui etiam iustitiam fidei assignant.

i Rom. 5. 1.

Hæc est summa boni mens quæ sibi conscia recti est [p].

Immò quodammodo vice ac loco Dei, Βροτοῖς [q] ἅπασιν ἡ συνείδησις Θεός. Nam laudat opera bona, mala reprehendit, ac vindicat.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet Auctori: prima est hæc vltio, quòd se
Iudice nemo nocens absoluitur.

k Prou. 15. 15.
l 2. Cor. 1. 12.
m Horat. lib. 1. ep. 1.
n Cic. Tuscul. 2.
o Adag.
p Iuuen. Sat. 13.
Conscientia vice vtramque partem quanta.
q Menander.

Certè vt sit bona conscientia, suadere nobis debet in conspectu Dei, qui cuncta inspicit, & iudicat, *& conscientiæ ipsi testimonium dat*, vt ait Bernardus [r], *quid illa percipit, & reddit*. Idcirco hominum iudicia non tanti facienda, sed imitandus Paulus, qui ea spernebat, cùm sibi proponebat iudicem Deum [s], & Augustinus [t], cuius est illud: *Sentiat de Augustino quidquid libet sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Experiuntur impij, quantumuis lateant hominum oculos, quàm dirè mala sæuiat, eósque lancinet conscientia. Legatur vnus præ tot alijs profanis Auctoribus Plutarchus [u], tum quod refert de Somnio Apollodori: *Narrant*, inquit, *Apollodorum aliquando in somnis vidisse cutem sibi à Scythis detrahi, deinde elixari se, & cor ex ipso lebete sibi tacitè dicere: ego tibi horum sum causa.* Lege de terrifica mala conscientia librum Sapientiæ [x]; & Iob [y]. Hîc opportunè poni monitum posset de discutienda quotidie diligenter conscientia. Id non sacri solùm præcipiunt Auctores [z], sed profani quoque [a] tamquam summi rem momenti, & ad virtutis assecutionem, conseruationem, augmentum apprimè necessariam.

r serm. 1. in Festo omnium Sancto.
s 1. Cor. 4. 4.
t 1. contra Secundinum c. 1.
u de sera Numinis vindicta.
x cap. 17. 19. 20.
y cap. 15. 21. 22. 24.
z Hieron. in Psal. 4. Chrys. hom. 2. in Ps. 50. & ho. 43. in Matth. post me[d]. & serm. de Pœnit. & confess. & alibi sæpe. Basil. serm. de renunt. secul. & serm. de inst. monacho. Ephr. tom. 1. serm. asc. de vita relig. in med. vel. Doroth. Abb. doct. 7 & Cassian. collat. 5. c. 24.
a Virg. in ep. Vir bonus & Seneca lib. 3. ep. in vlt.

Vers. 20.] Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum: maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.

QVamuis nos nec alius, nec lingua, vel alia cæteriora nostra accusent, aut condemnent, sed cor, & conscientia, multò magis Deus, qui longè maior est corde nostro, & quem latere nihil potest, immò nobis per ipsum conscientiæ testimonium, & insitam rationem loquitur, magis intimus nobis quàm cor nostrum. Hic genuinus videtur sensus, qui & magis communis.

Deus longè maior est corde nostro.

Alium præter hūc Hugo refert, vt occurratur obijcienti, si largiatur indigno se peccare, ideo non posse, ita vt dictum est, diligere; Deum namque conscientiam nostram intentionémque spectare, & munerare. Thomas Anglicus primum quoque recipiens; secundo similem tradit, vt spē veniæ concipiamus de his, quorum est remorsus conscientiæ: nec enim perdi mercedem, licèt nos conscientia reprehendat de aliqua culpa veniali, quoniam Deus maior est in misericordia, quàm peccata nostra, nec eius bonitatem immensam angusto nostro corde metiri possumus.

Alij sententiam indefinite sumunt de quibusuis peccatis etiam absque respectu, & habitudine ad eleemosynā; vel certè vt qui benigni sunt, sperent etiam Dei misericordiam. Angusti nimis cordis Cain dixit *iniquitatem suam maiorē Dei misericordia* [b]. Regium est habere latitudinem cordis, quæ Salomoni à Deo data est [c] *quasi arena quæ est in littore maris. Cor nostrum dilatatum est*, ait Apostolus. *Dilatamini & vos* [d].

b Gen. 4. 13.
c 3. Reg. 4. 29. *Regium est habere latitudinem cordis.*
d 2. Cor. 6. 11. 13.

Si reprehenderit nos cor nostrum.] Augustinus: *si malè senserit*. καταγινώσκειν est reprehendere, vel condemnare, quasi dicat, contra aliquem cognoscere, falsi conuincere. Colligit hinc & ex similibus locis Tertullianus [e] esse in anima τὸ ἡγεμονικὸν, & summum aliquem in ea gradum vitalem, & sapientialem, seu partem rationalem.

e de Anima. cap. 7.

Maior est Deus corde nostro.] Si *cor, & conscientiam, quæ exigui animalis res est, habere in peccādo non possumus*, inquit Oecumenius, *multo minus Deum*,

qui est incircumscriptus & immensus, & vbique adest, poterimus latere. Exprimit sensum in Syra editione nota interrogationis: *Quòd si cor nostrum reprehendat nos, quanto maior est Deus corde nostro?* Maior significat perfectionem potissimum in scientia, & sapientia. Vnus de amicis Iob Eliu, *Deum*[a] ait, *hominum non æquabo*; & [b] *Respondebo tibi, quia maior sit Deus homine*: id est, non tribuam honorificos homini titulos, atque cognomina quæ sunt propria Dei, cùm Deus אלוה *Eloah*, iodex infinitis partibus excellentior sit homine אנוש *enos*, mortali, ac misero, vel obliuioso. Simile illud [c]: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, quia quidquid altissima, profundissimâque cogitatione homo agitabit, longissimo erit interuallo infra consilium & sapientiam Dei, ita vt quemadmodum Theodotio vertit, mentem, & profundum cor hominis Deus configat. Lege Diadochum[d].

a Iob 32. 22. b infra 33. 12. c Psal. 63. 8. d c. vir. *Deus quomodo sit maior corde nostro.*

Verum est, sed non adeò congruens proposito, Deum corde nostro maiorem esse, quia liberalior, benignior, perfectior, *potentior superabundanter quam petimus, aut intelligimus*[e]: ita vt cordis nostri, quod capax est Dei, cuius capacitatis index est quodammodo concauitas eius interna, solus Deus implere valeat capacitatem: nec tamen ab ipso comprehendi, multò minùs quàm paruo cyatho Oceanus, vt Augustino diuinitus responsum, illius quædam picturæ vulgò nobis repræsentant.

e Ephes. 3. 20. *Deus solus cor nostrum complere potest.*

Maior est Deus corde nostro.] Augustinus[f] legit *conscientia nostra*. Lege Diadochum[g].

Et nouit omnia.] *Vniuersam*[h] *terram (fines mundi*[i], & *omnia quæ sub cælo sunt, cuncta quæ fecit*[k]: *nec est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, sed omnia nuda, & aperta sunt oculis eius*[l]: res item singulares, & futuras, contingentes, & possibiles, & conditionales, & internos actus creaturæ rationalis, seu omnes vias hominum, & opera[m], non entia quoque & mala. Hac de re Scholastici cum B. Thoma[n]. Vbi refelli solent Aristoteles, Auicenna, Auerroes, Aureolus, quasi velint nullam rem creatam intelligi propriè à Deo, vt est ipsa, vel certè non res viliores, vel non in se obiectiuè, sed solam essentiam diuinam, quæ dicatur eminenter cognitio creatorarum. Aristotelem tamen alij excusant, ac vindicant ab huiusmodi errore.

f expo. quarundam propo. ex epi. ad Rom. prop. 10. g cap. 100. h 2. Petri. 16. 9. i Iob 28. 3. 24. *Cuncta Deus nouit distinctè & in particulari.* k Gen. 1. 31. l Heb. 4. 13. m Prou. 16. 2. Eccl. 23. 28. Psal. 32. 15. n 1. parte q. 14.

Omnium scientiam habere dicitur Deus[o]; & *thesauros*[p], *ac altitudinem diuitiarum sapientiæ, & scientiæ*[q]. Sed hoc demonstrare non est præsentis instituti, & res est per se nota, rerum notitiam, perfectionem per se ac simpliciter inuoluere: nec Dei cognitionem, quæ est ipsemet Deus, pendere à rebus magis, quam pendeat actio creatiua à rebus quas creauit; & res prout cognoscuntur, etiam si sint viles, vilitatem suam non communicare, sed potius nobilitatem quamdam contrahere: denique impossibile esse, vt quæ fecit Deus, conseruat, gubernat, non item cognoscat, ea etiam, quæ esse possunt, & cognoscibilia sunt, is qui pollet infinita scientia, non intelligat, lege quæ dixi ad ea verba primi capitis Actuum Apostolorum: *Tu Domine qui corda nosti omnium*[r].

Deus omnium scientiam habere dicitur. o Esther 14. 14. Eccl. 42. 19. p Coloss. 2. 3. q Rom. 11. 33. r vers. 24.

Vers. 21.]Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.

SI nullius arguet nos cõscientia mortalis peccati, si sincera est charitas erga fratres, si *dum petimus dimitti nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, non stimulabit nos animus noster falsò appositæ conditionis: habemus *fiduciam* ad Deum, liberum aditum ad eum, liberam agendi, & loquendi cum ipso facultatem. *Diffidit accipere se posse quod appetit*, ait Gregorius[s], *qui profectò reminiscitur nolle se adhuc facere, quod diuinitus audiuit: & cor nos in petitione reprehendit, cum resistere se præceptis eius, quem postulat, meminit*, & oratio fit execrabilis cùm a censura auertitur legis[t]: *Qui auertit enim aurem suam, ne audiat legem, (Plenitudo*[u] *autem, & finis legis, ac præcepti est charitas*[x]*) oratio eius erit execrabilis*: & *fit hæc oratio in peccatum*[y]. Hæc scilicet *spes est, quæ non confundit*[z], fiducia Dei misericordia, meritisque Christi, vt eius pareamus præceptis[a]. *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis*, cùm intentus fuero ad ea facienda, perspiciendo ac penetrando eorum maximam rationem, & æquitatem. *Quisquis*, inquit Hieronymus[b], *à præceptis dominicis discordat opere, quoties ea videt, corde suo reprehenditur, atque confunditur, quia id quod fecerit, memoratur: nam in quo se errasse considerat, ipsa se conscientia latenter accusat.*

s in Moral. [illegible] t *Quando cor nostrum non reprehendit.* t Pr. 28. 9. u Rom. 13. 10. x 1. Tim. 1. 5. y Psal. 108. 7. *Quæ sit [illegible] quæ non confundit.* z Rom. 5. 5. a Psal. 118. 6 b [illegible] latenter.

Porrò fiduciæ isti Catharinus non fidat pro planè certa illa sua certitudine, toties à nobis refutata, quòd simus Deo grati. Gigni Ioannes docet fiduciam, quæ non pertinet, vt certitudo, ad intellectum, sed ad voluntatem. Illam verò fiduciam satis gignit moralis certitudo, humanáque probabilitas, qua etiam fretos homines videmus aliis hominibus vehementer, sibique ipsis confidere: *sed & impios perinde securos esse, cùm lætantur cùm male fecerint, & exultãt in rebus pessimis*[c]. Difficile est, vixque contingit, vt quantumuis magnus peccator, non aliquando rodatur verme conscientiæ. Thalassij[d] verò monachi sententia est; quòd illos solos conscientia sua non arguit, qui vel in virtutum, vel in vitiorum fastigium peruenerunt.

c Prou. 2. 14. d hecatonde 1. 78.

Fiduciam.] Παῤῥησίας. De ista voce diximus[e] in Historia Apostolica.

Ad Deum.] Hieronymus[f], *Ad Dominum.* Confunduntur hæ voces non rarò, præsertim à citantibus testimonia Scripturarum. Alioquin obseruauimus[g], Domini nomen in nouo Testamento sæpius vsurpari de Christo.

e cap. 4. 29. f supra. g Act. 1. 6.

Vers. 22.]Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.

MAgna fiducia, magna promissio, sed magna conditio. Tam prolixa pollicitatio continetur variis locis[h]: sed non sunt promissiones simpliciter, & sine exceptione intelligendæ. *Petenda sunt bona, in bonum finem*[i]; & *cum fiducia*[k]. Non *accipimus, si mali, ac indigni sumus*[l]: *Si manus impediant, bonum, quæ petimus*[m]: præterea, *vt sæpius petendo, dulciùs obtineamus*[n]: vt *meliora quàm petimus, accipiamus*. Hæc est fiducia, quam habemus ad eum[o]. Repetit Ioannes inferiùs, quia *quæcumque petierimus secundum voluntatem eius, audiet nos.* Petit secundum voluntatem Dei, qui & voluntatem eius exequitur, & in eo quod petit, voluntatem eiusdem quærit. Propterea semper quod petit accipiet, si non ad voluntatem priuatam materialem, certè ad formalem, id est, conformem, vt aiunt, in volito formali, diuinæ voluntati: de-

h Matt. 7. 8. [illegible] 21. 22. Marc. 11. 24. Lucæ 11. 9. 10. Ioan. 14. 13. 14. [illegible] 16. 24. *Promissiones non sunt simpliciter intelligendæ.* i Iaco. 4. 3. k Iac. 1. 5. 6. 7. l Ioan. 9. 31. m Aug. serm. 5 de Verb. D. n Idem ep. 34. & serm. [illegible] de tem. Do. o cap. [illegible]

nique ad salutem. *Si manseritis in me* (tam benignus promissor promissi conditionem ponit) *& verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis* [a]: Fit quandoque quibusdam oratio *in peccatum* [b], dum non solùm fit malè, sed exauditur. Exemplo sunt, *quibus sunt escæ concessæ, sed cùm adhuc essent in ore ipsorum, ira Dei ascendit super eos* [c]: testis Satan, cui permissum quod petebat, vt vexaret Iob [d]. Id experti sunt ij, qui Deo relicto, sibi regem depoposcerunt, & obtinuerunt [e]. At Paulus *remoueri flagitans colaphizantem se stimulum carnis, angelum Satanæ, in eo non est exauditus*, vt vberiorem gratiam reciperet [f]. Lege Augustinum [g], & Bernardum [h]. Hieronymus verò, quem antea citaui [i], hoc dicit esse *leuare corda cum manibus ad Dominum in cælos, orare simul, & operari, & iuxta hanc Ioannis vocem tunc cor fiduciam in oratione accipere, cùm sibi vitæ prauitas nulla contradicit, & bonorum operum ratio orationi concinit*: Et valdè apud Dominum vtraque hæc sibi necessariò congruere, & vt oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Vno verbo Gregorius [k]: Inanis, inquit, fit oratio, vbi praua est actio.

Verumtamen exaudiri quoque peccator potest, vel vt veram fidem miraculo confirmet, non propriam sanctitatem: quo pacto cæcus natus de Christo loquens [l]; qui cum in finem miracula faciebat, negauit exaudiri peccatorem; vel, vt antè dictum est, ab irato Deo, cùm nempe permanet peccator in affectu peccati, vel cùm incipit pœnitere: tunc enim non raiò, licet non infallibiliter, aut ex iustitia, Deus exaudit. Adhæc si quidquid petitur, impetratur, adhibita ea moderatione, quam diximus: igitur & quando alius orat pro alio, potest impetrare; si tamen is idoneus sit, pro quo oratur: ergo licitè atque vtiliter orat quis pro singulari aliqua persona, cuius oppositum errorem refert, ac refellit in Vviclefo Valdensis [m], & damnat Concilium Constantiense [n].

Sequitur præterea, quod primo fuit Inferendum loco, vtiles esse orationes; quod negant Athei, & qui Prouidentiam tollunt ne quid dicam de necessitate, quam sustulit idem Vviclef [o], & reipsa Pelagiani [p], quibus gratia minime necessaria visa est. Tandem hæresis Messalianorum [q] hinc planè conuincitur, solam orationem sufficere ad salutem, etiam absque Sacramentis, & bonis operibus. Legendi Scholastici cum B. Thoma [r], & qui controuersias cum hæreticis tractant, vt Castro [s], & Card. [t] Bellarminus. Tandem conuincuntur hinc asserentes Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Damnatur ista hæresis in Concilio Tridentino [u].

Et ea quæ sunt placita coram eo, facimus.]Homonymia est, vtrum faciamus quæ placent oculis Dei, an illa ipsa, quæ talia sunt ex obiecto, vt Deo ipsi placeamus, non ob priuatum commodum, aliúmve finem creatum. Vtrumuis sensum probat Hugo, glossa Interlin. & Thomas Anglicus secundum: Carthusianus, & ceteri primum, quem non dubito esse meliorem: quamuis & id sit verum, non posse Deo placere quod non habeat pro fine Deum. Itaque placent, & Deo grata sunt opera iustorum, non per æstimationem humanam, sed per diuinam, quæ rei supponit veritatem, nec fallitur. Placent Deo omnia bona opera, & quibus mandata eius obseruamus, & quibus sequimur consilia, sed hæc magis, vtpote perfectiora, difficiliora, & supererogationis, atque liberioris, & liberalioris cuiusdam voluntatis, & excellentioris mentis, vt præ ceteris docet Augustinus [x] accuratè. Hoc modo peculiariter *placet Deo is qui se illi probauit*, inquit Origenes [y]: *& functus est, vacans ipsi soli segregatus à vulgo.* Sic reformatur in nobis diuina melius imago, & configuramur Christo, Bernardo [z] teste: qui etiam *religiosum hominem non dubitat perpetuum vocare miraculum* [a].

De his modò Ioannes non loquitur, sed synonyma facit, placita Deo, mandatis eius, ea nempe placita, quæ dicuntur Græcè ἀρεστὰ, quasi arresta, vocabulo Gallico ex Græcis petito, de quo disseruimus in Actibus Apostolorum [b], id est, decreta, & sancita, qualia non sunt, quæ vocantur consilia. Placita Deo intelligit Ioannes mandata quidem omnia, sed propriè charitatis fraternæ. Tam nosmet amat Deus, vt omnia referat ad vtilitatem nostram, salua gloria sua, & nihil æquè delectet ipsum, vt nobis benè facere, & vt inuicem ipsi bene nobis tum velimus, tum si possumus (nec enim velle nostrum semper efficax est,) etiam faciamus.

Hoc nouum, id est, numquam antiquandum, numquam de memoria deponendum: hoc suum Christus appellare solet mandatum, hanc tesseram scholæ, ac disciplinæ suæ: & recitat Christi sententiam Hieronymus ex Euangelio secundum Hebræos: *Numquam læti sitis, nisi cùm fratrem vestrum videritis in charitate* [c]. Basilius in hoc positam docet imaginem ac similitudinem Dei, ad quam facti sumus [d]. Idem maximi rem momenti profert volenti peccati somitem omnem præcidere, flagrans desiderium explendi Dei voluntatem [e]. Hoc homini ingenuo, & rationem auscultāti satis deberet esse, cùm se peccati præbet occasio, Deo non placere, quando suggeritur pia cogitatio, voluntásque Deo placendi. Hanc Paulus [f] diuinam voluntatem semper animo suo proposuit, ex eo tempore, quo vocatus vt cognosceret voluntatem Domini [g], respondit: *Domine quid me vis facere?* Huius voluntatis agnitione non quouis modo præditos optabat suos, *sed non cessabat orans, & postulans, vt ea implerentur in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambularent dignè Deo, per omnia placentes* [h]. Monebat, vt intelligerent, magna cura & attentione animi, non obiter, non imprudenter, *quæ esset voluntas Dei* [i]: *vt ambularent, sicut acceperant, quomodo eos oporteret ambulare, & placere Deo, sed & in hoc abundarent magis* [k]: *vt probarent*, id est, exquirerent, ac experirentur *quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta* [l], videlicet res bonas sectando cum debitis conditionibus, & exactè, vt exponit Basilius [m]: vel quia sine suis conditionibus nihil bonum, & Deo placitum est, res verè bonas, & meliores, & optimas, quod est, vt antè dicebamus, abundare magis, atque vt alibi Paulus [n] dicit, *charitate abundare magis ac magis, vt probet quis potiora*, id est, faciat cum propensa voluntate, & gustu, procedente ex practico, pióque iudicio.

Non alia melior in omni negotio ratio, quàm *sic est voluntas Dei*, quam vnam rationem Petrus [o] assignat in difficili, quæ debetur magistratibus obedientia, & cetera conuersatione, vt *iam non desideriis hominum*, subdit ille [p], *sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne, viuat* (quis) temporis. *Christus non sibi placuit* [q], *sed professus est se descendisse de cælo, non vt suam sed Patris faceret voluntatem* [r], *&*

a Ioan. 15. 7.
b Psal. 108. 7.
c Psal. 77. 30. ibid. Num. 11.
d Iob 1. & 2.
e 1. Reg. 8.
f 2. Cor. 12.
g tract. 73. in Ioan. & hoc loco toto.
Quod sit leuare corda cū manibus ad Deum.
h ser. de quatuor modis orandi.
i Thren. 3. 41.
k lib. epist. 9. in 45.
Inanis fit oratio vbi praua est actio.
Quomodo peccatorem Deus exaudiat.
l Ioan. 9. 31.
m to. 3. tit. 12. c. 107.
n sess. 8.
Contra orationis hæreses aliquæ refutantur.
o Vald. to. 3. c. 1. & 2.
p Aug. ep. 106. & de hæresib. cap. 88.
q Damasc. hæresi 80 hist. Trip. lib. 7. c. 11.
r 2. 2. q. 83.
s de hæresib. [illegible] Oratio.
t lib. 1. de bonis operib. in particul.
u sess. 6. c. 11. & can. 18.
Opera iustorum Deo placent & præ cæteris opera supererogationis.
x ep. 89. q. 4.
y hom. 11. in Leuit.
z de præcept. & dispens.
Religiosus homo perpetuum est miraculum.
a serm. 1. de dedic. Eccl.
b cap. 6. 2.
Quæ Deo placita dicantur.
c In cap. 5. ep. ad Ephes.
d hom. 10 Hexameron.
e Reg. 30. ex breui.
Voluntas placendi Deo præcidit omnia peccata.
f Act. 22. 14.
g Act. 9. 6.
h Coloss. 1. 9. 10.
i Ephes. 5. 17.
k 1. Thes. 4. 1.
l Rom. 12. 2.
m Reg. 176. ex breui.
n Philip. 1. 9.
Voluntas Dei vna est quæ faciendis est quæquod faciendū.
o 1. ep. 2. 15.
p cap. 4. 2.
q Rom. 15. 3.
r Ioan. 6. 38.

non

nō quærere voluntatem suam, sed eius qui misit illum[a], & quæ Patri placita essent, fecisse semper[b]: denique in difficillimo supremo agone; non suam, sed Patris petiit fieri voluntatē[c]: eos verò, qui Patris facerent voluntatem, fratrum, sororum, matris loco[d] se habiturum asseruit.

Infinitæ sunt causæ, quæ persuadent vt Dei nos conformemus voluntati, & quæ illi placent, præstemus. Est per se dignus, & summum bonum: est finis & efficiens omnium rerum causa: est norma omnis boni, & honesti: toti sumus ipsius, & non nostri, titulo multiplici, etiam redemptionis tanquam serui, filij, et creaturæ: præmium parauit, & supplicium infinitum, obedientibus, non obedientibus. Paruit Christus Patris æterni, ac temporalium quoque voluntati paternæ: legi diuinæ, & seculari: non potest impediri voluntas efficax Dei; Deus ipse timentium se voluntatem faciet, & statum, naturalémque rerum cursum pro desiderio hominum quandoque immutat, ac præparationem etiam ipsorum cordis nostri audiunt aures eius[f].

Fallitur crebrò, labitúrque & peccat voluntas tum nostra, tum hominum cæterorum: voluntatem Dei, ait Ammon Abbas[g], tanquam verè regnum cælorum, ac coronam vnà perfectè, desidera quouis tempore perficere: credens toto corde illud omnem prudentiam humanam vtilitate superare, & in quacunque re primum probes oportet an Dei sit voluntas ista. Eodē spectat præceptum Antonij[h]: vt quidquis quis facere velit, eumprimis scripturæ testimonio illud confirmet. In cunctis quæ agimus, inquit Gregorius[i], vim superna voluntatis inquiramus: cui videlicet cognitæ, debet actio nostra deuotè famulari, & quasi ducem sui itineris prosequi, ne ei etiam nolens seruiat, si hanc superbiens declinat. Vitari enim vis superni consilij (quæ vocatur Dei voluntas beneplaciti) nequaquam potest; sed magna sibi virtute hanc temperat, qui se sub eius nutibus refrænat, eiúsque se ponderi leuigat, qui hanc subiecto cordis humero volens portat. Ideo cogimur, inquit Augustinus[k], vt velimus, & voluntatem nostram diuinæ præferamus (cogimur. intelligit quod facere debemus.) quia ille vult (Deus) cuius voluntatis nec excellentiam fas est recusare, nec omnipotentiam licet euitare.

Bernardus propriam voluntatem consilióque duplicem vocat[l] in corde lepram nimis pessimam, eóque perniciosiorem, quò magis internam: dici verò propriam voluntatem, quæ non est communis cum Deo, & hominibus, sed nostra tantùm, quando quod volumus, non ad honoré Dei, non ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum: huic contrariam esse rectâ fronte charitatem, quæ Deus est, aduersus quem inimicitias exercet, & guerram crudelissimam: nihil enim odisse aut punire Deum, præter propriam voluntatem nostram: si cesset illa, non fore infernum, nec sæuiturum ignem illum, nisi in ipsam: immò nihil nos pati nisi à propria volūtate (quod Græci, & in his Chrysostomus[m] aiunt, neminem lædi nisi à seipso) Porro subtrahere se fectuos propriæ voluntatis magno furore à Domino maiestatis, & subdocere dominatui eius, cui tanquam Auctori iure seruire deberent, & quod in se est, omnia quę Dei sunt, tollere, & diripere, ac Deum ipsum perimere, quia vellent peccata sua, vel vindicare non posse, vel nolle, vel ea nescire. Lege totum Sermonem.

Idem[n] præterea in solis bonis ait esse Deum, ita vt etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis, quia dum suas voluntates eis iustitiæ subdunt, vt Deum non dedeceat velle, quod ipsi volunt, per quod ab eius voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter iungere. Eumdem lege super Cantica[o], & libro de diligendo Deo.

Quid plura? docet Christus[p] orare, fiat voluntas tua, quod accipi quoque debet de voluntate beneplaciti, qua interdum vult nos Deus affligi, ac premi, quamuis non vetemur dolere, & possimus ac debeamus aliquando deprecari, vt retrahat manum Deus: nefas est tamen reprehendere, vel obmurmurare cōtra hoc beneplacitum diuinum. Meminisse debemus, dicebat Cyprianus dissereus de mortalitate, voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie iussit orare[q]. Solabatur se Iob ea ratione[r]: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum: & fratres suos Ioseph[s], num Dei possumus resistere voluntati? pro quo Septuaginta: Dei enim sum ego. Aquila, & Symmachus: numquid enim pro Deo ego? id est, non sunt res mihi meæ mea voluntate agendæ, non ego mihi norma, voluntati subsum alterius. Deus est suo qui se regit arbitrio: Samaritanus autem, etenim timens Deum sum ego: Chald. ארי דחיל מן קדם יי אנא are dachil min kodam Adonai ana, quoniam ego timeo à facie Dei. Hebraicè כי התחת אלהים אני chi hathachath elohim ani. Nū sub Deo ego, vel pro Deo? vtinam nomine nos nouo vocare Deus possit: voluntas mea in ea[t], & quæ sibi complacet in nobis sicut in dilecto filio suo[u], & placatus per illum, & nos quæ placita sunt ipsi, faciamus semper, vt faciebat Christus[x]: vt sit in nobis pax tanquam hominibus τῆς εὐδοκίας, bona voluntatis[y], & beneplaciti dicto vtroque modo accepti. Alioqui nihil proderunt ieiunia, aliave opera bona, si in iis reperiatur voluntas nostra, ipsomet admonente per Esaiam Deo[z].

Grande malum propria voluntas, ait Bernardus[a], qua fit, vt bona tua tibi bona non sint. O quàm placidè moriebatur Ioannes Abbas, cui dicere sub mortem licuit petentibus monitum aliquod salutare: numquam meam feci voluntatem[b]. Tandem hæreat animo Augustini[c] sententia: optimus minister tuus est (agit eum Deo,) qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod à te audierit. Lege Bernardinum Rosignolium nostrū[d]. Postremò sequitur, quod est hactenus notatum non semel, posse diuina mādata obseruari in hac vita, sed & re ipsa non deesse, qui obseruent ea, quicquid hæretici ex se alios æstimantes contradicant. Non possunt omnia iustorum opera esse peccata, vt docent Hæretici, nisi blasphemare illos non pudeat, placita Deo esse peccata.

Vers. 23.] Et hoc est mandatum eius: vt credamus in nomine Filij eius Iesu Christi: & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.

Aodata cuncta redigit in duo, fidei, & charitatis, vel in hoc vnicum charitatis posita fide, sine qua nemo placere potest Deo[e], propter quem proximus amandus est: nec seiungi hæc duo debent. Citat Ioannes Benedictus hoc loco tamquam Ignatij sententiam ad Polycarpum, propositio sane commodam, sed quam non licuit adhuc inueni

---

Marginalia (left): a Ioan.5.30. b Ioan.8.29. c Matth.26. 42. Luc. 22. 42. d Matth 12. 50. Marc.3. 35. Causæ per suadētes nos conformandos esse Dei voluntati. e Psa.144.19. f Psal 10. 17. Voluntas nostra crebro fallitur. g in capitibus Parænecticis, c.10.24 & 25. to.2. Ephrem. h in Apophthegm sanct. Patrum in 2. to. Ephrem. i 6. Moral. c. 13. vel 14. Voluntas beneplaciti vitari non potest. k Ep.65. Voluntas propria lepra est pessima. l Serm. 3. de Resur. Propria voluntas quæ sit. m hom. quod nemo lęditur nisi à seipso.

Marginalia (right): n Serm. 3. de Missus est. In solis bonis Deus propter concordiam voluntatum. o Serm. 38. p Matt.6.10. Voluntas beneplaciti semper fit. q Matt.6.10. r Iob 1. 21. s Gen. 50. 19. t Esa. 62.4. u Matt 3. 17. 17.5. x Ioan. 8.29. y Luc. 2.14. z cap. 58. Grande malum propria voluntas. a Serm. 71. in Cant. b Cass. 5. de instit. renunt. c 18. c 10. Conf. c. 26. d 1. de disciplina Christ. perfect. c. 14. e Heb.11.6.

inuenire:quia fides sine charitate imperfecta est, ambæ verò simul iunctæ hominem Dei constituunt.

Fides sine charitate imperfecta est.

Vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi.] Fides hæc nominatim inculcatur, propter Iudæos, qui negabant Christum, & vt etiam apud alios celebrius redderetur nomen ipsius: sicut aliàs [a] notauimus de Baptismo in nomine Christi. Verùm quemadmodum in Baptismi forma nomen quoque Patris, & Spiritus sancti iuxta Christi præceptum [b] adhibebatur, ita & fides totius Trinitatis exigebatur, quæ quoquo modo contineri censetur in nomine Christi, vt etiam notauimus [c]. Hic autem magis exprimitur facta mentione Filij Dei, vt monuit Caietanus.

a Act.2.38.
b Mat. vlt.19.
c Act.2.38.
In nomine Iesu etiam S. Trinitatis fides continetur.

Repetendum hoc etiam loco, quod pridem docuimus, in noua lege fidem de Christo non præcepti dumtaxat, sed & necessitate medij necessariam esse. Christi eiusdem diuinitas perspicuè colligitur ex hoc loco: quod facit Cyrillus Alexandrinus [d]. Non approbo interpretationem Catharini miscentis fiduciam cum fide, vt postquam adepti simus fidem, perseueremus in illa, & confidamus, in nomine filij eius Iesu Christi, nos promissa æterna recepturos. Præceptum de fide multis continetur locis: & *hæc dicitur vita æterna, cognoscere Deum & Christum* [e], id est, credere: *hoc opus Dei, credere in eum, quem ille misit* [f]: *qui non crediderit, condemnandum esse* [g]: immò *iam iudicatum, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei* [h]. Lege quæ dixi in historia Apostolica [i], cur dicatur fides quædam obedientia.

d de fide ad Reginas.
e Ioan.17.3.
f Ioan. 6.29.
g Mat.vlt. 16.
h Ioan.3.18.
i cap.6.7.

Oecumenius vult credere in nomine Iesu Christi non esse propriè fidem, eiúsve actum tendere in illum vt obiectum: sed credere quæcumque credi debent, quia ipse vult: quasi dicas, credere in volũtate Christi, id est, vt obediatur ipsius volũtati. Sic quoque interpretatur *in nomine Christi baptizari* [k], id est, in voluntate: nec enim significari Baptismi formam, sed voluntatem Christi, quam expressit, vt Baptismus fieret in nomine Patris & filij, & Spiritus sancti [l]. Hac ipsa de re citato priùs loco egimus. Sed nõ arbitror ad rem præsentem facere, quod nunc notat Oecumenius: verùm loqui Ioannẽ de fide quam de Christo habere necesse sit. Nam Græcè non est ἐν τῷ ὀνόματι, sed detracta præpositione, ἵνα πιστεύωμεν τῷ ὀνόματι, & legit Augustinus, *vt credamus nomini*, necnon Tertullianus [m]. Deinde quamuis retineretur præpositio, constat credere in aliquo iuxta phrasim Hebraicam, idem esse quod alicui. Illo modo scribitur Niniuitas *credidisse in Deo* [n], hoc est, Dei verbo, quod locutus fuerat Ionas: & ibi Septuaginta vertunt: *& crediderunt viri Niniuitæ Deo*. Chaldaicè: *& crediderunt viri Niniuitæ verbo Domini*. Plura talia exempla affert Ribera [o], in quibus iidem Interpretes nunc præpositionem omittunt, nunc ponunt: In Euãgelio quoque Ioãnis [p]: *his qui credunt in nomine eius*, idem est quod nomini, vel ipsi Verbo, quamuis Græcè sit εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, vt sæpè aliàs, vbi casus auferendi ponitur ab Interprete.

k Act.2.38. & 8.12.16 cap. 10. 48.
l notaui locis in margine, præsertim c.2. Actuum.
m con. Prax. c. 28.
Credere in aliquo idẽ est quod credere alicui.
n Ionæ 3.5.
o in c.3 Ionæ num.29.
p cap.1.12.

Et diligatis alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.] Hoc est, vel alterum mandatum à fidei mandato diuersum, vel vnicum, & singulare, prout antè notauimus, quod fidem tamen supponat, & includat, immò & secum cetera omnia præcepta inuoluat, vt docet Gregorius [q], satisque colligitur ex laudibus charitatis, quas recẽset Paulus [r]. De fide præceptum est contra Iudæos, non credentes Christo: præceptum de charitate contra malos Christianos, sola fide contentos. Hi gloriantur fide, negligentes opera: illi non curant fidem, sed sola legis opera.

q hom.17. in Euang.
r 1.Cor.13.
De fide præceptum datur contra Iudæos, de charitate contra malos Christianos.

De hoc præcepto charitatis nihil aliud nunc occurrit, præter ea, quæ priùs dicta sunt, nisi vt attendamus modum eius, qui præscribitur, *sicut mandatum dedit nobis*. Videtur hic esse modus à Christo ipso declaratus [s]: *Mãdatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem* [t], & *hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*. Quod trifariam potest intelligi: vel ideo dilexi, vt vos inuicem quoque diligeretis, præsens exemplo: sic Augustinus, Beda, Rupertus: vel quæ Gregorij [u] expositio est, *ad hoc amate vos, ad quod amaui vos*, spiritali scilicet amore: vel cum Ruperto [x], *vsque etiam ad mortem diligite vos, quia vsque ad mortem dilexi vos*: denique summo affectu, veróque animo, puro amore, vt & hic docet Beda, & Oecumenius, qui tamen Oecumenius, charitatis mandatum contineri dicit illis verbis [y]: *omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*.

s Ioan.13.34.
t Ioan 15. 12.
u hom.27. in Euang.
x lib.11.in Io.
y Mat.7.12.

Quod ait Hugo denotari similitudinem dilectionis in fide, non intelligo, nisi hoc sensu, vt mandatum acceperimus sic diligendi, nempe in fide: sed minùs percipio quam subdit explicationem, id est, ad id, ad quod nos ipse dilexit: non enim dilexit nos in fide; nisi forte fides dicat fidelitatem: si quidem fidus, ac fidelis amicus fuit Christus, cui fideli respondere nos oportet amicitia. Ad id, ad quod nos amauit Christus, alios amare Beda interpretatur, vt ad cœlestia regna pertingamus.

Christus non dilexit nos in fide.

Videtur mihi etiam deprehendere in his verbis, *sicut dedit mandatum nobis*, singularem quemdam ad patendum stimulum. Videtur enim Ioannes dicere, quod vsurpare etiam solitum de hoc fraternæ dilectionis præcepto, testis est Hieronymus [z]. Domini præceptũ est eius, cuius adeo sumus amore deuincti, eius, qui nõ fert mutuas inter nos inimicitias. Satis sit eum velle, immò & præcipere mutuum amorem. Ad hunc modum Christus de sibi iniuncto nos ad mortem vsque diligendi mandato [a]: *Et vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus hinc*: id est, secundum mentem, ac voluntatem præcipientis, & eo quem intendit modo atque fine. Postremò indicat Catharinus, velle Ioannem, cùm ait: *sicut mandatum dedit nobis*, innuere, sibi, ceterísque cõdiscipulis enixè Christum iniunxisse, vt prædicarent fidei, & charitatis præcepta. Quo pacto autem sectarij affirmare possunt nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, nec præcepta, nec prohibita, sed libera. Pronunciat Concilium [b] Tridentinum in hanc hæresim anathema.

z In c.6. ep. ad Gal.
a Ioan.14.31.
b Sess.6.can. 19.

Vers.24.] Et qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.

PRius membrum satis intelligi potest ex similibus verbis iam superiùs declaratis semel, quid nempe *sit in Deo manere* [c], aut *in lumine* [d]: aut *in filio, & Patre*: quid *Verbum Dei manere in nobis* [e]: vel *vnctionem* [f], *vel semen* [g]: & sequenti capite [h] dicetur,

c c.1.& c.2. 6. c.3.6.
d cap.2.10.
e cap.2.14.
f cap.2.27.
g cap.3.9.
h vers.12.13. 15.16.

cetur, *quis manere in charitate, & Deus in eo.* Reciproca sunt hæc, nec separabilia, vt si manet quis in Deo, Deus in eo maneat vicissim: quemadmodum qui sumit sacrosanctum Christi corpus, *manet in Christo, & ille Christus*[a]. Itaque quodammodo commiscentur, vt vnū efficiantur, & Ioan. Christus cū alio partie pet vitā. Sic qui per spirituale gratiæ donum *adhæret Domino, vnus Spiritus fit cum illo*[b]. Rē magis declarat veriusq; termini expressio. Lege Bernardū[c]. Nec dubiū quin quo manet quis modo in Deo, siue Christo, & hic in eo manere censeatur, vel ratione fidei solius, vel etiam charitatis. Vnde nescio quàm vera sit expositio[d] Christi verborū[e]. *Manete in me, & ego in vobis*: ita vt fidelis peccator maneat in Christo, sed non hic in illo. Cōcedo mansionē absolutè de ea, quæ per charitatē est, intelligi, vt nō semel antea vidimus.

Li quis manet in Deo, Deus in eo manet.
a Ioan. 5. 56.
b 1 Cor. 6. 17.
c serm. 71. in Cant.
d est Toleti in Ioan. c. 15. Annot 8.
e Ioan. 15. 4.

Propria est Ioannis hæc phrasis manendi, cáque mirificè delectari videtur, nam plùs aliquantò deuotat, quàm simpliciter in alio esse: videlicet vel moram, & quasi habitum, vt transeundi opponitur verbo[f]: vel intimam societatem & coniunctionem[g]. *Sit tibi domus Deus*, ait Beda, & *esto domus Domino in Deo, & maneat in te Deus, manet in te Deus, vt te contineat, manes in Deo, ne cadas. Serua mandata eius, tene charitatem, ne li te diuellere a fide illius, vt glorieris in præsentia ipsius, & securus manebis in eo, modò per fidem, tunc per speciem. Manet & ipse perennis in te, iuxta quod et Psalmista decātat*[h]: *in æternū exultabūt & habitabis in eis.* Hucvsq; Beda.

Manere in aliquo, plus est quam esse in eo.
f c. 1. Euang. 38 & 11. c. 1. 36. c. 38. c. 8. 31. c. 14. 15. c. 15. 4. 5.
g Ioan. 6. 56.
h Psal. 5. 12.

Iustus Dei templū[i], & sedes est: in Deo quies iusti, *& in ipso requiescere Spiritū suum dicit Deus*[k]. Securus est, *qui in adiutorio Altissimi habitat*[l], & *eum habet protectorem, domúmque refugij*[m].

i 1 Cor. 3. 17.
k Esa. 11. 2. &c
l Psal. 90. 1.
m Psal. 30. 4.

Et qui seruat mandata eius, in illo manet.] Syriacè ואינא דנטר פקדנוהי בה מתנטר *vecena denatar puk adanahi beeh methnatar. (Et enim qui seruat præcepta eius, per ipsū in seruatur.* Hoc nimirum est in Deo manere, tamquam in adiutore, & custode, ita vt qui custos mandatorum Dei sit, sit Deus quoque custos eius. Mandata numero multitudinis ponuntur, vel propter priora duo Fidei, & Dilectionis fraternæ: vel vt si quis putet de solo dilectionis fuisse sermonem, distinctiùs intelligat sibi seruanda plura mandata quæ continentur sub illo, *& qui offendat in vno, fieri omnium reum*[n].

Quid sit manere in Deo.
n Iaco. 2. 10.

Notatu dignum, quòd in eo manere Deus dicitur, non qui mandatum seruat de fide solùm, vt mentiuntur hæretici, sed qui seruat alia quoque mandata, maximè de charitate.

Et in hoc scimus quoniam manet in nobis, de Spiritu, quē dedit nobis.] Si seruemos mādata, & hoc ipsum in nobis experiamur eo modo, quo supernaturalis ratio mandata supernaturalia seruandi, cadere sub experientiam potest, probabilem coniecturam quoque capimus inesse in nobis Spiritū sanctum, qui a Deo datus est nobis. Alius posset esse sensus, nos cognoscere à nobis mandata seruari, & manere Deum in nobis, ex Spiritu, quem nouimus nos accepisse, quia qui Spiritum illum habet, mandata seruat, & Deum habet in se manentem.

Posteriorem sensum fic expressit interpres Syrus: *ac per hoc intelligimus, quod habitet in nobis, è Spiritu suo quem dedit nobis.* Eodem ferè sensus recidit vterque: certè duo illa se mutuò consequuntur. Sed prior magis obuius, & est Augustini, Bedæ, Oecumenij, atque communior. Monent autem iidē Augustinus, ac Beda, (ne de se, suisque Ioannes loqui videatur condiscipulis, modò non agi de Spiritus sancti missione visibili, & dono linguarum: nec enim iam eo dono egere Ecclesiam. Tum docent nos dignoscere Spiritum in nobis esse, si nos aduertamus alios diligere: quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*[o].

o Rom. 5. 5.

Oecumenius etiam Spiritum pro gratia inuisibili interpretatur. Glossa Interlinearis accipit de charismatis linguarum, sanitatum, & similibus. Hugo de Spiritu sancto, quem discipuli acceperint ante Christi mortem, post resurrectionem[p], & post ascensionem in Pentecoste[q]. Lyranus, Gagneius, Carthusianus de donis externis, propter primos illos discipulos, non exclusis tamen internis, & de illis, propter alios quoscumque, & nos ipsos, & quidem priores, & alios nónullos in primitiua Ecclesia certam de præsentia Spiritus sancti in se notitiam ex donis externis, quæ accipiebant, habuisse: alios per dilectionem spiritualem, & præceptorum obseruantiam efficacē probabiliter cognoscere, quòd in ipsis maneat Deus

p Ioan. 20. 22.
q Act. 2. 4.
Nonnulli in primitiua Ecclesia notitiam de præsentia Spiritus *[illegible]* habebant.

Non repeto quę de gratię certitudine iam non semel disserui: nec verò dubito generaliter agi hoc loco de omnibus, ac proinde de cōmuni gratiæ interius inhabitātis dono, cuius externa quædam possunt esse indicia probabilia, & credi potest eos qui perceperunt initio visibiliter Spiritum sanctum, donum simul inuisibilis gratiæ percepisse. Vnde tamen, quia dona erant gratis data, non omnino necessariò colligebāt se gratiam in uisibilem, sanctificantem adeptos esse. Cyrillus[r] Alexandrinus hūc Spiritum interpretatur Christi esse, ideóque colligit Christi diuinitatem. Similis est sequenti capite sententia[s]: *Si quis Spiritum Christi nō habet, hic non est eius*: inquit Paulus[t], igitur ad eum pertinet, qui Spiritum illius habet.

r lib. 11. in Ioa. c. 3.
s c. 4. 13.
t Rom. 8. 9.

Quoniam.] Hæc particula, eique æquiualens, *quia*, & similes, non semper importāt causam rei, sed effectum, aut priorīs probationem assertionis connectunt. Exempli causa, quando de Magdalena dixit Pharisęo Dominus: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multū*[u]: sensus est, id ex effectu probari, vt iam antea in hac ipsa epistola docui. Item, cū Dauid ait[x], *ego clamaui, quoniā exaudisti me Deus*, non significat, exauditionem, clamoris, & precationis causam esse, verùm, vt explicat Augustinus[y], hunc esse effectum eius, quasi diceret ille, *hinc cēdo clamasse me, quoniam exaudisti me*: quemadmodum, inquit, diabolus dicitur *in veritate non stetisse*[z], quia (sic enim ipse legit) *non est veritas in eo*, id est, hoc ex illo probatur tamquam ex effectu, cùm alioqui ea causa sit, vt in eo veritas non sit, quòd in veritate non stetit. Quamquam dicti loci ex Psalmo, posset quoque sensus esse: *ideo liberius clamaui, quoniam alias exaudisti me, sum expertus.* Sed & hoc loco quoniam idem est atque *quod, &n*, nec reddit, vel denotat causam.

u Luc. 7. 47.
x Psal. 16. 6.
y in. de ciuit. cap. 14.
z Ioan. 8. 44.

De Spiritu.] Dixi aliàs de varia notione huius vocis, quodque nonnumquā seorsim posita significat Spiritū sanctum. Hāc hic habet significationem, vel pro præcipuo dono ipso, id est, pro gratia sanctificante, sicut diximus. Sed præpositio *de* ponitur pro *ex*, & Græcè est ἐκ, Syriacè מן *men.* Eodē pacto apud Matthæum[a] *inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*, id est, ex Spiritu sancto, ἐκ Πνεύματος ἁγίου. Sic, *Iudas genuit Phares, & Zaram de Thamar*[b]: *Salmon genuit Booz de Rahab*[c]: *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus*[d], & Mariam præpositio *de*, magis designat: nihilominus non respuit illam aliā, & nōnullas præterea significationes, quas enumerat Torsellinus[e] noster.

a cap. 1. 18.
b Mat. 1. 3.
c ibid. 5.
d ibidem.
e lib. de particulis Lat. orationis cap. 41.

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTUM.

Spirituum discretio traditur, quique sint ex Deo, quique non sint: charitas mutua summopere commendatur, Dei, qui nos adeò dilexit, exemplo: ipsius verè charitatis illa potissimum conditio explicatur, quod vbi perfecta fuerit, abigat molestum timorem.

1 CHARISSIMI, nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.

2 In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis Spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.

3 Et omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est.

4 Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum, quoniam maior est qui in vobis est, quàm qui in mundo.

5 Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.

6 Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris.

7 Charissimi, diligamus nos inuicẽ, quia charitas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum.

8 Qui non diligit, non nouit Deum: quoniam Deus charitas est.

9 In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.

10 In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

11 Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.

12 Deum nemo vidit vnquam. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.

13 In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis.

14 Et nos vidimus, & testificamur quoniam Pater misit Filium suum Saluatorem mundi.

15 Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.

16 Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quã habet Deus in nobis. Deus Charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

17 In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.

18 Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniã timor pœnam habet, qui autem timet, nõ est perfectus in charitate.

19 Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

20 Si quis dixerit quoniam diligo Deũ, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?

21 Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

Vers. 1.] Charissimi, nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.

EXTREMO priore capite dictum fuerat de Spiritu quem accepissent, qui Dei seruabant mandata: monemur nunc de diiudicandis diligenter iis, qui se Spiritu duci prædicant, ne si malus sit, falli nos contingat: & falsos sequi fratres, quod & alij nostro faciant exemplo.

Latissimè patet cautio ista, ne leuiter, ac teme-

rè credamus [a], *ac circũferamur omni vẽto doctrina in nequitia hominum* [b], sed nobis, *attẽdamus à falsis prophetis* [c]: *omnia probantes, quod bonũ est teneamus* [d]: *non citò moueamur à nostro sensu, neque terreamur, neque per spiritum neque per sermonem* [e]: *non attendamus spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum* [f]. Sed nec omnium est probare, nec omnia sunt probanda. Vnum oportet in Ecclesia summum Iudicem quęstionum, de fide, moribúsque. Is est sine dubio Pontifex Romanus, vt aliàs demonstrauimus. Canonicas Scripturas pro arbitrio admittere, vel reiicere; Oecumenica Concilia, Patrum vnanimem consensum, vel Theologorum, expendere, aut in dubium reuocare non licet. De reuelationibus, somniis, visionibus, inspirationibus, vocationibus, & electionibus, miraculis, vario superstitionis genere, suprema quoque potestas diiudicandi, Pontificis est. Tamen Spirituum discretio, de qua Paulus [g], priuatis quoque personis communicatur: & regulæ traduntur ab Auctoribus multis, ex quibus nonnullos refert, ac recitat Bernardinus Rosignolius noster [h], (maximè Ricardũ [i] S. Victoris, & Gersonem [k], Turrecrematam [l], Seraphinum Firmanũ [m], B. Ignatium [o]) & ex nostris item Tractatũ scripsit de inspirationibus diuinis Adrianus Adrianius, & Lessius de dignoscenda vocatione. Quò prætereà spectant Disquisitiones Magicæ Delrij, & libri Apparitionum Tyræi, & Pererij de Magia, nec non notæ Ecclesiæ, variæque aliæ Controuersiæ Cardinalis Bellarmini, & quas ad vocationem diuinam dignoscendam Regulas Platus inseruit in Opus de bono statu Religiosi: adhæc libri diuersi de Maleficiis, & officio inquisitorum à diuersis conscripti: illa etiam quæ disseruntur vel de Prudentia, & consilio, vel statibus hominum, de quibus Busæus noster in opere proprio, vel de multiplici conscientiæ ratione dubiæ, scrupulosæ, opinatiuæ, erroneæ. &c. Traduntur denique hîc nonnulla in Commentario à Salmerone, & à Feuardentio, dum Iacobum [o] explicat notas assignantem Sapientiæ, *quæ desursum est, vt sit pudica, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans sine simulatione.*

Cæterùm, quod attinet ad donum illud discretionis Spirituum, est quidem gratis datum: quæ verò sunt huius generis, pertinentia nimirum potiùs ad aliorum vtilitatem communem, quàm eius, qui habet illa: reperiuntur etiam in malis: Tamen non videtur id communicari nisi iustis ordinariè, quamuis non singulis: nam spiritualis dumtaxat est, *qui iudicat omnia* [p], & *mundus* corde [q], qui Deum videt, quæque pertinent ad eius practicum cultum cum affectu, & Spirituum discretioni necessariam; docet B. Thomas [r] prudentiam spiritualem, ac diuinam, *vt cognoscamus*, inquit Chrysostomus [s], *quisnam spiritualis sit, quis non: quis propheta, & quis deceptor.* Sed & ad propriam vtilitatem spectat, vt quis in seipso diiudicet animi sui cogitationes, & affectiones: quo saltem secundo modo non ita cõuenit improbis. Vocat quoque discretionem hanc Anselmus [t] difficillimam, vt nempe vaferrimus diaboli Spiritus in Angelum se lucis trãsfigurantis [u] discernatur, & Spiritus hominum, id est, voluntates, sint ne bonæ, an malæ. Immò sex Spiritus, auctore Bernardo [x], quos discernere oportet, Diuinus, Angelicus, Diaboli, Humanus, Carnis, Mundi. His commune mentem pulsare, quem dicunt instructum, mouere voluntatem, quæ vocari potest affectio. Diuinum solent nominare locutionem Dei, visitationem Verbi, sponsi aduentum, inspirationem, & aliis nominibus, quæ suo modo conueniunt spiritui Angelico: nam horum Spirituum quis loquatur, *nec discernere facile est*, ait Bernardus, *nec ignorare periculosum, præsertim cum certum sit Angelum bonum nũquam loqui ex semetipso, sed Deum esse, qui loquitur in ipso.* Paucorũ est, quod Augustinus testatur [y] de matre dicere solitum, *se nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, discernere, quid interesset inter Deum reuelantem, & animã suam somniantem.* Nihilominus omnibus meritò præcipitur vt probent spiritus tum internos, ne fallantur interiùs, neu se sinant exteriùs praua doctrina falli. Meminit Hieronymus [z] Domini sententiam fuisse: *estote probati nummularij, si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur.* Extat idẽ apud Clementem [a] Romanum, & Damascenum [b]. Athanasius [c] monet, ac munit nos aduersus hæreses hoc, & similibus testimoniis, ac exemplo Christi, qui nec vera sustinuit à falso Spiritu pronunciari, *quia solent*, ait Ambrosius [d] istum ipsum tractans locum, *Spiritus mundi fallaciter, quasi per simulationem dicere bona, & inter hæc subinducere praua, vt per hæc quæ bona sunt, accepto ferantur & mala, vt quia vnius spiritus dicta putantur, non discernantur ab inuicem, sed per id quod licitũ est, commendetur illicitum auctoritate nominis, non ratione virtutis.*

Cyrillus [e] Alexandrinus existimat, nec non Didymus in Commẽtario verbis his cautos nos, monitósque reddi, vt quid quis prædicet, attendamus: solere namque Scripturam spiritum appellare τὰς πνῶν συγγεγραφὰς, id est, quorũdam scripta: semper enim prædicationem salutarem prædicari ab Spiritu sancto: in spiritu autem mundi dici quæ cum veritate pugnant; nos autem spiritum huius mundi non accepisse, sed Spiritum ex Deo (*vt nouerĩ sciamus quæ à Deo donata sũt nobis* [f].) *& tot Spiritus*, ait Didymus, *esse videntur, quot sunt ij, qui spiritus participant, & cuiuscumque doctoris disciplina dici spiritus potest.*

Hic sine dubio scopus est Ioannis, vt vitemus, quod paulò pòst subdit, pseudoprophetas. Episcoporũ quidem munus est refellere quos verbis istis admonet Anacletus; sed quiuis quoq; potest, ac debet ab erroribus & falsa doctrina declinare, doctus ab vnctione [h], de qua pridem actum est, ac in eo, quod ab initio accepit, permanẽs [i]. Quæ verba proferens Ioannes, omnibus loquitur. *Hæc scripsi vobis de iis qui seducũt vos* Hinc Augustinus [k]: *Qui fidem Catholicam bene*, inquit, *didicit, & vera pietate bene munitus est, etsi hæreses nesciat, hæreticis tamen respondet. Nec enim decipi potest qui iam cognouit quid pertineat ad Christianam fidem, quæ Catholica dicitur.*

Valeant igitur priuati sui iactatores spiritus, spiritu malo correpti. Si spiritus iste esset bonus (non bono loquens animo, sed tamen verè Caluinus obiiciebat Suenckfeldio, solum Spiritum volenti iudicem, repudiatis Scripturis) idem esset eum spiritu Apostolorum, & primorum fidelium: at spiritus illorum non volebat esse iudex, scripturis contemptis. Legendus Petrus Soto contra Brentium, hoc abutentem loco, vt probaret omnem Christianum debere sibi de quacumque doctrina iudicium arrogare, an ex Deo sit: & saluari non posse illum qui superiorũ, ac doctorum sequatur in rebus fidei iudicium.

Carissimi, &c.] Iam (inquit Primasius [m]) probati

sunt

a Eccl. 19. 4.
b Eph. 4. 14.
c Matth. 7. 15.
d 1. Thess. 5. 21.
e 2. Thess. 2. 2.
f 1. Tim. 4. 1.
Vnus est summus iudex Pontifex Romanus
g 1. Cor. 12. 10. & cap. 14. 17.
Spirituum discretio priuatis personis communicatur.
h li. 3. de discipulo. Christ. perf. cap. 10. & a sequent. seqq.
i Par. 2. c. 33. in cantica, & 1. par. in Ps. 90.
k lib. de probation. Spirituũ, & lib. de disting. veris à falsis visionib.
l præf. in reuelationes S. Brigidæ.
m lib. de discret. Spirituũ Italic.
o li. exercitiorum spiritualium.
o cap. 3. 17.
Discretio spirituum donum gratis datũ quibus detur.
p 1 Cor. 2. 15.
q Matth. 5. 8.
r P 2. q. 52. a. 4.
s hom. 29. in 1. ad Corinth.
t in 2 Cor. 12
Discretio spirituum res est difficillima.
u 2. Cor. 11. 14.
Sex spiritus discernendi.
x serm. de septem spiritibus, qui de sex ibi deberet. eundem lege etiam 57. & 74. in cantica.
y 6. confess. c. 13.
z ep. 152.
a 2. constitut. c. 37. vel 40. vel 41. secundum varias edit.
b lib. 4. c. 18.
Cauendum est à dæmonum astutia
c Orat. 1. cont. Arianos ante med.
d in c. 5. primæ epist. ad Thess.
e in c. 16. Isa.
f 1. Cor. 2. 12.
g epist. 2.
Quiuis potest ac debet ab erroribus declinare.
h 1. ep. I. 2. 20
i 1. Ioan. 2. 24.
k de Agone Christ. c. 4.
Contra eos qui spiritum sanctum sequi volunt.
l instit. cap. 9. §. 1.
m in c. 2. Apocal.

sunt spiritus ab Ecclesia. Quid vis tu probare quod iam improbarum est?

Nolite.] Aliàs dixi [a], familiare Interpreti esse, hoc verbo negationem declarare, cùm in textu Græco non sit tale verbum. Itaque, qui pro arbitrij libertate argumentantur inde, non attendunt idiotismos linguarum.

Omni Spiritui.] De spiritus varia notione non repetã quæ aliàs tradidi. Monui paulò ante cum Cyrillo Alexandrino, & Didymo sumi hic pro doctrina. Idem videtur Procopio [b]: extendi potest ad varios animi significandos motus, ac velut impetus. Diuinus propheticus impulsus habet nomen spiritus: propterea namque dicuntur *Spiritus Prophetarum illis esse subiecti* [c]. Spiritum pro eo qui loquatur spiritualia, exponit Lyranus & Hugo. Cum autem Hugo etiam hoc nomine hominem designari vult, sumpta denominatione à principe hominis parte, id est, ab anima, non multùm assentior. Spiritualis homo vocatur, & is quidem potissimum, qui valet spirituũ discretione [d], non tamen Spiritum pro homine sumi memini, sed animam. Carthusianus vel homines intelligit, vel propriè dictos Spiritus per eorum loquentes ora.

Probate.] Δοκιμάζετε. Syriscè, הוחת פרשין *auetithun paresebin*, *estote discernentes*, separantes &c. hoc enim inter alia sibi vult פרש *Paras*, experimentum quodammodo capiendum, & ad notas externas recurrendum velut ad χρυσῖτιν, Lydium ve lapidem.

Multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.] Legit Irenæus [*], exierunt de sæculo. Mendũ forsitan est in Codice: quoniam similem sententiam ex epistola secũda [*] benè recitat, *multi seductores exierunt in mundum*. Hæreticos intelligit, prauique contra fidem dogmatis auctores. Ioannes creditur anno Christi primo supra centesimum defunctus: prima verò centuria extiterunt Heretici, vel Apostatæ numero quatuordecim, Thebutes, Cleobius (huic Ignatius [e] iungit Theodotum) Dositheus, Goitheus, Masbotheus, Simon Magus, Hymenæus, Alexander Ærarius, Philetus, Cherinthus, Diotrephes, Ebion, Menander, & sicui placet, Nicolaus (à quo Nicolaitæ) quem nos aliàs ab hoc [f] numero vindicauimus. De his ferè omnibus Eusebius [g], & Nicephorus [h] ex Egesippo. Propter Ebionem præcipuè, & Cherinthum edidit Euangelium Ioãnes: de Nicolaitis meminit in Apocalypsi [i], de Diotrephe in epistola vltima [k]. Irenæus [l], Epiphanius [m], Hieronymus [n], Augustinus [o] & alij, illam scribendi Euangelij assignant causam quam dicebam, vt illos duos, aliosque confutaret hæreticos, qui Christi negabant Diuinitatem.

Prophetarum apud Iudæos fuit officium, non futura modò prædicere, sed populum etiam ex lege Dei docere, viamq; salutis indicare. Idcirco sicut Christus, hoc sensu *attendendũ admonuit à falsis Prophetis* [p]: ita Ioannes, vt caueatur pseudoprophetæ, videlicet, vt ait Augustinus [q], hæretici, & Schismatici, charitatem non habẽtes, & vnitatem Ecclesiæ, prauo dogmate scindentes, & nihilominus Spiritum sanctum esse contendentes in se.

Possunt & falsi dici prophetæ hi, qui tametsi vera prædicẽt, doceãtve, sicut Balaam, ipsi vltrò currunt, seséque ingerunt, non mittuntur [r]: quibus olim quoque dicetur: *Nescio vos*, dicentibus: *Domine Domine nónne in nomine tuo prophetauimus* [s]? Sie non omnino certum ex veris semper miraculis petitur argumentum, nisi cùm ad confirmandum dogma eduntur: nec enim daret falsitati testimonium Deus. Illud tamen constat, eam, in qua frequentes sunt, atque quasi ordinariæ prophetiæ, aliave miracula, veram esse Ecclesiam; & contrà, non esse veram in qua nulla talia fiunt. Sed egimus hac de re aliàs, in Actis Apostolorum.

Exierunt in mundum.] Ἐξεληλύθασιν. Idem significare potest *exierunt*, quod prodierunt, extiterunt; & mundus idem quod vniuersitatem hominum tamen: indicatur forsitan per exitum, hæreticos, schismatieósque deserere Ecclesiam, ex eâque prodire, ex qua re ipsa & sincerè illorum multi non erant, prout ante declaratum est ad illa verba [t]: *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, &c.* per mundum verò homines, qui quæ mundi sunt, sapiunt, faciunt, sentiunt, satis arguitè Hugo, cùm nihil sit extra mundum, vnde exierint, quærens, respondet *ab occulto in manifestum iuxta illud ex Apocalypsi* [u]: *& vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ tres exire spiritus immundos in modum ranarum.* Profectò draco, bestia, pseudopropheta, diabolus est mendax, ac mendacij pater [x], & primarius hæresum auctor. Nam Abbas Serenus apud Cassianum [y] audisse se apertissimè testatur dæmonem confitentem, per Arium, & Eunomium se impietatem sacrilegi dogmatis edidisse. Quamquam in Apocalypsi intelligunt passim alij per nomẽ draconis diabolum, per bestiæ, Antichristũ, per pseudoprophetæ, concionatorem insignem, qui præcursor futurus sit Antichristi [z].

Summa moniti est non modò probari Spiritus ab omnibus, dum credunt iis qui habent discretionem spirituum, sicut in corpore oculus non sibi videt soli, licet solus videat: nec solùm si toti cõgregationi fidelium loqui Ioannes exponatur: tucidunt enim etiã singuli in prauos doctores aliquando: sed tradit Ioannes duplicẽ probandi modum. Prior continetur sequenti versu, & in epistola secunda [a], alter hic infrà versu 6. Potest quiuis fidelis ad has regulas iudicio quodam ratiocinis doctrinas, quæ fortè nouæ ad eum perserãtur, explorare.

Vers. 2.] In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.

HOc, & sequenti versu signum, & velut tesseram assignat, ac notã, qua probari discernique Spiritus possint, & dogmata, doctoréſque, an ex Deo sint, & ij quidem doctores, qui peipetam, vel qui orthodoxè sentiebant, & docebant de Christo.

Verùm quia moltæ hæreticorum sectæ admittunt venisse Iesum Christum in carne, addit Augustinos [b] lingua, *verbisque confiteri, negare factis* [c], vita, corde, affectu, quia non intelligunt cur venerit, nempe propter charitatem, & vt moreretur pro nobis, quia non habent charitatem, qui pro priuato honore suo diuidunt vnitatem.

Arianos ponit Augustinus inter eos, qui fatentur Christũ venisse in carne, & multos alios, quos confutat sigillatim. Beda sequitur Augustinum, idémque docent Græci Didymus, Oecumenius que, eo modo quo multi, *neminem dicere posse Iesum, nisi in Spiritu sancto* [d].

[a] 1 cap. 2. 5.
Quid significet hic nomen spiritus.
[b] hic c. 16. Esa.
[c] 1. Cor. 14. 32.
[d] Osee 9. 7. 1. Cor. 2. 15. & 14. 37. Gal. 6. 1.
[*] lib. 3. c. 18.
[*] vers. 7.
Haeretici qui primi saeculo fuerunt.
[e] epist. Trall.
[f] Act. 6. 5.
[g] c. hist. c. 8.
[h] lib. 4. c. 7.
[i] cap. 2. 15.
[k] vers. 9.
[l] lib. 1. cap. 26.
[m] haeres. 51.
[n] de Script. Eccl. in Ioan
[o] Procem. in Ioann.
Prophetarum in veteri lege quodnam officium.
[p] Matt. 7. 15.
[q] hoc loco. & tract. 32. de verb. Apost.
Pseudoprophetae qui dicendi sint.
[r] Ier. 23. 21.
[s] Matt. 7. 22.
Ecclesia vera quaedam habet da sit.
[t] 1 cap. 2. 19.
Quid sit mundus hoc loco.
[u] cap. 16. 13.
[x] Ioann. 8. 44.
[y] collat. 8. c. 32. *Daemon per Arium & Eunomium impietatem disseminavit.*
[z] legẽ Riberã, & Viegam.
[a] vers. 10.
Nota qua spiritus discerni possint.
Haeretici fatentur Christum in carne venisse sed factis negant.
[b] hic, & serm. 31 de verb. Apostoli cap. 6. & seq.
[c] Tit. 1. 17.
[d] 1. Cor. 12. 13.

Sed mihi certè non plenè satisfit. Credit enim nonnullus hæreticus Christum Deum esse, & pro maxima charitate incarnatum; licet ipse non sit præditus charitate, immò nec vera fide: & Ioannis scopus erat lectorē suum contra errores præsertim in fide Christi munire, nec dubitare poterat Catholicos, & Orthodoxos aliquos, esse peccatores, atque destitutos charitate, & se factis negare quem vera confiterentur fide: quo pacto secundum sensum accommodationis hæc vsurpauit nonnulli verba [a] cum Catholicis agendo, vt eos reuocent ad bonos mores.

Malim, quod idem alibi tradit Augustinus [b], ex Deo non esse, qui errat in articulo Fidei. In quantum errat, peccat, blasphemat, à contrarius argumentando, dicere, qui benè sentiat in re quapiam ad Fidem spectante, licet non prout debet, credat, id est, non tantùm, si peccator est, fide mortua, sed nec fide vera, si hæreticus, tamen eo modo ex Deo esse, quia quod verum est, sentit, neque cùm sit obiectum supernaturale, sentire de illo rectè posset, nisi reuelasset Deus. Denique sicut omne malum, & mendacium quodammodo à diabolo est, sic multò magis à Deo quicquid verum & bonū est. Quo pacto idem Augustinus [c], & Gregorius [d], docent, quæcunque apud hæreticos vera & bona sunt, ea etiam nostra sunt, & ex Deo.

Acumen placet Augustini [e], eatenus omnem hæreticum negare venisse Christum in carne, quantumlibet fateri videatur, quatenus aliquid sentit, quod conuincitur repugnans Christo; & tandē docet [f] disertis verbis omnes id hæreticos negare, non Paganos solùm, Iudæosque, immò & omnes malos Catholicos: sed hos nimirum factis, & moribus; illos alios, erroribus, & vita: ita vt priorum sit fides propè vt dæmoniorum, *qui credunt, & contremiscunt* [g].

Ceterùm, propriè loquitur Ioannes de hæresi contra Christum, quæ neget eum venisse in carne, non quidem quia Christo tribuat corpus imaginarium, vel cœleste, aut non æqualem Patri faciat ipsum, aut existimet nullo puncto distingui ab ipso: nondum namque Manichæi existerant, Ariani, Eunomiani, Sabelliani, & alij de quibus paulò post; sed non in vnum coiuisse diuinam, & humanam naturam, hoc est, in vnitatem diuinæ personæ, quod nomen importat Christi, seu Messiæ, secundum opinionem quoque peritiorum Iudæorum.

Ex hæreticis quatuordecim, quos Ioannis ætate fuisse dixi, Dositheum prodit Philastrius [h], nec Dei Spiritum concessisse, nec Angelum: negabat igitur consequenter incarnationē Filij Dei. Ebiō, Hilario [i] teste, Christum ex viro & muliere purum hominem natum asserebat: & vt addit Nicephorus [k], *morum proficiente accessione instipicati*: tamen eiusdem hæresis sectam diuisam extitisse, cōcedentium natiuitatem Christi ex virgine, & cōceptionem de Spiritu sancto, sed negantium diuinitatem. Cherinthus item negabat Christum esse Deum: quam blasphemiam non ferens Ioannes hic ipse noster, vt refert apud Irenæum [l] Polycarpus, iussit amicos ei assidentes in balneo, discedere, quòd nollet Deus ferre blasphemias tam impudentes: atque illien eùm egressus esset, collapsione domus oppressum hæreticum cum cohorte sua. Narrantur etiā hæc ab Epiphanio [m], Eusebio [n], Nicephoro [o]. Menander asserebat seipsum mundi saluatorem, ex Olympo, ad hominum salutē demissum Ch[illegible] hominem, testes quotqu[illegible] de h[illegible] meruerunt [p].

De Simone Mago, iam dicti Menādri magistro, prodit Augustinus docuisse, nec Christū venisse, nec à Iudæis quidquam pertulisse; sibi met ipsi nomen Christi tribui, & ceteri testātur, qui plurimi de hoc mentionem faciunt. Senserūt postea idem de Christo Cerdon, Marcion, Valentinus, de quibus Irenæus, Tertullianus, alij, Christum vel non venisse, vel imagine dumtaxat, & phantasia [q].

Meritò itaque nunc Ioannes, Spiritum ex Deo monet esse, qui Iesum Christum confitetur venisse in carne: qui Iesum soluat, ex Deo non esse, sed Antichristum natrans profectò has hæreticorum pestes, qui eo adhuc viuente, sicut ait Hieronymus [r], eruperunt, & contra quo, vt diximus, quartū fuit ei Euangelium, post alia pridem ante scripta condendum.

Postremò responderi potest, omnem, qui credit venisse Christum in carne, prout debet, fide diuina propter auctoritatem Dei reuelantis, esse ex Deo: non esse, qui non credit etiam si alia credat: quia sicut, *qui offendit in vno, factus est omnium reus* [s]; ita qui vel vnum quid non credit, ex his quæ sunt credenda, nihil credere censetur, quippe in his ipsis carens fidei ratione formali, quæ ex æquo respicit omnia.

Hæc porrò sententia, quæ duobus versibus cōtinetur, præter primos illos antea memoratos hæreticos, & Cerdonem, Marcionem, Valentinum, iis subpares, coarguuntur posteriores, qui circa incarnationem Christi lapsi sunt, & ipsam, vt Ioannes hic loquitur, [illegible]luerunt. Photinus, Paulus Samosatenus, Carpocrates, Theodotus, Marcellus, Artemon, Montanus, Eutyches, Nestorius, & alij. Omnes, præter duos vltimos dixerunt Christum purum hominem ex vtroque sexu natum [t]: Eutyches cum Timotheo, & Dioscoro, post Manetem, & Apollinarem sēlit Christi carnem non fuisse nostræ similem, nec reuera natum de Virgine, sed corpus eius de cœlo descēdisse in Virginis vterum, quem penetrauerit velut solis radius, sed & in ipso Incarnationis articulo carnē cōmutatam fuisse in diuinitatem, & consequenter passum Christum secundum diuinitatem. Eūdem errorem Polemio tribuit Theodoretus [u], Iacobitis Nicephorus [x], Aceph. lis Damascenus [y], & septima Synodus [z].

Videntur autem hi omnes vnam tertiam naturam inducere ex duobus resultantem, vt fit in mixto: Eutyches vnam diuinam per conuersionem humanæ in ipsam. Idipsum sensisse Eusebium Cæsariensem refert eadem VII. Synodus, & Petrum Enapheum cum Theopaschitis, seu Patropassianis [b], Nicephorus, qui asserit quoque de Philopono [c]. Pertinent ad hunc eumdem locum, qui non totam diuinitatem, sed particulam conuersam dixerunt in Humanitatem, siue hanc ex [illegible] factam. Sic Nicephorus [d] inter alios scribit de Apollinari. Præterea qui sustulerunt animam humanam Christo, vel propriam humanæ naturæ voluntatem.

Nestorius contendit Christū simplicem hominem, conceptum, ac natum, idcoque matrē eius Χριστοτόκον, nō Θεοτόκον, postea vitæ sanctæ merito dignū habitum, cui se Diuinitas coniungeret duplici manēte in eodem tum natura, tum persona, ita vt non cēseretur vnus in Deitate, & Humanitate, sed seiunctim hinc Filius hominis, hinc Filius

[a] vt Petrus Blesen. ep. 118.
[b] ferm. 10. de verb. Apost. sect. toto.
Omne mendacium à diabolo est, à Deo verum omne.
[c] de patient. c. 27. & 15. & lib. de vnico bapt. [d] homil. 10. in Ezech.
[e] serm. 31 de verb. Apost. cap. 2.
Omnes hæretici Christū negant in carne venisse. [f] ibidem c. 9.
[g] Iacob. 2. 19.
[h] cont. hæres. *Hæreticorum ... qui fuerint Ioannis tempore.* [i] 2 de Trin.
[k] lib. 3 cap. 13.
[l] lib. 3. cap. 3.
Cherinthi mors.
[m] hæres. 30. [n] 4. hist. c. 13. [o] lib. 3 c. 14.
[p] vt Euseb. [illegible]
[q] vt lege Pratcolum.
Qui non credit ... credenda, ...
[r] contra Luciferian.
[s] Iacob. ... 10
Præter ... hæreticorum contra Christum.
Nestorij error ... Christum.

lius Dei,hicque habitans in Filio hominis:& hoc ipsum voluisse tum Christum,quando vocauit se filium hominis [a],tum Esaiam [b],cùm eundem nominet [c] Emanuel,id est,nob.scū Deus.Apud Tertullianum [d] est,atque apud Irenæum [e],fuisse qui dicerent, alium fuisse Iesum, alium Christum, vnumq; se passum,alterum miracula fecisse.

Testimonio isto Flauianus citatus vtitur contra Eutychem,Cassianus [f],Leo [g],Cyrillus [h],Irenæus [i] contra illos, qui asserebant illum putatiuè apparuisse.

Nonnulli [k] argumētantur indidem contra negantes Christum in vtraque specie totum esse, quoniam sententia generaliter comprehendit, ac damnat omnes, qui quouis modo soluunt vnionem hypostaticam Dei, & hominis, vel naturalē animæ, & carnis. Docet Ambrosius [l] dupliei simul, vt hic est,iuncta voce Iesu & Christi significari aduētum eius in carne iam completum. *Ante incarnationem*, inquit, *aut Christus potest dici*, *aut Iesus,quia simul ambo nomina & hominis sunt,& Dei filium significant*. Scio in vnoquoque per se spectari, ac notari à Patribus hypostaticam vnionem, quia Christus significat vnctum ipsa Diuinitate coniunctâ Humanitati: Iesus Saluatorem quo satisfecit pro nobis, quod non posset, nisi homo esset,ac Deus,*mediator hominum,& Dei* [m]. Nec facile est definire vtrum è duobus nomen magis vel Diuinitatem designet,vel Humanitatem.

Nec minùs verò peccant,qui nimis ligant,quā qui soluunt. Huiusmodi sunt, qui perinde vnam componunt è diuinā,& humana in Christo naturam,sicut ex anima,& corpore vnum constat animal, vnus homo naturis manentibus integris. Meminit Iustinianus [n] Imperator,& ita opinatū opinatur Castro Eutychem.Athanasius [o] in Symbolo vtitur ea comparatione,non propter imperfectionem compositionis, quæ est in partibus cōponentibus,corpore & anima , sed propter vnionem , quæ maior est etiam in incarnatione per hypostasim diuinam quàm in puro homine constante suis partibus.

In hoc cognoscitur.]Ἐν τούτῳ γινώσκετε. *In hoc cognoscite*,vel *cognoscitis*.In nonnullis [p] codicibus est γινώσκεται,*cognoscitur*,in aliis [q] γινώσκομεν,*cognoscimus*. Syr ܝܕܝܥ *mithiadebha*, *cognitum est*.

In carne venisse.]Non att *in carnem*,ne fortè quis existimet diuinam aliquam personam descendisse,& carnem assumpsisse,sed in carne , vt intelligamus nihil aliud esse Christum quàm carnem, id est,hominem.Sic Transyluani [r] carnales argumentantur , qui nullam volunt in personis diuinis esse distinctionem, ac proinde nec Filium Dei vnicum incarnatum , Christúmque non habuisse diuinitatem communicatam per generationem æternam,sed per Vnctionem gratiæ,& inhabitationem , ac proinde dici debere non Deum absolutè atque æternum,sed Deum factū & temporalem.Nihil concludit argumentum:siquidem non differunt in carne,vel in carnem venire. Franciscus Dauid , vnus de principibus Transyluanorum sectæ(alter fuit,Georgius Blādrata, qui damnatus ad carceres perpetuos incidit in phrenesim,postque biduum extinctus) egregiè mentitur hoc loco [s],sic Ioannem scribere sequenti versu, Antichristum esse,qui fateatur Christum venisse ante vel extra carnem. Hoc non est Ioannis,sed eius qui nomen meretur Antichristi , ac Pseudoprophetæ falsarij. Vnde ibi & hic Euangelista,qui neget in Christi personam conuenisse veram carnem , id est , naturam humanam & naturam diuinam,dissoluere Christum, esséque Antichristum:ex Deo esse, qui veram Christi carnem fateatur , & consequenter veram illam naturarum vnionem in hypostasi diuina. Multò melius orthodoxus Cyrillus [t] Alexandrinus hunc in modum ratiocinatur allato præsenti testimonio. Si enim ipse natus non est, neque carne indutus ad cœlestem Patrem,& Deum rursus assumptus est: neque homo perinde ac nos carne vestitus est, de cœlis olim reuersurus est.

Vers. 3.]Et omnis Spiritus,qui soluit Iesum, ex Deo non est,& hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit,& nunc iam in mundo est.

Sententia ipsa ex his quæ adhuc sunt dicta,facilè perspicitur, restant nonnulla seorsim notanda.

Qui soluit Iesum.]Omnes Græci codices qui extant habent : ὃ μὴ ὁμολογεῖ. *Qui non confitetur*: Syra quoque versio,& nonnunquam Augustinus [u], atque Tertullianus [x],& Cyprianus [y],etsi legant, *qui negat*, & Polycarpus [z], nihilominus nostram lectionem sequitur idem Tertullianus [a] (qui videri potest alibi citasse verba epistolæ secundæ [b] eiusdem Ioannis,& vtrumque alias [a] necti, sicut & citatus Augustinus)Ambrosius,siue Prosper [d], Cassianus [e],Leo [f],Latini omnes Interpretes. Ex Græcis Didymus [g] in Commentario sic legisse præ se fert, ac Theodoretus quadam epistola , & Cyrillus Alexandrinus. Sed(quod magni facio) Socrates [h],tractans de Nestorio, sic scribit: *Porrò autem ignorauit quod scriptum sit in vetustis exemplaribus epistola Catholica diui Ioannis.(Omnis Spiritus qui soluit Iesum,ex Deo non est.) Quippe hanc sententiam omnes,qui Diuinitatem ab Humanitate Christi seiungere studebant, ex vetustis exemplaribus delere, tollereque non dubitarunt. Quapropter veteres Interpretes idem ipsum significarunt, quosdam videlicet esse, qui illam epistolam deprauassent, quò in Christo hominem a Deo separarent.* Sic Socrates. Cuius oratio illud quoque demonstrat , quanta huius esset auctoritas epistolæ, quam & veteres interpretes Orthodoxi Commentariis illustrandam censuissent, & hæretici corrumpere studuissent,quia negare non valerent.

Nec minùs tamen vitium habebit contra hæreticos sententia,si legatur, *Qui non confitetur*: licet magis exprimat errores eorum soluendi verbum,cùm sit incarnationis, & naturæ duplicis in vna persona diuina vinculum,nexus, vnióq; maxima per modum compositionis, quæ aliquid est ex parte termini creati, id est,naturæ humanæ.

Moralem sensum non repeto, qui solus traditur ab Oecumenio,negari,& solui Christum non lingua,sed factis,cùm quis mundo viuit, & concupiscentiis, cùm carnalis est , *& secundum hominem ambulat* [i]:*non habens Spiritum Dei*:contrà.confiteri,qui viuit Christo , & cum non in eius tantùm carne,sed in sua quoque,*eiusdem mortificationem eiusdem circumfert* [k].

Iesum.] Antè dixi perinde esse , siue simul Iesum Christum dicamus,siue hunc,aut illum seorsim; adde, siue Christum Iesum , quod attinet ad præsens propositum. De varia ista combinatione Toletus in Ioanoem [l].

Ex Deo nō est.]*Manichæus insidiatur*,inquit Augustinus

a Matth.8.20.&c.
b Isa.7.14.
c Matth.1.23.
d lib. de carne Christi.
e lib.3.c.18.
f l. 5. de Incarn.
g epist.10.c.5.
h de recta fide ad Theod.
i lib.3.c.18.
k Bellarm.4. de euchar.ca.21.
De Eucharistia nulli sententiae a Ioanne damnantur.
l lib. 2. ep. ad Philip.
m 1.Tim.2.5.
n in edicto Fidei ad Ioannē Papam I. L.
o verbo Christus,haeresis 4.
p In nonnullis codicibus Rob. Steph.
q ibidem.
Transyluani carnales de Christo qui se fateantur
r lib. 1.cap.2.
s in disputat. Albana.
Naturarum vnio facta est in hypostasi diuina.
t de recta fide ad Theod.
u hoc loco & sermon. de verb. Apost.
x lib. de carne Christi c.24.&
y 3.conc.Marcion.cap.8.
z lib.4.c.8
a ep. ad Philippenses.
b lib. con. Psychicos c. 1.
c vers 7.
c 1.contr. Marcion c.16.
d de Vocat. Gent.c.23.
e c. de incarn.c.10.
f ep.10.c.5.
g de recta Fide ad reginas.
h 7.hist.c.32.
Auctoritas huius epistola quanta sit.
Moralis horum verborum sensus.
i 1.Cor.3.3.
k 2.Cor.4.10.
l c.1.annot.25.

gustinus [a] *in hoc verbo, & dicit: Si ex Deo non est hic Spiritus, unde est ergo, cùm sit aliunde necessariò?* Et colligit duas esse naturas, videlicet alteram bonam, alteram malam, & ex hoc secundo genere dictum Spiritum esse. Respondet, omnem proculdubio Spiritum ex Deo esse, quia omnia per ipsum facta [b], omnisque Spiritus prouocatur ad laudandum Deum [c].

Quod hic dicitur, Spiritum non ex Deo esse, intellige, in quantùm non confitetur Christum in carne venisse, vitio, peccato laborat, & errato, & blasphemat, quæ corrigi, emendari, mutari possunt in bonum à Deo, qui vnus, solúsque nonnisi auctor est boni.

Et hic est Antichristus.] Satis multa de Antichristo superiùs [d], cùm docuimus certam quidem esse personam, sed quam præcurrentes falsi doctores, aut sæui persecutores, imitatione nomen idē mereantur, sicut & Ioanni nomen est attributum Eliæ [e]. Græcè, καὶ τοῦτό ἐστι τοῦ Ἀντιχρίστου, nempe τοῦτο τὸ πνεῦμα, *& hic Spiritus est Antichristi.* Quidam codices: καὶ τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ Ἀντιχρίστου, eodem sensu. Syriacè: *sed hic est ab ipso pseudochristo.* Cyprianus [f]: *sed est de Antichristi Spiritu.* Tertullianus [g] vocat præcursorem Antichristi spiritum. Cassianus [h] (qui disertissimè hunc totum tractat locum, & [i] contra soluentes Iesum illud aptat: *quod Deus coniunxit, homo non separet.*) legit hoc pacto: *& omnis* nempe spiritus *qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristi, quod audistis,* &c. Ibidem tamen [k] etiā vtitur lectione nostra. Nec non Tertullianus [l], Irenæus [m] autem ex Antichristo.

De quo audistis.] Ὃ ἀκηκόατε, *quod audistis.* Alij ὅτι ἀκηκόαμεν, *quoniam audiamus.* Illud ὃ neutrius generis refertur ad πνεῦμα, id est, spiritum, quem spiritum audistis: nempe spiritus ille soluens Iesum est quodammodo spiritus ipsius Antichristi per doctrinę consensum, de quo spiritu accepistis quòd sit venturus. Facilè verti potuit ὃ in ὅν, & hoc posterius ad Antichristum referri.

Quoniam venit.] Ὅτι ἔρχεται, in tempore præsenti. Syriacè, *quē audistis venturam.* Lege cap. 2. [n] Hugo rectè dicit præsens tempus hic esse confusum, id est, quod iam veluti sit inchoatum: & prę teritum ob certitudinem poni pro futuro. Sed non debet admittere esse tempus præteritum. Eamdem certitudinem notari Caietanus monet rei futuræ per tempus præsens.

Vers. 4.] Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum: quoniam maior est qui in vobis est, quàm qui in mundo.

CONuertit sermonem ad eos, quibus scribit fideles, docens ex Deo esse quòd orthodoxè credant, & reluctentur, ac superent mundi, vel Antichristi spiritum sectantes, qui perperam de Christo sentiunt: sed victoriam eidem adscribendam Deo in ipsis per veram fidem habitanti, seu ipsos hac in parte moderanti, qui longè potentia præstet illi, qui regit mundum, hoc est, mundanos, & spiritu mundi agitatos. Is autem est diabolus. Lege Ignatium [o], & Polycarpum [p].

Vicistis eum.] Vel mundum, vel Antichristum, siue qui personam repræsentat Antichristi. Græcè ac Syriacè numero multitudinis dicitur *vicistis eos,* non dispari sensu: pseudoprophetæ namq; superiùs indicati possunt intelligi. Cyprianus alicubi [q] legit: *filioli, vincite illos.* Forsan legit νικήσατε pro νενικήκατε. *Vicistis,* dicit, id est, ex parte, & inchoatè, vel ponendo pro futuro, propter certitudinem, quasi dicat, *vincetis,* vt quidem mihi persuadeo, & certus quodammodo sum, facta vobis vincendi per Deum potestate, si vultis. Demonstrare possem victorias insignes tū in pugna contra tentationes, tum in tormentorum, mortisque patientia, tum in disputatione de fide, quas etiam ætate, sexu, viribus, sapientia, valdè infirmi, Deo freti reportauerunt. *Omnia possum,* ait sine exceptione Paulus [r], *in eo qui me confortat.*

Quoniam maior est qui in vobis est, quàm qui in mundo.] Sententia ista spem conciliat, & humilitatem, ne vel despondeamus animum, vel præsumamus: facit quoque, vt si ceciderimus, non excusemus, quasi tentati supra vires: hortatur etiam ad quiduis fortiter audendum pro Deo, & ad resistendum eius, nostróque aduersario diabolo, & cuiuis difficultati. Putat Oecumenius his verbis cōtineri notam aliam pseudoprophetarum, quòd plerisque cari essent, orthodoxi contemnerentur: hos moneri, ne id ægrè ferant ob rationem, quæ sequitur, quia simili gaudet simile, illos autem de mundo esse, &c.

Libenter profert Cyprianus [s] ista verba, disserens de constantia in martyrio, quamuis aptans proposito suo legat vno loco (nobis) non (vobis) *nec plus,* subdit ipse, veluti per paraphrasim, *ad decuciendū potest terrena pœna* (vel *potentia*) *quam ad erigendum tutela diuina.* Vniuersè idē [t] locū transfert ad fiduciam diuinā. Ambrosius [u] applicat ad bellicum tumultum, confirmans Elisęi testimonio, & exemplo [x]: itē Dauid [y] canentis *immittit à Deo Angelum in circuitu timentium eum,* in morem scilicet castrorum. Prosper [z] gratię vim necessitatéq; confirmat ex hoc loco, & victoriam sanctorum esse opus Dei habitantis in sanctis. Ponendæ coronæ de capitibus, vt seniores illi fecerunt, ad pedes [a] Agni, *qui,* vt Ecclesia canit [b], *vincit in martyribus,* & gratiæ Deo agendæ, *qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum* [c]: qui nos iubet magnopere confidere, quamuis in mundo pressuram habeamus, quia *vicit ipse mundum* [d]: & *mundi principem, qui non habebat in eo quidquam* [e], & *ab illo erat euictus* [f]. De hac eadē victoria tum superiùs hac epistola Ioannes [g], tum inferiùs [h] tum in Apocalypsi [i], vbi sic scribit: *ipsi vicerunt eum* diabolum, *propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui.* Eodem testimonio isto Isidorus abbas Mosem confirmauit Monachum grauitati tentationum penè succūbentem, discellúmque meditantem: præterea illo Elisæi exemplo, postquàm versus occidentem quidem aspicere iussisset dæmonum frementium & quasi ad inuadendum se accingentiū multitudinem: sed versus orientem prope innumerabiles Angelorū copias, ac tamquam exercitus instructos paratosque ad auxiliū ferendum. Lege Cōmentarium Psalmi XXVI [k].

Vers. 5.] Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.

NVllus offendatur, miretur nemo, si pseudoprophetæ gratia valeant in mundo, si libentibus excipiantur auribus: ad gratiam loquuntur mundo, delectantur quibus ille rebus, voluptate, diuitiis, honoribus. Colligerem, si vacaret, hæresiarcharum mores in historiis, & Patrum descriptos voluminibus: eos constat corruptissimos esse, ita vt nihil nisi mundum, & quæ mundi sunt sapiant. Vario illos Frusius noster Epigrammate

depinxit

a serm. 30. de verb. Apost. 1. & seq.
b Ioan. 1. 3.
c Ps. 150. vers. vlt.
d cap. 2. 18.
Antichristus vera persona est, sed habet multos præcursores.
e Matt. 11. 14. Luc. 1. 17.
f 1. testi. c. 8.
g 5. cōtra Mar.
h 5. de incarn. c. 10.
i c. 11. eiusdem libri.
k Matt. 19. 6.
l de carne Chri. c. 24.
m l. 5. c. 25. lib. 5. c. 1.
n vers. 18.
Insignes victoriæ ab infirmis reportatæ.
r Phil. 4. 13.
s ep. 9. [illegible] ep. 6. & de exh. ad martyr. c. 10.
Nō plus ad decuciendum potest terrena potentia quam ad erigendum tutela diuina.
k vers. 5.
o ep. ad Eph. & ep. ad Tra.
p ep. ad Phil.
q In singulari clerico.
Hæreticorum mores corruptissimi fuerunt.

depinxit carpens hæreticos huius seculi:idem faciunt accuratiùs, qui manum propiùs conferunt cum hæreticis, & veras Ecclesiæ nostræ notas proferunt, Cardinalis [a] Bellarminus, Thomas [b] Bozius, & alij. Vix extitit hæresiarcha, qui quæ superiùs tria Ioannes in mundo dixit esse, non studiosissimè persecutus sit, *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ, luxuriam intemperantiámque, auaritiam, ambitionem. Hæreticus est*, ait Augustinus [c], *qui alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ, principatúsque sui causa falsas ac nouas opiniones vel gignit, vel sequitur.*

a lib. 4. de notis Eccl. c. 13
b in opere de notis Eccles.
c lib. de vtil. credendi c. 1.

Ideo de mundo loquuntur.] *Loquuntur mundo placentia*, vident ipsi errores, non aspiciunt ea quæ recta sunt [d]: versant se in omnem formam, colorémque induunt omnem, præterquam veritatis, velut Protei, & Chamæleontes: *loquela manifestos eos tamquam Galilæos*, id est, *volubiles facit* [e]: ex cordis abundantia [f], malè affecti, loquuntur: quia *de terra sunt, de terra loquuntur* [g]: *de terra loquuntur, & de humo auditur eloquium ipsorum* [h], non valent proferre *schibolet, sed sibolet* [i], id est, non spicam granis plenam, sed spicam paleæ, quia de paleis tantùm loquuntur, id est, de rebus vanis, déque friuolis rationibus, & principiis, quæ putant repugnare fidei mysteriis, de Christi diuinitate, incarnatione, Mariæ virginitate, resurrectione, visione Dei, originali peccato, &c. [k] Iuxta phrasim Græcam ipsi è mundo sunt, ideo è mundo loquuntur. Etsi enim verum est, loqui tales ex abundantia praui & maculati cordis de rebus & concupiscentiis mundi quas amant: nihilominus non desunt, qui quæ à mundo aliena sunt in ore habeant, vt euangelium, Dei verbum, fidem fiduciámque in Christum, prædestinationem, fraternam dilectionem, &c. Concupiscentias verò suas caueant diligenter ne prodant. Attamen è mundo loqui censentur, quia falsa eorum etiam de illis doctrina non est ex Deo; sed ex mundo, & mundi principe, patréque mendacij diabolo; immò & ex carne, cuius inter opera Paulus [l] numerat etiam sectas & dissensiones. Nec refert quod nonnulli quædam tradant delectationi sensuum contraria, vt non nubere [m], abstinere penitus à nonnullis cibis & potibus, mactare carnem flagellis, orare perpetuò, &c. Eiusmodi doctrinas idem Apostolus [n] appellat dæmoniorum.

d Esa. 30. 10.
e Mat. 26. 73.
f Matt. 12. 34.
g Ioan. 3. 31.
h Esa. 29. 4.
i Iudic. 12. 6.
k Glossa ord. ibid. & Hugo Card.
l Gal. 5. 20.
m 1. Tim. 4. 3.
n ibid.

Et mundus eos audit.] Hi, quibus aures pruriunt, non sustinentes sanam doctrinam, fabulis delectati, & *ad sua desideria coaceruantes sibi magistros* [o], nihil aptius similitudine pruritus. *Hic est*, ait Sedulius [p], & Anselmus post Augustinum [q], *incendium carnis sine effusione vel sanguinis, vel seminis: sic hæreticorum oratio aures sollicitat auditorum, & placet sine veritate prædicationis, & corrumpit sua libidine integritatem castæ veritatis: & audita denuo audiri desideratur vt illiciat ad voluptatem.* Durus mundo videtur sermo Christi [r]: teneris mordax veritas auribus molestat: inimicus fit verum dicens [s]. Aut mundus, aut Deus audiendus: Deum audit, eiúsque verba, qui ex Deo [t] est: qui non audit, ex ipso non est, ac proinde necesse est, vt ex mundo, & mundi principe sit Diabolo. *Ego dedi eis*, ait Christus [u], *sermonem tuum*, & mundus eos odio habuit, *quia de mundo non sunt* [x], *sicut & ego nō sum de mundo. Non recipit* [y] *stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius.* Nec audit solùm mundum, verùm etiam obedit, quoniam auditis oblectatur, quæ referuntur ad vsum, praximque. Admonet porrò Ioannes tacitè fideles, ne turbentur si multos videant hæreticis adhærere. Nihil, ait, sunt nisi mundus, mundique immunda colluuies, diaboli peccatíque vilissima mancipia. Melior est autem vnus timens Deum, quam mille filij impij [z].

o 2. Tim. 4. 4.
p in 1. Tim. 4.
q Tract. 97. in Ioan.
Sermo hæreticorum qualis.
r Ioan. 6. 60.
s Gal. 4. 16.
Aut Deus, aut mundus audiendus.
t Ioan. 8. 47.
u Ioan. 17. 14.
x Prou. 18. 2.
y Prou. 18. 2.
z Eccli. 16. 3.

Vers. 6.] Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, nō audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris.

VErorum notas oppositas affert Prophetarum, quas ex prioribus, quæ conueniunt pseudoprophetis, obuium est cognoscere. Sunt ex Deo, quia missi ab ipso, quia veram doctrinam tradentes, quia sanctitatem docentes, & verò etiam operibus profitentes. *Isti sunt Episcopi, & pastores docti*, inquit Augustinus [a], *graues, sancti, veritatis acerrimi defensores, qui Catholicam fidem in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt, cuius lac, & cibum paruis, magnisque ministrauerunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit.*

Prophetarum verorum notæ.
a lib. 2. contr. Iulianum.

Nos ex Deo sumus.] Non intelligit quia charitatem habeant, vt voluit Glossa interlinearis, cui fauet Augustinus, & Beda: nec quia regenerati, nimirum per Baptismum, vt Lyranus: multò minùs, quia prædestinati, vt Carthusianus: non quia fide, & charitate prędit, vt Hugo: nec solùm, quia creati, & redempti; sed quia veram, atque orthodoxam de Christo fidem tenentes, & tradentes, etiamsi fortasse charitatem non haberent; quam habebant tamen Ioannes, & Ioanni similes, quos ipse pronomine primæ personæ comprehendit. Idem iudicium de iis, qui dicuntur ex Deo non esse, & non audire: videlicet sunt ij per se, qui destituuntur fide vera, & Catholica.

Non audit nos.] Non assentitur doctrinæ fidei, quam tradimus. Id etiam vult Ioannes, non excludens tamen obedientiam præceptorum. Recta consecutio iam pridem à Christo facta [b]: *qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*: conuertique potest duplex hæc propositio. *Vocem oues pastoris audiunt, alienum autem non sequuntur: sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum* [c]. Non audire pastorem, spernere est: non adhibere fidem, & obedientiam prædicanti, contemnere est. Ideo cùm dixisset verbis modò citatis Christus: *qui vos audit, me audit*, mox subiicit, non qui vos non audit, me non audit; *sed, qui vos spernit, me spernit: qui hæc spernit*, ait Paulus [d], *non hominem spernit, sed Deū*: & apud Ezechielē [e] Deus: *nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Iterum Christus: *si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt* [f]. Hæreticus interno si fidit, creditque spiritui suo, fallitur, nisi vocem audiat Ecclesiæ. *Conantur hæretici auctoritatem stabilissimam*, inquit Augustinus [g], *fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine, & pollicitatione superare: omnium enim hæreticorum quasi regularis ista temeritas est.* Coguntur hoc facere hæretici; quia iacêre se abiectissimè sentiunt, si eorum auctoritas cum auctoritate Ecclesiæ conferatur.

b Luc. 10. 16.
c Io. 10. 3. 5.
Non audire pastorem, spernere est.
d 1. Thess. 4. 8.
e cap. 3. 7.
f Ioan. 15. 20.
g epist. 56.

In hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris.] Spiritum qui ex Deo, & qui non est ex Deo, ac propterea ex mundo, & diabolo, doctrinam veram, & falsam, fidem prauam, & orthodoxam. Spiritum sanctum, *Spiritum veritatis* vocauit Christus [h], quippe *docētem omnem veritatem* [i]: Paulus [k] meminit *Spirituum erroris*: πλάνοις Græcè; id est, erronei, fallaces, vt legit Ambrosius [l], & Hi-

Spiritus S. cur dicatur Spiritus veritatis
h Ioan. 14. 17. c. 15. 26. c. 16. 13.
i Ioan. 16. 13.
k 1. Tim. 4. 1.
l in Comm.

latius[a], seductores, vt Augustinus[b]. Et in diabolo non est veritas, & *in veritate non stetit, mendax, ac mendacij pater*[c], & *cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur*, propria scilicet inuentione, proprio marte, non ab alio mentiri prius doctus, docens quotquot deinceps post ipsum mentiuntur, paratus mendacium ingerere in os etiam Prophetarum[d], & pseudoprophetas implens hæreticos, vt antè docuimus, & *excæcans mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij, gloriæ Christi*[e]. Deus autem decipere dicitur Prophetam errantem[f], permittendo dumtaxat. Nomine veritatis Euangelium ipsum quandoque denotatur: diciturque verbum veritatis[g]: nam continet vmbrarum, ac figurarum complementum, atque promissionum, & fidei mysteriorum cognitionem. Christus, qui veritas est ipsissima[h], venisse se dixit *vt testimonium perhiberet veritati*[i]: Paulus nominat seipsum doctorem in fide, & veritate[k]: de vocatis autem ad Euangelium, dicit *electos à Deo, primitias in salutem in fide veritatis*[l], id est in fide orthodoxa.

Vers. 7.] Charissimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est, & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum.

NOn *saltat, nec digreditur Ioannes*, inquit Caietanus, *sed è regione omnium affectuum mundanorum locat charitatē, vt hinc appareat, qui sunt ex Deo*, & qui sunt ex mundo, à proprijs nobis operibus. Doceant, iactentve quidquid velint alij, prædicent suum illum Spiritum, nos diligamus inuicem: hæc vera Christianitatis nota: qui hanc retinet, non scindit Ecclesiam nō facit varias sectas. Non laborant ceteri, vt hæc nectant. sed monent, dilectum discipulum cōtinere se non posse, quin subinde redeat ad sermonem de dilectione.

Licèt verò doctrinam orthodoxam nihil repugnet sine charitate conseruari, magnum tamē ex hac argumentum trahitur pro illa: ideòque tractatio iungitur aptè de ambabus.

Quia charitas ex Deo est.] Spiritus veritatis, orthodoxæque fidei ex Deo est, quod antea vidimus: at peculiari magis modo charitas, à qua Deus ipse paulò pòst denominabitur, vt vocetur ipsemet charitas: & ideirco charitatem habens, censebitur prorsus habere fidem, sine qua nequit esse, & cum qua necessariū est (quod vltimis præsentis versus habetur verbis) vt cognoscatur Deus tum practica cognitione ad effectum relata, tum veluti speculatiua, quam includit mysteriorum fides: *fides, est donū Dei*[m]: *Deus regenerat nos in spem viuam*[n]; *Omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit à Patre luminum*[o]: sed maximè propriè charitas ex Deo est, siue gratia, quę vel idē est cum charitate, vel non separatur, quoniam licet alia superna*tu*ralia dona nos euehant ad ordinem supernaturalem, & esse diuinum, ratione tamē siue caritatis, siue gratiæ, diuinæ cōsortes efficimur naturæ magis proprio quodam modo, secundum quem Spiritus sanctus, totáque Trinitas inhabitat in nobis & affectu, & effectu. Vis rationis, diligamus inuicē, quia charitas ex Deo est, consistit in hoc, vt occurratur veluti tacitę obiectioni, cur toties inculcet dilectionis pręceptum, quod videtur valdè difficile, ac ferè impossibile. Inculcat, vt vbi difficultatem sēserimus, recurramus ad Deū; &, quod ait Augostinus[p], præcepto isto monetur liberum arbitrium, vt quærat Dei donum.

Charitatis laus multiplex, vt quòd remittat peccata[q]: vt *quòd diligens Deum vicissim diligatur ab eo*[r]: quòd *operiat multitudinem peccatorum*, etiā alienorum[s]: quòd *nihil simus sine illa*[t], &c. Sed ista maxima, esse ex Deo, id est, esse quid diuinum[u]. Ex Deo autem est, quia diffusa per Spiritum sanctum quia prior nos dilexit[x], quia vnice nobis eam commendauit[y].

Augustinus[z] porrò, & Prosper[a] contra Pelagianos argumētantur, nō solùm nos habere possibilitatem ex Deo, sed bonam quoque voluntatem, bonamque actionē, quia charitas ex Deo est, efficitque nos filios Dei, nec aliud videtur bona voluntas esse, quam charitas Eodem hoc ad idem testimonio Mileuitanum Conciliū[b] vtitur. Quare non satis hinc probat magister sententiarum[c] distinctionem amoris notionalis ab essentiali, ita vt notionalis designetur, cùm dicitur charitas ex Deo, id est. Spiritus sanctus ex Patre & Filio, qui producunt illam per amorem actiuum notionalē: essentialis paulò pòst sequentibus verbis, Deus charitas est. Difficilè probatur ea distinctio ex Scripturis: sufficit autem auctoritas Doctorum[d], & ratio Theologica. Minus probandus Hugo, charitatem esse ex Deo, id est, Filium à Patre, ab vtroque Spiritum sanctum. Origenes[e] tamen sic intellexit charitatē esse ex Deo, id est, Filium ex Patre. de quo paulò pòst dicitur: *Deus charitas est*. Non ita conuenit Filio, qui per intellectum genitus est, vt charitas dicatur.

Charitatem verò semper hic intelligo supernaturalem: de amore namque Dei naturali super omnia, siue vt est finis naturalis, alia ratio. Distinctio passim recipitur, potissimum à B. Thoma[f] saltémque concedi debet ad amorem naturalem, quo Deus ametur super omnia simpliciter, quæcumque possint occurrere longo tempore necessarium esse auxilium gratię sanantis naturam nostram corruptam: sicque verum est, quòd hæc quoque charitas ex Deo est.

Omnis qui diligit, ex Deo natus est.] Capite præcedente tractata sententia similis est. expositaque de natiuitate secundum præsentem statum eius, qui modò diligit, non secundum prædestinationem; præterea colligit tamquam ex effectu, Dei filium esse, qui diligit eum, velut ex inseparabili. Sufficit autem actu (posita ordinaria Dei lege à filiatione Dei) non quòd sit actualis dilectio, caussa formalis diuinæ natiuitatis, & filiationis, formalitérve iustificans: oportere namque, prout Scripturæ, Patres, Concilia, præsertim Tridentinum, loquuntur, formam, quæ talem tribuit denominationem, esse permanenter inhærentem: & rationis eiusdem in omnibus filiis Dei, siue iustis, etiā in pueris, quos constat dilectionis actum non elicere. Hæc porrò charitas filios Dei constituēs, planè supernaturalis est, & facultatem tribuit Deum supernaturaliter diligendi. Actus charitatis, qui vt dispositio pręcedit quandoque in iustificatis, charitatis habitum, siue gratiæ, momento eodem secum trahit, quod asserit Petrus Soto[g] esse de fide. nam actus dilectionis est perfecta cōuersio ad Deum. continens virtute pœnitentiam, & auersionem à peccato, & propositum placendi Deo in omnibus, & consequenter affert conuersionem Dei ad hominem iuxta illud: *Conuertimini*[h] *ad me, & ego conuertar ad vos: ego*[i] *diligentes me diligo: qui*[k] *diligit me, diligetur à Patre meo.*

Et cognoscit Deum.] Speculatiua, & practica fide,

a 1. Cor. 4. 4. [illegible] 10. de Trin. b 15. contra [illegible] c. 10. c Ioan. 8. 44. d 3. Reg. 22. 22. e 2. Cor. 4. 4. f Ezech. 14. 9. *Deus dicitur decipere Prophetā permittendo tantùm.* g Ephes. 1. 13. Col. 1. 5. Iacob. 1. 18. h Ioan. 14. 6. i Ioan. 18. 37. k 1. Tim. 2. 7. l 2. Thes. 2. 13. m Ephes. 2. 8. n 1. Pet. 1. 3. o Iacob. 1. 17. *Charitas maximè propriè est ex Deo.* p de grat. & lib. arb. c. 18.

q Luc. 7. 47. *Charitatis laus multiplex.* r Ioan. 14. 21. s 1. Pet. 4. 8. t 1. Cor. 13. 2. u Rom. 5. 5. x 1. Ioan. 4. 19. y Ioan. 15. 12. z lib. 4. contra [illegible] a lib. de gratia & lib. arb. b Can. 4. c 1. dist. 17. d S. Aug. de Trin. 15. & alij. e Cant. 4. *Filio non conuenit vt dicatur charitas.* f 1. 2. q. 109. a. 3. & alibi. g lib. 3. de Natura & gratia. *Actus dilectionis est perfecta conuersio ad Deum.* h Zach. 1. 3. i Prou. 8. 17. k Ioan. 14. 21.

de,& Sapientiæ dono,nec non approbando,sicut pridem antea dictum est. Immò natura solet antecedere cognitio amorem: non enim diligitur quod non cognoscitur. Amor etiam excitat ad rem magis cognoscendam:& meretur,vt Deum amat,vt sui Deus in hac quoque vita, maiorem ipsi notitiam communicet. *Qui diligit me,diligetur à Patre meo*,ait Christus[a], *& ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*; nimirum per doctrinam fidei perfectam,& plenam, qualis conuenit perfectis,& in sanctitate prouectis, vt exponit Cyrillus[b],& modo practico, & quasi experimentali. Græcum verbum ἐμφανίσω significat occultam, tectam, ac per insinuationis modum manifestationem:quæ fit internis illustrationibus, & inspirationibus,quas *velut manna absconditum nemo scit nisi qui accipit*[c]. *Magna*[d] *multitudo dulcedinis tuæ,quam abscondit Deus timentibus eum* Si quis verbum præsens *cognoscit*, interpretetur pro futuro, poterit cognitionem hanc intelligere de beatifica, quæ Deum diligentibus præparata est. Placet id interlineari Glossæ,& Hugoni.Sed simplicior, meliórque primus sensus.

Non diligeret, quod non cognoscitur.

a Ioan 14.21.

b ... 10. in ... 1.

c Apoc. 2.17. d Psal. 30.20.

Vers 8.]Qui non diligit,non nouit Deum: quoniam Deus charitas est.

Syrus Interpres inuertit sententiam, præponens,quod secundo ponitur loco membrum, ita vt causa reddatur cur Deum noscat qui diligit eum,quoniam ipse charitas est.Charitatem verò habens, & experimento proprio cognoscens in se,Deum ipsum simili nosse ratione censetur,qui est charitatis obiectum, & præterea nostræ charitatis efficiens causa, finalis, exemplaris משׁול דלאהא חובא וכל דלא מחב לא ידע לאלהא *metul delaha chuba vecol dela mechab la iadah lalaha: quoniā Deus charitas est*,inquit editio Syra, *& quisquis non diligit,non cognoscit Deum*.Lyranus,& Carthusianus opinionem reiiciunt magistri sententiarum[e], charitatem, qua immediatè Deum,& proximum diligimus, esse increatam, siue Spiritum sanctum,siue habitū charitatis inhærentem. nam neque tāta delectatione dilectio eliceretur, quia delectabilem facit habitus actū,neque cum libertate, & merito, si nempe mota dumtaxat in actu diligendi voluntas esset. Postremò fatetur idem magister[f], Spiritum sanctum inhabitare in paruulis baptizatis, quod absque habitu inhærente nequit intelligi:præterea docet[g], gratiam esse virtutem infusam, bonámque animæ qualitatem. Quocirca Scotus[h] magistrum excusat, commodéque interpretatur.

e 1.dist. 17. *Charitas qua Deū diligimus ... Spiritus*

f 1 dist.17.

g 2 dist.27.

h 1.dist. 17. q. ... art 3.

Dicunt autem Theologi docent, Deum charitatem,videlicet eo modo,quo solet vocari bonitas, sapientia, iustitia,& similia, per essentiam, ita vt quod ait Bernardus[i], *charitas substantia*, id est, *Deus,dat charitatem accidentalem*. Hæ prædicationes indicant infinitatem,& consubstantialitatem attributorum in Deo cum summa simplicitate istarum abstractarum formarum, immò nihil re ipsa formaliter aliud esse,quàm ipsissimam essentiam diuinam, in qua nos inadæquatè secundum intelligendi modum nostrum imperfectum ista distinguimus,& esse causam eorumdem attributorū,prout finito modo reperiuntur in creaturis.

Deus quo modo sit charitas.

i epi. 11. circa med.

Quare Deus charitas est, non qua diligimus eum,sed qua nos ipse: sicut sapient a est & iustitia,non qua nos sapientes,iustiue sumus. Eadem verò charitas,qui est Deus, efficit nostram creatam,qua diligamus ipsum.& potest illa dici ignis accendens, hæc ignis accensus; sicut Augustinus[k] vocat sapientiam,& iustitiam Dei, *lumen illuminans*;nostram,*lumen illuminatum*. Quo fit, vt quemadmodum qui est in lumine à sole producto dicitur esse in sole,& sol in eo: ita qui manet in charitate,manere in Deo,& Deus in illo,quod paulò pòst Ioannes subdit.

k 11 confess. cap.15.

Rectè porrò colligit Philo Carpathius[l],charitate nos effici Deos, quia Deus charitas est: Origenes[m] perpetuò charitatem perseuerare in nobis debere, ferrique in obiecta spiritualia,quia Deus Spiritus est immortalis: Basilius[n], cum Deus sit charitas, necesse esse, vt diabolus sit odium(ἐχθρὸς μῖσος, nempe sicut cùm pessimum quemque vocamus ipsam malitiam, scelus, pestem)ita vt quemadmodum qui charitatem habet,is habet Deum, sic qui odium habet,is diabolum in semetipso nutriat Chrysostomus[o] cum charitate nihil comparari posse, cùm Deus ipse sit,qui est incomparabilis:Bernardus[p] non aliam quærendam sponsæ cum Deo sponso necessitudinem,vel connexionem,præter amare, & amari,quia sponsus iste non modò amans, sed amor est alij[q],quam certi debeamus esse, scire Deum, posse.velle nos diligere,cùm sit ipsissima charitas: ac proinde supra mensuram nostri amans. Verè nescio quis dixit, *omnium parentum vetustissimum amorem*:meliùs dixisset, *etiam recentissimum*. Non alia res Deum compulit ad prædestinandum, creandum, conseruandum, redimendum, iustificandum,glorificandum nos,ausim dicere, ad castigandum etiam reprobos,quàm Amor. Est misericordia charitatis alumna super omnia opera[r] Dei *& ipsum quoque superexaltat iudicium*[s]; in quo non erit quidem misericordia liberans, erit tamen mitigans,cùm & citra condignum puniat Deus:κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως *gloriatur misericordia super damnationem*: vel *misericordia non reformidat iudicium*:vel per Enallagen,*qui misericors est,erit animo confidenti,& veluti gloriabundus in iudicio*.

l in Cant. ca. 4. *Charitate nos effici Deos.* m Hom. 1. in Cant aut Prolog. n ... de iust. ... qui inci... ... Non.&c.

o Tom.4.ser. de b.Ie.,pe,& chari. p serm.83 in Cantic.

q vt Cag hoc loco.

Amor omnium parentum vetustissimus, & recentissimus.

r Psal.144.9. s Iacob.2.13.

Cæterùm licet caritas essentialiter de Deo dicatur,ac tribus personis:& quamuis Origenes[t], vt vidimus,notionaliter Patri tribuat,& Filio,sic de isto interpretans,quod est priore versu, *charitas ex Deo est*:vbi alios quoque monuimus intelligere simul de Spiritu sancto: tamen nulli ex diuinis personis aptius cōueuit per attributionem,quàm Spiritui sancto,sicut & amoris vocabulum.In antiphona prima nocturni tertij festi S. Trinitatis canitur,Caritas Pater est,Gratia Filius, Communicatio Spiritus S. Quæ sumpta est ex vltimis verbis epistolæ posterioris ad Corinthios, *Gratia Domini nostri Iesu Christi,& charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*.

t hom. 1. in Cantica.

Charitas propriè Spiritui sancto attribuitur.

Disputat B.Thomas de virgine amore, notionali[u],& essentiali[x], redditque rationem, quam & passim ceteri, cur amor dicatur Spiritus sanctus, quia procedit ex amore Patris & Filij, qui se dicuntur etiam amare Spiritu sancto : de qua tamen propositione magna lis inter Scholasticos, quomodò debeat intelligi. Sed nos id modò non agimus.Egregiè Bernardus[y] obseruauit aptissimas esse propositiones, in quibus abstractè dicuntur quædam de Deo, vt Deus, vel Christus est charitas,iustitia,& huius generis alia. Ideoque in Concilio Rhemensi meritò reprehensum Gilbertum, qui asserebat Deum vocari Sapientiam,id est, sapientem, ac si non esset Deus ipsa Sapientia per essentiam,quantumuis abstractè,&

u 1.p.q.37. x ibid.q.30.

y serm. 80 in Cantica.

simpliciter à nobis concipiatur.

Quærit Caietanus hoc loco, quare non dicimus: *Qui non scit, non nouit Deum, quoniam Deus scientia est: qui non sapit, non nouit Deum, quoniam Deus sapientia est. Qui non potest, non nouit Deũ, quoniam Deus potentia est*; & sic de aliis diuinis attributis: sed peculiariter, *Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.* Respondet, non esse de Deo sermonem absolutè, sed de Deo relato ad nos; *primus autẽ, & præcipuus diuinus erga nos actus*, inquit, *est dilectio, qua in charitate perpetua dilexit nos* [a]. At profectò scientia, & potentia Dei nõ sunt, aut non concipiuntur sine respectu ad nos, velut ad obiectum talium attributorũ, actuúmque: nec actus amoris nos respicit, nisi respiciat priùs actus scientiæ practicæ. Nõ aliam igitur arbitror quærendam causam, nisi quòd Ioanni non erat sermo de alio Dei attributo, quàm de amore, occasione accepta ex illo amore, quo nos amare præcipit proximos nostros, argumentans, si desit nobis, nos Deum non nosse, practicè nimirum, atq; per imitationem, quia inter alia, & quidem præcipua attributa diuina, quæ nostra maximè interfit cognoscere, charitas est. Ceterùm spectando illa alia attributa, nõ minùs profectò formari possunt, & concedi debent propositiones, quas posuit in obiectione Caietanus, quàm quæ hic expressa est à Ioanne de charitate, sicut etiam Didymus concedit, & interpretes alij.

a Iere. 31. 3.

Inter attributa Dei præcipua est charitas.

Vers. 9.] In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.

Nihil æquè demonstrat Dei charitatẽ, & quòd etiam sit charitas ipsissima, *quam nec Filio suo pepercisse, sed pro nobis tradidisse* [b]: hoc enim fuit simul omnia nobis cum illo donare [c]. Magnitudo dilectionis est pro filiis adoptionis, vel potiùs, vt efficeret filios adoptionis, non pepercisse Deum Patrem proprio, & naturali Filio, in quo omnem suum amorem collocauerat, & qui dilectus cognominatur ab ipso [d]. Sic Hilarius [e] videtur argumentari Christum esse filium Dei naturalem, Cyrillus [f] Alexãdrinus, Ammonius [g], Theophylactus [h], Idacius [i] Clarus. Ipsemet Christus cum quadam emphasi, & admiratione dixit: *Sic* [k] *Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Abraham audito promisso diuino de futura prole, cecidit pronus in faciem, quasi oppressus pondere beneficij [l]. Audientes Hebræi, ac videntes missum à Deo Mosem, vt liberaret ipsos de captiuitate, & quòd visitasset illos Deus, & respexisset afflictionem illorum, visis etiam signis editis à Mose, crediderunt, & proni adorauerunt [m]. Idem beneficium Dauid exaggerat, dicens: *Misit Mosem seruum suum Aaron quem elegit ipsum* [n]. Tãti verò factus hic est ab Hebræis, vt defuncti corpus penitus ab eorum oculis subtrahendum fuerit à Deo [o], ne pro Deo colerent ipsum. Cum rescissent senior, ac iunior Tobias [p] Angelum Raphaelem fuisse, à quo sub aliena forma, & nomine tot acceperant beneficia; prostrati per horas tres in faciem benedixerunt Deum.

b Rom. 8. 32.

Magnitudo dilectionis Dei ergo nos in quo ostensa.

c Ibid.

d Mat. 3. 17. c. 17. 5.

e lib. 6. Trin.

f in Ioan. c. 3.

g in Catena Græca in Ioa. cap 3.

h in c. 3 Ioan.

i con. Varim.

k Ioan. 3. 16.

l Gen 17. 3.

m Exo. 4. 31.

n Psa. 104. 26.

Moses quanti factus sit ab Hebræis.

o Deut. vlt. 6.

p Tob. 12. 22.

Æstimet qui potest Incarnationis infinitũ beneficiũ, & quia non potest, veneretur, omnésque prouocet ad benedicendum secum, atque magnificandum Deum ratione præditas, & expertes quoque rationis creaturas. Commendatur oblatio, & obedientia Abrahæ [q] in vnigenito suo sacrificando filio. Multò magis commẽdat ipsemet charitatem suam Deus [r] in nobis peccatoribus tradendo morti Filium consubstantialẽ sibi. Reddebat Abraham filium, quem acceperat: & ipsa quoque charitas, obedientia, fides eius, dona Dei erant. Deo nemo quidquam dedit, vt retribuatur ei ab ipso [s]: bonorum nostrorum non eget [t]. Hac de re nonnihil attigimus capite priore [u].

Incarnationis beneficium quã sit æstimandum.

q Gen 22. 1. Heb. 11. 17.

r Rom 5. 8. 9.

s Rom. 11. 35.

t Psal 16. 2.

u vers. 2.

Apparuit.] Ἐφανερώθη, *manifestum fuit* אתידע *ethiadhoad. Innotuit.* Sic etiam ad Titum Paulus [x] loquitur de gratia, benignitate, humanitate Saluatoris nostri Iesu Christi Dei. Latebat priùs quodãmodo, & delitescebat ista Dei charitas, & veluti continebat in ira misericordias suas Deus [y], erupit, prodiit, prodidit sese clarissimè per incarnationẽ, quæ visibilem nobis exhibuit Deũ. Quãuis autem lux illa infinita in Humanitatis se tenebras abdiderit, & Deus magis absconditus ea ratione factus fuerit, venit tamen lux in mũdum, & illuxit nobis doctrina, miraculis, exemplo.

x cap. 2. 11. & 3. 4.

y Ps 76. 10.

Vnigenitum.] Charissimum; est enim vnigeniti Filij epithetum, vt charissimus, vel dilectus, Græcè ἀγαπητὸς, cognominatur tam apud profanos, quàm sacros Auctores. *Tolle* [z] (inquit Deus agens cum Abraham) *filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac.* Eadem acceptio videtur vnigeniti, pro charissimo, τῦ μονογενῦς loco ἀγαπητῦ. In Euangelio Ioannis [a]: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Athanasius [b] quidem ἀγαπητὸν interpretatur vnigenitum. Nonnumquam primogenitus pro vnigenito sumitur, nõ post quem sit genitus alius, verùm ante quem nemo. Hoc pacto [c] Beata Virgo *filium suum primogenitum peperisse dicitur.* Sed & populus Israel vocatur *primogenitus a Deo ipso* [d], cum tamen alium populum Deus cultorem sui non haberet: præterea percussa scribũtur [e] primogenita Ægypti, inter quæ facilè fuerunt etiam vnigenita: iussa sunt item Hebræorum sanctificari primogenita [f], nec expectandum tamen erat, donec alia postea nascerentur. Postremò nominat Paulus [g] eumdem Christum Dei πρωτότοκον *primogenitum*, etiam vt Deus est, vt exponit Oecumenius [h], licet alij malint ibi sermonem esse de homine, ac generaliter quoties vocatur Christus vnigenitus, denotari naturam diuinam, quando primogenitus, humanam. Hieronymus [i] autem obseruat, idiotismo Hebræo primogenitum dici, qui primus omnium nascitur, quãuis alter non nascatur.

z Gen. 22. 2.

Vnigenitus idẽ quod charissimus.

a Ioan. 3. 16.

b orat. cont. Arian.

Quòd Deus ex Deo.

c Matt. 1. 25. Luc. 2. 7.

d Exo. 4. 22.

e infra 11. 29.

f infra 13. 2. cap. 22 29.

g Heb. 1. 6.

h ibidem.

Christus Deus & quo sensu primogenitus.

i contra Heluidium.

Porrò ex Vnigeniti nomine argumentantur aduersus Arianos hi, quos citaui principio versus istius, rursúmque Cyrillus [k] (qui docet idẽ quod Hieronymus, & Oecumenius, diciq; primogenitũ etiam vt Deus est, quia omnis filiatio ab ipso est, & per ipsum omnia creata sunt) & Hilarius [l], præterea Basilius [m], & Ambrosius [n], Athanasius [o]. Nam si Filius creatura esset, non diceretur *vnigenitus Filius*, quia multi præterea vocãtur filij Dei: Nec sufficit dicere, quia solus à Patre creatus est, cetera per ipsum, ideo sic appellari, quoniã cõmuni loquendi modo non dicitur quis vnigenitus, vt Basilius, ac Cyrillus notãt, quòd sit à solo, vel solus, sed quia vnicus natus ab vnico. Non est quoque satis excellentia sola supra creaturas, si cõtinetur intra creaturarũ ordinem: etenim nominandus esset non vnigenitus, sed vnicreatus. Idem respondendũ iis, qui dicũt appellationis dictæ causam esse, quoniã sit solus Angelus, & nũcius consiliorũ Dei, vel inter creaturas Creator. Tunc enim vniangelus dicẽdus esset, aut vnicrea-

k in Thesau. cap 4.

l 12. de Trin.

m 2. cont. Eunom.

n 1. de Fide cap 4.

o orat. 3. contra Arianos.

Contra Arianos pro Christi diuinitate argumentum.

tor,

tor,& nõ voce pertinente ad generationẽ, atque consubstantialitatem significante cum generãte, vnigenitum. Valent hæc quoque cõtra Ebionem, & Cherinthum,qui Iesum docebant appellatum filium Dei,ob profectum virtutum,bonáque merita. Hoc pacto,non vnigenitus esset, sed vnus de numero filiorum gratia & adoptione talium.

Misit Deus.] Deus Pater. nam Dei commune nomen ad primam Patris personã restringit missio vnigeniti Filij, quemadmodum elici potest ex Ambrosio[a],& Augustino[b]. Missio Filij denotat processionem à Patre,& incarnationem : missio Spiritus sancti processionem à mittente tum Patre,tum Filio,quæ actiuè vnica est, quia vnica productio, & præterea mirabiles quosdam effectus qui attribuuntur Spiritui sancto.

a 1. de Fide, c. 4. *Missio filij est processio à Patre, Missio Spiritus sancti, processio ab vtroque.* b Tract. 63. de Verb. Dom.

Communis est,ac trita Theologorum ista doctrina post Augustinum[c],& Athanasium[d].Quocirca numquam legitur Pater missus, vt obseruat Augustinus[e],quia primum principium Deitatis à nullo procedens: nec Filius à Spiritu sancto, quia non procedit ab illo : licet quatenus homo, mitti quoque dicatur ab illo[f],& ratione naturæ humanæ creatæ, & propter dona gratiæ quæ accepit in natura humana iam assumpta.

c 4. de Trin. cap. 19. d Orat. in id: Deus ex Deo, circa finem, & ep. ad Serapionem sub finem. e 2. de Trin. c. 5. f Esa. 61. 1.

Sex missionum genera distinguit, & explicat Toletus[g]:Filij à Patre[h],Spiritus sancti sub visibili specie[i]:eiusdem modo inuisibili per gratiã, & dona[k]:Angelorũ ad aliquid nunciandum, vel operandum[l] : hominum, altera ea his causa[m]: irrationalis creaturæ ad quippiam efficiendum[n]. Lege B. Thomam[o]. Paulus[p] rectè Christum nominauit Apostolum , quem Latinè dicimus Missum : est enim Missus ceu legatus Dei , Doctórque Mundi,sed peculiariter Hebræorum[q].

Sex missionum genera quæ sint. g in c. 1. Lucæ annot. 41. h Gal. 4. 4. i Ioan. 1. 6. 7. k Rom. 5. 5. l Lucæ 1. 19. 26. Actuum 12. 11. m Ioan. 1. 6. n Psal. 77. 45. Ionæ 1. 4. o P. Par. q. 43. p Heb. 3. 1. *Christus Apostolus à Paulo dictus.* q Mat. 15. 24. r Ioan. 3. 16.

Vt viuamus per eum.] Vt *qui credit in eum,non pereat,sed habeat vitam æternam*[r], per ipsius merita:vt interim viuat hic vitam cœlestem,& spiritualem, & Deo dignam:vt etiam vitam recuperet corporalem , suo resurgens tempore ad immortalitatem,per eum qui est *primogenitus mortuorum*[s].Itaque non *iam sibi viuere quisquam debet,sed ei,qui pro ipso mortuus est, & resurrexit*[t], *ita vt viuat non ipse, sed in eo Christus*[u]. *quoniam Deus diues in misericordia, propter nimiam charitatem suam,qua dilexit nos , cùm essemus mortui peccatis,conuiuificauit nos Christo(cuius gratia saluati sumus) & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu*[x]. Denique vitæ vocabulo, viuendíque verbo comprehenditur omne bonum,omnísque felicitas ; vt alibi docui.

s Apoc. 1. 5. t 2. Cor. 5. 15. u Gal. 2. 20. x Ephes. 2. 4. 5. 6.

Qui solam per se causam Christi in carnem aduentus,volunt fuisse reparationem lapsus nostri, vitam sumunt ab eo recuperandam cum relatione ad præcedentem mortem. Consequentia necessaria non videtur,quidquid sit de reipsa.Licet etiam sola hic huiusmodi exprimatur causa, sicut & sequenti versu,aliásque hac ipsa epistola, non proinde nullam sequitur aliam esse.

*Vers.*10.] **In hoc est charitas:non quasi nos dilexerimus Deum , sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.**

SIc est, vt Augustinus[y] ait,nec timendum est, ne sæpè dicendo (de charitate) in odium veniat. Quid enim amatur , si charitas in odium veniat ? Qua charitate fit, vt cetera bona amentur,ipsa quomodo amanda est? Res ergo quæ nũquam debet de corde discedere,nec ab ore discedat.Multa de charitate hactenus dicta,non capit Ioannem satietas charitatis:diligit dilectus de dilectione sermonem.

y tract. 7. *Charitate fit vt cætera bona amentur.*

Dei porrò erga nos exaggerat charitatẽ,beneficiũ inculcando Dominicæ incarnationis,atque propitiationis pro peccatis nostris, quibus antea de rebus disputatũ satis.Præterea circũstantia illa expenditur , quod præuenti simus à dilectore Deo,qui *charitate perpetua dilexit nos*[a] ,cùm nondũ essemus,vt eũ diligere possemus , sed ad hoc nos dilexit,vt diligeremus eum , *& elegit nos in Christo ante mundi constitutionem,vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate*[a] :nec *prior quisquã dedit illi vt retribuatur*[b] *ei*. Affinis prorsus commendatio charitatis Christi,cùm dicit[c]:*Nõ vos me elegistis,sed ego elegi vos,amans non prouocatus.*

Deus nos præuenit diligendo. c Ierem. 31. 3. a Ephes. 1. 4. b Rom. 11. 35. c Ioan. 15. 16.

Opportunè profectò suggeritur hîc modus ille charitatis diuinæ , vt id imitati exemplum, præueniamus amore alios nil cogitantes,nil expectantes, nil expetentes. Diligere qui diligant. seu respondendo,seu præueniendo amorem,non meretur mercedem,aut laudem magnam:faciunt id enim & Publicani[d].Talium numero censeri Poëta potest,cuius est illud[e]:

Vt præstem Pyladen,aliquis mihi præstet Orestem.
Hoc non fit verbis,Marce,vt ameris,ama.

Abiit in Prouerbium:*Si vis amari, ama*[f] : vel , *vt ameris ama*[g]. Meliores Philosophi veram finiunt amicitiam , dum quis quem amat , diligit, nulla indigentia,nulla vtilitate quæsita[h].

Diligere qui diligunt nõ meretur mercedẽ, vel laudẽ magnam. d Mat. 5. 46. e Martialis li. 6. epig. 11. vel 9. f apud Senecam ep. 9. g apud Ausonium epig. 91. qui vtitur hemistichio Martialis. h Cic. Paradoxo 5. & 2. de Finib.

Expendit Bernardus[i] egregiè meram istam, ac puram erga nos instar meri,purique vini charitatem Christi,docétque nostram quanta quanta sit , aqua permixtam esse , & imperfectam , si conferatur cum illa.

i serm. 9. in Psa. qui habitat.

Firmum porrò pro gratiæ necessitate contra Pelagianos testimoniũ petit hinc Augustinus[k], & Prosper[l]. Atqui dicat aliquis , teste Mose[m], *populus Hebræus Dominum elegit vt esset eorum Deus*: & Iosue[n] testes ipsosmet citat,*quòd elegissent Deũ, vt seruirent illi*. Deinde Christus[o] sub cœnam postremo sermone, certos fecit Apostolos , quòd eos Pater amaret, quia se amassent , & credidissent illum exisse à Deo. Negari non potest nobis conuenire facultatem eligendi Deum, quatenus liberè,ac spontè volumus ei seruire, & oblatam gratiam , adiuuante nos gratia , volumus acceptare. Sed præuenit omninò diuina nos electio, atque vocatio,sine qua sequi Deum,non eligeremus,nec eum diligeremus.Posita quoque iam,& præsente gratiæ,& charitatis dono, amari potest Deus amore meritorio , propter quem redamet Deus amore,ac dono nouo, quod habeat rationẽ præmij De illo amore loquitur idem Christus[p]: *Qui diligit me,diligetur à Patre meo,& ego diligã eum, & manifestabo ei meipsum* : &,*Ego diligentes me diligo*[q],ait diuina Sapientia. Vtrumque amorẽ aptè iungit,& explicat Augustinus[r] : *Amorem nostrum pium,quo colimus Deum,fecit Deus, & vidit quòd bonum est.Ideo quippe amauit ipse quod fecit : sed in nobis non faceret,quod amaret,nisi antequàm id faceret , nos amaret.* Nostra dilectio igitur præcedit dilectionem,qua nos diligit Deus tãquam præmiatur,nõ vt gratiæ collator,per quam remittuntur peccata nostra,& iustificamur , & nobis conceditur,vt ad finẽ vsque vitæ perseueremus. Carthusianus[s] exponit:*Pater amat vos,quia vos me amastis*, vt *quia* dicat causam à posteriori,seu signum diuini amoris ad nos Sed melior præcedens explicatio.

k hic, & lib. de gra. Christi cap. 26. l ep. ad Ruff. ep. ad Demetriadem. contra collato. c. 10. m Deut. 26. 17. n Iosue vlt. 21. o Ioan. 16. 27. *Quomodo in nostra potestate sit Deum eligere.* p Ioan. 14. 21. q Prou. 8. 17. r Tract. 102. in Ioan. *Amorẽ nostrum quo colimus Deum , fecit Deus.* s in exposit. præsentis loci huius epistolæ.

In hoc est charitas.] Didymus explicat *in hoc*, Christo. Sed profectò sensus est , ea in re , con-

sistere,

ſiſtere, vel cognoſci charitatem.

Non quaſi.]Græcè ὅτι, pro, *quaſi*, id eſt, *quia*, vel potius, *quod*.

Propitiationē.]ἱλασμόν. Auguſtinus *litatorē, & ſacrificatorē*, offerentem ſeipſum, cùm al à non toueniret hoſtiā, victimámque. Lege caput ſecundū[a].

Multis exaggerari poteſt modis, illuſtriſſima erga nos charitas Dei ex incarnatione, & paſſione Filij Dei. Errorū pleniſſimo, ac falliatē tamen maximè odienti homini ipſa veritas Deus Dei Filius, homo factus, non Deus conſumptus, voluit fidem fundare, *vt ad Deū iret per hominē*: inquit Auguſtinus[b]. Deinde, vt[c] idē ratiocinaror, in miſeria conſtitutū, ne liberationis deſperatione fietet miſerior, ab immortalitatis quadam deſperatione liberauit, accipiens pro illo quod nō erat, in ſe manens quod erat. Poſtea, cum totū hominis bonū, vt adhuc idē Pater[d] argumētatur, in amando conſiſtat Deo; commendauit eam vehemētiſſimè, ſumendo naturæ noſtræ conſortium, & moriens etiam pro inimicis[e]; non æſtuans indigentiæ ſiccitate[f], ſed vbertate beneficētię affluens. Poſtremò granditer & euidenter in incarnatione Vnigeniti Dei, Dei gratia cōmēdatur, vt idem[g] ſcribit; quia dum naturæ humanæ in Chriſto tanta eſt gloria, vt vna ſit perſona Deus, & homo, nullis præcedentibus meritis. ſine dubitatione, gratuita; magna & ſola Dei gratia fideliter & ſobriè conſiderantibus euidenter oſtenditor, per eandem gratiam nos à peccatis iuſtificari, per quam factum eſt, vt homo Chriſtus nullum poſſet habere peccatum. Plura in diſputatione de Incarnatione.

Verſ. 11.]Chariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.

VRgens eſt amor, & ingenioſè aculeatus. Non alias magis argutus Ioannes, nec maior dialecticus, quàm cum diſſerit de charitate: nuſquam tot aceruat rationes, quàm vbi perſuadere nititur charitatem, magiſtrum, cui erat adeo dilectus imitatur. Illius de charitate poſtremus omnium maximè prolixus ſermo[h]: & aduerſus Petrum arcentem etiam armis comprehēſures[i] collegit argumenta non pauca, quibus duceret ſibi minime reſiſtendum, ſed amori, *qui vincit omnia, cedendum*[k]. Sed abripit amor idem animum, vt nō videatur idoneas facere conſecutiones: quæ ſunt nihilominus optimæ, quamuis ob feruentem amorem, non ſemper immediatæ.

Si ſic Deus dilexit nos.]Amore incomparabili, *& nos* ſic, pro modulo nēpe noſtro, debemus Deum diligere. Hoc debuit modo rectè ratiocinatio procedere. Quaſi minùs eſſet amari Deus ardens amore noſtri, vel potiùs quoniā tāti nos facit, neque diligi proximus ex charitate poſſit, niſi diligatur propter Deum, intulit Ioannes ex amore, quo diligimur à Deo, nobis proximus diligendos eſſe. Adde quòd benefico amore, de quo præſertim eſt ſermo, quiq; maximus in nos à Deo declaratus eſt, non eſt capax Deus, quippe *bonorū noſtrorum non egens*[l]. Idcirco exigit, vt eos propter ipſum diligamus, quos afficere beneficio valeamus: *Quamdiu fecistis*[m], ait, *vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

Vis illationis videtur duplex, & vt Deo ſatiſfaciamus amorem inter nos mutuū exigēti, cùm tantopere dilexerit nos; & vt ad amorem faciliùs inter eoſdem nos moueamur, cùm maior ſit ſimilitudo, quam cum Deo, is tamen iam longè diſtās à nobis, tāto nos amore ſit dignatus. Poſteriorem conſecutionem elicit Oecumenius, & Caietanus. Adiungit Hugo eum ſimilitudine, mutuæ quoque opis indigentiam, quæ nulla in Deo eſt.

Si ſic.]Sic legendū, non, vt alij, vel *ſi* tantùm vel *ſic*: particula verò *ſi* dubitationem non innuit, ſed affirmationē, quaſi dicas, cùm, aut quia, aut quandoquidē, &c. vt notat idem Hugo. Creber eſt in Scripturis huius illius particulæ vſus, nec inſolens Auctoribus profanis. *Si hæc facis, manifeſta teipſum mundo*[n], id eſt, quandoquidē hæc facis. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate*[o], id eſt, quia me diligitis, &c. *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire*[p], id eſt, cùm me vnū quæratis, &c. Primum locū exempli prolatū loco, ſic, vt dixi, exponit Cyrillus[q], & Auguſtinus[r]: quamuis Chryſoſtomus, & Euthymius dubitantes ſumi velint. Terentij, Ciceronis, Virgilij reperies apud Turſellinum[s] exempla.

Cæterum cæleſtis quoque Patris noſtri Chriſtus exemplo inuitat ad perfectionem, ſicut & ille perfectus eſt[t]: & ipſemet exemplum dediſſe ſe nobis proteſtatus, vt quod fecit, & nos faciamus[u]: Paulus[x] imitatores iubet Dei eſſe, & ambulare in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.

Verſ. 12.]Deum nemo vidit vnquam. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt.

NOuæ ſunt rationes, quibus perſuadetur charitas: vel vna integra conflata è pluribus: nec eodem tamen pacto ab omnibus intellecta. Putat Hugo ſignificari, Deum, qui corporalibus eſt oculis inuiſibilis, ab habente charitatem, videri ſpiritualibus, nempe, vt interpretor, propter fidem, donúmque ſapientiæ, quæ ſunt cum charitate coniuncta: ſic verò Deum manere in eo, qui diligit, nimirum obiectiuè per intellectum, & voluntatem: & charitatem ea ratione eſſe perfectam, id eſt, veram, & ſinceram, & integrum ſuum obiectum continentem, qui eſt Deus, & Proximus; ſi quidem Proximus amatur charitate propter Deum. Carthuſianus interpretatur, licet non videatur Deus clara viſione à nobis in hac vita, manere in nobis, ſi charitatem habeamus, ſiue fidem formatam charitate, & gratiam iuſtificantem, quæ ſunt inſeparabilia, & ratione quorum Deus inhabitat & in nobis, & in fratribus, quos idcirco cùm diligimus, Deum diligere cenſemur.

Caietanus non rationem nouam agnoſcit, ſed cauſam, cur Ioannes ex Dei erga nos amore non intulerit amorem noſtrum erga ipſum, ſed Proximum, quia videlicet amor Dei non viſi difficilior eſt, quàm mutuus inter nos, qui videmus inuicē & familiariter agimus. Salmeron poſt Oecumenium vult quoq; hic occurri tacitę obiectioni, ne quis cauſetur imitari Deum diligendo non poſſe, qui non videatur: videri namq; non ipſum in ſe, ſed in ſingularibus effectibus ſuæ charitatis, & eius ipſius, qua noſmet diligimus: & exigi charitatem aduerſus Proximum, quia non ita directè diligitur Deus, aut expeditè ſicut ille. Congruūt ſatis omnia, præſertim quod primo poſuimus loco, ſed eo quem expoſuimus modo.

Deum nemo vidit vnquam.]Didymus argumentatur Deum non eſſe corporeum: qui autem à Patriarchis, & Prophetis viſus narratur, viſum intelligibiliter, & ſub imaginibus, vel in creaturis tamquam in effectis Dei, hæcque eſſe poſteriora quæ vidit Moſes, & deſcripſit in Geneſi,

[Marginal notes, left:] a vers. 2. — Charitas Dei erga nos quibus modis poſſit exaggerari. — b Enchir. cap. 17. 21. de ciuit. c.3. c.13. de Trin. c.10. — d de catechi. rud. c.10. — e Rom. 5.10. f Pſal. 15.2. — g Enchir. ca. 36. — Amor eſt vrgens & ingenioſe aculeatus. — h Ioan. 13.14. 15.16. i Matth. 26. — k Virgil. Ecl. 10. — Deus non eſt capax amoris beneficii. l Pſal. 15.2. — m Matth. 25. 40.

[Marginal notes, right:] n Ioan. 7.4. o Ioan. 14.15. — p Ioan. 18.8. — q lib. 4. in Ioann. c. 32. r Tract. 58. in Ioan. s de particu. orat. c.167. — t Matth. 5.48. — u Ioan. 13.15. x Ephes. 5. — Amor Dei difficilior eſt, quàm amor proximi. — Deus eſt incorporeus.

cùm

cùm videre Deũ ipsum postulasset [a]: Deũ vtriusque Testamenti eundem esse, non diuersum, veteris, corporeum: negatam capite præcedente [b] visionem & cognitionem non diligenti Deum, & peccanti, quæ conceditur diligenti: sed cum præcisè negatur nunc omnibus, cum restrictione negari, vt nemo videat Deum vnquã, id est, qui non transcendat cogitatione tempus, mundúmque, vtpote quibus superior est Deus. Cetera probo. Vltimum magis acutè dictum, quàm solidè Illud de Deo duplici colligebant Manichæi inter alia seu Testamenta sibi contraria esse, vt refert Augustinus [c].

Porrò de sententia ipsa, quæ aliis præterea locis habetur, quòd nemo Deum vidit [d], sed nec videri potest, disputant Scholastici. Cõstat quæstionem esse de versantibus in hac vita, statúq; mortalium, prout etiam expressit Deus: *Non [e] videbit me homo, & viuet.* Hinc primo loco refelluntur ij, qui nec Beatis concedunt visionem Dei, Petrus Abailardus, Almericus, Arnaldistæ, Armeni, recentiores Græci, vt referunt Armacanus [f], Castro [g], Prateolus [h], Sanderus [i]. Paulus [k] enim ait nos in Beatitudine *Deum visuros facie ad faciem, & reuelata facie gloriam Domini speculaturos* [l], & priore istius epistolæ capite [m] Ioannes similes Deo futuros, *quia videbimus eum sicuti est*: & Christus Angelos *videre faciem* [n] *Patris, & mundo corde homines Deum visuros* [o]: & David [p], *in lumine Dei lumen*, qui scil. Deus ipse est.

Ipsa comprehensio perfecta, seu cognitio Dei, quãtùm cognosci potest, Deo soli conuenit, quia infinito cognoscibilẽ modo solus infinitus valet cognoscere. Vbi lapsi sunt Anomæi, & Eunomiani propria volentes virtute videri Deum cõprehensiuè. Hos confutat Chrysostomus [q], & eius insistentes vestigiis Theodoretus [r], Theophylactus [s], Euthymius [t]. Isti nonnullis videntur inter disputãdum declinare aliquantulum in errorem oppositum, quòd non videatur Deus clarè, & sicuti est, non solùm quòd non comprehensiuè, sicut & Basilius [u], Epiphanius [x], Cyrillus Alexandrinus [y], Nyssenus [z], Ambrosi [a], Hieronymus [b], Isidorus [c], Primasius [d]. Sed alij eosdem meliorem in partem interpretantur. Legendi B. Thomæ Interpretes [e], & Franciscus Suarez [f].

Iam verò multò crassior hæresis Begardorũ, & Beguinarum, de quibus hæreseologi citati, posse in hac ipsa vita naturaliter Deum à nobis videri, in qua propter dependẽtiam intellectus à sensu meliores Philosophi, ne quidditatis quidem vllius liquidam admittunt, putántque, & formalem notitiam.

Quod autem spectat ad potẽtiam, vel priuilegium, verum sit alicui homini viatori concessum videre Deum clarè in ista vita, disceptatio est, propter Mosem, & Paulum. De his affirmant Augustinus [g], Hugo [h] S. Victoris. B. Thomas [i] cum suis, Lyranus [k], Abulensis [l], dicens communem esse Doctorum sententiam. De Paulo simul & Mose loquuntur hi: sed distinctè de Paulo rursus B. Thomas [m], & Abulẽsis [n], præterea Anselmus [o]. Citantur quoque Basilius [p], & Ambrosius [q]; at præcisè creduntur ab aliis visionem claram Beatis etiam negauisse, vt diximus.

Verumtamen longè plures existimant, nemini, præter Christum, dum vixit, vnquam datum videre Deum, ac nominatim nec Mosi, nec Paulo. Euaristus [r] Mosem scribit, vt reliquos Prophetas, solummodò per ænigmata, figurásque Deitatis imaginem vidisse, Dionysius [s], Irenæus [t], Origenes [u], Naziãzenus [x], Tertullianus [y], Hilarius [z], Marius Victorinus [a], Phæbadius [b], Gregorius [c], Beda [d], sunt in eadem opinione, vt omittam illos quos retuli velle neque Beatos Deum videre, & disertè de Mose quoque negant. Ex Scholasticis consentiunt Alensis [e], Caietanus [f], Faber [g] Stapulẽsis, Gabriel [h] Vasquez, Gregorius de Valentia [i], Ludouicus Molina [k], Maldonatus [l], Toletus [m], & alij plurimi. Ioannes Baptista id velle visus est in Euangelio Apostoli Ioannis, comparãs cum Mose Christum, legem cum Euãgelio: *lex* [n], ait, *per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit* (vtique nobis.) Hoc est; non Moses Dei mysteria enarrauit, quia non vidit Deum, quem si vidisset, enarrare profectò potuisset. Similis ratiocinatio continetur illis aliis Christi apud eundem Ioannem verbis: *Omnis* [o] *qui audiuit a Patre, & didicit, venit ad me, nõ quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo: hic vidit Patrem.* Id est, ego, qui a Patre processi, vidi, & doceo, nullus præterea doctor, & propheta id potuit, sed ille solus, qui de seipso dixit: *Quod vidimus, testamur* [p], &c. *nemo nouit Patrem, nisi Filius* [q], nempe *in sinu existens* [r] *Patris*, id est, in substantia, & essentia, ideóque conscius arcanorum, & intimus Patri per consubstantialitatem.

Valent eadem testimonia ad idem probãdum de Paulo, de quo nominatim etiam loquuntur ex citatis Dionysius [s], Tertullianus [t], Nazianzenus [u], atque ex recentioribus Catharinus [x], & Clictoueus, Caietanus [y] præterea declarans epistolam Pauli ad Corinthios secundam [z], & Scholastici recentiores priùs item prolati.

Rationibus non agam, quæ in rebus eiusmodi factum supponere debẽt: de illo autem diuina quid voluntas constituerit, nisi ex diuinis litteris, aut Ecclesiæ definitione constare non potest Si de quopiam id asserendum, de Dei Matre potissimùm, de qua vix est qui affirmet. Multò minùs ferendi, qui hoc deriuant ad plures, vt Adamum, S. Benedictum [a], B. Augustinum.

Nos de Pauli raptu, in quo visum Deum dicũt Auctores sententiæ contrariæ, diximus in historia Apostolica [b], nec opinor pateretur nos aliter de ipso sentire Paulus, qui visum Deum ab vllo negat, vel videri posse [c]. Quando Moses ostendi sibi gloriam Dei postulauit [d], non visionem essentię diuinę intellexit, sed maiestatem corporeæ gloriæ siue figuræ, vt colligitur ex historiæ contexto, & ex ipso euentu: & id forsitã sibi vult promissio visionis posteriorum Dei, negata visione faciei corporeæ nimis splẽdentis, & quod vt contineri tutò sine vitæ discrimine posset, positus narratur in foramine petræ, & protectus dextera Dei, seu eius qui referebat personam Dei, donec transiret. Ista tamen visio posteriorum vocatur omne bonum, quantùm scil. capere Moses posset, ex eóque conijcere, quanta esset gloria vultus, quem videre desiderabat. Hæc inter alias aliorũ, est expositio Abulensis [e].

Sic igitur accipiendum est, quod eidem Mosi dixit Deus: *Non me videbit homo, & viuet*, quia nequiret oculos corporeus ferre tantam claritatem. Quanquam vigebat apud Hebræos alios opinio futuræ statim mortis præsagiũ esse, si quis visibili forma vidisset Deum, vel audisset, vt colligitur ex libro Iudicũ [f], vbi de Gedeon, & Manue. Quare cùm viso Domino Iacob non interiisset, quasi

a Exod.33.23.
b vers.6.
c contra Adimantum.c.9.
d Ioan.1.18. 1.Tim.6.17. Exod.33.20.
Deus in hac vita videri nõ potest
e ibidem.
f 14.de errori. Armeno.c.1.
g verbo Beatitudo.
h in Elencho.
i de visibili Monarch.li.7.
k 1.Cor.13.
l 2.Cor.3.18.
m vers.2.
n Matt.18.10.
o Matth.5.8.
p Psal.35.10.
Deus in altera vita videbimus.
q hom.14.in Ioan. & hom. 3.& 4.de incomprehensibili natura Dei.
r Dialo.Immutabilis.
s in c.1.Ioan.
t ibidem.
u 1. contra Eunom.
x hæresi 70.
y 1. lib. in Ioan.c.22.
z lib. de Beatitudinib in illud: Beati mundo corde.
a in ca.1. Lucæ, agens de Apparitione Angeli.
b in c.1. Esa.
c in c. 33. Exo.
d in 1.Cor. 13.
e in P.Par. q. 12. vbi Vasquez, Molina, Valentia, Bañes, Sumel.
f in Metaphy. disp.30. sect. 10.
g ep.112.c.12. & 13. 12. Gen. ad litte.c.27.
h Tom.2.q. in 2. ad Cor. Quæst.34.
i P.part q.12. art.11. ad 2. 2.2.q.174.a.1.
k in c.33. Exo.
An viatori aliquando concessum sit videre Deum.
l Matth.5.q. 46.ad 4.num. 12.34.
m 2.2.q.175. a.3.
n 2.Paral. 8. q.185.
o in 2.Cor.12.
p hom.1.Hexa.sub princ.
q 1. Hexa.c.2.
Visio clara omnino viatoribus negata præterquam Christo.
r ep.st.1.

f Cœlest. hier c.4.ep. 1. ad Caium.
t lib.4. c.37.
u 1.Periarch. c.4.& hom. 7. in Numer.
x or.34. siue 2.Theologica.
y 4.cont.Marcion.c.22. sub finem, & cõtra Praxeam.c.14. circa princip.
z in Psal. 118. in id, (*deprecatus sum faciem suam.*)
a 4.con.Strin.
b li.con.Aria.
c 18.Moral. c.28.
d lib.quæst.in Exod.in 41.
e P.par.q.2. memb.2.a.4.
f in c.12. Numerorum.
g in Damasc. lib.1. c.1.
h P.par. disp. 55.& 56.
i P.par.
k ibidem.
l in c.1.Ioan.
m ibid.ann.53
n Ioan.1. 18.
o Ioan.6. 45.
p Ioan.3. 11.
q Matt.11.27.
r Ioan.1.18.

s Cœle.Hierar.c.4.
t cont Prax. cap. 14.
u orat.34.fine 2.Theol.
x in 2. Cor. cap.12.
y in Damasc. lib.1.cap.1.
z in cap.12.
B. Virgo vidit Deum in hac vita.
a Vasquez refert, ac refellit.P. Part. disp.36.c.2.
b cap.9.
c 1.Tim.6.16.
d Exod.33.18.
Visio posteriorum Dei quid denotat.
e Exod.33.q.17.& 18.
f cap.6.& 13. & cap.13.22.

gratulans dixit [a]: *vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*, id est, etiam si viderim, nō perij. & Moses commemorans vocem, & ignem terribilem, quæ populus in monte viderat, & audierat: *probauimus*, inquit [b], *hodie, quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo*, id est, mortui non sitis, vt verebamini. Moses ipse familiari colloquio Dei vti solitus, non timebat, &, quod dixi, petere non timebat: *facie autem ad faciem, os ad os agebat cum Deo* [c], sub forma visibili, *sicut amicus agit cū amico*, apertis, & perspicuis verbis, quod alijs Prophetis post Mosem, de quibus propriè sermo est, non legimus concessum, immò nec ante ipsum, saltem adeo sæpè & prolixè. Nouatianus [d] vt probet Christum esse Deū, affert visiones, & apparitiones quasdam factas in vetere Testamento, quas tribuit ipsi: conciliat verò cōtrarios locos, quibus dicitur visum Deum, & quibus negatur, etiam videri posse, quoniam forma visibili visus sit Dei Filius, non autem Pater. Hilarius [e] simili vtitur argumento, quo Nouatianus, quia constet Deum visum, sequi Filium esse Deum, & sic ratiocinatur quoque Tertullianus [f], & non displicet Ambrosio [g], & Augustino [h], dici hac ratione quòd *Deum nemo vidit vnquam*: & Ariani tamē opposito modo hinc Deitatem impugnabāt Christi, quia visibilis esset, inuisibilis Deus. Testis Idacius [i], Augustinus [k], Chrysostomus [l]. Abutebātur præterea Eunomiani, vt indicat Ambrosius [m], nec nō Macedoniani, contra Spiritus sancti diuinitatem, quasi nec vidisset Deū. Quare satius est absolutè Deum accipere non visum ab vllo mortali, & in vetere Testamento videtur certum, nonnullas ex apparitionibus Patri esse tribuendas, licet tā hæ, quàm Filij per Angelos factæ sint assumētes corpora. Legatur Tyræus noster de apparitionibus Spirituum.

a Gen.32.30.
b Deut.5.24
Mosis cum Deo familiaritas.
c Num.12.8.
d 6. de Trin. c. 16. inter ope. Tertulliani.
e 5. de Trin.
f cont. Praxe.
g lib.1. in Lucam c. de Apparit. Angeli ad Zachar.
h ep.112. c.5. & 6.
i cont. Aria. c.18. & 20.
k in c.1. Ioan.
l ibidem.
m 1. de Spirit. san. cap.1.

Nonnulli Patres interpretantur non esse visibilem Deum corporeis oculis, quia corporis expers est. Sic Cyrillus loquitur Hierosolymitanus [n], ac proinde cœlum, vt velum prætensum oculis nostris, ne periremus, ipsam intuēdo Deitatem. Non placet mihi ratio de cœlo. nam supponit, lædi posse corporis oculos à Deitate tanquam ab obiecto nimiùm sensibili. Eo modo, quo Cyrillus, intellexit quoque Maxētius [o], & meminit Augustinus [p], non multùm abhorrēs ab illo. Immò B. Thomā [q], cùm ex professo quærit, possitne quis in hac vita videre Deum per essentiā, quidam eius discipuli [r] volunt negare secundum vsum & exercitium sensuum. Quod verum est etiam de ipso intellectu prout pendet à sensibus, ac de potentia quidem absoluta Dei. Docet idipsum Thomas Anglicus [s], quem Aquinatem nonnulli faciunt, non posse vtentem sensu corporeo Deum videre: vidisse verò Paulum extra sensus corporis raptum. Ceterùm persistendum in eo quod diximus, ab homine puro in ista vita Deum non solùm naturaliter videri nō posse, sed nec per diuinum lumen cuiquam hactenus, dum vixit, concessum esse. Ex hac eādem sententia colligebat Epiphanius in VII. Synodo [t], non posse Dei secundum se imaginem vllā veram exprimi. Lege quæ dixi ad caput XVII. Actuū Apostolicorum [u].

Deus corporis oculis non potest videri.
n Catech. 9. princ.
o Dial. 2.
p epist.112.
q 1. p. q. 12. art.11.
r Ferrariens. in 3. cont. Gen. c.47. & alij recentiores.
s hoc loco.
t Act.6 vers. Rursus.
u vers. 25.

Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.] Qui fratrem diligit ex charitate, censetur Deum ipsum diligere, tametsi non videat ipsum: & quamuis nō videatur Deus, consociat nos ei, & confœderat charitas: ipsa verò charitas, qua frater amatur propter Deū, perfecta est, quia lex vniuersa perficitur per ipsam [x], tam quæ circa proximū, quam quæ versatur circa Deum: multò enim magis id amatur, quod est ratio, cur amētur alia. Si Deus ametur solus absque proximo, si proximus non propter Deum, vel non perfecta, id est, completa charitas, vel nō vera censetur. Perfectio verò, atque complementum charitatis intelligitur nunc secundum obiecti amplitudinem, & quam vocant sufficientiam, virtutis, non autem secundum excellentiam, modum omnem, & intensionem. Charitas, quæ timorem foras mittit, paulò pòst vocatur perfecta posteriore perfectionis ex dictis modo. Exacta prorsus charitatis perfectio, maximè vt respicit Deum, nō est præsentis vitæ, nihilominùs quantum satis est ad obediendum diuino præcepto, potest quis in hac vita perfectè diligere tum proximum, tum Deum, quidquid contradicant hæretici. Lege capitis secundi versum quintum.

Caritas nos consociat, & confœderat Deo.
x Rom.13.10.
Perfectio caritatis, vt respicit Deum, non est præsentis vitæ.

Quòd si charitatem Dei perfectam intelligamus in nobis esse, quia manet in nobis, & amat nos, quoniam amamus inuicem: Amoris autem diuini, qui efficax est in nobis, effectus est charitas *ipsa diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctū, qui datus est nobis*: Fauet Augustinus [y] expositioni, & sequens versus XVI. Postremò caritatem perfectam licet intelligere, vt est amor amicitiæ; imperfectam, vt amor concupiscentiæ, sic videlicet diligentium, vt quæ sua sunt quærant, quod Paulus [z] reprehendit, negátque à caritate quæri [a].

y Rom.5.5.
z 1. Cor.10.24. Phil. 2. 21.
a 1. Cor. 13. 5.

Cæterùm de charitate in proximos intelligendo, includēdi sunt & inimici, vt notat Beda, quos oportet intuitu amoris fraterni diligere, vt non semper inimici maneant, sed resipiscant à diaboli laqueis, nobísque germano fœdere socientur. *Ignis charitatis prius occupat proxima, & sic se in longinquiora distendit*, ait Augustinus, *antea in fratrem, deinde in ignotum, postea in aduersarium.* Legendus omninò valdè pius Augustini hoc loco tractatus de dilectione inimicorum.

Amor caritatis comprehendit inimicos.

Vers.13.] In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis.

Hic solùm nota, quid sit quòd de Spiritu suo Deus dederit nobis. Primùm, quando dicit *de Spiritu*, indicat participationem, & diuisionem gratiarum, non plenitudinem Spiritus, quæ in solo Deo, vel infra Deū in Christo est ratione donorum *quæ non ad mēsuram data sunt ei* [b], &, *de plenitudine eius omnes nos accepimus* [c], & diuisiones gratiarum sunt; idem autem spiritus, diuidēs singulis prout vult*. De Spiritu Mosis datū est Septuaginta viris [d], quia similis facultas gubernandi, sed non par. Adhæc quemadmodum vnus in corpore animus omnia iungit mēbra, & ex multis vnū efficit, ipse non tam in toto est corpore, quàm in singulis membris habitat, operatúrque: sic & Spiritus Dei nos inter nos vnit, & Deum nobis.

b Ioan.3.34.
c Ioan. 1.16.
* 1. Cor 12.11.
d Num. 11.17.

Deinde Spiritus Dei denotat veluti rationem, qua se Deus gerit erga nos, & procedit, qui est Spiritus lenitatis, & charitatis, & amoris paterni: eum, qui accepit, fratres amat: illo *qui agitur, filius Dei est* [e], ideóque quos Deus diligit, amore prosequitur: hic ipse Spiritus Christi est, *quem qui non habet, nō est eius* [f]: *qui adhæret ei, vnus Spiritus est cum eo* [g], cúmq; iis quos nominare fratres dignatur [h]: ministrum se Dei exhibet ad aliorum vtilitatem in Spiritu sancto, *ac proinde in charitate non fi-*

Deus se gerit erga nos cum spiritu amoris, & lenitatis.
e Rom.8.14.
f ibidem 9.
g 1. Cor. 6. 17.
h Hebr.2. 11. Ioan.20.17.

a 2. Cor. 6. 6.
b Gal. 5. 22.
Spiritualis frater idem est qui lenis.

Eta [a], quæ Spiritus primus fructus habetur [b]: denique spiritualis homo idẽ est qui lenis, & amãs fratrum: nec alio magis opere vitali quàm isto cognoscitur Spiritus diuinæ vitę quam viuimus.

c epist. quod creatura non sit Spiritus sanctus, ad Serapionem & tra. de incar. Christi, & ep. 2. ad eundem Serapionem de Spiritu sancto.
d lib. 2. in Io. cap. 74.
e cap. 3. 15.
f Panop. p. 2. pag. 244.

Inter testimonia multa, quibus Athanasius [c] demonstrat Spiritum sanctum non esse creaturã, hoc vnum est. Exposita sunt quoque nobis versus istius postrema verba capitis tertij versu postremo. Cyrillus [d] Alexandrinus Spiritum datum interpretatur à Christo, & ingredi Christum ad nos per fidem, & nos viuificare iuxta illud ex Euangelio Ioannis [e]: *Qui credit in Filium, habet vitã æternam.* Sic dare de Spiritu erit dare vitam gratiæ spiritualem, quæ perducat ad æternam.

In eo manemus.] Euthymius [f] hoc ait differre modum quo manemus in Deo, ab illo quo est Filius in Patre, quia Filius non est particeps Spiritus, vt per illũ in Patre sit, neque ipse Spiritum accipit, sed illum potius omnibus dilargitur: nec Spiritus coniungit Verbum cum Patre, sed potiùs ipse à Verbo id accipit, &c. Vbi verbis vltimis obiter nota processionem Spiritus à Verbo seu à filio, ex Athanasij sententia quem citat.

Vers. 14.] Et nos vidimus, & testificamur quoniam Pater misit Filium suum Saluatorem mundi.

QVàm sapit in corde Ioannis, & in ore mysterium beneficiúmque redemptionis! Nullum ad ingenerandam, fouendam, augẽdam charitatem aptius. Dixit antè missum à Deo Filium, vt viuamus per eum, deposito nempe mortis metu: propitiationẽ pro peccatis, ne nostra nos peccata præcipitent in desperationem: nunc ait missum, vt Saluatorem mundi, vt magna fiducia salutem expectemus. Indicat quoque subortas hæreses, quæ Christum non Dei Filium à Deo Patre missum, ac verè incarnatum, & passum tradebãt, sed ab Abraxas ficto numine, in phantasmate, Simonémque Cyrenæum Christi vice crucifixum. Lege Prateoli Elenchum hæresum.

Vidimus.] Viderunt Apostoli Saluatorem, ex effectis, & per communicationem idiomatum viso corporis oculis homine Christo, dici visus potest Deus. Lege caput primum [g].

g vers. 1.

Saluatorem mundi.] De nomine Saluatoris, qui est Græcè Σωτὴρ, alibi egimus, contra putidiores Grammaticos, qui Latiniùs dici volunt Seruatorem. Docuimus quoque toti mundo salutem propositam, non prædestinatis dumtaxat. Item [h] aliàs ostendimus, Patriarcham Ioseph fuisse Christi figuram [i]. In nomine similis etiam fuit, quod ei Pharao indidit, vt diceretur Saluator mundi. Idipsum sonat nomen Iesu. Sed Latino delectantur etiam Christiani adeo, vt plerasque dedicent Ecclesias titulo, ac nomine, vel Saluatoris, vel Sancti Saluatoris. Testis Ecclesiarum mater Lateranẽsis, cuius orbis vniuersus Christianus celebrat quotannis dedicationem: testis quam Fuldæ in Germania Bonifacius construxit, & Zacharias Papa priuilegiis exornauit [k]: testes in vrbe, omissis aliis per orbem, quindecim, quæ idem gerunt nomẽ, nostra dempta, quæ à Iesu cognominatur: postremò testes qui apud Christianos Saluatoris nomine proprio insigniuntur: & ex sanctis vnus dictus Salutaris Archidiaconus Africanus S. Eugenij Carthaginensis [l]. Soteris nomen mares, fœminæque plures vsurpauerunt.

h Act. 7.
Ioseph Christi figura Saluator mundi dictus est.
i Gen. 41. 4. 5.
k Baron. Tom. 9 Ann. in Anno 751.
l 13. Iulij.
Christus vt Deus & homo Saluator.

Saluator est Christus vt Deus, tãquam efficiẽs principalis causa salutis. *Deus enim iustus, & saluãs non est præter me*, ait ipsemet de se [m]: &, *ego Dominus Deus tuus, & Saluator non est præter me* [n]. Et in Psalmo [o]: *Deus noster Deus saluos faciendi.* Est quoque Saluator vt homo tanquam mediator, & satisfactor: instrumentalis, ac meritoria causa. *Non enim misit Deus Filium suum in mundũ, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum* [p]. Hoc Samaritani confessi sunt, dicentes: *ipsi audiuimus, & scimus quia hic est verè Saluator mundi* [q].

m Esa. 45. 21.
n Oseæ 13. 4.
o Psal. 67. 21.
p Ioan. 3. 17.
q infra 4. 42.

Vers. 15.] Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.

REdit ad orthodoxam fidem, & extendit beneficium salutis ad omnes, qui credere, atque confiteri volũt, ne quis putet Apostolis proprium, quos proximis verbis dixerat vidisse, ac testificatos esse de Saluatore.

Fidei qua ratione salus adscribatur.

Dictum non semel, fidei salutem adscribi, tanquam radici, & fundamento, & primæ dispositioni, non vt præcipuè causæ: vel fides hîc formata sumitur, & confessio non verbo tenus, & lingua, sed opere, & veritate, cùm non desint, qui *confiteantur se nosse Deum, factis autem negent* [r]. Hic locus perspicuè demõstrat Deitatẽ Christi, quem locum ad hoc propositum Cyrillus Alexandrinus [s] expendens, simul declarat, quo pacto Deus in confitente manere censeatur, & confitens in Deo. *Recordabitur enim illius, inquit, Deus videlicet, ac veluti societate quadam coniunctum inter familiares numerabit* [t]. Idem Auctor mansionem Dei de Christo intelligit iuxta id quod ait Paulus, *habitare Christum per fidem in cordibus nostris* [u]. Tertullianus conuincit Praxeam [x], qui Patrem confundebat cum Iesu Christo, & asserebat ipsum Patrem descendisse in virginem, & ex ea natum, & passum, &c. *Qui confessus fuerit*, ait ipse *Christum* (Iesum Ioannes dicit) *filium Dei*, non Patrem, *Deus in illo manet, & ipse in Deo.* Requiri porrò sequitur ad salutem, vt ore fiat etiam confessio, quæ confessio ex fideli corde proficiscatur [y], sitque cum voluntate coniuncta cuncta faciendi, quæ facienda dictauerit fides.

r Tit. 1. 16.
s de fide ad Reginas.
t lib. 2. in Io. cap. 74.
u Eph. 3. 17.
x lib. contra ipsum c. vlt.
y Rom. 10.

Vers. 16.] Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

TAnti refert, vt nobis persuadeamus, nos à Deo diligi, & charitatem suam nobis cum demonstrare, atque in nos exercere. Hac de re planè se certum Ioannes affirmat, ac persuasissimum. Sensum istum paulò clariorem reddit versio Latina, qua vtitur Augustinus: *& nos cognouimus, & credidimus, quia dilectionem habet Deus nobiscum* (vel in nobis.) Syrus etiam sic vertit: וחנן הימנן וידען חובא דאית לה לאלהא *vachannan haimenan vaudahhan chuba dith lach lalaha*, id est, & *nos credidimus, & scimus, quam charitatẽ habeat Deus erga nos. Deus enim, &c.* Ioannes Ferus elicit hunc quoque sensum Sicut nihil de fide in Christũ docuimus, nisi quæ certa, vera, & indubitata sunt: sic & vera, certa, & indubitata sunt, quæ de charitate docemus. Vidimus quòd Deus misit Filium suum, credimus etiam, quòd ex sola charitate eum misit.

Cognouimus, & credidimus.] Editio Syra ordinem inuertit, vt modò retuli. Duo verba vel ita se habent, vt restringatur à posteriore prius, quia est cognitio fidei: vel vt cognoscere sit humano mo-

re, atque argumentis probabilibus, quæ rem fide dignam, atque credibilem faciant credere diuino lumine assentiri. Vel primum per quandam velut experimentalem, & maiorem notitiam, ex dono peculiari Spiritus sancti, simul cum familiari vsu, quem habuit Ioannes, atque cõdiscipuli cum Christo: secundum, per fidem simplicem omnibus communem.

Credere charitati, & credere charitatem quid sint.

Credidimus charitati.] Πεπιστεύκαμεν τὴν ἀγάπην. Credidimus charitatem, quam habet Deus, &c. Profectò non est idem, credere charitati, & credere charitatem, per se loquendo, sicut nec Deo, & Deum. Tamen qui credit charitatem Dei erga se, credit etiam charitati, qui est Deus: nam solus Deus est, qui reuelat suam erga nos charitatem, & credendam nobis proponit. Credere quoque charitati, significat nescio qua maiori emphasi, ipsos eius effectus experiri, seséque totũ ei credere, i. committere, vt ab ea moueatur, & regatur, & pendeat omnino, vtpote quæ neminem fallat, vt ait Glossa interlinearis, vera sit, sincera, perfecta, & efficax erga nos. In hac significatione credendi verbum habet illa Christi sententia[a]: *si in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verũ est, quis credet vobis?* id est, spirituales, & veras diuitias quis dabit vobis, & fidei vestræ committet?

a Luc. 16. 11.

Deus charitas est.] Syrus addit particulam causalem דין gher, *enim*, quasi propterea Dei charitati quis credat, vel credat charitatem Dei ferri in ipsum, quoniam Deus charitas est. Caietanus putat ex ea cognitione ac fide, quæ primis versus verbis expressa est, nos enunciare quod in istis continetur. Vsurpat Ecclesia in Dominicali officio hãc sententiã pro capitulo horæ tertiæ. Hæc iam satis sunt anteà declarata [b]. Adde dumtaxat, Spiritui sancto attribui charitatẽ: sicut potentiam Patri, Filio sapientiam. *Spiritus enim sanctus est emanatio voluntatis*, inquit Carthusianus, id est, *amor spiratus à voluntate Patris, & Filij emanans*, vt proinde quæ pertinent ad voluntatem, concipiantur tanquã propria tertiæ personæ, charitas, nexus, pax, osculum, suauitas, donum, communio, gaudium, &c.

b vers. 8.

Spiritus S. est emanatio voluntatis.

Inter quæstiones de Trinitate proponit Augustinus [c], istam, vtrum ad solam sancti Spiritus personam pertineat charitas. Respondet verò, Patri quoque ac Filio cõuenire: sed quia Spiritus sanctus donum Dei propriè dicitur, & nullũ Dei donum charitate maius est, immò sine ea nullum donum ad perpetuam hominem deducere potest beatitudinem: proinde Spiritum sanctum propriè dici charitatem.

An propriè soli Spiritui S. conueniat nomen charitas.

c Tom. 3. in Quæstiunculis de Trinit.

Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo] Coniungit enim fini vltimo perfectè, & arctè tãquam vinculum perfectionis [d]: & Irenæus tractans illud: *vt integer Spiritus vester, & anima, & corpus, conseruetur*, perfectum hominem componit ex corpore, anima, & Spiritu sancto inhabitante per charitatem: eodémque pacto Græci declarant, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus [e], Oecumenius [f], necnon Hieronymus [g]. Scio tamen alios intelligere Spiritum esse ipsam animã, prout est intelligens, corpus pro parte nutritiua, animam pro sensitiua. Sic inter alios Nyssenus [h]. Didymus [i] quoque credit incredibile, ac blasphemum esse orare Apostolum vt Spiritus sanctus integer seruetur, qui nec immutationem potest recipere, neque profectum. At integrum seruari, est totum perseuerare, quod vt fiat, orari rectè potest, ac debet, cùm sit certum, Spiritum sanctum siue Deum recedere ab eo, in quo prius manebat, si peccet: immò contristari [k], & extingui, vt idem Apostolus loqui non dubitat [l].

d Col. 3. 14.

e lib. 5. c. 6.
f 1. Thes. vlt. 23.
g ep. ad Hedib. q. vlt.
h de creat. hominis c. 8
i 3. de Spiritu sancto.

k Eph. 4. 30
l 1. Thes. 5. 19.

Cæterum, priori illo capitis huius loco [m], quo docui, quemadmodũ sit charitas Deus, dixi Deum non esse charitatem ipsam, qua diligimus ipsum, sicut neque ea est, qua diligit nos: nihilominus quia sunt inseparabiles, vnáque aliam trahit, idcirco Ioannem hic affirmare, in Deo manere, ac vicissim Deum in eo, non secus quàm qui versatur in lumine producto a sole, dicitur esse in sole, & hic in eo. Quocirca nihil hinc habet magister sententiarũ prius refutatus a nobis, pro sua iã a cæteris explosa sententia, Spiritum sanctũ esse, qui præsens animæ nostræ solus operetur immediate per se ipsum charitatis actum.

m vers. 8.
Deus quomodo sit charitas.

Concedendum est, mitti Spiritum sanctum, & dari, & venire, vel quod idem est, personã ipsius, quando communicatur donum charitatis: manere etiam, quamdiu manet charitas: quod per attributionem quoque debet intelligi: nam seipsa simul datur, venítque Trinitas tota, licet Pater, quia non est ab alio, non possit dici mitti, quod includit originis habitudinem, vt pridem notatũ est. Itaque Deus ipse manet in eo, qui habet charitatem tanquam obiectum dilectum, & idcirco etiam cognitum, dilectione, atque cognitione supernaturali: & præterea sicut rector, tutor, protector. Is qui charitatem habet, in Deo manet, velut obiectum ab ipso dilectum, & cognitum, vt ei conferat vitam æternam, vt regat, tueatur, protegat. Spiritus sanctus per attributionem mittitur non à Filio minus quàm à Patre, à quibus procedit. Qua ratione Filium etiam mitti inuisibiliter, docet Augustinus [n], cùm à quoquam cognoscitur, atque percipitur, quantùm cognosci, & percipi potest pro captu, vel proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis, & sic sapientem postulasse [o] mitti sibi sapiẽtiam, *vt secum esset, & secum laboraret.*

Spiritus S. datur & venit ad nos.

n 4. de Trin. c. 20.

o Sap. 9. 10.

Probabilius autem censeo, dempta vnione hypostatica, quam sola facit persona Filij cum natura humana, non posse vllã personam vel mitti vel dari creaturæ, nec visibiliter, nec inuisibiliter sine dono creato, vel operatione Dei ad extra, vt scholasticè loquar. Nam inuoluũt hæc omnia necessariò effectũ temporalem: omnis quoque Dei actus, aut determinatio voluntatis eius æterna est. Idcirco, eo quòd ab æterno Deus pro sua liberalitate conciperit aliquem acceptare, ad vitam æternam tali tempore concedendam, non potest dici missus item ab æterno, & venisse ad creaturam, summum, posset admitti per eam Dei volũtatem æternam ius quoddam Deo fruendi: qui cum sit respectus rationis, non sufficit, vt ob id censeatur persona diuina mitti, vel dari. Multò autem minùs sufficeret hoc, vt manere rectè dici posset Deus. Sed hæc suffecerint instituto. Plura S. Thomas [p] cum suis.

Nulla persona diuina vel dari, vel mitti potest sine dono creato.

p 1. p. q. 43.

Alia prorsus longè dissimilis ratio, qua *sacramentaliter* Christus, manet in Eucharistia, & nobis eum ibi recipientibus coniungitur. Non solo effectu, vel etiam affectu, & vnione spirituali id fit, vt blaterãt Caluinistæ: non sumitur Christi corpus spiritualiter dumtaxat ore fidei, tãquam cibus mentis, sed corporaliter præterea ore corporis, vt cibus etiam corporis, & ipse secundũ se Christus absque indistantia locali, verè, realiter, substantialiter præsens est σωματικῶς καὶ οὐσιωδῶς. Claudatur sententia cum Bernardo [q]: *Deus charitas est*,

Christus qua ratione sumatur in Eucharistia.

q citat Tho. Anglicus.

quid

quid ergo charitate melius? & qui manet in charitate, in Deo manet: quid ergo charitate securius? & Deus in eo: quid ergo charitate iucundius? Nec prætereūdus Augustinus [a], qui præfatus, non potuisse charitatem commendari magnificentiùs, sic ait: *Tibi domus Deus: esto domus Dei: mane in Deo, & maneat in te Deus: maneat in te Deus vt contineat: maneas in Deo ne cadas: quia sic de ipsa charitate dicit Apostolus* [b]*: charitas nunquam cadit.* Hæc eadem alio superiùs loco retuli, tanquam ex Beda: sed is transcribere Augustinum solet. Huius verò trita illa pulcherrima hoc loco sententia. *Semel breue præceptum tibi præcipitur: dilige, & quod vis fac: siue taceas, dilectione taceas: siue clames, dilectione clames: siue emēdes, dilectione emendes: siue parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis: non potest de ista radice nisi bonum exsistere.*

a hoc loco.
b 1. Cor. 13. 17.

Vrget porrò xeno in sermone de spe, fide, & charitate, hunc locum pro charitate, vt cùm à Deo huius deuotionis inuitatione inhabitari, seu nos in ipso habitare cœperimus, prout hîc scribitur, tūc demum charitatem per semetipsum ei condignè reddamus, quia facta commutatione, quod eius est, fit pro partibus nostris, & sequens est, vt etiam proximos eo affectu quo nos ipsos diligimus, diligamus. Quod vltimum probat ob mutuam cognationem, & quia facti omnes ad imaginem Dei atque similitudinem.

Vers. 17.] In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij; quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.

Fructus dilectionis perfectæ quis sit.

Hic fructus, & effectus charitatis secundum excellentiam perfectæ, vt spem solidā concipiamus de beatitudine, nec formidemus damnationis in iudicio sententiam, tum priuato, tum publico. Reddit nos namque charitas Christo similes, & conformes imagini Filij Dei: vel vt sicut Deus manet in nobis per dona sua, nos etiam donis his respondentes, *nec in vanum gratiam recipientes* [c], adhærescamus Deo per exercitium virtutū. *Qui credit in Filiū Dei, non iudicatur* [d]*, & in iudicium non venit* [e]. Charitas tamen, quam fides includit formata, magis per se gignit hanc fiduciam, quia maximè fidimus amico, eiúsque aduentum, ac præsentiam desideramus, quàm per se spectata fides, vel spes, quas non dubitandum manere posse in peccatore sine charitate. *Væ* peccatoribus *desiderantibus diem Domini* [f]. (Scilicet ex præsumptione:) iusti *sitiunt ad Deum fortem, viuum* [g]*: cupiunt dissolui, vt sint cum Christo* [h]*: flagitāt aduentū regni Dei* [i], dum propinquum cernunt: respiciunt (ἀνακύπτουσιν, erigunt se, emergunt, vt reddit Tertullianus [k]) leuant capita (ac respirant, & lætantur) tanquam ad imminentem propriam redemptionem [l]: *cum patientia viuunt,* inquit Augustinus [m], *& delectabiliter moriuntur.*

c 2. Cor. 6. 1.
d Ioan. 3. 18.
e infra 5. 24.
f Amos 5. 18.
g Psal. 41. 3.
h Phil. 1. 23.
i Mat. 6. 10.
k de resurrect. carnis c. 22.
l Luc. 21. 28.
m hoc loco.

Charitas Dei.] Græcè desideratur *Dei*: nec Augustinus legit. Interpres quod subintelligebatur, sapienter expressit, & Syrus posuit pronomē *eius*. Reperi à nonnullis codicibus Latinis excusis, & manuscriptis abesse *Dei*. Verùm non refert, vt dixi: quamuis emēdatos Sixtinos sequi debeamus, in quibus est.

Vt fiduciam habeamus in die iudicij.] Qua quis fuerit in particularis iudicij die fiducia, erit sine dubio & in generalis. Per diem tamen iudicij solet intelligi generale magis, solemne, & publicū, & quod homines malè conscij vereri solēt magis, propter infamiā, & dedecus. Dici solet à Prophetis *dies Domini, & magnus, & horribilis,* vt docuimus in Apostolorū Actibus [n]. Lege Martinum Roa [o].

Fiducia quæ erit in particularis iudicio, erit in generali.

n cap. 2. 20.
o 1. singula. c. 17.

Porrò charitas facit, si perfecta sit, vt absit perturbatio timoris, quemadmodum verbis sequentibus magis exprimitur, ab iis nimirum, qui degunt adhuc in hac vita mortali, idque magis, minúsve, pro gradibus charitatis. nam subductis iustis hinc per mortem, cessat timor penitus, qui pœnam habet. Haud dubium, *quin iusti stabunt in magna constantia* [p] in die iudicij vniuersalis: tēpore particularis varia sunt exempla. Insultabat Martinus Diabolo. Ambrosius mori se non timere profitebatur: Hilarion, & similes contremiscebāt, de quibus Climacus, aliíque meminerunt.

p Sap. 5. 1.
In iudicio particulari qualiter affecti sancti.

Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mūdo.] Quis ille sit, dubitatur. Oecumenius ait, Christum, in quo *princeps mundi huius nō inuenit quidquā* [q], propter summam innocentiam: Verbum autem *est* sumi pro *erat, sumus,* vel *simus* pro *erimus,* ita vt hoc ipsum speretur peruenire, salua proportione ad sanctitatem, quam habuit Christus. Aliter etiam exponit, cùm sæpius dictum sit, *Deum in nobis esse, & nos in Deo:* debere nos, sicut nobis est puritatis dux, & auctor Christus, purè in nobis, & in corpore nostro ipsum, semper, & *mortificationem eius circumferre* [r]: futurū enim, si hoc modo vixerimus, vt omni timore liberemur. Respondet hæc expositio illi sententiæ prioris capitis [s]: *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.*

q Ioan. 14. 30.
r 2. Cor. 4. 9.
s vers. 3.

Augustinus interpretatur absolutè de Deo, caussámque reddi, quare fiduciam quis habeat, quia charitas perfecta peruenit vsque ad inimicorum dilectionem, sicut & inimicos suos diligit Deus, *qui pluit, ac solem suum mittit super bonos, & malos, iustos, & iniustos* [t]. Augustinum sequitur verbis totidem Beda, Glossa interlinearis, Hugo, Thomas Anglicus, Lyranus, Carthusianus, Caietanus. Hic tamen indicat præterea sermonem fieri de Christo, qui iudex futurus est, qui sit quoque in inimicorum imitandus dilectione [u]. Catharinus pariter intellexit Christum, qui consideratus vt existens in hoc mundo secundum externam vestem, nempe corporis, est in statu meriti, non præmij, qua nos in re imitari debemus ipsum, & gerere tanquam exemplar in memoria, quia *non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum* [x], expectando dum veniat gloriæ tempus, & nos ad id comparando per opera charitatis.

t Matt. 5. 45.
u Luc. 6. 40.
x ibid. Matth. 10. 24. Io. 15. 20.

Innuit eundem sensum Salmeron. Tradit & hic istum, vt Dei charitas nobiscum perfecta fuerit propter datum Filium, & ob huius pro nobis mortem, cuius tam eximiæ charitatis argumentum qui ob oculos habet, respondens videlicet simul beneficio, *cum fiducia adit ad thronum gratiæ Dei, & Christi* [y], dū vita superest, aditurus & eum pari post mortem fiducia ad thronum iustitiæ. Non admodum laboro quem sequar præsertim ex allatis sensum. Inclinat paulò magis animus in eum, qui est de Christo, cuius non verebitur iudicium, qui vitam in se ipsius conatus fuerit imitando exprimere, maximè in operibus charitatis, tum verò aduersus inimicos: Nam sicut *iudicium sine misericordia non facienti misericordiam* [z], ita è conuerso, *misericors misericordiam cōsequetur* [a].

y Hebr. 4. 16.
z Iac. 2. 13.
a Matt. 5. 7.

Sicut ille est.] Hîc monet, quod nos aliàs sæpè Augustinus, nō semper ad æqualitatem dici *sicut,* sed ad quādam similitudinem, eo modo quo dicetes, sicut aures habeo, ita habet & imago. Difficultatem parit aduersus explicationem illam de Christo, cur nō potius dictum sit, *Sicut ille fuit,* re-

Christus qui modò est in gloria, in mundo est in memoria.

spondet Catharinus doctè, id factum, vt intelligeremus, Christum qui modò est in gloria, nunc esse in hoc mundo in memoria, & exemplo, & in cordibus nostris tãquam ad imitationem propositum, & versantem ob oculos diligẽtium se, qui se conformant ad illũ. In editione Syriaca legitur דְּאִיךְ דְּהוּ הוָא *daich dahu hava, sicus ille fuit.* Auctor eius adiungi potest iis, qui locum totum de Christo accipiunt: itaque licet *nunc secundum carnem Christũ non nouerimus* [a], sed priùs ante resurrectionem, quando fuit in hoc mundo, mortalis, vt passim declarant Interpretes, & Augustinus [b], tamẽ mente memori, gratáque repræsentamus nobis ipsis mortalem, passibilem, passum, ac mortuum pro nobis animo etiam, & voluntate eũdem pro viribus, quas gratia suppeditat, imitandi.

a 2. Cor. 5. 16.

b 22. contra Faustum. c. 1. *Christũ iam non nouimus secundum carnem, sed mortalem nobis repræsentamus.*

Vers. 18] Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnã habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate.

CHaritas fiduciam gignit, cui timor aduersatur: propterea vbi perfecta charitas, perfecta fiducia, & procul timor: nihil etiam charitate dulcius, & suauius: timor autem pœnam habet: abest igitur timor charitate perfecta præsente. Timor porrò hic sumitur, pro eo, qui vexat conscientiam, & propter peccata illam remordentia cruciat, & ad nonnullã diffidentiam cõpellit. Est quoque seruilis, ac pœnæ, damníque timor, qui retrahit à peccãdo, nec affectum peccandi continet, sicut alius, qui vocatur mundanus. Charitas respuit penitus timorem mundanum, quia malus est: seruilem aliquem, cùm est minùs perfecta, admittit, sed quando proficit, ille minuitur, & euanescit tandem, vel non prodit in actum. Sed in hac militia, & malitiæ plena vita, periculorum, tentationum, denique in ista mortalitate, laborum perpessione, mortis expectatione, non potest nõ aliquis timor esse: illum interim charitas temperat, nósque casto, filiali, reuerentiali, liberali, ingenuo, sancto facit timore venerari Deũ, horrere peccatum, quo læditur, nolle separari à Deo. Hic ipse timor beatos non dedecet, *ac permanet in æternum* [c]: seruilis absque seruilitate, id est, affectu erga peccatum, bonus est, licet minùs perfectus. Egimus hac de re tum in Scholis nostris Theologicis, tum in Commentariis ad Ecclesiasten.

c Psal. 18. 10.

Seta introducit linum, seruilem timorem signat.

Tritũ illud, quod hic Augustinus tradit exemplum de seta, per quam introducitur linũ, quando aliquid suitur, sed non sueretur, nec succederet linum, nisi exiret illa. Item aliud de ferramento, quod putredinem tollit etiam si vulnus, ac dolorem augeat, vt succedente salute dolor prorsus absit: nam *Qui sine timore est, non poterit iustificari* [d]. Vna est ex ordinatis dispositionibus timor pœnæ, sine quo rarissimè contingit, vt quis iustificetur, vt tradit idem Augustinus [e].

d Eccl. 1. 28.

e de catechizan. rudib. cap. 9.

Nullus magis accuratè, piéque versat hoc argumentum, quàm in præsentis loci Commentario Augustinus, proponens comparationem inter vxores, quarum vitat altera adulterium, ne vir eam interficiat, altera, ne vir, quem castè amat, ipsam deserat. Sed circa priorem, nolim vim similitudinis in eo sumas, quòd nisi timeret, adulterium vellet; hoc enim est voluntate esse adulteram: nos autem talem timorem, qui pellitur à charitate, nunc volumus intelligi, qui bonus sit, quamuis imperfectus, ideóque non admittat simul peccandi libidinem: *Ne timeas Maria*, inquit Angelus [f]; *inuenisti enim gratiam apud Deum: Nolite timere vos*, ait item Angelus piis mulieribus [g], *non dico militibus, ne timeatis*, inquit declarans hæc verba Cyrillus Hierosolymitanus [h], *sed vobis. Illi timeant, vt experientia discentes testentur, & dicant: Vere Filius Dei erat* [i]. *Vos autem non est necesse timere; perfecta enim charitas foras mittit timorem.* Iubentur omnes sancti Dominum timere [k]. Sed & omnes fines terræ [l]: illi proprio ipsis timore, qui sanctus est, ac perfectus: hi communi etiam imperfectis, & peccatoribus, qui secundum tropologiam, vt ait Hieronymus [m], sunt in media quidem terra, sed adhuc tamen imperfecti, & de peccatis emergentes, relinquunt terram, & ad cœlos ire festinant; *solliciti*, vt ait Prosper [n], *de præmio, non adeo formidantes de supplicio.* Seruilis est omnis timor, quamdiu ab amore non manumittitur: & solus amor est ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Auctori, vel de simili mutuam rependere vicem, vt præclara demonstrat inductione Bernardus [o]. Idem aptè charitatem *suaue iugum nominat, onúsque leue* [p], & asserit ab ea legem non solui, sed impleri deuotionem seruo infundendo, sicut & mercenarij cupiditatem ordinando, vt non tollat propriè timorem charitas, sine quo non potest esse, sicut nec absque aliqua cupiditate, sed pœnam, illo scilicet genere locutionis, quo sæpè causa ponitur pro effectu.

f Luc. 1. 30.
g Matt. vlt. 5.

h Catechesi 14.

i Matth. 27. 54.

k Psal. 33. 10.
l Psal. 66. 8.

m ibidem.

n ep. ad Demetriadẽ, quæ epistola est etiam apud Ambros. 33. edit. Rom. *Seruilis est omnis timor quãdiu ab amore non manumittitur.*

o serm. 83. in Cantica.
p tract. de diligendo Deo, & ep. 11.

Timor seruilis quomodo sit cum caritate.

Ego verò puto timoris etiam seruilis habitũ, qui bonus est, manere cum charitate simul posse, licet actum suum non exerat eo tempore, quo charitas suum. Hoc sensu non erit timor in charitate, & charitas foras mittet timorem, id est, nõ permittet, vt, dum operabitur ipsa, vt item operetur ille. Sed quoniam hoc videtur cuiuis charitati commune, si sit supernaturalis, & vera, idcirco quod de perfecta dicitur, perinde censendum, ac si de vera: in qua acceptione priùs quoque perfectam charitatem dici vidimus [q]. Vnde dicitur hoc loco: *Timor non est in charitate*, nullo addito epitheto: tum subditur: *Sed perfecta charitas foras mittit timorem*: quasi charitas perfecta sit idem quod vera. Sic quoque Lyranus, licet etiam intelligenda de initiali subaudiri velit: *timor non est in charitate*, id est, in perfecta. Nisi fortè dicamus, quando sunt pauciores charitatis gradus, & maiora impedimenta, magis facile timoris actum seruilis exerceri: cùm est intensior, magis confirmata, ac veluti radicata, atque vt loquitur Augustinus [r], *consummata*, & perturbationes nostræ magis sedatæ, faciliùs operari, sæpiúsque charitatẽ, & sic minorem locum, spatiúmve dare seruili timori, vt sese exerat. Profectò quisquis ex vera diuináque charitate Deum amat, ipsum non respicit vt iudicem, ac vindicem, sed vt amicum, spõsum, beneficum, remuneratorem, &c. Eiicit Sara domina & libera Agar ancillam [s], vt argute ad hoc propositum Origenes obseruat [t].

q cap. 2. 4. & in cap. 4. 12.

r in Psal. 118. vnde. 2. & serm. 23. de verb. Apost. & lib. 83. quæst. in 36.
Quisquis vere Deum amat, nõ respicit eum vt iudicem, sed vt sponsum.
s Gen. 21. 10. Gal. 4. 30.
t hom. 7. in Genes.

Ambrosius [u] docet, quòd generaliter charitas excludit timorem: probátque tum aliis exẽplis, tum Martyrum. Ille qui *confligit carnes timor* [x], castus est, carnalia comprimens desideria. Postquàm timuit quis à iudiciis Dei minantis pœnam: succedit ipse, & dat iustitiam, & delectatione iustitiæ, liberos reddit, vt idem docet Augustinus [y]. Catharinus idem sentit, sed de illo, qui noscat, & sit certus se amare, sed hanc certitudinem sæpe reiecimus. Vel certè sicut innuebam priùs, perfectio charitatis hæc modò describitur, quæ Bea-

u in Psal. 118. Octon. 9. in prin. & ep. 44. edit. Ro.
x Psal. 118. v. 120.

y supra.

totum

a ep. 190.

torum est, (Bernardus [a] ponit inter errores Abailardi, non futurum timorem in alia vita) qui non vincant solùm carnales delectationes bonorum delectatione spiritalium, sed hae vsque ad perfectioné crescente victoria, illæ perimantur, quemadmodū ibidem ait Augustinus, qui & alibi monet [b], nullū dum viuit, esse sine timore: Quia non immunis est ab omni etiam peccato, & ideo non adhuc habet charitatem perfectam. *Tantò minor sit*, inquit, *timor, quantò patria, quò tendimus, propior: maior enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus peruenientium.* Præterea signum profectus charitatis docet [c], imminutionem timoris, signum perfectionis, nullum timorem.

b serm. 214. de temp.

Timor tantò minor esse debet, quantò patria propinquior.

c lib. 83 Quæstionum q. 36.

Diadochus [d] timorem purgātem, & pœnarum (nempe peccandi, ne incurrantur pœnæ) asserit esse eum mediocri charitate coniunctum: illum, qui est sanctorum, cum charitate perfecta, qui alium expellit. Nihilominus non repugnat, vt etiam in perfectissimo aliquo viro, qui careat peccandi timore propter pœnam, sit ipsiusmet pœnæ, seu potiùs pœnalitatis timor: timuit namque Christus ipse mortē, & ex eo timore sanguinem sudauit [e]. Iustinus Martyr [f], vel quis alius præsentem exponit locum de charitate in patria, vbi penitus excluditur timor gehennæ. Lege Cassianum [g], qui disputat egregie de timore pœnali, & de casto, & quo pacto hic sit copulatus cum charitate.

d de perf. spirituali, c. 10. *Timor peccandi potest esse cum mediocri caritate.*

e Lucæ 22. 44.
f Quæst. 98. ad Orthodox.
g collat. 11. c. 13.

Tertullianus [h] arbitratur loqui Ioannem de mundano timore, qué nominat negationis Christi auctorem, & quo habeant ipsum die illos esse, qui vocantur in Apocalypsi [i] timidi, & iungūtur *incredulis, aliisque criminosis, quorum pars est in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.* Sed error cauendus eiusdem Tertulliani [k] hac abutentis sententia, vt prorsus nefas esse confirmet fugere in persecutione. Nec verò recipio notionem timoris mundani proposito conuenire.

h in Scorpiaco c. 12.
i cap. 21. 8.
k lib. 1. de Fuga, c. 9. & vlt.

Petrus Blesensis [l] ex quadruplici timore, mundano, seruili, initiali, casto, seu filiali, dicit à charitate foras mitti tertium, quo quis incipit delectari in obseruantia mandatorum Dei.

Quadruplex timor quis.
l lib. de Iob c. 1. & Scholastici 3. sent. dist. 34. S. Tho. 2. 2. q. 19.

Maximè probo cum communiore sententia, illum notari, qui bonus est. Sed imperfectus, qui est per se, sine charitate, vt seruilis, vel quando sic timetur offensa Dei, vt simul etiam pœna, saltem per vices timeatur, prout adhuc satis expositū est. Quāquam videtur Augustinus [m] innuere, dictum illum timorem mundanum esse, & cum affectu peccati, quem timorem affirmatur charitas foras mittere [n]: licet aliàs quoque bonum asserat gehennæ timorem, & vtilem, vt reuera est, & Concilium Tridentinum definit [o].

m citatis locis, & ser. 13. & 15. de verb. Apost. & de sancta Virg. c. 38. & de Natura & gra. c. 57.
n idem Aug. in Psal. 127.
o sess. 6. can. 8.
p 2. 2. q. 19. ar. 4. & 10.

B. Thomas [p] vult propriè malum dumtaxat timorem excludi à charitate, tanquam omnino incompatibilem, eum, qui bonus est, & non est filialis, minui crescente charitate, & maximè quātùm ad vsum, & actum, quia non solet habens perfectam charitatem, timere pœnam; quāuis absolutè loquendo possit.

Thomas Anglicus hoc loco numerat hos timores, seruilem solius gehennæ: Initialem gehennæ, & offensæ diuinæ: Filialem solius offensæ diuinæ: Reuerentialem, solius reuerentiæ Maiestatis diuinæ, qui resiliat in suam propriam paruitatem. Primum, non esse in charitata, licet eam introducat: secundum non in perfecta: tertium cum charitate, & quidem maiorem, vel minoré, prout illa est: quartum manere cum charitate patriæ. Tamen concedi solet etiam tertium posse manere in patria, immò nec distingui à quarto. Dorothei doctrina 4. tota est de Timore diuino, ibi vocat Isagogicum timorem, cui pœna proposita est, docétque ab isto nos semper inchoare. Frequentius concedo, nego penitus semper. Sed fieri posse vt sine seruili timore viuat quis, licet rarò.

Diuisio timoris multiplex.

Perfecta charitas.] Augustinus, vt monui, *consummata.* Perfecta verò est, vel quia vera, vel quia excellentior, vel quia patriæ cœlestis, quemadmodum etiam disseruimus. Distinguit Hugo perfectionem sufficientiæ ad salutem: Comparationis, qualem habebat Noë in generationibus suis [q]: Ordinis, ad quam tenentur in ordinibus constituti, vt viuant castè: Prælationis, vt Prælati ponant animam pro ouibus: Religionis, vt Religiosi renuncient omnibus: Tranquillitatis mentis, vt nihil sit quod remordeat. Maximus [r] infimos inter Christianos vocat φοβουμένους, timētes: medios προκόπτοντας, *proficientes:* supremos τελείους, perfectos.

Perfectionis varia genera.
q Gen. 6. 9.
r in sermon. Cent.

Caritas foras mittit timorem.] Caritas timet (inquit Fulgentius [s]) non timido amore, sed casto, & illo quem non ad timorem, sed ad mortem habere consueuit.

s prefat. ad Monimum.

Timor pœnam habet.] Κόλασιν, Augustinus *tormentum*, Tertullianus [t] legit quidem pœnam; sed alicubi [u] supplicamentum, id est, supplicium, siue cruciatum. κόλασις est verbale nomen actionis punitionem significans. De huius vi vocis lege Gellium [x]. Aristoteles ait fieri, τοῦ πάσχοντος ἕνεκα· τιμωρίαν τοῦ ποιοῦντος [y]. Ergo significatur internus animi cruciatus, quem peccati parit conscientia, & impendentis timor mali, ac pœnæ. Syrus exponit: *Timor in perturbatione est.* Lyranus: *Pœnam habet, id est, debetur ei pœna.* Mala conscientia, inquit Augustinus [z], tota in desperatione est, sicut bona conscientia tota in spe.

t in Scorpiaco c. 12.
u de Fuga c. 9.
x lib. 6. c. 14.
y 1. Rhetor.
z Præfat. in Psal. 31.

Vers. 19.] Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

ILlatio pendens iam inde à decimo versu: sed opportunè repetita post exclusum timoré pœnalem, quia charitas, quemadmodum non timet à Deo puniri, sic ad amandum Deum non mouetur vtilitate, sed pura beneuolētia, & sincera amicitia, qualem prior declarauit erga nos Deus. Hugo vult eandem antea sententiam positam debere intelligi de dilectione Dei, qua prædestinauit, hìc verò de effectu ipso dilectionis. Melius est, quod ait, repetitionem fieri ad maiorem quādam expressionem, & exaggerationé. Græcè est, ἡμεῖς ἀγαπῶμεν αὐτόν, &c. quod rectè versum est ab Interprete per subiunctiuum modum, & non per indicatiuum, licet & hic esse possit, sicut verti debuisse Caietanus, & Catharinus contendunt. Lege piam admodum orationem Augustini [a], qua colloquens cum Deo, seipsum prouocat ad eum diligendum, quia dilexit prior, totque beneficiis ac tantis præuenit, & maiora promisit.

Caritas ad amandum Deum non mouetur vtilitate.

a in Solilo q. cap. 19.

Vers. 20.] Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mēdax est. Qui enim nō diligit fratrem suum, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?

NOn potest auelli Ioannes ab inculcanda, & sæpius commendanda mutua fratrum dilectione. Vix vnum, vel alterum de Dei amore ver-

Ioãnes assiduus est in commendanda fraterna caritate.
a Tract.8. in hanc epistol.

bū fecit epiſtola tota, & mox redit ad fraternam charitatem. Conſiderauit hoc, & monuit Auguſtinus [a], nempe aſſiduè nominatam charitatem fraternam, non tam aſſiduè illam, qua debemus diligere Deum, de inimici dilectione prorſus tacuiſſe. Nos ipſi cauſam ſuperiùs reddidimus: quia frater amãdus eſt propter Deum, & idcirco, multò magis Deus: diligi quoque debet ſpiritualiter, quiſquis diligitur, vt ei velimus ſpirituale bonũ quod nobis. Aliam nunc aſſignat Ioannes rationem ex comparatione ſumptam maiorum, minorúmque, ſecundum facilitatem, & difficultatẽ. Topica regula eſt; *ſi id, quod magis videtur ineſſe, non ineſt, multò minùs id, quod minùs videatur ineſſe, inerit.* nam præſentibus afficimur magis, & obiecta nos vehementiùs mouent præſentia [b].

b Horat. in Arte.

Segnius irritant animos immiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ.
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Quomodo potius fratrem, quam Deum diligere debeamus.

Deum cognoſcimus obſcuriùs, fratrem habemus in oculis, qui & naturæ affinitate ſimilior eſt, ac iiſdem ſubditus affectionibus, vel neceſſitatibus, quæ per naturalem ſympathiam exigunt, extorquéntque beneuolentiam, & beneficentiam noſtram. Argumentum id vulgare, & hominum vniuerſitati commune. Nam ſi non modò fidem diuinam, ſed rationis lumen ſolùm conſulamus, profectò perſuademur Deum citiùs, magíſque diligere, quàm quempiam alium, quia ſupremus auctor, finis, ac conſeruator eſt, vt quacumque in re, ac perſona quæcũque ſpectetur boni, & amoris ratio, multò ſit maior in Deo, quia pendens ab illo, & leuis quædam ipſius participatio.

Vtrum faciliùs ſit Deum amare, vel alium quempiam.

Vtrum faciliùs in executione, alia quæſtio, ſiue de naturali, ſiue de ſupernaturali loquaris dilectione. Naturaliter familiarior, & magis obuius videtur amor fratris, ſi præſcindatur habitudo ad Deum, propter quem amatur. *Ex his quæ animus nouit*, ait Gregorius [c], *ſurgit ad incognita, quæ non nouit, vt per hæc, quid ſit notum diligere, diſcat & incognita amare.*

c homil.11. in Euang. lege quoque S. Th. 2.2.q.26. a.2. ad 1.

Qui enim non diligit fratrem ſuum, &c.] Auguſtinus [d] cauſam cur Ioannes de proximi, & non de Dei dilectione ſcribat, reddit, quia facilius conuincitur quiſque de illo, quàm de iſto præcepto: & mentiebantur tũc quidam ſe Dei dilectionem habere, & de odio fraterno eam non habere conuincebantur; & rariores tentationes probant dilectionem Dei: cum alioquin vnum ex alio ſequatur præceptum.

d in c.5. ep. ad Gala.

Quem videt, quem non videt. Græcè, *vidit*, & *non vidit*, in præterito ἑώρακε.

Verſ.21.] Et hoc mandatum habemus à Deo vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.

e Matt. 22. 37.38.39.

APud Matthæum [e] præceptum vtrumq; coniungitur tanquam ſimile. De fraterna dilectione meminimus prius aliquoties: de amore Dei mox aliquid dicemus.

f Exod.25. 18. *Duo caritatis præcepta quibus rebus deſignata ſunt.*
g Apoc.12.1.
h Cant.5.15.
i ibidem.

Sunt hæc duo præcepta, velut duo Cherubim ſeſe reſpicientia [f], vt placet Origeni: alæ duę magnæ aquilæ, quæ datæ ſunt mulieri Sole amictæ [g], id eſt, Eccleſiæ, vt ait Gloſſa Interlinearis: duæ baſes aureæ, ſuper quas ſunt Sponſi crura [h] fundata, vt explicant apud Theodoretum [i] Nyſſenus [k], Nilus, & Maximus: veſtes duplices quibus Eccleſiæ domeſtici veſtiti ſunt [l], vt interpretatur gloſſa Ordinaria. Sunt minima mandata [m], quatenus ad minimum redacta numerũ: eadémque de cauſa *conſummatio abbreuiata inundans iuſtitiam* [n]: *panis arctus, & aqua breuis* [o], vt declarant, Hieronymus [p], Cyrillus Alexandrinus [q], & Procopius [r], præterea Cyprianus [s], & Auguſtinus [t]. *O pie Domine*, inquit idẽ Auguſtinus (vt de præcepto Deum amandi agamus) *quid tibi ego ſum, vt amari iubeas me à te, & minaris mihi ingentes miſerias: iraſceris ſi non faciam, multa promittis, ſi faciam? & quid amor meus, quod delectaris in eo? Quis rex dicit ſeruo, ſimus amici, & dabo tibi vnam prouinciam?* &c.

k Prou.31.21.
l ibidem.
m Matt. 5.19.
n Eſa. 10. 22.
o infra 30. 20.
p in Eſaiam c.10. & 30.
q in c.10. Eſa.
r ibidem.
ſ de orat. Dominica, in id. Libera nos à malo.
t de diſciplina Chriſt. c.2. & 3.

Valde nos amat Deus, ideo non ſolùm dignatur amari, nec eſt cõtentus permittere vt ametur: nec exigit ſolum timorẽ, & res duriores; ſed præcipit amorem. Magni nos facit, hanc imponendo neceſſitatem, quia *magis eſt animus vbi amat quàm vbi animat*, & transformat amor amantẽ in rem amatam. Nõ patitur Deus vt ad imaginem ipſius facta creatura, induat aliam imaginem. Similis homo homini, ſimilis homo Deo: propterea ſimile mandatum diligendi hominẽ mandato Deũ diligendi. *Hoc mandatũ habemus, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Immò propterea tam crebrò proximi commendatur amor, perinde ac ſi vnicum ſit præceptum legem implens vniuerſam [u], & lex vna Chriſti [x].

Magis eſt animus vbi amat, quam vbi animat.

u Rom.13.8. Gal.5.14.
x Gal. 6. 2.
y de diſciplina Chriſt. c.5. & 6. & 8. de Trin. c.7. & 8.
Homo non poteſt fieri beatus, niſi à Deo.

Optimè docet Auguſtinus [y], quo pacto vnicũ ſit hoc præceptum, in quo id etiam comprehendatur, quod eſt de amãdo Deo. Si enim quis amat Proximum vt ſeipſum, non poteſt non amare Deum: homo autem vt à ſe fieri non potuit, ſic nec beatus à ſe fieri poteſt: beatus autem non niſi à Deo fit, & in Deo: amat ergo fratri Deum, ſicut ſibi, ſi fratrem amat ſicut ſeipſum: itaque fertur amor & in Deum. Nam qui Proximum diligit, conſequens eſt, ait Auguſtinus [z], vt ipſam præcipuè dilectionem diligat: Deus autem dilectio eſt, & qui manet in dilectione, in Deo manet. Docet præterea plerũque Scripturam pro vtroque præcepto dilectionis Dei, & Proximi vnum ponere, ſiue tantùm Dei, ſiue tantùm Proximi.

z de Trin. c.8.

Audi tandem quanti æſtimet idem Auguſtinus charitatem fraternam ſupra quodvis aliud opus pietatis. Vbi Monachorũ eximia Religionis opera poſuit, ſic ait [a]: *Charitas præcipuè cuſtoditur; charitati victus, charitati ſermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur: coitur in vnam conſpiratúrque charitatem: hanc violare tanquam Deum nefas ducitur: huic ſi quis reſiſtit, expugnatur, atque eiicitur: hanc ſi quis offendit, vno die durare non ſinitur. Sciunt ita commendatam eſſe à Chriſto, & Apoſtolis, vt ſi hæc vna abſit, inania; ſi hæc adſit, plena ſint omnia.* Lege item Gregorium [b] de duplici præcepto charitatis, & quo pacto reuocentur alia ad id tam multa.

a de morib. Eccl. c.33.
b 10. Moral. 6 c.4. & lib. 7. c.15.

Similis huic loco ille [c]; diligis me? amas me? paſce oues meas, paſce agnos meos: ac ſi dicatur hic etiam omnibus; ſi diligitis & amatis me, diligite & amate fratres; quoniam id præcepi; atque id faciendo, oſtenderitis vos me diligere. Denique ſi diligitis me, mandata mea ſeruate [d]. Ex quibus hoc de fratrum dilectione maximè commẽdo, vt prodatis, ac probetis amorem erga me veſtrum, fraternæ opere dilectionis, quod vobis tantopere commendatum volui.

c Ioan.21.15. 16.17.
d c.14.15.

CAPVT QVINTVM.

ARGVMENTVM.

Extremo epistolæ capite fructus ac effectus Fidei, diuini amoris, obseruantia mandatorum Dei proponuntur, præsertim fidei, qua mysterium credimus incarnationis, victoria tribuitur de mundo, & de Deo testimonium, & in Deum fiducia, atque petitorum impetratio: producitur triplex in terra de Christi humanitate testimonium: triplex item in cœlo de Diuinitate ipsius: tandem distinguitur peccatum in id quod est, & non est ad mortem, ne plus quis quàm par sit, petendo confidat.

OMNIS, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est: Et omnis, qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo.

2 In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius faciamus.

3 Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.

4 Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.

5 Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei?

6 Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.

7 Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.

8 Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt.

9 Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de Filio suo.

10 Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.

11 Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus: Et hæc vita in Filio eius est.

12 Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.

13 Hæc scribo vobis, vt sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.

14 Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum: Quia quodcumque petierimus, secundùm voluntatem eius, audit nos.

15 Et scimus quia audit nos quidquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.

16 Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.

17 Omnis iniquitas, peccatum est: & est peccatum ad mortem.

18 Scimus quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum.

19 Scimus quoniam ex Deo sumus: & mundus totus in maligno positus est.

20 Et scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.

21 Filioli, custodite vos à simulacris. Amē.

Vers. 1.] Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est: & omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit & eū, qui natus est ex eo.

DIDYMVS, Oecumenius, Glossa ordinaria, Catharinus, Salmerō, Caietanus, aliíque putant confici verbis his rationem, vt fraterna suadeatur charitas, de qua priore capite fuerat disputatū. Omnes qui credunt Iesum esse verum Messiam,

& Dei Filium, ex Deo nati ſunt per adoptionē, idcirco tenentur patrem ſuum amare Deum, atque conſequenter illos, quos eodem viderint patre natos: tales ſunt qui vocantur fratres: igitur amandi fratres.

Sed Gloſſa ordinaria inſerit aliam conſecutionem mediam, nempe qui diligit Deum Patrem, diligit Dei Filium à Patre genitum: qui verò diligit Deum Filium, diligit etiam Dei filios membra illius capitis. Tunc infert: ergo diligamus filios Dei, vt diligamus Filium Dei, cujus membra ſunt. Concordat Hugo, & Thomas Anglicus. Hic tamen etiam ſic explicat: omnis qui diligit eum, qui genuit hominem per fidem: *voluntariè enim genuit nos Deus verbo veritatis* [a], diligit eum, qui natus eſt ex eo, ſcil. in fide: *& ſic iterum*, inquit, *naſci ex fide, facit diligere Deum.*

a Iaco.1.18.

Carthuſianus præter primam expoſitionem, quam libentius recipit, hanc quoque tradit: *qui diligit eum, qui genuit*, id eſt, Deum Patrem, nimirum paternitate notionali, *diligit eum, qui natus eſt ex eo*, nempe vnigenitum eius Filium, cum quo eſt idem ſummum ac inuariabile bonū: nec vna perſona diuina, & increata ſine alia poteſt infuſo amore diligi, cum ſint vnus verus, ſimplex, & omnipotens Deus. Hoc vltimum intellige, ita vt charitas diuina per ſe tendat in Deum Trinum, nec poſſit excludere perſonam vllam: non quòd non poſſit quandoque actus ipſius verſari circa vnam, non attendendo tunc ad alias perſonas, ſicut ferri poteſt in abſolutam bonitatem Dei, nulla ſpectata perſona, vt B. Thomas docet [b]: qui tamen etiam ait [c] non poſſe nos frui vna perſona, quin fruamur & alia, tū quia eadem eſt ſumma bonitas trium perſonarum, tum quia oritur ex viſione cuiuſque, prout eſt talis: nō poteſt autem videri, & cognoſci vnum relatiuorū vt tale, ſine altero.

b 2.2.q.2.art.8.ad 3. Non poſſumus frui vna perſona quin fruamur & altera. c 1.diſt.1.q.3.art.2.

Fauet prorſus Hilarius, per natū ex Deo, Ioannem hic intelligere Filium vnigenitum, & conſubſtantialem. *Non eſt nobis* [d] (ait) *dilectio ad Deum Patrem, niſi per Filij fidem: & audiamus eum* Ioannem *per epiſtolam loquentem: omnis qui diligit Patrem, diligit eum qui ex eo natus eſt. Quid eſt, rogo, ex eo naſci? nunquid idipſum eſt, quod per eum creari? Aut cur Euangeliſta mentitur, vt ex eo natum dicat, quem per eum creatum hæreticus doceat?* Hæc Hilarius. Idē docet Fauſtinus [e] diſputans etiam contra Arianos.

d 6. de Trin.

e lib. de fide c.1 Tom.4. Bibl. Patrum.

Auguſtinus & Beda hoc loco idem affirmant de Dei Filio, quòd eū diligat is, qui diligit Deum Patrem, ac propterea fratres, qui ſunt membra Chriſti, & quòd non poſſit ſeparari dilectio. Placent hæc mihi, tametſi reſtringant charitatem ad fratres ex Deo natos, id eſt, non tantùm credentes, ſed etiam iuſtos, cùm latius ſumi debeat, vt ſe ad eos extendit, quibus *poteſtas eſt data filios Dei fieri, & ex Deo naſci* [f]. Sed Didymi magis ad rem altera videtur expoſitio, ſententiam iſtam illos tangere, qui Ioannis ætate Ieſum negabant eſſe Chriſtum, & Meſſiam in lege promiſſum. Meminimus & nos aliquoties ſuperiùs, hunc epiſtola iſta errorem ſubinde notari.

f Ioan.1.12. & 13.

Quoniam Ieſus eſt Chriſtus.] Antea quoque docuimus, nomen Chriſti vt abſolutè ponitur, certam perſonam deſignare dignitatis eximiæ, non creatæ dumtaxat, ſed etiam diuinæ. Innuit hoc Ioannes verbis ſequentibus: *quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt filius Dei?*

Chriſti nomen certā perſonam deſignat dignitatis eximiæ.

Ex Deo natus eſt.] Et hoc pridem declaratum de natiuitate iuſtitiæ, non autem prædeſtinationis: fidei quoque tribui natiuitatem hanc non ſimplici, mortuæ, informi: ſed operanti per dilectionem, viuæ, formatæ. Idipſum hoc monent loco cæteri, necnon Ambroſius [g]: qui probat ex eodem Ioanne [h], cuius fuit illa prior ſententia: *qui ex Deo natus eſt, non peccare*: quæ habetur etiam inferiùs in iſto capite [i]. Vel fides, quod in ſe eſt, iuſtificat, dummodò adſint cætera, ſicut & de varijs alijs virtutibus affirmari ſolet. Cyrillus [k] Alexandrinus Chriſti vocabulo diuinitatem comprehendens, hinc argumentatur Ieſum eſſe Deum: & colligit à contrario, qui non credant, neque inter filios Dei computandos.

g ep.44. edit. Rom. h cap.3 9.

i verſ. 18. Fides cum alijs virtutibus iuſtificat. k de fide ad Reginas.

Diligit & eum qui natus eſt ex eo.] Hîc melius intelligitur Chriſtus vnigenitus conſubſtantialis Dei Filius, quàm quiuis alius tātùm per adoptionem. Colligit id Auguſtinus ex numero ſingulari, qui nunc ponitur, cùm paulò pòſt in plurali nominentur nati Dei, qui ſunt videlicet adoptiui filij, & membra ſub capite Chriſto.

Verſ.2.] In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius faciamus.

Reciproca conſecutio ex dilectione Dei quæ ſecum importat obſeruantiam mandatorū, inter quæ, vt extremo priore capite vidimus, eſt, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum, ad fratrum dilectionem.

Natos Dei.] Τέκνα τοῦ Θεοῦ. Verti quoque potuit, *filios*. Non memini naſcendi verbum, aut participium, ſeu nomen nati, aut vocem natiuitatis in diuinis vſurpari apud ſacras literas, niſi fortè verbis vltimis præcedentis verſus, licet ingenitum, & innaſcibile tribuatur Patri vt notio propria, quatenus nempe ſignificat negationem omnis originis ab alio, nō ſolam negationem factionis. Sic enim conuenit omnibus perſonis: non præciſè ſolùm generationis: nam hac ratione Spiritus ſanctus eſſet ingenitus. Lege B. Thomam cum ſuis [l], ſed præ cæteris Patribus Auguſtinum [m]. Nō legi quoque Chriſto aſſignatum vocabulum τοῦ τέκνου, vel Patri verbum τοῦ τίκτειν. Videtur enim verba iſta quandam importare generationis imperfectionē, nempe cum dolore: ſicut & verbum ἀποκυεῖν, quo Iacobus [n] vtitur, dicens, *nos voluntariè genitos verbo veritatis*. Nam & nos non ſine dolore noſtro concipimur ac parturimur: nec quodam modo Deus parturit, & generat nos: cui facilius creare mundum, quàm iuſtificare. Nec nego tamen tribui quandoque etiam natiuitati noſtræ ex Deo, idem verbum γεννᾶσθαι [o], quod dicitur *de generatione Filij Dei conſubſtantialis* [p]. Sicut & apud Patres legimus Filium Dei natum ex Patre, vt apud Proſperum [q], & Leonem [r].

Innaſcibile nomen eſt proprium Patris.

l 1.p.q.33.a.4. m lib.15 de Trin.c.[illegible] *& lib. etiam 5. c.6. & 7.*

n cap.1.18.

Facilius eſt creare mundum, quam hominem iuſtificare.

o Ioan.1.12. p Pſal.2.7. Pſal.109.3.

q 2. de vita contemp.c.18. r ſer. de transfigur.

Verſ.3.] Hæc eſt enim charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt.

Solum poſterius membrum eget expoſitione, cur grauia non ſint mandata Dei. Ratio quidem indicatur ſequentibus verbis, quòd quis ex Deo ſit natus, habeátque fidem: res hæc tamen clariùs declarari debet. Hæc facilitas non à Chriſto dūtaxat eſt expreſſa vocante *ſuaue iugum ſuū* [s], *& onus leue*, ſed etiam in vetere Teſtamento, vbi dicitur *verbum propè in ore & in corde noſtro* [t], *& Sa-*

s Mat. 11. 29.

t Deut.30.11. 12. Rom.10.6.

pientia

pientia semitas esse æquitatis, id est æquas planásque, ita vt non arctentur ingredientium gressus, *nec habeant offendiculum currentes per illas* [a]. Basilius impium asserit, dicere impossibilia Spiritus præcepta: Augustinus [b] negat præcepturũ fuisse Deum homini, quod esset humanæ impossibile voluntati. Hieronymus [c] ait nulli dubium esse, possibilia Deum mandasse: denique *fidelis est Deus, qui non patietur nos tentari supra id quod possumus* [d].

Vocantur viæ duræ, Hebraicè, viæ latronis [e]: *angustam Christus asserit portam, & arctam viam, quæ ducit ad vitam* [f]: non nisi *per multas tribulationes intrandum docet Apostolus* [g] *in regnum Dei*: *diues difficile intrat in regnum cælorum* [h]: *hoc regnum vim patitur, & rapiunt id violenti* [i], sed *omnia possumus in eo, qui nos confortat* [k]: & *omnia credenti possibilia sunt* [l], & *quamuis apud homines sit impossibile saluari; apud Deum omnia possibilia sunt* [m].

Suppetit infinitũ nobis meritum Christi: præsto est gratia: *vrget nos eiusdem charitas Christi* [n], tótque ipsius exempla, & aliorum similium nobis hominum, qui sanctitatem sunt adepti: abundamus plurimis præsidiis, Sacramentis, sanctorum & Ecclesiæ suffragiis, verbo Dei, & piis libris, Angelorum custodia, prælatorum cura, nostra oratione, spe beatitudinis, quæ iam non differtur amplius, charitate, cui nihil difficile.

Non igitur Deus impossibilia iubet, ait Augustinus [o], nostri temporis hæreticos, non tantùm sui percellens, *sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis*. Rursus [p]: *omnia quippe facilia sunt charitati, cui vni Christi sarcina leuis est, aut ea vna est sarcina ipsa quæ leuis est. Secundum hoc dictum est: & præcepta eius grauia non sunt, vt cui grauia sunt, cõsideret non potuisse diuinitus dici, grauia nõ sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, cui grauia non sunt.* Tum verò post citatum Deuteronomij [q] locum, & Pauli [r], quòd sit propè verbum in corde, & in ore, argumentatur. *Quo modo est enim graue, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & graue est: aut diligit, & graue esse non potest.* Appellat alibi [s] charitatem præcepti sarcinam leuem, non solùm non prementem onere ponderum, verùm etiam subleuantem vice pennarum. Postremò definit [t] nec impossibile aliquid potuisse imperare, qui iustus est, nec esse damnaturum, qui pius est, hominem pro eo quod non potuit vitare: execratur [u] item blasphemiam eorum, qui dicũt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse seruari. Sunt hi prætextus malitiæ, & excusationes ad excusanda peccata [x], cũ videlicet hæretici nostri concupiscentiam ipsam peccatum esse volunt, & quamdiu durat illa, hoc est, per vitam, semper nos peccare, licet non imputet Deus habentibus fidem.

Intelligit quoque Gregorius [y] leuitatem, ac suauitatem Dei mandatorum propter charitatẽ, & eius ratione *iugum Domini suaue dici, onúsque leue* [z]: illos verò, quibus semper dura, & aspera videntur quæ à Domino præcipiuntur, paulatim decidere, & deficere: grauia non esse mãdata electis: quia dum æternæ vitæ gloriam magno desiderio appetunt, præcepta euangelica gratãter ferunt. *Quid leuius*, inquit, *aut vnquam gratius quàm amor fertur? quid graue non leniter toleras, qui amas? Quidquid enim diligitur, cum magna deuotione portatur.* Hieronymus [a] Pelagianos premit hoc testimonio, prouocans vt radant, si possunt, de libro suo, facilia esse Dei mandata: explicat autem non esse grauia, & iugum Christi [b] esse suaue, & onus leue, ad comparationem superstitionis Iudaicæ, in qua varia ceremoniarum genera quærebãtur, quæ iuxta literam, & Apostoli Petri sententiam [c] nullus potuit explere. Hanc nos Petri sententiam tractauimus, hocque argumentum totum in Historia Apostolica [d]; & retulimus fuisse legis veteris ducenta præcepta, & insuper octodecim affirmatiua: negatiua trecẽta sexaginta quinque: quæ recitat Rabbi Moyses [e]. S. Bonauentura [f] (qui memoria lapsus citat secundam canonicam Ioannis epistolam pro prima) & B. Thomas [g], & alij voluit præcepta non esse grauia secundũ se, atque comparata ad naturã sanam, cui sunt consona: tamen difficilia esse naturæ infirmæ, ac lapsæ: omnibus verò spectatis, censeri faciliorem legem Euangelicam, quamuis maiorem exigat perfectionem, quoniam ducitur magis amore, vocatúrque lex amoris, & exhibet perfectiora, ac efficaciora Sacramenta.

Didymus, & Oecumenius videtur quæstionem soluere, cur Christus *iugum suaue, onus leue* vocauerit [h], Ioannes non dixerit mandata leuia, sed negauerit *esse grauia*. Respondent, sententiã Christi ad eos pertinere, qui sint iam in virtute prouecti, quibus habentur valdè leuia, quæ grauia sunt; Ioannem, cum iis agere, qui Dei mandata, vel hoc nomine, quia sunt Dei, grauia ducebant, eos hortari, vt in humeros imponant, experturos illico non solùm non deprimere deorsum, *quod iniquitas facit ceu talentum plumbi* [i], & *sicut onus graue grauatum* [k] super aliquem: sed eleuare, erigere, excelsos, agiles, alacres reddere. Atqui potest Ioãnes videri κατὰ τὴν λιτότητα loqui, minus dicendo, plus intelligere, per non grauia mandata, leuissima, & facillima. Lege Augustini sermonem nonum de Verbis Domini: Interpretes sententiæ Christi: *Iugum meum suaue, & onus meum leue* [l]: & Pauli: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam* [m]: &, *Momentaneum hoc, & leue tribulationis nostræ* [n], &c. &, *Fasciculus myrrhæ* [o], &c. *Est*, ait Bernardus [p], *myrrha amara res*, &c. *Sed non fascis, verùm fasciculus, quòd leue præ amore dilecti ducatur, quidquid laboris immineat & doloris.* Sermonẽ lege, in quo ponit cetera ferè loca omnia, de quibus meminimus, & illud præterea Apostolorum exemplum [q], *quo ibant post flagellationem gaudentes.*

Perpende quid idem dicere nõ dubitet venerabilis Beda [r]: *si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam paruo tempore tolerare, vt Christum videre digni essemus in gloria venientem, & sanctorum eius numero sociari, nónne erat dignũ pati omne quod triste est, vt tãti boni, tantæq́; gloriæ participes haberemur?*

Postremò de possibilitate mandatorum Dei lege Tridentinum Cõcilium [s]. Quod autem initio versus denominatur charitas Dei, obiectiuè intelligitur, id est, qua diligitur; sicut vocatur fides Dei [t], qua creditur; oratio [u], qua oratur. Quamquam simul vera ratio talium denominationum sit secundùm efficientiam, quia sunt Dei dona; & quidem eximia, vt ob excellentiã montes [x], cedri [y], & similia dicuntur adiecto nomine rei. Sed & in 12. ex mãdatis, quæ Pastoris liber secundus habet, reprehenditur acriter, qui Dei mãdata possibilia negat: dicitúrque habenti Deũ in corde, nihil facilius esse, dulcius, mansuetius, sanctius: diabolum verò non posse dominari in Dei seruos, qui ex totis præcordiis in eũ credunt; & quamuis ille possit luctari, non posse vincere: & si resistatur ipsi, fugiturum.

a Prou. 4. 11. 12.
Dei præcepta nõ sunt impossibilia.
b 3. de Pecc. mer. & remiss. c. 3. lege etiam cap. 6.
c 3. cont. Pel. & in c. 5. Mat.
d 1. Cor. 10. 13.
e Psal. 16. 4.
f Mat. 7. 14.
g Act. 14. 22.
h Mat. 19. 23. 24.
i Mat. 11. 12.
k Phil. 4. 13.
l Mar. 9. 23.
m Luc. 18. 27.
n 2. Cor. 5.
Impossibilia Deus non præcepit.
o de natu. & gra. c. 43.
p ibid. c. 69.
q c. 30. 11. 12.
r Rom. 10. 6.
s de perf. iustitiæ post ratiocinationes.
Blasphemia est dicere Deum impossibilia præcepisse.
t serm. 61. de tempore.
u serm. 191. de temp.
x Psal. 140. 4.
y lib. 5. in 1. Reg. c. 12. c. 2.
z Matt. 11. 29.
a 3. cont. Pel.
b Matt. 11. 29.
c Act. 15. 10.
d Ibidem.
Mandata in lege veteri quot fuerint.
e 3. lib. ductoris dubiorum c. 36. & 37.
f 3. dist. 40. a. vnico q. 5. ad argum.
g 1. 2. q. 107. a. 4. & 2. Cor. 6. lect. 1. in fine.
Euangelica lex est lege Mosaica facilior.
h Matt. 11. 29.
i Zach. 5. 7.
k Psal. 37. 5.
l Matt. 11. 29.
Onus Christi cur fasciculus myrrhæ vocatur.
m Rom. 8. 18.
n 2. Cor. 4. 17.
o Cant. 1. 13.
p serm. 43. in Cant.
q Act. 5. 41.
r serm. 18. de sanctis.
s sess. 6. c. 11. & can. 18.
t Marc. 11. 22.
u Luc. 6. 12.
x Psal. 35. 7.
y Psal. 79. 11.

Vers.

Vers.4.] Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.

NOn modò grauia nó sunt Dei mandata, sed sunt efficacia ad obtinendam victoriam eorum, quæ grauitatem seu molestiam, & difficultatem faciunt. Nam hæc omnia vincit qui natus est ex Deo, eiúsque gratia præditus est, & qui Deo credit, & fidit. Oecumenius arbitratur victoriam tribui charitati fraternæ, per illa verba. *omne quod natum est, vincit mundum.*

Omne quod natum est ex Deo.] Natiuitas ex Deo quid sit, antea declarauimus. Sæpius verò nobis, ac studiosius Ioannes hanc commendat adoptionem filiorum Dei, vt notauit Bernardus [a]. Genere neutro videtur maior quædam emphasis contineri, & denotari, cuiuscumque sit conditionis homo, qui nascitur, tantam vim natiuitatis huius esse, vt vincere possit [b]. Similis inest vis ibi: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis* (omnis etiam vilissimi hominis, & infirmissimi) *vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* (Omnis licet iam mortuus, & planè depositus, &c.) Item [c]: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non eiciam foras.* Eo loco Rupertus neutro nomine *omne* ait significari maiorem vniuersitatem, quasi diceret: quidquid mihi Pater dat, ego admitto, quodcumque genus animalis, siue mundum, siue immundum [d]: quoduis genus hominum, siue Iudæorum, siue Gentilium: ex quolibet sexu, ætate, statu, conditione, quamlibet fuit mali, &c.

a serm.1. in octaua Pasch. *Genere neutro maior emphasis denotatur.*
b Ioan.17.2.
c Ioan.6.37.
d Act.10.12. 15.

Eodem spectat, quod syncategorema *omnis* iungitur quandoque maxime generali vocabulo creaturæ, per quam tamen solus intelligitur homo: vt, *Prædicate Euangelium omni creaturæ* [e]: &, *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc* [f], &c. Vt quidem exponit Augustinus [g], B. Thomas [h], Gregorius [i], Anselmus [k], Caietanus [l], Catharinus, aliíque, licet aliter aliqui vel pro penitus omni creatura, vel pro corporalis rationis experte. Notauit porrò Thomas Anglicus, hoc hic sibi velle neutrius generis *omne*, quia in generatione spirituali distinctio sexus nihil faciat.

e Mar.vlt.15.
f Rom.8.22.
g lib.83.q. in q.67. & in ep. ad Rom. n.53.
h in c.8.epist. ad Rom.
i 4.Mor.cap. 30.vel 40.
k ibid.
l ibid.

Vincit mundum.] Quidquid sapit secundum mundum contra rationem, & Deum. Quo pacto pertinet ad mundum caro, diabolúsque, & quidquid ad peccandum inuitat: licet distingui soleant, vt capitales hostes mundus, caro, diabolus, de quibus nonnihil egimus alibi [m]. Vincit autem omnis ex Deo natus, eo modo, quo peccatum non facit, & peccare non potest, propter semen Dei, & quia qui in iis est, maior est quàm qui in mundo, mundi princeps [n]: vt antea vidimus.

Ad mundum pertinet quidquid est contra rationem & Deum.
m cap.3.9.

Hæc est victoria quæ vincit mundum.] Victoria propriè non vincit, sed comparatur pugnando, sed energiam continet ea formula, denotans in quo sita sit vincendi ratio, vnde victoria parta: quæ victoriæ causa, vt notat Thomas Anglicus, & Victriacus [o], in Symbolo Athanasius fidem nominat, qua credimus, id est, obiecta quæ proponuntur credenda.

n cap. 4.4. *Victoria nō vincit, sed comparatur pugnādo.*
o serm.2. in octa.Pasch.

Vincit.] Νικήσασα *quæ vicit*: eodémque modo Syriacè. Sensus idem, nec infrequens aoristos poni pro tempore præsenti: quæ fuit item vincendi ratio, est quoque nunc, eritque. Nec refert hosti cognitam eam rationem: maximæ sunt enim vires eius, per quem illa nobis datur, atque victoria. *Testimonium cælestis generationis est victoria tentationum*, inquit Bernardus [p], & *sancti per fidem vicerunt etiam regna* [q], diaboli, carnis, mundi, vt B. Thomas docet [r].

p serm.1. in octa.Pasch.
q Heb.11.33.
r lect.7.in c. 11.ep. ad Heb.

Mundum.] In vetere Testamento sancti per fidem vicerunt regna [s], præsertim externa, vt Moses, Iosue, tot iudices Israelitici populi, regésque. Sed sub nouo Testamento vincunt mundum vniuersum: illi pugnando, isti patiendo. Non potest mundus totus magis nocere quàm occidendo corpus, & vexando, postea non habet quid faciat [t].

s Heb.11.33.
t Matt.10. & Luc.18.12. 4.5.

Fides nostra.] Non sola, & informis fides vincit, nec enim per solam sumus ex Deo nati. Tamen fidei vni attribuitur victoria, sicut & ipsa iustificatio, vt sæpius dictum est: quia prima est, & eiicit errorem ac ignorantiam, detegit hostes, & insidias, proponit Deum, per quem vincimus, suggerit vincendi modos, denique *omnia possibilia sunt credenti*, etiam *montium in mare translatio, atque sublatio* [u]. Hoc fidei *scuto possumus omnia tela nequissimi ignea extinguere* [x], Tam duro aduersario resistimus fortes in fide [y]: hac, vt ait Clemens [z], extinguitur dæmon, tāquam scintilla ignis, & à nobis, & ab aliis opera nostra, perinde vt centurioni milites parent Cæsaris metu. *Ipsa vel recitatio Symboli*, vt ait Augustinus [a], *retundit inimicum.* Per contemptum principaliter vincitur mundus, ait S.Thomas [b]: & ideo, quia fides ostendit nobis inuisibilia, propter quæ contemnitur mundus, vincit mundum fides nostra. Causæ, ob quas Rupertus verbi victoriam nominat eo opere, quod de illa composuit [c], conueniunt fidei. Optima ratiocinatio Ioannis, Dei mandata (quod ante dixit) grauia non esse, ei nimirum, qui tam validus sit, & robustus, vt vincere mundum totum valeat. Similis Pauli [d] locus: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, &c. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Fidei cur iustificatio tribuatur.
u Marc. 11.23. Matth.21.21.
x Eph.6.16.
y 1.Pet.5.9.
z 4. recognit.
a 2.de Symb. ad Catechu. cap.1. *Ipsa recitatio Symboli retundit inimicum.*
b lect. 7.in cap.11.ep. ad Heb.
c lib.1.c.1.
d Rom. 8.35. vsque ad finē capitis.

Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.] Non fides nuda, sed quæ facit, vt ex Deo nascamur, scilicet per charitatem formata. Tribuitur tamen victoria fidei, quia docet, & veluti armat scuto [e], gladióve [f]: & constituit intra Ecclesiæ arcem, ex qua tot pendent clypei, & omnis armatura fortium, & est communio sanctorū, præsidiáque permulta suppeditat.

e Ephes.6.16.
f ibid.17.

Vers.5.] Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei?

HÆc fides de Diuinitate Christi, vt mundus vincatur, & salus obtineatur, est necessaria. Ioannes hoc in primis vrget, contra oppositos sui temporis errores. Mundum autem præsertim intelligit, & argumenta, quibus veritas hæc impugnabatur, & persecutiones, quibus fideles vexabantur. Conuincit fides suis quoque credibilitatis munita præsidiis, verum esse quod iudicat mundus impossibile tam in præceptis, quàm in mysteriis, tam in agendis, quàm in credendis, vt refelli valeat quidquid Paganus obiicit, Iudæus, hæreticus.

Sunt quidem adhuc mundi cupiditatibus irretiti nonnulli, qui Iesum credunt esse Filium Dei. Sed non vincit fides cupiditates, quæ nec viuit, ait acutè Bernardus [g]. Vt vincat quis, non

Quæ fides vincat mundum.
g serm.1. in octa.Pascha.

viuere

viuere solùm, sed vigere quoque viribus debet quas virtutes ceteræ subministrãt, maximè charitas. Mundus pugnat cõtra nos dextera manu prosperitatis, & sinistra aduersitatis. Qui benè credit, vt ratiocinatur Thomas Anglicus, Christum filium Dei, percipit esse summum bonum, absque defectu veri boni, cum absentia veri mali: vnde sequitur, cùm caruerit prosperitate temporali, & habuerit aduersitatem, hanc nõn esse verè malam, vel timendam: illam non esse verè bonam, aut appetendam. Vincit mundum, & omnia, qui credit, & fidem habet in Iesum, ac fiduciã, spémque viuam impetrandi. *Confidite*, ait ille [a], *ego vici mundum. Omnis qui credit in illum non confundetur* [b]: &, *omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit* [c].

Quis est qui vincit, &c.] Emphasim habet interrogatio, vt aliàs non rarò. *Quis est homo, qui vult vitam* [d], &c. *Quis est hic, & laudabimus eum* [e]?

a Ioan. 16. 33. b Rom. 10. 11. ex Esa. 28. 16. secundũ LXX. c Rom. 10. 13. Act. 2. 21. Ioël. 2. 32. d Psal. 33. 13. e Eccl. 31. 8.

Vers. 6.] Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.

Videtur Ioannes Christi diuinitatem probare triplici testimonio, prout etiã id paulo pòst vocat, aquæ, sanguinis, & spiritus. Tria de vero Messia, vt rectè annotauit Hesselius, prædicantur potissimùm in vetere testamento, de quibus meminit hic, ac deinceps Ioannes. Primum est; quòd esset sanguinem proprium effusurus. Cuius rei figuram gesserunt sacrificia tam multa in lege scripta & naturæ: nec non interdictus esus sanguinis, tum statim post diluuium [f], tum in lege Mosaica [g]: *ego enim dedi eum*, inquit Deus [h], *vobis, vt super altare meum expietis pro animabus vestris, & sanguis in anima piaculo sit.* Secundum est, quòd homines participes futuri essent sanguinis tam pretiosi per corporalem aquam, id est, per Baptismum. Typus fuit diluuium, per quod saluatus est Noë cum familia [i]: mare rubrum, in quo submersis hostibus, Hebræi saluati sunt [k]: nubes refrigerans in deserto [l]: per Iordanem vestigio sicco transitus ad terram promissam [m]: lustrationis aqua [n], in qua erãt cineres vaccæ ruffæ mactatæ permixti: mundatio lepræ Naamã in Iordane [o]. Denique de hac aquæ emundatione clarè vaticinatus est Ezechiel [p]. Tertium, quòd Christus missurus esset Spiritum suum in totum terrarum orbem. Ioël [q] videtur de tribus mentionẽ facere, atque Zacharias [r], vt pluribus ostendit citatus Hesselius: de spiritu, & aqua Ezechiel [s]. Nam ait venisse, nempe per incarnationem, nõ tantùm in aqua Baptismum instituendo, sed etiam in sanguine, tum illum pro nobis fundendo, tum eius pretium ac meritum in sacramentis communicando, tum bibendum in Eucharistia proponendo: præterea in Spiritu vel qui simul datur in Baptismo, aliisque sacramentis, vel qui largiùs, & visibili modo datus est in Pentecoste [t]. His renascimur modis, vincimúsque mundum mediis istis, simul per ea diuinitatem agnoscimus Christi, & protestamur. nec enim lex vetus talia continebat.

Tria prædicantur de vero Messia in vetere testamento.

f Gen. 9. g Leu. 17. h ibid. i Gen. 7. k Exod. 14. l ibid. & c. 13. m Iosue 4. n Num. 8. & c. 19. o 4. Reg. 5. p c. 36. & c. 47. q cap. 2. r cap. 12. & c. 13. s ca. 36. & c. 47. t Act. 2. & sequent.

Glossa interlinearis post Bedam aquæ nomine Baptismum intelligit. & Ioannis, quo baptizari dignatus est Christus, & Christi, quem baptizatus priore consecrauit: per sanguinem, illum, quẽ pro redemptione nostra fudit: per Spiritum, illum, qui ad eumdem descendit, dum baptizaretur: aut quemlibet spiritualem doctorẽ, qui Christum testetur esse veritatem, hoc est, verum Dei Filium, verum mediatorem, ac reconciliatorem, immunem à peccato, & sufficientem ad auferenda omnia peccata mundi, verum hominem, & non phantasma. Lyranus consentit cum Glossa præterquàm in spiritu, quem sumit promissio in Pentecoste, vt testimonium perhiberet de Christo, quemadmodũ ipse prædixerat [u]. Oecumenius hæc eadem recipit, sed refert ad natiuitatem nostram ex Deo, de qua mentio paulò antè fuerat. Præterea docet datum Deitati Christi testimonium in aqua Baptismi, cùm de baptizato vox Patris audita [x] est, agnoscentis eum Filium; in sanguine, quando crucifigendus dixit: *Clarifica* [y] *me tu Pater*, hic autem respondit: *Et* [z] *clarificaui, & iterum clarificabo*: in spiritu, cum tamquam Deus resurrexit ex mortuis, scilicet seipsum suscitando. Spiritus enim Deum hic significat. Notat verò Spiritum nonnullos alios interpretari pro Deo ipso Patre, quando testimonium illud edidit de Filio [a].

Quid intelligatur per aquam, sanguinem, & spiritum.

u Ioan. 16. 26. x Mat. 3. 17. y Ioan. 12. 28. z ibid. a Mat. 3. 17.

Dionysius Alexandrinus putat pariter afferri testimonium hoc triplex pro natiuitate nostra spirituali in Baptismo, vbi Spiritus, id est, Trinitas inuocatur: sanguis, id est, humanitas cum Verbo coniuncta hypostaticè, & aqua operantur.

Sed caue loquendi modum, quo vocat Oecumenius adoptiuum filium Dei Christum, etiam si de ipso intelligas vt homine. Dãnauit hoc Francfordiense Concilium [b]. Sed hac de re aliàs. Non absimilia scripsit Ambrosius [c], aquam ad lauacrum, sanguinem ad pretium, spiritum tradens esse ad resurrectionem. Vel [d], spiritu mẽtem renouari, aqua nos lauari, sanguinem esse pretium. Sic quoque Cyrillus Alexandrinus [e], & Leo [f].

Christus adoptiuus filius etiam vt homo dici nõ debet.

b ep. cont. Paulum Samosatenum apud Turrian. nu. 3. de dogmaticis character. post med. c lib. 10. in cap. 22. Lucæ. d 3. de Spi. sancto c. 11. e de fide ad Reginas. f ep. 22. c. 5.

Glossa ordinaria aquam, & sanguinem quę de latere mortui Christi fluxerunt interpretatur, hisque veritatem carnis eius demonstratam, & quòd post mortẽ melius esset victurus, & mors ipsius vitam nobis datura. Idem videtur affirmare de sudore sanguineo, quasi sanguini permixta fuerit aqua, vel non saltem seorsim cum illa prodierit, & fluendo in terram, totius orbis ablutionem designauerit.

Putãt quidã [g] semper Christũ sanguini aquam miscuisse, nempe lacrymarũ in circumcisione, in horto, in flagellatione, in cruce ante mortem: & elementarem, quãdo calici cum vino eam imposuit, vt conuerteret in sanguinem. Quod attinet ad spiritum, eadem Glossa sumit pro anima, quã emisit Christus in Cruce [h]. Certe Centurionem compulit modus, quo Christus expirauit, vt cõfiteretur esse verè Filium Dei [i]. Elias Cretensis aquam, & sanguinem accipit, vt de latere manauerunt, Spiritum, qui super Christum descendit in Baptismo, testimoniúmque reddiderũt incarnationi Christi. Is qui Cypriani gerit nomẽ scriptor de duplici martyrio [k], quem meritò negant esse Cyprianum, sed Erasmum, vult spiritum esse columbam: aquam & sanguinem quæ fluxerunt de latere, significabántque Baptismum aquæ, qui ex Christi sanguine sumit efficaciam. Hugo præter primam expositionem, quę placet etiam Carthusiano, declarat venisse Christum per sanguinem, quando circumcisus est, vt legem obseruãdo significaret se Iudæos velle redimere: per aquam instituendo Baptismum, præcipuè pro Gẽtibus. Quod autem repetitur, non in aqua solùm, sed in aqua, & sanguine, denotare vtrumque liquorem de latere mortui fluentem. Quòd ter

Christus semper sanguinem cum aqua miscuit.

g Salm. hoc loco disp. 30. & To. 11. tract. 6. h Marc. 15. 39. i in ora. 8. Nazian. de Spiritu sancto. k cap. 3.

nominetur aqua, innuese Baptiſmum, lacrymas, & bumorem lateralem. Thomas Anglicus aquæ nomine intelligit etiam Chriſti lacrymas in cunabulis, in ſuſcitatione Lazari, in esuce, quòd ſanguis bis, eum, qui fuſus eſt in circumciſione, ac paſſione. Denique vult Spiritum eſſentialiter ſumi pro Deo, & Deitate, hancque teſtificatã, quòd Chtiſtus eſſet vesitas, id eſt, vetus Deus & homo: Deus, cum Chriſtus dimitteret peccata, cogitationes videret, ederet tot ac tanta miracula: homo, quando eò redegit eum tormentis paſſionis, vt ſe derelictum clamaret à Deo [a], vel Angelum confortantem miſit [b].

Tertullianus [c] aſſerit quod Chriſtus venit per aquam, vt aqua tingeretur: pes ſanguinem, vt eo glorificaretur, nimirum patiendo; & ideo vt nos faceret aqua vocatos, ſanguine electos, hos duos Baptiſmos de vulnere perfoſſi lateris emiſiſſe, vt credentes in ſanguine eius, aqua lauarentur: qui lauiſſent, etiam ſanguinem potarent.

Sanctus Bernardus [d] per aquam, Baptiſmum; per ſanguinem, martyrium; per Spiritum, *charitatem diffuſam in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum* exponit: Chriſtum non veniſſe tãtum in aqua cogendo multitudinẽ, vt Moſes fecit (*aquæ enim multæ, populi multi* [e].) Sed in ſanguine redimendo pretio ipſius, quod Moſes non potuit, ſed per Agni ſanguinem, redemptionem dumtaxar præfigurauit: eam verò redemptionem cum Eccleſiæ congregatione deſignatam vtriuſq; fuſione liquoris de latese Chriſti. Alludit Bernardus ad etymon *Moſis*, quod valet *eductum de aqua* [f]. Verùm, quia ille ſacrificia cruenta, & maximè quidem inſtituit, non videtur quare ob illam aſſumptionẽ de aqua, in aqua ſolùm veniſſe dicatur: tũ etiã quia priuſquam in populi ducem aſſumeretur, Ægyptium interfecit; quod erat venire in ſanguine; ſi illud aliud erat venire in aqua.

Petrus Bleſenſis [g] idem affert de Charitate, Baptiſmo, Martyrio. Clemens Alexandrinus [h], pro vita ſpiritum ſumit, pro regeneratione, ac fidem aquam, pro cognitione ſanguinem, quæ ſint ſalutiferæ virtutes Saluatoris.

Carthuſianus primos in reliquis Auctores ſecutus notatũ ait hîc diſcrimen a Ioanne Bapt. qui venerit in aqua tantùm, quia baptiſmus eius erat inefficax. Placuit idẽ Caietano, & Catharino. Hic præterea docet veniſſe in aqua Chriſtũ, experiendo fluctus tribulationum, idq; per baptiſmũ aquę, quo baptizatus eſt, deſignaſſe: in ſanguine, quando baptiſmo altero baptizatus eſt, in paſſione, de qua memineras, ſub ipſamet voce baptiſmi [i].

Auguſtinus [k] capit tria iſta, vt de corpore Domini exierunt [l], cùm penderet in cruce; ſpiritum, quem inclinato capite tradidit; ſanguinem, & aquam, quæ manarunt de latere [m], eſſe vnum ſignificatione, quatenus ſigna ſunt trium Perſonarum, quæ ſunt vna ſubſtantia, Spiritus Patris de quo Chriſtus: Spiritus eſt Deus [n]: ſanguis Filij quia Verbum caro [o] factũ eſt: Aqua Spiritus ſancti, cum qua Chriſtum idem ipſum comparauit [p]: poſtremò, quod exierũt de corpore Chriſti, denotari Eccleſiam. quæ eſt corpus Chriſti [q], prædicaturam fuiſſe Trinitatis vnam, eandémque naturam. Paulinus [r] ſanguine Sacramenta, aqua vult gratiam, quæ dat iis vim, ſignificari. Cyrillus Hieroſolymitanus [s]; & Ruffinus [t] per aquam Baptiſmum, per ſanguinem Iudicium. Idem Cyrillus [u], Niſſenus [x], & Chryſoſtomus [y] impletionem figurarum veteris Teſtamenti, quæ in iis rebus multæ præceſſerũt. Idem Cyrillus [z], Gregorius Antiochenus [a], Euthymius [b], Hieronymus [c], Auguſtinus [d], Arnoldus [e] baptiſmum ſanguinis, & fluminis in bello, & pace. Chryſoſtomus [f] valorem meriti in aquis tribulationum *De* [g] *torrente namque in via bibit*, &c. Alij duplicem modum, quo Chriſtus dãnatus eſt à populo clamante: *Sanguis* [h] *eius ſuper nos*, &c. *& à Pilato manus aqua lauante* [i]. Alij, aquam eſſe gratiam, ſanguinem, pœnam, & diſcordiam, quæ per eam ſublata ſit. Alij, ſanguinem eſſe contra iram; aquã contra libidinem. Sancta [k] Catharina Senenſis quædam ſimilia habet. Catharinus Spiritus ſancti internum donum, aquæ baptiſmum, immolationes Martyrum. Ego tametſi libenter hæc omnia recipio (eiuſdem de re eâdem loquentis Auguſtini conſilium ſecutus, profitentis profunditatem ac difficultatem pręſentis loci) dixi in principio, quod veriſimilius videbatur. Arbitror autem Ioanni propoſitum, non reiectis latentibus in aqua, ſanguine, Spiritu myſteriis, quæ pie ab allatis Auctoribus, præſertim Bernardo, & Hugone proferuntur, nec non ab Ambroſio [l], (qui ſanguine mortem, ſepulturam aqua, Spiritu vitam aſſignat in baptiſmo) ab Auguſtino, & Beda, cæteriſque caput Ioannis decimum nonũ declarantibus, iterum ab eodem Auguſtino [m], Hieronymo [n] Leone [o], Cyrillo Ieroſolymitano [p], Damaſceno [q], & ab Interpretibus S. Thomæ, præſertim Suarez [r], triplex pro Chriſto teſtimonium commendare ex aqua & ſanguine, quæ de mortuo præfluxerunt, quam rem adeo mirabilem ſolus ea Euangeliſtis Ioannes narrauit [s] cum tanta aſſeueratione, & ex Spiritu viſibiliter dato in Penteceoſte, quem prius diſertè, ſæpiúſque promiſſum à Chriſto vnus quoque litteris mandauit [t]. Hoc ſenſit Algerus iſto ſermone. Vnde & tria ſunt, quæ Chriſto teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, quia & mirum fuit mortales de cœlo ſecundum promiſſionem Chriſti, Spiritum ſanctum accipere: & mortuum more viuentis non ſaniem, ſed ſanguinem, immò ſupra morẽ viuorum, & mortuorum cũ ſanguine aquam de vulnere lateris fundere: quod tamen ſicut miraculum, ſic conſtat fuiſſe & myſterium. Myſterium fuit, quod antea monui, variũ varios tradere. Non etiam diſplicet, vt Spiritus animam, aqua veritatem corporis naturalis, ſanguis veritatem denotet corporis animalis. Id quidem Toletus [u] tradidit. Eodem ſpectare poteſt quod ait putatus Cyprianus in libro de Duplici Martyrio, hæc tria eſſe præcipua vitæ argumenta, Spiritum, ſiue halitum, nec non ſpiritus vitales, & animales, aquam ſiue phlegma, cuius ſentitur vſus maximè in guſtu; ſanguinem, cuius notiſſima vis, & neceſſitas. Si de Sacramentorum ęfficacia ſimul Ioannem indicare velimus, credere poſſumus ad ſtolidos Ebionitas reſpexiſſe, qui quotidie ſe lauabant, arbitrantes mera Deũ aqua placari, nullo habito Redemptoris reſpectu; quia Ieſum non redemptorem faciebant, ſed prophetam dumtaxat. Offerebant quoque in execrandis myſteriis ſuis non vinum aqua miſtum, ſed aquam puram; quod ſanguine Chriſti genus humanum negarẽt redemptum. Lege Irenæum [x].

Cùm pluit lacte, ſanguinéque, reſponderunt auſpices cauenda flagella diuina, vt meminit Plinius [y]: *Dilectus noſter candidus & rubicundus* [z], quando hoc ſuum ſignum explicuis candidum rubicundúmque, certiores nos fecit, iram Dei

remiſiſſe,

Miraculum & myſterium, de illo latere ſanguinem, & aquam fluere.

a Mat. 27. 46.
b Luc. 22. 43.
c lib. de Bapt. c. 16.
d ſerm. 1. in oct. Paſchæ.
e Apoc. 17. 15.
f Exod. 2. 10.
g ſermon. de T. in. & ſerm. 24. de S. Iacobo.
h in Commentatio.
i Luc. 12. 50.
k contra Maximinum c. 22.
l Ioan. 19. 30.
m ibidem.
n Ioan. 4. 24.
o Ioan. 1. 14.
p Ioan. 7. 38.
q Epheſ. 1. 23. Coloſſ. 1. 18.
r epiſt. ad Florentium.
s Catecheſ. 13.
t in Symbolo.
u ſupr.
x contr. Iudæos cap. penultim.
y in Ioan. c. 19.
z ibid. & Catecheſ. 3.
a Orat. de ſepult. Chriſti.
b Ioan. 19.
c epiſt. 83.
d 2. de Symbolo, cap. 9.
e tractatu de ſeptem verbis in illud *ſitio*.
f homil. 5. ad Populum Antiochenum.
g Pſ. 109. 7.
h Matt. 27. 25.
i ibidem 24.
k [illegible] de Prouident. cap. 75.
l 1. de Spirit. S. 6. & [illegible] 4.
m 2. de Symbo. ad Catech. c. 6.
n epiſt. 83.
o epiſt. 4.
p Catech. 3.
q 4. de Fide, c. 10.
r 3 part. q. 53. diſp. 41. ſect. 1.
s cap. 19. 4. [illegible]
t 1 de Sacram. Corp. & Sang. Dom. c. 19.
u in c. 19. Ioan. in Comment. poſt annot. 26.
x lib. 5 c. [illegible]
y [illegible] c. 56.
z Cant. 5. 10.

remisisse, supplicia peccatis debita condonata. Criticus nobis ac bene ominosus fuit, tum manans corpore toto sudor, tum ferro missus cum aqua sudor de latere.

Initium signorum tẽpore Mosis, inquit Cyrillus Ierosolymitanus [a], sanguis & aqua, & vltimum signorum Iesu hoc idem, dilectus inquam noster candidus, & rubicundus [b] propter aquam & sanguinem, vt exponunt Psellus, & Aponius [c]: quæ in signum summæ dilectionis voluit Christus exire de latere suo, corde patefacto. Theophylactus [d] præter nonnullas ex allatis mysticis causis affert quoque istam, vt sanguis fuerit symbolum crucifixi, aqua Deitatis eius.

a Catechesi 13. *Aqua & sanguis initium signorum Mosis: aqua & sanguis vltimum signorũ Christi.*
b Cant. 5. 10.
c ibidem.
d in c. Ioa. 19.

Ceterùm non interpretes modò, sed alij probant hinc veritatem naturæ humanæ Christi cõtra Manichæos, qui phãtasticum ei corpus affingebant. Legendus potissimum Innocentius III. [e] & S. Thomas [f]. Innocentius Deitatem asserit confirmari triplici testimonio, Patris, Verbi, & Spiritus sancti: Humanitatem per Spiritum, id est, animam, quam inclinato capite Christus tradidit, per aquam, & sanguinem, quæ de latere ipsius mortui prodierunt. Argumentatur quoque pro mixtione aquæ cum vino in Eucharistia. B. Thomas eadem colligit ex fluentibus de Christi latere, sanguine, & aqua.

Christi humanitatis signũ spiritus, aqua & sanguis.
e c. 10 quondam de celebrat. Missarum.
f 3. part. q. 66. art. 4. ad 3. & q 74. art. 7. ad 3. & in Ioan. cap. 19. lect. 5.

Quia porrò per hæc nõnulli Patres, præsertim Græci, duo Sacramenta, Baptismi, & Eucharistiæ significata voluerunt, argumentantur hæretici nostri temporis illa dumtaxat duo esse. Sed non sequitur; vt enim ea recipiatur expositio, dicimus duo magis communia, & principalia Sacramenta posita esse. Deinde non paucioribus, aut minoris auctoritatis [g] videtur designatum solum baptismum prout habet vim, & efficaciãm a sanguine Christi. Idcirco illum ipsum Ioannem, qui solus meminerat fluxisse sanguinem, & aquã, & si Sacramenta voluisset denotare, prius dixisset aquam, postea sanguinem, quia baptismus est prior, hoc loco aquam præposuisse, ac nominatim dixisse (*non in aqua tantùm* &c.) vt intelligeremus Christi baptismum non inanem esse, sicut Ioannis Baptistæ, sed sanguinis à Christo fusi valore ac merito efficacem.

Non tantùm duo sunt Sacramenta, sed plura.
g Cyrillo, Ambrosio, Hieronymo, Leoni, Augustino, Bedæ, qui antea citati sunt.

Hic est, qui venit per aquam & sanguinem.] Codices [h] quidam Græci addunt: καὶ πνεύματος, *& Spiritum.*

h in nouo Testam. Robert. Steph.

Non in aqua solùm, sed in aqua, &c.] Iidem codices habent, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ πνεύματι, *sed & in Spiritu.*

Sed in aqua & sanguine.] Non tantùm per Baptismum, sed etiam per crucem: ita vt non tantùm fuerit baptizatus, sed etiam crucifixus, non Simon Cyreneus pro illo, vt Saturnius sentiebat [i].

i Irenæ. lib. 5. ca. 23. Epiphan. hær. 24.

Et Spiritus est, qui testificatur quoniam Christus est veritas.] Græcè, ὅτι τὸ πνεῦμα ἐστὶν ἀλήθεια. *Quoniam ipse Spiritus est veritas.* Sic etiam legitur Syriacè. Hoc modo sensus est: Credendum testimonio Spiritus de Christo, quia Spiritus verus, est verax, & ipsissima veritas. Recens autem erat memoria missi sancti Spiritus die Pentecostes in Discipulos, ac deinceps in alios. Dixerat Christus fore, *vt Spiritus sanctus de ipso testimonium perhiberet, ipsique* [k], *per illum videlicet.* Petrus post Pentecosten libera oratione protestatus est cum condiscipulis, se testes esse Christi, *& Spiritum sanctum, quem dederat Deus omnibus obedientibus sibi* [l]. Doctor quoque spiritualis, & quiuis verè fidelis ac iustus testificatur; quatenus præditus est effectu Spiritus Sancti. Spiritus item Christi, vt pro anima illius accipitur, prout in Cruce ab ipso emissus est, móxque in resurrectione receptus, testimonium præbuit ipsimet Christo. Melior editio nostra, & sine dubio sequẽda, contra quàm faciat hoc loco Caietanus, Vatablus, Clarius. Iuxta illam haud dispar sensus, videlicet reddi testimoniũ à Spiritu sancto, quòd Christus sit verus Deus, cui veritatis attributum attribuatur, sicut Sapiẽtia & nomen verbi, atque alia, quæ pertinent ad intellectum, per quem processit à Patre totã eius substantiam verè exprimens adęquatè, perfectè. Præterea veritas etiam, vt missus, & homo factus rectè dicitur, *quia* [m] *quæ audiuit à Patre*, fideliter ac veraciter *nota fecit nobis*, ipsique Patri gratias hac de re agens, dixit [n]: *Sermo tuus veritas est*, tam sine figuris, typis, vmbris, ceremoniis legalibus, omnẽ quoque detexit hypocrisim, & falsitatem: quæ pollicitus est, præstare tum potest, tum vult: *quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est, & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram* [o]: & dicitur in Apocalypsi non rarò *fidelis* [p], & ipsemet dicit *se in hoc natum, & ad hoc venisse, vt testimonium perhiberet veritati* [q]. Hinc est, quod Christus vocatur *facies Patris* apud Malachiam [r], vt exponit Galatinus [s], & Oleam [t], vt Rabbi Moyses [u], & Dauid [x]: vt Hieronymus ibidem explicat, & quidam alij verba alia eiusdem, & Theodoretus [y] id quod est libro Numerorum [z]. *Ostendat Dominus faciem suam tibi* [a]. &, *Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem* [b]. Est Christus testis oculatus, & auritus, & morte confirmauit, gloriam quærens Patris.

k Io. 15. 26. 27.
l Actuum 5. 32.
m Ioan. 15. 15.
n Infra 17. 17.
o 2 Cor. 1. 20.
p cap 1. 5. c. 3. 14. cap. 19. 11.
Christus cur facies Patris dicatur
q Ioan. 18. 37.
r cap. 3. 2.
s lib 3 c. 10.
t cap. 3 4
u Ps. 79 v 4.
x Psalmo 88. v. 16.
y q. 11. in Nu.
z cap. 6.
a vers. 25.
b ibid. 26.
Christus est testis oculatus & auritus.

Vocatur frequenter Spiritus sanctus, Spiritus veritatis [c], at non veritas ipsa propter eam quam dixi attributionem, ratione cuius Christus ait de seipso: *Ego sum veritas* [d], nec ineptè dici posset innui, Spiritum sanctum esse Spiritum Christi, & ab eo procedere, quando vocatur *Spiritus* veritatis, quamuis semel sic eum nominando subiungat Christus, qui à Patre procedit.

c Ioan. 14. 17. cap. 15. 26. cap. 16. 13.
d Ioan. 14. 6.

Porrò non hinc probare possunt hæretici, sufficere cuique priuatum suum Spiritum, nec egere testimonio externo Ecclesiæ. Hoc per illud non excluditur, sed includitur, loquiturque per os, & vocem, & ministerium Ecclesiæ. Alioqui concludetur etiam, superfluam esse Scripturam, quæ sine dubio non est Spiritus.

Illud ad mores aptiùs elicitur, sic omne mendacium abhorrere à Deo, vt veritas dici velit Deus: quemadmodum vocatur diabolus *mendax & mendacij pater* [e]. Libertum Massilienses reuocabant in seruitutem, si vel mentitus, vel fraudem fecisse patrono deprehenderetur [f]. Lycij mentientem quamlibet diuitem, nobilémve vendebant sub hasta, spoliabantque facultatibus [g]. Apud Indos mentiri piaculum erat, nec deinceps magistratum deprehenso gerere licebat [h]. De Persis idem ferè traditur ab Herodoto [i] & Xenophonte [k]. Et ille quidem testis est, & veritatis colendæ præcepta edoctos pueros à quinto anno ad vigesimum [l]. Strabo vsque ad vigesimum quintum, qua de re Nicolaus quoque apud Stobæũ [m]. Ægyptij regibus suis ad collum appendebant, vt Ælianus [n] prodit, ex Sapphiro, imaginem quam Veritatem appellabant. Lege Iosephum Stephanum [o], egregiè confutantem Politicos, quorum axioma, *Nescire regnare, qui nesciat dissimulare, ac simulare & mentiri.*

Deus omne mendacium abhorret.
e Ioan. 8 44.
Mendaciorum pœna.
f Valer. Max. lib. 2. ca 1. Alexan. ab Alc. li. 4. 10.
g Heraclides de Politiis.
h Arrianus 8 de Gestis Alex. Philostra. 2. vitæ Apollonij.
i lib. 1.
k 1. Pædiæ Cyri.
l lib. 15.
m serm. 42.
n 14. Variæ hist. cap. 34.
o in cap 1. 2. Machab.

Et spiritus est qui testificatur quoniã Christus est veri-

veruus.]Id eſt, anima Chriſti, quæ redit ad corpus per reſurrectioné,teſtificatur quod veré mortuus fuerit, vt videtur exponere Auguſtinus [a].

Verſ. 7.] **Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus,& hi tres vnum ſunt.**

IN editione Syra deſideratur hic verſus, & in nonnullis codicibus Græcis, teſte Roberto Stephano. Sed & Auguſtinus [b] prætermiſſe videtur,& Leo [c],& Beda [d],& Ambroſius [e],& ex Græcis Oecumenius [f], & Cyrillus Alexandrinus [g],& Clemens item Alexandrinus [h]. Hieronymus [i] teſtis eſt, ab infidelibus tranſlatoribus omiſſum hoc Patris, Verbique, & Spiritus teſtimonium,in quo maximè fides Catholica roboratur,& Patris & Filij, & Spiritus ſancti vna Diuinitatis ſubſtantia comprobatur. Hoc infidelium numero cenſeri debent Anabaptiſtę,nouiq; Ariani, qui præſertim propter iſtum locum toti epiſtolæ fidem derogant. Eraſmus nunc expunxit, nunc reſtituit,nũc reſtituiſſe pœnituit. Caietanus dubitauit. Mouit Eraſmum,præter aliquot codices Græcos, in quibus hic verſus non legitur, quòd Cyrillus Alexandrinus colligens accuratè Scripturæ teſtimonia pro Trinitate,vel Diuinitate Chriſti,hoc adeo luculentum prætermiſit.

Sed nefas eſt modò vel leuiter dubitare, cùm Pontificia prodierint auctoritate correctiora Biblia, in quibus hoc habetur. Agnouerunt id etiã veteres Pontifices duo,Higinus [k], & Ioannes [l] II.& Cõcilium [m] Lateranenſe ſub Innocẽtio III. Cyprianus [n],Hieronymus [o],Auguſtinus [p],Idacius, Victor Vticenſis [q], Bernardus [r], Fulgentius [s],& ex Græcis Athanaſius [t].Heſſelius refert eandem lectionem repertam in vno Codice Grę co in Anglia,& in alio in Hiſpania.

Sed quod ad citatam præfationem Hieronymi in epiſtolas Canonicas pertinet, extat apud Lyranum,& alios, nec non & in quibuſdam Bibliis impreſſis proximè ante Iacobi epiſtolam ſub nomine Hieronymi; citatúrque ab Eraſmo ipſo in annotationibus huius loci, quamuis in recenſione operum illius eam omiſerit,vt & Marianus Victorius. In ea verò in Interpretes duntaxat Latinos omiſſi textus huius culpa reiicitur, non in varietatem Codicum Græcorum. Quin etiam fieri facilè potuit,quod ſæpiſſime ac quotidie cogor experiri in ſcribis ſeu amanuenſibus, vt propter ὁμοιοτέλευτον, prætermiſſus fuerit verſiculus hic excurrente oculo & calamo ad ſequentem qui deſinit eodẽ pacto, *& hi tres vnum ſunt.* Adiiciendũ aliud ex Fulgentio priùs citato teſtimoniũ in libro de Trinitate,quem Sirmõdus noſter cum aliis eiuſdem opuſculis haud ita pridem euulgauit. Eandem ſententiam vſurpat Eccleſia Dominica in Albis,& in feſto S. Trinitatis: & de omnibus Dominicis olim teſtis Heſſelius; vt omittatur approbatio Caluini, Bezæ, Illyrici, Aretij, Tubingenſium & aliorum hæreticorum: biblia item Zuingliana & Caluiniana Latina; præterea Germanica, Anglica, Italica, Hiſpanica: editio etiam bibliorum Lutheranorum, quæ ſunt edita Herbornæ in octauo,anno 1598.

Quocirca parum pudens eſt Georgius Blandrata [u],immò valdè tum impudens,tum imperitus,cùm parum pudentem vocat Hieronymum, quòd locum iſtum & receperit, & à negantibus vendicauerit, cúmque non eum pudet aſſerere præter Hieronymum, neminem legiſſe hoc teſtimonium. De Cyrillo Alexandrino vel dici poteſt non ei veniſſe in mentem,vel cõtentum fuiſſe planè ſimili loco ex Euangelio Ioannis: *Ego, & Pater vnum ſumus* [x].

Vis porrò teſtimonij eſt, non modò Spiritum teſtificari quòd Chriſtus ſit veritas, ſed cum ipſo etiam Patrem, & Verbum. Teſtificatus eſt Pater, cùm voce clara nominauit Chriſtum filium ſuum dilectum [y]: cùm exclamauit ſe illum clarificaſſe, & iterum clarificaturum [z]. Spiritus ſanctus, quãdo deſcendit ſuper eum in ſpecie columbæ [a], & ſuo in linguis illapſu [b], iuxta promiſſioné Chriſti [c] fecit, vt alij teſtificarentur de Chriſto. Verbum ipſum de ſe,ſiue Chriſtus, cum ſe dixit *eſſe viam,veritatem,vitam* [d], & filium Dei [e], & quòd *opera quæ faceret, teſtimonium perhibeant*, & quòd ipſemet *teſtimonium perhiberet de ſeipſo* [f],& de ipſo, *qui miſerat ipſum Pater* [g]. Item de cœlo teſtificatus eſt de ſeipſo, quando viſus eſt Stephano [h], & Paulo ſiue Saulo dixit [i]; *Ego ſum Ieſus Nazarenus.*

In cœlo.] Refert Lucas Brugenſis, in ſeptem Græcis Pariſienſium codicibus abeſſe *in cœlo*. Biblia Antuerpienſia notant quinque: Arias in quibuſdam legit *cœlo*: abſq; prępoſitione *in*. Higinus [k] Papa præponit (in nobis) *Tres in nobis ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo*: vult nempe teſtimoniũ hoc eſſe de cœlo, & diuinum pro nobis: Alij qui ſunt etiam angeli in cœlo, & beati Spiritus Vnde paulo pòſt [l]. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt: & licet beatus teſtimonium perhibeat Trinitas, dum iis ſe vid naam prabet,* vt ait Bernardus [m], *eſt tamen occultum nobis teſtimonium.* Tropologicè pro Iuſto ſumi cœlum poteſt.

Et hi tres vnum ſunt.] Καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι. *In vnum ſunt.* Quidam tamen codices [n] habent abſque præpoſitione τὸ ἕν *vnum*, & quidem illi, qui ſunt emendatiores, ſicque citati Patres legunt: ſignificant hæc verba vnitatem naturæ, atque τὸ ὁμοούσιον, quæ vox à Concilio Niceno recepta eſt, aduerſus Arianos, quibus ſciebat eſſe formidini, vt meminit Ambroſius [o] agens de Euſebio Nicomedienſi Ariano. meminit quoque Hilarius [p], Athanaſius [q], & Marius Victorinus [r].

Hi tres vnum ſunt.] Euthymius [s] legit, *tria*; & hinc demonſtrat vnum dici in iis quæ ſunt eiuſdem eſſentiæ, cum eadem eſt natura, & diuerſæ perſonæ.

Obiiciunt hæretici,vt Seruetus [t],idem paulò poſt dici de Spiritu, aqua, & ſanguine. At primùm in Græcis libris deſunt, præterquàm in paucis, in quibus item eſt εἰς ἕν, *in vnum*, id eſt, conſpirant, & concordant. Deinde carent non pauci codices Latini verbis illis, ex quibus quindecim manuſcripti notantur à Louanienſibus Theologis in eius loci margine, & Heſſelius teſtatur idem de duobus codicibus Græcis, Anglico,& Hiſpanico: & de tribus vetuſtis Miſſalibus, & duobus Bibliorum Latinorũ libris Louanienſibus: & S. Thomas [u] ait ab Arianis appoſitum ad peruertendum intellectum ſanum auctoritatis iſtius de vnitate eſſentiali trium Perſonarum. Idem indicat Innocentius III. dum citans illam ſententiam de Spiritu, aqua, ſanguine, omittit illa verba, *& hi tres vnum ſunt.* Idem dico de Higino. Immo Innocẽtius dum citat alibi [x] eadem verba, faciens mẽtionem de abbate Ioachim, qui dicebat non eſſe veram vnitatem trium perſona-

rum

Marginal notes: a 3. c6. Maxim. 22. — b 5. con. Maximinum c. 22. Vbi deſideratur hic verſus. — c ep. 10. c. 5. — d in Comment. — e 3. de Spir. S. c. 11. & in c. 22. Luc. — f in Comment. — g 14. Theſaur. c. 5. — h in Commen. — i Prolog. in ſeptem epiſt. canonicas. — Ad hoc verſu noſtro eſt ſana dubitatio. — k epiſt. 1. — l ep. 1. — m cap. 1. de vnit. Ec cleſiæ. — n Prologo in epiſt. canoni. — p contra Varimadum. — q 2. de Perſec. Vandalet. — r ſerm. 1. & 2. In Octaua Paſchæ. — s lib. cont. ob lectiõn. Arian. ſub finem. — t 1. ad Theophilum ea vnitate Deita. Trinit. & diſput. cum Ario in Conc. Niceno collecta ex eodem Athanaſius que dictus Vigilius. — u in Actione 2. dial. diſp. 25. Albanæ in Tranſyluania. — x cap. Quaſi ſit vis huius teſtimonij. — y Mat. 3. 17. c. 17. 5. — z Ioan. 12. 28. — a Matt. 3. 16. Ioan. 1. — b Act. 2. 3. 4. — c Ioan. 15. 16. — d Ioan. 14. 6. — e Ioan. 9. 35. 37. — f Ioan. 10. 25. — g Ioan. 5. 14. 37. 38. — h Act. 7. 5. — i Act. 9. 5. 22. 6. 26. 15. — k epiſt. 1. — l verſ. 9. — m ſermon. in Octaua Paſch. — n Teſtam. Rob. Steph. Cur dicantur hi tres vnum eſſe. — o Ep. 82. c. 7. — p lib. de Synodis in fine. — q epiſt. de Decr. Nicenæ Synodi. — r 1. contr. Arianos. — s Panopl. tit. — t de Trin. — u Opuſc. 24. in 2. decretalem. — x In Conc. Lateran. c. 1.

rum, sed eas sic dici vnum, sicut illi, quorum est vna voluntas, & vtebatur hoc loco: monet sic haberi in quibusdam codicibus. Complutenses quoque ac Regij tolluut, & aliqui manuscripti, quos legi. Tandem, quia sequi debemus editionem uostram, quæ ibi verba dicta recipit, sicut & Papa Ioannes II.[a] & Augustinus[b]: *Vnũ sunt aqua, sanguis, Spiritus concordia quadam testandi, Pater, Verbum, Spiritus, vnitate præterea naturæ*, quod ita esse multis aliis ex locis apertè colligitur, posita simul communi Ecclesiæ interpretatione, quam contra hoc abutentes & similibus aliis exẽplis ad negandam Trinitatem, Innocentius III. expressit[c]. Sed & si quis legat de Patre, Verbo, & Spiritu, quòd in vnũ sint, non oberit vnitati substantiali eorum, quia Hebraicus idiotismus est dicere verbi gratia: *esse mihi in Deum protectorem*[d]. id est, protector. *Eritis mihi in populum*[e], id est, populus. Sic esse in vnum, est esse vnum. Nil opus hoc effugio, cùm legat quoque Græcus Pater Athanasius[f]: *Et hi tres vnum sũt.* Augustinus[g] monet his verbis: *Vnum sunt*, liberari nos vtà Scylla, & Charybdi, ab Ario, & Sabellio: nam *Vnum* dicit vnitatem Essentiæ, pluralitas distinctionem Personarum. Quod in Genesi legimus[h]: *Erunt duo in carne vna*, Εἰς σάρκα μίαν לבשר אחד *lebasar echad In carnem vnam.* Christus exposuit *quòd essent vna caro*[i]: & Paulus, *vnum corpus*[k].

a ep. 1.
b 3. cont. Maximinum cap.
Quod sit, & hi tres vnum sunt.
c Conc. Lateran. c. 1.
d Psal. 30. 3.
e Ierem. 31. 33.
f Disput. contra Arium in Nicena Conc. sub finem.
g Aug. tract. 37. in Ioan.
h Gen. 2. 24.
i Matt. 19. 6.
k 1. Cor. 6. 16.

Videri profectò possit Serapis ante Ioannem Ioannis locutus phrasi de Trinitate his versibus, qui Ægypti regi Thuli quærenti, Quis eo felicior esset, respondit:

Πρῶτα Θεὸς μὲν, ἔπειτα Λόγος, καὶ Πνεῦμα σὺν αὐτοῖς:
Σύμφυτα δὲ τρία καὶ πάντα εἰς ἓν ἰόντα:
Principio Deus est, tum Sermo, & Spiritus illis
Adduntur: æqua hæc sunt, & tendentia in vnum.

Lege quoque Lucianum[l].

l in Philopa in fine.

Vers. 8.] Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt.

IPsa sententia satis videtur in versu sexto declarata, quid nempe per hæc tria debeamus intelligere, quomodo sint vnum quid, vel in vnum, quia tendunt ad eiusdem rei significationem. Addit Augustinus[m], his quoque tribus designari tres personas Trinitatis: Spiritu Patrem, sanguine Filium, Aqua Spiritum sanctum. Nam de Patre dicitur, *Spiritus est Deus*[n]: Sanguis indicat veritatem naturæ humanæ Christi: de Spiritu sancto verba illa sunt, *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*[o]. Exemplum simile dat Augustinus: Si diceremus, *Petra & aqua vnum sunt volentes*, inquit, *per petram significare Christum, per aquam Spiritum sanctum.* Hæc fortasse causa est, cur genere masculino dicuntur *tres* τρεῖς cùm res sint, vel aliquæ ex his inanimatæ, saltem aqua, vel Græcè neutrius generis nominibus expressæ τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα: quare item repetatur *& hi tres vnum sunt*, videlicet quia tres Personas Trinitatis tria hæc indicant, quæ tres Personæ sunt vnum, quia vnius substantiæ, & testimonium quoque dederunt, vt ante diximus. Nazianzenus[p] monet nihil referre, quod cum priùs masculino genere positum esset: *Et hi tres vnum sunt*: subdantur neutro genere secundum Græcas voces tria alia: perinde verò esse, siue tres ponens; vnum, & vnum, & vnum subiicias: siue vnum, & vnum, & vnum dicens, non tres, sed tria appelles, id quod nec aduersarius in Deitate concedat.

m 3. con. Maximin. c. 22.
Tres personæ S. Trinitatis his tribus designantur.
n Ioan. 4. 24.
o Ioan. 7. 38.
p Orat. 6. de Spirit. sancto.

Notauit Lucas Brugensis[q], in manuscripto quodam codice postponi testimonium eorũ, qui in cœlo, testimonio eorum, qui in terra testantur: Idipsum videre est apud Higinum Papam[r], & Ioannem II.[s]

q in Notationib.
r epi. 2.
s epist. 2.

In terra.] Id est, de terra, & vt paulò pòst dicitur, *testimonium hominum*, siue humanum oppositum hac in re, seu modo, & qualitate testimonio eorum, qui testantur in cœlo, seu de cœlo, & testes sunt diuini. Bernardus[t] exponit, *in terra*, id est, *pro hominibus hic viuentibus*, vt per hæc discernantur ab iniustis, quemadmodum per Patrem, Filium, & Spiritum sanctum Beati à miseris: nam Beatis visio Trinitatis testimonium perhibet: Electis fructuosus est sanguis Christi, ac merita: baptismi aqua, gratia Spiritus sancti: & electionis signum est continere se se à peccatis, & lacrymis, velut aqua, iustus præterita lauat peccata: & spiritualiter conuersatur, ac viuit.

t serm. 2. in Octaua Paschæ.
Beatis visio S. Trinitatis testimonium perhibet.

Addit quoque Tres[u] in inferno testes, Vermem, & Ignem[x], vt rodatur conscientia, corpus concrementur, & Desperationem: quia non morietur ignis vel extinguetur. Primum, testimonium nominat Beatitudinis, & gloriæ: Secundum, iustificationis, & gratiæ: Tertium, damnationis, & iræ. Posset quoque triplex fidelium gradus designari, minus perfectorum, per aquam, vtpote qui haud multò maiorem baptismali gratiam habeant, & egeant pœnitentiæ lacrymis, & numero sint plures: Perfectiorum, per Spiritum: Perfectissimorum per sanguinem, hoc est, Martyrum. *Maiorem hac namque dilectionem nemo habet*[y], &c. Quidam citant præsentem locum absque duabus hisce dictionibus, vt Augustinus[z].

Tres in inferno testes sunt.
u serm. 16. ex paruis.
x Esa. vlt. 24. Mar. 9. 44.
y Ioa. 15. 13. &c.
z 3. contra Maximin. cap. 22.

Spiritus, aqua, & sanguis.] Higinus[a], Idacius[b], & Ioannes[c] II. Papa legit: *Aqua, sanguis, & caro.* Quæ sanè lectio nullo modo recipienda est, nec satis commodum facit sensum. Sanguis enim, & caro idem testimonium dare videntur, & eodem prorsus modo.

a epist. 2.
b lib. de Trin.
c epist. 2.

Et hi tres vnum sunt.] Dixi præcedente versu deesse ista in codicibus nonnullis, & existimari apposita ab Arianis, tamen retineri debere: in illis autem codicibus Græcis quæ retinent, haberi εἰς τὸ ἕν εἰσι, *in vnum sunt*, & quo pacto esse in vnum, & esse vnum, possint idem significare. Syrus Interpres vertit: *Et hi tres in vno sunt.* Idacius[d]: *Et tres in nobis sunt.* Reddidi quoque causam paulo ante hoc ipso versu, quare dictum sit genere masculino *hi tres*. Sensus item est, concurri ab his tribus ad vnum de Christo ferendum testimonium; quòd verus homo fuerit, sitque, & quòd ipsius constituant humanitatem, spiritus humanus, & humores naturales, designati per aquam & sanguinem, qui sunt veluti basis prima corporis humani. Accedit præter analogiam inter testes ternos in cœlo, qui sunt personæ tres vnius essentiæ, Deúsve trinus & vnus, cui cœlum sedes peculiari modo est, ac totidem in terra per quandam prosopopœiam, quibus ex Deo nascimur; quod videri potest Ossenis Ioannes repugnare voluisse, qui septem ponebant testes, vt refert Epiphanius[e].

d suprà.
e hær. 19.

Verſ.9.] Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod teſtificatus eſt de Filio ſuo.

VAlidè argumentatur à comparatione maiorum, & minorum, vt ſi teſtibus humanis humanæ dirimuntur controuerſiæ, iiſque ſtari debet [a], multò pluris diuinos audire teſtes, ac recipere teſtimonium de re diuina edentes oporteat. *Omnis homo mendax* [b], quia vel mentitur aliquando, fallit ac fallitur, vel omnia hæc poteſt, & mentiri, & fallere, & falli. *Verax* [c] *eſt, & non mentitur Deus* [d]: ſed *& impoſſibile eſt mentiri Deum* [e]. Nec poſſunt mentiri; qui Dei inſtinctu, de Deo teſtimonium perhibuerunt Prophetæ, Ioannes Baptiſta, Apoſtoli, Eccleſia: multò igitur abſque comparatione, dignior, cui credatur, Deus ipſe.

Conqueſtus eſt aliquando Chriſtus [f] non recipi teſtimonium ſuum, cum quæ ſciret, loqueretur; quæ vidiſſet, teſtaretur: & Ioannes Baptiſta exponit eandem querimoniam, quia *cum qui veniſſet deſurſum & de cœlo*, ſupérq; omnes eſſet Chriſtus [g], i. ſupra omnem hominem, & creaturam, tamquam ex Patris ſubſtantia, loquens, ac teſtans, quod vidiſſet & audiuiſſet, ac verba Dei qui miſerat ipſum, nec ei Spiritum dederat ad menſuram, ſed omnia in manu eius: vnde ſequebatur, vt nōniſi ex Dei loqueretur Spiritu, teſtimonium tamen nemo acciperet.

Rurſus idem Chriſtus proteſtatus eſt, *ſe quidem teſtimonium non accipere ab homine* [h], & *maius habere Ioanne*, nempe ab operibus propriis [i]: *Ioanni quidem credendum fuiſſe tamquam lucernæ ardenti, & lucenti* [k]: quæ ſatis eſſet ad commonſtrandum ſalutis Auctorem, & qui perhibuerit teſtimonium veritati [l]: at longè in infinitum magis teſtimonium Patris eſſe, cuius *neque vocem audiſſent, neque ſpeciem vidiſſent* [m], propriam videlicet ac naturalem ipſi, qualem ſolæ res habent creatæ.

Præterea obiiciebat, quamuis veniſſet in nomine Patris ſui, acceptum non fuiſſe; ſi alius venerit in nomine ſuo, accipiendum eſſe [n]. Tādem, etſi teſtimonium perhiberet de ſeipſo, verum eſſe teſtimonium, quia ſciret vnde eſſet, & quò vaderet [o] (id eſt, quod Deus eſſet) & cum ipſo iudicaret [p], ac teſtificaretur Pater [q]: duorum verò etiam hominum teſtimonium in lege [r] verum eſſe, id eſt, haberi, ſe autem vt Deum, de ſe tamquam homine teſtimonium dare.

Fruſtra hinc hæretici conantur Eccleſiæ auctoritatem eleuare, vel contendunt ſolo nos contentos eſſe diuino, interno, ac priuato debere teſtimonio, quod nimirum ſit maius quàm hominum teſtimonium, nam iudicium, ac teſtimonium Eccleſiæ, non eſt merè humanum, ſed ſuo modo diuinum, quia loquitur Deus per Eccleſiam, ſuóque illam Spiritu docet, & ei dedit auctoritatem exterius teſtificandi. Quamuis & illud verum ſit, quod antè monui, teſtimonio Eccleſiæ, atque Prophetarum & Scripturæ Dei maius eſſe teſtimonium, nobilius & efficacius, quoniam ſolus Deus intus loquitur, mouet, perſuadet: Eccleſia, Prophetæ, Scripturæ inducunt exteriùs, ſuadent, docent, non attingunt interiorem animum. Sed in genere teſtimonij externi nullum aptius, nullum vtilius teſtimonium ſuppetit, quàm Eccleſiæ, cuius eſt de aliis teſtimoniis iudicare, an ſint vera, & diuina, & quemadmodum intelligi, ſumique debeant, ne fallamur, fallátve quempiam ſuus ille genius, ac priuatus, quē vocat, & venditat Spiritus, de quo ſequenti verſu. *Nam qui non audit Eccleſiam, ethnicus eſt & publicanus* [s]: & *Apoſtolos audire, eſt Chriſtum audire: illos ſpernere, hunc ſpernere* [t]: & *qui Moſi credit, Chriſto credit* [u].

Quoniam hoc eſt teſtimonium Dei quod maius eſt.] Græcè, & Syriacè deſunt vltima quatuor verba, Sed nihil propterea de ſenſu demitur.

Teſtificatus eſt de Filio ſuo.] Vbi extet hoc teſtimonium, antea declaratum eſt. Pater dedit teſtimonium Filio [x], Filius ſibi [y], Spiritus ſanctus eidem [z]; Scripturæ [a], opera [b], turbæ [c], Apoſtoli [d], Ioannes Baptiſta [e], milites [f]; creaturæ omnes, quæ diuinam vim ſenſerunt, & demonſtrarunt. Sic *teſtimonia credibilia facta ſunt nimis* [g]: & *ſi fallimur Deo dicere poſſumus, quòd nos deceperit* [h]. Beatus Thomas [i] numerat duodecim teſtimonia à tribus perſonis Trinitatis, à ſanctis, ab Angelis, à miraculis, à cœlo, aëre, aquâ, terra, igne, inferno.

Verſ.10.] Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Qui non credit Filio, mendacem facit eū: quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.

HÆc eſt diuini vis in credente teſtimonij, vt qui fidem illi habet, ipſummet habeat intra ſe teſtimonium, ſiue rem teſtatam, ſiue donum internum fidei, per quod credit: vel ſimul (qui ſenſus admitti quoque poteſt) ſi tendat animi affectu in eum, de quo eſt teſtimonium, aliud teſtimonium, ac reſponſum, quo declaretur adoptione filius Dei, & frater naturalis Filij Dei. Teſtimoniū nititur teſtis auctoritate, idcirco rem poteſt reddere certam, & euidenter credibilem, ſed non euidentem in ſe. Idem fidei lumen, & quoduis aliud donum diuinum in hac vita, quo redditur teſtimonium nobis, facit vt eadem opera & rem, & teſtis cognoſcamus auctoritatem. Qui accepit eius teſtimonium, qui nempe ſponſus eſt, & deſurſum, ac de cœlo venit, & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur, & ſuper omnes eſt, nimirum Deus, Chriſtus Filius Dei, qui de ſeipſo teſtimonium perhibuit, ſignauit quia Deus verax eſt [k], hoc eſt, ſignaculum diuini Spiritus in corde habet de ſua vera fide, ac viciſſim propterea velut adhibito ſigillo teſtatur, atque profitetur Patrem Deum eſſe veracem, de Filio teſtificantem, aut Filium de ſeipſo, qui dicit, quod apud Patrem vidit ab eoque audiuit, id eſt, accepit [l], quia nemo credit, niſi quod eſſe verum perſuadet ſibi, nec vlli, niſi quem veracem putat. Hæc tamen neceſſitati non præiudicant externi Eccleſiæ teſtimonij, de qua paulo ante dixi, & capite ſecundo.

Habet teſtimonium Dei in ſe.] Deeſt Græcè Dei, licet codices nonnulli id legant [m]. Syriacus quoque Interpres non legit, ſed, *habet hoc teſtimonium in ſeipſo, ſeu in anima ſua.* Arias explicat de teſtimonio ſpiritus, aquæ, & ſanguinis.

Qui non credit Filio.] Hinc apparet ſcripturæ phraſis credere Deo, & in Deum, adde præterea, credere Deum, non differre. quamuis Auguſtinum [n] ſecuti Scholaſtici [o] diſtinguant. Sed hoc aliàs notauimus.

Teſtibus diuinis magis ſtandum quàm humanis.

Deut.17. 6. c. 19. 15 Matt.18. 16. Ioan. 8. 17. 2. Corint. 13. 1. Heb.10. 28. b Pſ.115 2. c Rom. 3. 4. d Nu.23. 19. e Heb. 6. 18. Tit.1.2. Ioan.3.11. g ibidem 31. & 34-35. h Ioan. 5. 34. i ibid. 36. k ibidem 35. l ibidem 33. m ibid. 37.

Teſtimonium Chriſti de ſeipſo fuit recipiendū. n ibid. 43.

o Ioan. 8. 14. p ibid. 15. q ibid. 18. r Deut.17. 6. & c. 19. 15. Ioan. 8. 17.

Iudicium Eccleſiæ non eſt merè humanum, ſed diuinum.

s Matt. 18. 17. t Luc. 10. 16. u Ioan. 5. 46.

[illegible] Chriſto data ſunt teſtimonia.

x Ioan. 8. 18. y ibidem [illegible]. z Ioan. 15. 26. a Ioan. [illegible] 6. b Ioan. [illegible]. c Ioan. 12. 17. d Act. 4. [illegible] f [illegible] g P[illegible] h [illegible] i [illegible] de [illegible] n Pentecoſt.

Teſtimonium [illegible] auctoritate.

k Ioan. [illegible]

l Ioan. 8. 26. & cap. 15. 15.

m in noua [illegible] Ro. Steph.

n tract. 29. in Ioan. o [illegible] 25.

Filio.] Græcè, ac Syriacè *Deo*: codices tamen quidam Græci habent, τοῦ υἱοῦ.

Mendacem facit eum.] Capite primo [a] eadem hæc iam verba declarata sunt, quo pacto fiat ab homine Deus mendax. Mendacem facit Patrem de filio tam disertè testificantem, qui non credit. Faciendi quoque verbo significatur, non assensu, vel verbo dumtaxat, ac ne his quidem per se modis mēdacem fieri Deum, sed factis, & operibus. Nam Deum quis adeo impius est, qui mētiri dicat, aut existimet? Armeni blasphemiam hāc impegerunt Deo, quòd negasset Cain à quopiam occidendum, sit verò à seipso interfectus [b]. Sed & Deus excepit Cain, cùm dixit, non interficiendum ab alio, quòd eius infinita quædam, nec extinguibilis foret malitia, vt ait Philo [c]: & scriptura nō meminit, quod semel occiderit Cain. Mentiri verò nec per alium quidem Deum posse, capite eodem primo docuimus.

Ergo qui Dei verbis, quæ ipsius esse, potest ac debet intelligere, non credit, etsi Deum non diffiteatur mendacem, at facit opere, ac reipsa. Qui enim non recipit testimonium alicuius, arbitratur vel mentiri, vel posse mentiri.

Cauendus hoc etiam loco hæreticus, qui colligit eum, qui non aliter credat Deo promittenti, vel dicenti, quàm propter auctoritatem alterius, magis alteri credere, quàm Deo, sicque facere mendacem Deum. Nam credimus Deo seu loquatur per seipsum, seu per Prophetas, seu per Filium, seu per Ecclesiam: hæ verò sunt conditiones, modíve loquentis Dei, cuius maximè mouet auctoritas, quam voluit nobis per alios declarari. Porrò Atias intelligit, quòd non credens facit mendacem seipsum, quippe viuum illud testimonium nolens accipere.

Facit.] Πεποίηκεν *fecit*. Sensus idem. Tamen qui diffentit rei propositæ, prius videtur dempsisse fidem proponenti, & eius falsum, suspectúmve censuisse testimonium, siue auctoritatem.

Non credit.] Οὐ πεπίστευκεν. *Non credidit.*

Vers. 11] Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio eius est.

SCopus, ac fructus testimonij diuini est vitæ adeptio æternæ per Christum: sed & de ipsa met æterna vita datum à Deo testimonium est, quam consequi per Christū oporteret, qui Christus, Deúsque Pater est ipsissima vita æterna. Vel aliud testimonium de Christi deitate est præter priora, quoniam vitam dedit Deus æternam per eius merita. Eòdem recidit interpretatio Glossæ ordinariæ, ac Thomæ Anglici, sermonem esse de nouo testimonio pro filiis adoptiuis consequentibus beatitudinem per Christum, cùm præcedens fuerit de ipso Christo.

Dixit aliàs Christus [d], *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum, Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Id est, in hoc vitæ ratio consequendæ prima consistit æternæ vt fide percipiatur, credatúrque Deus & Christus. Itaque vita æterna cùm ibi, tum hic intelligi potest inchoatio vitæ, via ad vitam, qua tenditur ad perfectam consecutionem vitæ. Sic quoque refertur huc testimonium, quod hic datur nobis, vt tendamus ad æternam vitam.

Hoc est testimonium.] Lyranus, & Carthusianus exponunt, hunc esse scopum, & effectum, quem Deus intendat suo testimonio. Caietanus, hanc esse diuersam diuini testimonij materiam, vt sit prior materia Filius Dei, quæ spectat ad intellectum: hæc ad effectum voluntatis, & amorem, per quem participamus hic æternam vitam. Atque testimonij materia non per se refertur ad voluntatem, sed ad intellectum, videlicet, in ratione materiæ ac obiecti, licet possit cognitio ad voluntatis actum referri.

Quoniam vitam æternam dedit nobis Deus.] Pater nempe, cui attribuitur electio, & præmij largitio, tamquam primæ origini Trinitatis, & Creatori ac Gubernatori similiter per attributionem. Quo pacto dies illi iudicij cognita vni dicitur [e], & ipsius esse *dare sedere ad dexteram, vel sinistram in regno Dei* [f]: & *nosse tempora, ac momenta* [g], vt aliàs [h] exposui. Denique dedit Deus Pater, quia dedit Filium, cuius nobis meritis obuenit æterna vita: nam Filius suam dando vitam, dedit & ius ad æternam. Ipsemet quoque se dixit venisse, *vt vitam habeatis, & abundantius habeatis* [i]: seipsum *prabuisse escam nostram, vt in æternum viueremus propter ipsum* [k]. Denique, *ego*, inquit, *vitam æternam do ouibus meis, & non peribunt in æternum* [l], nisi per illas stet.

Et hæc vita in Filio eius est.] Simplex, ac vetus sensus est is, quem priùs attulimus, vitam esse in Filio, id est, dari propter eius meritum: ideo enim datus est à Patre: *vt omnis qui credit in eū, non pereat, sed habeat vitam æternam* [m]. Caietanus explicat esse vitam in Filio, quia est ipsemet Filius vita & beatitudo nostra, ne quis suspicaretur disparata dona, quod Filium dederit Deus, & quod vitam: sed vnum esse ratione maneriis: & qui illum dedit, & hanc dederit.

Lyranus innuit idem, cùm docet vitam esse in Filio obiectiuè, hoc est, ipsum cum Patre scilicet, & Spiritu sancto beatitudinis obiectum esse. Salmeron sumit subiectiuè, vt in Filio sit vita per essentiam, quatenus est Deus: vt autem homo, summa ipsius participatio in eadē anima, quæ vt simul creata est, Deum vidit. Hugo Cardinalis *in Filio* exponit, non modò per Filium tamquam mediatorem, & viam, sed præterea per confessionem fidei illius, & per imitationē. Carthusianus recipit expositionem de mediatore Christo, de eodem vt obiecto beatitudinis, & de subiecto secundum duplicem naturam. Thomas Anglicus vel per fidem de Filio, vel per visionem, seu beatitudinem nostram circa ipsum vt obiectum.

Vers. 12.] Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet.

QVi habet Filium Dei fide, dilectione, operibus: qui manet in Deo, & habet Spiritum eius, habet quoque vitæ inchoationem æternæ, siue ius ad eam, vitam viuit diuinam, *conuersatio eius in cælis est* [n]: *viuit ipse, iam non ipse, sed in eo Christus* [o] ipsissima vita. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso* [p]. Audi quid alter dicat Ioannes [q]: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in Filio, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Non sola sufficit fides de Filio, ac ne de aliis quidem personis. Loquitur vterque Ioannes de eo quod requi-

Marginalia: a ver. 10. — Mēdacem Deū quis facere dicatur. — b Prateolus. — c lib. de progig. — Credimus Deo seu per se loquenti seu per alium. — Deus est vita æterna. — d Ioan. 17. 3. Hæc æterna est hic vita æterna inchoata consequenda vita. — Patri attribuitur electio & gubernatio. — e Mat. 13. 32. f Mat. 20. 23. g Act. 1. 7. h ibid. i Ioan. 10. 10. k Ioan. 6. 57. l infra 10. 28. — m Ioan. 3. 16. — Qui habet filiū vitam viuit diuinam. — n Philip. 3. 20. o Gal. 2. 20. p Ioan. 5. 26. q Ioan. 3. 35. 36.

Margin letters: A B C D E

situr, licet non sufficiat: & Euangelista agit cum eis, qui circa Filium errabant. Necessarium est simul, & vitæ, & morum puritate pollere. *Et si credideris, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem vtilitas*, ait Chrysostomus [a]. Itaque credens, aliis positis conditionibus, habet in præsenti vitam: non credens ne videbit quidem, quamdiu incredulus erit.

Fides sine aliis non sufficit ad salutem

a hom. 30. in Ioan.

Habere aliquid dici propriè non meretur, qui non firmiter tenet, vel non bene vtitur: quo pacto *habenti datur, ei verò, qui habere se putat, aufertur* [b]. Non habet ergo Filium, quia non amat eum, nec eius obedit legi. Sed qui non credit, longiùs abest à vita, quamuis opera virtutum nonnulla faciat.

b Mat. 25. 24.

Concludit disputationem suam Tertullianus contra Praxeam non distinguentem à Patre Filium, ista sententia: *Nos credimus testimonium Dei, quo testatus est de Filio suo. Qui Filium non habet, nec vitam habet: non habet autem Filium, qui eum alium, quàm Filium credit.* Docebat Praxeas, ipsum Patrem descendisse in Virginem, & ex ea natum, passum, ipsum denique esse Iesum Christum. Hæc est hæresis Patripassianorum.

Qui habet Filium.] Quidam codices Latini, Græcique addunt *Dei*, sed satis intelligitur.

Vers. 13.] Hæc scribo vobis vt sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.

VTiliter admonet de scopo tum prioris sententiæ, tum epistolæ vniuersæ, quam clausurus est haud ita multo pòst. Similis clausula posita sub finem Euangelij [c]: *Hæc autem scripta sunt, vt credatis quoniam Iesus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Vtrobique docet scripsisse se consulentem vtilitati, non satisfacere volentem aliorum curiositati, non ad cuiusquam gratiam, non ad propriam laudem, sed vt maximè prodesset scribendo.

c Ioan. 20. 31.

Ceterùm prætermissa toties confutata Catharini sententia, quam hinc confirmat quoque de certa gratiæ nostræ scientia. Locum istum hæretici [d] vnum ex iis affirmant esse, quos mutilos habeat editio Latina. Nam sic Græcè legimus. ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν αἰώνιον ἔχετε, καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. *Hæc scripsi vobis credentibus in nomen Filij Dei, vt sciatis quod vitam æternam habetis, & vt credatis in nomen Filij Dei.* Obseruat Gagneius vltimum membrum superfluum esse, cùm sit antea dictum ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν. *vobis credentibus.* Erasmus quoque fatetur Græcum codicem esse redundantem. Solent autem Erasmo hæretici multum hac etiam in re tribuere. Sed & in nonnullis libris Græcis sic est [e]: ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον οἱ πιστεύοντες εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Quæ planè congruunt nostræ versioni, qua hìc vtitur Beda, & posteriores.

d vt Kemnitius in exam. Conc. Trid. sess. 4.

e In nouo Testa. Rob. Steph.

Nihilominus Græcæ lectionis posset esse sensus, quem tradit Oecumenius, testari se Ioannem non indignis scribere, tamquam canibus, porcisve [f], sed habẽtibus ad æternam vitam ius per fidem in Christum: confirmare autem illos in ea fide, vt perseuerent, atque in certa quadam fiducia, de qua mox erit sermo. Syriacè: *Hæc scribo vobis quòd sciatis vitam æternam esse vobis, qui creditis in nomine eius.*

f Mat. 7. 6.

Vitam habetis æternam.] Vnus, quod sciam, Thomas Anglicus legit *habebitis*: & rationem reddit, quia solùm hìc habetur in spe: verbum autem *creditis* esse in præsenti, quoniam fides est huius temporis. Non varianda editio, præsertim vbi nec variat sententia. Qua ipsa de causa non refert quòd scribatur Græcè in membro primo ἔγραψα, & in multis Latinis etiam impressis, atque in textu Bedæ, *scripsi*. Et quod attinet ad verbum *sciatis* significatur esse indubitatum quòd omnis qui credit fide affectuosa & obediente de qua Auctor, in Filium Dei, iam ius habet, vt dixi, ad vitam æternam: Sed non propterea certum est absolutè de hoc aut illo in particulari, quòd habeat dictum ius, sitque in statu æternæ vitæ siue salutis: immò neque sic est de vllo certum, quòd fidem, de qua sermo est, habeat, ac ne etiam informem. Agi autem de solo iure quod habetur in ista vita, & de salute in via, quæ proinde amitti potest, colligitur tum ex verbo *habetis*, tum ex eo quod postea dicitur, fratrem posse peccare ad mortem: & in fine capitis, vt caueant se ab idolis: tum quia in secunda epistola [g] monentur Christiani perseuerare in fide, nimirum obediente, vitando hæreticorum doctrinam, ne quæ bene operati fuerant, eousque perdant, sed vt mercedem plenam accipiant.

Fides est bonum temporis.

g vers. 8.

Vers. 14.] Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.

GIgnit fides fiduciam, & internum illud testimonium de adoptione, ac salute nostra, spẽ quiduis impetrandi à Deo, quod conferat saluti, & Dei, *qui nos vult saluos fieri* [h], *ignem charitatis accendi* [i], *nos sanctè fieri* [k], voluntati congruit. non potest habenti Filium, cum quo *Deus omnia donauit* [l], *& in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi* [m], quidquam deesse: non potest queri se non exauditum esse, qui *sciens se nescire, quid oret, nisi Spiritus ipse postulet* [n], certus est id Deum velle cõcedere, quod melius est. Exauditur quisquis talis est rogãdo, qualem requirit Deus, nec aliud vult, quàm quod ipse Ioannes aliique Apostoli ipsis operibus agnoscebant, quoniam crebrò postulantes Deum, quod ei esset gratum, perceperunt. *Præsumebant*, inquit Didymus, *quoties alij eo quoque modo peterent, exaudiendos.* Affert exemplum periti artificis, qui spem habet optimam, rectè perfectum opus esse, quippe qui probè teneat quæ ad ipsius exigantur perfectionem. Disputata res hæc est superius ad illa verba: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo* [o].

n Rom. 8. 26.

Exauditur quisquis talis est rogando, qualem Deus vult se audiri.

o cap. 3. 22.

Quodcumque petierimus.] Ἐάν τι αἰτώμεθα. *Si quid petierimus.* Thomas Anglicus, & Hugo, quodcũque siue quid exponunt. Substantiale ac solidum, non accidentale, atque vanum, quale bonũ temporale quod non appetitur, vel petitur propter spirituale. Obseruauit idipsum S. Thomas [p], verè quidem, & piè, sed accommodatiùs magis quàm literali sensu.

p in Ioan. ca. 16.

Audiet nos.] Legunt Hugo, ac Thomas Anglicus, *Audiet*, in futuro: eóque tempore volunt significari non præsentia postulanda, nimirum per se, sed futura, & æterna. Legi & ipse in duobus manuscriptis nostris, *audiet*, sed Græcè, Syriacè ac in omnibus ferè Latinis codicibus est *audit*.

Verſ.15]Et ſcimus quia audit nos quidquid petierimus: ſcimus quoniam habemus petitiones quas poſtulamus ab eo.

FAcilis ſententia, ſatíſque priùs declarata: non ineptè tamen ſubintelligeretur conditio *ſi*, quam Græcus expreſſit textus, Syrúſque. In hoc ſic eſt: *Quòd ſi perſuaſum habemus quòd audit nos, quidquid petierimus ab eo, confidimus nos iam recepiſſe petitiones noſtras, quas poſtulauimus ab eo.* Editio Græca per omnia conſentit.

Et ſcimus.] Iamdixi, deeſſe conditionalem particulam *autem*, & in hoc ſenſu non legi: ſed cauſæ, illationis, ſimilitudinis, &c.

Habemus petitiones.] Syriacus: *Confidimus nos iam recepiſſe*, vbi legitur ſignificatio verbi *ſciendi*, quod tamen quoque conuenit cognitioni certæ, ſed obſcuræ. Et *recepiſſe* vel *habere*, debet accipi ſuo tempore, aliiſque præſentibus circumſtantiis. Conſtat portò petitiones pro petitis rebus poni, quæ res licet contineantur omnes iis petitionibus quæ ſunt in Oratione Dominica, vt Patres, qui eam declarant, dicunt, neſcio, an ad eam Ioannes reſpiciat, vt videntur velle Thomas Anglicus, & Lyranus: quemadmodum nec opinor, eo Paulus reſpexit, cùm dixit [a]: *In omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.*

Poſtulamus.] Ἠτήσαμεν: *Poſtulauimus*: Eodem pacto Syriacè, nec non in quibuſdam Latinis codicibus. Sed perinde eſt quo legimus modo, quod ad ſenſum pertinet Auguſtinus [b], aut alius quem putant quidam Eucherium, videtur ad hunc locum alluſiſſe, prout extat Græcè, cùm ſcripſit. *Fidelis quiſque, cùm iam tanta perceperit, per ea quæ cognoſcit præſtita, diſcat ſperare promiſſa; & Dei ſui præteritam præſentémque bonitatem, quaſi futurorum teneat cautionem.* Græcus textus, vt dixi, ſic habet: *Et ſcimus quod audit nos Deus, quicquid petierimus, ſi*, hoc eſt, quia, vel quandoquidem, *ſcimus quod iam habemus petitiones, quas antehac poſtulauimus ab eo.*

Verſ.16.]Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.

NOn hoc vult, vt Carthuſianus putat, diſcrimen abſolutè ponere inter peccatores, ſed, quod alij notant, orationis reſpectu, quam dixerat ſemper exaudiri. Nam docet nō oportere orationem fieri pro certo genere peccatorum, cum per ſe quoque cuiuſuis remiſſio peccati mortalis res difficillima ſit, & maioris potentiæ, quā creatio, & quodam modo etiam ſimplex iuſtificatio, nempe puri hominis, atque glorificatio, ita vt dicatur Deus omnipotentiam ſuam parcendo maximè manifeſtare. Peccator poſitiuè indignus eſt donis Dei: Deus ipſe per peccatum quodāmodo corrumpitur, quātum eſt ex parte, & affectu peccatoris: & ſi corruptionis capax eſſet. Vnde quadam etiam ratione videtur opus, vt læſus Deus ſeipſum inſtauret, ac veluti reproducat. Exaggeratè quidem dicuntur iſta; ſed valent ad exprimendā vim malitiæ peccati, neceſſitatem, ac magnitudinem beneficij incarnationis, atque gratiæ.

Eſt autem hic vnus de difficilioribus non epiſtolæ tantùm, ſed totius ſcripturæ locis, ſicut & de diſputatione de peccato in Spiritum ſanctum falſus eſt B. Auguſtinus [c], de quo nos alibi. Sed antequàm aggredior magnam hanc, vt Beda loquitur, quæſtionem, obſeruanda ſingularis charitas Ioannis, qui ex obliquo ſignificat, & commendat fraternam charitatem, ac inſinuat, *vt oremus pro inuicem, vt ſaluemur* [d]. Lege Auctorem ſermonum ad fratres in eremo [e]: nec pluribus opus eſt.

Non hîc etiam immorabor in probanda contra hæreticos diſtinctione mortalis, venialíſque peccati. Colligunt eam hoc ex loco nonnulli, nec improbabiliter, vt intelligitur ex ſequentibus. Illud præterea certum eſt, non vetare Ioannem aut minùs probare orationem *pro iuſto, vt iuſtificetur adhuc* [f], vel ne gratia & iuſtitia excidat, quo pacto pro filiis ſuis Iob ſacrificabat [g]. Id quod maximè flagitat charitas exponit: vt pro iam in peccatum lapſis oremus, quacumque tandem ratione peruenerit ad nos de peccatis alienis notitia.

De peccato ad mortē prima ſententia fuit Auguſtini [h], eſſe inuidentiam fraternæ gratiæ. Beda hoc loco idem tenet.

Secunda eiuſdem [i] Auguſtini corrigentis ſeipſum, ac moderantis, ſi quis in ſceleratа mentis peruerſitate finierit hanc vitam. Conſentit Canon V. Concilij Niceni II. vocans peccatum ad mortem, quando peccantes aliqui manent incorrigibiles, & Gregorius [k]. Beda quoque probat, ſed magis expoſitionem primam. Affert hanc etiam Gloſſa interlin. Lyranus eandem ſequitur, & Papa Gelaſius [l], Vega [m], & Peretius [n], Magiſter [o], S. Thomas [p], Pacianus [q], Hieronymus [r], Valentia [ſ], Suarez [t], Enriquez [u], Bachiarius [x].

Tertia vtriuſque Gloſſæ de peccato mortali, pro quo non ſit orarē cuiuſvis, ſed tātùm presbyterorum Eccleſiæ, ad quorum caſtigari peccator debeat examen, cùm pro quotidianis, & leuibus quilibet poſſit orare, multáque ſint ac facilia pro talibus peccatis remedia. Fauet Syra verſio: *Si quis viderit fratrem ſuum peccantem peccatum quod non condemnat ad mortem.* Docet idem Caſſianus [y], Auguſtinus, vel quis alius [z], necnon Origenes [a]: & ille, pœnitentiæ operibus opus eſſe, atque Nicolaus Cabaſilas [b].

Quarta Carthuſiani, qui præter ſecundam, & tertiam, meminit de peculiari peccato finalis impœnitentiæ. Quinta apud eundem de quocumque peccato in Spiritum ſanctum, quod negauit Chriſtus remitti [c], hoc eſt, difficile.

Sexta, videtur Ambroſij [d] de omni grauiſſimo peccato, pro quo dicat Ioannes vt non orent homines vulgares, & imperfecti, ad quos ſcribebat.

Septima, Hieronymi [e], hîc ſolùm tradi quòd oratio difficulter exaudiatur pro grauiore peccato ex eorum genere, quæ ordinariè non remittuntur, ſed puniuntur æterna morte, iuxta illud [f]: *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te.*

Placet Bernardo [g], Bonauenturæ [h], Bellarmino [i], Suarez [k], B. Thomæ [l].

Octaua, Tertulliani [m], de peccatis, quæ ſunt in hac vita prorſus irremiſſibilia, vt mœchia poſt Baptiſmum.

Nona, Oecumenij qui intelligit de peccato, quòd pœnitentiam non reſpicit & de memoria iniuriarum, ſeu propoſito perſeuerandi in peccato, nullum dando pœnitentiæ ſignū Amplectitur hanc opinionem Toletus [n]: quia qui taliter affectus, quod in ſe eſt, tendit ad damnationem.

a Phil. 4. 6.
b ſerm. 176. de tempore.
c ſerm. 11. de verb Dom.
d Iaco. 5. 16.
e ſer. 11. apud Aug. Tom. 10.
f Apoc. 22. 11.
g Iob. 1. 5.
Peccatum ad mortem quodnam ſit.
h 1. de ſer. in monte ca. 23 & ſerm. 59. de temp.
i 1. retract. c. 19. quem lege præterea libr. de corrept. & gra. c. 12.
k 16. Moral. c. 28. vel 31. & lib. 6. in lib. Reg. cap. 2.
l de Anathematis vinculo.
m 13. in Conc. Trid. cap. 23.
n Exo. 32. diſ. 7. n. 52.
o 2. ſent. diſt. 43.
p 1. p. q. 86. ar. 1. ad 2.
q epiſt. 3.
r In c. 14. Ier.
ſ Tom. 4. diſ. 11. q. 1. p. 1. § 6.
t Tom. 4. diſp. 8. ſect. 1.
u 2. de Pœnit. c. 13.
x ep. ad Ianuarium.
y coll. 11. c. 10.
z de vera, & fal. pœn. c. 4.
a hom. 12. in Exod.
b de vita in Chriſto, verſus finem.
c Mat. 12. 31. 32.
d 1. de Pœnit. c. 8 & 9.
e 2. cont. Iou.
f Ier. 7. 16. ca. 14. 11.
g de Grad. humilit. c. 21.
h 2. diſt. 43. dub. 4.
i 2. de Pœnit. cap. 16. ſupra in 3.
k Tom. 4. diſ. 8. ſect. 1.
l [illegible]
m de pudicitia c. 2. & 19.
n in c. 12. Luc. Annot. 22.

Decima, Anastasij[a] Niceni, qui docet hoc peccatum esse quod quis sciens facit: nec pro sic peccante orandum, quia in ipsius potestate est seipsum conuertere (nempe cum gratia Dei) ac talem videt hæreticum esse, non Gentilem, vel Iudæum, quia Ioannes fratrem vocat. Præterea illud quod ad Deum transit, non ad eiusdem naturæ hominem: nec orandum pro huiusmodi, quia si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo[b]? in tali genere videri blasphemiam, quam lex punit morte, non pecunia, vel alio supplicio.

Vndecima, eiusdem, qui licet admittat de grauiore quouis peccato, tamen, peculiariter de eo quod contra Deum, vt blasphemia, quam lex puniebat morte[c]: & in genere dicitur: *Si peccauerit quis in Deum, quis orabit pro eo*[d]?

Duodecima, Gagneij, sumentis pro peccato infidelitatis, ac idololatriæ, derelicta fide, quam quis prius habebat.

Decimatertia, Turriani[e], de excommunicatis, qui dici possunt, vt Paulus[f] loquitur, *voluntarie peccantes, & pœnitere nolentes*.

Decimaquarta, Hilarij[g] de peccato ex certa scientia & malitia, quod opponitur ei, in quo quis præoccupatur[h]. Innuit & Chrysostomus[i], & Pacianus[k]. Sic etiam Arias hoc loco, Hugo & Thomas Anglicus recitant quatuor primas expositiones.

Hoc in primis certum duco, peccatum, pro quo posse orari Ioannes scribit, non esse veniale dumtaxat, immò non de illo Ioannem loqui: subdit enim. *Et dabitur ei vita peccanti non ad mortem*: vita verò datur non viuenti, sed iam mortuo. Responsio autem Hugonis est violenta, dari vitam, quia augetur, vel quoniam tollitur occasio mortis, ac mortalis peccati, quam præbet veniale peccatum.

Deinde probabile arbitror, sermonem hic esse tantùm de peccatis viuorum, & non de statu iam mortuorum cum mortali peccato. Nam Ioannes de his agit, quos aliquo modo scimus peccare ad mortem, vel non ad mortem: finalis autem impœnitentia, vel quod quis in peccato mortali sit mortuus cognosci nequit, nisi post mortem. Dicitur hic quoque tempore præsenti: *Si quis scit fratrem suum peccare*, non autem *peccauisse*. Postremò non videtur Ioannes de re tam aperta locuturus, vt nempe pro damnatis non oremus. Et si *non dico* significat *non promitto*, repugnat oppositæ sententiæ, in qua prohibere quoque debuit Ioannes. Nihilominus explicatio de peccato, cum quo quis moritur; vel de speciali in morte impœnitentia, non paruam habet probabilitatem: & tunc scire aliquem peccare, dicetur phrasi scripturæ, pro peccasse: & *non dico* idem erit, quod prohibeo: nefas enim est pro tali orare peccato. nam est error Origenis, quòd finem sint habituræ damnatorum pœnæ. Ex eodem quoque loco Ioannes Roffensis[l] ducit argumentum pro purgatorio: quia si non est orandum pro eo, qui decedit in peccato finalis impœnitentiæ, id est, fine pœnitentia, indicatur orari posse pro illis, qui moriuntur in aliis, vt ab iis expientur, posito nimirum, quòd gratiam retineant. Approbat hoc etiam Valentia[m].

Itaque allati sensus commodè possunt defendi præter tertium: secundus, & quartus ferè coincidunt: sicut quintus, sextus, septimus, decimus, vndecimus, duodecimus, necnon octauus [illegible] quatenus negat aliquod peccatum penitus [illegible] missibile, plane falsus est: ac affinis Nouatianis, negantibus Ecclesiæ clauibus quodlibet peccatum posse solui. Nonus partim cum primo, prout primus est de inuidentia fraterna, hic de memoria iniuriarum: partim cum secundo, & quarto propter propositum perseuerandi in peccato, & pœnitentiæ neglectum, de quo quod ad rem præsentem facit, egregie Chrysostomus[n] *cum explicat cur prohibeatur peccatori enarrare iustitias Dei*, quare præcipiat Christus *& ignosci peccanti totius in nos*[o], & qui *non audit Ecclesiam, haberi vt ethnicum, & publicanum*[p].

Vno verbo locus intelligendus est, aut de peccato, in quo quis moritur, siue adiuncta sit formalis impœnitentia, siue non: (quo pacto de varijs generis peccatoribus affirmatur quòd *regnum Dei non possidebunt*[q], & ita maior pars scholasticorum sentit[r]) aut de grauiore, dum quis viuit, maximè verò inuidiæ, odijque fraterni. Nam Ioannes adeo charitatem mutuam commendans, eum *qui fratrem odit*, ait *in tenebris ambulare, ac nescire quo eat*[s], *non esse ex Deo*[t]: *Sim lem esse Cain*[u]: *manere in morte*[x]: *homicidam esse*[y]: *non nosse Deum*[z]: *mendacem esse, si se diligere Deum dicat*[a]. Alloquitur potissimùm fratres eadem fide, & sacramentis coniunctos: peccatum talium ad mortem est, cum, inquit post Augustinum Beda[b] *post agnitionem Dei oppugnant fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam, qua reconciliati sunt Deo, inuidentiæ facibus agitantur*, si quis officia fraternitati debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit, peccat, sed non ad mortem.

Vnde peccare ad mortem, est peccatum committere, quod peculiari quadam ratione præcipitem hominem agat ad mortem propriam: quale est id secundum legem quamdam talionis, quo quis odiendo vult alteri mortem, vel quo quis tendit ad alterius mortem: hanc enim tamquam tendentem indicat præpositio *πρὸς*, cuius non inuenio vsum pro eo quòd est *vsque ad*, sed præter eum, quem dixi, vt significet *propter*, aut *cuius gratia*, &c. sic verò, peccare ad mortem, erit, vt quis alium occidat, &c. Infirmitatem non ad mortem vocauit Christus[c].

Vult Ioannes deterrere fideles ab odio, & schismate, & inuidia, quibus eo iam tempore nonnulli agitati defecerant à fide. Huiusmodi hominibus non promittit Ioannes remissionem peccatorum: non negat quidem, necnon permittit vt quis oret pro illis: tamen rem asserit impetratu difficilem. *Ipse dum taro fit*, ait Sapiens, *reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro del ctis illius*?

Confirmant Augustinus, & Beda Christi exemplo, qui pro *interfectoribus orauit adhuc vesceuntibus quid facerent*[e], ac nec dum factis gratiæ Spiritus sancti participibus. Stephani, *qui pro lapidantibus nondum imbutis fide Christi*[f]: Pauli, qui illis, *qui se in prima sua defensione dereliquerunt*, optat *non imputari peccatum*: cum Alexandro tamen ærario, qui iam frater erat, multáque mala ei ostenderat, imprecetur *vt ipsi reddat Deus secundum opera eius*[g]: moneátque vitandum quòd valdè restiterit sermonibus suis: denique exemplo Iudæ tradentis, & Petri negātis. Illustrari locus hic potest illa Christi sententia[h] qua dixit Apostolis, fore vt pax quam aliis impertirēt, veniret super filios pacis, & super domum, quæ digna esset, alioqui reuer-

sum,

quæst. 58. in sup.
1. Reg. 2. 25.
Leu. 24. 14.
1. Reg. 2. 25.
4. pro epist. Pontific. c. 3. Heb. 10. 15.
g In Psa. 140.
h Gal. 6. 1. i In Ps. 49. k epist. 3.
Peccatum pro quo orari potest non est veniale.
Error Origenis, damnatorum pœnas finem habituras.
l in articulos Lutheri 37.
m lib. de Purg. c. 3. & Tom. 4. disp. 11. q. 2. p. 3.
n in Psal. 49.
o Mat. 18. 22.
p Mat. 18. 17.
q 1. Cor. 6. 9.
r 4. dist. 43.
s 1. Ioan. 2. 9.
b in de fer. in Quadr.
Peccare ad mortem quid sit.
c Ioan. 11. 4.
d Eccl. 28. 5.
e Luc. 23. 34.
f Act. 7. 59.
g 2. Tim. 4. 14.
h Matth. 10.
Lucæ 10. 5. 6.

suram super ipsosinet eam impertientes. *Ad nos*, ait Augustinus [a], *qui nescimus quisnam sit filius pacis, aut non sit, quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, pertinet nullum exceptum facere, nullúmque discernere, sed velle omnes saluos fieri, quibus prædicamus pacem, quam habent iustificati per fidem ad Deum.* Christus verò Patri dicebat [b], *se non pro mundo rogare, sed pro his quos dederat ei, quia erant ipsius.* Ergo ita nullum ab oratione excludimus quantumuis peccatorem, vt Dei tamen subiiciamur voluntati, nec velimus orare pro eo, quē ipse penitus abiicere statuerit. Idcirco Anastasia Chrysogono scribebat [c], de scelestissimo marito suo: *Deprecor te, ô homo Dei, vt instāter depreceris Dominum, vt aut ad fidem suam venturum si prauidet Publium faciat venire: aut si prauidet eum in hac infidelitatis peruersitate permansurum, iubeat eum dare locum suis cultoribus. Melius enim est exhalare spiritum, quam Dei Filium denegare, & eum confitentes impedire.* Sic Prudentius quoque pro Symmacho precans, adhibet conditionem: *Huius, si potis est, iam miserescito*, &c. Simile quid præ se fert illud in Ecclesiæ solemni oratione (*omniúmque misereris, quos tuos fide, vel opere futuros esse prænoscis.*)

a de correpc. & gra. cap. 15. quem etiam lege 21. de ciuit. c. 24.
b Ioan. 17. 9.
c apud Suidā.

Qui scit.] Ἐάν τις ἴδῃ, Syriacè: *Si homo videns*, videlicet *est*. Augustinus [d], Tertullianus [e], Pacianus [f], *si quis scit*; Clemens Alexandrinus [g], iuxta Græcam editionem: *Si quis viderit, vel sciuerit.* Ambrosius [h] (alioqui sequi solitus Græcum textum) legit *qui scit*. Cassianus [i] recitat eodem prorsus modo sententiam totam, quo nunc est in editione nostra. Sensus nihil præterea variat. Hugo intelligit de scientia experimentali, quam quis habet de seipso, & ex ea colligit alios quoque peccare venialiter: vel de scientia per coniecturas, & signa pœnitentiæ, quæ deprehendit in alio, quòd ante mortem ipsum pœniteat de mortali peccato. Aliqui volunt sermonem esse de peccato, quod quis cognoscat admissum contra se, ita vt scire perinde sumatur, vt cùm Christus ait: si peccauerit in te frater tuus [k]. Sed ibi simplex videtur sensus: si te conscio, siue sciente peccauerit, etiam non propriè contra te: nec enim correctionis fraternæ lex est de solis peccatis, quæ contra nos facit frater noster.

d 1. de sermo. Domini in mon. cap. 22.
e de Pudicl. cap. 2 & 19.
f epist. 3. & in Parenæsi ad pœnit.
g 2. strom. c. 6.
h 1. de pœnit. cap. 9.
i collat. 12. c. 20.
k Matt. 18. 15.

Itaque hoc loco sciēdi modus quicūque sufficit vel oculis, vel auribus, vel alterius, vel ipsiusmet relatione peccantis. Meliùs facit, qui preces fundit pro alio, ne peccet, vt Iob fecit [l]; at magis necessariæ sunt pro illo, quem iam scias lapsum esse; vt eius procures salutem, ne pereat, *pro quo Christus mortuus est* [m]. Magis misericordiam flagitat præsens, quàm futura miseria, mouet magis obiecti præsentia, quàm absentia.

Preces pro eo facienda, qui lapsus est.
l Iob 1. 5.
m Rom. 14. 15. 1. Cor. 8. 11.

Fratrem suum.] Fratris vox cuiuis quidem conuenit homini; sed hoc loco præsertim, ac per se fideli, vt & priora suadent, & postrema epistolæ verba, quibus iubentur hi quibus scribit, cauere à simulacris. Orandum pro cunctis, maximè pro domesticis Fidei; graue peccati damnum cuilibet, potissimùm Fidei, reliquísque gratiæ donis præditis. Scriit id Augustinus [n].

n ser. 2. in monte, cap. 22.

Peccare.] Quamuis verbum sit præsentis temporis, tamen indefinitè comprehendit quodcumque tempus, ita vt orare nos oporteat non pro solis viuentibus, vt Oecolampadius hinc ineptè colligit, verùm etiam pro defunctis, quorum non sint peccata ad mortem, hoc est, qui non decesserint cum peccato mortali, & pro venialibus vel pœnis, quas adhuc debent, qui Purgatorio detinentur. Sed impurissimi Purgatorio non egent hæretici.

Oratio pro defunctis hic commendatur.

Peccatum non ad mortem.] Ἁμαρτίαν μὴ πρὸς θάνατον. Satis de re ipsa disputatū est. Diximus quoque Syrum vertisse: *Peccatum quod non condemnat ad mortem.* Posset quoque præpositio πρὸς reddi (vsque ad) vt reddit Bachiarius [o], & sensus esset: Qui nō terminat vitam cum peccato graui, quod peccatum solet intelligi, quando peccati nomen absolutè ponitur. Quamuis, vt antè dixi, huius præpositionis, πρὸς, notio illa parum recepta sit.

o epist. ad Ianuarium.

Petat.] Αἰτήσει, *Petet*: eodémque modo Syriacè, & sic etiam legunt Augustinus [p], Tertullianus [q], Pacianus [r], Gregorius [s] verò ita exponit.

p 1. de serm. in mon. c. 22.
q de Pudici. cap. 2. & 19.
r epist. 3.
s 16 Moral. c. 28. vel 32.

Nihil refert: Hebraico enim præsertim idiotismo futurum tempus pro imperatiuo sumitur: verisimilius autem est imperare Ioannem voluisse, siue consilium dare per imperandi, & hortandi modum. Tunc autem aptius quoque sine particula conditionali vertit Interpres; *Qui scit*: licet res eòdem recidat.

Et dabitur ei vita.] Καὶ δώσει αὐτῷ ζωήν. *Et dabit ipsi vitam*, ומתיהבין חיא לאילין *vmethiahabuin chaije lelen. Et dantes* (nempe erunt) *vitam ipsis.* Tertullianus interdum vsus est lectione nostra [t], nonnumquam [u] Græca, sed addit *Dominus*: *Dabit ei vitam Dominus.* Hoc secundum facit quoque Augustinus [x]. Ambrosius [y] præterea: *Dabis illi vitam Deus*, eodem pacto Pacianus [z], nunc Deum ponens, nunc Dominum. Hieronymus [a] autem legens: *Dabit ei vitam*, videtur de illo ipso intelligere qui petit, & orat pro alio, vt nempe det ipse vitam, impetrando vitam. Arbitror commodius subintelligi Deum vel Christum, qui det, vel à quo detur; licet Dei, & Christi adiutores, ministri, cooperatores censeantur, ac dicantur saluare, saluósque facere, ac lucrari animas [b] aliorum: quemadmodum & Paulo renunciauit Angelus donasse Deum illi omnes, qui nauigabant cum ipso, ne perirent naufragio [c]: atque consuetudinem notat Chrysostomus [d] esse misericordiæ Dei honorem hūc dare seruis suis, vt propter eos saluentur & alij.

t de Pudici. cap. 21.
u ibid. c. 19.
x de correpc. & gra. cap. 22. & 1. de serm. in mon. c. 22.
y 1. de Pœnit. cap. 9.
z ep. 3. & in Paren. ad Pœnit.
a 2. contra Iouin.
b Rom. 11. 14. Iacobi 5. 20. 1. Tim. 4. 16. Matt. 18. 15.
c Act. 27. 24.
d hom. 28. in Genesim.

Ceterùm reuoco in memoriam, quod innui vitæ nomine hoc loco prius monui, cum promittitur ei, pro quo quis non ad mortem peccante petit, orátque, signum esse, non de leui peccato Ioannem loqui, seu veniali, per quod videlicet mors non incurritur; sed de graui, cui gratiæ vita necessaria est.

Peccanti non ad mortem.] Græcè, ac Syriacè in plurali. Interdum descendit Scriptura ad numerum pluralem à singulari [e]: & sub singulari comprehenditur pluralis. Ambrosius [f] legit: *Quia non peccat ad mortem.* Tertullianus [g]: *Quia non ad mortem delinquit*, hoc erit remissibile. Sed rursus idem [h]: *Qui non ad mortem delinquit.* Augustinus [i]. *Qui peccat non ad mortem.* Quamuis lectionem sequeremur, quæ habet *peccantibus*, non careremus exemplis, non tantùm in epistola secunda [k] nostri Auctoris, & in eiusdem Euangelio [l], sed etiam apud probos linguæ latinæ auctores, apud Ioannem Despauterium in magno opere Syntaxeos, vt Comicum, Tullium, Virgilium, Liuium, Boëtium, Ouidium, vt notauit qui suppleuit Estij commentarium præsentis loci. Cæterùm peccans non ad mortem, censeri potest is, qui licèt sit in mortali peccato, tamen in eo non est obfirmatus, & ab illo resilire vult, aut facilè speratur vt resiliat. Quo sensu Lazari infirmitatem

e vt Psal. 93. 13. 14. Psal. 124. 2.
f 1. de Pœnit. cap. 9.
g de Pudici. cap. 2.
h ibid. c. 19.
i 1. de serm. Dom. in mon. cap. 22.
k vers. 7.
l c. 17. 2.

negauit

negauit Christus esse ad mortem [a], quia breui erat eum suscitaturus; vt notauit Augustinus [b].

Non pro illo dico vt roget quis.] Pro illo, nimirum peccato, περὶ ἐκείνης, videlicet ἁμαρτίας. Ambrosius [c]: *Non de illo dico vt oret.* Sic apud Euangelium Ioannis [d]: *Rogabo Patrem de vobis.*

Non dico.] Οὐ λέγω. Tertullianus [e] explicat: Non permitto, siue prohibeo, quòd peccatum illud ad mortem putet irremissibile. Augustinus [f]: *Non precipio*, dicere namque præcipere est, Hebræo idiotismo. Hieronymus [g]: *Qui vero peccauerit ad mortem, quis orabit pro eo?* Gratianus eodē pacto [h]. Gregorius [i] legit: *Pro eo ne roges quis.*

Idem valere sentio: *Non dico*, atque, *Non polliceor*, præsertim cuiuis vulgaris sanctimoniæ viro; quia difficilis impetratio sit pro peccato, quod vocatur ad mortem, si, prout antè declaratum est, de numero grauiorū est. Exemplum huius phrasis est in Euangelio Ioannis [k]: *Non dico quod ego rogabo Patrem de vobis.* Vbi non negat Christus se oraturum, sicut notauimus capite secundo [l], & docet Cyrillus [m] Alexandrinus, sed non esse necessarium, vt ait Hilarius [n].

Quòd si sumitur pro peccato, quod vsque ad mortem perseuerat, is cui constat aliquem ita esse mortuum, non potest orare pro illo, ac proinde non dicere, prohibere est. Si quos legimus, aut admittimus orasse sanctos pro mortuis infidelibus, vt pro Falconilla Theclam [o], Perpetuam pro fratre Dinocrate [p], & pro Traiano Gregorium [q], Agnetem pro filio Prætoris [r], pro patre Catharinam Senensem [f]; Respondebimus (cum non magis orari possit pro damnatis quam pro Diabolo, vt ait idem Gregorius [t]:) aut quod respondet Augustinus de narratione Perpetuæ, non esse canonicas, immò nec veras has Scripturas, aut interuenisse reuelationem Dei, qui præuidens preces illorum sanctorum, suspenderit damnationis tantisper sententiam, ne descenderent in infernum, vbi nulla est redemptio, hi, quos alienis volebat precibus liberari: aut non quicumque suscitati sunt, beatitudinem consecutos esse Lege Bellarminum [u], quæque diximus nos in Actibus Apostolorum cùm de Thabita [x].

Vt roget quis.] ἵνα ἐρωτήσῃ. Posset quidem esse persona secunda media, sed præstat dicere tertiam actiuam. Nec verò vim existimo ponendam in nomine *quis*: quasi denotet personam vulgarem, quæ non facilem rem, sed adeo difficilem impetret; vt videtur Ambrosius [y] velle, quoniam Græcè non est, *quis*, & potiùs indicat nullā penitus personam id posse, vel quòd nulli hoc præcipiatur, aut permittatur; vel certè non facile, quod satis intelligi potest, etiamsi non eo modo sumatur dictio *quis*. Oratio imperfecti Christiani coniuncta oratione Ecclesiæ vim habet, etiam pro maximis aliorum delictis. Sic orat quiuis sacerdos [z] *ne respiciat Deus peccata ipsius, sed fidem Ecclesiæ suæ*; idque ipsemet Ambrosius [a] docet, ac prætérea Augustinus [b] & Gregorius [c]. Verbum Græcum ἐρωτᾶν propriè significat *interrogare, petere, consulere*: tamen in Scriptura, præsertim noui Testamenti vsurpatur pro precari, sicut Pacianus præsentem vertit locum, siue orare, vt Hieronymus, & Augustinus: siue postulare, vt Tertullianus. Hermogenes [d] inter ἁμαρτήματα κατὰ λέξιν, *peccata circa dictionem*, numerans ἀκυρίας, improprietatem, dat exemplum in hoc verbo, & παρακαλεῖν pro δεῖσθαι orare: παρακαλεῖν enim esse καλεῖν ἢ προτρέπεσθαι, *vocare*, vel *hortari*, ἐρωτᾶν verò πυνθάνεσθαι, *interrogare*. Certè qui lexica composuerunt, Thesaurosve Græcæ linguæ, non alia proferunt, quàm ex Euangelistis exempla istorū verborum in hac, quam ille vocat ἄκυρον, significatione. Indicat satis tamen idem non primas voces has sic vsurpasse, licet hi, quos imitati sunt, haud adeo puram sint orationem cōsectati; quod minùs sacri curauerunt scriptores [e]: quibus, præter Euangelistas Paulum [f] iunge, & Lucæ historiam Apostolicam [g], & Ioannis epistolam secundam [h]. Non præcipit Ioannes, vt quis roget pro veniæ impetratione, quia odio laborans fratris cum animi peruicacia, mutandus est priùs, & orandus Deus, vt is emendetur: pro aliis magis directò potest peti, vt eis Deus condonet. Ait quidem Bernardus [i], pro homine sepulto in consuetudine mala, vel excommunicato, ingemiscendum potiùs, quàm orandum: tamen ille ipse gemitus videtur oratio quædam esse. Potest quis mediocriter etiam iustus, immò & pœnitens, debétque interdum orare pro alterius peccato ad mortem, vt hoc non accipitur pro peccato iam vita functi, pro quo certum est orari non posse: quoniam pro persequentibus & calumniantibus nos orari præcepit Christus [k]; & in tali statu constitutis maximè necessaria est aliorum oratio: non proprij meriti fiducia, vel amicitiæ cum Deo: sed vt iam indicato Dei præcepto satisfaciat, & illi generali, quo tenemur proximos diligere. Consulendi Aquinas [l], & Augustinus [m].

Vers. 17.] Omnis iniquitas, peccatum est: & est peccatum ad mortem.

Græcè ac Syriacè membrum posterius est cum negatione: *& est peccatum non ad mortem.* Catharinus, ne sit in editione Latina repugnantia, quasi dicatur omne peccatum esse ad mortem, quod antea negatum est, distinguit duplex mortale peccatum, alterum de quo suprà, non habens in se sanitatis recuperandæ potentiam, alterum, medicabile quidem, tametsi absq; medela adhibita perducat ad mortem. Idem verò iuxta lectionem Græcam explicat, quod omnis iniquitas est peccatum, non tamen peccatum ad mortem; quoniam sola quædam iniquitatis species est peccatum ad mortem. Audet Caietanus magis, dicens corruptum textum nostrum, retenta verò negatione, non dissidet ab eo sensu quem Catharinus posteriorem dedit, nisi quod accipit peccatum ad mortem pro proposito perseuerandi in graui peccato vsque ad mortem. Salmeron ait, Græcam lectionem puriorem esse, illámque sequi Tertullianum, Hieronymum, Ambrosium, Pacianum: explicat autem, reiecta duplici mortalis acceptione peccati de propria specie peccati potiùs, quàm de perseuerantia in quocumque. Ioannes Benedictus concordat cum Caietano. Vatablus, & Clarius retinēt Græcam lectionem. Non est integrum nobis deserere Latinam Interpretationem nunc approbatam, auctoritate Pontificia, correctámque. Nec verò citati Patres aliter legunt, immò ne recitant quidem sententiam istam, vtpote illorum proposito non necessariam: Nullus quoque codex vel Auctor Latinus alio legit modo.

Postremò, cohæret sensus, vt nempe repetatur, ac inculcetur vehementiùs grauitas peccati ad mortem, siue id habeatur distinctæ cuiusdam formæ, siue circumstantia dūtaxat cuiuslibet pec-

cati,

a Ioan. 14. 4. b tract. 49. in Ioan.
c suprà. d cap. 16. 26.
e suprà.
f 1. suprà. *Dicere pro præcipere Hebraicè dicitur.*
g 2. cont. Iouin.
h 13. Quæst. 2. c. Importuna.
i lib. 6. in 1. Reg.
k cap. 16. 26.
l vers. 1. & 2.
m lib. 11. in Ioan. c. 9.
n lib. 6. de Trinit.
o Damascen. orat. de mortuis.
p Aug. de origine animæ. lib. 1. cap. 10.
q Damasc. ep. 4.
r in gestis.
f in vita.
Orationes pro damnatis qualiter exaudiantur.
t 4. dial. c. 44.
u de Purgator. cap. 8.
x cap. 9. 36.
y 1. de pœnit. cap. 8.
z in can. Missæ.
a in c. 1. Luc. & 1. de Cain & Abel c. 9.
b ep. 23. & 3. de bapt. c. 18. & de bono perseu. c. 23. c 33. moral. c. 5.
d Περὶ μεθόδου δεινότητος non longè à princ.
e Matth. 15. 23. Mat. 7. 18. Lucæ 4. 38. c. 5. 3. ca. 7. 36. cap. 8. 29. cap. 14. 32. Ioann. 12. 21. c. 16. 23. iuxta multorum exposit. & 26.
f Philip. 4. 3. 1. Thess. 4. 1. cap. 5. 12. 2. Thess. 2. 1.
g c. 23. 18. 20.
h vers. 5.
i de 12 gradib. humil. sub finem.
k Matt. 5. 44.
l 2. 2. q. 83. a. 7. ad 3.
m de corrept. & gra. c. 15. & 16.
Peccatum mortale duplex.

cati, quo gratiæ vita eripitur. Non enim placet Beda, vel Glossa ordinaria, nec quibus hi placent etiam, licet alium meliorem quoque afferāt sensum, Hugo, Thomas Anglicus, Carthusianus, vt intelligamus de veniali, cùm dicitur, quòd *omnis iniquitas peccatum est*. Recole priùs dicta. Posset quoque sensus esse, iuxta lectionem Græcam, *omnis iniquitas peccatum est, & nō est ad mortem*; nēpe quia non caret remedio, sed pœnitentia deleri valet. Quemadmodum iuxta nostram editionem: *Omnis iniquitas peccatum est: & est peccatum ad mortē*. id est, potest esse ad mortem, nisi remedium pœnitentiæ adsit.

Omnis iniquitas peccatum est.] In capite tertio [a] sic est: *Peccatum est iniquitas*. Sed ibi Græcè est, Ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία: hic, Πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐστί. Lege quæ priore loco notata sunt de differentia harum vocum Latinarum, Græcarúmque. Hic quidem sensus videtur de iniquitate, ac peccato illo, quod cum eo comparatur, quod vocatur ad mortem: quæ comparatio aptius fit intelligendo de peccato non leui, seu veniali, sed mortali, prout ante declarauimus.

a vers. 4.

Quocirca leuior est paronomasia iniquitatis ad inæqualitatem, quod omnis iniquitas sit inæqualitas vitæ. Traditur à Thoma Anglico. Nec iniquitas nunc significat, vt Hugo voluit, & Carthusianus, quicquid ab æquitate rationis discrepat; sed, quod grauiter, & grauem iniuriam facit: sicut ἀνομία est præuaricatio legis magis grauis: cùm venialis culpa non censeatur absolutè contra legem, & contra iustitiam, sed diminutè.

Iniquitas quomodo hic sumatur.

Vers. 18]Scimus quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum.

LOngiùs absunt à peccato non ad mortē dumtaxat, sed quouis mortali, qui sunt ex Deo nati propter vim generationis diuinæ per gratiā; ac proinde non læduntur à diabolo, vel in anima, vt succumbant tentationi graui, vel etiam in corpore, nisi quantum permittitur à Deo. Res ipsa prius exposita est ad caput tertium [b], vbi erat, quòd *omnis qui in eo manet, non peccat, & qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

b vers. 6. & 9.

Bernardus [c] præsentē exponit locū de Electis, qui licet peccent, non permanent in peccato, & perire non possunt, eos conseruante generatione cœlesti: vel tantundem est, ac si non peccarent, quia dicta generatio etiam in hac parte cōseruat illos. Gregorius [d] non peccare, interpretatur semper in luce iustitiæ consistere. Alios vide loco notato.

c sermon. 1. de Septuag. & ser. de Tripl. cohærentia vinculorum, clauorum, & glutinorum, & serm. 23. in cantica. & libr. de gra. & lib. arbitrio.
d lib. 5. in lib. 1. Reg cap 4. longè post med.

Non peccat.] Interpretatur Beda, Thomas Anglicus, Hugo, & Glossa ordinaria de peccato ad mortem, scilicet quòd vsque ad mortem perseueret: atque id Glossa & Beda Dauid exemplo docent.

Sed generatio Dei conseruat eum. [Gregorius, & Bernardus legunt *generatio cælestis*. Per generationem istam plures Interpretū gratiam intelligunt, quæ dicitur semen capite tertio [e]. Carthusianus renouationem, seu regenerationem in Baptismo, vel Pœnitentia: Gregorius cognitionem diuinæ voluntatis in Scripturis cum eiusdem dilectione. Bernardus de prædestinatione: Didymus & Glossa ordinaria de volūtaria generatione, quæ distinguitur ab humana, carnali, naturali, & ex necessariis naturæ causis. Porro Græcus textus sic habet, Ἀλλ' ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ τηρεῖ ἑαυτόν: *Sed qui natus est ex Deo custodit seipsum*. Interpres Syrus eodem pacto. Indicat hac sectione concursum liberi arbitrij cum diuina gratia ad vitandas insidias diaboli.

e vers. 9.

Concursus liberi arbitrij cum diuina gratia indicatur.

Et malignus.] Maligni nomine diabolū significari prius diximus [f]. Varius apud Latinos est vsus vocis maligni, pro infœcundo, tenui, paruo, obscuro, angusto, auaro, parco, difficili, moroso. Illustrat exemplis noster Martinus Roa [g]. Sed vereor vt nomini τοῦ πονηροῦ hæ quadrent significationes. Nec ita verò probabile est, malignum pro mundo hîc accipi, vel impio, vt videtur tamen Didymo, Thomæ Anglico, & aliis.

f cap. 2. 13. 14. cap. 3. 2.
g 2. singular. cap. ·

Non tangit eum.] Οὐχ ἅπτεται αὐτοῦ. Syriacè לא מתקרב lo methkaran. *Non appropinquans, Non lædens, Non bellans erit.* Diabolus licet accedat, tentet, lædat, tangat, id est, in assumpto corpore applicet se alteri & tangatur, tactus ipse sensationē non exercens (qua de re lege Pererium [h]) quamuis corpus vexet, animum ad peccandum sollicitet, *circumiens, quærēnsque vt leo quem deuoret* [i]: nihilominus nec tangere quidē dicitur κατ' τὴν μείωσιν, quia iusto tentator, & vexator ille dum nocere videtur, prodest, ac ne tangit quidem nisi peculiari, ac beneuolo permisso Dei. Latè patet τὸ ἅπτεσθαι, ac inter alia cōiunctionem significat, & vxorium vsum: quo pacto Paulus [k] vsurpat ἅπτεσθαι τῆς γυναικός: præterea increpationem, accusationem, taxationem. (Nonio Marcello idem est quandoque tangere quod circumuenire:) Adhæc manuum in aliquem iniectionem, & alicuius inuasionem, postremò gustationem, ac esitatioem. Lege eumdem Roa [l]. Hebræum etiam נגע nagahh, de percussione lepræ dicitur, non solum generaliter de quacunque.

Diabolus licet tentet non dicitur tangere.

h lib. 8. in Genesim disp. 3.
i 1. Pet. 5. 8.
k 1. Cor. 7.
Tangere varias habet significationes.
l 1. singulariū cap. 4.

Diabolus Christi sponsam animam non tāgit, sed ea fidem sponso seruat castitate seruata [m] orthodoxæ doctrinæ, atque sanctæ vitæ. Idem qui διαβάλλει, & accusat fratres, eiiciendus est [n], ac irritæ futuræ sunt criminationes ipsius. Nemo potest iustū de manu Patris [o], nec de manu Christi rapere, nisi seipse sponte dedat. Dicit Iob [p]: *Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet cōtra me.* Chaldaicè: *Fideiussorem me pone apud te, & quis est, qui manum meam tangat?* Heb. qui manus meas capiat. Cibus quidem diaboli electus [q], at eum sibi vendicat is, *cuius cibus est facere voluntatem eius* [r], *cuius voluntas est sanctificatio nostra* [s]. Inficere studet lepra peccati iustum, sed non proficit.

m 2. Cor. 11. 2.
n Apo. 12. 10.
o Ioan. 10. 28. 29.
p Ioan. 17. 3.
q Habac. 1. 16.
r Ioan. 4. 34.
s 1. Thes. 4. 3.

Simplicior est primus sensus, vt ne leui quidem noxa iustum diabolus afficiat, quæ redundet in animum. Sic alibi tangendi sumit verbum Scriptura [t] pro leuiore damno, nec non pro graui [u]. Qui Christum tangebant, virtutem de illo sentiebant exeuntē, & sani fiebant, ac vicissim, quos tangebat ipse, carne ad miracula concurrente, cùm volebat, qui sine tactu quoque, cum licebat, curabat. Permisit Deus tangi Iob à diabolo in cūctis, quæ possidebat [x], in ossibus etiam atque carne pessimo vlcere, sed imperauit animam seruari, hoc est, vitam corporis, nec non simul rectum rationis vsum, & diuinam gratiam, ne videlicet nimis grauibus tentationibus animum pulsaret, quibus aut de statu mentis deiiceretur, aut grauiùs periclitaretur in peccatum labi. Sed de Iob

t Gen. 26. 29.
Tangere pro leuiore damno afficere in Scriptura sumitur.
u Iob. 1. 11. 16. Psalm. 103. 32. Psal. 143. 6.
x Iob 1. 11. ca. 2. 3. 5.

conſule bonum eius Interpretem Pinedam noſtrum [a].

a in cap. 2. verſ. 6.

Iuſti quàm ſint Deo cari.

b Zach. 2. 8.
c Pſal. 104. 15.
d Pſal. 88. 23.

Adeo ſunt Deo cari iuſti, vt qui *tangit illos, cenſeatur pupillam tangere* [b] vel ſui ipſius, vel oculi diuini: & vetat Deus, ne quis *tangat Chriſtos ſuos* [c]. Denique quidquid faciat inimicus, nihil proficiet, *& filius iniquitatis non apponet nocere* [d]. Sunt id plores & experti ſancti, & proteſtati, videlicet nocendi poteſtatem hominibus non eſſe collocatam in Dæmonibus. Probat Caſſianus [e] exemplo Iob [f], necnon quod abſque permiſſu Chriſti [g] non licuit Dæmonibus in porcos intrare, Chriſtus verò dixit Pilato [h], *non habiturum fuiſſe poteſtatem in ipſum* (quæ nempe poteſtas erat tenebrarum [i]) *niſi datum ei fuiſſet deſuper*. Oſtendit etiam [k] quàm ſint diaboli vires imminutæ à Chriſto, *qui ſpolians principatus & poteſtates, traduxitque confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo* [l], *& nos iuſſit confidere quia vicerit mundum* [m], *& eiecerit eius principem foras* [n], & arundine ipſa, quam ille porrexerat ei, lethaliter illum percuſſerit tanquam ſerpentem, vt Athanaſius [o] obſeruauit, exemplo Dauid qui Goliam proprio gladio obtruncauit [p].

e collat. 7. c. 32.
f cap. 2.
g Matt. 8. 31.
h Ioan. 19. 11.
i Luc. 22. 53.
k ſup. c. 3. 8.
l Coloſſ. 2. 15.
m Ioan. 16. 33.
n Ioan. 12. 31.
o de paſſione & cruce Domini.
p 1. Reg. 17. 51.

Verſ. 19.] Scimus quoniã ex Deo ſumus: & mundus totus in maligno poſitus eſt.

REdditur cauſa, cur non tangat malignus, id eſt, diabolus ex Deo natum, quia compertum eſt experimento, talem, licet in mundo verſetur, qui ſubiacet imperio maligni diaboli, nihilominus conſeruari à gratia regenerationis, & ſeipſum eidem gratiæ reſpondendo conſeruare.

Mundus totus in maligno poſitus eſt.] Saluianus legit: *ſeculum totum in malo poſitum eſt* [q]. Gloſſa ordinaria & Hugo traditum ſequuntur de poteſtate diaboli ſenſum, cui ſint omnes mundi amatores ſubiecti, ſed & pueri propter originale peccatum. Mutuantur ex Beda, qui nominatim Pelagianos hinc refutat, volentes nos tam naſci mundos, quàm fuit mundus in Paradiſo conditus Adam. Vtrumque Didymus aſſerit, & omnes peccatum contrahere cum natiuitate, & diabolo tunc ſubiici, cùmque poſtea renati relabimur. Addit confutationem Hæreticorum, qui mundi huius exterioris ſiue creaturarum opificium tribuebant Principio cuidam diſtincto, quem vocabant malum Deum, aitque mundum hoc loco homines eſſe mundanos, & impios, qui propterea dicantur eſſe in maligno, id eſt, in peccato, in concupiſcentia, in his, quæ prouocant ad peccãdum. Creaturam autem in verbo Origenes [r] interpretatur quoque diabolum, quem & Luciferum nominat, atque apoſtatam.

q 4. de Prouidentia.

Pueri propter originale peccatum diabolo sũt ſubiecti.

Homines mundani dicuntur mundus.

r 1. Periarch. cap. 2.

Oecumenius malignum quidem eo modo ſumit, quo & Deus olim pronuntiauit *cunctam cogitationem cordis humani intentam eſſe ad malum omni tempore* [s]. Sed præſentis loci ſcopum ait, vt procuremus gratiæ donum diligenter tueri, quoniã alioqui pro communi conditione deprauatæ naturæ noſtræ peccare ipſi quoque poſſumus, quãuis gratia prædıti. Conueniunt in hac notione maligni Lyranus, & Carthuſianus, cui placet & alia de Diabolo. Mihi etiam non diſplicet opinio vtraque: ſed leuiorem iudico paronomaſiã Lyrani, Thomæ Anglici, & Ludolphi [t], vt ſit malignus, quaſi malus ignis, nimirum concupiſcentiæ, diuitiarum honorum, vel ſuperbiæ, luxuriæ, auaritiæ: vel, vt eſſe poſitum in maligno ſit, quaſi dicas, in malo anno: quæ parœmia dicitur de eo, à quo quis accipit, quidquid poteſt boni. In Geneſi [u] pro eo quod dicitur *cuncta cogitatio cordis humani intenta ad malum*, Græcè eſt, *quod vnuſquiſque cogitat in corde ſuo diligenter ſuper maligna, omnibus diebus*. Hebraicè: *omne figmentum (ſeu imaginatio) cogitationum cordis, malum.*

s Gen. 6. 5.

Malignus diabolus dicitur, quaſi malus ignis.

t de vita Chriſti, p. 1. ca. 16.

u cap. 6. 5.

Eucherius [x] mundum interpretatur in maligno poſitum, non quòd ipſe ſit malus, ſed quòd mala in mundo fiãt ab hominibus. Hæc ipſa ſunt Hieronymi [y] de re eadem verba, cum explicat quomodo præſens ſeculum dicatur malũ, ſeu nequam [z]. Is quoque refellit hæreticos, alium lucis aſſerentes & futuri ſeculi, alium tenebrarum, & præſentis conditorem. Aliis autem confirmat rẽ eandem exemplis: nec non communi hominum vſu, qui ſaltum infamem habent, non quòd terra peccet, & ſyluæ, ſed ob homicidia, quæ fiunt ibi: deteſtantur gladium, quo humanus effuſus eſt cruor; & calicem, in quo venenum temperatum eſt, non gladij, calicíſque peccato, ſed quod odiũ mereantur illi, qui his male vſi ſunt. Catharini ſimilis expoſitio, mundanos, & carnales homines quieſcere in malignitate, in qua naſcuntur, & hoc iis obſeruandum, qui naturæ vires extollunt.

x lib. 3. in Geneſ. c. 35.
y In epiſt. ad Gal. c. 1.
z Galat. 1. 4.

Proſper [a] occurrit obiectioni, ne quis exiſtimet tale in hominibus plaſmatum à Deo arbitrium, quale eſt dæmonum, quod proprio motu nihil aliud poſſit, vel velit, niſi malum.

a ad obiectiones Vincentianas c. 6.

Totus quidem mundus, inquit, *in maligno poſitus eſt, & multorum hominum talis eſt malitia, qualis & Dæmonum &c. Sed hoc inter malos homines diſtat, & dæmones, quòd hominibus etiam valde malis supereſt, ſi Deus miſereatur, reconciliatio: dæmonibus autem nulla eſt, in æternum ſeruata conuerſio.* Tum ſubdit: *Sicut ergo praeuaricatoribus Angelis non Deus indidit illam qua in veritate non ſtetit* [b], *voluntatem; ita nec hominibus hunc affectum, quo diabolum imitarentur*, inſeruit, &c. Saluianus [c]: *Meritò*, inquit, *totum ſeculum eſſe in malo dicitur, vbi boni locum habere non poſſunt. Siquidem ita totum iniquitatibus plenum eſt, vt aut mali ſint qui ſunt in illo, aut qui boni ſunt, multorum perſecutione crucientur.* Hieronymus [d] mundum in maligno poſitum dicit [e], quia eſt veluti Cedar, hoc eſt, tenebræ, *& ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius* [f], id eſt, Quod maxime luminoſum, ac latum, videtur, tenebroſum eſt, noſtrúmque. Ambroſius [g] ait mundum totum in malitia conſtitutum dici, *quia omnes homines ſub peccato naſcuntur, quorum ipſe ortus eſt in vitio.* Auguſtinus [h] hæc ipſa verba recitat velut ex Ambroſio contra Nouatianos.

Multorum hominum tanta eſt malitia qualis & dæmonum, ſed differunt tamen.

b Ioan. 8. 44.
c de Prouid.
d epiſt. 27.
e Pſal. 119. 4.
f Pſal. 136. 12.
g apolog. Dauid. ca. 2. & in c. 25. Lucæ.
h 2. con. Iulian. c. 3.

Porrò iuxta notionem Latini vocabuli (maligni) de qua priùs meminimus, pro lubrico, præcipiti, obſcuro, anguſto, arduo, auaro, in maligno mundũ poſitũ declarat Martinus Roa [i] illo penitus modo, quo Sapiens *cunctas dixit res difficiles* [k]: & Paulus *præterire figurã huius mundi* [l].

i 2. ſingular. c. 2.
k Eccleſiaſt. 1. 8.
l 1. Cor. 7. 31.

Mihi videtur non ſumptus hic mundus pro rerum vniuerſitate, verùm pro hominibus, quos appellamus mundanos, & nimis addictos commodis huius mundi, quæ ad malignum inclinant, id eſt, ad peccatum, vel in maligni, hoc eſt, diaboli nos ditionem redigunt. Concedo res omnes ac mundum totum fugacem eſſe, atque fallacem, plus in fronte polliceri, ac præ ſe ferre, quàm ſit, aut præſtare poſſit, attamen propoſito non ita congruit huiuſmodi ſententia, ſicut antecedẽtia docent, & conſequentia. Sed caue hæreticos, qui colligunt hinc, vt ex Geneſi citato loco, quamlibet hominis etiam iuſti actionem eſſe peccatũ.

Mundus fallax eſt & fugax.

Vers. 20.] Et scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deũ, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.

DEinceps epilogus videtur totius epistolæ, ac prędictorum hucusque summa, vt intelligamus, ac certò nobis persuadeamus per fidem, incarnatum esse Filium Dei, & hoc modo venisse: ne vel Messiam cum Iudęis expectemus amplius, vel negemus cum hæreticis diuinitatem Christi, qui non est minus Deus verus, quàm homo; quique suo nobis aduentu contulit simul gratiæ lumen ad hanc tanti momenti veritatem percipiendam, & à maligno cauendum.

Christus non est minus verus Deus quam homo.

Filius Dei venit.] Ηκει in præsenti, Syrus vertit in præterito, quod etiam tempus magis congruit sequentibus. Ambrosius [a], *apparuit*: Oecumenius totius ait scopum sententiæ esse: vt intelligamus, vnde nobis ad peccandum pronis, & maligni obnoxiis potestati sit, vt vitemus vtrumque, nimirum ab aduentu Filij Dei, incarnationem. Posset quidem intelligi, quòd Dei Filius venit, tempore præsenti: sumendo pro futuro præsens, & aduentum secundum ad iudicium: vt sic admoneamur cauere malignum. Tamen communis expositio est de primo aduẽtu per incarnationem. Sic Gregorius [b] Beticus interpretatus videretur mihi paraphrasticè locum hunc citare potiùs, quã verbatim, nisi declararet singula quę recitat. nam postquam prioribus aliis eiusdem huius epistolæ testimoniis Arianos pressit, qui dum Patrem confiterentur, negarent verò ipsi consubstantialem Filium, nec hunc habebant, nec illum: quia creaturam non Deus propriè respicit vt Pater, sed vt creator: & vbi Ioannem laudauit, quòd vicem reddat Dominicæ dilectioni, tam luculentis diuinitati Christi testimonij verbis reddendo, quæ ceu fortior lapis, Arianorũ non tantùm frontem, sed ipsum caput serpẽtinum eorum conquassent impieratis, recitat hoc pacto quæ hic habentur: *Scimus quia Filius Dei venit, & incarnatus est propter nos, & passus est, & resurgens de mortuis, assumpsit nos, & dedit nobis intellectum bonum, vt cognoscamus ipsum verum. & simus in ipso vero Filio eius Iesu Christo: hic est Deus verus & vita æterna, & resurrectio nostra in ipso.* Tum subdit: *explicari non potest, quantos aduersum se sermonum lapides & saxa congessit sub vno hoc testimonio. Scimus*, inquit, *quia Filius Dei venit*. Habes vnam de Filio confessionem: & paululum infra post sacramenta incarnationis, & passionis eius & resurrectionis, quæ vtique propter nos exercuit, &c. Sed facta collatione diligẽter obseruaui prorsus hoc opus esse idem cum eo, quod Faustino Episcopo tribuitur [c] ad Flacillam Imperatricem sub titulo de fide contra Arianos, ac distinguitur in capita septẽ: & propriã præfationem habet ad eandẽ, quod autem adscribitur Gregorio, aliam ad Gallam Placidiam Augustam, & pręterea salutationem in fine: verũ tamen in præfatione Faustini posterior pars, quæ incipit: *Incipiamus ergo*, &c. illa ipsa est Gregorij planè integra, inde à principio inchoans, eodémque modo desinens. Non eadem porrò persona, cui fit inscriptio vtrobique, quoniam pro Flacilla Placillam dici vult Baronius [d]: & [e] librum Gregorij missum non ad Gallam Placidiam sed ad Gallam Augustam. Sic oporteret Auctorem libri potiùs fuisse Faustinum Episcopum, quia senior Placilla, quàm vel Galla Augusta, vel Galla Placidia. Sed quis Faustinus Episcopus fuerit Gregorio maior ætate, nescio: nec intelligo quorsum Bibliothecæ Patrũ Auctor ex Genadio retulerit de Faustino presbytero Luciferiano, cum in titulo vocet Episcopum, & constet illum alium non fuisse Episcopum. Hæc obiter de Auctore libri, in quo adeo discrepans habetur lectio præsentis loci ab omnibus tum codicibus, tum scriptoribus aliis nimirum additis pluribus sententiis, vt vidimus. Legi tamen etiam apud Hilarium [f] sic citatum Ioannem, ait enim idem: *Quia scimus quòd Filius Dei venit, & concarnatus est propter nos, & passus est, & resurrexit à mortuis, assumpsit nos, & dedit nobis intellectum optimum, vt intelligamus verum: & scimus in vero Filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna, & resurrectio (aliàs redemptio) nostra.*

Deus creaturam non respicit vt Pater, sed vt creator.

a 1. de fide c. 7.
b de fide, & Trin. 4. Tom. Bibl. Patrum.
c Tom. 4. Bibl. Patrum.
d Tom. 4. Annal. pag. 524.
e ibi. pag. 581.
f 6. de Trin.

Et dedit nobis sensum.] Διάνοιαν. Syriacè מדעא *madhha*, intelligentiam, mentem, mentis illustrationem, lumẽ, notitiam, atque cognitionem diuinam, & supernaturalẽ. Apud Lucam in illis verbis [g] (ad quæ Lyranus putat Ioãnem hîc respexisse, ac propriè de solis Apostolis nunc locutum) *Aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas*, Græcè est διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν τοῦ συνιέναι τὰς γραφάς. De notione τῆς διανοίας multa Budęus [h] ex variis Auctoribus profanis, sacris Hieronymus [i] legit *mentem*, Gregorius Beticus vel Faustinus ante citati legunt *intellectum bonum*: & Hilarius [k] *optimum*. explicantque de Spiritu sancto qui nobis datur, dicitúrque Spiritus intelligentiæ [l], & promissus est a Christo vt ipsi perhiberet testimonium [m], & quem ab se acceptum Paulus vocat [n] *Spiritum ex Deo, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.*

Didymus interpretatur mentem Christi prout idem Apostolus loquitur [o], dicens: *Quis enim cognouit sensum Domini qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.* Clemens Alexandrinus exponit de fide, nec non de Spiritu Sancto: Oecumenius internam animi notionem intelligit, ad discernendum verum Filium Dei, &c. Prosper [p] genericè gratiam Dei, sine qua non potest haberi necessaria saluti notitia; *Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit Filius reuelare* [q], id est, & Patrem & Filium, inquit Beda. Hic finis aduentus Filij Dei, vt enarraret, *quæ in sinu Patris nouerat ab æterno* [r], *& scientiam salutis daret nobis* [s].

Vt cognoscamus verum Deum.] Sic multi codices Græci. Syri autem לשרירא *le'sharira*, *verum illum*: & Catharinus. atque Caietanus vbi non est, subintelligunt, vímque Caietanus facit in articulo Græco. Restringit Hugo, & Carthusianus ad Patrem, immò sic legit Ambrosius [t], nisi malis paraphrasticè scribere. Hieronymus [u] legit dumtaxat: *vt cognoscamus verum.* Eodem pacto Gregorius Beticus ante citatus, aut Faustinus & Hilarius, & Leo [x]: Basilius [y], solum verum Deum. Idacius [z] autem: *vt sciamus quod est verum*, qua ratione verum absolutè sumitur, nec restringi valet ad certam personã: *Hæc est vita æterna*, inquit Christus [a], *vt cognoscant te solum Deum verum*, de quo loco paulo post. Lectionem nostram Græci patres retinent, quos deinde proferam, Didymus etiam, & Oecumenius.

Et simus in vero Filio eius.] Καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ: *Et sumus in ipso vero, in filio ipsius Iesu Christo.* Eodem pacto editio Syriaca. Hac ratione videtur sententia distincta, minimè pendens à causali *vt*, quæ est in priore membro, sed effectus, vel scopus denotari, vt intimo spiri-

g cap. vlt. 32.
h Com. ling. Græc. pag. 117. & 118.
i in c. 65. Esa.
k 6. de Trin.
l Sap. 7. 22.
m Ioan. 15. & 26.
n 1. Cor. 2. 12.
o ibid. 16.
p 2. de vocat. Gent. c. 10 lib. 2. c. 15. & epist. ad Demetriadem.
q Matt. 11. 27. *finis Christi aduentus in carnẽ.*
r Ioan. 1. 18.
s Luc. 1. 77.
t 1. de fide c. 7.
u in c. 65. Esa.
x ser. 1. de ieiu. decimi mensis.
y 4. con. Eun.
z con. Varimadum.
a Ioan. 17. 3.

tuali nexu iungamur cum Christo. Athanasius [u] legit: *& nos sumus in vero, nẽpe in Filio eius Iesu Christo.* Sed hæc nostra lectio apud eumdem [b] extat: & rursus alia [c]: *& sumus in vero filio eius*, Iesu Christo. Diceremus Latinè clarius: *dedit nobis Filius Dei, vt simus in seipso.* Hæc, atque tum præcedentia, tum sequentia verba istius versiculi multas hæreses profligăt. *Quid apertius his verbis*, ait Beda, *quid dulcius? quid aduersus omnes hæreses fortius potuit dici?* Subdit Fidei dogmata hic expressa: quod Christus sit verus Dei Filius: Pater Christi Iesu, verus Deus: Filius Dei propter salutem nostram incarnatus. Didymus colligit coosubstantialitatem Filij cum Patre contra Arianos, & contra Sabellianos distinctionem personarum, quia Pater verus dicitur, Deus similiter filius, non specie, quia vnicus est numero secundum essentiam Deus, sed eădem numerica veritate essentiæ in personis diuersis. Posteriores Interpretes idem ferè faciunt. Præter hos Athanasius [d], Cyrillus Alexandrinus [e], Ambrosius [f], Augustinus [g], Hieronymus [h], Victor Vticensis, siue apud illum Africani Catholici [i], Basilius [k], Nazianzenus [l], Hilarius [m], Idacius [n], Cæsarius frater Nazianzeni, Athanasius [o] hanc appellat scriptam demonstrationem pro Deitate Filij, eámque Ario, qui demonstrationem postulauerat, assignat. Cyrillus [p] vrget epithetum veri, ne Arianus dicat filium Dei dici Christum, sicut *multi dicuntur in cælo, & terra dij* [q], vel mediũ quid esse inter verum Deum & creaturam. Concludit quoque hoc modo [r]: *Quoniam igitur ipse est verus Deus, & vita æterna*, quis ferer diuersa sentientes? Item [s]: *Quid*, inquit, *dicent hæretici ad hoc B. Ioannis verba, quibus apertissime Deus verus Filius appellatur? Nam si Deus verus est substantialiter, non participatione hoc ipsum est, sicut creatura. Qui autem Deus verus est, natura Deus est. Quomodo igitur erit creatura, nisi hanc impietatem in ipsum quoque Patrem transferre velint?* Sed nullo modo Deus verus à nihilo producibilis est. Est autem Filius Deus verus: non est igitur productus à nihilo, sed natura Deus, & vita æterna. *Verum Ioannes Filium Dei*, ait Ambrosius [t], *& verum Deum dicit. Ergo si verus Deus, vtique non creatus: nihil fallax habens atque fucatum, nihil confusum, atque dissimile.* Postea subdit [u] indicans hinc sumptam Confessionem Symboli Niceni: *Deus igitur ex Deo, lumen de lumine, verus Deus de Deo vero, ex Patre natus, non factus, vnius substantiæ cum Patre. Sic nempe nostri secundum scripturas dixerunt Patres, qui etiam sacrilega dogmata ideo suis inserenda putauere decretis, vt Arij perfidia ipsa se proderet, ne quasi fucis quibusdam, & coloribus illa velaretur. Fucum enim faciunt, qui non audent explicare, quod sentiunt. Censoris itaque impietas Ariana non expositione referatur, sed damnatione detegitur, vt qui curiosè gestit audire, prius damnatam cognosceret ne laberetur, quàm expositam audiret vt crederet.* Omnia sunt hæc Ambrosij, quæ congruunt etiam Athanasij Symbolo, in quo plures exprimuntur errores, vt euitentur. Concilium Aquileiense, *nos*, inquit, *per adoptionem filij sumus: ille secundum proprietatem generationis diuinæ.* Quod in eodem confirmans concilio Ambrosius, ait: *Euangelista Ioannes dixit in epistola sua de Christo; hic est verus Deus.*

Augustinus [x] Maximinum Arianum conuincebat, fatentem, quòd verus innatus Pater verum genuit Filium: nec enim verum filium esse, nisi, quod ille negabat, esset vnius, eiusdémque substantiæ cum illo, qui genuit. Idem omisso Concilio Niceno [y] quod proferebant Catholici, & Ariminensi, quod Ariani, præsenti quod æque recipiebant & hi, & illi testimonio premit adue satium. *Vtrique legimus*, inquit, *vt simus in vero Filio eius Iesu Christo: ipse est verus Deus, & vita æterna. Vtrique tanti ponderis molibus cedamus.* Tum colligit argumentationem necessariam, hunc Filium esse de substantia Patris, & illi ὁμοούσιον, alioqui non esse verum filium. Aut de aliqua substantia natus est Dei Filius, argumentatur ipse, aut de nulla: Si de nulla, ergo de nihilo: quod vos non dicere jam tenemus. Si de aliqua, nec tamen de Patris, non verus est filius. Si de Patris, vnius, eiusdémque substantiæ sunt Pater & Filius.

Hieronymus [z] postquam aduersus Arianos docuit non solum Patrem, sed Filium quoque dici Amen, id est, verum Deum, & recitauit hæc Ioannis verba, subiũgit: *Si enim Saluator de se loquitur* [a]. *Ego sum veritas, consequenter verus à veritate nomen accepit: vt nequaquam secundum falsos Deos appelletur Deus, sed secundum verum Deum Patrem, & ipse sit verus Deus: alioqui si non est verus, erit idolo similis: quod redundat in capita eorum, qui Christum verum Deum negant.*

Victor Vticensis [b], aliive apud eum Africani Catholici: *Nam si alterius à Patre substantiæ est, aut verus filius non est, aut quod nefas est dicere, degener natus est, est enim verus Filius sicut Ioannes ait: vt simus in vero Filio eius. Non est etiam degener quia Deus verus de Deo natus est vero, sicut idem Ioannes Euangelista exequitur dicens: Hic est verus Deus, & vita æterna: & ipse Dominus* [c] *in Euangelio: Ego sum, inquit, via, veritas, ac vita. Ergo, si aliunde substantiam non habet, de Patre habet: si de Patre habet, vnius substantiæ cum Patre est. Sed si vnius substantiæ non est, ergo non de Patre, sed aliũde est, quoniam vnde est, inde substantiam habeat necesse est. Omnia enim ex nihilo, Filius verò de Patre. De duobus eligat quis quod volet, aut det ei substantiam de Patre, aut fateatur ex nihilo subsistisse.*

Hilarius [d] longa, & perelleganti præmissa ad Ioannem cum eximia laude ipsius apostrophe, necnon antithesi cum Ario, sic demum infert. *Apostolus concessa sibi optima intelligentia, verum Dei Filium dicit, tu affirmas creationem, id est, creaturam, tu prædicas adoptionem, tu negas natiuitatẽ: & cum hic verus Dei Filius sit, & vita æterna, & resurrectio, nec vita æterna est ei, nec resurrectio, cui ille nec verus est.*

Idacius [e] respondens verbis Christi [f]: *Vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*, quasi non sit hic verus Deus, obiicit eumdem Christum dici verum Deum ab Esaia [g] iuxta lectionem Septuaginta, ex quo loco Hieronymus [h] idem confirmat, & ex alio loco Salomonis, & ex Psalmo quodam [i]: & quando Christus vocat se veritatem [k], & ait *sermo tuus veritas est* [l], denique profert huius loci testimonium.

Adeo multos produxi Patres, & præter morem retuli verba ipsorum, vt discant omnes, ij præsertim, qui tanti faciunt Erasmum, qua fronte Arianorum fautor scribere potuerit, hoc telum in Arianos non intortum à Patribus, quòd infirmum, ineptúmque crederent ad configendam hæresim, quæ adimit diuinitatem Christo: & quia cum dicitur sequẽtibus verbis: *Hic est verus Deus*, non de Filio, sed de Patre sit sermo. Scilicet melius Erasmus intellexit quàm tot Latini, Græcique Doctores.

Oecumenius pronomen οὗτος notat esse pro relatiuo ὅς. Trinitarij, vt Seruetus [m], Transyluani ministri [n], Georgius Blandrata [o], & Franciscus Dauid respondent esse, dicique Christum verum

Deu-

Marginalia: a Orat. in id. Deus ex Deo. — b de communi essentia Patris, Filij, Spirit. S. — c disput. contr. Arium in Conc. Niceno. — Hæc verba multas hæreses profligant. — d de Comm. ess. Patr. Filij Spir. S. & in id. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. & disp. con. Arium in Conc. Niceno. — e lib. 11. Ioan. cap. 9. & de recta fide ad Theod. in fine. & de recta fide ad Reginas, & in Thesauro lib. 11. in fine, cap. vlt. — Christus est verus Deus. — g con. Maxim. lib. 1. c. 5. & lib. 3. c. 13. & lib. 1. de Trin. c. 6. — h in Esa. ca. 65. — i lib. 2 de Vnitate. — k 4. cont. Eunom. — l orat. 4. The. — m 6. de Trin. — n con. Varimad. — q 1. Cor. 8. 4. — r Thesau. cap. 13. — t Symbolum Nicenum vnde sumptum. — x 3. con. Max. cap. 15. — y ibid. c. 14. — Arianos quomodo hoc loco Augustinus urgebat. — Solus est Patri ὁμοούσιος. — z supra. — a Ioan. 14. 6. — b supra. — c Ioan. 14. 6. — d 7. de Trin. — e con. Varimad. — f Ioan. 17. 3. — g cap. 65. — i Psa. 84. — k Ioan. 14. 6. — l Ioan. 17. 17. — Contra Erasmum asserentem Patres hoc non vsos. — Errores recentiorum.

Deum, quia Diuinitatem veram Patris habet habitantem in se, sibique communicatam. Hoc si de vnione hypostatica, per quam natura diuina, quæ eadem est Patris ac Filij, intelligunt, verum est, licet vnio per se sit solius personæ Filij: alia verò vnio substantialis nulla est, vel esse potest, quàm in hypostasi. Immò cùm Transyluani [a] velint esse nomen proprium Patris *verus Deus*: ergo Christus qui vocatur quoque verus Filius Dei, verúsque Deus, est ille idem Deus, qui est Pater. Eunomiani, teste Nazianzeno [b], concedebant Patrem esse verum Deum, & pariter Filium esse verum Deum, sed ὁμωνύμως, sicut dicuntur canes æquiuocè cœlestis, marinus, terrestris. At quis vmquam verbi gratia hominem pictum asserat esse verum hominem, licet eo modo quo homo est, verus sit, hoc est, homo pictus? quis aurum adulterinũ vocet aurum verum? Tandem scripturæ semper prædicât verum Deum esse vnum natura, & substantiæ ratione. Igitur Pater & Filius non sunt plures dij rationum diuersarum, sed prorsus eiusdem, sicut audiuimus nuper tot Patres argumentantes.

Porrò cum Christus commemoratis quoque prius verbis dixit: *Vt cognoscant te solum Deum verum* [c], *& quem misisti Iesum Christum*, ne putet quis excludere voluisse se, quasi non etiam verus esset Deus, vt argumentabantur Ariani Epiphanio [d] teste, aliísque qui mox citabuntur, Athanasius [e] occurrit, membrum secundum cum primo coniungendum, quasi diceret, *te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, vt cognoscãt Filium tuum verum Deum, quemadmodum & te Patrem, siue, vt te, & quem misisti Iesum Christum, cognoscant solum verum Deum.* Eadem mens Chrysostomi, Cyrilli, Augustini, Bedę in Ioannem, & eiusdem Cyrilli [f] alio quodam loco, & Ambrosij [g], & Nouati [h] apud Tertullianum, & Hilarij [i] vocem *solum* extendi ad Filium, sicut, inquit Chrysostomus, quãdo scribit Paulus [k]: *An ego solus, & Barnabas non habemus hanc potestatem?* Hilarius [l] in Patre intelligi quoq; Filium, quẽ oportet, si sit verus Filius, esse Patri consubstantialem, per solũ verò excludi dũtaxat creaturas, falsósve Deos: quod autẽ additur: *& quem misisti Iesum Christum*, pertinere ad Christum vt homo est, hominum ac Dei mediator. Sic respondent quoque Nazianzenus [m] ac Basilius [n], ac rursus Athanasius [o], & Chrysostomus tum in Ioannem, tum alibi [p], ac in eundem Ioannem Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius, atque in Græca Catena citati Theodoretus, Leõtius, Theodorus Mopsuest. præterea Cæsarius Nazianzeni frater [q]: Cyprianus [r] nempe quando solus Pater dicitur Deus verus, aut etiam cum Deus verus esse vnicus, & solus, à vera Diuinitate dumtaxat excludi multitudinem Deorum falsorum, non autem Filium, vel Spiritum sanctum: quin potiùs his tribui veram diuinitatẽ hoc ipso, quòd Pater solus dicitur verus Deus, aut absolutè verus Deus esse vnus. Sunt enim tres personæ relationibus exceptis, vnũ quid, idémque: nec potest Pater dici verus Deus ita, vt intelligatur esse sine suo Verbo & Spiritu: vt acutè colligit Athanasius [s]: non etiam esset vita æterna in cognitione Iesu Christi, nisi Deus esset, ait Ambrosius: quę ratio tamen non concludit, quoniam necessaria saluti cognitio, ac fides est de Christo etiam tamquam homine. Accedit quòd aliquando ipsemet Filius dicitur solus verus Deus, vt testimonio Esaiæ [t] docent Basilius [u], & Cyprianus [x], ac Nazianzenus [y], Athanasius [z], Eusebius [a], Cyrillus [b], Fulgentius [c], testimonio Baruch [d]: nec proinde tamen Pater excluditur, vt præ aliis vrget Basilius: quemadmodum nec solus Christus Dominus est, quamuis sic de ipso loqui Paulus [e] videatur, vt notauit Origenes [f]: qui obseruat quoque, licet vnus dicatur ibidem Deus Pater, non idcirco Filium excludi: *nec solus sapiens Pater, aut potens, immortalis, lucémve habitans inaccessibilem*, vt ratiocinantur Nazianzenus, & Cæsarius, quamuis de Patre illa asserantur [g]. Itaque vnus Deus solus, ac verus est, sed idem Pater, Filius, Spiritus sanctus: húcque illud aptari potest: *Dominus* [h] *solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* Immo Paulus [i] indicat satis priore loco se hoc sensu loqui, præmittens mentionem de idolis, & falsis diis: quò spectat illud etiam eiusdem, vt obseruauit Theodoretus [k]: *Conuersi* [l] *estis ad Deum à simulacris seruire Deo viuo & vero.* & apud Esaiam [m]: *Quia tu es Dominus Deus solus:* & apud Danielem [n]: *Sciant quia tu es Dominus Deus solus.*

Postremo notauit Maldonatus [o], nomen *solum* non esse subiectum, sed attributum. ἵνα γινώσκωσι σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν: vt non sit sensus: *Vt cognoscant te solum esse verũ Deum*, prout vertit Beza, sed te, qui es ille Deus, qui est solus verus, nam non esse, cur potiùs pertineat ad subiectum *solum* quàm *verum*: nec negandum tamen, Epithetum solius, ac veri Dei, personis tribus alioqui commune Patri attribui, sicut Christo Domini, Spiritui sancto, Spiritus, & Paracleti, vel, quemadmodum aduertit Theodorus Heracleotes [p], διὰ τὸ ἀγέννητον εἶναι, *quia ingenitus* est, ab alio non habens originem, sed origo Diuinitatis: vel quoniam Christus de Patre loqui solet honorificè, de seipso modestissimè. Placuit accuratius hunc locum tractare epistolæ nostræ vnà cum altero ex Euangelio eiusdem Auctoris, vt obstruatur os loquẽtium iniqua aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: & adeo proprium Christianitatis mysterium quod est Trinitas [q], nobis illibatum custodiatur.

Hic est verus Deus.] Nihil habeo, quod addam, nisi vt refricem lectoris memoriam. Erasmum præposterè, contráque omnium fidem Interpretum, ac tot aliorum Patrum detorsisse verborum istorum sensum, ad Deum Patrem. Dixi etiam Oecumenium notauisse, pronomen οὗτος esse pro relatiuo ὅς, & proximè iungendum præcedentibus immediatis verbis: *Et simus in vero Filio eius.* Nõ erat vlla hæresis ætate Ioannis contra Deitatem Patris, neque periclitabatur, vt falsò docet Erasmus, fides veri Dei Patris. Fassi sunt postea Christum Ariani esse Deum, & Dei Filiũ, immò *& magnum Deum* [r] *super omnia Deum benedictum* [s], at non verum, vt meminit Athanasius in historia Tripartita, ita vt exprimi oportuerit in Symbolo Niceno: *Deum verum de Deo vero.*

Et vita æterna.] Consule, quæ sunt ad caput primum [t] dicta de nominibus abstractis, prout enunciantur de Deo, & denotant ipsius infinitatem, atque simplicitatem. Errauit, Bernardo [u] teste, Gilbertus Porretanus hac in re, volens non eandem in Deo rem significari nominibus abstractis, & concretis. Cùm autem Boëtij propositionem, qua asserebat Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse veritatem, Gilbertus exponeret, id est, verum; *O*, inquit Bernardus, *obscuram, peruersámque explanationẽ? Quanto verius, sanctiúsque per contrarium ita dixisset: Pater est verus, id est, veritas:*

Marginal notes (left column):
a lib. 2. c. 5.
b orat. 4. Theol. *Christus non est verus Deus cum Patre ὁμωνύμως.*
c Ioan. 17. 3.
d hæres. 69.
e disp. cũ Ario, & lib. de incarnatione verbi.
f 10. Thes. c. 6.
g 1. de fide c. 2.
h lib. de Trin. c. 24.
i 9. de Trin.
k 1. Cor. 9. 6.
l supra.
m orat. 4. de Theol.
n 4. contr. Eun. in fin.
o ser. 4. contra Arianos.
p homil. 22. in Matt.
q Dial. 1.
r exhortat. ad martyr.
s ep. ad Serapionem. *Filius aliquando solus verus Deus dicitur.*
t cap. 45. 5.
u 4. contr. Eun.
x 2. Testim. 6. & 9.

Marginal notes (right column):
y orat. 4. Theol.
z lib. de incarnatione.
a 6. de demonst. c. 19.
b lib. 10. contr. Iulianum.
c lib. de incar. c. 10.
d cap. 3. 36.
e 1. Cor. 8. 6.
f li. 8. in epi. ad Rom. c. 9.
g Rom 16. 27. 1. Tim. vi. 16.
h Deut. 32. 12.
i 1. Cor. 8. 4.
k in Cat. Græca Ioan. 17.
l 1. Thess. 1. 9.
m cap. 37. 20.
n cap. 3. 45.
o in ca. 17. Ioa.
p in Cat. Græ. Ioan. 17.
Trinitas proprium est Christianitatis mysterium.
q sic loquitur Basilius.
r Tit. 2. 13.
s Rom. 9. 5.
t vers. 2.
u serm. 80 in Cant. *Porretani error.*

Filius est verus, id est, veritas, &c. Non est more naturæ creatæ Deus, ait Iustinus [a], (vel quis alius) *vt esse in ipso, & habere in concretione siue concretis intelligantur, sed vt natura extans, sic & esse ipsum, & habere ipsum, omnem superans concretionem.* Hilarij [b] quoque, prætermissis alijs, sententia est, quòd Deus se omnem per sua edocet, vt vbi sua insint, ipse esse intelligatur, & sua non aliud, quàm se esse significat. Tandem S. Thomas [c] Dei simplicitatem probat ex hoc loquendi modo, vt dicatur Deus non tantùm viuens, sed etiam vita: sic autem se habere Deitatem ad Deum, qua ratione se habet ad viuentem vita. Illud verò etiam colligitur pro diuinitate Christi, quod cùm dicatur vita æterna, debet æternus esse: quod est proprium epithetum Dei.

a q. 144. ad Gentes.
b 8. de Trin.
c 1. p. q. 3. a. 3.

Vers. 21.] Filioli, custodite vos à simulacris. Amen.

Cur hæc in fine addita sit admonitio.

CVm sit verus Deus Christus, opportunè subijcitur hæc admonitio in fine tum contra negantes Christum consubstantialem Patri, colentes tamen eum pro Deo, tum ne recens ab idololatria conuersi relaberentur in eam: tū vt Gentiles ipsi, si qui, quod erat facile, in huius lectionem epistolæ inciderent, prouocarentur ad idololatriam deserendam quo etiam pacto Corinthijs, licet fidelibus, Paulus scribit [d]: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*; tum denique, quoniam omnis falsa contra fidem doctrina, maximè contra diuinitatem Christi, quoddam censeri potest idolum, sicut & Antichristi qui tradunt illam, superius nominati sunt in hac epistola non semel.

d ep. 10. 20.

Mouit Didymus dubitationem, quo modo dum per totam epistolam Ioannes perfectionis, & sanctitatis eorum, quibus scribit, testimonium perhibuerit, cauere nunc ab idolis iubeat. Respondet, in gratiam eorum qui nuper conuersi de idololatria, nondum firmè credebant, id est, nondum satis confirmati erant, sed reliquias superstitionis mente retinebant. Adhibet præterea illud aliud responsum de falsis doctrinis, quæ quia confinguntur, idola rectè nominantur.

Oecumenio placuit prior de duabus his explicatio. Beda, & Hugo interpretantur de hæreticis cauendis. Addit Beda & Thomas Anglicus philargyriam, quæ est *simulacrorum seruitus* [e]. Omnes etiam illecebras mundi, quæ Creatoris amorem impediunt. Iungit his Carthusianus vana phantasmata, cogitationes inutiles, stolidas animi apprehensiones, obseruationes somniorum. Lyranus vnius meminit idololatriæ, necnon Caietanus, Catharinus, Ferus, Salmeron, Glossa Ordinaria: quem puto aptissimum sensum, alios magis mysticos, quàm litterales. Tertullianus [f] hoc ex parte intellexit retinens Græcam vocem Latinitate donatam idolorum, exponénsque non de abstinentia ab idololatria quasi ab officio, sed ab ipsa effigie Deorum: indignum enim esse, vt imago Dei viui imago idoli, ac mortui fiat, videlicet vsurpando ritus, qui solent idolis impendi. Hieronymus [g] ait præcipere Ioannem baptizatorem baptizatis, caueant, ne tententur, indeque contra Iouinianum argumentatur, posse peccare illum, etiam qui sit natus ex Deo.

e ad Gal. 5. 20.
f de Corona militis, c. 10.
g 2. cont. Iou.

Imaginum sacrarum vsus non prohibetur.

Perperam prorsus hæretici volunt hoc loco Ioannem imaginum inhibere venerationem, ac in Biblijs quoque Gallico versis (immò euersis, peruersisque) idiomate reddunt: *gardez vous des images.* Paulo antè dixerat Ioannes, datum nobis sensum, vt cognosceremus verum Deum, & essemus in vero Filio eius, qui verus Deus est atque vita æterna. Exigit sententiæ nexus, vt de eiusmodi præcipiatur simulacris, quæ dij habebantur, non erant veri dij, nec habebant vitam, sed erant, vt ait Paulus [h], *simulacra muta.* Εἴδωλα τὰ ἄφωνα *idola sine voce.*

h 1. Cor. 12. 2.

Custodite vos à simulacris.] φυλάξατε ἑαυτὰς ἀπὸ τῶν εἰδώλων. Talis phrasis Iacobi, *Immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τῦ κόσμου [i].

i Iaco. c. 1. 27.

A simulacris.] Ἀπὸ τῶν εἰδώλων. Iam monui deprauationem hæreticorum circa hoc vocabulum, quod confundentes cum imaginibus, colligunt prohiberi penitus earum cultum; cùm tamē omnes Interpretes, nullo dempto sermonem tradant hic esse, de idololatria, quam vitant diligenter Catholici. Héricus Stephanus [k] Εἴδωλον definiés, *Simulacrum, quod repræsentat numen, quod honore dignemur, & cultu,* & inferens apud Ecclesiasticos, Christi, Sanctorúmque imagines, præcipuè Trinitatis rectè vocari Idola, proculdubio Iconomachis fauet, iisque honestum dat nomen Ecclesiasticorum, non antiquis modò, sed recentioribus quoque Caluino, Petro Martyri, Matthiæ Illyrico, & similibus. Qui fuerunt veri, & orthodoxi Ecclesiastici, saltem plures ex iis, εἴδωλον sumpserunt pro falsa, & rei fictæ expressa similitudine, vt Sphyngis, Centauri, Tritonis, &c. Sic loquitur Origenes [l], Theodoretus [m], Oecumenius [n], Athanasius [o], Eustathius [p] quoque describit Idolum esse Imaginem inanem cogitatione sola fabricatam: immò & cum Homero [q], ac Luciano [r], sic mortuorum vocat vmbras.

k in Thesau. verbo εἴδωλον.
l homil. 8. in Exod.
m q. 38. in Exo.
n in 1. Cor. 8.
o orat. con. idola.
in lib. 11. Odyss.
Dia. de mortuis.

Extenditur εἴδωλον significatio ad repræsentationem rei quidem subsistentis, non tamen secundum eam rationem, quæ ipsi per naturam inest, vel gratiam, & est, generice loquendo *falsi cuiusuis Dei,* sicut Augustinus [s] loquitur, *simulacrum:* quæ Tertulliani [t] præterea de hac voce sententia est, ac Euthymij [u], quasi dicas, ἀπὸ τῦ εἴδους, id est, forma. per diminutionem, contemptúmque εἴδωλον, id est, formulam, seu paruam, id est, imperfectam, & à vera significatione deficientem formam, vt post eundem Tertullianum [x] innuit Isidorus [y].

s q. [illegible]
t de idololatria. c.
u in Panoplia Tit. 23.
x cap. 3.
y 8. Etymol. cap. vlt.
Idolum quasi forma parua.

Extéditur demum vox Idoli, ad id omne, quod non est Deus, pro Deo autem colitur, vt homines, elementa, coeli, stellæ, & similia, quamuis nulla exhibeatur foris imagine. Patet id ex plurimis Auctoribus; præsertim ex eodem Tertulliano [z], docente, vetustiorem esse superstitionem Idololatriæ, quàm nomen Idoli, vel Idolum, vt similitudinem dicit arte statuarij, aut pictoris expressam. Hinc est etiam, quod τὰ εἴδωλα, καὶ τὰ ψευδῆ Plato [a], coniunxerit, *Idola atque mendacia.*

z eod. c. 3.
a in Theæteto.

Simulacrum non est Hebræum, vt monet Isidorus [b], dicens Hebraicè dici Ismael, quòd Iudæi tradant ab Ismaele primo ex luto factum simulacrum, etsi Gentiles id Prometheo adscribāt. Quandoque quidem simulacrum accipitur pro qualibet similitudine, quam Lactantius [c] etymologiam assignat, sicut alij imaginis ab imitando, & εἰκὼν ἀπὸ τῦ εἴκειν: & idem Lactantius [d], necnon Minutius [e] hominem appellat *simulacrū Dei:* Nihilominus magis frequenter Scripturæ pro falsa, fictaque sumunt imagine [f], quasi deriuata notione à simulatione sacræ, vt notauit Vvaldensis [g], licet non sit in eo probandus, quòd à dolo

b supra.
c lib. 2. c. 2. de origine erroris.
d lib. 6. c. 10. & 23.
e in Octauio.
Homo simulacrum Dei.
f 1. Cor. 12. 2. Act. 15. 20. Psal. 113. 4. Ps. 134. 15.
g Tom. 3. cap. 157. nu. 2.

Idolum

idolum deducit, vocem Græcam à Latina, quod reprehendit Isidorus [a]: & Augustinus [b] monet Latinos ea simulacra nuncupare, quæ dicuntur à Græcis idola. Hieronymus [c] quoque sic opponi simulacrum Deo, vt veritati mendacium. Immò & profani Auctores, vt Lucretius [d] ac Virgilius [e], vmbras mortuorum vocant simulacra.

Postremò inter τὴν εἰκόνα καὶ τὸ εἴδωλον, statuût discrimen Clemẽs Alexandrinus [f], Procopius [g], Suidas [h], Origenes [i], & Theodoretus [k], quòd illa veram, hoc importet falsam similitudinem. Vtidcirco sit anathema pronunciatum in VII. Synodo [l] vocantibus Imagines Christi, & sanctorum, idola. Notauit hæc ferè omnia ante nos Bellarminus [m], & Gabriel Vasquez [n].

Aliud porrò est, quod ex sententia ista tota licet colligere, nempe, vt se Christiani custodiant à simulacris, idolis, fanis, templis, aris infidelium, non tamen vt hæc temerè demoliantur. Negat id Augustinus [o] debere fieri, donec eorum fuerint regna iusto titulò Principibus Christianis subiecta, vel ipsi ad Christum conuersi. Adde si Christianus adigatur ab infidelibus profanos ritus celebrare. His de causis existimamus iussum in diuinis litteris destrui, & confringi statuas Deorum [p]. Mathathiam illud fecisse [q]: & Iudam Machabæum [r]. & Dauid [s], & Elism [t], & Iehu [u]: & in lege Euangelica Cyrillum Diaconum [x], Marcum Arethusium [y], Valentinam Virginem Cęsariensem [z], Iustam, & Ruffinã [a], Eulaliã [b], Eupsychium [c], Martyrol. & Menolog. 9. April. vbi Baronius alios citat Sacerdotes idolorũ, cum fierent Christiani, & alios. Hoc voluerunt nonnulla Cõcilia [d], quæ pietatis genus dixerunt aras, & delubra Gentilium deturbare. At verò cauit Concilium Illibetitanum [e] (vocatur etiam Elibertinũ, Eliberinum, Elibertinum, Heliberitanum, Elibertanum, Libetinum, Libertinum, Hibetitanum, Eliberitanum) ne quis id auderet, vel ne Martyris haberetur numero, qui fecisset, nempe furore potiùs quodam, ac præcipitatione animi, quàm instinctu diuino, aut legitima potestate. Eadem cautio Augustini [f]. Tales autem videntur fuisse Circumcelliones in Africa (testis Augustinus [g], & Philastrius [h]) & forsitan in Hispania ob vtriusque prouinciæ, loci, morúmque cõmunionem, qui confluebant ad Paganorum solemnitates, & vel idola cõstringebant, vel fracturos se minabantur, vt ij mortem ipsis, quã quærebant, inferrent.

Alienum est, abhorrénsque à modestia, & mánsuetudine Christiana, & religionis obest propagationi, sine causa, sine delectu irruere in idola, verbis maledicis, & effractione, aut quod fieri potest ea in re studere proprio, vel honori, vel commodo, atque occasionem Gentilibus dare, liberiùs ac inhumaniùs Christianos maximè recens conuersos persequendi. Paulus [i] Ephesi, & Athenis [k] nec oblocutus legitur aduersus idola, vt ipsi aliàs adnotauimus [l]: nec non meretur laudem Iudæorum mos à Iosepho [m] proditus, sua custodire, non aliena potiùs accusare: non ridere, & blasphemare eos, qui apud alios putantur Dij, quasi hoc lex cauerit illis verbis [n]: *Dijs non detrahes.* Etsi reuera non hic legis illius sensus, nisi per accommodationem, sed de Principe, ac magistratu, quibus Deorum communicatur ob dignitatem atque potestatem appellatio. Mouerunt similes rationes Mensurium Episcopũ Carthaginensem, vt eos censeret eximendos numero Martyrum, qui se sponte offerrent martyrio [o], & huiusmodi quoque prohibita oblatio est à Clemente [p], & Iulio Papa [q].

Disputat hac de re diligenter Ferdinandus [r] Mendoza, Iosephus Stephanus [s], Baronius [t], præsertim primus, qui defensionem edidit pro Concilio Illiberitano, docétque quanto Gentiles dolore, ac indignatione succensi sint contra violatores idolorum [u] suorum, quantásque persecutiones ea de causa commouerint: Apostolos hoc non fecisse, nisi fortè precibus apud Deum, vt de Ioanne [x], & Matthæo narrant [y]. Si qui postea fecerunt, post latas à Christianis Imperatoribus leges, fecisse de confringendis idolis [z], vel impulsu cœlesti, vel prouocatos ad idololatriam. Leontius Episcopus Neapoleos Cypri in Concilio Niceno II. [a] refertur probauisse non se idola venerari qui frangeret ea, & Apostolos, ac Martyres coleret, qui & ipsi eadem confregerant. Non opus verò est leges proferre Imperatorum, vel Pontificum, & Conciliorum decreta, quibus Gentilitia omnia sacra priuata, & publica seueriùs prohibentur. Consulatur citatus antea Ferdinandus Mendoza [b].

Postremò honestatis plenum, & omnino sequendum Augustini [c] consilium, in euertendis templis, vel aris profanis, quando iure id fit, vt ad amuliendam auaritiæ, tum occasionem, tum suspicionem, deputentur eruta, vel sublata non vsui priuato, sed publico, atque de iis rebus fiat, conuertendo, dum licet in honorem veri Dei, quod de ipsis hominibus, cùm ex sacrilegis, vel impiis in veram religionem mutãtur. Hoc Theodosium prodit Socrates [d] fecisse Alexandriæ, quando Gentilium delubra Theophili Episcopi consilio disturbauit, & ornamenta omnia templorum in pauperum vsum conuertisse. Alioquin *qui fidem asperitatibus propugnare volunt, suas magis,* ait Gregorius [e], *quàm Dei causas probantur attẽdere.*

De cauendis cibis immolatitiis, seu idolothytis egimus in Commentario Actuum Apostolorum [f], & de omni alio infidelium ritu non vsurpando, in Theologica disputatione de Fide. Sed & de causis, propter quas fidelibus liceret contra infideles arma mouere. Hoc vltimum argumentum tractat etiam Ioseph Acosta [g] noster.

Memorabilis Iudæorum illorum cædes, sub quorum tunicis inuentum est de donariis idolorum, à quibus lex prohibebat [h], & omnibus manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse. De Rachel quando furata est patris sui idola [i], ratio alia. voluit videlicet vt consultis pater idolis resciret, qua fugisset cum Iacob [k]: voluit patri eripere ansam idololatriæ [l]: ex pretiosa idolorum materia compensare mariti mercedem intendit, qua illum pater fraudauerat, nec non dotem sibi ac sorori debitam qua idem illas priuauerat [m]. Hæ verisimiliores causæ sunt, quàm si comprehenderetur à patre persequente, deorum patris implorare auxilium voluisse [n]: vel etiam idololatriæ addictam fuisse. Refellit validè [o] Theodoretus [p] talem opinionem de Rachel, quoniam scribitur antea exaudita à Deo in liberis suscipiendis, & ei gratias pro susceptis egisse [q]. Inde idem probat contra Caietanum Catharinus [r].

Amen.] Abest à codicibus nonnullis hæc particula, tum excusis, tum manuscriptis Latinis: ex Græcis non legi, qui desideret. Clausit hoc modo Paulus omnes epistolas, & Petrus, & Iudas,

a Etymol.
b in Psal. 113.
c in c. 7. Oseæ.
d lib. 4.
e 4. Georg. & 6. Æneid.
f 6. Strom.
g in cap. 20. Exodi.
h Verbo Εἴδωλον.
i hom. 8. in Exodum.
k quæst. 38. in Exodum.
l Act. 5 & 7.
m lib. 1. de reliq. sanct. c. 5.
Idola temere non sunt demolienda.
n 3. de adora. c. 1. 2. 3. & 4.
o serm. 6. de verb. Dom. & ep. 50. & 154.
p Exo. 23. 24. Deut. 7. 5. Num. 33. 52.
q 1. Machab. 2. 45.
r 1. Machab. 5. 68.
s 2. Reg. 5. 21. 1. Paral. 14. 12.
t 3. Reg. 18. 18.
u 4 Reg 10. 26. 27.
x Theodor. 3. hist. cap. 6.
y Nazian. orat. 3. cont. Iulianum Sozo. lib. 5. cap. 9. & 10. Nicepho. lib. 10. cap. 10.
z Euseb. lib. de Martyr. Palæst.
a Isid. in Breuiario Gothico. Martyrolog. 19. Iulij. Ambros. Morales 10. hist. Hispan. ca. 16.
b Prudent. in Hymno.
Circumcelliones quo animo idola frangerent.
c o hist. Aug. cap. 11.
d Con. Tol. 12. can. 11. Tolet. 16 can. 2. Nanneten. cap. vlt.
e can. 60.
f epist. 50. & ser. 6. de verb. Domini.
g ibidem.
h de hæresib.
In irruent ad euertenda idola observantes.
i Act. 19.
k Act. 17.
l citatis locis.
m 2. cont. Appionem.
n Exo. 22. 28.
o August. in Breuicu. collat. cum Donat. in 3. die cap. 13.
p 5. constit. c. 7.
q epistol. ad Orientales.
r lib. 3. pro Concilio Illibert. cap. 45. & seq.
s in cap. 2. 2. Machab.
t in Notis Martyrol. 9. Aprilis.
u ex tripart. lib. 10. Socra. lib. 5. cap. 16. Sozom. lib. 7. c. 15.
x Procorus de Apollinis templo in Parmo: de Dianæ Ephesi. Abdias.
y Abdias de templo in Æthiopia.
z lib. 19. cod. Theod. de Pagan. Sacrif.
a Act. 4.
b 3. lib. de confirmando Cõ. Illibert. cap. 13. & 14. & 47.
c ep. 154.
Quod de erutis ex aris Deorum rursus sit faciendum.
d 5. hist. c. 16.
e lib. 11. ep. 15. & lib. 1. ep. 45.
f cap. 15.
g de procurand. Indorum sal. cap. 2. & seq.
h 2. Machab. 12. 40. Deut. 7. 25.
i Gen. 31. 19.
Rachel cur Patris sui idola furata sit.
k Rab. Aben Ezra & Abulensis.
l Basil. in princip. Prouerb. Nazian. Orat. de Pascha. Theodo. q. 89. in Gen. Lyranus in dictum locum Genesis 31.
m Pet. in Gen. cap. 31. disp. 1.
n Ioseph 1. antiquit.
o Chrys. ho. 57. in Genes. Rupert. lib. 7. in Gen. c. 42. Caietanus, & O'callec. in Gen. 31.
p supra.
q Gen. 30.
r 5. annot. contra Caiet.

& rursus, Ioannes Apocalypsim, & Lucas Euangelium, & suas Ignatius epistolas, addens *gratia* teste Gregorio[a]. Ipsa verò voce vetus, nouaque Scriptura sæpius vtitur, præcipue noua, sed in Ioannis Euangelio semper geminatur, vel proprio scriptoris ingenio; vel quia res tractat diuiniores, vt Ambrosius[b], Rupertus[c], & Antoninus[d], Vrbanus Papa[e] IV. Benedictus[f] XI. obseruauit, non quia peruenerit ad nonagesimum nonum ætatis annum, qui numerus continetur in elementis Græcis dictionis ἀμὴν, teste etiam Gratiano[g], nec enim tam diu vixit[h]; etsi sint qui centum, & sex ei assignent annos, neque quod per Amen Christum voluerit denotari, & significare se in Christo affirmare, quæ scriberet, voluit persuasissimus, vt ait Salmeron[i]: potiùs enim sic Christum loqui deberet intelligi, qui loqui introducitur.

Aliquando etiam alibi in vetere Testamento repetitur[k] cùm magna ponitur asseueratio, vel vehemens desiderium, vt quid accidat, quamuis Græcè sit γένοιτο γένοιτο, & Latinè *Fiat, fiat*[l]; quod volunt quidam notam esse, signaculúmve distinctorum librorum Psalterij[m], qui numerantur quinque imitatione Pentateuchi Mosis, vt Thalmudicis placet. Quamuis in fine quarti libri est vnicum Amen[n], in fine quinti Haleluiah.

Ex Hebræis vocabulis, quæ retinet Latina Ecclesia, vt Haleluiah, Corbā, Emmanuel, Gabatha, Golgotha, Raca, Cherubim, Seraphim, Manna, Osanna, Maranatha, Abba, Rabbi, Mammona, hoc vnum est[o]. Deriuatur ab אמן *aman.* Vnde האמין *hemin, credidit.* Idem est אמן *amen*, quod verè aut veritas, per modum vel asseuerandi, vel optandi, vt ita sit, vt notat Bernardus[p], seu recipiendi super se, quod ita erit quod Græci modò reddunt per γένοιτο, Septuaginta modò per πεπιστωμένως, Aquila, Symma. Theodotio, vt annotauit Hieronymus[q]. Vsitatius est, vt in vetere Testamento, *Amen*, sit confirmatio dictorū, vel ab alio, vel à nobis ipsis: in nouo, dicendorum asseueratio. Vbi nonnunquam quod vnus Euangelista, & Latinus Interpres dicit ἀληθῶς verè[r]; alius dicit Ἀμὴν, Amen[s]; & quod vnus ναὶ, ita[t], alter Ἀμὴν, Amen[u].

Ecclesia preces terminat hac dictione, secuta Christi exemplum in ea oratione, quam quia nos ipse docuit, Dominicam vocamus, præterea in omni professione Fidei, siue Symbolo. Sic tradūt Thalmudici[x], postquam lector in Synagoga ex ligneo suggestu legem recitasset, atque Archisynagogus sudarium circumegisset, populum respondisse, Amen. Simile quid videri potest esse in Deuteronomio[y] & secundo Esdræ[z]. Testis Augustinus[a], cùm audiret populus Sacerdotem ad orandum hortantem, respondisse, Amen. De frequenti vsurpatione in Ecclesiis meminit Hieronymus[b]. Quin & olim, vt ex liturgiis constat, pronuntiatis consecrationis verbis, laici respondebant, *Amen.* Testatur quoque Ambrosius[c], præter Iustinum[d], & Tertullianum[e], id ipsum fecisse, quando porrigebatur illis Christi corpus. *Ergo non otiose, cùm accipis*, inquit Ambrosius, *tu dicis, Amen, iam in Spiritu confitens*, quod accipias corpus Christi. *Dicit tibi Sacerdos corpus Christi, & tu dicis, Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* Huc facit illa sententia Pauli[f]: *Qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem?* Illud præterea tradit Clemens Romanus[g].

Sumitur interdum vt nomen, Amen, pro fideli, ac veraci, vt apud Esaiam[h]. *Benedicetur in Deo amen*, id est, in Deo, qui est fidelis, & verax. item, *Misericordias Dauid fideles*[i], & in Apocalypsi[k]: *Hæc dicit, Amen, testis fidelis*, & in posteriore ad Corinthios epistola[l], *quotquot promissiones Dei sūt, in illo est, ideo & per ipsum Amen, Deo ad gloriam nostram:* Græcè ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ: id est, *in ipso sunt ipsum* (*certe*, vel etiam) nempe stabiles, & implentur: καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμὴν; *Et in ipso, seu per ipsum Christum est Amen*, id est, Promissiones sunt fideles, & veræ Deo, id est, apud Deum. Vel, dicere fas est. Amen, id est verè ita est, nimirum, promissiones esse amen, hoc est, fideles, & veras, vt priore continetur membro; quo pacto esset (amen) aduerbium, non nomen.

Vrbanus[m] VI. Pontifex docet propter sui excellentiam, non esse translatum Amen, Græcè, vel Latinè: tria verò significare: vt nominaliter accipitur sanctum, & terribile nomen Dei, nempe citato loco Apocalypsis[n]: vt aduerbialiter, verè, veraciter, infallibiliter, nimirum passim in Euangelio: vt verbaliter, fiat, scilicet in fine quorundam psalmorum, orationis dominicæ, atque aliarum. Hanc vltimam notionem agnoscunt, qui Orationem dominicam exponunt, vt Cyrillus Ierosolymitanus[o], & alij passim.

Refert Angelus[p] Caninius, Thalmudicos carpendo suorum hominum in oratione peccata, triplex Amen distinxisse יתומה *iethumah, pupillum*, cum quis precatione tenetur, nec intelligit quod respondet: חטופה *chetupha, subreptitium*, cum subripit, & dicit, Amen, antequam absoluatur precatio: קטועה *ketuhha, sectile*, cùm secat in duas partes, scilicet oscitantes audiens, & alias res agens. Vtinam non liceret eandem in nos ipsos querimoniam transferre, dum solemnes preces frequentamus.

Postremò notandum, quod notauit Chrysostomus[q], vocem Amen nusquam alibi reperiri in Epistolarum principio positam, præterquàm epistolæ ad Galatas[r], sed multis præcedentibus addi solere: id quidem verum esse de Pauli epistolis; non tamen vel periodorum exordiis, in progressu earundem, aliarúmque Scripturarum, vel de medio in periodis loco, vt allatis liquet exemplis. Immo nec de prima salutatione, quemadmodum videre est in Apocalypsi[s]. Lege de vocabulo ipso Amen diligētem disputationem Benedicti Papæ XI.[t] Ioānem etiam Stephanū Durantum[u], & Alphōsum Salmeronem[x], & quem citaui Caniniū, & Interpretes, quæque ipsi etiam diximus in historia Apostolica[y].

Porrò quare Ioannes epistolę salutationē non subiecerit; docui in Præfatione, simul & cur non præmiserit.

f 1. Cor. 14. 16.
g 8. constit. 21.
h cap. 65. 16.
i Esa. c. 55. 3.
k cap. 3. 14.
l cap. 1. 20.
Quare non sit translatum Amen Latinè.
m in Psal. 50. Tom. 1. Biblioth. Patr.
n cap. 3. 14.
o Catechesi 5 mystag.
p in locis noui Testam. c. 5.
Amen in principio Epistolarū non ponitur.
q in cap. 1. ep. ad Galatas.
r cap. 1. 5.
s cap. 1. 5.
t in c. 5. Mat.
u de Rit. Ecclesiast. c. 37.
x Tom. 1. Prolegom. 16.
y cap. 10. 34.

IN

IN EPISTOLAM BEATI IOANNIS APOSTOLI SECVNDAM.

ARGVMENTVM.

Quæ pertinent ad auctoritatem Sacram huius epistolæ, ad nomen Canonicæ vel Catholicæ, ad scriptorem, qui est Ioannes, peti debent ex præfatione epistolæ primæ. Ibi sunt exposita communes hæ omnibus Ioannis epistolis difficultates, illa etiam, num videri possit abhorrens ab Apostolica dignitate, aut à maiestate sacræ Scripturæ, vt fœminæ scribat Apostolus epistolam, quæ inter sacras Scripturas censeatur. Quænam autem fuerit illa fœmina dicemus in explicatione textus.

Argumentum huius epistolæ.

Argumentum Epistolæ ferè paraneticum est. Laudat Electam, filiósque simul confirmans in charitate, & fide: hortans etiam sibi ab Hæreticis caueant: & significat, dum ad eos veniat, hisce paucis contentos esse debere.

1 SENIOR Electæ dominæ, & natis eius, quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes, qui cognouerunt veritatē.

2 Propter veritatem, quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum.

3 Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Christo Iesu Filio Patris in veritate, & charitate.

4 Gauisus sum valde, quoniam inueni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mādatum accepimus à Patre.

5 Et nunc rogo te Domina, non tamquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, Vt diligamus alterutrum.

6 Et hæc est charitas, vt ambulemus secundùm mandata eius. Hoc est enim mādatum, vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis.

7 Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & Antichristus.

8 Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed vt mercedem plenam accipiatis.

9 Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet.

10 Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis:

11 Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus eius malignis.

12 Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: vt gaudium vestrum plenum sit.

13 Salutant te filij sororis tuæ Electæ.

Vers. 1.] Senior Electæ dominæ, & natis eius, quos ego diligo in veritate: & non ego solus, sed & omnes, qui cognouerunt veritatem.

SENIOR.] Cur sic se potiùs Ioannes appellet, quàm proprio, vel Apostoli, vel Theologi, vel dilecti à Domino, vel serui Iesu Christi nomine, recognosce ex Præfatione [a], siue ex Ambrosio [b], quem ibi citauimus. Occumenius cur Apostolum se non vocet, rationem dat, quia non primus forsitan in Asia verbum annunciauit, sed post Paulum, nec in transitu, sicut ille prædica-

[a] cap. 4.
[b] In psal. 36.
Cur se Apostolum non nominauerit.

tionis cursum absoluit (quod importare Apostoli videtur nomen tamquam missi, & nuncij, sed illic mansit, & sedem fixit. Non etiam serui posuit appellationem, *propterea quòd cùm vehementer*, inquit, *a Domino fuerit dilectus, extra seruitutis timorem se esse confidebat*. Subdit Senioris, & Presbyteri appellationis causam, vel grandiorem ætatem, vel vt se declararet Episcopum, de quo dicebatur Presbyteri vox, quemadmodum docent Actus Apostolici [a], & prior epistola Petri. Has & nos notato loco [b] de Senioris appellatione causas recepimus. Adde quòd cùm totius Ecclesiæ in Asia primas erat, videri καθ' ἐξοχὴν appellatum πρεσβύτερον, presbyterum, quod erat nomen ecclesiasticæ dignitatis. De seruo Domini non valde placet ratio, cum sit quædam seruitus sine timore, eoque perfectior, quò est charitas maior, sicut alias post Augustinum docere memini [c]. Nec, opinor, se Paulus toties in epistolis nominans seruum, seruilitatem timoris intellexit. Aliàs [d] præterea ducui, Latinè Seniorem, Dominum significare, sicut nunc Hispani dicunt, *Señor*, Itali, *Signore*, Galli, *Seigneur*, licet Ioachimus Perionius [e] malit dici à Κύριος. Vnde *sire* & *sieur*, vel potiùs *Cyre*, & *Cyeur*, ac non ita vetere proferendi ratione *Cyeur*, denique per nonnullam mutationem *Seigneur*: *nec enim*, inquit, *nisi ridiculè Deum appellantes Seigneur, cum nos profiteremur vt Senem venerari*. Verumtamen & Antiquum Dierum Daniel veneratus est Deum [f], & essent ridendi Latini, quos certum est multis retro seculis vsurpasse Seniorem pro Principe, Dominoque, vt ostendimus capite primo [g] historiæ Apostolicæ.

At Ioannes Græcè scripsit, neque faceret ad rem huiusmodi acceptio: licet Episcopis Domini tributum epitheium legamus in priscis Latinorum nostrorum scriptis [h]. Concedo Ioannem post ætatem senectam, vt Epiphanius [i] loquitur, *iussum ab Spiritu sancto prædicare in Asia, & reficere errantes in viis, nec alio modo totas ab eo fundatas*, vt Hieronymus [k] tradidit, *Ecclesias Asiæ*, quoniam certum est multas ex his à Petro, & Paulo erectas, & hunc Ephesi triennio quoque prædicasse, atque Timotheum Episcopum præfecisse, ita vt Ignatius ad Ephesios scribens Ioanni Paulum præponat in ædificatione ipsorum Ecclesiæ. Verùm hac de re alibi [l]. Senior autem quid sibi velit, satis dictum. Idem Hieronymus [m] vertit, Presbyter, docétque idem valere hac, & epistola sequenti quod Episcopum. Hugo Cardinalis, & Thomas Anglicus obseruat in ista Senioris appellatione cauisse Ioannem ne se quamlibet magnum, dignúmque familiarem exhiberet fœminæ. At quid dicent, de sequenti ad Caium epistola?

Electæ dominæ.] Mirum est, cuiquam videri potuisse non esse nomen hoc Electæ proprium; neque scribi epistolam certæ personæ, sed alicui Ecclesiæ, quæ sic diceretur. Talem nemo nouit Ecclesiam: sed omnis Ecclesia cognominari sic potest, vt comprehendit omnes Fideles electos ab infidelium numero, etiamsi quidam peculiariter eligantur ad aliquod munus, aut tamquam prædestinati.

Vtraque acceptio reperitur in Scripturis [n].

Oecumenius ait vocatam Dominā hanc Ἐκλεκτὴν, vel ex nomine proprio, vel ex virtute, vt nempe quidam cognominari iusti. Si secundo modo, quem recipit Thomas Anglicus, probabile est non solùm ob eximiam virtutem (quo pacto enumerans Apostolus eos, quos salutat, Rufum distinctè cognominat electum in Domino [o], sed etiam propter prædestinationem, cuius aut virtus fœminæ magnum erat indicium, aut de qua Ioannem Deus certiorem fecisset (licet forsan ipse hoc passim, ac ne quidem illi fœminæ declararet) Tunc verò dictum erit, adeo insignem opibus, potentia, rebúsque ceteris fœminam; & tanti nominis fuisse, vt passim κυρία diceretur, id est, domina: est tamen primus dicendi modus lõge probabilior.

Clemens Alexandrinus, omnésque interpretes ita sentiunt; quos non ignaros Græcæ linguæ nihil mouit Bezæ contradicentis argutia, quod ἐκλεκτῇ κυρίᾳ positum sit *Electa dominæ*, non autē, vt poni debuisse contendit, si nomen proprium esset, Κυρίᾳ ἐκλεκτῇ. Cur non idem obiicit de tertia epistola, vbi est, Gaio charissimo, & eodem modo in epistolis Pauli ad Philemonem, Titum, Timotheum? Athanasius [p] indicat nomen proprium esse κυρίας: nam dicit absolutè scriptam epistolam Dominæ, & liberis eius. Item Clemēs, Glossa ordinaria, & Thomas Anglicus Babyloniā fuisse dicunt, & erat fortasse ex Parthis, ad quos peculiariter primam epistolam scripsisse præfati sumus [q]. Magna laus, & inter malos bonum esse, in Babylone, infami ciuitate. Adducit idem, & Hugo, typum videri Ecclesiæ, quæ est electa vt Sol [r]: electione scilicet generali, aut denominatione a præcipua nobilioréque parte Prædestinatorum. Habebant & Manichæi Electos suos, vt prodit Augustinus [s], nimirū distinctos ab iis, quos vocabant Auditores.

Domina.] Dixi, videri Athanasium hoc vt proprium nomen accepisse. Cyriacos, Cyriacas, Cyrias: Dominicos, Domnos, Domninos, Domniones, Domnolos, Domnatores; Dominicas, Domnas, Domninas, etiam inter Sanctos legimus [t]. (Et verò putant nonnulli, Ecclesiam in Vrbe S. Mariæ in Dominica, sic vocari à pia fœmina, celebríque Cyriaca, cuius extat cœmeterium, (id enim est Latinè Dominica, quod Grecè Cyriaca.) Vt non incredibile videatur, κυρίας hic non appellatiuè sumi, sed propriè. Nihilominus multo communior sententia, non Dominæ, sed Electæ nomine propriè dictam hanc fœminam.

De Domino disputatum alio loco [u]. Ad rem præsentem facit, quòd sic absolutè denominaretur olim Imperator, & Augusta, vt præter tot auctorum Latinorum scripta; maxime Sidonij [x], Anieni [y], Tertulliani [z], Paulini [a], Taciti [b] quoque, Statij [c], Martialis [d]: colligitur ex Socrate [e] scriptore Græco: item regina apud eundem Sidonium [f], & Cassiodorum [g]: nec non rex, vt notat Hieronymus [h]: & specialiter Francorum, vt scribit Auctor historiæ Miscellæ, (quem quidam putant esse Anastasium Bibliothecarium) referēs gentis Francorum morem, *vt Dominus, id est Rex secundum genus principetur*. Et liquet ex Constitutionibus Caroli Magni [i], vnde forsan illud apud eos *Syre* per aliquam deflexionē à κύριος. Id certè Perionio [k] placet. Alij deriuant à מר *sir* Syro seu Chaldæo, quod valet etiam dominum.

Turcis Dominum sonat Sultani vox, & appellari à nobis solet magnus Dominus. Curopalata recensens officiales palatij Constantinopolitani, Δεσπότας vocat, id est, Dominos, filios Imperatoris, fratres, & generos: sed specialiter Δεσπότην, id est, Dominum, illum qui secundus ab Imperatore est, vt hoc tempore Galli à Rege secundum, vo-

caut

a cap. 20.17. b cap. 5.1. c Act. 2.18. d ibidem 17. e de linguæ Gal. cum Græca cognat. f Dan. cap. 7. 9. g vers. 6. *Episcopi domini dicti sunt.* h vt Sidonij. i hæresi 51. k de viris illust. in Ioanne. l Act. 20. m epi. 85. ad Euagrium. n Ioan. 6. 51. Luc. 6. 13.

o Rom. 16.13. p in Synops. *Electa verè fœmin.* q in præf. r Cant. 6. s lib. de hæres. *Electa domina.* t lege Martyrologium.

cant absolutè *Mosieur*, affinibus post nomen proprium, adiiciunt id epithetum, verbi gratia, *Charles Monsieur*. Eumdem tamen illum, qui secundus esset Imperatoria maiestate, nominarunt aliqui Auctores Σεβαστὸν, Augustum, quod est alioqui nomen Imperatorum, vt & vox Domini. Et variatum hac in re obseruat Curopalatæ Scholiastes. Auctor verò Δέσποιναν dictam tradit filij Imperatoris sponsam, vel vxorem. Apud Latinos poëtas dominas vocatas vxores obseruauit Pontanus [a] noster, quod Seruius quoque testatur de Græco δέσποινα. Refert etiam ex Epicteto quod *αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κύριαι καλοῦνται. Fœmina mox ab anno decimoquarto, à viris Dominæ vocantur*: præterea, omnes maritos ab vxoribus dominos appellari solitos. Item quascumque fœminas hoc modo nominatas, tum verò ab amãtibus amicas, postremò propria quadam ratione, Regum, & Imperatorum vxores. Legendi quos citat Tiraquellus [b], Turnebus [c], Rhodiginus [d]. Adde Lipsium [e], qui notat à liberis patres, à fratribus blandientibus fratres: ad hæc Leuinium Torrentinum [f], Raderum nostrum [g], & Brissonium [h], qui monet diis attributam hanc nomenclaturam, maximè verò matri Deorum. Quàm rectiùs nunc absolutè Deipara vocatur à nobis Domina?

Igitur Electa potuit appellari Domina, quia vxor, vel quia princeps, & eximij honoris, ac potentiæ. Talem suadet fuisse, tum quòd repetit denuo in breui epistola [i] idem epithetum: tum quia profitetur eam non à se tantum diligi, sed ab omnibus qui cognouerunt veritatem [k]: tum quoniam pollicetur se ad illam venturum, vt impleat gaudium ipsius, & natorum [l]: tum quia, si credimus Lyrano, ministros Ecclesiæ sustentabat. Erat forsitan & hoc cognomen piarum fœminarum cœlibem degentium vitam. Sic enim lego Hieronymum [m] dicere, à maleuolis tales, si se dedissent luxui, vocandas fuisse dominas, & sanctas.

Tantus vir Ioannes non refugit vrbaniores titulos, ac literis etiam fouere nobilium personarum amicitiam, quæ sit Ecclesiæ vtilis. Simili de causa Lucam diximus [n] Euangelicam, & Apostolicam historiam dicasse primario viro Theophilo, quem honoris causa cognominat Κράτιστον, *Optimum* [o]. Denique lex nostra humilitatem sic docet, vt honorem tamen, cui honor, tributum reddi præcipiat, cui tributum debetur [p].

Electæ porrò vocem vt epithetum sumi suadet, quoniam etiam in epistolæ fine sorori eiusdem tribuitur: nec ita solent duæ proles in eadem familia cognomines esse. Vocantur vtriusque sexus fideles honoris secundùm Deum causa *electi* [q], & *Ecclesia in Babylone coelecta* [r]. In qua formula non sola electio ad fidem, gratiámque iustificationis intelligi potest, sed ad gloriam præterea æternam; loquendo ex quadam bona piáque fiducia, non ex certitudine; quoniam quibus dat Deus fidem, pœnitentiam, remissionem peccatorum, gratiam sanctificantem, sperari potest, quòd & perseuerãtiam dabit, vitámque sempiternam. Quo pacto scripsit Philippensibus Paulus [s], confidere se quòd *Deus qui in ipsis inchoauerat bonum opus, esset illud perfecturus vsque in diem Christi Iesu*; sicut iustum erat hoc sentire pro omnibus illis. Eiusdem Pauli vrbanitas fuit in illis verbis [t]; *Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam*.

a in 6. li. Æn. colum. 436.
b in li. 5. connub. 4. o. 32.
c lib. 21. c. 6.
d lib. 24. c. 190.
e in Tacitum 2. Annal.
f in Sueto. in Augusto c. 53.
g in lib. 1. Martialis epig. 67. & 92.
h 8. formula. pag. 648. & li. 1. pag. 50.
i vers. 5.
Electa quare fuerit dicta Domina.
k hoc primo versu.
l vers. 12.
m epist. 99.
Ioannes fouet nobilium personarum amicitiam.
n præfat. in Actus.
o c. 1. Euang.
p Rom. 13. 7.
q Rom. 8. 33. cap. 16. 13. Coloss. 3. 12. 2. Tim. 2. 3. Tit. 1. 2. 2. Petr. 1. 1.
r 1. Petr. 5. 13.
s Philip. 1. 6.
t Rom. 16. 13.

Adde ad opinionem nostram de fœmina Electa testimonium ex decretis [u]. Suspicatur Espensæus [x] Drusianam fuisse, ita vt Electæ & Dominæ voces epitheta sint, quæ Ioannis hospita erat, vt Petri Duma. Leuis in contrarium ratio, quod sororem hæc habuit cognominem [y], ideo enim fortassis Domina distinctionis causa, & κατ' ἐξοχὴν dicta est. Non item facit negotium, quod se scribat Ioannes [z] inuenisse de filiis eius ambulantes in veritate: quasi hoc Ecclesiam indicet, non particularem fœminam: potuit enim plures habuisse liberos, aut filiorum nomine alij tum affines, tũ domestici intelligi. Nec illud obstat, quòd Petrus [a] nominet Ecclesiam *συνεκλεκτὴν coelectam*, quasi quælibet particulares Ecclesiæ essent *ἐκλεκταὶ electæ*, sicut vocabantur ipsi Christiani electi, aut quod Syriacè vtrobique sit eadem vox (*elubo*.) Nam commune nomen interdum euadit proprium, vt dixi de Iusto, & idem est de Sancto, Saluatore, Seruo, & Cyriaco, Malcho, & aliis. Si non fœminæ particulari, sed Ecclesiæ scriptam vellemus epistolam, profectò non vniuersali ac toti, sed cuipiam certæ affirmare deberemus, quia salutant extrema epistola istam filij sororis, siue dicat quis vnam de septem Asiæ, quarum in Apocalypsi [b] mentio, siue Corinthiam vbi Caius degebat hospes Pauli [c], ad quem est eiusdem Ioãnis 3. túneque posset existimari epithetum κυρία denotare huiusmodi Ecclesiæ nobilitatem, virtutem, præstantiam, & quod esset lectissima, legitiméque congregata, sicut quæ vocatur in Actibus [d] ἔννομος *legitima*. Sed hæ ipsæ rationes quibus laborant aliqui vt Ecclesiam, non fœminam suadeant, persuadent potius fœminam fuisse.

Et natis eius.] Καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς. Vtriusque sexus liberi possunt intelligi ἀπὸ τοῦ τίκτειν. Sic dicitur Rachel plorãs τὰ τέκνα αὐτῆς [e] *filios suos*, masculos videlicet, & plura suppetunt alia exempla. Incertum ex vtroque sexu filios Electa verũ haberet. Clemens Alexandrinus, dicens ad virgines epistolam scriptam, simplicissimè, profectò innuit filias Electæ virgines fuisse publica, solemníque religiosa professione, quam vsitatam primo illo Ecclesiæ seculo compertum est, vel exẽplo Philippi Diaconi filiarum [f], & Iphigeniæ, quam Matthæus sacrauit [g], aliarúmque: tum testificatione Ignatij [h], Martialis [i], Philonis [k], Iustini [l], Dionysij [m], Clementis [n] Alexandrini, Origenis [o], Tertulliani [p], tot aliorum, immò & Pauli [q], immò & Christi [r]. Accepit opinor illud de virginibus Clemens ex aliqua traditione: non enim elici ex hac epistola potest.

Nec incommodum per natos intelligere omnes non modò genitos ex Electa, sed quos appellant descendentes, aut etiã quauis affinitate iunctos, ætate, vel conditione minores, denique familiã totã, ad quam in cõmune scribere Ioãnem credibile est. Iurisconsulti natos de nepotibus dicunt. Non monerem profectò præpositũ in titulo scribentis nomen, siue cognomen eius, illorúmve nominibus, quibus scribitur, nisi animaduertissem idipsum notatũ à Hieronymo [s], siue ab Ambrosio [t] in epistolis Pauli ex auctoritate Apostolici ordinis: vt iudices, inquit, solent. Hic ipse mos est Auctorũ, etiam Gentiliũ, Ciceronis, Plinij, Senecæ, quamuis maioribus scribant. Immò Paulus epistola quadam ex iis, quæ circũferuntur ad Senecam, significat datũ id honoris causa Romano Senatui, vt ad Senatoré qui scriberet, nomen eius præponeret. Quod ipsum falsum esse constat ex

u c. legimus. d. 93.
x 1. de continen.
y vers. vlt.
z vers. 4.
a 1. ep. 5. 13.
b c. 1 2. 3.
c Rom. 16. 23.
d c. 19. 39.
e Matt. 2. 18.
Filiæ Electæ quæ fuerint.
f Act. 21. 9.
g Abdias in vita B. Matth. Euang.
h ep. ad Antl. & ep. ad Tarsen.
i ep. ad Tolosanos.
k de vita contempl.
l Apol. 2.
m de Eccles. hier. c. 6. p. 2.
n 3. Strom.
o hom. 23. In Num. & lib. 7. con Celsum.
p 1 de velan. Virg. & lib. de Monog.
q 1. Cor. 7. 37. 38. & 1. Tim. 5. 3. 9.
r Matt. 19. 12.
s in 2. ad Cor. cap. 1.
t ibidem.
Nomen scribentis in epistolis præponi solitum.

iisdē Auctor bus. Vsitatā dixi alio loco [a], epistolaris inscriptionis formā fuisse, v.g. M.T. Cicero Attico S. aut S.P.D. Si cognati, amici, propinqui, cōiuges, liberi, liberti familiariores forēt, additum, (suo, aut suis.) Hoc vltimum postea communicatum pluribus, vt videre est apud Plinium, aliósque, & in hoc Martialis [b] epigrammate:

Seu leuiter noto, seu charo missa sodali,

Omnes ista solet charta vocare suos.

Obseruaui, Ambrosium Episcopum, quando scribit Imperatori, nomen illius præponere: Gregorium Papam, vtpote summum Hierarchiam, postponere.

Quos ego diligo in veritate.] Nescio vnde constare possit, hos natos, natásve Electæ virgines fuisse, vt inter cæteras illa esset causa, cur tanto Ioannes eos amore prosequeretur: quam vnam etiam putatur ob causam ipsemet à Christo præ aliis dilectus. Allicit virgineus flos amorem omnium, præsertim si vigeat nobilibus, diuitibus, elegantibus, quos ipsa trahit vltro ad se, suamet honestate, ac pulchritudine virginitas, non ab expetito connubio retrahit generis, opum, formæ iactura, vel aliud quodlibet incommodum. Non leuis prorsus coniectura, virgines fuisse, quod Clementem dixi Alexandrinum tradere, quoniam natis Electæ, tamquam domi apud eam manentibus, in commune scribitur epistola: iuncti verò matrimonio, paterna sępè habitant seiūcti domo.

In veritate.] Vero, casto, virgineo, sincero, spirituali, efficaci amore, illo denique, qui fecundum Deum est. Laus hæc matris, talibus præditæ natis, natorum, tali institutione matris proficientium, vt diligi à Christi dilecto mererentur. Cautio magna Ioannis, qui talis, tantúsque Apostolus, & id ætatis vir, amorem erga fœminas, iuuenésque absque addito non exprimit, sed in veritate declarat diligi à se, atque ne naturali quidem, humanóve affectu ii se hoc in amore indulsisse. Beda, Glossáque Interlinearis addunt amoris denotari rationem, quia perseuerantes consideraret illos in veritate Hugo, & Thomas Anglicus, in veritate idem esse, quod in Domino, qui est veritas [c]. vel, in veritate diligi, hoc est, ad veritatem conse quendam, quæ est vita æterna, vbi plana veritas, nulla falsitas.

Colligit Carthusianus, Ioannem seipsum feruisse esse in charitate, immò & in charitate perfecta: & fuisse, & id de se cognouisse non ambigo. Idem hic significare voluisse, ant his inserti ex verbis, non ita sum certus. Facit quod ante præceperat [d]. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.*

Infinita sunt, quæ de fœminarum vitādo commercio præcipiuntur in aspectu, sermone, literis.

Et non ego solus, sed & omnes qui cognouerūt veritatem.] *Communis hic amor suspicionem amouet amoris priuati, & maiorem facit auctoritatem*, ait Glossa interlin. & Thomas Anglicus: deterret per schisma, vel hæresim separatos à communione catholicorum, quibus comparati illi, pauci erant, ac non minùs etiam semet alterutrum, inquit Glossa ordinaria, & Beda, quàm ipsam veritatis soliti viam impugnare. Reuera sectarij sunt, & partiarij hæretici, non Ecclesiæ dumtaxat Catholicæ respectu, sed ipsorummet inter se: nec ab electione magis denominati αἱρετικοὶ, quàm à diuisione, caudis colligati, sicut Philisthinorum, qui sunt ἀλλόφυλοι, vulpes, auersis faciebus [e], vt Hugo notat. Vna est, concors, sibi per omnia cohærens, atque consentiens Catholica Ecclesia, vnius moris, vnius doctrinæ, idem sapiens, idem sentiens, idem dicens, ac docens absque schismate. *Sola firmamentum, & columna est veritatis* [f]. Sola veritati *congaudet charitas* [g], gaudio pleno: sedem in ea fixit is, qui solus plenus est veritatis [h], ipsissima veritas [i].

Vers. 2.] **Propter veritatem, quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum.**

Hæc amoris causa, quoniam veritati firmiter adhærescebant orthodoxè sentientes, piè, iustéque ad veritatis cognitæ normam viuentes, & sic *ad veritatem ambulantes Euangelij* [k]: non eam peccando, *in iniustitia detinentes* [l]: & quia *qui viscera claudit à fratre necessitatem habente, in veritate non diligit* [m], probabiliter loquitur Carthusianus, dicens Electam, natósque propterea dilectos à Ioanne, & ab Ecclesia, quia subleuabant egestatem fidelium.

Quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternū.] Pauciores quidam Latini codices legunt *vobis, & vobiscum*. Catharinus lectionem hanc secutus, nostram tamen approbat, quia de solis prædestinatis, & iam manifestis, quales erant Apostoli, illud dici poterat, sicut & Paracletum & *Spiritum veritatis mansurum in æternum, quē accipi non posset à mūdo* [n]. Nil opus ista interpretatione. Voluit Ioānes dumtaxat firmitatem, atque constantiam veritatis docere, à qua non nisi volens recedit, sicut pridem de gratia diuina diximus [o]: nec dubium videtur, quin se Ioannes hoc loco cæteris adiunxerit, & sibi cæteros communione charitatis.

Quocirca nec magnopere necessaria distinctio Lyrani, permanere veritatem nunc per gratiam, futuram in æternum per gloriam. Glossa interlin. ac Thomas Anglicus vtrumque sumunt eodem pacto, pro perseuerantia ad vsque finem vitæ. Atqui Thomas, si accipiatur æternitas propriè, fidei veritatem permansuram notat, non in obscuritate fidei, quæ euacuabitur [p], sed in claritate visionis circa res antè creditas. *Sicut enim audiuimus, sic videbimus* [q]. Canitur quoque *permansura in æternum veritas* [r]. Sed vt fidelitatem in promissis denotat, quemadmodum visus est Apostolus [s] intellexisse, Patribus ac Iudæis attribuens promissa, gratiam Gentibus.

Vers. 3.] **Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Iesu Christo Filio Patris, in charitate & veritate.**

De epistolari salutatione, tum profana, tum sacra disseruimus in Apostolicæ historia [t], declarantes Hierosolymitani Concilij epistolam. Eadem salutatione Paulus vtitur in duabus ad Timotheum, & in ea, quam Tito scripsit: nisi quòd in vltima misericordiam prętermittit, sicut & ad Philemonem, vtraque ad Thessalonicenses, & Corinthios, ad Colossenses, Philippenses, Ephesios, Galatas, Romanos: Petrus pariter in duabus, & iterum Ioannes in Apocalypsis exordio. Iudas verò pro gratia ponit charitatem, retenta misericordia, & pace.

Obseruauit Augustinus [u], gratiam & pacem sine misericordia intelligi non posse: sed tamen familiariùs ac dulciùs interponi expressum nomen misericordiæ. Tum verò etiam subdit piè iuxta, & acutè, in omnibus epistolarum sacrarum initiis admoneri nos de Trinitate. Tu per otium

lege.

Marginalia: [a] Act. 15. 23. — [b] lib. 14. ep. 11 aut 8. — Nati natæue Electæ virgines fuerunt. — Virginitas ad sui amorem trahit. — Amor Ioannis erga fœminas qualis. — In veritate diligi quid sit. [c] Ioan. 14. 6. — [d] 1 Ep. 1. c. 3. 18. — Vitandum cum fœminis fœminarum commercium. — Hæretici sunt partiarij. — [e] Iudic. 15. 4. — [f] 1. Tim. 3. 15. [g] 1. Cor. 13. 6. — [h] Ioan. 1. 14. [i] Ibidem 14. 6. — Cur a Ioanne amarentur Electa filij. — [k] Gal. 2. 14. [l] Rom. 1. 18. — [m] 1 ep. 3. 17. 18. — [n] Ioan. 14. 17. — [o] ep. 1. — [p] 1. Cor. 13. 10. — [q] Psal. 47. 9. [r] Psal. 116. 2. — [s] Rom. 15. 8. 9. 10. 11. — [t] Act. 15. 23. — [u] in expositione inchoata ep. ad Rom. Tom. 4.

lege. Illud quoque lepidum de salute, quam Iacobus ponit in epistola; eam vocem in recto casu *salus* punicè significare tria. Narrat Valeriũ Episcopũ id animaduertisse, cum admiratione. nam in quorũdam, dicebat ille, rusticanorum collocutione, cùm alter alteri dixisset, *salus*, quæsiuit ab eo, qui & Latinè nosset, & punicè, quid esset salus, responsum est, tria, שלש *scelos* autem Hebræa lingua, cui affinis Punica [a], idem significat. Ludit deinde in Chananæa, quæ item dici mulier punica potest, quando popoſcit salutem filiæ à Domino [b], id est, nouæ vitæ suæ. Subdit tamen notatu dignum de hoc omni paronomasiæ genere, quo delectantur quandoque Patres. Sed hæc verborum consonantia, siue prouenerit (casu nimirum, ac fortuito) siue prouisa sit (prout Valerius occultissima dispensatione diuinæ prouidētiæ putabat factum) non pugnaciter agendum est vt ei quisque consentiat, sed quantum interpretantia elegantiam hilaritas audientis admittit.

Salus punicè quæ significat.

a Aug. 2. con. lit. Petil. c. 103. & in Psa. 136. & 2. de serm. Dom. in monte. & Hier. lib. 3. in c. 7 Isa. & lib. 5. in c. 25. Ierem.
b Mat. 15. 22.

Sed ad rem: eo, quem dixi loco Actuum Apostolicorum, monui Hieronymum [c] in hisce omnibus epistolis inuertisse videri ordinem, gratiæ pacem præponendo, docēdóque prius nobis promerēdam pacem Dei ex qua nobis nascatur gratia Dei. Nihilominus aliis [d] placet, propterea gratiam priore poni loco, quia designat remissionem peccatorum: pacem deinceps, quia reconciliationem cum Deo. Nonnulli gratiam interpretantur formam iustificantem: pacem, eximium tranquillitatæ per gratiam conscientiæ fructum: quidam, diuinam beneuolētiam cum ipso habitualis gratiæ dono, qui est fons pacis, omniúmque bonorum, quæ bona dulcibus istis vocibus continentur [e]. At misericordia magis distinctè demōstrat, sicut idem docuit Augustinus [f], non meritis operum priorum, sed secundum misericordiam Dei nobis dari Spiritum sanctum, vt & peccatorum abolitio fiat, quibus seiungebamur à Deo, & reconciliatio, vt illi inhæreamus.

c in c. 32. Ier.

Gratia & pax quid designet.
d Ambrosio, & Sedulio in c. 1 epist. ad Rom.

e S. Thom. in cap. 1. epist. ad Rom.
f supra in ep. ad Rom.

Porro in retractationibus [g] monet, se, cùm docuit, gratiam esse in dimissione peccatorum, pacem in reconciliatione Dei, nolle pacem ipsam, & reconciliationem non pertinere ad gratiā generalem, sed specialiter nomine gratiæ remissionem significari peccatorum. Tertullianus [h] obseruat, suo, non antiquo solùm tempore, solos Iudæos pacem imprecari salutando: Apostolos gratiam addidisse, immò & prætulisse, atque hoc ipsum pertinere magis ad Euangelicos prædicatores, de quibus fit illud: *Quam [i] maturi (pulchri) pedes euangelizantium bona, euangelizantium pacem? Euangelizator enim bonorū*, inquit, (id est, *gratia Dei*) *paci* (scilicet externæ) *eam præferendam sciebat*. Hoc est perpetuum in primis salutationibus epistolarum: sed in sequenti Ioannis epistola sola ponitur pax.

g lib. 1. c. 25.

h 3. con. Mar. cap. 5.

i Esa. 52. 7. Rom. 10. 15. Nahum 1. 15.

Rupertus [k] notatu dignum putat, quod Paulus Timotheo scribens Episcopo, misericordiam interposuerit, *quia in illo*, inquit, *Episcopos omnes informabat, cuius officij summum, & necessarium decus est misericordia: & ille (Timotheus) vt fertur, zelo feruentioris erat*. Addit Rupertus [l], monitum Timotheum, *seniorem ne increparet, sed obsecraret vt patrem*: Petrũ labi permissum, cui vt pasceret agnos dicendum erat, vt in suo lapsu disceret esse misericors.

k lib. 1. in Ap. *Misericordia maxime competit Episcopus.*

l 1. Tim. 5. 1.

Placet quidem annotatio Ruperti, si de Pauli, ac Timothei persona sit sermo: Concedo etiam adeo graui Episcopali muneri pernecessariā Dei misericordiam, cùm raros doceat Chrysost. [m] Episcopos esse qui salui fiant. Sed nec Electa, vllúsve, quod sciamus, ex natis ipsius Episcopus erat, ad quos Ioannes scribit, nec illi, ad quos Iudas: in quorum tamen duorum epistolis misericordiam reperimus faustæ precationis, siue salutationis, aut benedictionis locum tenere.

m homil. 3. in Acta: quem etiam lege in libris de Sacerdotio.

Rectè confert, ac præfert Origenes [n], istā non tam salutationē, quàm benedictionem omnibus Patriarcharum, Patrúmque veterum benedictionibus Noë, [o] Abrahā [p], Isaac [q], Iacob [r], Mosis [s].

n in c. 1. epist. ad Rom.

o Gen. 9.
p infra 24.
q infra 27.
r infra 49.
s Deut. 33.

Sit vobiscum.] Græcè *ἔσται*. Sed futuris vti pro Imperatiuis non insolens, maximè vtentibus idiotismis Hebraicis, vt sæpiùs obseruauimus. Quidam quoque Græci codices habent *ὑμῶν nobiscum*, non *ὑμῶν vobiscum*.

Gratia, misericordia pax.] Præter illa, quæ dixi, Thomas Anglicus primam refert, ad culpam delendam: secundam, ad indulgendam pœnam: tertiam, ad reconciliationem cum Deo, & cautelā, ne deinceps offendatur: item, primam ad lumen contra errores: secundam, ad purgationem affectus à reliquiis peccatorum: tertiam, ad mentis trāquillitatem contra recidiuum, ne Deus offendatur, & proximus.

Quæ sint gratia, misericordia & pax propria.

Hugo primam accipit pro remissione peccatorum: secundam, pro eâdem, si quis labatur post Baptismum: tertiam, ne offendarur in posterum Deus, aut proximus: vel primam pro cognitione quid sit agendum: secundam, vt proficiamus: tertiam, vt hæreticis resistamus. Vel primam pro gratiarum actione Deo reddenda: secundam, pro exhibendis operibus misericordiæ proximo: tertiam, vt caueamus à malis desideriis.

Carthusianus primam interpretatur de gratia sanctificante: secundam de remissione culpę, conseruatione gratiæ, Dei pia in rebus nostris assistentia: tertiam de tranquillitate mentis in Deo, de concordia cum ceteris, de æterna beatitudinis pace.

Hieronymus [t] obseruat rectè in terra pacē nobis Apostolos imprecari, vbi seditio, bella, atque discordiæ. Sed præ ceteris pax fœminis imprecāda maximè, qui solet sexus maximè litigiosus esse.

t epist. 89. *Pax fœminis cur imprecanda maximè.*

Nulla [u] ferè causa est, in qua non fœmina litem
Mouerit, accusat Mandia, si rea non est,
Componunt ipsæ per se, formántque libellos
Principium, atque locos Celso dictare paratæ.

u Iuuen. Sat. 6.

Lege Valerium Maximum [x], & legem [y], qua postulationibus interdicitur ipsis. Dici verò etiam de tribus illis posset, quòd gratia designet quoduis Dei beneficium gratuitum conducēs ad æternam salutem: misericordia illud idem, quatenus confertur in miseros; & ad miseriā refertur subleuandam: pax Hebræo idiotismo significat salutem animi corporísque, huius & futuræ vitæ.

x lib. 8. c. 3.
y l. 1. ff. de postulando.

A Deo Patre, & à Christo Iesu Filio Patris.] Existimat Origenes [z], non absque graui causa non obseruasse Paulum rationem eandem salutandi vbique in omnibus epistolis. Nam in epistola ad Romanos, duabus ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippēses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses secunda, vtraque ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, subiicit à quo benè precetur: & in primis sex hoc modo, *à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo*, vel *à Deo Patre & Domino nostro, &c.* vt in epistola ad Galatas: *vel à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro*, vt in prima ad Timotheum, & secūda: at verò in prima ad Thessalonicenses habetur: *Gratia vobis, & pax*. nihil vltra: in epistolam ad Titum additur epithetũ Sal-

z in cap. 1. ep. ad Rom.

Docebit nos de viis suis, Hieronymus vertit *vias suas*. Talia illa: *Dabitur* [a] *ei de auro Arabiæ*: & [b] *adorabũt de ipso*. Auri quidem partem, non aurum totum dandum possumus intelligere: at nunquid pars aliqua Christi prædicitur adorãda, caput, pectus, pedes, &c. non Christus totus? Itaque simplicior sensus, quem tradit secundo loco Carthusianus: *Inueni de filiis tuis*, id est, hoc de eis cognoui, vel, inueni filios tuos, &c.

a Esa. 72. 16. b ibid.

De filiis tuis.] Ἐκ τῶν τέκνων σου, Quos ante natos Interpres vertit: & incertum dixi, ex quo sexu. Quamuis autem nomen Latinum sit generis masculini, vtrumuis complecti potest vel vtrumque. Iungitur verò Græcè nomini neutro participium masculinum περιπατοῦντας.

Ambulantes in veritate.] Vim phrasis aliàs expressimus, quid sit videlicet *ambulare in re aliqua*. Sic sæpius dicit scriptura, *Ambulare in nouitate vitæ* [c], *in operibus bonis* [d], *in dilectione* [e], *in sapientia* [f], *in luce* [g], & contra *in tenebris* [h], *in astutia* [i], *in vanitate sensus* [k]: *in fornicatione, immunditia* [l], &c. *in esçis* [m], *in comessationibus & epulationibus: in luxuriis, desideriis* (oimirũ lasciuis) *vinolentiis, &c.* [o] *in concupiscentia immunditiæ* [o], significatur processus cũ incessu, animi applicatio cum intentione. Ambulare autem in veritate, idem est, vt etiam prius annotauimus, quod sincerè secundũ puritatẽ doctrinæ ac vitæ: quod ambulare vt filios lucis [p], & dum lux splẽdet [q], & in dilectione [r], siue charitate, sine qua ceteræ virtutes nõ sunt omnino veræ, atq; perfectæ.

Quid sit ambulare in re aliqua.
c Rom. 6. 4. d Ephes. 2. 10. e Eph. 5. 2. f Col. 4. 5. g 1. Ioan. 7. h 1. Ioan. 2. 6. cap. 2. 11. i 2. Cor. 4. 2. k Eph. 4. 18. l Col. 3. 5. 6. 7. m Heb. 13. 9. n 1. Pet. 4. 3. o 2. Pet. 2. 10. p Ephes. 5. 6. q Ioan. 12. 35. r Eph. 5. 2.

Sicut.] Id est, prout, nõ autem, vt Glossa voluit interlinearis, tam perfectè. Vel si hoc modo, non ex æqualitate, sed secundum proportionem.

Mandatum accepimus à Patre:] Per Filium, inquit Thomas Anglicus, qui Filius præcepit, *diligere etiam inimicos* [s]: &, *ambulare dũ lucẽ habemus* [t]. Concordat Hugo. Carthusianus Patrem intelligit substãtialiter, Deúmque Trinum qui est omnium creator: Lyranus interpretatur de Christo, qui est Pater omnium Christianorum. Non memini ipso Patris nostri nomine appellatũ Christũ, sed *patris futuri seculi* [u], hoc est, auctoris: & per consequentiam, pater dici potest etiam vt homo: cum ipse nos nominet filiolos suos, vt docui epistola priore [x], quando mandatum dedit de charitate. Vbi tamen intelligere possemus loqui Christum respectu non sui, sed Patris. Nam vnũ dixit esse Patrem omniũ, qui est in cœlis, se verò Magistrum [y], & meminit vocari se à suis solitũ Magistrum, & Dominum, non item Patrem [z]. At non cõstat veritatis voce charitatem intelligi hoc loco: si hoc placet, licet quoque Patrem sumere, vt libet ex tribus allatis modis. Quæ sequũtur, indicant nunc agi de mandato charitatis. Id, vt ibi dicebamus, quamuis dederit in vetere Testamẽto Deus, Christus tanquam sibi, ac legis suæ nouæ propriũ dixit, ac propterea sicut mandatũ accepit à Patre, qui *sic dilexit mundum. vt Filium suum vnigenitum daret* [a], ita docuit, & quod te ipsa fecit *obediens Patri, tradẽdo seipsũ singulari amore pro nobis*, nobis iniunxit vt inuicem amaremus in veritate.

s Mat. 5. 44. t Ioan. 12. 35.
u Esa. 9. 6. Filius quomodo Pater dici possit.
x Ioan. 13. 33.
y Matth. 23. 9. 10. z Ioan. 13. 13.
a Ioan. 3. 16.

Quocirca Christus pater noster est, quia doctor, & regenerator, & pater dicti mandati, quoniam peculiari modo auctor. Idem denique mãdatum acceptum est à Patre, sed per Filium.

Christus Pater appellari potest.

Idacius [b] arbitratur de Christo nomen Patris in scripturis dici, nimirum respectu nostri, non solùm citato loco Esaiæ, sed præterea illis verbis Deuteronomij [c], quæ sic refert: *Nonne hic pater tuus, possedit te, & fecit, & constituit te?*

b con. Varim.
c cap. 32. 6.

Addit sicquoque Spiritum sanctum nominari ab Apostolo [d]: *Homines quidem nostra carnis habebamus correptores, & verebamur in eos: quanto magis subiiciemur Patri spirituum, & obediemus ei, vt viuamus? Illi quidem paucis diebus pro voluntate sua; sicut ipsis videbatur, disciplinam dabant: Spiritus autem ad vtilitatem accipiendam sanctificationis sua.* Hoc modo Idacius recitat, & sentit.

Spiritus S. etiã Pater nuncupatur.
d Heb. 12. 9.

Ego verò haud sanè consentio in ea duorum aliorum locorum expositione. De loco Esaiæ dixi, quid videretur. Et si videtur, lege Petrum Galatinum [e], qui pro Patre futuri seculi legit *Patrem sempiternum*, exponitque *Patrem* dici Messiam in redemptionis dilectione, *sempiternum* in resurrectione, sicut etiam *Principem* in ascẽsione, & *pacem* (legit enim *principem pacem* non *principem pacis*) in Spiritus sancti missione. Sed nec videtur, cùm de distincta persona à Patre sermo est, etiam si de ipsa Patris tunc persona mentio nulla sit, satis accommodatè Patris vox dici de illa; & minus quodammodo de illa, quæ habet propriam rationem Filij, & quia Filius Dei est, hominis quoque voluit filius esse. Lege Petri Fabri Dodecameron [f], siue de Dei homine.

e 3. de arcanis Catho. verit. cap. 19.
Messias Pater ab Esaia dicitur.
f cap. 2.

Vers. 5. Et nunc rogo te Domina, non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, Vt diligamus alterutrum.

ROgat, hortatúrque, vt perseueret mater bona cum filiis bene ambulantibus, immò currentibus in veritate diuinæ dilectionis, de qua traditum sit, mandatum iam pridem, non nupertimè. Declaraui prima epistola [g] mandatum charitatis, præsertim fraternæ, quo pacto simul nouum, simul vetus censeatur. Sententiæ, ac verborum similitudo arguit eũdem huius auctorẽ epistolæ, ac primæ, sicut etiam in Præfatione annotaui [h]. Vetustatem mandati commendat idcirco Ioannes, & inculcat, vt Hæretici deuitentur, qui relictis, quæ ab Apostolis audierant, noua inducebant, & per hæc, inquit Glossa ordinaria post Bedam, fraternæ charitatis fœdera dissipabant. Nouitas præterea mandati charitatis penes id considerari potest, quia generaliùs, manifestiùs, magis publicè obseruatio illius in Christianismo cõspecta est, seu in Ecclesia, vbi nomẽ fraternum adeò viguit & sincera philadelphia; atque inimicorum etiam dilectio tot ac tantis exemplis enituit; vsque ad Gentilium ipsorum stuporem.

g cap. 2.
h cap. 4.

Et nunc.] Vim phrasis lege præcedente epistola, pro, itaque, &c. Interlinearis respectum notat ad præcedens tempus, nec non Thomas Anglicus; quasi diceret, certior factus per ea quæ habes; id est, fidem, & charitatem tuam, tuorúmque, deinceps rogo, &c.

Apostoli hos rogant, ad quos scribunt.

Rogo te Domina.] Demissè ac reuerenter agit cũ hac fœmina, quamuis res, de qua loquebatur, esset debita, vt notat Glossa Interlinearis. Obseruauit eundem Paulus modum persæpe [i], vt obsecraret [k], rogaret [l], deprecaretur, ídque se pro Christo seu nomine ipsius facere significaret [m], & inter Episcopalia munia. primum poneret obsecrare, postquam arguisset Episcopus, id est, rationibus conuicisset, deinde verbi increpare [n]. Sed & Philemoni scribens ait [o]: *Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, vt Paulus senex, nũc autem & vinctus I. Christi obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis One-si-*

i Philip. 4. 2. 1. Thess. 2. 12. Hebr. 13. 19. k Rom. 12. 1. c. 15. 30. 1. Cor. 1. 10. c. 16. 15. 2. Cor. 2. 8. cap. 10. 2. Gal 4. 12. Ephes. 4. 1. 1. Thess. 4. 1. 2. Thess. 3. 1. 12. 1. Tim. 2. 1. l Ro. 16. 17. 1. Cor. 16. cap. 12 13. 2 Cor. 5. 6. c. 10 2 c. 12. 18. Philip. 4. 2. 1. Thes. 4. 10. cap. 5 12 14. 2. Thess. 2. 1. 2. Tim. 1 3. Heb 13 22. m 2. Cor 5 20. n 2. Tim 4. 2. o vers. 9. & 10

mo.Magnum in hac Oratione τὸ πάθος, egregia ſigna paternæ dilectionis. Et obſeruatum eſt epiſtolas ſcriptas in carcere à Paulo magis efficaces eſſe,& ſuaues.Sciebat tamen abundare, & penuriam pati [a],ac interdum non in charitate,ac Spiritu manſuetudinis,id eſt,non in externis eius ſignis,ſed ſignificabat ſe in virga [b],& durius, atq; cum poteſtate [c] agere poſſe:& quãuis vellet præoccupatum in delicto inſtrui in Spiritu lenitatis [d],nihilominus iubebat quoque eum omni imperio,id eſt, auctoritate ne contemneretur Epiſcopus,exhortari,& arguere [e], *& peccantes coram omnibus pariter arguere,vt & cæteri timorẽ haberent* [f]. Eandem obſeruandi ſecutus eſt rationem princeps paſtorum Petrus [g],& Iudas [h].

Maximè verò conuenit ſic tractare ingenuos, nobiles,ſeniores,potentes,magiſtratus, infirmos, ſiue ex quadam infirmitate animi labentes. Hoc pacto conſenior Petrus obſecrabat cõſeniores [i]. Paulus diuitem Philemonem [k],& Epiſcopos Timotheum ac Titum [l]. Propterea vetabat *Seniorem increpari,ſed obſecrari vt patrem* [m]: & *præoccupatum in delicto,volebat inſtrui in Spiritu lenitatis* [n]: & monebat patres, *ne ad iracundiam prouocarent filios ſuos* [o],Iob ſeruum ore proprio deprecabatur [p],& orabat filios vteri ſui [q](ex concubinis ſuſceptos, & ancillis,vt reddunt Septuaginta) vt remitterẽt minas erga etiam ſeruum [r]: Quo ſpectant quæ dixi alias de blanda voce patrisfamilias, ſeruorum quoque reſpectu.Lege Auguſtinum [s], Cyprianum [t], Macrobium [u], Senecam [x], Plutarchum [y], de hac moderatione Domini aduerſus ſeruos. Deus ipſe videtur obſecrare, quando dicit [a]: *Popule meus,quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi, reſponde mihi. Popule meus memento quæſo quid cogitauerit Balac,&c.*Precantis quoque geſtus fuit, *expandere manus ad populum incredulum,& contradicentem* [a]:Si iudicat, cum tranquillitate id facit,& cum magna reuerentia diſponit nos [b], ἐν ἐπιεικείᾳ κρίνεις, καὶ μετὰ πολλῆς φειδοῦς διοικεῖς ἡμᾶς: *In æquitate, vel manſuetudine,& cum multa parcitate,miſericordia, indulgentia.*In Euangelio pater egreſſus ſeniorem filium rogat, vt iuniori reconcilietur [c]. Imitandus Deus magis,& Apoſtoli, quàm qui cum ſupercilio dicebant: *Nonne præcipiendo præcepimus vobis,*&c [d].

De temperanda potiſſimùm à Prælatis cenſuræ ſeueritate cum lenitate,ac ſuauitate,lege Bernardum [e],Bonauenturam [f],& Gregorium [g]. hic acutè quæ Paulus [h] ait,*inhoneſta noſtra, abundantiorem honorem habere*,de occultis potentium delictis interpretatur magna dexteritate,ac ſuauitate corrigendis.Iubet [i] etiam cõſiderare, vel nos iiſdem peccatis obnoxios eſſe,vel fuiſſe, vel eſſe poſſe, quæ reprehendere volumus in aliis, vel vt qui modò reprehenditur à nobis, multò poſtea ſuperior nobis euadat gradu,atq; ſanctitate. Conſule Gregorij eiuſdem Paſtorales Admonitiones [k].

Ad extremum,repetendum quod ante dixi, ac memoriæ commendandum,quod Ioannes fœminam dignatur Dominæ nomine:quod negauit ſe Paulus dominari fidei aliorum [l].Sed eſſe vt paruulum in medio ipſorum [m], *& tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos* [n], vt eorum ſeruum per Ieſum [o]. Imitatur ſummus Hierarcha imã hanc humilitatem,dum ſe ſeruorum Chriſti cognominat ſeruum. Imitatur Auguſtinus [p] vocans quibus præerat, ſeruos, & filios Dei dominos ſuos, *quibus iuſſerit Deus vt ſeruiret.* Imitatur Hieronymus [q], appellans Euſtochium dominam ſuam, idque ſe

a Phil.4.12.
b 1.Cor.4.21.
c 2.Cor.13.10.
Timuer aliquãdo verbis durus Apoſtolus.
d Galat.6.1.
e Tit.2.15.
f 1.Tim.5.20.
g 1.ep.2.12. c.5.1.2.
h in ep.verſ.5.
Quibuſnã manſuetè agere neceſſe ſit.
i 1.Pet.5.1.
k ad Philem. verſ.9.& 10.
l notatis ante locis in margine.
m 1.Tim.5.1.
n Gal.6.1.
o Epheſ.6.4.
p Iob 19.16.
q ibidem 17.
r Epheſ.6.9.
ſ 19.de Ciui. Dei cap.15.
t ad Demetrianum.
u 1.Saturnal. cap.11.
x ep.31.3. de Benef. c.28. lib.4. controuerſ.in 22.
y de cohiben. ira.
z Michææ 6.3.5.
a Eſa. 65.2. Rom.10.21.
b Sap.12.18.
c Lucæ 15.28.
d Act.5.28.
e ſerm. 2. de Reſurrect. & ſerm. 23. in Cantica.
Potentium delicta quomodo corrigenda.
f de ſex Alis Seraphim cap. 4.5.7.
g 23.Moral. c.5.
h 1.Cor.12.23.
i 23.Moral. c. 8. vel 14.
k Præſertim par.3. Paſtora. c.5.& 6.
l 2.Cor.1.23.
m 1.Theſſ.2.7.
n ibidem.
o 2.Cor.4.5.
Pontifex maximus ſe ſeruum ſeruorum Dei appellat.
p in Confeſſ. cap.4.
q epiſt.22.

facere debere ſcribens, quia erat ſponſa Domini ſui.Non erat quidem Electa, cui mittit Ioannes epiſtolam,virgo corpore, cùm tamen ambularet in veritate,atque ad Eccleſiam pertinebat & numero, & merito, quam *deſpondit* Paulus *vni viro Chriſto virginem caſtam* [r],potuit ſimili de cauſa vocari Domina.

Verſ.6.]Et hæc eſt charitas, vt ambulemus ſecundùm mandata eius. Hoc eſt enim mandatum, vt quemadmodum audiſtis ab initio, in eo ambuletis.

His verbis in epiſtola prima [ſ] ſunt alia ſimilia. Ibi ſatis explicatũ,qua ratione diuina mandata cenſeantur eſſe plura & vnum:& quo pacto magis in nouo Teſtamento,ac ſępius inculcetur, vt in his ambulemus, quoniam nobis ad ambulandum ſuppetit vberior gratia: lex vetus per ſe tantis auxiliis deſtituta, peccandi quodammodo præbebat potiùs occaſionem, vt diſſerit Paulus capite VII.toto epiſtolæ ad Romanos. Nã docet legem per ſe obligare,nec tamen vires dare,quibus quod iubet,fiat;hoc eſſe proprium Fidei,gratiæque,quæ pertinent ad Euangelium, nec data ſunt exiſtentibus olim in ſtatu legis, niſi propter futurum Chriſtum.Igitur mentiuntur ſupra modum hæretici, fitque in ipſis ſupra modum peccans peccatum,dum negant præceptum charitatis impleri poſſe, vel negant fide præditũ peccata committere.Sed his de controuerſiis aliàs.

Porrò cùm dicitur charitas in eo eſſe, vt ambulemus ſecundum mandata Dei,ſenſus eſt, non debere eſſe otioſam in illo,qui operari poteſt; in puero enim,vel amente poteſt eſſe, ac perdurare ſine opere Etſi verò habitus ſupernaturales,quos ſolus producit Deus in nobis, non pereant, niſi cùm propter peccatum tollit eoſdem idem Deus, immò & de naturalibus, qui ſunt item ſpirituales,probabilior opinio ſit non interire per ſolam deſuetudinem, ſed per actus oppoſitos:tamẽ moraliter loquendo, non poteſt diu charitas otiari: ſed ſi renuat operari,cùm opus eſt, charitas non eſt,& eſſe deſinit, quia tunc non operari,peccatum eſt. Sic verum eſt,quod ait Chriſtus [t] *palmitem non ferentem fructum,tolli:*& *quod qui præcepta ſeruat eius,manet in dilectione ipſius, ſicut & ipſe Patris præcepta ſeruauit,& manſit in illius dilectione:*hoc eſt, demonſtratur dilectio ex operibus, veſtra ex veſtris,mea ex meis. Quod ſi de operibus charitatem præcedentibus,& ad eam diſponẽtibus, quis intelligat, in nobis quidem non ſunt ſemper neceſſaria opera veræ charitatis, ſed ſuppleri poſſunt,poſitis aliis imperfectioribus,ordinis tamen ſupernaturalis,per Sacramenta:in Chriſto autem licet gratia charitáſque habitualis, ſit quodammodo connaturalis,propter vnionem hypoſtaticam, præceſſerunt prius naturâ velut diſpoſitiones opera perfectæ charitatis.

In eo ambuletis.]Mandato,non autẽ Chriſto, vt voluit Catharinus. Ἐν αὐτῇ nempe τῇ ἐντολῇ, *in eo mandato,* in quo eſt lux quidem Chriſtus, viámque ſuo exẽplo illuſtrauit, & ſuis veſtigiis ſignauit,vt nullus penitus in ea ſit error;tamen proximè,ac per ſe non de Chriſto, ſed de mandato locus iſte ſumendus eſt.

Didymus ambulare in Dei mandato,& id cuſtodire,idem notat eſſe, illud tamẽ indicare profectum, atque profectum: Notauimus & nos hoc ipſum antè in prima epiſtola [u]. Adde quod ſubiungit hic Pater de Adamo [x] ſecũdum quod

r 2.Cor.11.2.
ſ cap.5.2.3.
Hæretici mentiuntur negantes præceptum charitatis impleri poſſe.
Charitas otioſa eſſe non debet.
t Ioan.15.2. 9.10
Ambulare in Dei mandato eſt illud cuſtodire.
u cap.2.
x Gen.2.15.

a Gen. 2. 15.

dam huius rei ænigma positum in Paradiso [a], *vt operaretur & custodiret eum.* Vbi *per operationem*, inquit, *effectus prouectio designatur: per custodiam, perfectionis ipsius status, atque constantia.*

Oecumenius iubet nos animaduertere in similitudine præsentis sententiæ cum alia, quæ est in epistola prima, & hanc secundam verè Ioannis esse. Ad id autem, quod Didymus dicebat de ambulandi, & cõseruandi verbis, subiũgit ex Petro [b]: (*In quem desiderant Angeli prospicere:*) παρακύψαι, vt vlterius veluti progrediantur, & perseuerent: quoniam qui sapit, quòd perpetuò progreditur, appetit, non id, quod cessaturum est: hoc est, beatitudinem etiam perceptam *semper esurire, ac sitire* [c] *coronas deponere* [d] *vultus, pedésque contegere* [e], quasi non satis æstimari possit.

b 1. Pet. 1. 12.

c Eccl. 24. 29. d Apoc. 4. 10. e Esa. 6. 2.

Vers. 7.] Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & Antichristus.

HOc est, quod rogat, & hortatur, vt errores caueant aduersus incarnationem Christi, siue vt exponit Beda, & Glossa ordinaria, & alij, quos hæretici excitarũt negantes aut veram eius carnem, aut veram animam, aut veram diuinitatem, aut verum eius Patrẽ Deum, aut verum eius Spiritum sanctum Deum omnipotentẽ, aut aliud aliquid, quod recta fides confitetur: siue quem tradebant Iudæi, qui nec dũ venisse Christũ credebant ad salutem mundi, sed ad interitum suum expectabant, expectántque etiamnum venturum Antichristum. Non hi errores omnes adhuc erãt exorti, sed præcipuè Diuinitas impugnabatur ab hæreticis, & Iudæis, vt & hodie, venisse Messiam.

Errores aduersus incarnationem.

Caietanus vult agi hoc loco de secũdo aduentu, & poni debere non *venisse*, sed *venturũ*: quo etiã pacto vertit Vatablus, licet fateatur reddi posse *venisse*, vt notetur error diffidentium venturũ denuo Christum ad iudicium, quasi vel id nõ sit futurũ, vel nõ iudicaturus Christus homo, vel nõ in carne, quã iam deposuerit: his enim modis oportet ab iis errari, qui venturum negent Christum.

Apud Hæreseologos [f] lego iudicium iam factum, nec aliud vltra futurum sensisse Gnosticos anno Christi ferè 129. Florianos anno 181. Manichæos anno 273 Priscillianistas anno 382 Patricianos, vel Symmachianos, quorum ætas ignoratur: Albanẽses, anno 796. ætate nostra Dauidicos siue Dauidgeorgianos anno 1525. At dum viueret Ioannes, præter Samaritas, qui pertinent potiùs ad hæreticos Iudæorum, vnus Dositheus Iudæus genere, anno 52. in eodem versatus errore traditur cum discipulis Dositheanis. Numerat Dositheum Egesippus inter primos pseudochristos, pseudoprophetas, pseudoapostolos. Sed is omnẽ spiritum tollebat de medio, atque resurrectionẽ, sicut & istam plures ex aliis modò recitatis.

f Præsertim apud Prateolũ & Alphonsum à Castro.

Communis tenet opinio contra Caietanum, Ioãnni sermonem esse de primo, non de secundo aduentu Christi. Persuadet id tum propositus in omni Euangelio, ac epistolis scopus confirmandi verum veri Dei filij aduentum in carnem aduersus hæreses quæ hoc impugnabant præcipuè: tum duæ hic expressæ voces *in carnem*, quæ satis designãt incarnationem. Nec verum est participium Græcum ἐρχόμενον tempus dumtaxat futurum significare. Per se potiùs præsens denotat: in Scripturis verò, si futurum, eum, qui prædicebatur futurus, ac venturus, *qui si venit*, inquit Catharinus, *esse dicitur venisse.* Hoc modo Ioannes Christo ipsi, quæ verbis suis interrogarent, sed vt illi discerent, non ipse qui certus erat, venisse Christum: [g] *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν? vbi Syrus: *Tu is es qui venturus eras?* etsi autem nec pauci, nec leuis Doctores auctoritatis intellexerunt, ipsummet dubitasse Ioannem, essétne moriturus, ac in infernum descensurus [h], longè verius eo quem dixi sensu, qui pluribus placet, dubitantis personam induisse, dubium verò nullũ neque de morte, vel descensu, neque quod non dubitauit affirmare Iustinus [i], aut quis alius atque Tertullianus [k], de Christi diuina incarnatione. Confirmat hanc eandem de loci huius intelligentia opinionem Isidorus Clarius ex verbis Marthæ. *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti* [l], ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος, *qui veniens es, vel venis*, id est, qui expectabaris venturus, quem venturum prædixerant Prophetæ. Probant idem verba Samaritanæ, quæ certè nondum credebat Messiam venisse: *Scio* [m] *quia Messias venit, qui dicitur Christus: cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται, &c. ὅταν ἔλθῃ, &c. Syrus: *Scio Messiam esse venturũ*, &c. nempe in propinquo esse, iam natũ esse, ac se miraculis ostendere cœpisse. Similis planè formula: Elias quidem venturus est [n]: Ἠλίας μὲν ἔρχεται, *venit.*

Ioannes non de secundo, sed de primo aduentu loquitur.

g Matt. 11. 3.

h citat Maldonat. in Matthæum c. 11. Tolet. in Luc. c. 7. annot. 14. & nos in Dom. 3 aduen. Suarez tom. 2. disp. 24. sect. 4. Canis. de S. Ioanne bap. Salmeron to. 4. par. 2 trac. 9. i qu. 38. ad Orthodo. k 4. con. Marcio. cap. 18. & lib. de Baptismo c. 10. de Præscript. c. 8. l Ioan. 11. 27. m Ioan. 4. 25.

n Matt. 17. 11.

Ex erunt in mundum.] Εἰσῆλθον, *ingressi sunt*, vel *introierunt.* illud autem est ἐξῆλθον. *Non refert, vt dicantur exisse, qui priùs latebant* [o], inquit Gagneius. *Et sicut epistola priore dictum est: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis:* ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον.

o cap. 2. 19.

Venisse in carnem.] Iam docui, ἐρχόμενον rectè verti potuisse per tempus præteritum, sic verò etiam debuisse, nefas est dubitare, nisi editionis vulgatæ correctæ auctoritas reuocetur in dubium, quod æquè non licet. Quamuis autem Græcè quoque sit ἐν σαρκί, id est, in carne, (quo item modo reperi in nõnullis codicibus Latinis,) aut cum carne, sensus non discrepat, licèt Thomas Anglicus, Aduentum in carnem sumat pro conceptione, in carne pro natiuitate. Tertullianus disputans de carne Christi [p] vtitur hoc loco, legítque vt nos modò legimus. Oecumenius quidem vult hic agi de secundo aduentu, quam retuli superiùs esse Caietani sententiam, tamen ait simul includi primum, quoniam qui secundum neget, conuincitur & negare primum, cùm qui iam venit, denuò se venturum prædixerit, nihilominus de solo primo aduentu loquitur Ioannes, vt ante demonstraui, neque quod idem contendit Oecumenius, ἐρχόμενος verti non potest per tempus præteritum.

p cap 24.

Hic est seductor, & Antichristus.] Testis Gagneius, quibusdam in codicibus iungi priora illa in singulari numero, non in plurali, sicut modò legimus. *Qui non confitetur*, &c. Hoc autem magis etiã ipse probat. Nos probare non possumus, licèt legerimus apud quosdam libros manuscriptos; & in Græco nouo Testamento suo Robertus Stephanus adscripserit margini post illam sententiam: Ὅτι πολλοὶ πλάνοι εἰσῆλθον εἰς τὸν κόσμον, οἱ μὴ ὁμολογοῦντες Ἰησοῦν Χριστὸν ἐρχόμενον ἐν σαρκί; hanc aliã: εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκί. *Si quis non confitetur Iesum Christum in carne, nimirum esse, aut venisse*, &c. siue vt habet vnus codex manuscriptus Latinus: *Qui non confitetur Dominum Iesum Christum venientem in carne.* In eo tamen codice vnica conficitur sentẽtia cum præcedentibus:

Quoniam multi seductores exierunt in mundum. Qui non confitentur Iesum Christum venientem in carne, hic est seductor & Antichristus. Sed tetenta, vt pat est, lectione nostra, miratur Catharinus quomodo à numero multitudinis transferri Ioãnes ad singularem. Respondet, videri posse mysterium, tanquam scilicet non sint multi, qui ita seducant, sed vnus per ora multorum, nempe diabolus, vt tus, & primus, & maximus Antichristus, *omnis superbiæ* [a], *& mendacij pa ens*, & origo. Concedo sane, quod ait de diabolo: tamen satis frequens permutatio numerorum Scripturis est à plurali ad singularem, ab hoc vicissim ad illum: Ponit Ribera [c] exempla transitionis à singulari ad pluralem. Transit à plurali ad singularem Iob [d]: *Habitent in tabernaculo illius socij eius. Qui non est, &c.* & Psalmos [e]: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commouebitur*, &c. & Paulus [f]: *Vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in Spiritu lenitatis, considerans te ipsum ne & tu tenteris.* Deinque Gregorius [g] hunc Scripturæ morem in numerorum permutatione diserte tradit, quã de te quoque disserit Mattinus Cantapetrensis [h]. Quocirca nec admodum necessaria Oecumenij notatio, supplendum ob illam transitionem de plurali ad singularem: *Quisquis non confitetur*, vt apte subiungatur, *is est seductor, & Antichristus.* Vocem Græcam τὸ πᾶν Latinam boni linguæ Latinæ Auctores fecerunt, Cicero [i], Gellius [k], Horatius [l], alij.

[a] Iob.41.25. [b] Ioan.8.44. [c] ... in Abdiam num. 71. [d] cap.18.15. [e] Psal.124.1. [f] Gal.6.1. [g] 26. Moral. c.10. [h] 6. Hypotyp. cap.4. [i] pro Cluen. [k] lib.16.c.7. [l] lib.1. epist. 18.

Vers. 8.] Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed vt mercedem plenam accipiatis.

PLures quidem codices Græci legunt in prima persona: Βλέπετε ἑαυτοὺς ἵνα μὴ ἀπολέσωμεν ἃ εἰργασάμεθα ἀλλὰ μισθὸν πλήρη ἀπολάβωμεν. *Videte vosmetipsos ne perdamus quæ operati sumus, sed vt mercedem plenam accipiamus*, videlicet, ne frustra laborauerimus in vobis, ac frustremur fructu laborum nostrorum: tamen aliqui etiam habent secundam personam: *Ne* μὴ ἀπολέσητε, ἀλλὰ, &c. ἀπολάβητε nimirum, ne si seduci se sinant, perdant fidei, ac bonorum operum fructum. *Timeo vos*, dicebat Paulus [m] Galatis, *ne forte sine causa laborauerim in vobis*: & cõtra lætabatur quòd non in vacuum cucurrisset, neque in vacuũ laborasset in Philippensibus [n].

At editio nostra non inanem Ioannis deplorat laborem, sed eorum, quibus mittit epistolã quorum tamen iacturam, quia charitas æstimat in Ioanne vt propriam, potest alia lectio sensum vtrumque comprehendere. Transfert sententiam Bonauentura [o], vel accõmodat ad illos, qui præsunt, monens, ne aliis prouidendo, se ipsos negligant, ne alios saluando, se ipsos in periculum demergant; *ne mundum vniuersum lucrando, animæ suæ detrimentum patiantur* [p]: ne perdant quæ operati sunt in aliis, vacui mercede, aut non plenã recipientes ac solidam, hoc est, non à Deo, sed ab hominibus.

[m] Gal.4.11. [n] Philip.2.16. [o] Opusc. de sex alis seraphim, c.7. ... [p] Matt.16.26.

Hinc sequitur, per hæresim, necnõ & per quod cumque mortale peccatũ, gratiæ atque meritorum iacturam fieri, quod alias dictum est in Ecclesiastis Commentario [q], licet per pœnitentiam postea reuiuiscant. Del de semel habitam gratiam iust tiámque perdi posse. Adhæc intuitu mercedis bene operati bonum, ac laudabile esse. Sed non est simpliciter verum esse, quòd nullum opus bonum, vt vulgò tamen dicitur, maneat irremuneratum. Etsi enim *non est iniustus Deus*, *ut obliuiscatur operis vestri* [r], quantum est ex parte ipsius, interponi potest obex & impedimentum per nouum demeritum: & Galatis Paulus [s] obiicit esse probrandoq; *tanta passi estis frustra*, sine sine causa? Componit hæc mirificè Aquinas [t]. Tandem, reddi meritoris operibus mercedẽ, ac proinde talia opera veram, propriámque meriti rationem habẽria esse posse in nobis cum vera iustitia, etiamsi forsan non sit quis prædestinatus.

[q] ... [r] Heb.6.10. [s] Gal.3.4. [t] 1.2.q.114. ...

Merces porrò plena propriè beatitudo est, quę dicitur quandoque hæreditas, prout datur filiis secundum adoptionem, quæ concipi potest præscindendo à meritis, immo & esse in eo, qui sine vllis meritis cum sola gratia moritur, nisi propter Christi merita censeatur in quocumque beato mercedis rationem habere beatitudo. Quãquam & Christus ipse, vt filius Dei *constitutus sit heres vniuersorum* [u], & *intrauit in gloriam suam* [x], id est, naturali iure debitam per meritum passionis, nõ in gloriam quidem suæ beatitudinis essentialis, quæ non cadit sub meritum ipsius, & quã nunquam caruit anima eius, sed accidentalis in proprio corpore, & exaltationis nominis sui, &c. Ibi autem *mensura ... conferta, coagitata, supereffluens* [y] propter multitudinem honestissimarum voluptatum: propter veritatem ac soliditatem, & veluti profunditatem earum: propter multitudinem vsque ad culmẽ: propter copiam supra modum, supra condignum, supra captum nostrum, & æstimationem: postremò *quia est merces magna nimis* [z], & voluptas ĩãta inebriat: vnde est illud [a]: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Adimplebimur ea que lætitia cum vultu Dei* [b], tum in animo, tum in corpore, vt introductione per singulas vtriusque partes siue facultates demõstrari posset, quod Hugo, atque Thomas Anglicus præstare conati sunt. Illos cõsule, ac indicatam ab ipsis viam, accuratiùs, si libet absolue. Grauissimus porrò damnatos cruciabit dolor ex præteritorum iactura meritorum, estque longe acerbior post felicitatem calamitas, ita vt prouerbio iactetur: *Nulla maior infelicitas, quam meminisse se aliquando fuisse felicem.*

[u] Heb.1.2. [x] Luc.24.26. [y] Luc.6.38. [z] Gen.15.1. [a] Psal.35.9. [b] Psal.15.

Vers. 9] Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet.

NOta satis bimembris regula constans negatione, & affirmatione ex dictis epistola primæ: sed in antithecto secundo pro Deo positus Pater, ac Filius, tum quia, vt sæpe vidimus, contra personam Filij, & idcirco contra personam Patris vigebant hæreses: tum quia qui in doctrina Christi permanet, id credẽdo, quod ipse docuit, & alij de ipso, atque moribus respondendo, non solùm habet fidem de ipso Christo Dei filio, & de Patre ipsius, verùm etiam tãquam filius & ipse Dei per adoptionem sit cum Filio consubstantiali cohæres hæreditatis paternæ Dei Patris.

Omnis qui recedit] Πᾶς παραβαίνων. Quidam in plurali legunt: *(Omnes qui recedunt, & non permanent)* Lyranus, *Omnis qui præcedit*: nec non Hugo, & Thomas Anglicus: & meminit eiusdem lectionis cum nostra Carthusianus, qui præterea recitat alia verba ante ista, *secundus quod*, quæ reperit quoque in manuscripto. Verbum autem præcedendi Lyranus interpretatur, cùm quis (præ) id est, priùs incessit bene per viam iustitiæ, sed ab ea deinde recessit, nec in ea permansit. Hugo, & Thomas, quando sua opinione, atque præsum-

ptione

ptione alios se præcedere dicit, per inuentionem noui falsi dogmatis, nullena aliis acquiescere. Legi in nonnullis Latinis codicibus impressis, & in pluribus manuscriptis. (qui præcedit:) Clarius autem, Pagninus, Vatablus, Caietanus, Ioannes Benedictus vertunt, aut exponunt: *Qui transgreditur*. Rectè quidem, sed idem valet recedere, à quo nobis non est recedendum. Nihil frequentius, quàm vt παραβαίνειν, quod trāsgredi, ac transcendere significat, sumatur metaphoricè pro eo quod est violare aliquid, vt νόμους ἢ ὅρκους, leges, aut iuramenta. Interdum, sed magis rarò, idem est, quod procedere, seu præcedere, atque prodire. Sed proposito longè melius congruit notio prima, à qua tamen non abhorret multum secunda, sed iuxta posteriorem explicationem: quoniam qui in sua noua procedit hæresi, præcedit ve, recedit ab orthodoxa priore doctrina, eámque transgreditur, & violat. Idem vsitatum Paulo nomen τῆς παραβάσεως [a] pro transgressione ac violatione legis: vt τοῦ παραβάτου [b] pro transgressore, violatore, præuaricatore. Nec memini voces istas in nouo testamento vsurpari alio modo; ac semel τὸ παραβαίνειν, quod sciam, extat; cuius loco reddidit interpres verbum, transgredi. *Διὰ τί οἱ μαθηταί σου παραβαίνουσι τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων? Quare [c] Discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorū?* Denique Iulianum Apostatam Suidas, Græcique alij cognominant παραβάτην. Hæc in gratiam editionis vulgatæ correctæ.

Transire idem quod violare.

[a] Rom. 2. c. 4. c. 5. Galat. 3. 1. Tim. 2. Heb. 2. c. 9. [b] Rom. 2. Galat. 2. Adde Iacobum c. 2. [c] Matt. 15. 2.

Non permanet in doctrina Christi.] Qui non iuxta illam & sapit, & agit, vitámque contemplatiuè & actiuè nō traducit, inquit Oecumenius, sed recedit vel per seductionē, vel per timorem, ait Glossa Interlinearis, nempe aut hæreticorum, aut persecutorū: sed & quomodolibet aliter. Doctrinæ porò Christianæ summam eleganter sanè declaratam omnino legas velim apud Augustinum [d].

Hic & Patrem & Filium habet.] Immò & Spiritum sanctum, totámque Diuinitatis integritatē, quoniam doctrina Christi distinctionem tradit personarum. Sed res in præsentia id exigebat, vt de Patre tantùm, & Filio id diceretur, inquit Oecumenius, nósque iam meminimus. Perinde verò est doctrinam Christi excipere, atque doctores à Christo missos, de quibus ille dixit [e]: *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Didymus, Beda, & Oecumenius inferunt consubstantialitatem Patris & Filij. Thomas Anglicus idem facit: sed vbi legerit nescio, præpositum hoc loco Patri Filium, cum admonet id fieri, *quia ad Patrem non venitur, nisi per Filium* [f]. Lege caput secundum epistolæ primæ [g], vbi in simili sententia prior nominatur Filius. & quodam etiam loco [h] Christus dicit *quòd nemo ad ipsum venit, nisi quem traxit Pater.*

[d] lib. 1. de Morib. Eccles. Catholicæ c. 30. [e] Matt. 10. 40. [f] Ioan. 14. 6. [g] vers. 24. [h] Ioan. 6. 44.

Vers. 10.] Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis:

Vers. 11.] Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus eius malignis.

His duobus versibus, qui connexam habent sententiam, communio vetatur hæreticorū, sicut & epistola ad Titum [i], & Timotheum [k], & Romanos [l]. Vnde per illum, qui hanc doctrinam non affert, debet intelligi, qui contrariam tradit: quod etsi facere potest infidelis, ac Iudæus, cōstat nihilominus ex scopo Ioannis esse sermonem de hæreticis, & sunt quidem omnes, qui qualibet ratione nocere doctrinæ orthodoxæ possunt, vel moribus, vitandi diligentissime [m]: Sed multò magis Hæretici, qui radicem totius iustitiæ tollunt, *& quorum serpit, vt cancer, sermo* [n]: vel tanquam piscis retrogradus, vt placet Anselmo, vel vt aliis, & melius, vt morbus γάγγραινα, quem & ἰατροὶ vocant, νομὴν ἕξει, depastionem habebit. Syrus quoque intellexit de morbo. Egi hoc de argumēto alibi [o], & inter alia Ioannis ipsius sum vsus exemplo, quod hic etiam profertur à Beda, & à Glossa ordinaria, qui balneo, vbi lauerat Cherintus, abstinuit, ne corrumpi videretur à loco, in quo veritatis corruptor fuerat. Ebionem nominat Epiphanius [p]: & vterque fortassis erat simul in balneo, vt coniectat Baronius [q]. Hoc idem imitatos Theodoretus [r] prodit Samosatenses aduersus Eunomium: & Polycarpum Ioannis discipulum constat Marcionem salutationem eius poscenti, primogenitum Satanæ nominasse [s].

[i] cap. vlt. 10. [k] ep. 1. cap. 3. 2. & seq. [l] cap. 16. 17.

Hæretici super omnes vitandi sunt.

[m] 1. Cor. 5. 9. & seq. c. 15. 33. Ephes. 4. 14. [n] 2. Tim. 2. 17. [o] in hist. Apoc. cap. 20. [p] Hær. 30. [q] tom. 1. anno 74. [r] 4. hist. c. 14. [s] Euseb. 4. hist. c. 13. ex Iren.

Permittit Paulus [t] cibum sumere cū infidelib. & appositis etiam immolatitiis citra scandalum vesci, sed non cum hæreticis. His amicabilia verba omnia, & pacifica negasse Antonium testis Athanasius [u]. Irenæus [x] ad hoc propositum citat simul hunc, simul illum Pauli locū. Scribit [y] præterea, tantum Apostolos, & horū discipulos habuisse timorem, vt neque verbo tenus cōmunicarent alicui eorū, qui adulterauerant veritatem. Innuit præsentem locum Tertullianus [z], cùm nos ait vetari ad hæreticos accedere. Aurelius à Chullabi Episcopus in Concilio Carthaginēsi [a] argumentatur, quo modo admitti tales temere in domum Dei possunt, qui in domum nostram priuatam admitti prohibentur? aut quo modo cum eis sine Ecclesiæ Baptismo communicare possumus (existimāt illi Patres cum Cypriano, nihil actum Baptismo hæreticorum: ideirco baptizādos, si venirent ad Ecclesiam, quod tamen falsum est, si ritè collatus fuit Baptismus) quibus si Aue tantùm dixerimus, factis eorū malis communicamus? Cyprianus [b] autē prohibet omnia cum hæreticis cōmercia, conuiuia, colloquia, támque vult nos ab eis separari, quam sunt illi ab Ecclesia profugi.

[t] 1. Cor. 10. 27. [u] in vita. [x] lib. 1. c. 13.

Apostoli quantum fermonum hæreticorum fugerunt.

[y] lib. 3. c. 3. [z] de præscr. cap. 12. [a] apud Cyprianum n. 82.

Baptismum hæreticorum bonum est.

[b] lib. 1. ep. 8.

Decet nos tanquam Christianos, vt scribit Dionysius Alexandrinus ad Episcopus Ægypti [c], vt omnes contra Christum loquentes, & sapientes, quasi Deo rebelles (nec nomine Christiano dignos existimant nonnulli, vt antea vidimus [d]) & animarum corruptores, totis viribus auersemur: & neque Aue huiusmodi dicamus hominibus, ne fortè etiam peccatis eorum communicare videamur, sicut beatus Ioannes ait, &c. Propter nonnullam cum Ithacio communicationem S. Martinus (quæ fere tamen necessaria fuerat,) correptus est ab Angelo: non ita promptè curauit energumenos: & ipsos quos postea vixit sexdecim annos omni Synodo abstinuit [e].

[c] in hist. Tripart. lib. 2. c. 13. [d] 1. ep. c. 2.

Hæreticis Aue non dicendum.

[e] Sulpit. Dial. 1.

Et hanc doctrinam non affert.] Aurelius ille iam citatus Episcopus Africanus (& doctrinam Christi non habet) de hac enim est sermo: & non habere, vel nō afferre, est contrarium profiteri. Est μείωσις quæ rem auget. Paulus verò cum exaggeratione describit illum, qui malam doctrinam tradit, scribens ad Galatas [f].

[f] cap. 1. 8. 9.

Nolite recipere eum in domum.] Vestram, addit idem Aurelius: nec in priuatum hospitium, nec in Ecclesiam ad orandum, vel communicandum, inquit Thomas Anglicus. Nota sunt, quibus

excommunicatos Ecclesia voluit interdictos, quę distinctè numerantur in Synesij quadam epistola lectu dignissima [a], contra Andronicum Pentapolitanæ prouinciæ præfectum, & Tonantem, qui Magistratum Ptolemaide gerebat: nec esset difficile huc ex lege vetere, immò ex profanis Auctoribus conferre non obscura talis abdicationis vestigia. Talia in lege, leprosorum eiectio [b], prohibitus ingressus Synagogæ [c], haberi vt ethnicum, & publicanum [d], non couti inter se, vel habere commercia [e]: qua de re Iosephus [f] legendus Essenorum describens mores. Hoc erat apud Gentiles aqua, ignique, foro, sacris, tecto interdicere [g]. Quo in genere seueriores narrat Plutarchus [h] Athenienses fuisse, contra Socratis oppressores, & Cæsar [i] Druydas Gallorũ, & Arabas Plinius [k]. His non dissimilia inter Gentiles exectationis signa, cùm aliquem, vel non tangere vel non admittere sustinebant ad mensam, eum quempiam diris, siue Diri, ac furiis deuouebant, aut ignominia notabant, aut aliter exectabantur.

Ad rem nostrã quod attinet, præcipiens Hilarius [l], Arianos vitari scribit Catholicis Mediolanensibus. *Malè vos parietum amor cepit: male Ecclesiã Dei in tectis ædificiisque veneramini: malè sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi, & syluæ, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores: in his enim Prophetæ, aut manentes aut demersi Dei Spiritu prophetabant.*

Nec Aue ei dixeritis.] Χαίρειν gaudere. *Non est enim gaudere impiis*, dicit Dominus. Ad quæ verba Irenæus [m] indicat alludere Ioannem. Sunt autem Esaiæ [n] iuxta versionem Septuaginta, οὐκ ἔστιν χαίρειν, &c. pro quibus legimus: *Non est pax, &c.* אין שלום *en schalom*. Adhibetur in salutationib. vtrũque verbum ab Hebræis, & Græcis, de quibus consule dicta in Actus Apostolorum [o], vbi notauimus apud Latinos dictã propriè salutationem matutinã hac voce *Aue*, & apud Græcos, quam vsurpabant quoque Latini, ista, Χαῖρε [p]. Lege Brissonij formulas [q].

Homonymia latet in particula *nec*, an negationem dicat simplicem, an exaggeratã, vt salutatio negetur, vel ne salutatio quidem tribuatur. Priorem sensum τὸ καὶ, magis ostẽdit, & ratio ipsa magis suadet, quia salutantur amici, & familiares: hæretici ne colloquio quidem dignandi sunt, vt antea vidimus, sed nec literis quidẽ, vt sensit Flauianus Episcopus Constantinopolitanus scribens ad Leonem Papam [r], agénsque de Eutychete.

Exaggerationem nihilominus possumus intelligere, facta comparatione ad inhibitum hospitium, quo minus quid est salutatio.

Monet Clemens Alexandrinus hoc inhumanum videri non debere: sed neque disputare cum talibus oportere, nisi valde idoneum. Illud autem *Aue* refert ad salutationem, quæ fiebat, postquam surgebatur ab oratione solenni velut gaudij, & pacis indicium, ac proinde vetari quoque cõmunem cum talibus orationem eãdem in domo. Videri potest innuere ritum veterem, iam inde ab Apostolis, teste Floro [s] Magistro, & Alcuino [t], immò etiam Dionysio [u], Iustino [x], Tertulliano [y], Nazianzeno [x], Chrysostomo [a], Hieronymo [b], Augustino [c], Paulino [d], Isidoro [e], Clemẽte [f] Romano, Origene [g], Cyrillo Ierosolymitano [h]: prębendi pacis osculum in sacrificio Missæ, quod separatim viri & fœminæ dabant inuicem, & recipiebant, vt Clemens Romanus meminit, & alij, de quibus Ioannes Stephanus [i] Durantius.

Ego, vt prædixi, magis generalem inhibitionem hic agnosco cuiuscumque salutationis, & cùm excommunicatio priuet potissimùm à sacris, non poterat esse dubium, cui negabatur domus priuata, multò magis illa negari. Permirum est, quod in Prato spirituali [k] narratur conditum eodem sepulcro Cosmũ Abbatem sanctum, vbi hæreticus iacebat Episcopus, auditũ singulis noctibus clamare: *Noli me tangere hæretice, & ne appropinques mihi inimice sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ.*

Athanasius [l] omnia vult hæreticorum nobis esse verba suspecta, vt dolosa, etiamsi eorum vel solùm innuant, non facere sine peruersitate animi. Lege Canones Apostolorum [m].

Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.] Nam amica verba, & beneuolentiæ signa demonstrant probari personam, cui exhibentur, ac proinde res & doctrinam eiusdem. Et nos si fortè non decipiamur, alij forsan, inquit Glossa ordinaria, per talem nostram familiaritatem possent decipi, qui crederent illos placere nobis, & sic crederent illis.

Orthodoxi, vt dixi, abstinendum censuerunt ab iis etiam vocibus, aut ritibus, quibus abuterentur illi, cæteroqui bonis, ne qua cum ipsis communicatio esse videretur. Testis Gregorius Leandro respondens [n], trinam in Baptismo mersionem prætermittendam, *ne dum*, inquit, *mersiones numerant, diuinitatem diuidant: dumque quod faciebãt, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.* Eusebius Vercellensis [o] fame malebat mori, quàm ab Arianis in carcere cibum sumere; qui ea volebant arte in vulgus spargere cum ipsis Eusebiũ communicasse: ne autem, si non comederet, sui haberetur interfector, vtraque de re custodem Patrophilum diligenter admonuit, nec se cum hæreticis communicare, nec si deferretur à Catholicis cibus, detrectare, sicque sibi mortis auctorẽ minimè videri debere.

Lege quoque Turonẽsis [p] refert historiam presbyteri Catholici, qui cibos, quibus benedixisset presbyter hæreticus, gustare noluit, prout tunc more receptum erat non gustare: & qua ratione hæreticum repentina Deus morte sit vltus. Liberius Papa, vt refert Athanasius [q], Eusebij, qui Constantij Ariani legatus erat, oblata Diuo Petro munera refutauit. Marcion cùm eiectus est de Ecclesia, reddita sunt illi quoque 200. H-S. (sestertia) quæ in eam intulerat, vt prodit Tertullianus [r], hoc est, iuxta supputationem Budęi [s], quinque aureorum millia.

Non licet Christiano simulare, vel dissimulare alienam hæresim, etiam prætextu postea corrigendi hæresi laborantem, vt libro cõtra mendacium probat Augustinus, & in retractationib. [t].

Quod Ambrosius [u] ait Eusebium Vercellensem hæreticis hæreticum se mentitum, nõ intelligit de hæresi quam persequebatur acerrimè, sed de damnatione Athanasij, quam Arianorum ab ipso legati postulabant. Vt enim subscriptionem Dionysij Mediolanensis obliteraret, velle se quoque subscribere simulauit. Prudentiorem hoc in facto Ambrosius Eusebium, vt lucis verũ filium fuisse prædicat quàm illus filios seculi.

Tropologicè docet Hugo non esse salutandum excommunicatum, hominem alterius legis, & hostem. Lege si libet. Hunc ipsum locum de Vitandis hæreticis citauit, & intellexit Epiphanius [x]. Cautum verò in Cõcilio Eliberitano [y], & Laodiceno [z], & Niceno [a] excommunicati mu-

nus

Margin notes (left column):
a excommunicatus sint interdicta.
a epist. 58.
b Leuit. 14. 2. Num. 5. 2.
c Ioan. 9. 22. c. 12. 42. c. 16. 2.
d Matt. 18. 17.
e Ioan. 4. 9.
f 2. de bello Iud. c. 7.
Gentiles quibus essent interdicti sacris pellebant.
g Cic. pro domo sua. Lact. lib. 2. c. 10. & alij.
h opusc. de inuid. & ira.
i 6. de bello Gallico.
k lib. 6. c. 22.
l lib. con. Auxentium.
m lib. 1. c. 13.
n c. 48. 22. c. 57. 21.
o cap. 15. 23.
p Plut. opusc. de Garrulit.
q lib. 8. pag. 743.
Hæretici ne colloquio quidem dignandi sunt.
r habetur inter epistolas Leonis post 8.
Cum hæreticis non est disputandum.
s in exposit. Missæ.
t de diui. offi. c. de celebrat. Missæ.
u de cælest. hier. c. de con.
x Apol. 2. circa finem.
y de orat.
z orat. 3. de Pace.
a 1. de comp. cordis, & hom. de prodit. Iudæ sub finem hom. ad populum 52.
b ad Theoph. Alexandrin.
c Ser. de vigil. Paschæ.
d carm. ad Cytherium.
e de diuin. offic. c. 15.
f 8 const. c. 21.
g in c. vlt. ad Rom.
h Catech. 5.
i 2. de ritib. Eccles. Cath. cap. 44.

Margin notes (right column):
k cap. 40. *Abbas hæretici mortui mortuus coniunctionem fugit.*
l orat. 4. con. Arian.
m c. 1. & 18.
n lib. 1. ep. 34.
o Act. Eusebij & vita. *Eusebius mori malebat, quam ab hæreticis cibum sumere.*
p de gloria martyrum, c. 80.
q ep. ad solitariam agentes.
r de præscrip. cap. 30.
s de Asse.
t lib. 1. c. 60.
u Serm. 69.
x hæres. 34. Marcosiorum.
y can. 28.
z cap. 37.
a cap. 37.

nus accipere, & meminit Clemens [a], & præter allata exēpla, aliud legas Augustioi apud ipsummet Augustinum [b], & quæ recenset Ferdinandus Mendoza [c]. Lege de vitandis hæreticis præter citatos: Tertullianum [d], & Ambrosium [e]: & exēpla Ioannis [f], Apostoli, Polycarpi [g], Antonij [h], Catholicorum [i], morientium [k] martyrum: mortuorum [l], puerorum [m], & aliorum, præter illa etiam quæ attigimus hic & alibi. Quandoque non vetatur conuictus & tractatio cum hæreticis, vt cum moraliter vitari nequit: vel eorum cōuersio quæritur, vel vt impediatur eorumdem impietas [n]: qua ipsa in re cautio adhibenda, de qua nūc non vacat dicere.

Malignis.] Aurelius apud Cyprianum [o], Irenæus [p], *nequissimis*, Græcè πονηροῖς. modicum discrimen. De Latino vocabulo dictum epistola præcedente [q].

Vers. 12.] Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & attamentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: vt gaudium vestrum plenum sit.

Excusat epistolæ breuitatem, sicut & in sequenti [r] spe aduentus ac præsentiæ suæ. Non omnia mandare, & credere literis vel oportet, vel decet: & *viua vocis energia maior*, vt Hieronymus quoque docuit ad Paulinū [s]. Notis vtuntur arcanis, quas cifras vocant, & certo literarū compēdio, seu furtiuis scriptis, vt loquitur Gellius [t], quas primus excogitauit Ciceronis libertus Tiro [u]. Licet Plutarchus [x] tribuat ipsi Ciceroni: Dio Mecœnati: Seneca quibusdam seruis forsan vel Ciceronis, vel Mecœnatis: quas quidem notas, seu cifras qui illis vtuntur, nolunt intelligi, nisi ab his quibus scribunt, verenturque quorūlibet legentium, siue offensionem, siue damnum. Cōsule Matthæi Raderi nostri eruditum Commentarium [y] de notariis, quos vocant Græci Σημειογράφοι aut ταχυγράφοι, à signis, seu notis, quod διὰ σημείων πρὸς τάχος scribebant. Citat is alios, vt Peterium [z], Sauaronē [a], Apollinarem, Brissonium [b], Sixtum Senensem [c], Cuiacium [d], Brodæū [e], Bernartium [f], Iuretum [g]. His adde Petrum Gregorium [h], qui Trithemij citat libros πολυγραφίας, & Baptistæ Leonis de occultis scribendi notis.

Est & in religione nostra prǽter scriptum, traditum etiam verbum, præter scripturas. Sunt quoque diuinæ, Apostolicæ, Ecclesiasticæ traditiones. Colligitur idem ex epistola sequenti [i], & ex Apostoli Pauli epistolis [k], tum præterea ex multorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum testimonio, denique ex ipsa ratione. Sed hoc aliàs demonstratum est, ac præ ceteris legendus Cardinalis Bellarminus [l].

Per chartam.] Διὰ χάρτου, καὶ μέλανος. Recentior ad scribendum chartæ vsus, sicut & membranæ, siue pergameni, quàm dedolatorum è ligno codicillorū, aut corticum arborum. Vnde dicti tabellarij, qui portabant codices illos: librarij, qui in arborum libris scribebant. (βίβλον vocāt Græci, & adhuc Latini papyrum) vt notauit Hieronymus [m], & post eum Isidorus [n]. Vterque [o] pergamenarum nomen deriuat à Pergamo, vnde rex Attalus eas miserit, vt penuria chartæ, (quam suppeditat Ægyptus, licet ab vrbe Tyri, nomen sortitum censeatur) pellibus pensaretur, quæ mēbranæ dicuntur, quasi ex membris pecudum detractæ, vt Isidorus [p] obseruat, Græcè διφθέραι, vt ad Concilium Laodicenum [q], Balsamo, nec non Herodotus [r], qui tradit aliquando caprinas, & ouinas in vsum pelles venisse, ἐν σπάνει βίβλων, in penuria papyri. Omnibus vetustior Varro [s] Pergami repertas meminit membranas pergamenas. Martianus item Felix [t] auctor est, alios fuisse carbasinis voluminibus cōplicatos libros, ex ouillis multos tergoribus, id est, membranis. Scribit Cicero [u] calamo se scripturum, & atramento temperato, charta etiam dentata, videlicet apri, vel equi dente leuata, vt modò fit, inquit Manutius [x], vt currat calamus expeditius: cui sententiæ fauet Plinius [y]. Legēdus Polydorus [z] Virgilius, qui meritò longè antiquiorem facit membranarum vsum, in quibus nempe V. G. sit certum sacras literas esse scriptas, cùm sint missæ ad Ptolemæum Philadelphum. Multa sunt quoque hoc de argumento apud Petrum Gregorium [a], & Pinedam nostrum [b], qui de maluæ foliis meminit, ceris, siue ceratis tabellis, schedisque, de libris linteis, ac priores illas schedas vocatas etiam scandulas, sandulas, scindulas, & quòd pungerentur stylo, pugillares: item de eboreis codicibus, aut citreis, aut buxeis, de gemmeis, præterea, plumbeis, & æreis, atque de animalium intestinis. Legendus & Melchior Guillaudinus [c], & Raderus noster [d]. In epist. 113. Augustini ad Romanianum fit mentio chartæ, membranarum, tabellarum eburnearum.

Et atramentum.] Μέλαν γραφικὸν, scriptorium, non χάλκανθον sutorum proprium. Atramentarij mentio est in libro Ezechielis [e]: & atramenti epistola sequenti [f], & secunda ad Corinthios [g], & apud Ieremiam [h].

Spero enim me futurum apud vos.] Ἐλθεῖν venturum, & in quibusdam codibus, γενέσθαι: vulgo dicimus: *Spero essere, ò che sarò da voi ò con voi.* Et bene Latinè dicitur ad vrbem esse, pro eo quod est, in vrbe. Non legi Ioannem Babylone, vel ante quàm ista scriberet, vel postea fuisse. Quare quod Electam dixi quosdam arbitrari Babyloniam, satis dubium videtur. Prudens ac moderata loquendi formula, vt se quis quod incertum est, & à diuina pendet prouidentia, atque futurum expectatur, asserat sperare. Vsurpat epistola sequenti Ioannes [i], eundem sermonem, & sæpè Paulus [k], qui scribens Timotheo, ait: *Hæc tibi scribo fili Timothee, sperans me venire ad te cito. Si autem tardauero, &c.*

Nec Prophetæ, nec Apostoli semper omnia præsciebant, sed quæ scire illos expediebat. Quādoque aliò properantes aliqua detinebat causa, vel prohibebat, siue Deo aliter disponēte, siue Satana impediente. Primum de seipso indicat idem Paulus, agens cum Romanis [l], ac de eōdem historia Apostolica [m]: alterum scribens ad Thessalonicenses [n]. Denique Iacobus vult nos in huiusmodi rebus contingentibus adhibere istam velut hypothesim: *Si dominus voluerit* [o], qua Gentiles ipsos hypothesi vsos constat, cum dicerent: Si dij volent [p] Lege quæ dixi ad caput XVIII. Actuum Apostolorum [q] de istis piis loquendi modis, & ad caput XVI [r]. quare non permittantur aliqui eò peruenire quò desiderant, vel tendunt. Legendi hac de re Interpretes epistolæ ad Romanos, maximè Origenes, Chrysostomus, Sedulius: præterea Basilius [s], & Gregorius [t].

Et os ad os loqui.] Coràm & familiariter absque vlla, vel personæ, vel epistolæ intercessione, sine medio. Sic iterum sequenti epistola [u]: & hoc pacto Deus egisse se dicit cum seruo suo Moyse [x]: quod alibi scriptura [y] explicat, *facie ad faciem, sicut*

a 3. const. c. 5. lib. 4. c. 6. & 7. b epist. 187. c lib. 2. pro Concil. Illibert. c. 55. d de præsc. c. 12. e de incarn. c. 2. de Salomo. c. 4. f Iren. lib. 5. c. 3. g ibid. h Ath. in vita. i Victor. 2. de persec. Vand. k Euseb. lib. 5. c. 15. l Seph. in parato. m Theod. lib. 4. c. 24. n c. Quā præde cessor 11. q. 3. o in Concil. Carth. n. 81. p lib. 1. c. 13. q cap. 2. 13.

r vers. 13. & seq. s epist. 101. *Notæ literarum sunt quæ primi voluerunt.* t lib. 17. c. 9. u Euseb. in Chron. x in Catone Vticensi.

y in Martial. lib. 14. epigr. num. 179. vel 203. z in Dan. li. 6. a in Sidonium lib. 9. ep. 9. b 22. de Verbo signific. c 3. Biblioth. d 22. obseru. c. vlt. e 4. Miscel c. 9 f ad 1. Statij, p. 24. g ad ep. Symmachi 37. li. 5. h 16. de rep. c. 4. i vers. 13. 14. k 1. Cor. 11. 2. 16. 23. 34. 2. Thess. 2. 14. 2. Tim. vlt. 10. 2. epi. 1. 13. 14. c. 2. 2. *Charta vsus recens est.* l Tom. 1. li. 4. de verbo Dei non scripto.

m epist. 42. ad Niceam. n 6. etym. c. 8. o Hier. ep. 42. ad Chrom. Iouin. & Euseb. p Isido. lib. 6. cap. 11. q cap. 25.

r lib. 5. s apud Plin. lib. 13. c. 11. t lib. 2. de nuptiis. u lib. 2. ep. ad Qu. fratrem ep. vlt. x in Comm. y lib. 13. c. 12. z 2. de Inuen. rerum, c. 8. a 16. de Rep. c. 3. b in c. 19. Iob. vers. 24. c lib. de Papyro, id est, in Com. ad tria Plinij cap. de eadem. d in Martial. lib. 14. epig. 3. 4. 5. 6. 7. 8. e c. 9. v. 2. 3. 11. f vers. 12. g c. 3. vers. 3. h c. 36. 18.

i vers. 14. k Rom. 15. 24. 1. Cor. 4. 19. c. 16. 7. 2. Cor. 1. 16. c. 5. 12. c. 13. 6. Philipp. 2. 9. 24. 1. Tim. 3. 14. ad Philem. vers. 22. Act. 18. 21. l Rom. 1. 10. 11. 12. 13. m c. 15. 7. 9. n 1. ad Thess. 2. 18. o Iaco. 4. 15. p Plau. in Penulo Act. 4. see vlt. Cic. 3. in Verrem. q vers. 21. r vers. 7. s Regu. 195. ex breuior. t 21. Moral. c. 19. u vers. 14. x Num. 12. 8. y Exod. 33. 11.

solet

solet loqui homo ad amicum suum, vbi Græcè est, *καὶ ἐλάλησεν κύριος πρὸς μωυσῆν ἐνώπιος ἐνωπίῳ*, &c. præsens præsenti, Chaldaicè ממלל עם ממלל *mamlal blum mamlal, verbũ ad verbum*: quod est quoque priore loco, vbi non habetur Hebraicè, sicut in alio פנים אל פנים *phenim alosanim, facie ad faciem* sed פה אל פה *pah al pah, os ad os, vel ore ad os. στόμα κατὰ στόμα.* Ioannes verò dixit, *στόμα πρὸς στόμα.*

Vt gaudium vestrum plenum sit.] Ἡμῶν, nostrum. Sine dubio charitas qua Ioannes insigniter præditus erat, gaudium facit commune amicorum, & congaudent mutuo bono amici. Paulus ideirco se Romanum iter desiderasse significat, *vt aliquid impertiretur Romanis gratiæ spiritualis ad confirmandos illos* [a] : idipsum tamen interpretatur nihil aliud esse, *nisi simul consolari in ipsis per eam, quæ inuicem erat fidem ipsorum, & suam* [b]. Ita vt hinc etiã, si Chrysostomo [c] credimus, & Basilio [d], caperet Pauli fides incrementum, vt quandoque augetur magistris scientia, ex doctrina discipulorum: itaque licet Interpres reddat hîc (vestrum) non excludit Ioannis gaudium. nec desunt Græci codices [e], in quibus legitur *ὑμῶν*. De plenitudine verò gaudij, nec non quantum capere spiritualis institutor soleat ex profectu discipulorum, disseruimus epistola præcedente.

Paulus qua ratione fermonem habere vellet.
a Rom. 1. 11.
b ibid. 12.
c ibid. hom.
d regula 126. ex breuiorib.
e in nouo Testam. Robert. Steph.

Cæterùm ante versum istum legitur in nonnullis codicibus Latinis: *Ecce prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini*: meritò Caietanus eum reiecit, & Gagneius, sicut & emendata editio nostra: quamuis Hugo, Thomas Anglicus, Lyranus, Catthusianus recipiant, & interpretentur.

Vers. 13.] Salutant te filij sororis tuæ Electæ.

EOdem nomine sorores duæ vocabantur. est enim proprium nomen Electa, vel cognomẽ, vt Ariæ Montano placet, (quomodo cognominabãtur quidam iusti) nõ appellatiuum, vel epithetum duplicis metropolitanæ Ecclesiæ. Neque ex Electorum persona salutat electos, sed consobrinos duarum sororum filios, ex quibus aberãt alteri à matre, ad quam scribit Ioannes, alteri cum ipso erant, siue adesset etiam mater, siue non, siue superstes, siue mortua illa esset. Denique designãt circumstantiæ naturales tum sorores, tum filios, non morales dumtaxat, propter amicitiæ vinculum, aut religionis, alteriúsve cõmunionem rei.

Electa nomen est naturæ sororum.

Sic melior, & cõmunior habet opinio: illã tropologicam rationẽ assignant interlinearis Glossa, Hugo, Thomas Anglicus, hac nõ omissa, licèt nõ significent priorem esse mysticam, sed literalem.

Apostolica dignatio, & charitas aliorum etiam aliis mittere salutẽ non propriam solã, desiderat. Id fecit quoque Ioannes epistola sequenti [f], Petrus [g] etiam, Paulúsq; [h], obsequentes hac in re pro studio illorũ, qui sibi ducebant honorificũ à tantis viris eorũ ad amicos absentes mitti salutem.

Habent nonnulli codices Latini manuscripti, & excusi, & Glossa Interlinearis, & Hugo, & Thomas Anglicus: *Gratia tecum, Amen*. Sed vt Carthusianus monet, nõ est in libris correctis. Græci addunt solùm, *Ἀμήν*. Desunt hæc omnia in Latinis pluribus aliis, non tantùm in editione emendata.

f vers. 14.
g 1. ep. vlt. 13.
h Heb. vlt. 25. ad Philem. v. 23. 24. ad Tit. vlt. 15. 2. Tim. vlt. 21. Coloss. vlt. 14. Philip. vlt. 22. 2. Cor vlt. 12. 1. Cor. vlt. 20. Rom. vlt. 16. 21. 23.

IN EPISTOLAM BEATI IOANNIS APOSTOLI TERTIAM.

ARGVMENTVM.

Docuimus Præfatione ad epistolam primam, quæ de istius auctoritate dicenda erant, déque auctore Ioanne, cui tres adscribunt epistolas Nazianzenus [a], Chrysostomus [b], & alij eo loco citati. Quis fuerit Gaius cui scribit Ioannes, exponetur vnà cum texto.

Argumentum est Gaij laus ab hospitalitate ac pietate: Adhortatio vt in iisdem perseueret: Reprehensio Diotrephis propter impietatem, superbiámque; contrà verò testificatio de virtute Demetrij: breuitatis excusatio cum spe perueniendi ad ipsum Gaium: denique post pacis imprecationem, amicorum data, & ad amicos missa salutatio.

Argumentum huius epistolæ.

a Carm. de libris Canonicis.
b apud Suid.

1 SENIOR Gaio charissimo, quē ego diligo in veritate.

2 Charissime, de omnibus orationem facio prosperè te ingredi, & valere, sicut prosperè agit anima tua.

3 Gauisus sum valdè venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas.

4 Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.

5 Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.

6 Qui testimonium reddiderunt charitati tuę in conspectu Ecclesiæ, quos, benefaciens, deduces dignè Deo.

7 Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus.

8 Nos ergo debemus suscipere huiusmodi vt cooperatores simus veritatis.

9 Scripsissem forsitan Ecclesiæ: sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.

10 Propter hoc si venero, commoneo eius opera, quæ facit: verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres: & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia eiicit.

11 Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est: qui malefacit, non vidit Deum.

12 Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate, sed & nos testimonium perhibemus: & nosti quoniam testimonium nostrum verum est.

13 Multa habui tibi scribere: sed nolui per atramentum, & calamū scribere tibi.

14 Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

Vers. 1.] Senior Gaio carissimo, quem ego diligo in veritate.

DE Seniore lege prioris initium epistolæ: cur sic se Ioannes nominet: de Gaio disputatū in historia Apostolica [a], dictúmque trium distinctam fieri mentionem in sacris literis noui Testamenti. Vulgo creditur hic ille ipse esse, quem Paulus [b] nominat hospitem suum, & (vt quidam Græci codices habent, ac Syri, nonnullíque Latini, nec non Patrum Græcorum Interpretatio, & Latinorum quorūdam) vniuersæ Ecclesię, cum nunc Sixtiani legant *& vniuersa Ecclesia*. Nā paulo post commendatur hospitalitas huius Gaij. Habetur [c] autem, nec Derbæus [d], nec Macedo [e], sed Corinthius is, quem se Paulus [f] idem testatur baptizasse: eundem verò cum nostro Beda existimat Glossa ordinaria, Hugo, Thomas Anglicus,

a c.19.29.cap. 20.4.
b Rom. 16.23.
c sic Theod. in ep. ad Rom.
d de quo Act. 20.
e de quo Act. 19.
f 1.Cor.1.14.

glicus, Lyranus, Carthusianus, Ioannes Benedictus, Sà, & alij hoc loco, & Ambrosius explicans epistolam ad Romanos, & Petrus[a] de Natalibus. Sed hic dubitat Caietanus, & Catharinus. Si fuit Episcopus, siue, quod Dorotheo[b] placuit, Ephesinus, siue quod Sedulio[c] ex maiorum traditione, primus Thessalonicensium, non rectè Beda idem notauit, etsi ad prædicandum verbum minimè sufficiebat: eos tamen qui prædicarent, de facultatibus suis sustentate gauisum esse. nam adeo proprio Episcoporum muneri prædicationis defuisse credi non debet: eosdémque Paulus iubet esse hospitales[d]. Verum Carthusianus enarrans Dionysij Areopagitæ epistolas, quarum primæ quatuor sunt ad Caium θεραπευτὴν, siue monachum putat illum ipsum esse, cui Ioannes istam dedit. Nec abhorret hospitalitas à monacho, sed congruit potiùs, & ab hoc hominum genere frequentatam docui, declarans Apostolorū Actus[e]. Eximia laus hospites excipientium, præsertim tales, quos suo iudicio censeant dignos viri iusti, a quibus hospitentur, iuxta Christi præceptū[f], vt de hoc notauit hospite Pauli Chrysostomus[g]. Maximus quoque Dionysij scholiastes consentit hunc Gaium eundem esse cum illo cui Dionysius scripsit.

Carissimo.] Ἀγαπητῷ. Lege epistolæ primæ caput secundum[h]. Notat Hugo, non hoc adiunctum epithetum epistolæ priori, quæ erat ad fœminā, quia etsi diligere mulierem non sit malum; veruntamen comparatio dilectionis, aut est mala, aut occasio mali, ita autem non est de homine. Atqui lego Persidem à Paulo[i] charissimam appellatam, & Appiam[k]. Vocauerat Ioannes Electam dominam, cum quo dignitatis vocabulo non ita congruit suauius, familiariúsque cognomen Carissimæ. Vocauit quoque sororem[l] Phœben, sicut & Appiam[m], familiarius quidem, at absque omni suspicione. nam non vxor magis Pauli Phœbe fuit, quod ex ea quidam collegerūt appellatione, quàm Appia. Sororis voce, quæuis fidelis mulier dicebatur, vt vir fratris, iuxta illud[n], *Si frater, & soror nudi sint*. & Christus: *Ille*, inquit, *meus frater, & soror est*[o]. Eodémque modo accipiendum quod idem Apostolus[p] scribit de potestate, quam habebat *circumducendi mulierem sororem*, addit enim, *Sicut reliqui*, qui certè non omnes, immò perpauci vxores habuerunt[q]. Sed de Pauli cœlibatu non est hic agendi locus. Lege Toletum[r], Peretium[s], Salmeronem[t], Baronium[u], Interpretes[x] epistolarum eiusdem. Sunt qui hunc velint in ea Ecclesia versatum, cui præesset quem Ioannes in ista epistola nominat Diotrephes: negant autem vllum eorum fuisse, quorum fit mentio à Paulo ad Romanos[y], & ad Corinthios[z], atque in actibus Apostolorum[a]: quoniam in versu 4. numerat eum Ioannes inter filios suos, videlicet in Christo à se genitos, aut per Euangelium, aut per Baptismum, aut etiam per vtrumque; illos verò alios Paulus Christo genuerat.

Quem ego diligo in veritate.] Lege præcedentem epistolam[b].

Vers. 2.]De omnibus orationem facio prosperè te ingredi, & valere, sicut prosperè agit anima tua.

Vatablus peruertit sine dubio sensum, sic vertens: *De omnibus opto, vt prosperè agant, & rectè valeant, sicut prosperè agit anima tua*. Non enim optat, vel orat pro aliis, sed pro Gaio, vt quod in Scholio, melius idem vidit Auctor, sicut animo bene habebat, ita haberet bene per omnia. Εὔχομαί σε εὐοδοῦσθαι, καὶ ὑγιαίνειν, &c. Eodem reliqui modo passim interpretantur.

De omnibus.] Catharinus sic mallet; *ante omnia*, vel, *Præ omnibus*. Sed interpres rectè Græca reddidit, Περὶ πάντων. Vatablus idem vult esse, ac, *per omnia*: Sà *in omnibus*. Quid ni simpliciter intelligamus fecisse orationem de omnibus, siue pro omnibus, quæ Gaij personam attingebant? Extant exempla alia, in quibus *de* ponitur loco *in*[c] vel *pro*[d]. Minùs aptè *in omnibus* Hugo, & Thomas Anglicus interpretantur, in omnibus horis debitis, quasi de oratione perpetua loquatur Ioannes. nec id sanè vel Beda, vel interlinearis indicat Glossa, cùm sequentia verba, *Orationem facio* de crebris precibus accipiunt. Neque legendum *in omnibus*, vt Hugo legit, sed *de omnibus*: quamuis vt dixi, *de* valere idem possit quod *in*: non tamen horis, sed rebus, aut negotiis. Syra editio habet *in omni re*.

Orationem facio.] Εὔχομαι. Significat quoque Græcum hoc verbum opto. Sed non optio nobis interpretem deserere, quod Vatablus facit post Erasmum. Reddit is, aliquando verbum optandi[e]: at interdum etiam orādi[f]. Et quidem, quod optat quis à Deo, ab eo petere, ac precari censetur: optantur verò nonnisi à Deo res, quarum à Deo euentus pendet, præsertim si fuit pertinentes ad pietatem. Sæpius προσεύχεσθαι, & προσευχὴ, *orare*, & *orationem* significant εὔχεσθαι, & εὐχὴ, optare, atque votum. Nyssenus[g] causam dat, cur ita dicatur Oratio, quia nempe boni aliquid petimus, quoniam votum dicitur εὐχὴ, (optātur enim bona, & est votum de bonis:) ij autem cum fiducia petunt à Deo bona, qui ei boni aliquid deuouerunt.

Prosperè te ingredi.] Σε εὐοδοῦσθαι nimirum opto ac peto à Deo de omnibus vel in omnibus negotiis tuis, vt prosperè agas. Glossa Interlin. *Vt bene quod agis, bene perficias*. Dixerat hoc prior Beda, illúdque præterea, quod recipit eadem Glossa, non ordinaria, *vt quemadmodum liberaliter dilargiris opes egentibus, & ex animo, animique bona intentione, sic semper virtutibus plenam Domino adiuuante, ducere vitam possis*. Vel, vt ait Hugo, sic procedas, quasi constitutus adhuc in ingressu, ac inchoans semper, nec vnquam torpore veterascens. Verùm ingrediendi verbo non inchoatio significatur, sed incessus, ac progressus: εὐοδοῦσθαι est *bene incedere*: atque in ipsa via ambulare, facili via ire, seu ferri, dirigi, prospero itinere progredi, feliciter agere. Sic psalmo primo[h]: *& omnia quæcunque faciet, prosperabuntur*. Καὶ εὐοδωθήσεται. Sic apud Paulum[i] pro prospero itinere, πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου δεόμενος, εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς. *Semper in orationibus meis obsecrans, si quo modo tandem aliquādo prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos*. Alibi[k] apud eundem vertit Interpres *id quod alicui bene placet*: *Per vnam Sabbati vnusquisque vestrum apud se seponat, recondens, quod ei bene placuerit*. ὅ, τι ἂν εὐοδῶται, *quod ei bene cesserit, & commodum fuerit*, & pro ea prosperitate, quam à Deo nactus erit.

Itaque videtur Ioannes bene precari Gaio, & optare fœlicem rerum quoque temporalium prouentum, quibus is tam benè vtatur, adeo liberaliter eas dispertiendo: sicut & sequenti verbo

valere

---

a lib. 9. c. 47.
b in Synops.
c in epist. ad Rom.
d 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 8.
Quis fuerit hic Caius.
e cap. 2. & 10. Lege Regulā S. Benedicti c. 53.
f Matt. 10. 11.
g in epist. ad Rom. c. 16.
h vers. 7.
i Rom. 16. 12.
k Ad Philem. vers. 2.
l Rom. 16. 1.
m ad Philem. vers. 2.
Sororis voce quæuis fidelis mulier intelligitur.
n Iacob. 2. 15.
o Matt. 12. 50.
p 1. Cor. 9. 5.
q Hieronym. l. contr. Iouin. Tertul. lib. de Monogamia.
r in c. 16. epist. ad Ro. ann. 1.
s in Prolog. epistolæ ad Rom. num. 11. & seq.
t in 1. ep. ad Cor. 7. disp. 12. & in Proleg. ad epist. Pauli disp. 18.
u Tom. 1. Annal. anno 57.
x in 1. ep. ad Cor. 7. & c. 9. in c. 4. ep. ad Philip. in cap. 16. ep. ad Ro.
y cap. 16.
z 1. epist. 1.
a c. 19. & 20.
b vers. 1.
c Deut. 33. 2. Psal. 148. 7. Ier. 51. 21. &c.
d Sap. 13. 17.
e Act. 26. 29. cap. 27. 29. 9. 9.
f 2. Cor. 13. 7. Iacob. 5. 16.
g Orat. 1. de orat. Domini. Oratio cur Græcè εὐχὴ dicatur.
h vers. 3.
i Rom. 1. 10.
k 1. Cor. 16. 2.

valere ὑγιαίνειν valetudinem corporis, ac vitę, quę aliis vtilis est, diuturnitatem.

Vita dignus immortali est, qui aliorum consulit vitę.

Vita dignus immortali, qui aliorum consulit vitę, nec aliū viuentes viuere magis optant, quàm à quo viuendi subsidia sumunt. Dauid [a] quidem *intelligenti super egenum & pauperem* multa pollicetur, illud nominatim, *vt viuificet eum Dominus, & beatum faciat in terra*, id est, vt vitam sanam proroget, ac fortunatam prætetea, *vt sit iucundus* [b], id est, iucundè, feliciterque viuat; *& exaltitur cornu eius*, id est, dignitas, regnū, &c. in gloria. Salomō [c] aotē asserit, quod qui pronus est ad misericordiā, benedicetur, ὁ ἐλεῶν πτωχὸν αὐτὸς διατραφήσεται. *Qui miseretur pauperis, ipse nutrietur.* Paulus [d] docet *multiplicari semen à Deo, & augeri incrementa frugum iustitiæ*, id est eleemosynæ, *eius qui seminat in benedictionibus.*

a Psal. 40. 2. 3.
b Psal. 111. 5.
c Prou. 19. 9.
d 2 Cor. 9. 10.

Infinitus sim, si huc dicta, exempláque conferam sacra, profana, quibus propositum confirmē. *Felix illud horreum* Leo [e] vocat, *ex omnium fructuum multiplicatione dignissimum, de quo egentium, & debilium saturatur esuries, de quo releuatur peregrini necessitas, de quo desiderium fouetur infirmi.* Nam *qui diuidunt propria, ditiores fiunt*, inquit idem Sapiens [f]; *qui rapiunt non sua, semper in egestate sunt.* Notus apologus eius, qui frugiferum emit agrum, idcirco quòd apertus tam domino sufficeret, quàm aliis plerisque: cùm verò sepiuisset muro, vix vni satis erat. Cuius rei id ab oraculo tulit responsum.

e sermon. 5. de Ieiu. 10. mensis.
Felix horreum ex quo debiliū saturantur esuries.
f Prou. 11. 24.

Vni seruit ager tibi, nunc cur tanta requiris?

Ad extremum, *omnium*, vt dicit Philosophus [g], *in quibus virtus inest, ij ferè diliguntur maxime, qui fama, & laude valent liberalitatis: prosunt enim aliis.*

g 4 Ethic. c. 1.

Et valere.] Ὑγιαίνειν. De valetudine corporis intelligit propriè, non de sola spirituali, vt explicat Thomas Anglicus. Necessaria est salus, & fortitudo corporis, vacātibus misericordiæ operibus, vt notat Hugo: iis nempe præsertim qui versantur in curandis aliorum corporibus, vt peregrinorum.

Salus & fortitudo est necessaria vacantibus operibus misericordiæ.

Sicut prosperè agit anima tua.] Ostendit ista comparatio, sermonem priùs fuisse de prosperitate temporali, & valetudine corporali, vt videlicet quàm valebat Gaius animo, virtutibusque, tam corpore, & viribus valeret. *Laudari à laudato viro laudabile*, nec enim errat facilè viri laudati iudicium; & non temerè laudat, cui nocere laudem patet posse. Vnde Hector patri Priamo dixisse memoratur [h]: *Lætus sum laudari abs te ò pater, laudato viro. ea est enim profectò iucunda laus*, inquit Cicero, *quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.* Augustinus [i] alicubi similem habet lectu dignam sententiam. *Laudata crescit virtus, & laudare, est acerrimus stimulus mouendi* [k]: *& eget, si qua virtus alia, laudis hoc stimulo liberalitas*, cum natura comparatum sit, nostris vt consulamus rebus potiùs, quàm alienis. Non rarò discipulos laudat Paulus in epistolis, vt hoc nimirum, ceu calcari magis incitet ad prosecutionem virtutis, & fecit id nonnunquam Christus ipse, suntque alij deinceps imitati viri sancti. *Nam si equorum cursus*, inquit Cassiodorus [l], *hominum clamoribus incitatur, & sonantium manibus agitur, vt a mutis animalibus velocitas appetatur: quantum inde homines stimulari posse credimus, quos ad laudis auditatem natos singulariter inuenimus?*

h Næuius apud Cicero. 5. epi. famil. ep. 12. & lib. 15. ep. 6
i lib. 50. hom. hom. 15.
k Plin. iunior lib. 1 epist.
Liberalitas laudis stimulo indiget.
l lib. 2. variar. epist. 23.

Versic. 3.] Gauisus sum valdè venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas.

GRæcè inseritur γὰρ enim, quasi ratio detur, cur pro Gaio Ioannes tam sedulò precaretur.

Gauisus sum.] *Congaudet charitas veritati* [m]. Charitate verò Prælatus debet eminere; *ac suum reputare gaudium*, vt loquebatur Paulus [n], *spirituale subditorum lucrum*; imò cum eodem [o] dicere tunc, *se viuere si illi stent Domino.* Tale quid narratur Christo, cùm eum quærerent Gentiles, dixisse: *Nunc venit hora vt clarificetur Filius hominis* [p]; & quod exultans in Spiritu sancto, dixit: *Confiteor tibi Pater* [q], &c.

m 1. Cor. 13. 6.
Prælatus eminere debet caritate.
n Philip. 4. 1. 1. Thess. 2. 19. 20.
o 1. Thess. 3. 8.
p Ioan. 12. 23.
q Luc. 10. 21.

Testimonium perhibentibus veritati tuæ.] Veritatem possumus intelligere, vel fidei solius, vel eiusdem cum charitate, quæ prodeat in opus, ita vt spectata secundum habitum dumtaxat, non adeò videatur vera, vt Hugo notat, ac multò minus inanis, mortua sine operibus fides: & ipsum ambulandi verbum denotat opus in veritate, in qua ambuletur: ambulatur verò animi affectibus non intelligentiæ solis actibus, vel assensibus.

Sed quia sermo est de hospitalitate, arbitror veritatis vocabulo significari, quæ aliàs vocatur *in tribuendo simplicitas* [r], hoc est, alacritas, promptitudo, liberalitas, & quas dicit Paulus [s] diuitias simplicitatis. Vtrobique vox est Græca ἁπλότης, quam Chrysostomus [t] interpretatur δαψίλειαν, affluentiam, copiam, munificentiam sicut quod apud Iacobum [u] est, *dare Deum Sapientiam omnibus affluenter*, Græcè legimus ἁπλῶς, vberrimè, largissimè, &c. Sic forsan primos illos fideles adeo liberales Lucas in historia Apostolica [x] scripsit *cibum sumpsisse cum exultatione, & simplicitate cordis.* Hoc est, omnibus inter se largiter suppeditando victui necessaria. Lege Commentarium nostrum. Idem innui puto, quando Petrus [y] requirit, *vt qui hospitales sunt, id faciant sine murmuratione.*

r Rom. 12. 8.
s 2. Cor. 8. 2.
t hom. 20. in 2. ad Cor.
u Iac. 1. 5.
x cap. 2. 46.
y 1. ep. 1. 4. 9.

Testimonium perhibentibus.] Nulla celebratur libentiùs omnium laudibus virtus quàm liberalitas. Qui Deum verum ignorauerunt Antiqui, pro Deo honorauerunt, à quibus commoda percipiebant, Solem, astra, cetera, res etiam inanimatas, vilissimasque: suorum prætetea Principum quorum essent experti liberalitatem, vitia cetera dissimularunt, eósque velut numina coluerunt.

Liberalitas virtus laudibus maxime celebrata.

Extorquet vel ab improbis & aduersariis beneficentia laudationem, *Infirmat Deus laude sua* [z]. *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei*, ait Dauid [a]. Cùm Nicanor delatus Philippo esset ab Smicytho, quòd regi semper verbis detraheret, Philippus cognito Nicanorem graui premi inopia, neglectū à se, dono aliquo iussit affici. Vbi Smicythus miris à Nicanore laudibus regem ferri, denuo narrasset: *Videtis*, inquit Rex, *in nostra esse potestate vel benè, vel malè audire* [b]. Vulgare, ac minimè solidum hoc virtutis testimonium, quando & canis ipsa benefactorum, vt [c] Anacharsis vsurpabat, amet domos. Iudæi prophetam Christum nominabant, ac regem creare quoque volebant [d], quando satiabat eos in deserto: eundem postea clamoribus importunis ad Crucem postulauerunt [e].

z Esa. 48. 9.
a Psal. 48. 19.
b Plutarc. in Apoth. n. 30. 9.
c epist. vlt. ad Crœsum.
Canis benefactorū domos amat.
d Io. 6 14. 15.
e Ioan. 19. 15.

Fratres Ioanni verum de Gaij veritate, veraque virtute reddebant proculdubio testimonium: &

certus erat Ioannes tum vera istos narrare, tum Gaium tam altas virtutis radices iecisse, vt præsens eum laudationis aura non concuteret.

Sicut tu in veritate ambulas.] In epistola præcedente similis phrasis fuit [a]. Quid nunc sibi velit, paulo ante dixi. Solùm restat, vt comparationis particulam exponamus, vel de reddentibus Gaio testimonium, tam studiosè, quàm studiosus erat ad bene operandum, vt placet Glossæ interlineari, & Hugoni, vel vt indicant iidem de gaudio ipso Ioannis, quod non sit inane, sed graui, ac iusta ortũ ex causa, támque sincerum, ac verum, quàm pro quo gaudebat Gaius, agebat sincerè, veréque. Quàm lætus, qui potest, immò cupit librum gestorum suorum à Deo ipso iudice scriptum in humero portare, & circumdare quasi coronam sibi [b].

a vers. 4.

b Iob 31. 35. 36.

Vers. 4.] Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.

CODICES Complutenses, & Regij vertunt, *Maius horum non habeo gaudium*, idque iuxta Græcam editionem: Μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαράν, ἵνα ἀκούω &c. Nec desunt, pauci tamẽ libri Græci [c], in quibus est χάριν, facilísque permutatio fuit litteræ iota in alpha. Simili quadam ratione in epistola ad Philippenses [d] deprehendi gaudium ab interprete positum, cùm sit Græcè, χάρις, gratia. Satius est approbatæ, quam sequi debemus, editioni Latinæ fauere, dicendo vsam melioribus Græcis libris, quàm sint illi, licet numero plures, qui secùs nunc legunt, quos tamen præferunt Erasmus, Vatablus, Clarius, Caietanus, Salmeron, Bartholomæus Petrus, qui Gulielmi Estij suppleuit commentarium, iam inde a 7. versu capitis 5. epistolæ Ioannis primæ, ac valde cuperet concordantias bibliorum veteres relinqui intactas, in quibus retinetur gaudiũ, verbo hoc ipso, gaudium, & habeo, & maior. Nam nihil variat sensus, vel parum: & constanter Latini omnes eo modo legunt: nec refert quod proximè antè dixerat Ioannes: Gauisus sum, ἐχάρην, immo maior inesse gratia orationi videtur cum quadam, etsi non tanta paronomasia, si non χαρὰ, sed χάρις ponatur. Significat verò sibi nihil gratiùs accidere, aut maiorem filios ei suos præstare gratiam non posse, quàm si eos audiat, in veritate ambulare: qua ipsa ex re gaudium simul profectò singulare capiebat. Si χαρὰν gaudiúmque retineremus, posset quis eam dicendi formulam affirmare didicisse Ioannem à Christo, qui dicere solebat, Hieronymo [e] teste: *Numquam læti sitis, nisi cum fratrem videritis in charitate.*

c In nouo Testam. Roberti Stephani, & in notationibus Francisci Lucę Brugensis

d cap. 1. 7.

e In c. 5. epi. ad Ephes.

Potest quis aliis lætari de causis: nec maximè propriè lætitia, vel præcisè inde debet capi, cùm eo debeat hæc esse maior, quò res melior, qualis exempli causa Dei gloria, & priuata cuiusque iustitia, siue sanctitas. Sed sunt accommodatè sumenda quæ dicuntur, & secundum subiectam materiam. Hac ratione si agatur de amore Proximi, gaudióque quod ex rebus eius secundis capimus, nihil præferendum ipsius iustitiæ, atque sanctitati, quod est eum in veritate ambulare.

Lætitia de fratris caritate, habens magnæ debet.

Maiorem horum.] Græcismus, est quem solet, Interpres retinere, vt; *Maior horum est charitas* [f]; *Quis eorum maior esset* [g], &c. Sed aliquando vtitur Solœcismo, verbi gratia, *minimum est omnibus seminibus* [h], vbi Græcè est comparatiuum dumtaxat μικρότερον πάντων τῶν σπερμάτων, quo vtuntur quãdoque Græci pro superlatiuo, & conseruatur tamen constructio Latini comparatiui, non superlatiui, vt indicetur forsitan Græcus comparatiuus, quamuis Græcè vtriusque status nomen exigat gignendi casum, quia carent Græci casu auferendi. Notat Priscianus [i] suis comparatiuis Latinos quandoque more Græcorum genitiuum adiungere. Nouaturis Alberici Gentilis in tuendo contra momos nouatores alios Interprete Latino, curam, à patrono meliore susceptam vellem.

f 1. Cor 13. 13.

g Lucæ 9. 46. c. 22. 24.

h Matt. 13. 32.

i lib. vii.

Porrò comparatiuum vocabulum Græcum μειζοτέραν, est vt obseruat Oecumenius κατ' ἀκρίβειαν τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης ἀδόκιμον, ὡς ἐπίτασιν ἐπιτάσει προσπορίζον *iuxta exactam rationem linguæ Græcæ improbatum, vt pote augmento augmentum adiungens*: vt si videlicet Latinè, maiorius maiore diceres. Ioannis vnius est, hocque vno loco dictio ista, nec alibi, quod sciam, apud alium Auctorem, vel sacrum, vel profanum reperietur. Licuit Ioanni eximiam charitatem suam nouis exprimere vocibus, & quemadmodum toties tenerius appellat per diminutionẽ τεκνία *filiolos*, ita excelsum illum in amando (fecit id Paulus [k], vt se maximè demitteret, excogitato nouo vocabulo, appellánsque ἐλαχιστοτέρον πάντων, quasi dicas, *minimiorem*) manifestare per excedentes communem vsum voces.

Vox μειζοτέρα à solo Ioãne vsitata.

k Ephes. 3. 8.

Horum.] Alij codices Græci ταύτης, *Huius*.

Filios meos.] Spirituales, vel per baptismum, vel per institutionem non carnales, *quia virgo in æuum permansit*, inquit Lyranus. Gaium Paulus baptizauerat [l], sed Ioannes prius instituerat, inquit Hugo. Non est probabile, à Ioanne institutum, non etiam ab eodẽ baptizatum. Filios credo simpliciter vocat, quos ipse grandior annis, potestate maior, diligebat affectu paterno, & qui obseruabant vicissim ipsum, & imitabantur. Sic distincta ratio erit filiationis spiritualis, ab iis quas posui ad finem versus primi. Quanto Magistri afficiantur gaudio ex profectu discipulorum, docui in Commentario historiæ Apostolicæ. Senecam [m] lege.

l 1. Cor. 1. 14.

m epist. 34.

Vers. 5.] Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.

FIDELITER *facis.*] Πιστὸν ποιεῖς, sicut verè es fidelis, ita facis, inquit Beda, Carthusianus, & Thomas Anglicus, ostendens ex operibus fidem tuam: & non pro vana gloria, inquit Glossa ordinaria, & Hugo. Hospitalitas Christianitatis, ac fidelium quædam contesseratio erat, sicut & certa veluti nota familiæ Abraham. Indicatur præterea hoc dicendi modo, locupletes præstare fidem, facere quod eorum exigit officij ratio, eacqui non tam liberum liberalitatis opus, quàm iustitiæ necessarium, siue debitum. Hæc sum alibi pluribus prosecutus, cúrque iustitiæ nomine Scripturæ vocent eleemosynam, & quo sensu affirment Patres, non sua ipsorum diuites egentibus largiri, sed quæ sunt illorum reddere, illos tanquam patronos exigere: vt tales afficiendos honore, obsequióque: dispensationem facultatum commissam, non dominium; raptorem ac

Hospitalitas Christianitatis erat contesseratio.

Diuites nõ sunt suarũ possessionũ absoluti domini.

fiducia

fraudatorem:& spoliatorem censeri,qui non impertitur. Lege Serarij [a] quæstiunculam, qua docet, priscis tempotibus cauponarum vsum non fuisse, præsertim in Oriente. sed quemque viaticum comportasse secū: vide etiam Damiani Goes Apologiam [b] contra Munsterum,cur sint in Hispania hospitia pauca. Denique fides, ac fidelitas respicit propria magis ratione fratres, fide nimirum eadem,ac religione, & vinculo nexos charitatis,de quibus hoc loco maximè loquitur Ioannes. Dicitur præterea fidelis,qui benignè aliis facit,quoniam quod se Christianus facturum promisit,præstat: & in promissa confidens mercede, quam sine dubio reddet Deus. Has duas postremas post Catharinum reddit Salmeron causas, modósve fidelitatis.

[a] in c.6.Tobiæ 9.1.
[b] in Hispania.

Quidquid operaris.] Ἐργάσῃ, operaberis. Adeo verò generaliter loquens intelligendus est Ioannes de misericordiæ operibus, iísque vel magnis, vel paruis, prout occasio tulerit. Placet verò mihi Bartholomæi Petri annotatio, hinc éxque similibus Scripturæ locis videri fluxisse apud veteres Ecclesiasticos scriptores,vt eleemosyna nominetur opus vel operatio, vt apud Tertullianum [c], atque Cyprianum, cuius est liber cum titulo de opere & eleemosyna,(pro qua legunt alij misericordiam) atque sic præterea vsurpat sermone de lapsis sub finem,& libro de vnitate Ecclesiæ non procul à fine: libérque ille à nonnullis malè inscribitur De simplicitate prælatorum:item apud Prudentium [d],& Leonem [e]. Certè iudicij generalis pronunciabitur sententia de operibus vel factis, vel omissis [f], quæ nominatim sunt opera misericordiæ. Notauerat id prior Pamelius in Notis ad librum priorem Cypriani citatis Tertulliano,& Prudentio, nec non auctore vitæ Cypriani Pontio. Quod verò attinet ad Prudētium, profert hos ex illo versus.

[c] de Idololat. c.23 & 4. cōtra Marcio.
[d] in Psychomachia.
[e] serm. de octo beatit. In 5.
[f] Matt.25.35.& seqq.

Tum [g] subitò in medium frendens operatio campum
Prosilit auxilio socius pugnámque capessit.

Vbi operatio virtutē significat auaritiæ oppositā.

[g] Legitur apud Pamelium eo & modum, sed hoc omnino mendosè.

In fratres.] Non exclusis quidem aliis, verùm præcipuè in eos,quibuscum fidei,religionis,communionis maior societas, quique *sunt domestici fidei* [h]:quoniam *Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negasse censetur, & infideli deterior esse* [i].

[h] Gal.6.10.
[i] 1.Timot. 5.8.

Et hoc in peregrinos.] Καὶ εἰς τοὺς ξένους. Vbi deest *hoc*,sed interpres rectè suppleuit;nec enim Ioannes peregrinos à fratribus ita seiunxit, quasi non essent fratres:verùm inter fratres iis voluit significare opus misericordiæ meliùs impendi. Habet coniunctio *&* nonnumquam in Scripturis hunc vsum,vt ponatur vice (præsertim) vel, id est,per modū maioris expressionis,siue expositionis. Tale illud apud Matthæū [k] *,& colliget* (Angeli) *de regno eius omnia scandala & eos qui faciunt iniquitatē*,id est, voco scandala eos,qui faciunt iniquitatem. Præterea,*Dicite Discipulis eius,& Petro* [l], id est,præcipuè Petro Lege Riberam [m],qui hoc obseruat fieri solere,quādo post genus additur cōiūctio speciei.

Et pro præsertim ponitur.
[k] cap.13.41.
[l] Mar.vlt.7.
[m] Sophon. 1. n.16. 17. & Apoc.1. n. 66. & Heb 13.n.10.

Ad eundem hic modum fratres intelligimus,si non peregrinos solos certè hos potissimum.Nam Gaius non solis beneficus erat peregrinis:verùm de his agebat Ioannes,qui peregrè venientes renuntiauerant quam erant experti beneficentiam Gaij De hospitalitatis bono non repetam, quæ disputaui, cùm exponerem Actus Apostolorum.

Beda peregrinos istos putat fuisse,qui vel sponte peregrinarentur ad verbum Dei disseminandū, vel qui eiicerentur à ciuibus siue à contribulibus suis propter Fidei cōfessionem.Lyranus posteriores intelligit,priores Salmeron. Glossa Interlinearis,Hugo,Thomas Anglicus,Carthusianus,quoslibet,qui cum sint incogniti,& ab iis cōpensatio non soleat expectari [n]; & sit maximè Deo cordi, vt subueniatur illis [o],illustrior existit charitas in id hominum genus exhibita. *Amat peregrinū Deus & dat ei victum,atque vestitum: & vos ergo amate peregrinos* [p] *,quia & ipsi fuistis aduenæ in terra Ægypti.*

Qui fuerint peregrini de quibus Ioannes agit.
[n] Lucæ 14.14.
[o] Deut.10. 18. 19.
[p] suprà in Deuterono.

Recipio distinctionem Prædicatorum in eos, qui certæ sunt affixi diœcesi,& alios, qui orbem obeunt:Sed Ioannem existimo vniuersè de omni genere peregrinorum loqui non de Prædicatoribus dumtaxat.

Vers.6.] Qui testimoniū reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ, quos, benefaciens,deduces dignè Deo.

CHaritati tuæ.] Veritatem superiùs appellauerat,ita vt Gaius & orthodoxus,& pius esset: vel charitatem quoque veritas,& hæc illam complectitur:nec enim sine veritate charitas,vel practica sine charitate veritas est. Solent quidem Patres honorificè simul, ac religiosè vocibus abstractis auditores compellare,dicēdo: *Charitas vestra*, sicut & iis, qui superiorem in Ecclesia gradū tenent dicitur,*Reuerētia,Paternitas,Sanctitas vestra*, & eiusdem aliæ inter laicos,aut ad laicos vsurpantur titulorum formulæ,*Dominationis, Excellentia, Serenitatis,Maiestatis,Præstantia,Clementia, Claritatis,Gloria*,quam vltimam & Paulus Apostolus videtur vsurpasse [q] Νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, Syriacè *iuro per gloriam vestram.* Sed hoc nunc Ioannes non loquitur modo, ipsam intelligens virtutem charitatis, eiúsve opera, cuius reddebatur testimonium ab aduenientibus fratribus peregrinis.

Caritas sine veritate nulla est.
[q] 1.Cor.15.31.

In conspectu Ecclesiæ.] Vel vnde veniebant peregrini,vel ad quam peruenerant.Primo modo, qui videtur placere Thomæ Anglico,& Hugoni,sensus est, coram omnibus publicéque Gaium exercuisse opera misericordiæ. Alter modus, qui est Carthusiani,ostendit peregrinos euulgasse coram omnibus Gaij benignitatem ac beneficentiam. Catharinus tertiam adhibet expositionem, prædicatores,quos vult esse peregrinos illos de quibus proximè facta mentio, dum prædicarent in conspectu Ecclesiæ,testificatos esse se veros verbi ministros esse,& dignos, quos amplexaretur Gaij charitas. Non amplector ego Catharini hac in re testimonium, vt pote minus ad mentem Ioannis, ni fallor,qui de peregrinorum loquitur testimonio,quod non sibiipsis siue verbis, siue potiùs factis,sed Gaio darent diserto sermone.

Duarum autem aliarum explicationum simplicior secunda & verior;primam autem quoque simul recipimus, si de peregrinorum testimonio intelligatur,quo,præsente Ioanne,totáque Ecclesia, vbi ille erat, renunciarunt de publicis eleemosynis,quas conferebat Gaius in Ecclesiam,vnde ipsi veniebant.

Lucere lux operum bonorum debet coram hominibus vt glorificetur Deus [r],& exempla sumant alij virtutis.Celebranda etiam aliorum virtus, licet adhuc superstitū, cùm solidior est,duabus istis eisdem de causis,propter quas piè,vtiliterq; mandantur litteris,atque communicantur præclarè gestæ res, hoc est, vel ad documentum, vel ad laudem Dei.

[r] Mat. 5.16.
Virtus aliorum etiam superstitū celebranda est.

Quos benefaciens deduces.] Alij multi codices, vt

Complutenses, Regij, &c. & manuscripti etiam: *Quos bene facies deducens.* Græcè οὓς καλῶς ποιήσεις προπέμψας. Sed hoc etiam modo, quem placuit Sixto V. Clementíque VIII. in emendatis Biblijs retinere, non alij pauci legunt libri, & eam lectionem sequitur Glossa Interlinearis, & Carthusianus. Hugo verò legit, *benefaciens deducis.* Nostræ editionis sensus est à Glossa traditus: Quamdiu apud te sunt, beneficiis afficies, & discedentes aliò deduces: à Carthusiano: Dato discedentibus viatico, & necessariis, diriges per iter, quod inituri sunt. Cæteri, qui legunt: *Benefaciens, deduces*, &c. vt Lyranus Hugo, qui, vt dixi, legit *deducis.* Thomas Anglicus, &c. explicant de deductionis beneficio, quod in eo sit, vt in viam se dantibus necessaria suppeditentur. Catharinus addit, honorificam deductionem, vt eum omni honore tales (nimirũ peregrinos prædicatores) prosequatur, & quasi Christi legatos comes antecedat, quò pergunt vsque: & hoc quidem si faciat, benefacturum, id est, hoc opus, piè laudabilitérque collocaturum. Consentit Salmeron. Vtitur autem cum Catharino post Carthusianum Pauli exemplo scribentis ad Titum [a]: *Zenam legisperitum, & Apollo sollicitè præmitte, vt nihil illis desit. Erãt*, inquit Hugo, *tũc itinera periculosa propter insidias cõtra Fideles, vel à Iudæis, vel ab hæreticis, vel ab infidelibus.* Gaius verò deducebat eos, (putat enim Hugo, vt aliquoties monui, locutũ Ioannẽ in tẽpore præsenti *deducis*,) quia valebat auctoritate, atque potentia.

a cap.3.13.

Difficultatem præterea facit relatiuum *quos*, an sit referendum ad illos peregrinos relatores, siue narratores laudum Gaij, an ad quoslibet iis similes, quibus benefaceret Gaius, & vt benefacere pergat, hortetur Ioannes. Vero similius est, loqui Ioannem de omnibus, accepta occasione tamen ab iis, qui iam Gaij liberalitatem erant experti.

Duo petit à Gaio Ioannes.

Quocirca, iuxta nostram editionem, duo tacitè laudanda quasi iam facta, petit à Gaio, vt adhuc faciat, vt peregrè proficiscentes, iuuet viatico, & eosdem honorificè quoque ad se dimittat deducendo, & comitando non ad viæ quidem metam, quod nimis foret operosum, ac molestum, obesśétque melioribus misericordiæ functionibus, sed ad aliquod certè spatium extra mœnia, portásque ciuitatis, &c.

Ex his duobus non tanti secundum refert. nec opinor id Ioannes adeò curasset, approbat nihilominus vt charitatis gratum indicium: sed exigit præcipuè primum, tanquam magis necessarium.

Qui legunt, *Quos benefacies deducens*, primum dumtaxat propriè possunt intelligere, quod & Gagneius facit, exponens nempe de comitatu, & deductione honoris causa. Et illud, *Quos benefacies deducens*, tenentur accipere de laude, siue merito quod quis consequatur ex tali officio, non de beneficio, quo præter deductionem afficiat illos quos deducit.

Textus Græcus optimè fert sensum, quem in gratiam editionis Græcæ tracto: Οὓς καλῶς ποιήσεις προπέμψας. *Quos benefacies*, id est, beneficio afficies, quibus benefacies, *cùm præmiseris, seu deduxeris*, i. vtrumque præstabis, & quando voles eos dimittere, atque (quod soles laudabiliter facere) abeuntes comitari, rebus donabis itineri necessariis, vel hos ipsos abs te venientes, cum redibũt ad te, vel quoslibet alios istis similes, quibus iter erit conficiendum. Nonnulli codices Græci habent verbum primum in tempore præsenti. Οὓς καλῶς ποιεῖς προπέμψας: *Quos benefacis*, &c. quam lectionem reperi quoque in manuscripto, sicut & in alio aliam illam *quos benefaciens deducis.*

Quos benefaciens.] Compositum participiũ est, significans beneficum opus exercentem beneficentiæ. Sed καλῶς ποιεῖν τινὰ, bene dicitur pro eo, quod est *beneficio aliquem afficere.* Carthusianus tamen interpretatur, *benefaciens*, id est, meritoriè operans, quia *benefacit animæ suæ vir misericors* [b].

b prou.11.17.

Deduces.] Προπέμψας, cùm deduxeris, vel deduces, vel deducis. facilè namque aoristus ad hæc omnia tempora accommodatur. De ipsa deducendi ratione modò dixi, atque in historia Apostolica.

Illud constat, προπέμπειν non semper, ac ne propriè quidem, præter honorarium comitatum, includere quoque largitionem munerum ad iter. Paulus ac Barnabas, aliíq; dimissi Antiochię in Ierusalẽ, dicũtur deducti ab Ecclesia [c], προπεμφθέντες. Eundẽ Paulũ Ephesij deduxerunt ad nauem [d]: itẽ Tyrij [e]. Scribit quoq; Romanis se ab iis deducendũ in Hispaniã [f], & Corinthiis [g] in Iudæã: & iisdem, vt deducant Timotheũ in pace [h]. Noluit credo locis istis omnibus, in quibus est προπέμπειν & προπέμψαι, de suppeditãdo viatico intelligere, pręsertim cùm de seipso ageret, qui adeo ab exigendis huiusmodi pro se rebus abhorrebat, vt in eadem illa Actuum Apostolorum vidimus expositione [i]: sicut nec Abraham dedit Angelis viaticum, quibuscũ συνεπορεύετο συμπροπέμπων αὐτοὺς הולך עמם לשלחם *holech hhimmam lesallecham.* In epistola ad Romanos Syrus intellexit de comitatu חלותני *chelauuenani.* Sed nec videtur mihi Paulus de se loquens exegisse deductionem illã honorariam. Voluit opinor solùm dicere futurum vt ipsis approbantibus iter eiusmodi conficeret, & eorũ vel simul nomine ad hos illósve se conferret, ac diuinũ apud eosdem negotium tractaret. De aliis facilius concesserim, nominatim de Zena, & Apollo, de quibus, vt ante retuli, Tito [k] scribit, vt eos sollicitè præmittat, vt nihil illis desit. Ζηνᾶν τὸν νομικὸν, καὶ Ἀπολλῶ σπουδαίως πρόπεμψον, ἵνα μηδὲν αὐτοῖς λείπῃ. Itaque sapienter expressum est in editione distinctè deducendi verbum à verbo benefaciendi. Hactenus pugna cum victoria pro nostra editione. Hieronymus [l] tamen sic vertit hunc locum: *Quos optimè facias si præmiseris, Deo dignè.*

Quid sit deductio peregrinorum.

c cap.15.3.
d Act.20.38.
e Act.21.5.
f Rom.15.24.
g 2.Cor.1.16.
h 1.Cor.16.11.
i cap.20.34.
k cap.3.13.
l in cap.1.epist. ad Titum.

Dignè Deo] Ἀξίως Θεοῦ, illos honorando vt Dei ministros, seu in illis Deum, inquit Glossa Interlinearis, & legatos Christi, inquit Catharinus: vel ad honorem Dei honorando eum in ministris suis, inquit Thomas Anglicus: vel simpliciter ad honorem Domini, inquit Lyranus: vel, inquit Carthusianus, tam charitatiuè, ac reuerenter hos tractabis, vt Christi membra, ac seruos. Omnia vera, præter illud de solis ministris, siue legatis & prædicatoribus: non hi enim soli peregrinorum nomine sumendi. Gagneius explicat, prout decet credẽtes Deo, scilicet vt illi bene aliis faciunt, id eo modo faciat. Christus in iudicio pronunciabit seipsum collectum hospitio, cùm quiuis de minimis suis collectus est [m], & recipienti iustum, aut Prophetam, in nomine iusti, aut Prophetę: horum promittit mercedem [n], id est, eam ipsam beatitudinem, quam ipse iustus habet, ac Propheta: vel potiùs quam ab eo missus propheta, iustusque, vel quæ tales recipienti debetur. Paulus commendans Phœben Romanis, petit vt *eam suscipiãt*

Præmium hospitalitatis quale.

m Mat.25.35.
n Mat.10.41.

in

in Domino digne sanctis [a], quasi diceret, dignè Deo, dignè sanctis, prout est æquum, iustúmque sanctis, vt reddit Syrus, אין זדיק לקדישא *aein deZadek lekaddese, vt sanctis recipiendis, sunt recipientibus.* Familiaris Paulo phrasis [b], *ambulare dignè Deo*, aut *dignè euangelio Christi conuersari*, aut *dignè vocatione.* Sensus verò est, vt ambulemus, conuersemur, viuamus, prout decet, ac exigit etiam adeo sublimis & diuinus status Christiani, tam diuina doctrina & professio, à qua degenerare sit nefas, tantum à Deo propositum gloriæ præmium, ad quam *non sunt condigna passiones huius temporis* [c]. Non pugnant ista, dignè ambulare Deo, euangelio, vocatione, tamen condignas non esse passiones, eáque, quæ pro Deo patimur, pro Euangelio, pro vocatione, ad gloriam, quæ est ipsemet Deus, qui reddit sic ambulantibus dignè *mercedem, & coronam iustitiæ tanquam iustus iudex* [d]. Ipsa in se spectata opera hominis iusti quamlibet bona, si comparentur cum gloria, & vita æterna, nihil propemodum sunt ad illam siue durationem cõsideres, siue lætitiæ magnitudinem. Nec id asseri minùs liceret de Christi ipsius operibus. At quemadmodum quantulũcumque virtutis opus dignitatem à persona diuina immensam consequitur: sic dignitas inest operibus hominis iusti, quatenus est membrũ Christi viuum, templum Spiritus sancti, Filius Dei per adoptionem & gratiã cum interno gratiæ dono.

a cap.16.2.
b Ephes. 4. 1. Philip.1.27. Coloss.1.10. 1.Thess.2.12.
Ambulare dignè Deo quid sit.
c Rom.8.18.
d 2.Tim.4.8.

Non ergo vlla ratione verum, nostris nõ inesse vim meriti operibus propter eum Apostoli locum, ne sit quoque idẽ verum de operibus Christi, sed ex hoc potiùs, præter alia, Ioannis efficitur loco, sufficiens esse posse iustúmque pretium, ac meritum in operibus nostris ad acquirendum beatitudinis præmium.

Opera nostra bona cum gratia Dei, sunt meritoria.

Itaque digne Deo deducere peregrinos, est tali modo, qui dignus censeatur Deo, quasi dicas diuinè, regiè, largiter: quemadmodum fructus digni pœnitentiæ [e], *ἄξιοι τῆς μετανοίας*, sunt serij, ac sinceri. Denique hoc ipsum est, quod Paulus [f] aliter dicit, *suscipere in Domino*, & est præterea sic agere, ac si Deus ipse id ageret seruata proportione: quemadmodũ linguis loqui Angelorum [g], est ea loqui sermonis elegantia, qua Angeli, si loquerentur, vterentur: quo pacto dicebat ille, nec Iouem, si atticè loqueretur, aliter locuturum.

e Matt.3.8.
f Rom.16.2. Philip.2.29.
g 1.Cor.13.1.

Vers. 7.] Pro nomine enim eius profecti sũt, nihil accipientes à Gentibus.

CAusa est, cur dignè Deo peregrini illi sint excipiendi, quoniam digni sunt, & egentes, atque peregrinantes, aut etiam exulantes Dei causa, propriis eiecti bonis, ac sedibus. Beda vtrũque ponit, & sponte abiisse vt prędicarent, & propter nominis sancti fidem, atque confessionem à ciuibus, & cõtribulibus suis patria pulsos. Hoc malim, quàm de solis intelligere prædicatoribus, quod & priùs monui.

Pro nomine eius.] Dei, & Christi, qui Deus est. Videtur Beda nõ legisse pronomen *eius*. nam scribit: Cùm dicit *pro nomine*, subaudiẽdum est Domini Iesu Christi: sic enim loquebantur antiqui. Significat, antiquos per nomen absolutè positum solitos intelligere Iesum. Est quidem hoc nomen *super omne nomen* [h]: at non recordor, audita, vsurpatáve sola *nominis* voce Iesum significatum, & intellectum: propriè verò etiam Paulus per nomen accipit nominis celebritaté, vt rectè docet Iansenius [i], & quidam apud Theodoretum [k], (qui mauult intelligi, vt Dei Filius nominaretur, hæreditando tale nomen differẽtius præ Angelis [l]) quã Christus post passionem, resurrectionem, & ascensionem acquisiuit, non appellationem nominis Iesu, quod ei nomen est in incarnatione impositum: licet hoc etiam verum sit, quòd tunc, nempe post ascensionem illud ipsum nomen obtinuit dignitatem super alia nomina omnia. Sic quidem eum locum interpretantur Origenes [m], Haimo [n], Bernardus [o], Gregorius Papa [p] IX. hoc nomine, & alij. Hebraicè nonnunquam שם *schem*, nomen Deum ipsum significat, vt cùm quidam dicitur blasphemasse nomen [q]. Quamuis Oleaster [r] exprimit verbũ נקב *nkkou*, perforasse, & malleasse, lacerasse, id est, despexisse, contempsisse, perinde ac si perforasset, &c. aut explanasse, & pronunciasse, quod nefas erat facere, nomen Tetragrammatum *ἄῤῥητον, ἀνεκφώνητον, ἄχαστον*, & post prolationem dixisse nullius esse momenti, virtutisve, sed esse fortiores Ægyptiacos Deos.

h Philip.2.9.
i in concor. euang.c.7.
k Philip.2. & ibid.Haimo. Bernard.Tom.1. Hom.li.9.c.3.
l Heb.1.4.
m homil. 1. in Iosue.
n in c.2.ep 2. ad Philip.
o serm. in Id ecce nos reliquimus omnia, & sermo.2 de Circumcisione.
p c. decet, de im mun.Eccl.in 6.
q Leu.24.11.
r Tom. 4. fer. 2.extraord.

Nihil accipientes à Gentibus.] Nec petendo, oblatúmve admittendo, aut quamuis peterent, non impetrando: aut sibi res proprias per vim ereptas admittendo. Si prædicatores erant, nolebant *quæstum videri facere pietatem* [s], *& cauponari verbum Dei* [t], vt sic maiore fructu, & ædificatione docerent. Sed neque his, neque aliis fidelibus Gentiles alia volebant lege necessaria suppeditare, quàm si colerent idola. Hoc vltimum tradit Glossa Interlinearis, Hugo, Lyranus, Thomas Anglicus, Carthusianus, qui addit eádem de causa, proprias quoque ipsis facultates ereptas.

s 1.Tim.6.6.
t 2.Cor.2.17.

Licuit Christianis, licétque res à Gentibus capere necessarias, necessariósque celebrare contractus, quando Dei non periclitatur honor, nec adducitur in periculum religio, vel alicuius violatio præcepti, & peccari nimia religione, siue superstitione potest, abstinendo à necessariarum rerum vsu, quas aliter comparare quàm à Gentilibus non valeas. Paulus potestatem facit etiam in minimè necessariis. *Si quis* [u] *vocat vos*, inquit, *infidelium, & vultis ire, omne quod apponitur, manducate.* Item [x]: *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis, non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse.* Verùm accipiendum id est, nisi quid grauiùs obstet: qua de re fusius est actum in Apostolicis actibus [y]. Facilè offensi essent Gẽtiles si quid Christiani postulassent, aut acceptassent, quasi charitas apud Christianos non vigeret, aut commodi proprij causa, non alienæ studio salutis peregrinarentur. Quò videtur Paulus [z] respexisse; *Rogamus vos fratres*, &c. & *vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis*: id est, nihil ab iis etiam necessariorum ad sustentationem petatis; ne vel scandalizentur quòd labore vestro victum vobis non paretis, aut quòd necessaria non tribuant vobis alij Christiani. Idcirco idem Apostolus alieno victitare tantopere detrectauit [a]: & experientia quoque recens docuit, hac ratione liberiùs infidelibus prædicari, ac libentiùs ab iis Euangelij præcones audiri & excipi, cùm animaduertunt non sua quæri, sed ipsosmet, eorúmque salutem.

Christianis licet à gentibus necessaria petere.
u 1.Cor.7. 27.
x 1.Cor.5 9. 10.
y c.15.29.
z 1.Thess.4. 11.
a Act. 20. 33. 1.Cor 9.15.

Versic. 8.] Nos ergo debemus suscipere huiusmodi vt cooperatores simus veritatis.

QVamuis omnia Ioannes dimisisset, se tamen diuitibus coniungit, vt alacriores reddat,

inquit Glossa ordinaria post Bedam, ad miserendũ pauperibus,& peregrinis. Ceteri hoc approbant:& credit etiam Beda, non secùs quàm Paulum [a], suatum Ioannem vixisse manuum labore, indéque aliis subuenisse: quod Christi sententia, *Beatius esset magis dare, quàm accipere* [b]. Facilè credo. Sed cùm regeret Ecclesias Asiæ, potuit, ceu moderatos largitionum piarum, id in egentes præstare copiosiùs, quòd ceteros facere hortabatur, qui aberant, vt Gaium. Solemne etiam est vel scribentibus vel concionantibus ad multitudinem, suam cum ceteris personam coniungere, tum hortando, tum reprehendendo, vt lenior fiat gratiórque oratio. Similia priùs exempla vidimus, & occurrent plura legentibus Auctores, ipsiq; quotidie in nobis, & in aliis id experimur.

a Act.20.34. *Ioannes suarum manuum labore vixit.*
b Ibid.35.

Suscipere.] Καταλαμβάνειν, dixi aliàs [c] de hospitali verbo προσδέχεσθαι, & ἀποδέχεσθαι, & ὑποδέχεσθαι, & δέχεσθαι. Oecumenius verbum huius loci ait esse ἀντὶ τοῦ ἀναλαμβάνεσθαι, καὶ ὑποδέχεσθαι. Monet verò instrui nos ne expectemus, vt qui indigent, ad nos veniant, sed nos ad ipsos accurramus, & persequamur, vt Abraham [d], & Lot [e], immò veluti vt prædam Leo: *Susceperunt me, sicut leo paratus ad prædam* [f], ὑπέλαβόν με. Καταλαμβάνειν est deprehendere, occupare, detinere, &c. De hoc hospitalitatis studio dictum in Actibus [g], de quo, vt ab Episcopo præcipuè requiritur, disserit Espencæus [h]. Paulus [i] præcipit, *vt hospitalitatem sectemur*, φιλοξενίαν, inquit, διώκοντες: & Christus: *Hospes*, ait, *eram, & collegistis me* [k]. συνηγάγετε. & Christum Discipuli tendentes [l] Emmaus *coegerunt*, παρεβιάσαντο, illata vi.

c Act.28.27.
d Gen.18.2.3.
e infra 19. 2.& seq.
f Psal.16.12.
g c.2.& 10.
h lib. 1. digress. in epist. 1. ad Tim.c.4.
i Rom.12.13.
k Matt.25.35.
l Luc.vlt.29.

Vt cooperatores simus veritatis.] ἵνα συνεργοὶ γινώμεθα τῇ ἀληθείᾳ, vel prædicatæ, vel aliter testificatæ: ministrando necessaria illis, inquit Lyranus, qui veritatem prædicant, & illis qui pro veritate fidei tribulationes, & exilia sustinent. Iam docui superius Christi verbis [m], qui Prophetam recipit, prophetæ mercedem accipere: & lex militaris à Dauid sancita est [n], *æquam descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas* partem esse, similiterq; diuidere inter se debere. Lege Platum nostrum [o]. Mensura præmij charitas est, quæ maior in largiente eleemosynam, quàm in recipiente, siue prædicatore, siue alio potest esse. Nihilominus prædicatoris peculiare quoddam præmium accidentarium est, quam vocant aureolam, vel laureolam, quamuis alius substantiale consequi maius queat quam appellant auream coronam. Notant id Hugo & Thomas Anglicus.

m Matt.10.41.
n 1. Reg. 30. 24.25.
o 1. de bono status relig. c. 29.
Prædicatoris peculiare præmium est aureola.

Veritatis vox fauet exponentibus de solis prædicatoribus, quos iuuent alij officio, beneficióve. Attamen latius patet veritas, vt antè vidimus [p]. Cùm autem glossa Interlinearis explicat cooperatores hic vocari, qui cùm prædicare non possint iuuant externa ope prædicantes, Hugo monet, quando in istis posterioribus Ioannes comprehendit seipsum, esse hypotheticum sensum, sic nempe, si non possumus, aut cùm non possumus, &c. Rectiùs idem respondetur, quod antè, communiter de seipso loqui, & de aliis, ob allatas rationes.

p vers.3.& 4.

Ad extremum conferri potest hic locus cum eo, qui est in priore ad Corinthios epistola [q], *Vt & vos subditi sitis eiusmodi, & omni cooperanti, & laboranti*, καὶ παντὶ τῷ συνεργοῦντι καὶ κοπιῶντι.

Non recipienti prædicatorem minatur Christus [q] in die iudicij seueriùs fore, quã Sodomæ & Gomorrhæ inhospitalibus [r]: magis namque subueniendum prædicatori, qui spiritualia communicat, quàm illis aliis id non facientibus.

q cap.16 16.
q Matt 10.14. 15.
r Ezech.16. 49. exponunt sic Hieron. Hugo, D. Th. & Lyranus.

Vehementer probo pij, ac prædiuitis cuiusdam Neapolitani ciuis consilium, quem audio magnã vim legasse pecuniæ hoc anno 1605. Carmelitanis discalceatis viritim distribuendam, quoties ad infideles prædicabundi se conferrẽt. Eximia porrò sedis Apostolicæ benignitas, quæ tot in vrbe nationes exteras educat, quæ vel à suis exolant, vel se ibi comparant, vt iis redeuntes prodesse secundum Deum possint. Sic olim omnes nationes fidelium domicilium Romæ inueniebant, vt Saxones, Corsici, Græci, & similes. Testes quæ vocatur hodiéque schola Græca: Saxia: vrbs Corsica, id est, regio Transtyberina, &c.

Carmelitanis discalceatis legata pecunia dum se ad infideles prædicatum gratia conferunt.

Vers.9.] Scripsissem forsitan Ecclesiæ: sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.

TAnti facit eleemosynæ bonum, vt banc fuesit per literas magis toti Ecclesiæ, vbi Gaius agebat, commendaturus, nactus occasionem ex aduentu peregrinorum, qui fuerant eam adeo benignè experti, nisi vereretur literas minimè recitandas in Ecclesia, vel spernendas opera Diotrephis, qui Ioannis frangens auctoritatem, primus tamen ibi volebat haberi. Sic quidem Glossa ordinaria, Hugo, Thomas Anglicus, sed non de hoc solo scripturum puto argumento, verùm & de rebus aliis.

Scripsissem forsitan.] Ἔγραψα, scripsi, & quidam alij Græci codices [s], τὶ aliquid. Qui deserere solent editionem nostram, Vatablus, Clarius, Caietanus, Erasmus, iubent nos legere *scripsi.* Vltimus ait, se suspicari castigatorem aliquem in margine addidisse *scripsissem* pro *scripsi*, & adiecisse *forsitan* ne videretur arrogantior: deinde per imperitum librarium, vtrumque translatum fuisse in contextum. Nimium suspicax, arrogans, imperitus est Erasmus ex dubitans de lectione, quam cuncti sequũtur interpretes. Melius Gagneius censent Interpretem nostrum legisse ἔγραψα ἄν. Videor obseruasse in profanis etiam Auctoribus particulę ἄν, quæ debuisset esse, subintellectam præsentiam, vt ἦλθον pro ἦλθον ἄν [t]. Confirmat lectionem nostram adiecta mox aduersatiua (sed) quasi dicat se scripturum fuisse libenter: ideo non scripsisse, quia, &c. deinde quia frustra scripsisset, sciẽs non recipiendas literas: immò vexandos qui reciperent, à Diotrephe: postremò participiũ Syrũ *boche* significat cupiens, quærens, petens sui. Quòd si *scripsi* ἔγραψα legas, erit sensus: Scripsi, sed sine fructu, propter Diotrephem; ideo nec nunc scribam, scripturus alioqui.

s in nouo Test. Rob. Steph.
Erasmus gabuio arguitur.
t Theoc. Idy.2.

Forsitan.] Siue reperesit Interpres particulam ἄν, siue non, sed suppleuerit, collegit ex consequentibus Ioannẽ id significare, se non scripsisse, sed scripturum fuisse, nisi ea obstitisset causa, quę de Diotrephe subijcitur: Sed & ἄν quod δυνητικῶς ponitur, non contingenter, sed assueranter significat. Solent quoque, vt monet Hugo, sacri Scriptores dictionem de incertis rebus adiecta temperare dubitatione. Hoc longè rectius, quàm quod post Glossam ordinariam affert, vocem *forsitan iungi posse* cum sequenti, *Ecclesiæ*, quasi dubitatiuè vocet Ecclesiam, & vt per obsecrationem eleemosynæ mereretur perfecta fieri Ecclesia, scripturus fuisset.

Interpretes sacri dictionem de rebus incertis dubitatione temperant.

Ecclesia.] Quæ fuerit hæc Ecclesia, nescio, seu

vbi

vbi tunc viueret Gaius, ad quem ſcribebat Ioannes. Lege verſum primum, & quæ de nomine Eccleſiæ aliis egimus in Commentariis[a].

a Act. 5. 34.

Qui amat primatum.] ὁ φιλοπρωτεύων. Beda intelligit primatum ſcientiæ. Gloſſa Interlinearis, Hugo, Thomas Anglicus, Lyranus dominiũ ac principatum in illam Eccleſiã. Vnus, quod ſciam, Ioannes vtitur, eo compoſito verbo. Simplex πρωτεύω eſt, *primas partes teneo,* ſiue principatum, V.G. τῇ ἀρετῇ, τῇ σοφίᾳ, τοῖς πολίταις, τῷ συγκλήτῳ, &c. vel in genitiuo caſu. Volebat igitur Diotrephes prior eſſe, ac fortaſſis quoque præeſſe tamquam doctior, ſanctior, denique vt Epiſcopus. *Fuit ibi Prælatus,* inquit Lyranus, *vel ad fratrum præſidentiam aſpirauit.* Hæreticorum vitium ordinarium ambitio, vt omnes hiſtorias legenti conſtabit, nóſque aliàs demonſtrauimus[b].

Hæreticorum ordinarium vitium ambitio.
b Act. 2.

Diotrephes.] Alij *Diotrepes.* Διοτρεφής. Et quandoque oppoſitum accidit dicendo V. G. trophæum pro τροπαῖον. Hæreſiarcham vocat Beda, Thomáſque Anglicus, & Lyranus, ſuperbum, ac inſolentem, qui mallet noua docendo primarũ ſibi vſurpare ſcientiæ, quàm antiquis ſanctæ Eccleſiæ, quę Ioannes prædicabat, humiliter auſcultare mãdatis. Etymologiam nominis reddit idem Beda, vt ſit Diotrephes idem quod ſpecioſus inſulſus, ſiue decor inſaniens, ita vt perfidiam cordis etiam nomine ſignauerit.

Quis hic Diotrephes fuerit, nec enim Sacerdotis appellatiua cenſenda vox, vt voluit quædam Gloſſa Decreti[c], nemo ante Bedam tradidit: notio quoque nominis minimè conuenit: ſed διοτρεφὴς Iouis alumnum ſignificat, vel à Ioue nutritum, quo Homerus reges epitheto ſolet ornare, ſicut & διογενέας. Moraliter deſignari per hunc poſſunt ij, qui freti nobilitate, ſiue doctrina abſq; ſanctitate, volunt Eccleſias regere, beneficiáque locupleriora obtinere. Splendor generis Eccleſiam illuſtrat, ſi potiores, quas Paulus epiſtolis ad Timotheum & Titum requirit in Epiſcopis, dotes adſint: & illius habẽdam rationem Sidonius[d] ſcribit, proponens Biturigibus Epiſcopum Simplicium, probánſque Ioannis exemplo, qui celebratur ob nobilitatẽ à Luca[e]. Affert idem exemplum Lucæ Paulinus[f], vt Melaniam laudet, atque Chryſologus[g]. Nolim tamen vnius haberi rationem nobilitatis vel in primis: aut ſolis conferri nobilibus ſacerdotia, cum tanto Eccleſiæ præiudicio, & meliorum, digniorúmque iactura, qui præmio virtuti debito atque ſcientiæ, ad vtriuſque ſtudium allici, & inuitari deberent. Lege Tiraquellum[h], qui hoc argumentum tractat accuratè, tandémque minus eam probat conſuetudinem, vt non niſi nobiles recipiantur in Canonicos. Gregorius certè nonus[i] damnat conſuetudinem Argentini capituli non admittendi niſi nobilem, & liberum, & ab vtroque parente illuſtrem. Lege quoque B. Thomam[k].

c C. ſi quis deſpicit, diſt. 42.
Diotrephes qui moraliter deſignet.
d lib. 7. ep. 9.
e Luc. 1. 5.
f epiſt. 10.
g ſerm. 85.
h de nobilit. c. 20. n. 10. & ſeq.
i c. venerabilis, de præben.
k quodlib. 6. ar. 9.

Non recipit nos.] Οὐκ ἐπιδέχεται ἡμᾶς. *Epiſtolam noſtram non recipit,* inquit Lyranus, & Gloſſa Interlinearis, quia deprauat noſtra ſcripta: noſtris verbis, aut ſcriptis non acquieſcit, ait Carthuſianus: non reputat auctoritatem noſtram, inquit Hugo, & Gloſſa quædam apud Thomam Anglicum: noſtra mandata, & verba, ait Thomas. Omnia vera. Et quidem epiſtolam non recipiebat, id eſt, ſi eam ſcripſiſſet Ioannes, legi non permiſiſſet in Eccleſia, fortaſſe nec euangelium Ioannis, ſi iam receptum erat: poſtea verò qui id reiecerunt, Alogi, aut Alogiani dicti ſunt. Arbitror eodem verbo ἐπιδέχεσθαι plura ſimul complecti Ioannem voluiſſe, nimirum quòd fideles, quibuſcum ſuam coniungit perſonam, hoſpitio non exciperet, prout magis exprimitur ſequenti verſu. At, inquies, plurium habenda Ioanni ratio fuit, nec abſtinendum ſcriptione epiſtolæ, propter vnum Diotrephem. Hugo reſpondet, diſparem rationem prædicationis eſſe, & ſcriptionis: à prædicatore contradicentem refelli poſſe cõtraria oratione: quod ſcriptum eſt, poſſe, vt primum in aduerſarij venerit manus, lacerari. Facilior reſponſio eſt, epiſtolam recitari non potuiſſe in Eccleſia, quia Diotrephes impediuiſſet: id verò volebat Ioannes: cui tamen ſi opus eſſet, non erat difficile confutare Diotrephis obiectiones: & epiſtolæ Ioannis exemplaria diſtrahi inter multos potuiſſent, legíque ab omnibus, priuatim ſaltem. Credi poteſt hunc fuiſſe hæreticum ex illis Iudæis, qui Chriſti profeſſi fidem, ſeruandam ſimul ſentiebant Moſis legem. Tales initio fuerunt Chriſtianæ legis aduerſarij ſummi, vt Epiphanius[l] teſtatur, ſcribens de Cerinthianis, Ebionitis, Nazaræis: quos & Apoſtolus Pſeudoapoſtolos videtur nominare.

Cur B. Ioannes à ſcriptione propter Diotrephem abſtinuerit.
l hær. 28. 29. 30.

Verſ. 10.] Propter hoc ſi venero, commonebo eius opera, quæ facit: verbis malignis garriens in nos: & quaſi non ei iſta ſufficiant, neque ipſe ſuſcipit fratres: & eos, qui ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſia eiicit.

Mluatur ſuauiſſimis, facillimíſque Ioannes moribus, non ſua ipſius cauſa, ſed aliorum, quos ſua Diotrephes lædebat inhumanitate, non obloquens dumtaxat de Ioanne, cuius tamen vigere plurimi referebat auctoritatem, (fama noſtra, præſertim ſi præſumus, vel pertinemus ad Rempublicam, aliis neceſſaria eſt, nobis ipſis vita, & conſcientia[m].) Nec ſolùm non excipiẽs fratres, verùm etiam volentes excipere, impediens, & eiiciens à communi cœtu, atque à communione. Huius ſimilia ſeueritatis exempla vidimus declarantes Actus Apoſtolicos in Petro Ananiam, Sapphirámque interficiente[n], & in Paulo Elymam excæcante[o], aliáſque poſtea Corinthium[p], & Hymenæum ac Alexandrum[q] Satanæ tradente in interitum carnis: comminante quoque percuſſionem diuinam illi, qui ſe percuti præceperat[r]. *Non debet reddi pro malo malum*[s], inquit Oecumenius, *quando quis nos offendit ſolos: quod ſi peccatum patratum contra nos, fidei quoque adfert impedimẽtum, tolerari non debet, ſed animaduerti.* Cùm defuit Eccleſiæ gladium portans magiſtratus, & externa poteſtas, compenſabat Deus ſingulari, miraculoſáque poteſtate, gladio, armíſque ſpiritualibus. Hæc virga eſt, in qua ſe Paulus minatur venturum[t].

Vita nobis neceſſaria eſt, fama proximo.
m Aug. de bono viduit. ca. 22. & de diuerſ. ſer. 49. c. 1.
n Act. 5. 5. 10.
o Act. 13. 11.
p 1. Cor. 5. 5.
q 1 Tim. 1. 20.
r Act. 23. 3.
ſ Rom. 12. 17.
Eccleſia gladium materialem cum deſuit, Deus ſpiritualem ſtringebat.
t 1. Cor. 4. 21.

Commonebo eius opera.] Quidam codices, *Commoneam*, qua futuri forma, in eiuſmodi verbis vtũtur quidam ſcriptores Latini, vt Gregorius[u], qui ſic etiam præſentem legit locum, ex eo docens non ſemper deſpicienda derogantium verba: ſed aliquando compeſcenda, ne, dum de nobis mala diſſeminant, eorum, qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant. Confirmat id præterea Pauli[x] ſententia exemplóque, ac multa huc ſpectantia vtiliter pręcipit, quæ ſine dubio Beda tranſcripſit, & Gloſſa ordinaria & Carthuſianus.

u homil. 9. in Ezech.
x 1 Cor. 10. 9. & ſeq.

solet loqui homo ad amicum suum, vbi Græcè est, καὶ ἐλάλει κύριος πρὸς μωυσῆν ἐνώπιος ἐνωπίῳ, &c. præsens præsenti, Chaldaicè ממלל עם ממלל *mamlal bhim mamlal, verbū ad verbum*: quod est quoque priore loco, vbi non habetor Hebraicè, sicut in alio פנים אל פנים *phenim alpanim, facie ad faciem* sed פה אל פה *pah al pah, os ad os, vel ore ad os*. στόμα κατὰ στόμα. Ioannes verò dixit, στόμα πρὸς στόμα.

Vt gaudium vestrum plenum sit.] Ἡμῶν, nostrum. Sine dubio charitas qua Ioannes insigniter præditus erat, gaudium facit commune amicorum, & congaudent mutuo bono amici. Paulus idcirco se Romanum iter desiderasse significat, *vt aliquid impertiretur Romanis gratiæ spiritualis ad confirmandos illos* [a]: idipsum tamen interpretatur nihil aliud esse, *nisi simul consolari in ipsis per eam, quæ inuicem erat fidem ipsorum, & suam* [b]. Ita vt hinc etiā, si Chrysostomo [c] credimus, & Basilio [d], caperet Pauli fides incrementum, vt quandoque augetur magistris scientia, ex doctrina discipulorum: itaque licet Interpres reddat hîc (vestrum) non excludit Ioannis gaudium. nec desunt Græci codices [e], in quibus legitur ὑμῶν. De plenitudine verò gaudij, nec non quantum capere spiritualis institutor soleat ex profectu discipulorum, disseruimus epistola præcedente.

Paulus qua ratione Romanos habere vellet.
a Rom. 1. 11.
b ibid. 12.
c ibid. hom.
d regula 226. ex breuiorib.
e in nouo Testam. Robert. Steph.

Cæterùm ante versum istum legitur in nonnullis codicibus Latinis: *Ecce prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini*: meritò Caietanus eum reiecit, & Gagneius, sicut & emendata editio nostra: quamuis Hugo, Thomas Anglicus, Lyranus, Carthusianus recipiant, & interpretentur.

Vers. 13.] Salutant te filij sororis tuæ Electæ.

EOdem nomine sorores duæ vocabantur. est enim proprium nomen Electa, vel cognomē, vt Ariæ Montano placet, (quomodo cognominabātur quidam iusti) nō appellatiuum, vel epithetum duplicis metropolitanæ Ecclesiæ. Neque ex Electorum persona salutat electos, sed consobrinos duarum sororum filios, ex quibus aberāt alteri à matre, ad quam scribit Ioannes, alteri cum ipso erant, siue adesset etiam mater, siue non, siue superstes, siue mortua illa esset. Denique designāt circumstantiæ naturales tum sorores, tum filios, non morales dumtaxat, propter amicitiæ vinculum, aut religionis, alteriúsve cōmunionem rei.

Electa nomen est duarum sororum.

Sic melior, & cōmunior habet opinio: illā tropologicam rationē assignant interlinearis Glossa, Hugo, Thomas Anglicus, hac nō omissa. licèt nō significent priorem esse mysticam, sed literalem.

Apostolica dignatio, & charitas aliorum etiam aliis mittere salutē non propriam solā, desiderat. Id fecit quoque Ioannes epistola sequenti [f], Petrus [g] etiam, Paulúsq; [h], obsequentes hac in re pro studio illorū, qui sibi ducebant honorificū à tantis viris eorū ad amicos absentes mitti salutem.

f vers. 14.
g 1. ep. vlt. 13.
h Heb. vlt. 25. ad Philem. v. 23. 24. ad Tit. vlt. 15. 2. Tim. vlt. 22. Coloss. vlt. 14. Philip. vlt. 22. 2. Cor. vlt. 12. 1. Cor vlt. 20. Rom. vlt. 16. 21. 23.

Habent nonnulli codices Latini manuscripti, & excusi, & Glossa Interlinearis, & Hugo, & Thomas Anglicus: *Gratia tecum, Amen*. Sed vt Carthusianus monet, nō est in libris correctis. Græci addunt solùm, Ἀμήν. Desunt hæc omnia in Latinis pluribus aliis, non tantùm in editione emendata.

IN EPISTOLAM BEATI IOANNIS APOSTOLI TERTIAM.

ARGVMENTVM.

Docuimus Præfatione ad epistolam primam, quæ de istius auctoritate dicenda erant, déque auctore Ioanne, cui tres adscribunt epistolas Nazianzenus [a], *Chrysostomus* [b], *& alij eo loco citati. Quis fuerit Gaius cui scribit Ioannes, exponetur vnà cum textu.*

a Carm. de libris Canonicis.
b apud Suid.

Argumentum huius epistolæ.

Argumentum est Gaij laus ab hospitalitate ac pietate: Adhortatio vt in iisdem perseueret: Reprehensio Diotrephis propter impietatem, superbiámque; contrà verò testificatio de virtute Demetrij: breuitatis excusatio cum spe perueniendi ad ipsum Gaium: denique post pacis imprecationem, amicorum data, & ad amicos missa salutatio.

1 SENIOR Gaio charissimo, quē ego diligo in veritate.
2 Charissime, de omnibus orationem facio prosperè te ingredi, & valere, sicut prospetè agit anima tua.
3 Gauisus sum valdè venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas.
4 Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.
5 Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.
6 Qui testimonium reddiderunt charitati tuę in conspectu Ecclesiæ, quos, benefaciens, deduces dignè Deo.
7 Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus.
8 Nos ergo debemus suscipere huiusmodi vt cooperatores simus veritatis.
9 Scripsissem forsitan Ecclesiæ: sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.
10 Propter hoc si venero, commonebo eius opera, quæ facit: verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres: & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia eiicit.
11 Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est: qui malefacit, non vidit Deum.
12 Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate, sed & nos testimonium perhibemus: & nosti quoniam testimonium nostrum verum est.
13 Multa habui tibi scribere: sed nolui per atramentum, & calamū scribere tibi.
14 Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

Vers. 1.] Senior Gaio carissimo, quem ego diligo in veritate.

DE Seniore lege prioris initium epistolæ: cur sic se Ioannes nominet: de Gaio disputatū in historia Apostolica [a], dictúmque trium distinctam fieri mentionem in sacris literis noui Testamenti. Vulgo creditur hic ille ipse esse, quem Paulus [b] nominat hospitem suum, & (vt quidam Græci codices habent, ac Syri, nonnullique Latini, nec non Patrum Græcorum Interpretatio, & Latinorum quorūdam) vniuersæ Ecclesię, cum nunc Sixtiani legant *& vniuersa Ecclesia*. Nā paulo post commendatur hospitalitas huius Gaij. Habetur [c] autem, nec Derbæus [d], nec Macedo [e], sed Corinthius is, quem se Paulus [f] idem testatur baptizasse: eundem verò cum nostro Beda existimat Glossa ordinaria, Hugo, Thomas Anglicus,

a c.19.29. cap. 20.4.
b Rom. 16.23.
c sic Theod. in ep. ad Rom.
d de quo Act. 20.
e de quo Act. 19.
f 1. Cor. 1. 14.

valere ὑγιαίνειν valetudinem corporis, ac vitę, quę aliis vtilis est, diuturnitatem.

Vita dignus immortali, qui aliorum consulit vitę, nec aliū viuentes viuere magis optant, quàm à quo viuendi subsidia sumunt. Dauid [a] quidem *intelligentis super egenum & pauperem* multa pollicetur, illud nominatim, *vt viuificet eum Dominus*, *& beatum faciat in terra*, id est, vt vitam sanam proroget, ac fortunatam prӕterea, *vt sit iucundus* [b], id est, iucundè, feliciterque viuat; *& exaltetur cornu eius*, id est, dignitas, regnū. &c. in gloria. Salomō [c] autē asserit, quod qui pronos est ad misericordiā, benedicetur, ὁ ἐλεῶν πτωχὸν αὐτὸς διατραφήσεται. *Qui miseretur pauperis, ipse nutrietur.* Paulus [d] docet *multiplicari semen à Deo, & augeri incrementa frugum iustitia*, id est eleemosynӕ, *eius qui seminat in benedictionibus.*

Infinitus sim, si hoc dicta, exempláque conferam sacra, profana, quibus propositum confirmē. *Felix illud horreum* Leo [e] vocat, *ex omnium frugum multiplicatione dignissimum, de quo egentium, & debilium saturatur esuries, de quo releuatur peregrini necessitas, de quo desiderium fouetur infirmi.* Nam *qui diuidunt propria, ditiores fiunt*, inquit idem Sapiens [f]: *qui rapiunt non sua, semper in egestate sunt.* Notus apologus eius, qui frugiferum emit agrum, ideirco quòd apertus tam domino sufficeret, quàm aliis plerisque: cùm verò sepiuisset muro, vix vni satis erat. Cuius rei id ab oraculo tulit responsum.

Vni seruus ager tibi, nunc cur tanta requiris?

Ad extremum, *omnium*, vt dicit Philosophus [g], *in quibus virtus inest, ij ferè diliguntur maximè, qui fama, & laude valent liberalitatis: prosunt enim aliis.*

Et valere.] Ὑγιαίνειν. De valetudine corporis intelligit propriè, non de sola spirituali, vt explicat Thomas Anglicus. Necessaria est salus, & fortitudo corporis, vacātibus misericordiӕ operibus, vt notat Hugo: iis nempe prӕsertim qui versantur in curandis aliorum corporibus, vt peregrinorum.

Sicut prosperè agit anima tua.] Ostendit ista comparatio, sermonem priùs fuisse de prosperitate temporali, & valetudine corporali, vt videlicet quàm valebat Gaius animo, virtutibúsque, tam corpore, & viribus valeret. *Laudari à laudato viro laudabile*, nec enim errat facile viri laudati iudicium; & non temerè laudat, cui nocere laudem patet posse. Vnde Hector patri Priamo dixisse memoratur [h]: *Lӕtus sum laudari abs te ò pater, laudato viro. ea est enim profectò iucunda laus*, inquit Cicero, *quӕ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.* Augustinus [i] alicubi similem habet lectu dignam sententiam. *Laudata crescit virtus, & laudare, est acerrimus stimulus mouendi* [k]: *& eget, si qua virtus alia, laudis hoc stimulo liberalitas*, cum natura comparatum sit, nostris vt consulamus rebus potiùs, quàm alienis. Non rarò discipulos laudat Paulus in epistolis, vt hoc mirirum, ceu calcari magis incitet ad prosecutionem virtutis, & fecit id nonnonquam Christus ipse, súntque alij deinceps imitati viri sancti. *Nam si equorum cursus*, inquit Cassiodorus [l], *hominum clamoribus incitatur, & sonantium manibus agitur, vt à mutis animalibus velocitas appetatur: quantum inde homines stimulari posse credimus, quos ad laudis auditatem natos singulariter inuenimus?*

Vita dignus immortali est, qui aliorum consulit vitӕ.
a Psal. 40. 2. 3.
b Psal. 112. 5.
c Prou. 19. 9.
d 2. Cor. 9. 10.
e sermon. 5. de Iein. 10. mensis.
Felix horreum ex quo debiliū saturatur esuries.
f Prou. 11. 24.
g 4 Ethic. c. 1.
Salus & fortitudo est necessaria vacantibus operibus misericordiӕ.
h Nӕuius apud Cicero. 1 epi. famil. ep. 12. & lib. 15. ep. 6.
i lib. 50. hom. in 25.
k Plin. iunior lib. 3 epist.
Laboratione laudis stimulo indiget.
l lib. 2. variar. epist. 15.

A [*Versic. 3.*] Gauisus sum valdè venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuӕ, sicut tu in veritate ambulas.

GRӕcè inseritur γὰρ enim, quasi ratio detur, cur pro Gaio Ioannes tam sedulò precaretur.

Gauisus sum.] *Congaudet charitas veritati* [m]. Charitate verò Prӕlatus debet eminere; *ac suum reputare gaudium*, vt loquebatur Paulus [n] *spirituale subditorum lucrum*: immò cum eodem [o] dicere tunc, *se viuere si illi stent Domino.* Tale quid narratur Christo, cùm eum quӕrerent Gentiles, dixisse: *Nunc venit hora vt clarificetur Filius hominis* [p]; & quod exultans in Spiritu sancto, dixit: *Confiteor tibi Pater* [q], &c.

Testimonium perhibentibus veritati tuӕ.] Veritatem possumus intelligere, vel fidei solius, vel eiusdem cum charitate, quӕ prodeat in opus, ita vt spectata secondum habitum dumtaxat, non adeò videatur vera, vt Hugo notat, ac multò minus inanis, mortua sine operibus fides: & ipsum ambulandi verbum denotat opus in veritate, in qua ambuletur: ambulatur verò animi affectibus non intelligentiӕ solis actibus, vel assentibus.

Sed quia sermo est de hospitalitate, arbitror veritatis vocabulo significari, quӕ aliàs vocatur *in tribuendo simplicitas* [r], hoc est, alacritas, promptitudo, liberalitas, & quas dicit Paulus [s] diuitias simplicitatis. Vtrobique vox est Grӕca ἁπλότης, quam Chrysostomus [t] interpretatur δαψίλειαν, affluentiam, copiam, munificentiam sicut quod apud Iacobum [u] est, *dare Deum Sapientiam omnibus affluenter*, Grӕcè legimus ἁπλῶς, vberrimè, largissimè, &c. Sic forsan primos illos fideles adeo liberales Lucas in historia Apostolica [x] scripsit *cibum sumpsisse cum exultatione, & simplicitate cordis.* Hoc est, omnibus inter se largiter suppeditando victui necessaria. Lege Commentariom nostrum. Idem innui puto, quando Petrus [y] requirit, *vt qui hospitales sunt, id faciant sine murmuratione.*

Testimonium perhibentibus.] Nulla celebratur libentiùs omnium laudibus virtus quàm liberalitas. Qui Deum verum ignorauerunt Antiqui, pro Deo honorauerunt, à quibus commoda percipiebant, Solem, astra, cetera, res etiam inanimatas, vilissimásque: suorum prӕterea Principum quorum essent experti liberalitatem, vitia cetera dissimularunt, eósque velut numina coluerunt.

Extorquet vel ab improbis & aduersariis beneficentia laudationem, *Infirmat Deus laude sua* [z]. *Confitebuntur tibi, cum benefeceris ei*, ait Dauid [a]. Cùm Nicanor delatus Philippo esset ab Smicytho, quòd regi semper verbis detraheret, Philippus cognito Nicanorem graui premi inopia, neglectū à se, dono aliquo iussit affici. Vbi Smicythus miris à Nicanore laudibus regem ferri, denuo narrasset: *Videtis*, inquit Rex, *in nostra esse potestate vel benè, vel malè audire* [b]. Vulgare, ac minimè solidum hoc virtutis testimonium, quando & canis ipsa benefactorum, vt [c] Anacharsis vsurpabat, amet domos. Iudӕi prophetam Christum nominabant, ac regem creare quoque volebant [d], quando satiabat eos in deserto: eundem postea clamoribus importunis ad Crucem postulauerunt [e].

Fratres Ioanni verum de Gaij veritate, veráque virtute reddebant proculdubio testimonium: &

m 1. Cor. 13. 6.
Prӕlatus eminere debet caritate.
n Philip. 4. 1.
1. Thess. 2. 19. 20.
o 1. Thess. 3. 8.
p Ioan. 12. 23.
q Luc. 10. 21.
r Rom. 12. 8.
s 2. Cor. 8. 2.
t hom. 20. in 2. ad Cor.
u Iac. 1. 5.
x cap. 2. 46.
y 1. ep. 4. 9.
Liberalitas virtus laudibus maximè celebrata.
z Esa. 48. 9.
a Psal. 48. 19.
b Plutarch. in Apoph. c. 9.
c epist. vlt. ad Crœsum.
Canis benefactorū domos amat.
d Ioan. 6. 14. 15.
e Ioan. 19. 15.

certus erat Ioannes tum vera istos narrare, tum Gaium tam altas virtutis radices iecisse, vt præsens eum laudationis aura non concuteret.

Sicut tu in veritate ambulas.] In epistola præcedente similis phrasis fuit [a]. Quid nunc sibi velit, paulo ante dixi. Solùm restat, vt comparationis particulam exponamus, vel de reddentibus Gaio testimonium, tam studiosè, quàm studiosus erat ad bene operandum, vt placet Glossæ interlineari, & Hugoni, vel vt indicant iidem de gaudio ipso Ioannis, quod non sit inane, sed graui, ac iusta ortũ ex causa, támque sincerum, ac verum, quàm pro quo gaudebat Gaius, agebat sincerè, veréque. Quàm lætus, qui potest, immò cupit librum gestorum suorum à Deo ipso iudice scriptum in humero portare, & circumdare quasi coronam sibi [b].

a vers. 4.

b Iob 31. 35. 36.

Vers. 4.] Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.

CODICES Complutenses, & Regij vertunt, *Maius horum non habeo gaudium*, idque iuxta Græcam editionem: Μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαράν, ἵνα ἀκούω &c. Nec desunt, pauci tamẽ libri Græci [c], in quibus est χάριν, facilísque permutatio fuit litteræ iota in alpha. Simili quadam ratione in epistola ad Philippenses [d] deprehendi gaudium ab interprete positum, cùm sit Græcè, χάρις, gratia. Satius est approbatæ, quam sequi debemos, editioni Latinæ fauere, dicendo vsam melioribus Græcis libris, quàm sint illi, licet numero plures, qui secùs nunc legunt, quos tamen præferunt Erasmus, Vatablus, Clarius, Caietanus, Salmeron, Bartholomæus Petrus, qui Gulielmi Estij suppleuit commentarium, iam inde a 7. versu capitis 5. epistolæ Ioannis primæ, ac valde cuperet concordantias bibliorum veteres relinqui intactas, in quibus retinetur gaudiũ, verbo hoc ipso, gaudium, & habeo, & maior. Nam nihil variat sensus, vel parum: & constanter Latini omnes eo modo legunt: nec refert quod proximè antè dixerat Ioannes: Gauisus sum, ἐχάρην, immo maior inesse gratia orationi videtur cum quadam, etsi non tanta paronomasia, si non χαρά, sed χάρις ponatur. Significat verò sibi nihil gratiùs accidere, aut maiorem filios eius suos præstare gratiam non posse, quàm si eos audiat, in veritate ambulare: qua ipsa ex re gaudium simul profectò singulare capiebat. Si χαρὰν, gaudiúmque retineremos, posset quis eam dicendi formulam affirmare didicisse Ioannem à Christo, qui dicere solebat, Hieronymo [e] teste: *Numquam læti sitis, nisi cum fratrem videritis in charitate.*

c In nouo Testam. Roberti Stephani, & in notationibus Francisci Lucæ Brugensis.

d cap. 1. 7.

e In c. 5. epi. ad Ephes.

Potest quis aliis lætari de causis: nec maximè propriè lætitia, vel præcisè inde debet capi, cùm eo debeat hæc esse maior, quò res melior, qualis exempli causa Dei gloria, & priuata cuiusque iustitia, siue sanctitas. Sed sunt accommodatè sumenda quæ dicuntur, & secundum subiectam materiam. Hac ratione si agatur de amore Proximi, gaudióque quod ex rebus eius secundis capimos, nihil præferendum ipsius iustitiæ, atque sanctitati, quod est eum in veritate ambulare.

Lætitia de fratris sanctitate, habere maximè debet.

Maiorem horum.] Græcismus, est quem solet, Interpres retinere, vt; *Maior horum est charitas* [f]: *Quis eorum maior esset* [g], &c. Sed aliquando vtitur Solœcismo, verbi gratia, *minimum est omnibus seminibus* [h], vbi Græcè est comparatiuum dumtaxat μικρότερον πάντων τῶν σπερμάτων, quo vtuntur quandoque Græci pro superlatiuo, & conseruatur tamen constructio Latini comparatiui, non superlatiui, vt indicetur forsitan Græcus comparatiuus, quamuis Græcè vtriusque status nomen exigat gignendi casum, quia carent Græci casu auferendi. Notat Priscianus [i] solis comparatiuis Latinos quandoque more Græcorum genitiuum adiungere. Nouatoris Alberici Gentilis in tuendo contra momos nouatores alios Interprete Latino, curam, à patrono meliore susceptam vellem.

f 1. Cor 13. 13.

g Lucæ 9. 46. & 22. 24.

h Matt. 13. 32.

i lib. vlt.

Porrò comparatiuum vocabulum Græcum μειζοτέραν, est vt obseruat Oecumenius κατ' ἀκρίβειαν τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης ἀδόκιμον, ὡς ἐπίτασιν ἐπιτάσει προστιθέν *iuxta exactam rationem linguæ Græcæ improbatum, vt pote augmento augmentum adiungens*: vt si videlicet Latinè, maiorius maiore diceres. Ioannis vnius est, hocque vno loco dictio ista, nec alibi, quod sciam, apud alium Auctorem, vel sacrum, vel profanum reperietur. Licuit Ioanni eximiam charitatem suam nouis exprimere vocibus, & quemadmodum toties tenerius appellat per diminutionẽ τεκνία *filiolos*, ita excellum illum in amando (fecit id Paulus [k], vt se maximè demitteret, excogitato nouo vocabulo, appellánsque ἐλαχιστότερον πάντων, quasi dicas, *minimiorem*) manifestare per excedentes communem vsum voces.

Vox μειζοτέραν à solo Ioanne vsitata.

k Ephes. 3. 8.

Horum.] Alij codices Græci ταύτης, *Huius.*

Filios meos.] Spirituales, vel per baptismum, vel per institutionem non carnales, *quia virgo in æuum permansit*, inquit Lyranus. Gaium Paulus baptizauerat [l], sed Ioannes prius instituerat, inquit Hugo. Non est probabile, à Ioanne institutum, non etiam ab eodẽ baptizatum. Filios credo simpliciter vocat, quos ipse grandior annis, potestate maior, diligebat affectu paterno, & qui obseruabant vicissim ipsum, & imitabantur. Sic distincta ratio erit filiationis spiritualis, ab iis quas posui ad finem versus primi. Quanto Magistri afficiantur gaudio ex profectu discipulorum, docui in Commentario historiæ Apostolicæ. Senecam [m] lege.

l 1. Cor. 1. 14.

m epist. 34.

Vers. 5.] Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.

FIDELITER *facis.*] Πιστὸν ποιεῖς, sicut verè es fidelis, ita facis, inquit Beda, Carthusianus, & Thomas Anglicus, ostendens ex operibus fidem tuam: & non pro vana gloria, inquit Glossa ordinaria, & Hugo. Hospitalitas Christianitatis, ac fidelium quædam contesseratio erat, sicut & certa veluti nota familiæ Abraham. Indicatur præterea hoc dicendi modo, locupletes præstare fidem, facere quod eorum exigit officij ratio, exequi non tam liberum liberalitatis opus, quàm iustitiæ necessarium, siue debitum. Hæc sum alibi pluribus prosecutus, cúrque iustitiæ nomine Scripturæ vocent eleemosynam, & quo sensu affirment Patres, non sua ipsorum diuites egentibus largiri, sed quæ sunt illorum reddere, illos tanquam patronos exigere: vt tales afficiendos honore, obsequióque: dispensationem facultatum commissam, non dominium; raptorem ac

Hospitalitas Christianitatis erat cõfœderatio.

Diuites nõ sunt suarũ possessionum absoluti domini.

fienda

fraudatorem:& spoliatorem censeri,qui non impertitur. Lege Serarij [a] quæstiunculam, qua docet, priscis temporibus cauponarum vsum non fuisse, præsertim in Oriente, sed quemque viaticum comportasse secū:vide etiam Damiani Goes Apologiam [b] contra Munsterum,cur sint in Hispania hospitia pauca. Denique fides, ac fidelitas respicit propria magis ratione fratres, fide nimirum eâdem,ac religione,& vinculo nexos charitatis,de quibus hoc loco maximè loquitur Ioannes.Dicitur præterea fidelis,qui benignè aliis facit,quoniam quod se Christianus factūrum promisit,præstat: & in promissa confidens mercede, quam sine dubio reddet Deus. Has duas postremas post Catharinum reddit Salmeron causas, modósve fidelitatis.

Quidquid operaris.] Ἐργάσῃ,operaberis.Adeo verò generaliter loquens intelligendus est Ioannes de misericordiæ operibus, iisque vel magnis , vel paruis , prout occasio tulerit. Placet verò mihi Bartholomæi Petri annotatio, hinc éxque similibus Scripturæ locis videri fluxisse apud veteres Ecclesiasticos scriptores,vt eleemosyna nominetur opus vel operatio , vt apud Tertullianum [c], atque Cyprianum , cuius est liber cum titulo de opere & eleemosyna,(pro qux legunt alij misericordiam) atque sic præterea vsurpat sermone de lapsis sub finem,& libro de vnitate Ecclesiæ non procul à fine : libérque ille à nonnullis malè inscribitur De simplicitate prælatorum:item apud Prudentium [d],& Leonem [e]. Certè indicij generalis pronunciabitur sententia de operibus vel factis, vel omissis [f], quæ nominatim sunt opera misericordiæ. Notauerat id prior Pamelius in Notis ad librum priorem Cypriani citatis Tertulliano,& Prudentio, nec non auctore vitæ Cypriani Pontio. Quod verò attinet ad Prudētium, profert hos ex illo versus.

Tum [g] subitò in medium frendens operatio campum
Prosilit auxilio socius pugnámque capessit.

Vbi operatio virtutē significat auaritiæ oppositā.

In fratres.] Non exclusis quidem aliis , verùm præcipuè in eos,quibuscum fidei,religionis,communionis maior societas, quique *sunt domestici fidei* [h]:quoniam *Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negaſſe censetur, & infideli deterior esse* [i].

Et hoc in peregrinos.] Καὶ εἰς τοὺς ξένους.Vbi deest *hoc*,sed interpres rectè suppleuit;nec enim Ioannes peregrinos à fratribus ita seiunxit , quasi non essent fratres:verùm inter fratres iis voluit significare opus misericordiæ meliùs impendi. Habet coniunctio & nonnunquam in Scripturis hunc vsum,vt ponatur viee (præsertim) vel , id est,per modū maioris expressionis,siue expositionis.Tale illud apud Matthæū [k],*& colligēt* (Angeli) *de regno eius omnia scandala & eos qui faciunt iniquitatē*,id est, voco scandala eos,qui faciunt iniquitatem. Præterea,*Dicite Discipulis eius,& Petro* [l] , id est,præcipuè Petro Lege Riberam [m],qui hoc obseruat fieri solere,quādo post genus additur cōiūctio speciei.

Ad eundem hic modum fratres intelligimus,si non peregrinos solos certè hos potissimum.Nam Gaius non solis beneficus erat peregrinis:verùm de his agebat Ioannes,qui peregrè venientes renuntiauerant quam erant experti beneficentiam Gaij. De hospitalitatis bono non repetam , quæ disputaui, cùm exponerem Actus Apostolorum. Beda peregrinos istos putat fuisse,vel qui sponte peregrinarentur ad verbum Dei disseminandū, vel qui eiicerentur à ciuibus siue à contribulibus suis propter Fidei cōfeſſionem,Lyranus posteriores intelligit,priores Salmeron.Glossa Interlinearis,Hugo,Thomas Anglicus,Carthusianus,quoslibet,qui cum sint incogniti,& ab iis cōpensatio non soleat expectari [n] ; & sit maximè Deo cordi, vt subueniatur illis [o],illustrior existit charitas in id hominum genus exhibita. *Amat peregrinū Deus & dat ei victum,atque vestitum : & vos ergo amate peregrinos* [p] *,quia & ipsi fuistis aduenæ in terra Ægypti.*

Recipio distinctionem Prædicatorum in eos, qui certæ sunt affixi diœcesi,& alios , qui orbem obeunt:Sed Ioannem existimo vniuersè de omni genere peregrinorum loqui non de Prædicatoribus dumtaxat.

Vers.6.] Qui testimoniū reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ , quos, benefaciens,deduces dignè Deo.

Charitati tuæ.]Veritatem superiùs appellauerat,ita vt Gaius & orthodoxus,& pius esset: vel charitatem quoque veritas,& hæc illam complectitur:nec enim sine veritate charitas,vel practica sine charitate veritas est. Solent quidem Patres honorificè simul , ac religiosè vocibus abstractis auditores compellare,dicēdo: *Charitas vestra*,sicut & iis , qui superiorem in Ecclesia gradū tenent dicitur, *Reuerētia,Potestas,Sanctitas vestra*, & ciuiles aliæ inter laicos,aut ad laicos vsurpantur titulorum formulæ, *Dominationis , Excellentiæ, Serenitatis,Maiestatis,Præstantiæ,Clementiæ , Claritatis,Gloriæ*,quam vltimam & Paulus Apostolus videtur vsurpasse [q] Νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν , Syriacè *vero per gloriam vestram*. Sed hoc nunc Ioannes non loquitur modo , ipsam intelligens virtutem charitatis , eiúsve opera , cuius reddebatur testimonium ab aduenientibus fratribus peregrinis.

In conspectu Ecclesiæ.]Vel vnde veniebant peregrini,vel ad quam perueneriant.Primo modo, qui videtur placere Thomæ Anglico,& Hugoni,sensus est, coram omnibus publicéque Gaium exercuisse opera misericordiæ. Alter modus , qui est Carthusiani,ostendit peregrinos euulgasse coram omnibus Gaij benignitatem ac beneficentiam. Catharinus tertiam adhibet expositionem , prædicatores,quos vult esse peregrinos illos de quibus proximè facta mentio , dum prædicarent in conspectu Ecclesiæ,testificatos esse se veros verbi ministros esse,& dignos, quos amplecteretur Gaij charitas. Non amplector ego Catharini hac in re testimonium, vt pote minus ad mentem Ioannis, ni fallor,qui de peregrinorum loquitur testimonio,quod non sibipsis siue verbis , siue potiùs factis,sed Gaio darent diserto sermone.

Duarum autem aliarum explicationum simplicior secunda,& verior;primam autem quoque simul recipimus , si de peregrinorum testimonio intelligatur,quo,præsente Ioanne,totáque Ecclesia , vbi ille erat , renunciarunt de publicis eleemosynis,quas conferebat Gaius in Ecclesiam,vnde ipsi veniebant.

Luceat lux operum bonorum debet coram hominibus vt glorificetur Deus [r] ,& exempla sumant alij virtutis.Celebranda etiam aliorum virtus , licet adhuc superstitū,cùm solidior est,doabus istis eisdem de causis,propter quas piè,vtiliterq; mandantur litteris,atque communicantur præclarè gestæ res, hoc est, vel ad documentum , vel ad laudem Dei.

Quos benefaciens deduces.] Alij multi codices, vt

Margin notes:

a in c.6.Tobiæ q.4.

b in Hispania.

c de Idolol. c.23 & 4. cõtra Marcio.

d in Psychom. e serm.de eclo ... f Mat.25.35.& seqq.

g Logitur apud Prudentium ... & ... hoc ... mendose.

h Gal.6.10.

i 1.Timot. 5.8.

Et pro præsertim ponitur.

k cap.13.41.

l Mar.16.7. m Sophon. 1. n.16. 17. & Abac.1. n. 66. & Heb 13.n.20.

Qui fuerint peregrini de quibus Ioannes agit.

n Lucæ 14.14. o Deut. 10.18, 19.

p supra in Deuteron.

Caritas sine veritate nulla est.

q 1.Cor.15.31.

r Mat.5.16. Virtus aliorum etiam superstitū celebranda est.

Complutenſes,Regij, &c. & manuſcripti etiam: *Quos bene facies deducens.* Græcè οὓς καλῶς ποιήσεις προπέμψας. Sed hoc etiam modo, quem placuit Sixto V. Clementique VIII. in emendatis Bibliis retinere, non alij pauci legunt libri, & eam lectionem ſequitur Gloſſa Interlinearis, & Carthuſianus. Hugo verò legit, *benefaciens deducis.* Noſtræ editionis ſenſus eſt à Gloſſa traditus: Quamdiu apud te ſunt, beneficiis afficies, & diſcedentes aliò deduces: à Carthuſiano: Dato diſcedentibus viatico, & neceſſariis, diriges per iter, quod ituri ſunt. Cæteri, qui legunt: *Benefaciens, deduces,* &c. vt Lyranus Hugo, qui, vt dixi, legit *deducis.* Thomas Anglicus, &c. explicant de deductionis beneficio, quod in eo ſit, vt in viam ſe dantibus neceſſaria ſuppeditentur. Catharinus addit, honorificam deductionem, vt cum omni honore tales (nimirũ peregrinos prædicatores) proſequatur, & quaſi Chriſti legatos comes antecedat, quò pergunt vſque: & hoc quidem ſi faciat, benefacturum, id eſt, hoc opus, piè laudabiliterque collocaturum. Conſenſit Salmeron. Vtitur autem cum Catharino poſt Carthuſianum Pauli exemplo ſcribentis ad Titum [a]: *Zenam legiſperitum, & Apollo ſollicitè præmitte, vt nihil illis deſit. Erãt,* inquit Hugo, *tũc itinera periculoſa propter inſidias cõtra Fideles, vel à Iudæis, vel ab hæreticis, vel ab infidelibus.* Gaius verò deducebat eos, (putat enim Hugo, vt aliquoties monui, locutũ Ioannẽ in tẽpore præſenti. *deducis,*) quia valebat auctoritate, atque potentia.

[a] cap. 3. 13.

Difficultatem præterea facit relatiuum *quos,* an ſit referendum ad illos peregrinos relatores, ſiue narratores laudum Gaij, an ad quoſlibet iis ſimiles, quibus benefaceret Gaius, & vt benefacere pergat, hortetur Ioannes. Vero ſimilius eſt, loqui Ioannem de omnibus, accepta occaſione tamen ab iis, qui iam Gaij liberalitatem erant experti.

Quocirca, iuxta noſtram editionem, duo tacitè laudanda quaſi iam facta, petit à Gaio, vt adhuc faciat, vt peregrè proficiſcentes, iuuet viatico, & eoſdem honorificè quoque ad ſe dimittat deducendo, & comitando non ad viæ quidem metam, quod nimis foret operoſum, ac moleſtum, obeſſetque melioribus miſericordiæ functionibus, ſed ad aliquod certè ſpatium extra mœnia, portáſque ciuitatis, &c.

Duo petit à Gaio Ioannes.

Ex his duobus non tanti ſecundum refert, nec opinor id Ioannes adeò curaſſet, approbat nihilominus vt charitatis gratum indicium: ſed exigit præcipuè primum, tanquam magis neceſſarium.

Qui legunt, *Quos benefacies deducens,* primum duntaxat propriè poſſunt intelligere, quod & Gagneius facit, exponens nempe de comitatu, & deductione honoris cauſa. Et illud, *Quos benefacies deducens,* tenentur accipere de laude, ſiue merito quod quis conſequatur ex tali officio, non de beneficio, quo præter deductionem afficiat illos quos deducit.

Textus Græcus optimè fert ſenſum, quem in gratiam editionis Græcæ tracto: οὓς καλῶς ποιήσεις προπέμψας. *Quos benefacies,* id eſt, beneficio afficies, quibus benefacies, *cùm præmiſeris, ſeu deduxeris.* i. vtrumque præſtabis, & quando voles eos dimittere, atque (quod ſoles laudabiliter facere) abeuntes comitari, rebus donabis itineri neceſſariis, vel hos ipſos abs te venientes, cum redibũt ad te, vel quoſlibet alios iſtis ſimiles, quibus iter erit conficiendum. Nonnulli codices Græci habent verbum primum in tempore præſenti. Οὓς καλῶς ποιεῖς προπέμψας: *Quos benefacis,* &c. quam lectionem reperi quoque in manuſcripto, ſicut & in alio aliam illam *quos benefaciens deducis.*

Quos benefaciens.] Compoſitum participiũ eſt, ſignificans beneficum opus exercentem beneficentiæ. Sed καλῶς ποιεῖν τινὰ, bene dicitur pro eo, quod eſt *beneficio aliquem afficere.* Carthuſianus tamen interpretatur, *benefaciens,* id eſt, meritoriè operans, quia *benefacit animæ ſuæ vir miſericors* [b].

[b] prou. 11. 17.

Deduces.] Προπέμψας, cùm deduxeris, vel deduces, vel deducis. facilè namque aoriſtus ad hæc omnia tempora accommodatur. De ipſa deducendi ratione modò dixi, atque in hiſtoria Apoſtolica.

Illud conſtat, προπέμπειν non ſemper, ac ne propriè quidem, præter honorarium comitatum, includere quoque largitionem munerum ad iter. Paulus ac Barnabas, aliiq; dimiſſi Antiochiæ in Ieruſalẽ, dicũtur deducti ab Eccleſia [c], προπεμφθέντες. Eundẽ Paulũ Epheſij deduxerunt ad nauem [d]: itẽ Tyrij [e]. Scribit quoq; Romanis ſe ab iis deducendũ in Hiſpaniã [f], & Corinthiis [g] in Iudæã: & iiſdem, vt deducant Timotheũ in pace [h]. Noluit credo locis iſtis omnibus, in quibus eſt προπέμπειν & προπέμψαι, de ſuppeditãdo viatico intelligere, præſertim cùm de ſeipſo ageret, qui adeo ab exigendis huiuſmodi pro ſe rebus abhorrebat, vt in eadem illa Actuum Apoſtolorum vidimus expoſitione [i]: ſicut nec Abraham dedit Angelis viaticum, quibuſcũ συνεπορεύετο συμπροπέμπων αὐτοὺς הולך עמם לשלחם *holech hhimmam leſallecham.* In epiſtola ad Romanos Syrus intellexit de comitatu חלונני *thelauuenani.* Sed nec videtur mihi Paulus de ſe loquens exegiſſe deductionem illã honorariam. Voluit opinor ſolùm dicere futurum vt ipſis approbantibus iter eiuſmodi conficeret, & eorũ vel ſimul nomine ad hos illóſve ſe conferret, ac diuinũ apud eoſdem negotium tractaret. De aliis facilius conceſſerim, nominatim de Zena, & Apollo, de quibus, vt ante retuli, Tito [k] ſcribit, vt eos ſollicitè præmittat, vt nihil illis deſit. Ζηνᾶν τὸν νομικὸν, καὶ Ἀπολλῶ σπουδαίως πρόπεμψον, ἵνα μηδὲν αὐτοῖς λείπῃ. Itaque ſapienter expreſſum eſt in editione diſtinctè deducendi verbum à verbo benefaciendi. Hactenus pugna cum victoria pro noſtra editione. Hieronymus [l] tamen ſic vertit hunc locum: *Quos optimè facies ſi præmiſeris, Deo dignè.*

Quid ſit deductio peregrinorum.

[c] cap. 15. 3.
[d] Act. 20. 38.
[e] Act. 21. 5.
[f] Rom. 15. 24.
[g] 2. Cor. 1. 16.
[h] 1. Cor. 16. 11.
[i] cap. 10. 14.
[k] cap. 3. 13.
[l] in cap. 1. epiſt. ad Titum.

Dignè Deo] Ἀξίως Θεοῦ, illos honorando vt Dei miniſtros, ſeu in illis Deum, inquit Gloſſa Interlinearis, & legatos Chriſti, inquit Catharinus: vel ad honorem Dei honorando eum in miniſtris ſuis, inquit Thomas Anglicus: vel ſimpliciter ad honorem Domini, inquit Lyranus: vel, inquit Carthuſianus, tam charitatiuè, ac reuerenter hos tractabis, vt Chriſti membra, ac ſeruos. Omnia vera, præter illud de ſolis miniſtris, ſiue legatis & prædicatoribus: non hi enim ſoli peregrinorum nomine ſumendi. Gagneius explicat, prout decet credẽtes Deo, ſcilicet vt illi bene aliis faciunt, id eo modo faciat. Chriſtus in iudicio pronunciabit ſeipſum collectum hoſpitio, cùm quiuis de minimis ſuis collectus eſt [m], & recipienti iuſtum, aut Prophetam, in nomine iuſti, aut Prophetæ, horum promittit mercedem [n], id eſt, eam ipſam beatitudinem, quam ipſe iuſtus habet, ac Propheta: vel potiùs quam ab eo miſſus propheta, iuſtuſque, vel quæ tales recipienti debetur. Paulus commendans Phœben Romanis, petit vt *eam ſuſcipiãt*

Præmium hoſpitalitatis gratiæ.

[m] Mat. 25. 35.
[n] Mat. 10. 41.

in

in Domino digne sanctis [a], quasi diceret, dignè Deo, dignè sanctis, prout est æquum, iustúmque sanctis, vt reddit Syrus, איך דזדק לקדישא *aeb deZadek lekaddese, cum sanctis recipiendis, cum recipientibus.* Familiaris Paulo phrasis [b], *ambulare dignè Deo*, aut *dignè euangelio Christi conuersari*, aut *dignè vocatione.* Sensus verò est, vt ambulemus, conuersemur, viuamus, prout decet, ac exigit etiam adeo sublimis & diuinus status Christiani, tam diuina doctrina & professio, à qua degenerare sit nefas, tantum à Deo propositum gloriæ præmium, ad quam *non sunt condigna passiones huius temporis* [c]. Non pugnant ista, dignè ambulare Deo, euangelio, vocatione, tamen condignas non esse passiones, eáque, quæ pro Deo patimur, pro Euangelio, pro vocatione, ad gloriam, quæ est ipsemet Deus, qui reddit sic ambulantibus dignè *mercedem, & coronam iustitiæ tanquam iustus iudex* [d]. Ipsa in se spectata opera hominis iusti quamlibet bona, si comparentur cum gloria, & vita æterna, nihil propemodum sunt ad illam siue durationem cõsideres, siue lætitiæ magnitudinem. Nec id asseri minùs liceret de Christi ipsius operibus. At quemadmodum quantulũcumque virtutis opus dignitatem à persona diuina immensam consequitur: sic dignitas inest operibus hominis iusti, quatenus est membrũ Christi viuum, templum Spiritus sancti, Filius Dei per adoptionem & gratiã cum interno gratiæ dono.

Non ergo vlla ratione verum, nostris nõ inesse vim meriti operibus propter eum Apostoli locum, ne sit quoque idẽ verum de operibus Christi, sed ex hoc potiùs, præter alia, Ioannis efficitur loco, sufficiens esse posse iustúmque pretium, ac meritum in operibus nostris ad acquirendum beatitudinis præmium.

Itaque dignè Deo deducere peregrinos, est tali modo, qui dignus censeatur Deo, quasi dicas diuinè, regiè, largiter: quemadmodum fructus digni pœnitentiæ [e], ἄξιοι τῆς μετανοίας, sunt serij, ac sinceri. Denique hoc ipsum est, quod Paulus [f] aliter dicit, *suscipere in Domino*, & est præterea sic agere, ac si Deus ipse id ageret seruata proportione: quemadmodũ linguis loqui Angelorum [g], est ea loqui sermonis elegantia, qua Angeli, si loquerentur, vterentur: quo pacto dicebat ille, nec Iouem, si atticè loqueretur, aliter locuturum.

Vers. 7.] Pro nomine enim eius profecti sũt, nihil accipientes à Gentibus.

CAusa est, cur dignè Deo peregrini illi sint excipiendi, quoniam digni sunt, & egentes, atque peregrinantes, aut etiam exulantes Dei causa, propriis eiecti bonis, ac sedibus. Beda vtrũque ponit, & sponte abiisse vt prędicarent, & propter nominis sancti fidem, atque confessionem à ciuibus, & cõtribulibus suis patria pulsos. Hoc malim, quàm de solis intelligere prædicatoribus, quod & priùs monui.

Pro nomine eius.] Dei, & Christi, qui Deus est. Videtur Beda nõ legisse pronomen *eius*. nam scribit: Cùm dicit *pro nomine*, subaudiẽdum est Domini Iesu Christi: sic enim loquebantur antiqui. Significat, antiquos per nomen absolutè positum solitos intelligere Iesum. Est quidem hoc nomen *super omne nomen* [h]: at non recordor, audita, vsurpatáve sola *nominis* voce Iesum significatum, & intellectum: propriè verò etiam Paulus per nomen accipit nominis celebritatẽ, vt rectè docet Iansenius [i], & quidam apud Theodoretum [k], (qui mauult intelligi, vt Dei Filius nominaretur, hæreditando tale nomen differẽtius præ Angelis [l]) quã Christus post passionem, resurrectionem, & ascẽsionem acquisiuit, non appellationem nominis Iesu, quod ei nomen est in incarnatione impositum: licet hoc etiam verum sit, quòd tunc, nempe post ascensionem illud ipsum nomen obtinuit dignitatem super alia nomina omnia. Sic quidem eum locum interpretantur Origenes [m], Haimo [n], Bernardus [o], Gregorius Papa [p] IX. hoc nomine, & alij. Hebraicè nonnunquam שם *schem*, nomen Deum ipsum significat, vt cùm quidam dicitur blasphemasse nomen [q]. Quamuis Oleaster [r] exprimit verbũ יקב *ukkeu*, perforasse, & malleasse, lacerasse, id est, despexisse, contempsisse, perinde ac si perforasset, &c. aut explanasse, & pronunciasse, quod nefas erat facere, nomen Tetragrammatum ἄῤῥητον, ἀνεκφώνητον, ἄχαστον, & post prolationem dixisse nullius esse momenti, virtutisve, sed esse fortiores Ægyptiacos Deos.

Nihil accipientes à Gentibus.] Nec petendo, oblatúmve admittendo, aut quamuis peterent, non impetrando: aut sibi res proprias per vim ereptas admittendo. Si prædicatores erant, nolebant *quæstum videri facere pietatem* [s], *& cauponari verbum Dei* [t], vt sic maiore fructu, & ædificatione docerent. Sed neque his, neque aliis fidelibus Gentiles alia volebant lege necessaria suppeditare, quàm si colerent idola. Hoc vltimum tradit Glossa Interlinearis, Hugo, Lyranus, Thomas Anglicus, Carthusianus, qui addit eàdem de causa, proprias quoque ipsis facultates erepias.

Licuit Christianis, licétque res à Gentibus capere necessarias, necessariósque celebrare contractus, quando Dei non periclitatur honor, nec adducitur in periculum religio, vel alicuius violatio præcepti, & peccari nimia religione, siue superstitione potest, abstinendo à necessariarum rerum vsu, quas aliter comparare quàm à Gentilibus non valeas. Paulus potestatem facit etiam in minimè necessariis. *Si quis* [u] *vocat vos*, inquit, *infidelium, & vultis ire, omne quod apponitur, manducate.* Item [x]: *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis, non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse.* Verùm accipiendum id est, nisi quid grauiùs obstet: qua de re fusius est actum in Apostolicis actibus [y]. Facilè offensi essent Gẽtiles si quid Christiani postulassent, aut acceptassent, quasi charitas apud Christianos non vigeret, aut commodi proprij causa, non alienæ studio salutis peregrinarentur. Quò videtur Paulus [z] respexisse; *Rogamus vos fratres, &c. & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis*: id est, nihil ab iis etiam necessariorum ad sustentationem petatis; ne vel scandalizentur quòd labore vestro victum vobis non paretis, aut quòd necessaria non tribuant vobis alij Christiani. Idcirco idem Apostolus alieno victitare tantopere detrectauit [a]: & experientia quoque recens docuit, hac ratione liberiùs infidelibus prædicari, ac libentiùs ab iis Euangelij præcones audiri & excipi, cùm animaduertunt non sua quæri, sed ipsosmet, eorúmque salutem.

Versic. 8.] Nos ergo debemus suscipere huiusmodi vt cooperatores simus veritatis.

QVamuis omnia Ioannes dimisisset, se tamen diuitibus coniungit, vt alacriores reddat,

O 3 inquit,

Marginalia: a cap. 16. 2. — b Ephes. 4. 1. Philip. 1. 27. Coloss. 1. 10. 1. Thess. 2. 12. *Ambulare dignè Deo quid sit.* — c Rom. 8. 18. — d 2. Tim. 4. 8. — *Opera nostra bona cum gratia Dei, sunt meritoria.* — e Mat. 3. 8. — f Rom. 16. 2. Philip. 2. 29. — g 1. Cor. 13. 1. — h Philip. 2. 9. — i In concor. euang. c. 7. — k Philip. 2. & ibid. Haimo. Bernard. 3 cum. 2. Hom. li. 9. c. 1. — l Heb. 1. 4. — m homil. 1. in Iesu. — n in c. 2. ep. 2. ad Philip. — o serm. in Id ecce nos reliquimus omnia, & sermon. 2. de Circumcision. — p c. decet, de imm. Eccl. in 6. — q Leu. 24. 11. — r Tom. 4. ser. 1. extraord. — s 1. Tim. 6. 6. — t 2. Cor. 2. 17. — *Christianis licet à gentibus necessaria petere.* — u 1. Cor. 10. 27. — x 1. Cor. 5. 9. 10. — y 1. 15. 19. — z 1. Thess. 4. 11. — a Act. 20. 33. 1. Cor. 9. 15.

inquit Glossa ordinaria post Bedam, ad miserendũ pauperibus, & peregrinis. Ceteri hoc approbant: & credit etiam Beda, non secùs quàm Paulum [a], suarum Ioannem vixisse manuum labore, indéque aliis subuenisse: quod Christi sententia, *Beatius esset magis dare, quàm accipere* [b]. Facilè credo. Sed cùm regeret Ecclesias Asiæ, potuit, ceu moderator largitionum piarum, id in egentes præstare copiosiùs, quòd ceteros facere hortabatur, qui aberant, vt Gaium. Solemne etiam est vel scribentibus vel concionantibus ad multitudinem, suam cum ceteris personam coniungere, tum hortando, tum reprehendendo, vt lenior fiat gratiórque oratio. Similia priùs exempla vidimus, & occurrent plura legentibus Auctores, ipsíq; quotidie in nobis, & in aliis id experimur.

a Act. 20. 34. *Ioannes suarum manuum labore vixit.*
b Ibid. 35.

Suscipere.] Καταλαμβάνειν, dixi aliàs [c] de hospitali verbo προσδέχεσθαι, & ἀποδέχεσθαι, & ὑποδέχεσθαι, & δέχεσθαι. Oecumenius verbum huius loci ait esse ἀντὶ τοῦ ἀναλαμβάνεσθαι, καὶ ὑποδέχεσθαι. Monet verò instrui nos ne expectemus, vt qui indigent, ad nos veniant, sed nos ad ipsos accurramus, & persequamur, vt Abraham [d], & Lot [e], immò verò vt prædam Leo: *Susceperunt me, sicut leo paratus ad predam* [f], ὑπέλαβόν με. Καταλαμβάνειν est deprehendere, occupare, detinere, &c. De hoc hospitalitatis studio dictum in Actibus [g], de quo, vt ab Episcopo præcipuè requiritur, disserit Espenceus [h]. Paulus [i] præcipit, *vt hospitalitatem sectemur*, φιλοξενίαν, inquit, διώκοντες: & Christus: *Hospes*, ait, *eram, & collegistis me* [k]. συνηγάγετε. & Christum Discipuli tendentes [l] Emmaus *coegerunt*, παρεβιάσαντο, illata vi.

c Act. 18. 27.
d Gen. 18. 12. 3.
e initio 19. 1. & seq.
f Psal. 16. 12.
g c. 2. & 10.
h lib. 3. digres. in epist. 1. ad Tim. c. 1.
i Rom. 12. 13.
k Matt. 25. 35.
l Luc. vlt. 29.

Vt cooperatores simus veritatis.] Ἵνα συνεργοὶ γινώμεθα τῇ ἀληθείᾳ, vel prædicatæ, vel aliter testificatæ: ministrando necessaria illis, inquit Lyranus, qui veritatem prædicant, & illis qui pro veritate fidei tribulationes, & exilia sustinent. Iam docui superius Christi verbis [m], qui Prophetam recipit, prophetæ mercedem accipere: & lex militaris à Dauid sancita est [n], *æquam descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas* partem esse, similiterq; diuidere inter se debere. Lege Platum nostrum [o]. Mensura præmij charitas est, quæ maior in largiente eleemosynam, quàm in recipiente, siue prædicatore, siue alio potest esse. Nihilominus prædicatoris peculiare quoddam præmium accidẽtarium est, quam vocant aureolam, vel laureolam, quamuis alius substantiale consequi maius queat quam appellant auream coronam. Notant id Hugo & Thomas Anglicus.

m Matt. 10. 41.
n 1. Reg. 30. 24. 25.
o 2. de bono status relig. c. 29.
Prædicatoris peculiare præmium est aureola.

Veritatis vox fauet exponentibus de solis prædicatoribus, quos iuuent alij officio, beneficióve. Attamen latius patet veritas, vt antè vidimus [p]. Cùm autem glossa Interlinearis explicat cooperatores hîc vocari, qui cùm prædicare non possint iuuant externa ope prædicantes, Hugo monet, quando in istis posterioribus Ioannes comprehendit seipsum, esse hypotheticum sensum, sic nempe, si non possumus, aut cùm non possumus, &c. Rectiùs idem respondetur, quod antè, communiter de seipso loqui, & de aliis, ob allatas rationes.

p vers. 3. & 4.

Ad extremum conferri potest hic locus cum eo, qui est in priore ad Corinthios epistola [q], *Vt & vos subditi sitis eiusmodi, & omni cooperanti, & laboranti*, καὶ παντὶ τῷ συνεργοῦντι καὶ κοπιῶντι.

Non recipienti prædicatorem minatur Christus [q] in die iudicij seueriùs fore, quã Sodomæ & Gomorrhæ inhospitalibus [r]: magis namque subuenieudum prædicatori, qui spiritualia communicat, quàm illis aliis id non facientibus.

q cap. 16. 16.
q Matt. 10. 14. 15.
r Ezech. 16. 49. r exponunt in Matt. Remigius, et D. Tho. & Lyranus.

Vehementer probo pij, ac prædiuitis cuiusdam Neapolitani ciuis consilium, quem audio magnã vim legasse pecuniæ hoc anno 1605. Carmelitanis discalceatis viritim distribuendam, quoties ad infideles prædicabundi se conferrẽt. Eximia porrò sedis Apostolicæ benignitas, quæ tot in vrbe nationes exteras educat, quæ vel à fuis eaulant, vel se ibi comparant, vt iis redeuntes prodesse secundum Deum possint. Sic olim omnes nationes fidelium domicilium Romæ inueniebant, vt Saxones, Corsici, Græci, & similes. Testes quæ vocatur hodiéque schola Græca: Saxia: vrbs Corsica, id est, regio Transtyberina, &c.

Carmelitanis discalceatis legata pecunia dum se ad infideles prædicatione gratia conferunt.

Vers. 9.] Scripsissem forsitan Ecclesiæ: sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.

TAnti facit eleemosynæ bonum, vt hanc fuerit per literas magis toti Ecclesiæ, vbi Gaius agebat, commendaturus, nactus occasionem ex aduentu peregrinorum, qui fuerant eam adeo benignè experti, nisi vereretur literas minimè recitandas in Ecclesia, vel spernendas opera Diotrephis, qui Ioannis frangens auctoritatem, primus tamen ibi volebat haberi. Sic quidem Glossa ordinaria, Hugo, Thomas Anglicus, sed non de hoc solo scripturum puto argumento, verùm & de rebus aliis.

Scripsissem forsitan.] Ἔγραψα, scripsi, & quidam alij Græci codices [s], τι aliquid. Qui deserere solent editionem nostram, Vatablus, Clarius, Caietanus, Erasmus, iubent nos legere *scripsi*. Vltimus ait, se suspicari castigatorem aliquem in margine addidisse *scripsissem* pro *scripsi*, & adiecisse *forsitan* ne videretur arrogantior: deinde per imperitum librarium, vtrumque translatum fuisse in contextum. Nimium suspicax, arrogans, imperitus est. Erasmus ea dubitans de lectione, quam cuncti sequũtur interpretes. Melius Gagneius censent Interpretem nostrum legisse ἔγραψα ἄν. Videor obseruasse in profanis etiam Auctoribus particulę ἄν, quæ debuisset esse, subintellectam præsentiam, vt ἦλθον pro ἦλθον ἄν [t]. Confirmat lectionem nostram adiecta mox aduersatiua (sed) quasi dicat se scripturum fuisse libenter: ideo non scripsisse, quia, &c. deinde quia frustra scripsisset, sciẽs non recipiendas literas: immò vexandos qui reciperent, à Diotrephe: postremò participiũ Syrũ *bocbe* significat cupiens, quærens, petens sui. Quòd si *scripsi* ἔγραψα legas, erit sensus: Scripsi, sed sine fructu, propter Diotrephem; ideo nec nunc scribam, scripturus alioqui.

s in nouo Test. Rob. Steph.
Erasmus primum arguitur.
t Theoc. Idy. 2.

Forsitan.] Siue repererit Interpres particulam ἄν, siue non, sed suppleuerit, collegit ex consequentibus Ioannẽ id significare, se non scripsisse, sed scripturum fuisse, nisi ea obstitisset causa, quę de Diotrephe subiicitur: Sed & ἄν quod δυνητικῶς ponitur, non contingenter, sed assuerantèr significat. Solent quoque, vt monet Hugo, sacri Scriptores dictionem de incertis rebus adiecta temperare dubitatione. Hoc longè rectius, quàm quod post Glossam ordinariam affert, vocem *forsitan iungi posse* cum sequenti, *Ecclesia*, quasi dubitatiuè vocet Ecclesiam, & vt per obseruationem eleemosynæ mereretur perfecta fieri Ecclesia, scripturus fuisset.

Interpretes sacri dictionem de rebus incertis dubitatione temperant.

Ecclesia.] Quæ fuerit hæc Ecclesia, nescio, seu

vbi

vbi tunc viueret Gaius, ad quem scribebat Ioannes. Lege versum primum, & quæ de nomine Ecclesiæ aliis egimus in Commentariis[a].

a Act. 5. 11.

Qui amat primatum.] Ὁ φιλοπρωτεύων. Beda intelligit primatum scientiæ. Glossa Interlinearis, Hugo, Thomas Anglicus, Lyranus dominiũ ac principatum in illam Ecclesiã. Vnus, quod sciam, Ioannes vtitur eo composito verbo. Simplex πρωτεύω est, *primas partes teneo*, siue principatum, V. G. τῇ ἀρετῇ, τῇ σοφίᾳ, τῆς πόλεως, τῷ συγκλήτῳ, &c. vel in genitiuo casu. Volebat igitur Diotrephes prior esse, ac fortassis quoque præesse tamquam doctior, sanctior, denique vt Episcopus. *Fuit ibi Prælatus*, inquit Lyranus, *vel ad fratrum præsidentiam aspirauit.* Hæreticorum vitium ordinarium ambitio, vt omnes historias legenti constabit, nũsque aliàs demonstrauimus[b].

Hæreticorum ordinarium vitium ambitio.
b Act. 8.

Diotrephes.] Alij *Diotrepes.* Διοτρεφής. Et quandoque oppositum accidit dicendo V. G. trophæum pro τρόπαιον. Hæresiarcham vocat Beda, Thomásque Anglicus, & Lyranus, superbum, ac insolentem, qui mallet noua docendo primatũ sibi vsurpare scientiæ, quàm antiquis sanctæ Ecclesiæ, quę Ioannes prædicabat, humiliter auscultare mãdatis. Etymologiam nominis reddit idem Beda, vt sit Diotrephes idem quod speciosus insulsus, siue decor insaniens, ita vt perfidiam cordis etiam nomine signauerit.

Quis hic Diotrephes fuerit, nec enim Sacerdotis appellatiua censenda vox, vt voluit quædam Glossa Decreti[c], nemo ante Bedam tradidit: notio quoque nominis minimè conuenit: sed διοτρεφὴς Iouis alumnum significat, vel à Ioue nutritum, quo Homerus reges epitheto solet ornare, sicut & διογενέας. Moraliter designari per hunc possunt ij, qui freti nobilitate, siue doctrina absq; sanctitate, volunt Ecclesias regere, beneficiáque locupletiora obtinere. Splendor generis Ecclesiam illustrat, si potiores, quas Paulus epistolis ad Timotheum & Titum requirit in Episcopis, dotes adsint: & illius habẽdam rationem Sidonius[d] scribit, proponens Biturigibus Episcopum Simplicium, probánsque Ioannis exemplo, qui celebratur ob nobilitatẽ à Luca[e]. Affert idem exemplum Lucæ Paulinus[f], vt Melanian laudet, atque Chrysologus[g]. Nolim tamen vnius haberi rationem nobilitatis vel in primis: aut solis conferri nobilibus sacerdotia, cum tanto Ecclesiæ præiudicio, & meliorum, digniorumque iactura, qui præmio virtuti debito atque scientiæ, ad vtriusque studium allici, & inuitari deberent. Lege Tiraquellum[h], qui hoc argumentum tractat accuratè, tandémque minus eam probat consuetudinem, vt non nisi nobiles recipiantur in Canonicos. Gregorius certè nonus[i] damnat consuetudinem Argentini capituli non admittendi nisi nobilem, & liberum, & ab vtroque parente illustrem Lege quoque B. Thomam[k].

c C. si quis despicit, dist. 42.
Diotrephes qui moraliter designet.
d lib. 7. ep. 9.
e Luc. 1. 5.
f epist. 10.
g serm. 85.
h de nobilit. c. 20. n. 10. & seq.
i c. venerabilis, de præbend.
k quodlib. 6. ar. 9.

Non recipit nos.] Οὐκ ἐπιδέχεται ἡμᾶς. *Epistolam nostram non recipit*, inquit Lyranus, & Glossa Interlinearis, quia deprauat nostra scripta: nostris verbis, aut scriptis non acquiescit, ait Carthusianus: non reputat auctoritatem nostram, inquit Hugo, & Glossa quædam apud Thomam Anglicum: nostra mandata, & verba, ait Thomas. Omnia vera. Et quidem epistolam non recipiebat, id est, si eam scripsisset Ioannes, legi non permisisset in Ecclesia, fortasse nec euangelium Ioannis, si iam receptum erat: postea verò qui id reiecerunt, Alogi, aut Alogiani dicti sunt. Arbitror eodem verbo ἐπιδέχεσθαι plura simul complecti Ioannem voluisse, nimirum quòd fideles, quibuscum suam coniungit personam, hospitio non exciperet, prout magis exprimitur sequenti versu. At, inquies, plurium habenda Ioanni ratio fuit, nec abstinendum scriptione epistolæ, propter vnum Diotrephem. Hugo respondet, disparem rationem prædicationis esse, & scriptionis: à prædicatore contradicentem refelli posse cõtraria oratione: quod scriptum est, posse, vt primum in aduersarij venerit manus, lacerari. Facilior responsio est, epistolam recitari non potuisse in Ecclesia, quia Diotrephes impediuisset: id verò volebat Ioannes: cui tamen si opus esset, non erat difficile confutare Diotrephis obiectiones: & epistolæ Ioannis exemplaria distrahi inter multos potuissent, legíque ab omnibus, priuatim saltem. Credi potest hunc fuisse hæreticum ex illis Iudæis, qui Christi professi fidem, seruandam simul sentiebant Mosis legem. Tales initio fuerunt Christianæ legis aduersarij summi, vt Epiphanius[l] testatur, scribens de Cerinthianis, Ebionitis, Nazaræis: quos & Apostolus Pseudoapostolos videtur nominare.

Cur B. Ioannes à scriptione propter Diotrephem abstinuerit.
l hær. 28. 29. 30.

Vers. 10.] Propter hoc si venero, commonebo eius opera, quæ facit: verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres: & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia eiicit.

Minatur suauissimis, facillimísque Ioannes moribus, non sua ipsius causa, sed aliorum, quos sua Diotrephes lædebat inhumanitate, non obloquens dumtaxat de Ioanne, cuius tamen vigere plurimi referebat auctoritatem, (fama nostra, præsertim si præsumus, vel pertinemus ad Rempublicam, aliis necessaria est, nóbis ipsis vita, & conscientia[m].) Nec solùm non excipiẽs fratres, verùm etiam volentes excipere, impediens, & eiiciens à communi cœtu, atque à communione. Huius similia seueritatis exempla vidimus declarantes Actus Apostolicos in Petro Ananiam, Sapphirámque interficiente[n], & in Paulo Elymam excæcante[o], aliásque postea Corinthium[p], & Hymenæumque Alexandrum[q] Satanæ tradente in interitum carnis: comminante quoque percussionem diuinam illi, qui se percuti præceperat[r]. *Non debet reddi pro malo malum*[s], inquit Oecumenius, *quando quis nos offendit solos: quod si peccatum patratum contra nos, fides quoque adfert impedimẽtum, tolerari non debet, sed animaduerti.* Cùm defuit Ecclesiæ gladium portans magistratus, & externa potestas, compensabat Deus singulari, miraculosáque potestate, gladio, armísque spiritualibus. Hæc virga est, in qua se Paulus minatur venturum[t].

Vita nobis necessaria est, fama proximo.
m Aug. de bono viduit. ca. 22. & de diuers. ser. 49. c. 1.
n Act. 5. 4. 10.
o Act. 13. 11.
p 1. Cor. 5. 5.
q 1 Tim. 1. 20.
r Act. 23. 3.
s Rom. 12. 17.
Ecclesia gladium materialem cum defuit, Deus spiritualem strinxit.
t 1. Cor. 4. 21.

Commonebo eius opera.] Quidam codices, *Commoneam*, qua futuri forma, in eiusmodi verbis vtũtur quidam scriptores Latini, vt Gregorius[u], qui sic etiam præsentem legit locum, ex eo docens non semper despicienda derogantium verba: sed aliquando compescenda, ne, dum de nobis mala disseminant, eorum, qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant. Confirmat id præterea Pauli[x] sententia exemplóque, ac multa huc spectantia vtiliter pręcipit, quæ sine dubio Beda transcripsit, & Glossa ordinaria & Carthusianus.

u homil. 9. in Ezech.
x 2 Cor. 10. 9. & seq.

Porrò commonere opera est patefacere, publicéque reprehendere. *Peccantes coram omnibus arguendi sunt, vt & ceteri timorem habeant* [a], correctionis videlicet adhibita iusta moderatione, atque ordine accusationis. Alioqui nec misericordia, nec bonitas est vni parcẽdo, omnes in discrimen adducere, vt Origenes [b] docet. Legendus Augustinus [c], & Claudius Espencæus [d]. Hic sanè meritò digreditur in quosdam, qui pro concione sibi putant licere omnium nominatim vitia reprehendere, vel priuatas iniurias ex obliquo, ac tectè ita notare, vt nemo non intelligat, nisi qui nihil intelligit: vel si vnus aut alius peccauerit, sic generatim inuehi, vt ceterorum eiusdem officij, conditionis, status, ordinis in discrimen vocetur fama. Quod eo certè deterius, quo venerabilior, augustiorve reprehensorum auctoritas est, vt Regum, & Magistratuum, vt Prælatorum, Clericorum, Religiosorum, præsertim vulgi præsente multitudine, quæ sæpè minùs propterea colit superiores, & si quis ex illis peccet, omnes vociferatur esse tales, sed non omnes manifestari, vt ad suos Hipponẽses præclarè scripsit Augustinus [e].

Inter monita B.P.N. Ignatij, quæ Concionatoribus edit, vnum est, ne Principes, & Magistratos Reipublicæ, Prælati & alij Ecclesiastici, ac Religiosi in particulari, etiam tacitè reprehendere videantur [f]. Vel ab eo discendum Satyrico epigrammatista, qui quod fieri non debet, non faciens, facere se tamen profitetur [g]:

Hunc seruare modum nostri nouere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Sed publicè Ioannes peccantia commonere volebat opera, quibus simúlque praua eiusdem doctrina ceteri corrumpebantur. Hoc est ὑπομιμνήσκειν suggerere, subiicere memoriæ, indicare [h], vnde ὑπόμνησις commonitio [i]. Vbi Ioannis lenitatis apparet spiritus, vt contentus velit esse publica monitione, & recensione operum, ac errorũ, quibus in fraudem trahi poterant alij. Permiscetur etiam iusta seueritas eiusdem, si aliam verbi spectemus notionem forensem, obseruatam à Budæo [k], vt sit ὑπομνῆσαι *in iudicium vocare*, quod ex Pandectis demonstrat, & Authenticis. Oecumenius fauet, agnoscens hìc in Ioanne ἀπειλὴν καὶ ἀνταπόδοσιν κακοῦ ἀντὶ κακοῦ, *minas ac retributionem mali pro malo*, qualem Paulus in Elymam declarauit [l]. Exemplum Latini nominant, Græcique παράδειγμα maximam, grauissimámque pœnam, cum punitio propter exemplum est necessaria, *vt ceteri à similibus peccatis*, ait Gellius [m], *quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur.* Vulgati sermone insigne supplicium appellamus exemplare, dúmque cuipiam grauiùs comminamur, effecturos nos dicimus, vt ipse, ceteríque recordentur deinceps. Denotare præterea potest commonitio operum, & reuocatio eorum ad memoriam, debere causas reorum tractari absque præcipitatione, sed cũ discussione matura: quod præ se quodam modo tulit Christus [n], dum adducta ad se adultera, inclinauit se, scripsitque in terram digito. Quam ad rem facit narratio de Vigilio Papa apud Baronium [o].

Verbis malignis garriens in nos.] Λόγοις πονηροῖς φλυαρῶν ἡμᾶς. Negligenda maligni ab igne malo etymologia siue superbiæ, siue inuidiæ: alioqui & benignus ab igne bono deriuabitur: immò priuignus à priore, priuató ve igne. His tamen delectatur Hugo, Thomas Anglicus, Lyranus, nec dubitant affinibus cõfirmare scripturarũ locis: quemadmodum & alij eadem auidiùs arripere, ac inter concionandum tamquam subtilia vẽditare. Verba sunt mala, & maledica Diotrephis contra doctrinam à Ioanne traditam, & forsitan contra mores, atque contra frequentatam inter fideles hospitij benignitatem, sicut & Gentiles deterius interpretantur, turpitérque singularem beneuolentiam inter Christianos.

Familiare semper hæreticis fuit, Catholicos calũniis, & quolibet vexationis genere infestare, atque fœminarum in morem dentibus, lingua, ore conuitiante pro armis vti. Auctor est Athanasius [p], auctorem hæreticis diabolum extitisse, vt conuitiis incesserent Synodum vniuersalem (Nicenam nempe) idémque de aliis est, déque Patribus, ac Doctoribus Orthodoxis, quod non ipsorum dogmata scripserint, sed quæ hi, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt Verbi, tradiderunt. *Hoc negotium est hæreticorũ, non Ethnicos conuertendi (vel Iudæos)* ait Tertullianus [q], *sed nostra euertendi: nostra suffodiũt, vt sua ædificent.* Quid mirum? φλυαρῶν, & nil nisi garrulitas eorum doctrina est [r], caret viuo sermone gladióque illius: Sola pugnãt vagina, vero carentes Scripturarum sensu. Sine auctoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem, nisi, vt loquitur Hieronymus, viderentur peruersam doctrinam, etiam diuinis testimoniis roborare. Qui eorum vel attigit libros, vel Catholicorum, qui refellunt eos, nihil ferè nisi mendacia, calumnias, conuitia, maledicta deprehendet, quibus Catholicum nomen, atque doctrinam polluunt, proscindunt, lacerant.

Nugaces sunt, garruli, loquaces, inepti, blaterones, quæ omnia, hísque similia, verbo denotantur Græco: non leuem dumtaxat, inanémque auicularum referentes vocem, sed absurdarum ranarum in cœno mersarum, vt ex Apocalypsis [s] testimonio de Seneca loquens hæretico Gelasius [t] Papa confirmat. Est rana imbellis, turpia, loquax, voce, strepitúque maiore, quàm corpore, quàm viribus. Eius plagam accommodat Augustinus [u] ad Philosophos, & hæreticos, qui cùm in Christo humana omnia dicant esse per superbiam, & inanes contentiones, strepitum vocum habere possunt, doctrinam veræ sapientiæ insinuare non possunt, tædium afferentes auribus, nullos autem præbentes cibos mentibus. Non absimilis apud eundem Augustinum [x], & Rupertum [y] ranarum cum Poëtis vanis comparatio. Nec minùs aptè propter luxum voluptatémq; de qua Nyssenus [z] ranas illas interpretatur, ranæ dici hæretici possunt. Patrem habent hi diabolum calumniatorem. Nec aliter se Pagani gesserunt contra Christianos; confingendo calumnias, sicut & contra Hebræos rum, cùm veram sectarentur religionem. Sic verbi gratiã, Antiochus sparsit in vulgus, adorari caput asini à Iudæis, & Græcum singulis annis ab iis opiparè saginari in templo, vt illum postea studio pietatis occiderent. Legendus Iosephus [a], & Tertullianus [b], qui aiτ vocatum Deum Christianorũ Onochyten. Tacitus [c] originem talis de Iudæis cõmenti refert, atque Plutarchus [d]. Refellit præter Tertullianum etiã Minutius Felix [e], qui hoc vocat negotium dæmonum, rumores falsos serere, & fouere. Epiphanius [f] narrat Gnosticos in libro de stirpe Mariæ, cùm pater Ioannis hora incensi [g] hominem asini forma vidisset, ac Iudæis suis talem cultum exprobrare vellet, ab illo ipso murum factum: sed cùm aperto ore id fecisset,

a 1. Tim. 5. 20.
b homil. 7. in Iosue.
Prædicatores nõ debent nomina tim quempiam pro concione reprehendere.
c de corrept. & gra. ca. vlt. & serm. 15. & 16. de Verb. Dom.
d in 2. ad Tim. c. 5.
e epist. 137.
B.P.N. Ignatij Prædicatoribus monitum datũ.
f in reg. concionato. Reg. 22. & 23.
g Martialis li. 10 epig. 10 [illegible] vel 31.
h Ioan. 14. 26. 2. Tim. 2. 14. Tit. 3. 1. 2. Pet. 3. 1.
i 2. Tim. 1. 5. 2. Pet. 3. 1.
k comm linguæ Græcæ
l Act. 13. 11.
m lib. 6. c. 14.
Reorum causæ absque præcipitatione tractari debent.
n Ioan. 8. 6.
o tomo 7. anno 538.
Hæretici Catholicos calumniis infestare solent.
p de decretis Nicenæ Synodi.
q de Præscri.
r lege Bellarm. lib. 4. de notis Eccle. c. 13. vbi ostendit nec Gentiles, nec Iudæos conuersos ab hæreticis.
Hæreticorum garrulitas sine auctoritate scripturarum non habet fidem.
s cap. 16. 13.
t epist. 5.
u lib. de consensu. decem præcept. cum decem plagis Ægypti.
Hæreticis ranis comparantur.
x serm. 87. de tempore.
y lib. 11. in Exod. c. 31.
z de vita Mosis.
a contra Apionem.
b Apolog. c. 16
c lib. 5. Annalium.
d 4. Sympos. q. 5.
e in Octauio. Thætentia 26.
g Lucæ 1. 9.

a Apologet.c. 7.9.10.

occisum esse. Testis idē Tertullianus[a], existimatos Christianos omnes (quod hæretici Gnostici faciebāt) edere carnes humanas, promiscuo concubitu vti, cædere infantes. Idem referunt Athenagoras[b], Arnobius, Iustinus[c] quoque, qui addit, quæ Christiani reprehenderent in Gentilibus, iis istos obiecisse. In Historiis Ecclesiasticis occurrent passim calumniæ plurimæ hæreticorum, vt Arianorum contra Athanasium, &c. De hæreticis autem nostri temporis Bozius in Notis Ecclesiæ[d].

b oratione pro Christianis. c cont. Tryph. & Apolog. 1. & 2.

d lib. 12. c. 56.

Diotrephes fortè non hæreticus.

Et eos qui suscipiunt, prohibet.] Non sentiebat, velut hæreticus, seu non hæc hæresis erat ipsius, nefas esse hospitio excipere: sed neque negabat omnibus hospitium; verùm solis Catholicis, quos Ioannes vocat fratres. Notauit id Prateolus[e]: at cùm asserit notatam in illo hæresim à Ioanne, nō profert vllam distinctè: nec verò potest. Credendum Bedæ, aliisque nominantibus Hæresiarchā. Ioannes enim solam accusat ambitionem, linguę petulantiam, inhumanitatem, tyrannidem in fratres. Quadrat ex cane olitoris in istum parœmia, qui nec olera edat ipse, nec edere sinat volentes. Comparari præterea cum Scribis ac Pharisæis hypocritis potest, *qui claudebant regnum cælorum ante homines; ipsi verò non intrabant, nec introeuntes sinebant intrare*[f].

e in Elench. hæres.

f Matt. 23. 13.

Eos qui suscipiunt.] Sic nonnulli codices. Τὰς ἐπιδεχομένους: plures, τὰς βουλομένους volentes, nimirum ἐπιδέχεσθαι, suscipere.

Prohibet, & de Ecclesia eicit.] Κωλύει, καὶ ἐκ τῆς Ἐκκλησίας ἐκβάλλει. Eiectio de Ecclesia vel est de loco, vel de cœtu Fidelium. Primo modo intellexit Hugo, & Thomas Anglicus, excommunicationem vocans: Secundum sequitur Sà, & indicat Carthusianus, hinc inferens Diotrephem Prælatum fuisse, qui posset tum Ecclesiæ ingressu interdicere, tum separaret à communione Fidelium: nec abnuit Hugo conferens cum eiectione extra Synagogam inter Iudæos[g]. Concilij Gangrensis Canon extat contra inhospitales, & hospitalitatis improbatores[h]. *Si quis*, inquit, *despicit eos, qui fideliter agapas*, id est, conuiuia *pauperibus exhibent, & propter honorem Dei conuocant fratres; & noluerit communicare huiusmodi vocationibus, paruipendens quod geritur, anathema sit.* Vbi nescio qua ratione colligat Gratianus ex hoc loco epistolæ Ioānis, à Ioāne Diotrephem excommunicatum esse: Diotrephes enim potiùs legitur excommunicasse illos, qui hospites suscipiebant, & Diotrephi minatur Ioannes, non pronunciat in eum sententiam.

Diotrephes fuit fortè Ecclesiæ prælatus.

g Ioan. 9. 22.

h ca. 11. & habetur cap. si quis despicit, dist. 42.

Porrò dicti Concilij Patres clausulam apponentes canonibus, ad hunc modum de re proposita, denuo præscribunt: *& bona opera, quæ, iuxta vires, in fratres pauperes exercentur, secundum Ecclesiasticas Traditiones, beatificamus.* Obseruat Hugo Diotrephis sententiam excommunicationis, quòd manifestum contineret errorem, nō ligasse. Non vacat modò plura hac de re dicere, déque censura ipsa, quod sum alibi executus: cùm non sit etiam adeo certum de excommunicatione loqui modò Ioannem. Forsitan eiectio ista erat ab Ecclesia, ne interessent solemni conuiuio, quæ dicebatur Dominica cœna, & ἀγάπη.

Vers. 11.] Charissime, noli imitari malū, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est: qui malefacit, non vidit Deum.

Monet ne Gaius moueatur prauo exemplo, sed sibi proponat Deum imitādum, & magis familiare, ac domesticum Demetrij, de quo versu sequenti, exemplum. Exempli vis magna vtramque in partem, vt Basilius demonstrat[i] similitudine columbæ, quæ certo illita vnguento, attrahit agrestium gregem.

Exempli magna vis est.

i e, .175.

Vita, quam vocant exemplaris, quàm sit efficax ad permouendum etiam Barbaros & sceleratos, docebunt te quæ de Luciano[k] prodita sunt martyre, de Romualdo[l], Equitio[m], Malachia[n], Odone[o], Norberto[p], Coleta[q], Maria[r] Oegniacensi, presbyteris, ac monachis Anglicanis[s].

k in rebus eius gestis. l Sur. Tom. 3. pag. 711. m Gregor. 1. Dialogo. n Sur. tom. 6. pag. 97. o idem ibid. pag. 136. p idem tom. [illegible] pag. 144.

Promotores ad imitandum malū sunt homines. *Procliuis est*, ait Hieronymus[t], *malorum imitatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia.* Hoc de se ipso tamquam de experto narrat Augustinus[u]. Herodem in illudendo Christo, spernendóque, imitatus est exercitus eius[x]: irruente Saule super gladium suum, irruit & super suū armiger eius[y]. Origo idololatriæ fuit quòd serui ac populi colerent ea, quæ à dominis suis haberi videbant in veneratione[z]: pro grandi miraculo iudicatum est, vt Core[a] pereunte, non perirent ipsius filij[b], videlicet cùm non essent partem imitati. Proponunt Paulus[c], Petrus[d], Iacobus[e], spectant eòdem Tobiæ verba. *Filij sanctorum sumus*[f]; & Eliæ[g]. *Neque enim melior sum quàm patres mei.* & Christus[h]: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*: & denuo Paulus[i]: *Mementote præpositorum vestrorum, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* & adhuc. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*[k]. Hanc eādem, ceu normam, regulámque sanctorum exemplorum nobis vehementer commendant Hieronymus[l], Cassianus[m], Gregorius[n], Augustinus[o], Bernardus[p], Ambrosius[q], Chrysostomus[r], Basilius[s], Origenes[t], Climacus[u], Ephrem[x], denique qui sanctorum scribunt Vitas, & Ecclesia ipsa earundem celebritatem instituens. Huc facit valde, bonorum societas, improborum vitatio. Botrus enim etiam iuxta botrum, vt fert Adagium, maturescit.

Promotores ad imitandum malum sunt homines.

q idem to. 7. r apud eundem lib. 1. vitæ c. 13. s Beda 3. hist. Anglo. ca. 26. t epi. 7. u 2. confess. cap. 3 & 9. x Lucæ 23. 11. y 1. Reg. vlt. 5. z Sap. 14. 15. 16. a Num. 16. b Num. 26. 10. 11. c Heb. 11. totu. d 1. Pet. 3. 1. 2. 2. ep. 2. 13 [illegible] e Iacobi 5. 10. 11. 17. f Tob. 2. 18. g 3. Reg. 19. 4. h Ioan 8. 39. i Heb. 13. 7. k 1. Cor. 11. 1. l epist. 102. m collat. 2. c. 4. n 24 Moral. c. 6 & lib. 13. cap. 37. o in Psa. 87. & confess. c. 11. p ser. de Altitud. ac Bassitud. cordis, & ser. 54. in cant. q 1. offic. c. 30. r de compūct. cordis. s epist. 1. t lib. 3. in Iob. u Gradu 26. x Tom. 1. ep. ad Ioannem monachum, & in Hypomn. y Iuuenal. Sat. 2. z Ex Aristarcho Scholiaste, Pindari. a de dignosc. adulato.

Vuáque conspecta liuorem ducit ab vua[y].

[z] Χωλῷ παροικῶν κἂν ἐπισκάζειν μάθῃς.

Claudo propinquus si vel vnus vixeris,

Disces & ipse claudus ingredi breui. Sic Alexandri conuictores eius imitabantur asperitatem vocis, ceruicémque flexam: familiares Platonis, ipsius gibbum: Aristotelis amici, eiusdem linguæ hæsitantiam. Datur assentationi persæpe studiosa imitatio, teste Plutarcho[a]; sed virtutis moueri studio debemus ad imitandum quæ bona, honestáque sunt: & parentes, eósve qui præsunt, cauere diligenter oportet, ne sint suis malo exemplo, rapiuntur enim, quibus id exemplum datur, & quodam quasi naturæ pelluntur impetu ad imitandum.

Exempla mala diligenter cauenda.

Eo in genere duo sunt illustria exempla, quæ recitat Aristoteles[b]; alterum filij se quòd patrem verberasset, excusantis, quoniam is suum, ille item suū: & commōstrans infantem, *Hic etiā dicebat vbi vir euaserit, me ipsum verberabit; gentile enim hoc nobis est*: alterū alterius, qui cùm traheretur à filio, vbi ad ianuam deuentum esset, desistere iubebat; nam se quoque eo vsque patrem suū traxisse. Eidem pareamus Aristoteli; immò veritati, quam hic Ioannes multò exposuit meliùs. *In omnibus*, ait ille[c], *imitari proculdubio meliorem debemus.* Ad eundem Climacus[d] modum præcipit, vt è plurimis optimos nobis ad exemplum proponamus Zeuxis exemplo, qui picturus Iunonem Agrigētinis omnibus virginibus inspectis,

b 7. Ethic. c. 6.

c 9. Ethic. ca. 13.

d Gradu 26.

quinque præcipuas elegit, ex quibus quod esset in vnaquaque præcipuum, imitaretur. In Chronicis B. Francisci est, quemdam sodalem eius summæ simplicitatis proposuisse sibi quidlibet exprimere, quod illum videret facere incedendo, excreando, &c. Sicque cum semel sublatus à terra diuinitus esset, ipsum sese ad pedes ipsius etexisse, & iis adhæsisse.

Qui benefacit.] ὁ ἀγαθοποιῶν. Rectius vno verbo legimus, quàm duobus, *bene facit*, vt tamen quidam legunt codices, & Auctores, qui Auctores exponunt vniuersè de bonis virtutum quarumlibet operibus, quamuis & separatis vocibus benefacere, dici Latinè potest alicui qui beneficium confert. Magis propria, communisque notio verbi τοῦ ἀγαθοποιεῖν, est bene alicui facere, bene mereri de aliquo, in aliquem conferre beneficium: vnde ἀγαθοποιὸς beneficus, munificus, liberalis, & ἀγαθοποιΐα, beneficentia, &c.

a cap. 12. 10.
b cap. 3. 4.
c cap. 6. 9.

Quod Matthæus [a] dixit, *curare*, Marcus [b], ac Lucas [c] dicunt *benefacere*. Sed refert Matthæus interrogasse Pharisæos de Christo, *si liceret Sabbatis curare*? Marcus Christum, *cùm id illi quæsiuissent*, sciscitatum, *an liceret Sabbatis benefacere, an male*, ἀγαθοποιῆσαι ἢ κακοποιῆσαι. Lucas proponit solam Christi his ipsis verbis interrogationem. Benefacere Christus intelligit iuuare miseros, subuenire in calamitate constitutis. Hoc non licere, fateri cogebantur, qui reprehendebant quòd Sabbato Christus aridam manum sanitati restitueret. Idē verbum, ac significatio apud Lucam est, cùm ait. *Et si benefeceritis his qui vobis benefaciūt, quæ vobis est gratia* [d]? εἰ ἀγαθοποιῆτε ἀγαθοποιοῦντας ὑμᾶς. Fateor apud Petrum [e] latius accipi sententiam de omnibus operibus bonis: *Vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*, vbi est participium ἀγαθοποιοῦντες. Posset hoc etiam loco generalis eadem notio esse, vt placuit quoque Didymo. Tamen proposito magis congruit illa alia, quoniam sermo fuit de hospitalitate: & qui bene aliis faciunt, videntur ex Deo magis esse.

Benefacere quid Christus esse dixerit

d Lucæ 6. 33.
e 1. ep. 2. 15.

Ex Deo est.] Omnis, qui bona operatur, ex Deo est, quia bonorum ipse operum peculiariter auctor est, præsertim gratiæ: Similisque prius posita sententia est non semel [f]: tamen beneficentia magis quodammodo diuina virtus est, nósque peculiari ratione similes reddit Deo. Plinius [g] parum alioqui bene sentiens de Deo, ac penè atheus, & in hoc sapit rectiùs, quòd puerilium prope deliramentorum habet loco, quæ de tot circumferebantur numinibus, & congruentem, si benè intelligatur, proposito sententiam profert, quòd *Deus est mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via.* Cicero [h] idem aliter expressit, *homines* dicens *ad Deos nulla re propius accedere, quam salutem hominibus dando.* Et Strabo [i]: Εὖ γὰρ, ait, εἴρηται, καὶ τοῦτο ἀνθρώπους μάλιστα μιμεῖσθαι θεοὺς, ὅταν εὐεργετῶσιν. *Bene namque dictum & hoc, homines maximè Deos imitari, quando beneficerint.*

Quomodo qui bona operatur, ex Deo sit.

f 1. ep. 3. 8. 9. 10. c. 4. 7. 8.

g lib. 2. cap. 7. *Plinius penè atheus quid congruens proposito dixerit.*

h orat. pro Ligario.

i lib. 10.

Postremò celebris parœmia est, quòd Homini Homo Deus. Et satis constat, delatum rebus etiam mortalibus, ac inanimis Dei nomen, ex quibus caperēt homines emolumentum. Hoc pacto Cæsarem Virgilius [k] propter beneficium Deum appellat suum, nec dubitat Iuuenalis etiā homuncionem, si sibi commodet, tanto titulo insignire [l]:

k Eclog. 1.

l Satyr. 5.

Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis Diis,
Et melior fatis donaret homuncio.

Scilicet profani homines sibi vtiles cudebant Deos, vt ille, qui cecinit [m]:

m Petronius.

Iam sibi quisque Deos auido certamine fingit:

Et alius qui dixit quòd

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit [n].

n Martialis lib. 8. epigra. 24.

etiam nempe homines, à quibus aliquid petit: At qui benignus, & beneficus in alios est, ex Deo est, & diuinitatis nonnullam participationem habet: *quà enim communius, eò diuinius bonum* [o].

o Arist. 1. Ethico. cap. 2.

Qui malefacit, non vidit Deum.] ὁ κακοποιῶν contrariam habet significationem ei, quam ἀγαθοποιῶν, de quo antea egimus, tum pro illiberali, duro, sæuo, tum pro illo, quem vocamus quoque malefactorem, aut Latinius maleficum, & adhuc Græce κακοποιὸν, id est, iniquum, & cuiusvis criminis reum. Omnis quidem peccator non vidit Deum, eo sensu quo primæ epistolæ capite quarto [p], *Qui non diligit Proximum, & odit,* dicitur, *non nouisse Deum.* (Similitudo autem hæc styli eūdem demōstrat vtriusque auctoré epistolæ) sed à Deo dissidet propria ratione magis qui alios lædit; & sic non videre censetur Deum, quia non æstimat beneficia, quibus afficit eum Deus, & quæ vult compensari benefactis erga alios, cùm ipsi qui bonis non eget nostris [q], bene fieri à quoquam non possit. Didymus monet de aspectu spirituali sermonem esse, quoniam is etiam oculorum percipere sensu Deum valeat, qui malus est, mente non ita, sed qui eam, eótque mundum habet: atque inde sequi, Deum incorporeum esse.

p vers. 8.

q Psal. 15. 2.

Vers. 12.] **Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate, sed & nos testimonium perhibemus: & nosti, quoniam testimonium nostrum verum est.**

DOmesticum, familiare, notum proponit exemplum Demetrij: dixerat enim prius, non imitandum malum, talémque descripserat Diotrephem, sed bonum. Vel certè quia non constat an hospitalitatis Demetrius laude præstiterit, de qua propriè Ioannes loquebatur, quámque tum in Gaio commendauerat, tum vituperauerat in Diotrephe, dici posset generaliter laudari Demetriū, cui propterea Gaius debeat effusius liberalis esse. Carthusianus laudes hic agnoscit reliquarū virtutum, & peculiariter hospitalitatis: ceteri de ista vna loqui Ioannem putant.

Demetrius quibus de rebus laudatur.

Demetrio.] Quis cuiúsve conditionis hic fuerit, nescio: indicare Catharinus, & Salmeron videntur Episcopum fuisse: deplorant enim tales non esse sui temporis Episcopos: Tam vituperatus alter à Luca [r] Demetrius, quàm hic laudatus à Ioanne: Et hunc tamen credit non nemo esse, sed iam conuersum.

Demetrius hic quis fuerit.

r Act. 19. 24.

Testimoniū redditur ab omnibus. Μεμαρτύρηται ὑπὸ πάντων, hyperbolicè dictum de omnibus, quia plurimi hoc dabant testimonium, iique nō probi dūtaxat, vt Catharinus vult, sed alij non ita forsan probatæ vitæ, qui quod beneficio affecti erāt à Demetrio, vel virtutes eiusdē alias passim laudari sciebant à probis, non poterant non & ipsi approbare, atque celebrare. Testimonium illud itaque bonum erat: tametsi μαρτυρεῖσθαι, sit simpliciter testificari. Interpres quandoque addit boni epithetum, vt capite sexto [s] Actuum Apostolorum: & capite XVI. [u] Sed aliàs omittit [t], licet oporteat subintelligere, vt capite decimo [x], & vigesimo secundo [y].

s vers. 3.
t vers. 2.
u vers. 25.
x vers. 22.
y vers. 12.

Et ab ipsa veritate.] Deum qui veritas est, intelligunt expositores. At quia non appacet, quo modo redderet hoc testimonium Deus, simplicior sensus videtur, testimonium reddi Demetrio ab ipsa veritate, quoniam reuera laude dignus est, & laude digna operatur. Falli potest multitudinis iudicium: sæpè tamen fit, vt sit vera communis laus, & approbatio, maximè si eam quoque tribuant ignoti, inimici, & improbi.

Trita vox illa de Populi voce, quòd eadem sit vox Dei, quod Polydorus Virgilius [a] adagium retulit inter sacra, confirmauítque Iudæorum illo quasi vaticinio. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros* [b]: quod hodiéque iam inde ab excidio Ierosolymorum perdurat. *Et populus*, inquit, *interdum aliquid temere, ac intempestiue fundere solet, quod perinde quasi diuinet, euenit: & quod fuerit vulgari rumore iactatum, non vsquequaque vanum euadit, ac si Deus ad os ora mortalium antè immittat*: denique quasi maximum quendam magistrum Cicero [c], licet deteriore sensu, populum vocat.

Sed & nos testimonium perhibemus.] Hoc multò certius, optabiliúsque, quàm testimonium populi. *Nam vulgus*, inquit idem M. Tullius [d], *ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat* [e]: *estque grauior, & validior decem virorum bonorum* (immò vnius) *sententia, quàm totius multitudinis imperitæ.* Iuuat, vt quãdoque laudet Pastor vel vnum quempiam, cum quo agit, vel alium apud ipsum. Primum fecit Ioannes [f] superiùs, & priore epistola [g], vtrumque non rarò in suis Paulus. Idem Ioannes celebrat in Apocalypsi [h] laudes Antipæ, sed iam pro Fide occisi. *Ille probatus, quem Deus commendat* [i]: & quos laudant, qui & ipsi commendantur à Deo.

Et nosti, quoniam testimonium nostrum verum est.] Phrasis hæc Ioannis est, tam in Euangelio vsurpata [k], satis indicans Auctorem huius epistolæ eumdem esse, qui fuit Euangelij. Sed in Euangelio loquitur de se in tertia persona: *& verum est testimonium eius: & scimus quia verum est testimonium eius.* Postrema verba istis quæ tractamus, afferunt lucem. Nam quod antea personis dixerat tertia, atque singulari, prima dicit *scimus*, vt se illũ ipsum declaret esse; ac numero plurali, non auctoritatis gratia, id enim alienum ab eius moderatione, & ab Hebraicæ, Græcæque linguæ consuetudine, sed vt corroboret testimonium suum condiscipulorum conscientia, qui scirent vera illum narrare. Sic igitur nunc nosse Gaium dicit vera se testificari solere, vtpote qui vsum Ioannis haberet, nec ignoraret omnium de Ioannis integritate, ac veracitate consensum esse.

Si vera foret Ruperti ad citatum posteriorem ex Euangelio locum interpretatio, quæ Salmeroni [l] quoque placuit, ibi per Mimesim respondere verbis Euangelistæ Ecclesiam: *Amen, ita est, scimus eum discipulum vera dixisse*, Gaius, vt vnus de Ecclesia nosset hoc ipsum, & id eum nosse Ioannem illi scribere affirmare possemus. At primus longè melior sensus. Huiusmodi verò de seipso Ioannes edit magna confidentia testimonium & in Euangelio, & in hac epistola, propter hæreticos, aliósque incredulos, qui vt de Diotrephe antè dixit [m], non recipiebant ipsum, sed nec Apostolos ceteros: multa quoque scripserat, quæ non alij Euangelistæ, quorum cùm inualuisset apud Fideles auctoritas, eãdem volebat Ioannes Euangelio suo reconciliare.

Vers. 13.] Multa habui tibi scribere: sed nolui per atramentum, & calamum scribere tibi.

Legenda, quæ notauimus ad prioris epistolæ versum quoque decimum tertium, vbi de causis breuium litterarum, de notis scribendi compendiose, de traditione, præterea de atramento, & charta, obitérque de calamo. De hoc nunc aliquid adiiciendum. Græcè hic quoque κάλαμος, retentum nomen, alibíque sæpe, verùm pro alia re, non pro instrumento scribendi. Calamus frutex aquaticus est multa significans, quia multæ fiebant ex eo res, vt certum mensuræ genus ex cubitorum & palmi, quæ Scripturis notio familiaris est. Vnus eius vsus ad scribendum fuit. Vnde illod [n]:

Dat chartis calamos habiles Memphitica tellus,

id est, Ægyptia, de qua idem prodit Plinius [o]. Tralaritiæ calamus scriptorius vocatur is etiam, qui ex ære vel auricalcho, ferro, auro, argento (qualis qui Ouidij repertus apud Dacos fertur suo nostro) & frequentius ex aliis pauonum, olorum, anserum, conficitur. Inde vulgus pennam vocat: Italicè, Hispanicè, Gallicè penna dicitur, pluma, *plume.* Sed idoneus Auctor Latinus, quod sciam, pennam hac significatione dixit nullus. Nodosam Persius [p] appellat arũdinem, fistulam, & calamum, meminitque libri, membranæ, chartæ, & atramenti sub sepiæ nigræ nomine. Vbi nescio Ascensius Scholiastes vnde acceperit in Italia scribi calamis, pennis in Frãcia, & his enim scribunt Itali. Et hæc quidem instrumenta scribentium in charta, vel membrana, aliáve simili materia, concepto per ea, relictóque in subiecta materia atramento. Nam τῷ γραφεῖῳ (quod à Græcis mutuando, Latinè quoque graphium nominamus, atque stylum) vtebantur qm tabulas ceratas, aut pugillares exarabant. Quem apud Lucam [q] vocat pugillarem Latinus Interpres, est Græcè πινακίδιον, tabella, quales hodie memoriæ causa vsurpamus. Pugillaris verò dicitur, vel quòd pugno comprehendatur, vel quòd pungatur stylo. Ferreum erat plerumque parte acutum extrema. Hoc armati scelerati discipuli Cassianum magistrum suum confixerunt in foro Syllæ: qua de re consule notas Baronij [r]. Et hac forsitan de causa Romani vetuerant, vt paulò pòst videbimus, ferrei vsum styli, ne ad manum haberent nefarij homines paratúmque cædis alienæ in repentina ira instrumentum, & quidem secretum, occultúmque. Meminit Iob [s] styli ferrei: quo loco Pineda noster [t] meritò tefellit eos, qui pro plumbi lamina, quæ ibidem additur, vertunt stylum plumbi, vel plumbeum, & pro scriptoria charta silicem assignant, quasi tam molli, flexibilique queat instrumento in re durissima exarari, & non sit satis absque plumbeo stylus ferreus, necnon celte, quod est cæmẽtarij ad sculpendum lapides durissimos (qui silicis nomine intelliguntur) instrumentum.

Isidorus [u] cùm dixisset Græcos, ac Tuscos primùm ferro in ceris scripsisse, subdit postea Romanos iussisse, ne graphium ferreum quis haberet. Vnde & apud scribas dici solitum: *Ceram ferro ne cædito*: deinde institutum, vt in ceræ officibus scriberent, *sicut*, inquit, *indicat Atta in Satyra*:

Vertamus vomerem in ceram, mucronéque aratum Offeo.

Denique quod Græcè graphium dici scriptorium

Marginal notes:

Laus communis vera & plerumque.
a lib. 2. Adagio. in 199.
b Matth. 27. 25.
c Tuscul. 5.
d pro Roscio Comœdo. e orat. pro Plancio.
f vers. 1. & seq. g vers. 1. & 2. h cap. 2. 13.
i 2. Cor. 10. 18.
k cap. 19. 35. cap. 21. 24.
l Tom. tract. 32.
m vers. 9.
Quid sit calamus.
n Martialis li. 14. epig. 38. vel 35. o lib. 16. c. 36.
p Saty. 3. ad initium.
q cap. 1. 63.
r 13. August. & 1. Maij.
s cap. 19. 24. t ibidem.
Celte quid sit.
u lib. 6. Etymolog. cap. 9.

Latine, quia γραφὴ dicitur Scriptura. Illud Romani nescio quando vetuerint: Siquidem ceræ, ferrique scribendi causa meminit Ouidius:

Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram.

Et Horatio[a] tabulæ sunt, & in iis prima cera, seu prima cerata tabula, in quibus testamétum scribebatur.

Qui testamentum tradet, tibi, cúmque legendum
Abnuere, & tabulas à te remouere memento;
Sic tamen vt limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu solus multis ne coheres
Veloci percurre oculo.

Suetonius quoque[b] primas ceras memorat, quibus testatorum nomen esset Inscriptum: sed & imam ceram[c]: quam Cicero vocat extremam[d]: Plautúsque[e], & alij ceras in genere, in quibus scriberetur stylo: nec osseum fuisse stylum legi præter Isidorum qui asserat, licèt eo commodè concedam scribi in cera. Lego apud Plinium[f], quòd stylo scribere institutum est, vt vetustissimi Auctores prodiderunt. Sic melius, quàm, vt quidam legunt[g], institutum: docet enim ibi Plinius incommoda ferri. Dalecampius Plinij Scholiastes aliam notat lectionem: *& stylo ferreo scribere vetitum est.* Hæc lectio fauet Isidoro[h], quem antè retuli prodidisse ferreum à Romanis vetitum stylum: sed & prima, quam in Italica versione sequitur Ludouicus Dominicus: *Mal sicuro ancora escriuere con lo stile, come dicono gli antichissimi Autori.* Hæc oportuit semel dixisse tot aliis vtilia Scripturarum sanctarum locis.

Scribendi labori, ac stylo successit commodissima typographia nostris reperta temporibus in Europa (sed antea, vt produnt apud Synas[i] vel Caietanos, vel Themistaneos in nouo orbe Hispanico[k], anno aut 1440. in Argentinensi ciuitate[l], aut 1441. in Hollandia oppido Harlemo[m]: aut anno 1450. aut 1453. aut 1454 à Ioanne Fausto Germano, ciue Moguntino, & a Petro Scheffer genero ipsius: & anno 1460. vel 1462. per diuersas prouincias diuulgata a Ioanne Gutéberger[n]. Quid enim inter litigantes definiam? Nam Ioanni huic primam omnino tribuunt inuentionem. Tantum vno die litterarum hac formatur arte, quantum vno vix biennio velocissimus queat librarius. *Imprimit[o] illa die, quantum vix scribitur anno.* Nonnulli adscribunt id Ioanni Regiomontano. Dissertationem hac de re copiosam, diligentémque legi postea in historia Moguntiaca Serarij nostri[p], qui tantam laudem defert Moguntiæ, testimonio plurium, vt Erasmi, Polydori, Trithemij, Andreæ Althameri, Petri Appiani, Conradi Peutingeri, Genebrardi, Middendorpij, Georgij Bruin, Auentini, Carionis, Sebastiani Brand, Munsteri, Zuingeri, Rami, Bergellani. Agit præterea ratione non contemnenda.

Transcribendis codicibus vacabant inter alios Religiosi viri: & sibi laborem hunc probari declarauit Deus pro se nempè susceptum, conseruata per tot annos integra dextera manu scriptoris Ricarchi monachi, de quo Cæsarius[q].

a 2. Serm Saty 5.
b in Nerone. cap. 17.
c Idem in Iulio Cæsare. c. 83.
d in Diuinatione in Verrem 1.
e in Bacchide, & Curcul. & Asinu.
f lib. 34. c. 14.
g Calep. nos verbo stylus.
h supra.
i Hieronymus Osorius lib. 11. de rebus Emmanuelis & Lodius.
k Genebr. 4. Chrono. fol. 701.
l Iacob Wympheling in epitome rerum German. ca. 65. Pa gosius lib. 8. c. 11. & auctor Paralipomenon ad Vrspergensem.
m Petrus Bertius. Georg. & Adrianus Iunius in historia Batauica. Ioannes Arnold. Bergellanus in chalcolog. encomio.
n Ioannes Antonius Campanus, qui eum Vlricú nomine Gallum facit, falsus vt sentit, cognomen Han, quod Germanis gallum gallinaceum significat.
p lib. 1. c. 36. 37. 38. 39.
q lib. 10. c. 47.

Vers. 14.] Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

CLara satis sunt hæc vel ex iis quæ diximus priore extrema epistula.

Pax tibi.] Dixi eodem loco, sæpius quidem, nec semper tamen cum pace gratiam, vel quid simile coniungi, prout asserere Tertullianus videbatur.

Salutant te amici.] Hos amicos de numero fuisse fidelium credo, sicut & qui salutari iubentur: quo pacto vult Paulus vt suo Titus nomine salutet omnes, qui amant ipsum in fide[r]. Sed nimis laxè fideles interpretantur Beda, Hugo, Lyranus, qui videlicet Diotrephi, ceterísque veritatis repugnent inimicis, cùm amici non tam latè patere soleant. Salutis etiam deprecatio siue salutatio non propriè est de sola salute spirituali, quasi pax proximè memorata spectet ad malorum fugam, salus ad obtinenda bona, vt placuit Hugoni. Simplex est, vt inter notos amicos fiat salutatio, quémadmodum simplicius, meliúsque Carthusianus exposuit.

Saluta amicos nominatim.] Crebræ in aliorum leguntur epistolis salutationes, & admodum generales: at quod hic additur nominatim, (κατ' ὄνομα) suauius & amicius est! Significat sibi vel de nomine notos vel singulos, vel tam suauiter amari ab ipso ac si nollet cúctos sigillatim: nec esse vulgarem, aut gregarium amoré quo prosequatur illos, sed proprium, peculiarem, distinctum, pastoralem, paternum. Amici pressè quidam dicútur, nonnulli latè, alij latissimè. Primi fratribus interdum præferuntur: *Vir enim amabilis*[s], *ad societatem magis amicus erit, quam frater.* Secúdi sunt, quibuscum vel leuis nobis necessitudo est, quo pacto:

Vulgus amicitias vtilitate probat[t].

Et *amici diuitum multi*[u]: & *Diuitiæ addunt amicos plurimos*[x], & *Multi sunt amici dona tribuentis*[y]. Tertij sumútur pro quibuslibet, quos proximos nuncupamus Hebraica voce: רעים *rehhim.* Sic iubemur *diligere amicos sicut nos ipsos*[z]: Et si quis cædédo ligna, casu percusserit, & occiderit amicum, fugiente de manu securi, permittitur ire ad vnam de ciuitatibus refugij[a], & intrantí segetem amici, frangere spicam, & manu conterere[b].

Communis apud Gentiles peculiariter is vocabatur amicus, qui quotidie ventitabat, patronos potentioresque salutatum, dicens, Aue.

Is stat[c] ex populi, totáque habitabit in vrbe,
Limina peruolitans, vnúmque per omnia verbum
Mane salutandi portans communis amicus.

Est & aliquando per antiphrasim amicus inimicus. *Vocaui amicos meos*, ait Ieremias[d], *& ipsi deceperũt me.* Talis, cui Christus[e] *Amice, non facio tibi iniuriã:* & alter[f], *Amice, quomodo huc intrasti, non habẽs vestẽ nuptialem?* postremò, Iudã sic appellauit[g]: *Amice, ad quid venisti?* Nos namq; licet Christus, vel paterfamilias diligeret, non ipsi tamen illos. Tales, si Philippo credimus presbytero[h], qui dicuntur amici Iob[i], nimirum sic eos nominante scriptura ex illorum sensu, quia hoc se putarent esse quod non erant: quemadmodum non intrarunt Iudæi prætorium, quo die dãnatus est Christus, ne contaminarentur[k]: Ananiam quemdam pseudoprophetam, Ieremias[l] prophetam vocat: Herodes contristatus dicitur propter latam contra Ioannem sententiam[m], & absolutè nomen gerunt Sacerdotum sacrificuli Baal[n], quia hi habebantur à suis veri Sacerdotes[o]: putabant discumbentes Herodem contristari[p]. Ananiam illũ multi credebant verum prophetam[q]. Existimabant Iudæi se contaminãdos, si prætorium intrarent. At[r] veros sinceróssque Ioannes amicos hoc loco intelligit, & amatos, & amantes vicissim.

Deo Iesu Christo laus & gloria.

r Tit. 3. 15.
s Prou. 18. 24.
t Ouid.
u Prou. 14. 20.
x infra 19. 4.
y Ibid. 6.
z Leu. 19. 18.
a Deut. 19. 5.
b Deut. 23. 25.
c Manil. lib. 5. Astron.
d Threni. 1. 19.
e Matt. 20. 13.
f Matt. 22. 12.
g Matt. 26. 50.
h in Iob. lib. 5.
i cap. 2.
k Ioan. 18. 28.
l cap. 28. 15.
m Matt. 14. 9.
n Osee 5. 1.
o notat Hieron. ibid.
p Hieron. in Matt. 14. 9.
q notat Hieron. in Ieremiæ 28.
r Philipp. notat supra.

IN EPISTOLAM PRIMAM PETRI

PRÆFATIO.

QVIA duobus ab hinc annis, dum Ioannis interpretarer epistolas, vniuersè de scribendi epistolari genere, tum de sacro, & de Canonicæ, vel Catholicæ epistolæ vocabulis egi, nihil opus modò propriè de iisdem dicere. Ibidem admonuimus, nunquam in Ecclesia de primæ istius auctoritate dubitatũ, sicut nec de primæ quoque Ioannis. Hoc Eusebius [a] disertè tradit: & præter omnes Catalogos librorum sacrorum, quos conficiunt Canones Apostolorum, Concilia, Pontifices, Patres, constabit satis ex plurimis Patrum testimoniis, quæ inter exponendum proferemus.

a lib. 3. hist. c. 3. & 4. *Hæc epistola est Petri indubitata.*

Ad Ponticos cognominant aliqui [b] primam epistolam, quia Ponti meminit initio: ad Gentiles non pauci [c]: quidam [d] ad Iudæos, seu ex Iudæis Christianos: nonnulli [e] ad proselytos. At proselyti seorsim non erant, sed mixti cum Iudæis. Ad Iudæos quidem per se primò scripsisse indicant nomen aduenarum dispersionis [f]: quòd hortatur ad conuersationem inter gentes bonam [g]: quòd mulieres vocat Saræ filias [h]: quòd in epistola secunda [i] habere se cum ipsis ait firmiorẽ propheticum sermonem: quod in prima [k] vtitur testimonio prophetarum. Pertinet etiam ad Gentiles quod affert [l] de eo qui aliquando non populus Dei, nunc populus Dei euasit, &c. vt superædificentur tanquam lapides viui [m]: quòd quem non viderunt, diligunt [n]: vt non configurentur prioribus ignorantiæ suæ desideriis [o]: quòd redempti sint de vana sua conuersatione [p]: quòd sufficiat præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his qui ambulauerunt in luxuriis, & illicitis idolorum cultibus [q]. Erat fidelibus tum ex Iudæis conuersis, tum ex Gentilibus, communicatio locorum, Ecclesiarum, Episcoporum, & similium rerum earumdem, ita vt communes quoque possent esse epistolæ: quamuis occasionem scribendi præberent nonnunquam præcipuè hi qui ex Iudæis conuersi essent; aliquando qui ex Gẽtilibus. Hoc secundum contigit Pauli epistolis, qui magis peculiaris Gentiũ Apostolus erat, excepta epistola ad Hebræos; primum epistolis Petri, qui circumcisionis & Iudæorum proprio magis modo Apostolus.

b Tertul. in Scorpiac. c. vlt. Cypr. lib. 3. c. 36. & 17.
c Hilari. hoc locu. Aug. 22. contr. Faust. c. 89.
d Didy. Oecumen. Caiet. Titelm. Erasm. hoc loco. Euseb. 3. hist. c. 4. hæc . in Catalo. Canon. 2. deinceps. Baron. 2. annal. Ribera praec. 11. in epi. ad Hebr.
e Beda, Glossa, Lyra.
f c. 1. 1.
g c. 2. 12.
h c. 3. 6.
i c. 1. 19.
k c. 1. 10. 17. 24.
l 1. epist. 2. 10.
m ibid. vers. 5.
n ibid. c. 1. 8.
o ibid. vers. 14.
p ibid. vers. 18.
q c. 4. 3.

De Auctore ipso Petro dixi quædam in Commentario historiæ Apostolicæ [r]: de eodem, & de iis, ad quos scribit, si quid præterea notãdum erit, afferetur in explicatione primorum verborum textus. Dignus certè, cui non vt canonico tantùm scriptori credamus, verùm etiam summo Pontifici, ad quem pertinet pascere verbo [s], confirmare fratres, cum eius deficere non possit [t] fides, eique non caro, & sanguis reuelauerit, sed Pater cœlestis [u]: & claues acceperit [x], non ordinis tantùm, & iurisdictionis, sed etiam scientiæ.

r in cap. 1.
s Ioan. 21. 15.
t Luc. 22. 32.
u Mat. 16. 17.
x ibid. 19.

Bonifacius Episcopus, & martyr petiit ab Eadburga: vel Eadeburga Abbatissa, Regis Cantiorũ affine, describi sibi litteris aureis epistolas Petri. Recitat Baronius [y] eius hac de re epistolã, cuius nos hic partem transcripsimus. *Quia sæpe, sine solamine librorum sine vestimentorũ adiumentum pietas tua tristitiam meam consolata est: sic & adhuc precor vt augeas quod cepisti, id est, vt mihi cum auro conscribas epistolas Domini mei S. Petri Apostoli, ad honorem, & reuerentiam sanctarum Scripturarum ante oculos carnalium in prædicando: & quia dicta eius qui me in hoc iter direxit* (per successorem ipsius Pontificẽ) *maximè semper in præsentia cupiam habere, &c.* Eobanum misit, qui hæc exscriberet. Semper Bonifacio Petrus in mẽte, ore, opere erat, atq; primã inter Gentes Ecclesiã Petri voluit nomine insignire. Pluris Petri scripta Bonifacius fecit, quã qui de schola Platonis, vt refert Augustinus [z], censebat initium Euãgelij Ioannis aureis item scribi literis oportere, ac per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponi. Maior sanè habenda ratio Scriptorũ sacrorum Petri, quàm quorum habita tanta est, vinculorũ, gladij, quo abscidit auriculã Malcho, ossiũ, sepulchri. Deniq; cum Ecclesia Deum prædicare debemus in Petro mirabilem, in ceteris quidẽ, sed in his etiã epistolis. Marcus quoq; Papa [a] scribit eius intercessione Romanã Ecclesiã permansurã semper ab hæresi liberam. Notatu itẽ dignũ, quod Stephanus Papa III. post literas ad opem à Frãcis contra Longobardos impetrandam, suo nomine missas, alias, nomine Petri misit Apostoli [b]. Petrus [c] Damiani sic scribit de Petri epistolis. Epistolæ Petri, & sublimis illa sermonum doctrina numquid non mirabiliter pascit Ecclesiam Dei?

Bonifacius Episcopus petit sibi epistolas Petri aureis literis describi.
y Tom. 9. Annal. pag. 19.
z 10. de Ciuit. c. 29.
a apud Atha.
b refert illas Baron. Tom. 9. pag. 215. & seq.
c To. 2. ser. 18. *Dicendi genus S. Petri quale sit.*

Dicendi porrò genus non eget declaratione: nam sicut & reliquarum Apostolicarum epistolarum, variũ est, mixtúmque, non simplex, vnúmve. Nunc demonstratiuè laudat, vituperat: nunc deliberatiuè hortatur, suadet, vel contrà: nunc iudicialiter accusat, damnat, &c. Nec vnum tractat solùm, siquidem vbi magnis laudibus extulit no-

uæ legis gratiam per Christum, inire cum Prophetarum, & veterum sanctorum scriptis, cōsentientem, vehementiùs hortatur ad constanter, & patienter eam complectendam retinendamque, etiam si multa ferenda sint, quia & præiuit exemplo Christus, pro nobis patiendo, & ingentes fructus afferunt toleratæ pro Christo tribulationes.

Subiicit deinde morum distinctam institutionem spectantem ad varios hominum gradus, statúsque Augustinus [a] Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ Apostolicas epistolas ait in id maximè dirigere intentionem, vt vehementer adstruant fidem sine operibus nihil prodesse, cū essent, qui fide homines absque operibus iustificari crederēt, & ad hoc Pauli abuterentur epistolis, vbi fidei tribuit plurimùm, & operibus detrahere videtur: de legalibus tamen loquens operibus, & de fide, quæ per charitatem operatur.

a Tom. 4. de fide & oper. c. 14. *Fidem sine operibus nihil valere hæ epistolæ adfirmant.*

Latini secant epistolam in quinque capita, Græci in octo: nostrorum summam apponemus cuiusque initio. Petrus [b] Aureolus, & Georgius [c] Ederos enucleatiùs, ac distinctiùs partes omnes proponunt. Quia porrò disponuntur in codice Bibliorum epistolæ Petri post epistolam Iacobi, sicut & ante Ioannis tres, vnámque Iudæ, Lyranus [d], & alij colligunt temporis etiam ordine tali scriptas esse. In secunda [e] certè Petrus indicat breui moriendum sibi esse, appellans velocē *depositionem tabernaculi sui*. Sed eam Baronius [f] scriptam vult anno Christi sexagesimooctauo. B Thomas, vel potiùs Thomas [g] Anglicus, de epistola Iudæ dubitat, sitne vltimum in locum reiecta, vel quia postremò edita, vel quia minoris famæ, & dignitatis. Hugo Cardinalis asserit primo loco Iacobi epistolam collocari, quia sit ad fideles conuersos de Iudæis: deinde Petri, quoniam ad illos, qui Iudæi primùm euaserunt ex Gentilibus, ac demum Christiani, postea Ioānis, eo quod scribat ad eos, qui sunt immediatè conuersi ex Gentilitate. Aliam in Commentario epistolæ Iudæ rationem idem Hugo dat ordinis, aliique, sed magis moralem, quàm ex re ipsa sumptam: magis ex etymologia nominum, quàm ex veritate rerū.

b in compen. Scriptu.
c in Oecon. Bibl. lib. 4.
d Prolo. ad 7. epi. Canoni. *Quo tempore scriptæ sint epistolæ Canonicæ.*
e cap. 1. 14.
f To. 1. Annal.
g in ep. Iudæ.

Arbitratur idem Baronius [h], primā editā Romæ anno Christi quadragesimo quinto, cùm adhuc ibi Marcus esset, cuius mittit salutationem, & sub nomine Babylonis intelligit Romam. Existimat præterea ex Hebræo translatam à Marco, idque vult Hieronymum innuere. Sed incertum puto: nec Hieronymus aliud scribit, quàm, duas epistolas, quæ feruntur Petri, stylo, & charactere discrepare, structuráque verborum, quæ sanè non magis respiciunt Latinum sermonem, quàm Hebræum: & vnus idémque interdum Auctor eodem scribens idiomate, non eundem tenet in omnibus scriptionibus stylū. Augustinus [i] vtramque Petri epistolam nominat ad Gentes: & separatim secundam [k].

h To. 1. Annal.
i tract. de sobriet.
k de ca. ad frat. mo c. 3.

Si dicto tempore scripsit hanc Petrus epistolam, erit prior omnibus epistolis Pauli, vt facili ratione demonstrari posset, posito primam ad Thessalonicenses ante cæteras Paulum scripsisse, idque anno Christi quinquagesimosecundo. Iacobi epistola videtur antiquitate prima, quoniam est aduersus exortam apud Samaritanos hæresim de fide, quod sine operibus sufficeret. De hac non ausim ita affirmare, nec vidi, qui quæstionem disertè proponat: etsi Feuardentius respondens Osiandro, neganti esse epistolam Iacobi, quod in ea quædam insint ex aliorum Apostolorum epistolis particulæ decerptæ, neget consecutionem, & concedat prius Iacobum legisse Petri, & Pauli epistolas, immò & Ioannis: quod sanè difficile videtur, cum credatur Ioannes ceteris longæuior vltimus scripsisse.

Iacobi epistola prima scripta.

Ceterùm quod Petrus [l] de Pauli epistolis asseruit *secundum datam ei sapiētiam scriptas esse, atque in eis quædam contineri difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant*, cōuenit etiam in Petri eiusdē epistolas, vt illas legenti constabit. Atq; vt modò de prima tantùm loquar epistola, vnum Arias Mōtanus locum ex capite tertio [m] testatur, quotquot in nouo Testamento sunt, difficillimum iudicari, quo pacto *in Spiritu Christus veniēs, prædicauerit his, qui in carcere erāt spiritibus, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca*: & cui similis in capite quarto [n] locus *de facta mortuis euāgelizatione, vt iudicarentur quidem secundum homines in carne: viuerent autem secundum Deum in spiritu.* Possumus adiicere, quomodo desiderent Angeli prospicere in Spiritum sanctum [o]: ipsi regale & sanctum Sacerdotium simus [p]: subdi debeant omnes regibus, ac ducibus [q]: fideles coniugio copulentur cum infidelibus [r], cunctos paratos esse oporteat semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de sua spe [s]: quid significet peregrinari in feruore, qui ad tentationem nobis fit [t]: iustum vix saluari [u]: senior Petrus, & conseniores an paris dignitatis sint [x]: Marcum qua ratione filium nominet [y]. Ecclesia in Babylone collecta quæ fuerit [z].

l 2. ep. 3. 15. 16.
m vers. 19 & seq.
n vers. 6.
o cap. 1. 12. *Loca difficilium epistolæ Petri.*
p cap. 2. 9.
q cap. 2. 13. 14.
r c. 3. 1.
s ibid. 15.
t c. 4. 12.
u ibid. 18.
x c. 5. 1.
y ibid. 13.
z ibid.

Erasmi testimonium si cui placet, de hac epistola hoc est, dignam profectò esse Apostolorum principe, plenam auctoritatis, ac maiestatis Apostolicæ; verbis parcam, sententiis differtam.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM.

Initio posita de more inscriptione, ac salutatione, gratias agit Deo pro vocatione illorum, quibus mittit epistolam, ad fidem, & vitam aeternam. Hanc ait acquiri per tribulationes, & vita munditiem. Ad utrumque conducere tum Christi exemplum, tum cogitationem de pretio sanguinis eius, tum praedictiones Prophetarum de futura salute, ac felicitate nostra.

Summarii capitis primi.

1 Petrus Apostolus Iesu Christi, electis aduenis dispersionis Ponti, Galatię, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ.

2 Secundùm præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam. & aspersionem sanguinis Iesu Christi: Gratia vobis, & pax multiplicetur.

3 Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.

4 In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cœlis in vobis.

5 Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.

6 In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.

7 Vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi.

8 Quem cùm non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata.

9 Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.

10. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.

11 Scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.

12 Quibus reuelatum est quia non sibimetipsis, vobis autē ministrabant ea, quæ nūc nūciata sunt vobis per eos, qui euāgelizauerūt vobis, Spiritu sācto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere.

13 Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in reuelationem Iesu Christi.

14 Quasi filij obedientię, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis.

15 Sed secundùm eū, qui vocauit vos Sanctū: & ipsi in omni cōuersatione sācti sitis.

16 Quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.

17 Et si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini.

18 Scientes quòd non corruptilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis.

19 Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.

20 Præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos.

21 Qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra, & spes esset in Deo.

22 Animas vestras castificātes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem diligite attentiùs.

23 Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum.

24 Quia omnis caro vt fœnum: & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit.

25 Verbum autē Domini manet in æternum, hoc est autem verbum, quod euangelizatum est in vos.

Vers. 1.] Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis dispersionis Ponti, Galatię, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ.

Vers. 2.] Secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi, Gratia vobis & pax multiplicetur.

NISI de Inscriptionibus, & salutationibus epistolicis primas dissetuissem Ioannis explanans epistolas: & in Actuum Apostolorum Commentario [a], locorum regionúmve quæ hic nominantur, topographiam attulissem, hic mihi diutius immorandum foret. De vocibus quoque Petri, & Apostoli Iesu & Christi satis multa posteriore loco [b]. Miror cur in editione Syriaca Titulus hoc modo ponatur. אגרתא דפטרס שליחא שמעון כיפא *agaretha depetros selicha semhhun chepha. Epistola Petri Apostoli Simonis Cepha.* Nam idem est Petrus quod Cephas, nec alius fuit de LXXII Discipulis, qui vocaretur Cephas, vt notat Hieronymus [c] contra Clementis Alexandrini [d] sententiam; Dorothei [e], & aliorum, qui forsan ad eam distinctionem confugerunt, ne Petrum à Paulo Antiochiæ reprehensum cogerentur fateri [f]. Sed frustra, quoniam Paulus annumerat columnis Ecclesiæ eum Iacobo, & Ioanne [g]. Martialis Apostolus Aquitanorum cognomen Cephæ gerit in epistolis. Suspicatur Aurelianus, qui vitam scripsit, in gratiam Petri, à quo baptizatus erat.

a cap. 1. 9. c. 16. & 7.
b Act. 1. n. 25. & alibi.
Petrus tamen fuit Discipulus Christi dictus Cephas.
c in cap. 2. ep. ad Gal.
d apud Euse. 1. hist. cap. 14.
e in Synopsi.
f Gal. 2. 11.
g ibidem 9.

Notatu dignum, quòd nec Iacobus, nec Ioannes, nec Iudas appellant se Apostolos, sed Paulus, & Petrus, quamuis eum ille titulum omiserit, vt & nomen proprium in ea, quam dedit Hebræis, ne ipsos offenderet, & quibusdam aliis de causis, quas alibi attigi. Paulum constat κατ᾽ ἐξοχὴν, & absolutè intelligi nomine Apostoli: Petrus, vt Apostolorum princeps, meretur particulariter dictam appellationem, sicut & Petri successorem solemus vocare Domnum Apostolicum, & sedem eius, sedem Apostolicam. In Catalogo quidem Apostolorum, vel quando pluribus nominatim connumeratur, primo ponitur loco Petrus, vt aliàs ostendi [h]: tamen Christus post resurrectionem iussit eam annunciari Discipulis, & Petro [i]; Petrum nominans vltimum velut egregium. Scio Sixtum [k] Senensem referre se in vetustis codicibus Latinis, Græcísque, Apostoli epithetum in Iacobi epistola reperisse: Metaphrastem [l] silentium tanti tituli modestiæ tradere.

Petrus & Paulus cur se Apostolos dixerunt.
h Act. 8.
i Marc. cap. vlt. 7.
k 7. Biblioth.
l de sanct. Iacob.

Pertinet ad Scriptoris fidelitatem proprium nomen adscribere, nec latere velle. Illud factitatum videmus à Prophetis, Euangelistis, Apostolis, & caute præscriptum in Indicis librorum Canonibus. Detegit aliquot Lucifugas bestias Feuardentius [m], hæreticorum, qui perniciosos libros suos alienis, & fictis nominibus contexerunt, aut omnino absque nomine vulgauerunt; quibus idcirco nomen nouum Neministarum possit conuenire, vel Homericum Οὖτις. Quamquam in epistolæ primæ Ioannis Præfatione causas alias attuli, cur suum ille nomen non apposuerit.

m in cap. 1. ep. Iacob.

Porrò illud proprium Pauli, vt se Apostolum dicat *vocatum* [n], vel *per voluntatem* Dei [o], vel *per Iesum Christum & Deum Patrem, non ab hominibus, neque per hominem* [p], *vel secundum Imperium Dei* [q], quoniam non solùm quādo Damasci vocatus est, simul eum destinauit Christus tamquam *vas electionis ad portandum nomen ipsius coram Gentibus, & regibus & filiis Israel* [r]: verùm etiam postea iussit segregari cū Barnaba [s], voluit honorificare ministerium suum [t], nec minor videri reliquis Apostolis, quos in hac vita Christus elegerat [u], quamuis alia ex parte minimum se pronunciaret, ac indignum tali nomine [x]. Sed & ob vocationem ipsius de cœlo putant aliqui, vt alibi notauimus, in imaginibus collocari Paulum ad Petri dexteram. Quando primùm cœperit vocari nomine Cephæ seu Petri, cùm antea diceretur Simon, quod promiserat Christus [y], non plane liquet. Id esse potuit, vel quando elegit Christus duodecim Apostolos, tuncque narratur quòd imposuit Simoni nomen Petrus [z]: vel quando ei dixit, Tu [a] es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; ita vt verba præcedentia per anticipationem prolata sint. Modestiæ verò adscribam quod non se Apostolorum Principem, vti verè ac iure poterat, non appellauerit.

Paulus se Apostolum vocatum dicit.
n Rom. 1. 1.
o 1. Cor. 1. 1. Eph. 1. 1. Col. 1.
p Gal. 1. 1.
q 1. ad Tim. 1. 1.
r Act. 9. 15. & 26. 16. & seq.
s ibid. 13. 2.
t Rom. 11. 13.
u 1. Cor. 9. 1. & seq.
x 2. Cor. 11. 5. cap. 12. 11.
1. Tim. 2. 7. 2. ep. 1. 1.
1. Cor. 15. 9.
y Ioan. 1. 42.
z Marci 3. 16.
a Matt. 16. 18.

Electis aduenis dispersionis.] Ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς. Syriacè לגביא וחותבא דזרעין *lagbe-naie vethauthaue dazribhin. Electis & aduenis qui sparsi sunt.* Vbi videntur, vt diuersi poni electi, & aduenæ, quasi fortasse primi denotent ex Gentilibus, secundi ex Iudæis Christianos: nam etsi vocationis, & electionis gratia conuenit vtriusque, proprio quodam modo primis magis, quia longiùs aberant, nec verum colebant Deum, nec legis veteris dispositionem habebant. Ad vtrosque scriptam epistolam existimo, non ad solos per prouincias Iudæos dispersos, qui euaserant Christiani, siue priùs nati Iudæi essent, siue de Gentilitate transissent ad Iudaismum, hinc ad fidem Christi. Nam Petrus [b] iis, ad quos scribit, sicut & Paulus [c] Oseæ accommodat verba [d]. *Et dicam, non populo meo, Populus meus es tu*: est verò probabilius locum de Gentilibus intelligi; vt demonstrat Ribera [e] huius quoque sectator opinionis de Petri epistola. Id ipsum confirmat testimonio expositorum Bedæ, Thomæ, Glossæ (sed loquuntur, vt etiam Hugo, de iis, qui à Gentilismo transierunt ad Circumcisionem, tum ad religionem Christianam.) Lyrani, item Augustini [f]. At Lyranus, vt & Carthusianus, Hesselius, Feuardentius, Ederus nostrant istam opinionem sequuntur, item Didacus Aluarus [g]. Præterea probat Ribera ex eodemmet Petro, cùm ait [h]: *Vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum*, at magis propriè Gentiles in tenebris dicuntur fuisse. Rursus [i]: *vt iam non desideriis hominum, sed voluntati Dei quod reliquum*

Ad quos scripta sit epistola.
b cap. 2. 10.
c Rom. 9. 25.
d cap. 1. 10.
e in Oseam.
f 22. con. Faust. 89. & 18. de Ciuit. c. 28.
g in c. 56. Esa. num. 8.
h 1 ep. cap. 2. 9.
i cap. 4. 2.

est, in carne viuat temporis: sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam.

Hieronymus [a], Athanasius [b], Didymus [c], Eusebius [d], Oecumenius [e] videntur de Iudæis ad Christum conuersis intelligere, quemadmodum & ex recentioribus Arias [f], Catharinus [g], Caietanus [h], Primaticius [i], Titelmanus [k], Salmeró [l]. Profert vltimus argumentum, & quia Petrus Circumcisionis, ac Iudæorum peculiaris Apostolus erat [m]: & quia liberatos dicit quibus scribit, *a vana conuersatione paternæ traditionis* [n], quasi Iudaicam significet, ad eum modum quo Paulus [o] *æmulatorem se testatur extitisse paternarum traditionum*: & quia eosdem hortatur *conuersationem inter Gentes habere bonam* [p]. Sed Christianos rectè distinguit Petrus à Gentibus, licet ex earum priùs numero fuerint, & omnibus viuendum est sanctè *in medio nationis prauæ & peruersæ* [q]: nec minùs paternæ traditionis vocabulum conuenit idololatriæ, quàm Iudaismo: denique sic Iudæorum Petrus assumpsit propriam curam, vt Gentilibus quoque prædicaret, & omnibus tanquam supremus Pastor præesset, quod sæpius docui in historia Apostolica.

Non improbanda Lyrani coniectura, tradidisse Petrum hanc epistolam Syluano, qui capite vltimo [r] eam pertulisse dicitur, quoniam obire, ac reuisere volebat prouincias, quæ hic nominantur, & in quibus olim cum Paulo prædicauerat, vt pote non alius à Sila, vt citato loco docuimus [s]. Quin etiam dispersionis nomen, quo contraria vtitur opinio, fauere potest, quatenus interdum sumitur non pro dispersis, & quidem Iudæis, vt vidimus Capite octauo [t] Actuum Apostolorum, patétque etiam ex epistola Iacobi [u], & ex psalmo CXLVI. [x] Sed pro loco, in quem alij disperguntur, vt apud Ioannem: *Num in dispersionem iturus est, & docturus Gentes* [y]? Sed & Hieronymus [z] Petrum docet locum illum Oseæ citasse de vocatione Gentium. Ambrosius planè consentit bis in opere de vocatione Gentium [a], docetq; de sui, ac futuri seculi Gentibus locutũ. Ponit id vt certum Cyrillus [b] Alexandrinus, & Origenes [c], & Augustinus [d], & Clemens [e] Romanus. Verùm hac de re iam priùs in præfatione diximus.

Tertullianus verò, Cyprianus, Hieronymus, Cassiodorus, aliique dum citant hanc epistulam, aiunt ad Ponticos esse scriptam. Sicut prima Ioãnis dicitur esse ad Parthos, videlicet ad omnes prouinciæ habitatores, non ad Iudæos dumtaxat ibi dispersos. Tandem totius Dominici gregis pastorem decuit Gentiles etiam scripto pascere, non Iudæos solos.

Mutauit postea sententiã Ribera in Commentario epistolæ ad Hebræos [f], propter verba ferè extrema epistolæ secũdæ, quibus auctoritate Pauli hortatur ad longanimitatem, sicut scripserat ille in certa videlicet quadam epistola ad illos scripta, quibus ipse scriberet, non tantùm in aliis ceteris epistolis, quæ tamen datæ sunt designatis quibusdam populis: illud verò, quòd hortatio continet, esse in epistolæ ad Hebræos capite decimo: quod item dicit Catharinus & Salmeron, Sixtus quoque libro septimo.

Addit populum Hebræum, licet semper sit vocatus Dei populus vsque ad aduentum Christi, postquam eum tamen reiecerunt, & crucifixerũt, sic appellari apud Danielem cap. 9. desiit, quemadmodum & in Apocalypsi cap. 2. vocantur Synagoga Satanę, qui se Iudæos dicebant. Agnosco & ego probabilitatem istius opinionis. Attamen putant alij denotari ea, quæ dicuntur in epistola ad Romanos cap. 2. de Dei longanimitate, & ita notatur locus ille ad marginem Bibliorum, de quo etiam Hugo intellexit, & Gagneius, & Oecumenius. Carthusianus licèt nullo indicato loco de epistola ad Galatas, quod item Salmeroni displicet: Caietanus de eadem, & ad Ephesios, & ad Colossenses, & ad Laodicenses, cùm & Petrus ad Asianos varios populos scribat. Verùm de Petri verbis loco suo plura.

Electis.] Electio vel est ad vitam æternam re ipsa consequendam, quæ dicitur quoque Prædestinatio: vel ad audiendum verbum, & legem Christi, atque ad aggregationem in Ecclesiam ipsius: vel ad officium, siue ministerium aliquod, vt Apostolatus, &c. De primis electis loquitur Christus, *paucos dicens esse Electos* [g], & tantam fore sub tempus iudicij, & Antichristi persecutionem, *vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam Electi* [h]: & quod *propter electos breuiabuntur dies illi* [i]: & *Angeli congregabunt eos in die iudicij à quatuor ventis, &c.* [k] & quod *ipse scit quos elegerit* [l], *& faciet vindictã Electorum suorum* [m]: & Paulus: *Quis accusabit aduersus Electos Dei* [n]? & , *Omnia sustineo propter Electos* [o]. Eadem ratione vocat idem Apostolus [p] Angelos *electos*, nempe sanctos, ac Beatos, & Christus tanquam primus Prædestinatorum, simul etiam propter dignitatem capitis, appellatur *Dei electus* [q]: & apud Esaiam [r] quem Matthæus affert, Deus de illo dicit: *Ecce puer meus, quem elegi* [s], &c. Idem iudicium de Christo, prout capite secundo [t] vocatur *lapis à Deo electus, & electus ex millibus* [u], sicut sponsa eius electa [x]; & de B. Virgine canimus, *Elegit eam Deus, & præelegit eam*, nempe ad Matris Dei dignitatem, ac proinde ad eximiam gratiam, & gloriam. In hac prima acceptione nomen electionis absolutè sumitur à Theologis differentibus de prædestinatione, sicut & à Paulo de eâdem agente in epistola ad Romanos [y].

De secundis accipio *genus electum*, sicut *& gentem sanctam*, de qua idem Petrus ibidem [z], fidem Electorum [a]: stulta, & contemptibilia mũdi, *quæ elegit Deus* [b]: eos, quos elegit Deus *vt essent sancti* [c], &c. Seu qui appellantur electi Dei sancti [d]: vel qui sunt electi in salutem, in sanctificationem Spiritus, & in fide veritatis, & vocati per Euangelium in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi. Nam [e] non quotquot vocantur, & eliguntur hoc modo, pertinent ad Electos primi generis: siquidem Christus ex duodecim quos elegerat, affirmauit vnum esse diabolum [f], & *filium perditionis* [g]. Immò de hac electione, & vocatione Petrus loqui creditur, cùm hortatur, *vt satagamus per bona opera certam illam facere* [h]. Potest id confirmari ex populo Hebræo, quem & elegisse scribitur Deus [i], & ipse vicissim Deum [k], & appellatur vinea electa [l].

De tertiis aperta mentio, quando agitur de Apostolorum [m] electione, vel Diaconorum [n], vt omittam Mosem [o] electũ, & Aaron [p], & Iacob [q], & Dauid [r], & Paulum vas electionis [s]. Lege quæ notata sunt ad epistolam Ioannis secundam, quæ mittitur Electæ dominæ. Hoc loco Electos Petrus intelligit secundi generis, non enim solis scribebat prædestinatis, vel omnes sciebat esse prædestinatos: vel si sciuisset, id its expressisset. Idem dico de Ephesiis, Colossensibus, Thessalonicensibus, quos item Paulus electos nominauit [t]. Ad

Marginal notes (left): a de Script. Eccle. b in Synopsi. c in Comment. d 3. hist. c. 5. & 4. e in Comment. f ibidem. g ibidem. h ibidem. i ibidem. k ibidem. l ibidem. m Gal. 2. 7. 8. n 1. epist. 1. 16. o Gal. 1. 14. p 1. ep. 2. 12. q Philip. 2. 15. — *Syluano epistola hæc fuit tradita.* — r vers. 12. s Act. 15 & 16. t vers. 4. u cap. 1. 1. x vers. 2. y cap. 7. 35. z 2. com. Oseæ. a lib. 1 c. 3. & 5. b lib. 1. in Ioan. cap. 8. c homil. 9. in Leuit. d 20. de ciu. cap. 10. & 21. con. Faust. ca. 89. e 3. Constit. c. 25. f in Proœ. c. 2. — *Hebræus post Christi necẽ non est Dei populus.*

Marginal notes (right): *Electio multis modis dicitur.* — g Mat. 20. 16. c. 22. 14. h Mat. 24. 24. i ibidem 22. k ibidem 31. l Ioan. 13. 18. m Lucæ 18. 7. n Rom. 8. 33. o 2 Tim. 2. 10. p 1. Tim. 5. 21. q Lucæ 23. 35. r cap. 42. 1. s cap. 12. 18. t vers. 4. & 6. u Cant. 5. 10. — *Mater Dei à Deo electa.* — x ibid. c. 6. 8. y cap. 9. 11. c. 11. 5. 7. 28. z cap. 2. 9. a Tit. 1. 1. b 1. Cor. 1. 27. 28. c Ephes. 1. 4. d Coloss. 3. 12. e 2. Thes. 2. 13. f Ioan. 6. 71. cap. 15. 16. 19. — *Electi non omnes sunt ad gloriam.* — g Ioan. 17. 12. h 2 ep. 1. 10. i Deut. 4. 37. cap. 7. 6. 7. k Deut. 26. 17. l Ierem. 2. 21. m Luc. 6. 13. Ioan. 6. 70. c. 15. 16. 19. Act. 1. 2. 24. c. 15. 7. n Act. 6. 5. o Psal. 105. 23. p Psal. 104. 26. q ibidem 6. r Psal. 77. 70. s Act. 9. 15. t Citat. suis locis superius.

hunc modum nominat idem Petrus infrà Ecclesiam, *quæ erat in Babylone coelectam* [a].

Conuenit maximè vocabulum hoc diuinæ gratiæ, per quam eligit nos Deus, non eligimus nos illum [b]; & eligit non propter merita nostra, sed propter beneplacitum voluntatis suæ, non modò si de prædestinationis electione agatur, sed etiam si de alia; quæ eadem est cum vocatione. Attendit box Ambrosius [c], etsi non negat vocationis, gratiæque necessariæ, ac sufficientis donum omnibus exhiberi, vt sanè non oportet negare.

Augustinus [d] queritur de Manichæis, qui eminentiores iustos suos Electos nominabant, reliquos tantùm Auditores, cùm omnes tamen sancti sint Electi: *Non communicabo* (inquit verbis Psalmi) *cum Electis eorum* [e]. Vbi nihilominus iuxta litteralem sensum, Electi significant eatmioa, vt nobiliores, ditiores, potentiores, quemadmodum & aliis [f] locis; vel res peccatorum selectiores, iucundiores &c. Sed & alia notio est pro puris & sanctis, verbi gratia ibi [g]: *Cum electo electus eris.*

Plures exponunt eo modo, quem dixi, & omnium optime Catharinus, & Salmeron explicat. Feuardentius autem de Prædestinatione, atque etiam Gregorius [h] de Valentia, & pauci fortitan alij.

Aduenis.] Παρεπιδήμοις. Sic in capite secundo [i]: *obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos*, ὡς παροίκους, καὶ παρεπιδήμους: in epistola verò ad Ephesios [k]: Iam *non estis hospites, & aduenæ*: ξένοι, καὶ πάροικοι, & ad Hebræos [l]. *Confitentes quia peregrini, & hospites sunt super terram.* ξένοι καὶ παρεπίδημοι. Obseruat Oecumenius non idem significare παρεπίδημον, & μετοίκον. Sed hunc eum, qui aliunde vltrò aduenit, dicique potest ἐπίδημος: per priorem denotari, qui obiter, & præter propositum, & non solùm dedita opera aduenit.

Comparat hæc nomina ἐπιδήμει, & παρεπιδήμει cū vocibus παρὰ, & πάρεργον vna ex parte, & ex alia cum simplicibus ἔδω, & ἔργον, ex quibus componuntur, & vt quid prioribus adiacens, atque minus principale designant. Explicat autem hic aduenas dici, vel ob dispersionem Iudæorum, vel generaliter, quia omnea, qui secundum Deum viuunt, peregrini in terra appellari consueuerūt: quemadmodum se Iacob [m], & Dauid [n] appellant, & Paulus [o] ait nos *peregrinari à Domino*, & *futuram ciuitatem inquirere* [p]: quamuis propter proximum ius ad illam, quod per Christum consecuti sumus, & ob intimam veluti familiaritatem cum his, quæ ad veram religionem spectant. Idem citata epistola ad Ephesios, negat nos hospites & aduenas. Lyranus confundit aduenam eum proselyto, qui, vt aliàs [q] docui, propriè significabat ex Gentili Iudæum, qui nonnunquam Latinè vocatur aduena, vt Nicolaus Antiochenus [r]. Sed ipse sumit hoc loco pro eo, qui de Gentilitate trāsibat ad religionem Christianam. Maior pars aliorum expositorum aduenas intelligit Christianos dispersos ob persecutionem post mortem Stephani [s], & aliis modis. Id & ego sentio: sed ita, vt nō propriè de solis, qui ex Iudæis facti sunt Christiani, vel qui potius ex Gentilibus Iudæi. Itaque licèt omnibus commune sit hospitari, diuersari, peregrinari, in vita ista, vt cōstat, & Augustinus [t] eleganter demonstrat, & nos alibi ostendimus: nihilominus non horus solius communis peregrinationis habuisse rationem Petrum puto: de qua etiam Didymus, & passim reliqui: quàquam solam Hessėlius ac Feuardentius agnoscunt; sed iudicare voluisse peculiarem statum Fidelium sui illius temporis, qui maxima ex parte abdicando se rebus suis, consebantur peregrinantium more viuere, aut ob persecutiones cogebantur huc illuc migrare sedibus propriis relictis: tunc verò cùm scribebat iis, erant in prouinciis, quas nominat, & ad quas profecturus erat Syluanus.

Dispersionis.] Διασπορᾶς. Sic Iacobus [u] duodecim Tribubus quæ sunt in dispersione, ἐν τῇ διασπορᾷ. Syriacè דזרוען בעמםא *da-Zrihhin beh'amme*, *quæ dispersa sunt in gentibus*, vel populis, vbi nomen Tribuum Hæbræos satis designat. Dispersionis autem vox Gentiles, quoniam populo Hebræo certa prouincia erat assignata ad habitandum. Quare, vt antea docui, ex dispersione non licet argumentari scriptam esse epistolam ad Hebræos factos Christianos. Addi potest ex Ioanne [x]: *Vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum*: & ex Esaia [y]: *Qui congregat dispersos Israel, adhuc congregabo ad eum congregatos eius*; & ex Psalmo [z]: *Dispersiones Israelis congregabit*. Israelis secundum Spiritum [a]. Lege quæ dixi capite octauo Actuum Apostolorum [b].

Ponti, Galatiæ, &c.] Monui me de his prouinciis alibi egisse. Hoc nunc notandum, Oecumenio placere, non poni Pontum, vt distinctā prouinciam, sed per Pontum restringi Galatiam, ita vt sit nulla epistola ad Galatiam Ponti, nō ad Galatiam, quæ vocatur etiam Gallia, vnde Galatæ illi alij duxerunt originem. Quidquid sit de Galatis ortundis e Gallis, déque Galliæ, & Galatię nominibus, de quibus dixi alias [c]: veteres Latini, vt paulo quoque antè memini, epistolam illam vocant sub titulo ad Ponticos. Idcirco Pontus, & Galatia sunt æquè diuersæ prouinciæ, vt Asia, & Bithynia. Certe nusquam alibi legitur Galatia Pōti. Sed nec Galatia, quę Gallogræcia dicitur alio nomine, regio Ponti est: verùm habet Pontum adiacentem a Septentrione. Asia potiò non sumitur hic pro maiore, sed specialiter pro ea quæ circa Ephesum est; qua inter alias, comprehendebantur septem Ecclesiæ, ad quas in Apocalypsi [d] scribere Ioannes iussus est. Eadem est Asia, quæ nominatur in cap. 2. [e] Act. Apostol. & in 16. [f] & in 19. [g]

Bithyniæ.] Hic aliquando vetitus est Paulus cum Timotheo prædicare, sicut & in Asia [h]. Potuit tamen ibidem, vel idem, vel alius postea prædicauisse, antequam Petrus mitteret epistolam. Diuino consilio factum puto vt caput Ecclesiæ scriberet ad Bithynos, in quorum prouincia longè pōst celebratum est primum œcumenicum Concilium, & ad alios Orientales populos, vt hac ratione magis continerentur in obedientia, & vnione Ecclesiæ Romanæ, nec adeo facilè discessionem, & schisma facerent ab ipsa. Paulus verò etiam præter epistolas ad Ecclesias Orientis, vnam dedit ad Romanos, quoniam quamuis dignitate capitis Petro inferior, Apostolatus gradu par erat, & sollicitudinem gerebat omnium Ecclesiarum [i]. Cassiodorus [k] scriptam ad Gentes vocat epistolam.

An autem Petrus præsens his populis prædicauerit, non satis constat. Paulus [l] scribens *se prædicasse vbi nominatus non fuerat Christus, ne super alienum fundamentum ædificaret*, eum prædicauerit nonnullis ex his, qui hic memorantur, indicat tunc

---

a cap. 5. 13. Electos conuenit maximè donum gratiæ. b Ioan. 15. 16. c l. de vocat. Gent. cap. 5. d in Psal. 140. & de hæres. in 46. e Psal. 140. 4. f Psal. 77. 31. g Psal. 17. 27. h part. disp. 8. q. 23. pun. 6. i vers. 11. k cap. 2. 19. Hospites & peregrini quomodo sint. l cap. 11. 13. m Gen. 47. 9. Qui secundum Deum viuunt, peregrini sunt. n Psal. 38. 13. Psalm. 118. 19. Psalm. 119. 5. 1 Paral. 29. 15. o 2. Cor. 5. 6. p Heb. 13. 14. q Act. 2. 11. r Act. 6. 5. s Act. 8. t serm. 32. de ver. Dom. & q. 3. ad Leuit. u cap. 1. 1. Nomen fidelium illius temporis. x cap. 11. 52. y cap. 56. 8. z Psal. 146. a Gal. 4. 23. b vers. 1. 4. c Act. 16. 6. d c. 1. 4. e vers. 9. f vers. 6. g vers. 10. h Act. 16. 6. 7. Primū Oecumenicū Concilium in Bithynia celebratum. i 2. Cor. 11. 28. k de diuin. lect. c. 14. Petrus an in his prouinciis prædicauerit. l Rom. 15. 20.

tunc saltem non prædicasse Petrum. Leo Papa [a] primus scribit fūdasse Antiochenam Ecclesiam, erudiuisse populos, qui ea circumcisione crediderant: Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam legibus Euāgelicæ prædicationis impleuisse. Quæ postrema verba prorsus indicant ibi prædicasse, quia epistolas in vrbe Roma scripsit: subdit verò Leo post illa alia, quæ enumerauit de Petro, Petrum Romam venisse. Porrò Paulus solùm ait se ita prædicasse, vt etiam prædicauerit, vbi alij non prædicauerant: non quòd non ibi quoque, vbi & alij, quod est omnino certum, vt de Iudæa ipsa &c. Lege Toletum [b]: vel vult tantùm se vbi alij priùs prædicauerint, nolle sic prædicare, quasi prima iaceret fundamenta, sed tantùm confirmare, prout significauit Romanis eādem epistola [c], iudicans, Romæ ante ipsum alios prædicasse, nempe Petrum. Hieronymus [d] tradit eas prouincias Petrum peragrasse, suáque prædicatione Ecclesiæ Christi coniunxisse: Epiphanius [e] sæpe Pontum & Bithyniam visitasse. Graues iis in locis persecutiones excitatæ videntur, præsertim aduersus ea Circumcisione fideles: Petrus autem, vt dictum est, peculiaris erat Apostolus Circumcisiònis, omniúmque fidelium pastor.

a serm. 1. de Pet. & Pau.
b Rom. 15. annot. 15.
c c. 15. ca. 15. 25.
d 1. contr. Iou.
e hæc. Carpocrat.

Secundum præscientiam Dei Patris.] Κατὰ πρόγνωσιν, &c. Alij [f] libri: (Κατὰ πρόθεσιν, *secundum propositum.* Latini fere omnes hæc ad electos aduenas referunt, & præscientiam sumunt pro prędestinatione, iuxta illud: *Quos præsciuit, & prædestinauit* [g], &c, *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* [h]. Cōsentit ex Græcis Didymus in Commentario. At Oecumenius hæc atque sequentia referri vult ad Petrum, qui se dicat Apostolum, seu missum secundum pręscientiam Dei, ac ideirco nonnisi tempore posteriorem Prophetis, etiam Esaia, qui [i] se missum scripsit, etiam Ieremia, qui [k] se priusquàm formaretur in vtero, cognitum, & sanctificatum. Eadem ante Oecumenium expositio Cyrilli [l] Alexandrini.

f in nouo Testam. Robert. Stephan.
g Rom. 8. 29.
h Ibidem 11. 2.
i cap. 61. 1.
k cap. 1. 5.
l de Recta fide ad Reginas.

Prædestinatio quomodo hic accipiatur.

Sed iuxta priorem magis communem expositionem non erit necessariò accipienda prædestinatio de toto diuinæ prouidentiæ ordine vsq; ad realem consecutionem beatitudinis: sufficiet accipere pro voluntate, ordinatione, vocatione cum mediis ad dictam beatitudinem sufficientibus, vt constat ex his, quæ antè diximus de Electis.

Sequitur porrò, etiam perfectam illam adultorum prædestinationem esse secūdum pręscientiam boni vsus liberi eorum arbitrij, etsi non vt causam, sed vt conditionem, & medium. Sed quia cum Deus præuidisset, & pręsciuisset futuros pro sui libertate arbitrij conformes imaginis Filij sui, posito quòd ipse illos iuuare vellet per propriam misericordiam suam conuenientibus auxilia, prædestinauit vt essent tales, decernendo illis dare auxilia illa. Hinc præterea fit, vt quamuis præscientiæ nomen, simpliciter & absolutè positum apud Scholasticos soleat vsurpari pro reprobatione, & Præsciti dici Reprobi, vt denotetur ex parte Dei non esse propriè causam, sed quia præscit peccati finalem statum in hoc, aut illo, reprobare, & ordinare ad æternam damnationem; tamen præscientia quoque, & præscire significent prædestinationem, & prædestinare, prout nempe ad adulti prædestinationem requiritur non sola Dei electio iuxta propositum, voluntásque dandi auxilia, quibus præscit prædestinatum liberè peruenturum ad beatitudinem, verùm etiam præscientia ipsa, quòd talibus auxiliis ita sit vsurus, vt ad illam perueniat. Docuit Augustinus [m] præsciētiam interdum poni pro scientia approbationis, quæ idem est, atque prædestinatio. Origenes [n] quoque notauit, præsciendi verbum in bonam partem sumi. malos Deum nec scire quidem dici, quia scientia habeantur indigni, licet illam non effugiant. Quomodocumque autem præscientiam accipias, rectè Didymus admonet, nil aliud esse nisi contemplationem futurorum in Deo, & scientiam dici, dum quæ prius contemplata sunt, veniunt ad effectum: atque sic abijci fabulam Manichæorum de naturis: nimirum, vt existimo, quòd nonnullas æternas facerent, vt Materiam, & quem vocabāt Deum malum. Porro præscientia, & electione gratiæ, vt Augustinus Sixto Papæ scribit [o], *eligendos facit Deus, non inuenit.*

Præscientia & prædestinatio idem significat.
m de bono perseuerant. c. 18.
n in c. 8. epist. ad Rom.
Deus eligendos facit, non inuenit.
o epist. 105.

Dei Patris.] Patris frequenter tribuitur peculiari quodam modo nomen Dei, quia est origo Deitatis: de eodem præscientia, prædestinatio, prouidentia, gubernatio, sicut & potentia per attributionem dicitur, vt docuimus alibi [p], declarātes quare solus dicatur, *Iudicij diem nosse* [q]: *ipsius esse parare sedes in regno* [r]: *posuisse in sua potestate tempora, & momenta* [s]. Præterea declarauimus [t] vocem Patris, vt est essētialis, & notionalis: & priore modo dici Deum patrem non tantùm creaturæ rationalis, sed nonnumquam etiam irrationalis, vt pluuiæ [u], &c.

p Act. 1. 4.
q Matth. 24. 36.
r Matt. 20. 23.
s Act. 1. 7.
t Act. 1. 4.
u Iob 38. 28.

In sanctificationem Spiritus.] Ἐν ἁγιασμῷ Πνεύματος, *in sanctificatione Spiritus.* Tertia Trinitatis persona cur appelletur Spiritus sanctus, & auctor dicatur sanctificationis, alias notatum est. Hæc autem, & sequentia verba, vel intelliguntur de Petro, vel de aliis, prout ante monuimus. De Petro sic explicant Oecumenius & Cyrillus [x], vt exprimatur his, & aliis verbis modus Apostolatus eius quis sit, & hic finis illius, vt per spiritualia dona gentes segreget Cruci, & passioni Christi obedientes (gentium vocabulo pro Iudæis abutitur, ad quos destinatam putat epistolam, vt vidimus) aspersas sanguine eiusdem.

x de Fide ad Reginas.

Reliqui expositores interpretantur Electis, & vocatis propositum, & datum beneficium sanctificationis, vt sint sancti, ac iusti per donum Spiritus sancti. Perinde verò siue sanctificationem actiuam, siue passiuam intelligamus, qua scilicet Spiritus noster, & anima sanctificetur. Mauult Salmeron passiuam, quia deest articulus nomini πνεύματος. At articuli Græci non semper attendendi: præstátque cum ceteris personam hic tertiam Trinitatis agnoscere, vnà cum prima priùs commemorata, & secunda, quæ sequitur. Catharinus, & Caietanus permittunt quidem vt de passiua significatione intelligamus: nec tamen præponunt alteri expositioni. Dici quoque posset, indicari sanctificationem propriam legis nouæ, quæ non est carnis, sicut in vetere, sed Spiritus, vt obseruat Thomas Anglicus.

Ceterùm interpres vertit in Accusandi casu *in sanctificationem*, non, vt est Græcè, *in sanctificatione*: tum quia quæ sequūtur, in eodem casu sunt: tum vt intelligantur beneficia Electorū propter quę, & ad quæ sunt electi. Meminit Carthusianus vtriusque lectionis Latinæ: In Glossa verò ad margině alia notatur (per satisfactioně) sed est prorsus inutilis hæc vltima. Conferri potest hic locus cum alio Pauli [y], *Elegit vos Deus primitias in salutem,*

y 2. Thess. 2. 13.

tem,in sanctificatione Spiritus, & fide veritatis: vbi est ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, sicut hic, & vtrobique per hypallagen intelligitur electos esse in spiritu sanctificationis, seu in spiritu sanctificante, & per Spiritum sanctificationis, & vt essent sancti. Sic verò Patri priùs nominato tribuitur electio ac dilectio: Spiritui S. sanctificatio: Filio redemptio, de quo mox mentio fit.

In obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi.] Vel ideo Petrus se Apostolum, ac nullum scribit, vt obed at Deo Patri, homines illi segregando in Spiritu, & reddendo obedientes eos, qui aspersionem sanguinis Iesu Christi expiatricem admiserint, vt ait Cyrillus, & Oecumenius: vel ad hoc electos esse, quibus scribit, vt sanctificari in Spiritu, & per gratiam sanctificantem Spiritus sancti, obediant diuinis præceptis, memores Christi sanguinis, quo sunt aspersi, & abluti in baptismo, atque per eiusdē merita redempti, & ex illo fructū percipientes magis magisque, vt ceteri declarant ferè omnes. Tertius sensus Lyrani, Caietani, Feuardentij, quòd sanctificatio in Baptismo, aliisve Sacramentis confertur, & Sacramenta vim habent ab obedientia Christi, vsque ad mortem Crucis, & à sanguine in eis spar so, per quem obedientiam iusti constituuntur multi, hi scilicet quibus aspergitur sāguis Christi cum applicatione meritorum ipsius, & tanti pretij. Omnia vera: sed quod secundo continetur sensu, magis accommodatum.

Quocirca supersedeo de Obedientia Christi agere, déque præcepto moriendi, quod accepit, & quo pacto liber in eo fuerit. Legendus B. Thomas, eiúsque Interpretes, & maximè Suarez, Valentia, Medina.

Primum, quod à sanctificatis exigitur, obedientia est, cuius primi parentes prævaricatores fuerunt, & per eam peccatores constituti sumus, ac per eam, quam exercuit Christus, debuimus iustificari. De hac obedientia passiua quam requirit Deus à nobis, id est vt ei obediatur, credendo, ac fidei consentanea opera faciendo meminit Paulus crebrò, rursum Petrus, & historia Apostolica.

Aspersionem sanguinis Iesu Christi.] Præfiguratus est hic sanguis non in Abel tantum, & in victimis sub lege naturæ, sed exteritis in iis, quæ mactabantur in lege scripta, in sanguine quo linebantur postes, & superliminaria Hebræorum, dum exterminator Angelus cædebat Ægyptiorum primogenita: in eo, quo altare, liber legis, sacræ vestes, Hebræi aspergebantur: in eo, qui de vacca rufa fusus contra fores tabernaculi respergebatur: denique sine sanguinis effusione non fit remissio. Hinc est sanguis fœderis: hoc Dauid aspergi volebat cum hyssopo, vt mundaretur. *Si peccata nostra fuerint vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt:* hoc est, vt exponunt Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Basilius, si rubuerint sanguine Christi penitus abluentur. Eodem sensu explicat Origenes Ecclesiæ stolam lauari in vino, in sanguine vuæ pallium: quod eidem etiam placet Augustino & Ambrosio. Id ipsum videtur Esaias innuere scribens de Christo: *Iste asperget gentes multas.*

Ex hoc loco Cyrillus probat diuinitatē Christi, quoniam sanguine suo credentes in ipsum emundat, & spiritu proprio sanctificat. Tropologiam notat Oecumenius in sanguinis mentione, vt qui obedi erēt Magistri vestigia sequuntur, prorsus ipse etiam si opus fuerit non abstineat, quin proprium sanguinem pro eo effundat, qui suum pro totius mundi salute effudit.

Hoc interpretantur Basilius, Theodoretus, Prosper, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Cyphaous, & alij permulti esse *accipere calicem salutaris, vt Deo retribuantur pro omnibus quæ retribuit nobis*. De Calice Christi, & sanguine redibit postea sermo.

Existimo aspersionis vocabulo innui & eam, quæ fiebat sanguine agni, vt dixi, aliarúmque victimarum: & modum baptizādi per aspersionem, quæ similis item est aquæ lustrali, qua leprosi domus aspergebatur.

Gratia vobis, & pax multiplicetur.] De hac imprecatoria salutatione lege, quæ diximus in Commentario secundæ Ioannis epistolæ: & quemadmodum Ignatius exemplo Petri, cui post Euodium successerat in sede Antiochena, eādem vtetur, vt etiam Gregorius meminit: sed in fine, vt item facit vterque tum Petrus, tum Ignatius. Gratiam solent intelligere de remissione peccatorum, pacem de reconciliatione cum Deo: quoniam *iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum*: vel de diuinis muneribus huius, & futuræ vitæ. Paulum quoque monui hæc eadem ponere in epistolis: aliquando addere misericordiam, vt ad Timotheum, Ioannem in secunda eodem pacto, atque Iudam: cum tamen in Apocalypsi Ioannes retineat ordinariam formam: Iacobum solam salutem precari, per verbum ompe Græcum χαίρειν.

Quocirca non facit valde ad rem, quod obseruat Hugo sub salutis nomine cetera comprehendi: sed quia salus denotat rem, vt est in nobis, pax, vt a Deo, Iacobum pię se ferre in oratione humilitatem, Petrum indicare vniuersalem suam auctoritatem. Basilius notans hanc salutationis formulam in Petro docet quanti referat pacis benedictio, quam psalmus ponit, quem exponit. In sanctis congregationibus iuxta legem quamdam Ecclesiæ traditam, scribit Cyrillus, & sæpius ad inuicem dicimus: pacem enim & ad nos, & ad Deum habere, fons & origo omnium bonorum est.

Multiplicetur.] Nashobrin Syriacè additur לותכון lenathechun, apud vos: idem autem verbum Interpres in epistola secunda Petri, & in epistola Iudæ reddit *adimpleatur*, quare nullum est discrimen, quod Hugo inter Petrum, & Paulum attendit, vt Paulus in salutando non ponat verbum multiplicandi, quasi hoc modo denotetur, vt ipse dicit, maior generalitas Petri. Non indicat porrò solùm sequentis vitæ tempus, vbi pax, gratiáque cum cumulo, & perfectione erit: sed præsentis etiam, in qua magis magisque proficere possumus, nec dicere vnquam, satis est, debemus, quod dicebant, docebántque Begardi, & Beguinæ, statuentes nobis certos fines, vltra quos progredi non liceret, ita vt hic redderemur impeccabiles, immò & beati, nec legibus subiecti. Totæ Apostoli epistolæ (Pauli nempe) inquit Hieronymus disputans contra negantes quibusdam peccatis pœnitentiam, Christi gratiam insonant: & ne parum videretur simplex gratiæ nuncupatio, *gratia*, inquit (scilicet hoc loco Petrus) *& pax multiplicetur*. Multiplicatio promittitur, & à nobis paucitas affirmatur. Quamquam si de sola pace agimus, hac salutandi formula v-

sum

Rom. 1. 4. Ephes. 1. 4.
c Philip. 2. 8. d Rom. 5. 19.
e 3 par. q. 50. & 47. art. 2. f Tom. 1. disp. 41. Obedientia est primum quod a sanctificatis exigitur. g ibid. h ibid.
i Rom. 1. 19. k Rom. 1. 10. & 16. 26. 1 Cor. 15. l cap. 6. 19. 2 Cor. 2. 9. 13. Gal. 5. 7. m Philip. 2. 12. 2 Thess. 1. 8.
n Gen. 4. 8. o Exod. 12. p Exod. 24. q Num. 19. r Hebr. 9. s Exod. 24. Matth. 26. t Psal. 50. 9. u Esa. 1. 18. x 4. con. Marc. 10. y 2. con. Iud. z cont. Faust. a in Esa. cap. 1. b Homil. 17 in Gen. c Gen. 49. 11. d de bened. Patriarch. e de benedictio Patriarc. f cap. 52. 15. g de Ritu ad Regin.
h in Psal. 115. i ibid. k ibid. l ibid. m ibid. n lib. 1 in c. 6. Luc. o ibid. p Psal. 115. 12.
q Num. 19. 6. ac seq. Leu. 14. 6. & seq.
r lib. 4. Ind. 24. epist. 37.
s Rom. 5. 1.
t homil. in Psal. 28. Pax habet ad Deum & ad nos fons bonorum. u in Ioan. c. 7. & lib. 11. c. 33 & 14.
x cap. 1. 2. y vers. 2.
z Clem. ad nostram de hæret. a 2 con. Iou. in princip. & ep. 49.

ſum quoque legimus[a] Nabuchodonoſorem Regem. *Pax vobis tota ſplicetur*, & Darium[b]: Εἰρήνη ὑμῖν πληθυνθείη, Chaldaicè שלמכון ישגא *ſelamechun iſghe*, Pontifices poſteriores in titulis epiſtolarum nonnumquam ſunt imitati Petrum. At Clemens nunc dixit: *Pax tibi*[c]. nunc *benedictio, claritas, & gloria in gratia Dei, qua data eſt nobis in Chriſto Ieſu Domino noſtro*[d]. Anacletus cum gratia, & pace conſolationem adiunxit, deprecans pariter hæc multiplicari[e]. Euariſtus de ſola ſalute meminit[f], ſicut & Sixtus primus[g], & quidem in Domino[h]: quo item modo Teleſphorus[i], Higinus[k] Pius I.[l] Anicetus, Soter, Eleutherius, Victor, Zepherinus, Callixtus I. Pontianus, Anterus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus II. (etſi in prima ponit, intimæ charitatis ſalutem, & alij deinceps multi. Gregorius autem VII. *Salutem in Chriſto Ieſu, vel in Domino Ieſu Chriſto.*

Alexander Primus pacem, & miſericordiam multiplicari precatur, & ſapientiam, atque bonam voluntatem augeri, & fructificari in Domino[m]. Vrbanus autem I. tranſcribit epigrapham Petri paucis mutatis[n]: *Vrbanus Epiſcopus, omnibus Chriſtianis, in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſalutem* Martinus I.[o] amplectitur inſcriptionem primæ ſimul, ac ſecundæ epiſtolæ: alias primæ[p]. Primus, quod ſciam, Leo IX.[q] formulam vſurpauit, quæ frequentius poſtea retenta eſt: *ſalutem, & apoſtolicam benedictionem*: poſt hunc Leonem vſus ea legitur Gregorius VII.[r] & alij. Fortaſſis poſuerunt ſalutem more ſcribentibus omnibus more: per Apoſtolicam autem benedictionem voluerunt intelligi, quam Petrus adhibuit.

Salmeron quærit, cur Petrus non fecerit mentionem de Pontificatu, ſiue de primatu, & paſtorali cura ſuper Eccleſiam totam, vt alij Pontifices fecerunt. Nam aliqui abſolutè nominant ſe Epiſcopos[s]: quidam vrbis Romæ, vel Romanæ Eccleſiæ [illegible], aut Epiſcopos[t], aut Archiepiſcopos[u]: alij [illegible] ſede Apoſtolica Domino ſeruientes, vel conſtitutos à Domino[x]: vel Apoſtolicæ ſedis Archiepiſcopos[y]: nonnulli Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopos[z]: vel Catholicæ Eccleſiæ vrbis Romæ Archiepiſcopos[a]: ſeu ſanctæ Apoſtolicæ, & vniuerſalis Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos[b]: aut ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ vrbis Romanæ Epiſcopos[c]: aut Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopos[d]: aut ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopos[e]: aut Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos[f]: aut Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis Epiſcopos[g]: aut Papas ſanctæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ, primæque Pontifices ſedis[h]: aut ſanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos[i]. Rurſus aliqui appellant ſe ſanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopos[k]: ſanctæ, & Apoſtolicæ, & Catholicæ vrbis Romæ Epiſcopos[l]: ſanctæ Romanæ, Apoſtolicæque ſedis, & vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopos[m]: Epiſcopos Italiæ[n]: Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos[o]: Romanæ, & vniuerſalis, Catholicæque Eccleſiæ Epiſcopos[p], & ſi qui alij ſunt tituli.

Gregorius I. ſeruum ſe ſeruorum Dei nominat, & poſt ipſum ferè cæteri: ſed lōgè ante illum Damaſus quoq;[q], quo licet humili epitheto, indicatur tamen generalis cura totius Eccleſiæ, & omnium ſeruorū Dei, ſed ſimul annectit Damaſus, atque per gratiam eius Epiſcopus ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ vrbis Romæ: Martinus I. addit, atque Apoſtolicæ.

Reſpondet ad quæſtionem Salmeron, primò videri Petrū ſupremæ illius auctoritatis ſuæ meminiſſe, quando ſeniores, paſtoréſque adhortatus, conſeniorem ſe nominauit[r], & docuiſſe vt cui Chriſtus imperauerat paſcere oues[s], paſtores de ſuo munere moneret. Atqui Paulum idem feciſſe legimus, conuocatis ex Aſia presbyteris & Epiſcopis[t]. At deinde contentum fuiſſe claris teſtimoniis Chriſti, de clauibus ſibi traditis[u], de confirmandis ab ipſo fratribus[x], de paſcendis ouibus[y]: præterea maluiſſe more cęterorum Apoſtolorum, quibus præerat, agere, præ ſe ferendo modeſtiam, atque per orbem diſcurrendo, non certo in loco conſiſtendo, & pro auctoritate fixè conſidendo. Poſtremò, quoniam, ſi epiſtolas condidiſſet vt Pontifex, & Chriſti Vicarius, & non potius vt merus Apoſtolus, non habuiſſent canonicam, & ſacram auctoritatem, cuiuſmodi diuinæ Scripturæ habent.

Verſ. 3.] Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecūdum miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.

SPlendidum ſanè, & longum exordium, vſque ad verſum 13. nec diſſimile nonnullis exordiis, quibus vtitur Paulus in epiſtolis ſuis, & in orationibus magni quidam oratores. Continet enumerationem ſummorum Dei beneficiorum in genus humanum per aduentum Chriſti.

Benedictus Deus.] Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς laudabilis, benedicendus, aut benedici dignus, quaſi dicas benedicibilis, quam vim habet apud Hebræos ברוך *baruch*, quod non pro participio ſemper ſumitur, quod Græce eſſet εὐλογούμενος, aut εὐλογημένος, ſed pro ſubſtantiuo. Eadem ratio de altero Græco vocabulo κλητὸς, vocatus, quo ſæpe vtitur Paulus.

Sic autem exorditur idem aliquoties Paulus[z], & aliàs libenter eadem vſurpat verba[a], quæ ſunt etiam prima in Cantico patris Ioānis Baptiſtæ[b], & familiaria multis Auctoribus veteris Teſtamēti[c]. Sed & viri pij delectantur mirificè frequenti hac vſurpatione poſt nomen Dei, & Domini, & his alia ſynonyma, vt obſeruauit Odo Cluniacēſis in ſermone de S. Benedicto.

Benedicitur à nobis Deus, quando laudibus, & actione gratiarum illum celebramus: Deus nos benedicit, cùm donis ornat, qua benedictione benedixit initio creaturas: nos inter nos, quando felicia comprecamur, aut etiā laudamus. Sola Dei benedictio efficax eſt, quoniam dicendo facit: vt propterea gratia, & quodcumque donū Dei appelletur benedictio[d]: licet quædam peculiariter vſu Eccleſiaſtico dici ſoleat εὐλογία, de qua alibi, ſeu antidoron. Lege Ioannem Stephanum Durantum. Nihilominus largus erogator eleemoſynæ dicitur *ſeminare in benedictionibus*[e], id eſt, de bonis, quæ largiter contulit Deus, aut quia talis benedici, ac laudari ſolet in populis, & *ſplendidum in panibus benedicunt labia multorum*[f]. Benedictio item ſumitur pro dono[g], & eleemoſyna: quin & benedicere vſurpatur de homine, qui dilargitur[h]. Simile quid alias de magnificandi verbo notauimus. Idem eſt dicere: benedictus Deus, ac benedicatur,

a Dan. 3. 98. b cap. 6. 25. c ep. 1. d epiſt. 3. e ep. 1. f epiſt. 1. g epiſt. 1. h epiſt. 2. i epiſt. 1. k epiſt. 1. l epiſt. 2. m epiſt. 3. n epi. vnica. o epiſt. 2. p epiſt. 11. q ep. 2. & 4. r ep. 13. 14. &c.

Petrus cur non fecerit de ſuo pontificatu mentionem.

s multi. t vt Clem. Rom. Fabianus, Zozimus, Bonifacius I. Leo I. Gelaſius. Ioannes I. Ioannes II. Sixtus I. u Teleſphorus. Pius I. x Anacletus. y Pius I. Soter. Victor. Zepherinus. z Victor, Felix II. Leo I. a Calixtus. b Stephan. I. c Marcellinus. Felix III. Symmachus. Vigilius. d Euſebius. Deuſdedit. e Iulius I. f Leo I. g idem Leo I. h Adrianus I. i Nicolaus I. k Pontianus. l Marcellus. m Marcus. n Liberius. o Leo I. epi. 44. Vigilius epiſt. 7. p Leo I. epiſt. 97.

Gregorius primus ſe ſeruum Dei appellauit. q ep. 1.

r 1. ep. 5. 1. ſ Ioan. 21. 15. t Act. 20. 17. & ſeq. u Mat. 16. 19. x Luc. 22. 32. y Ioan. vlt. 15.

Exordium huius epiſtolæ quale.

z 2. Cor. 1. 3. Epheſ. 1. 3. a Rom. 1. 25. Rom. 9. 5. b Luc. 1. 68. c Gen. 9. 26. c. 24. 30. c. 24. 27. Exod. 18. 10. Ruth 4. 14. 1. Reg. 25. 32. 39. 3. Reg. 16. 18. Dan. 3. frequēter, in Cant. trium puerorum & alibi ſæpe, tum in Pſalm.

Deus quomodo à nobis benedicatur.

d Epheſ. 1. 3. & alibi. e 2. Cor. 9. 6. f Eccl. 31. 28. g Gen. 33. 11. & alibi. h Prou. 11. 25.

dicatur, vel laudetur: aut, dignus est, vt benedicatur, & laudetur. Meritò autem omnis in Patrem gratiarū refertur actio, quia est origo Deitatis, & *omne donum, ac datum est a Patre luminum*[a].

Pater Domini nostri Iesu Christi.] Vel Dei, antea positum nomen Trinitatem designat, vt Lyrano placet, vel primam personam, quæ mox voce Patris exprimitur. Nam cùm, vt dixi, sit origo Deitatis. Dei appellatio potest absolutè de illo intelligi. Apostoli in Epistolis non Deum Abraham, &c. vel Israëlis, sed Patrem Iesu Christi nominant ad commendandum beneficium incarnationis, ac redemptionis, & exprimendum mysterium Trinitatis. Illud tamen initio vsurpabant in concionibus ad Iudæos, vt eos paulatim sibi demererentur, & cauerent inuidiam, vt obseruauimus in expositione Actuum Apostolorum. Cùm audimus Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui simul Deus est, simul similis nobis homo, excitatur in nobis dignitatis nobis per Deum Patrem communicatæ consideratio: nam *qui nobis Filium dedit suum, omnia proculdubio nobis cum illo donauit*[b], & adsciuit in adoptionem, & ius hæreditatis diuinæ, de qua hic mentio subiicitur. Ideo iam liberè licet nobis clamare Abba Pater[c], nec aliis inter orandum verbis docuit nos primogenitus frater noster, & consubstantialis Patri Filius vis, quàm Pater noster[d], non confusus vocare nos fratres[e]. Faciens quoque argumentum ex comparatione minorum, *si patres carnales, & mali bona data dent filiis: multo magis cœlestem Patrem daturum spiritum bonum*[f].

Domini nostri Iesu Christi.] Christo competit peculiari modo nomen Domini, vt aliàs notatum est, nempe quia nouo titulo id sibi comparauit, quod ei vt capiti debetur, & vt Deo connaturale est. Sic sumus cohæredes Filij Dei, & Christi; sic filij Dei, vt quia sola gratia, & adoptione, idem Christus, ac filius Dei sit noster Dominus.

Qui secundum misericordiam suam magnam.] Augustinus[g]: *Qui secundum multitudinem misericordiæ suæ.* Ὁ κατὰ τὸ πολὺ αὐτοῦ ἔλεος. Attributa diuina in se simplicia, & æqualia semper sunt, sed effectus, fructúsque nunc maior, nunc minor. Magna misericordia remittere magnam peccatorum miseriam[h], quod per incarnationem & mortem Filij Dei factum est, tunc que suscipiendo Israël, *& omne genus humanum, Deus recordatus est misericordiæ suæ*[i], non valens *obliuisci misereri, nec in ira continere misericordias suas*[k], sed eas super nos corroborare[l]: secundum magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius[m]: *Magnitudinis autem Dei non est finis*[n]: ideìco non potuit expleri misericordia, nec ita bene subueniri miseriæ nostræ, nisi dicto modo per ipsummet Filium Dei. Non solet vocari magna iustitia, sed misericordia: & seueritas quidem iustitiæ vsque ad tertiam, & quartam generationem porrigitur[o]: misericordiā autem Deus facit in millibus[p]: *Iustitia sicut montes est*[q] *magna super cælos misericordia*[r]: Magnus furor Domini, sed stillat[s]: fluuium autem pacis declinat super nos Deus & torrentem inundantē[t]. Legimus quidem interdum ira magna irasci Deum[u], & secundum multitudinem iræ suæ quærere[x]: verùm *misericordia superexaltat iudicium*[y], súntque *super omnia opera Dei miserationes eius*[z]: & hi qui ad Beatitudinem, quod est summum bonum, prædestinantur, appellantur *vasa misericordiæ*[a], quamuis & [b] *vasa iræ* damnari. Denique Deus, cui suppetūt affatim omnia, *diues appellatur in misericordia*[c],

& pater misericordiarum[d]. Sed memini hæc de alias dixisse doleoq; Mazzarinus noster aliquot discursibus expressit, quos edidit Italicè numero quinquagesimum. Dicimus præterea magnum multúmque vicissim poni vnum pro alio.

Regenerauit nos in spem viuam.] Regeneratio indicat priorem generationem: concipi autem potest generatio vel per gratiam, seu in gratia, quæ accidisset nobis, nisi Adam peccasset, qui creatus est in gratia, & sic erit recuperatio gratiæ iustificantis cum aliis effectibus tempore suo concedendis, qui prouenirebant ex originali iustitia: vel per naturam, vt modò est, nempe quatenus nascimur mortales, & cum aliis defectibus, & sic erit resurrectio cū ceteris dotibus corporis gloriosi.

Primo modo sæpè dicimur per baptismum, præsertim, sed & per Pœnitentiæ sacramentum renasci, regenerari, renouari, recreari, reformari &c. Filij Dei fieri, homines Dei esse. Quo modo Psalmos, qui habent in titulo Mosem hominem Dei[e], Euthymius[f] ait pertinere ad baptizatos de aquis eductos, quæ est etymologia nominis Mosis, quia per Baptismum efficiuntur homines Dei. Secundo modo vniuersalis resurrectio nominatur regeneratio, habétque ipsa resurrectio quamdam rationem physicæ generationis: quoniam dissolutæ partes iterum copulantur. Vnde & de Christi resurrectione exponitur locus Psalmi secundi[g]: *Ego hodie genui te.* Posterior regeneratio, vt est consistens in resurrectione gloriosa, requirit priorem in vitæ spiritualis nouitate, & sanctitate. De posteriore loquitur hîc Apostolus, quatenus eius viuam spem côcipit, qui per priorem regeneratus est. Nescio quid per vmbram Gentiles de paligenesia docuerunt, vt ex Varrone recitat Augustinus[h], & Lactantius[i] ex Chrysippo Stoico.

Viua verò spes vocatur certa, benè fundata, scilicet in mediis debitis, ac sine præsumptione informata, & viuificata per charitatem, (sicut & de fide loqui solemus distinguentes in viuam & mortuam) efficax, vegeta, &c. denique sumendo pro obiecto, spes viua est vita ipsa æterna sempiternæ felicitatis. Hieronymus[k] quidem legit, *in spem vitæ*, quamuis Græcè sit εἰς ἐλπίδα ζῶσαν & in quibusdā codicibus ζωῆς. Augustinus[l], *in spem vitæ æternæ.* Spem quoque vitæ transfert editio Syra: & opponitur ei quam vacuam vocat auctor libri Sapientiæ[m]: & Aristoteles apud Laertium somnium: & appellatur à Cyrillo firma & certa[n]. Moses, lexque scripta fere promittebat solùm bona temporalia: nos expectamus beatam spem[o], cuius obiectum vita æterna, & quam interdum vitæ nomen absolutum significat. Nam cùm quid faciendo vitam ęternam haberet, quidam petiisset, Christus absolute respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*[p]. Huic vitæ quæuis comparata, mors potius dicenda.

Nil vetat ista ratione spei viuæ adscribere iustificationem nostrā, sicut & fidei, quâ fide idem Petrus[q] ait Deum corda purificare, sicut & Ioannes dixit, *Qui habet spem, sanctificare*[r] *seipsum.*

Importat hæc loquēdi forma de spe, vel etiam de fide viua similitudines varias, & comparationes cum rebus, quæ dicuntur viuæ, vel mortuæ, vt rami, ossa, aquæ. Vnde apud Ezechielem[s] ossa arida designant Hebræorum deiectam, & prostratā spem, teste Hieronymo[t]. *Arentia corda hominum*, ait Gregorius[u], *quæ in huius seculi spe penitura plantata, æternitatis fiduciam non habent: vt ni-*

tem, quæ illi hæreditati inhæret, de qua Petrus Apostolus dicit, &c. *Quisquis itaque intrinsecus ardere formidat, arentia extrinsecus huius mūdi desideria fugiat, & æternam patriam appetens, in interna cordis plantatione virescat.* Legendus de spe Bernardus[a].

a ser. 7. & 9. super Psalm. qui habitat.

Porrò colligitur ex regeneratione, quæ potissimùm fit in Baptismo, nasci nos omnes filios iræ[b], atque peccatores, etiamsi nascamur ex parentibus fidelibus, iustísque, quidquid cōtra sentiant Pelagiani, & nostro tempore Caluiniani, Zuingliani, &c. ex nudo grano nascitur granum cum palea, ex olea oleaster, quod exemplum secundum Augustinus ait[c] ad rem illam significandam prouisum à Deo. Idem regenerationis vocabulum, vt dicitur quoque de pœnitentia, innuit non fieri iustificationem ex meritis nostris, sicut nemo physicè sibi ipsi generationis suæ est auctor.

b Eph. 2. 3.
c 1. de nupt. & conc. c. 19.

Per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.] Christi resurrectio spem viuificat: *resurrexit enim propter iustificationem nostram*[d]: nec enim plenè omninò antequam resurrexerimus, sicut ille resurrexit, iusti erimus, id est, liberi ab omni corruptione, fomitéque peccati, & peccandi periculo eo, quod est à corpore nostro, & in resurrectione perfectè reformabitur. Præterea, si Christus non resurrexisset, inanis esset fides, ac spes nostra[e]. Resurgendo, & fructum capiendo præteritorum laborum, excitat spem nostram, vt iustificationis cōplemento studeamus, id est, operibus iustis, quæ à iustificatis exiguntur.

Christi resurrectio spem viuificat.
d Rom. 4. 25.
e 1. Cor. 15. 4.

Illum locum Pauli ad Romanos[f], *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri*, aliqui[g] explicant quòd aduentus Dei secundus definitus sit, vt esset in virtute executiua secundum spiritum sanctitatis, quæ congruat statui post generalem resurrectionem. Igitur qui studet sanctitati quoad licet in hac vita, sperat eam sanctitatem aliquando cōsequi, quam beati cum corporibus consequentur. Mysticum potiùs, quàm literale, quod Clemens affert Alexandrinus[h], secundum fidem resurgere Deum in nobis, mori propter infidelitatem.

f cap. 1. 4.
g Caietanus.
h in Comm.

Ex mortuis.] Resurrectio mortuorum, & ex mortuis dicuntur synonymè: cur autem numero multitudinis mortuorum, vel ex mortuis, aliàs[i] dixi.

i Act. 3. 15.

Vers. 4.] In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cælis in vobis.

Regeneratio affert ius nouum in æternam, & beatam hæreditatem, quę interim conseruatur in cœlis, vbi locus est illam capessendi.

In hæreditatem.] Nam regenerati filij Dei sunt: *si filij, & hæredes*[k]: & *qui salui sunt per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, & iustificati gratia ipsius hæredes sunt secundum spem vitæ æternæ*[l]. Quomodò autem beatitudo simul sit hæreditas, simul merces, alibi docui. Hæreditas adiri non solet ante mortem alterius. Christus est hæres[m], nos cohæredes: sed mors non Patris fuit, sed ipsiusmet Christi.

k Rom. 4. 17.
l Tit. 3. 7.
m Mat. 21. 38. Heb. 1. 2.

Incorruptibilem.] Ἄφθαρτον. Hieronymus[n] *incorruptam*, qua etiam ratione reddit aliàs[o] Interpres vocabulum Græcum, Augustinus[p] verò *immortalem*. Hinc, & ex sequentibus epithetis Clemens Alexādrinus, Oecumenius & Didymus innuunt refutationē Chiliastarū, quibus adiici potest etiā Origenes, de mille annorum felicitate, post quos redeatur in eumdem præsentis vitæ statum, aut de Vicariis, & non perpetuis mortuorum pœnis, præmijsve: nam incorruptibilitas, immarcescibilitas, conseruatio in cœlis, demonstrant perpetuitatem, & non merè corporeas, externásque fore delicias, quas percipient beati: animas beatas non redituras huc ad sua corpora, vbi denuo peccandi habeāt occasionem: Illud indicat eo epitheto, quo vocatur *hæreditas incontaminata*: licet in resurrectione futura sit apta quædam compositio animæ corporisque in morem domus quodammodo spiritualis: quod innuunt lapides viui superædificati ad lapidem viuum Christum, vt est in capite sequenti[q]: *Tunc mors non erit vltra, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor*[r]. *Transit autem mundus*[s], & *præterit figura eius*[t]: &, *Corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem*[u]: & *liberabitur à seruitute corruptionis*[x]. Idem Hieronymus[y] præsentem accommodat locum, & eumdem capitis sequētis & quarti: & ex secunda epistola cap. 2. ad castum resuscitatorum corporum statum, quando nec nubent, nec nubentur[z].

n 2. cont. Iou.
o 1. Cor. 9. 25. c. 15. 53. Sap. 18. 4.
p 1. de Præd. mer. c. 27.
Chiliastæ refutantur.
q vers. 4.
r Apoc. 21. 4.
s 1. Ioan. 2. 17.
t 1. Cor. 7. 31.
u 1. Cor. 15. 53.
x Rom. 8. 21.
y 1. cont. Iou.
z Mat. 22. 30.

Incontaminatam] Ἀμίαντον, Hieronymus *Immaculatam*. In ciuitatem sanctam habentem claritatem Dei non intrabit aliquod coinquinatū[a], κοινὸν, *commune*: sed in montem illum ascendet duntaxat *innocens manibus, & mundo corde*[b], *& in tabernaculo illo habitabit qui ingreditur sine macula*[c].

a Apoc. 21. 27.
b Psa. 23. 3. 4.
c Psa. 14. 1. 2.

Amiantus lapis, friabilis est ignibus resistens: ideóque in ellychnio extenuati soliti à pauperibus, similis alumini, sed non idem, vt vulgus putat. Nominis ratio, quia non inquinatur ὑ [illegible] flammis, tantùm abest vt consumatur. Cognominant ἄσβεστον *inextinguibile*: & vocant λίνον ἄσβεστον, sicut Plinius[d], linum viuum. Inde fiunt quoque telæ inter flammas inuictæ, magisque inde splendescentes, quàm lotæ aquis. Ex eo Brachmanes vestes conficiebant, vt diuinitatis de se specimen ederent: ex eo funebres Regum tunicæ conficiebantur, vt corporum in rogum iniectorum ignis à lignorum cinere secerni posset. Plura Matthiolus[e], & meminit Basilius[f] cum illo cōparans puerorum corpora in fornace Babylonis, & Cæsarius frater Nazianzeni[g].

Amiantus lapis quis sit.
d lib. 19. c. 1.
e in Diosc. li. 5. c. 103.
f ora. 5. de Ieiunio.
g Dialog. 1.

Immarcescibilem.] Ἀμάραντον, Augustinus[h] *florentem*. Ibi non decidit flos[i], foliúmve, non habet ibi locum ærugo vel tinea[k]. Hæc de pretiosa amaranto corona in capitibus beatorum. Flos hoc nomine amarantus vocatur, numquam marcescens, quam prætereà cognominant immortalem. De eo disserens Plinius[l], concludit: *fuit ma eius*, inquit, *natura, in nomine est appellato, quoniam non marcescat.* De eodē flore, seu verius spica purpurea, vt idem Auctor loquitur, agit quoq; apud Dioscoridē Matthiolus[m] dum ille de helichryso, aut heliochryso, aut chrysanthemo, aut chrysocome deficientibus aliis floribus madefactus aqua reuiuiscit, & deorum tradunt simulacra illo flore spicáve coronari solita, atque hyeme etiam inde cōfici serta puellarum, & sepulturarum[n], ac furni tēpore siccatū, non amittere nitorem, gratiámque coloris. Ita appellant *fior veluto, & fior d'amore*, Galli *passe-velours*. Legatur prætereà Ioannes Ruellius[o]. Diximus nonnihil eâdem de re ad illa verba Sapientiæ[p]: *Clara est, & quæ numquā marcescit Sapientia.* In capite huius epistolæ quinto[q], *immarcescibilis gloriæ corona*, vocatur ἀμαράντινος τῆς δόξης στέφανος, id est, *amarantina, seu ex amaranto*, ac

h 2. de peccat. mer. & remis. c. 27.
i Psalm. 1. 3. Esa. 40. 7. 8.
k Mat. 6. 19. 20.
l lib. 21. c. 8.
m lib. 4. c. 52.
n Philostra. in Heroicis Tribuli li. 3. c. 4.
o lib. 1. de natura stirpium, c. 14. & lib. 2. c. 110.
p cap. 6. 13.
q vers. 4.

magis quoque immarcescibilis, quam quæ est ex amaranto. Appellat item Philostratus [a] possessiuo vocabulo ἀμαράντινον στέφανον. Caietanus incorruptibilem interpretatur secundum substãtiam, immarcescibilem secundum perfectionem. Tã erit perfecta felicitas, adeo virés, recénsque, vt nihil imperfectionis contrahat, vt numquam tædio afficiat, sed *edentes adhuc esurient, bibentes sitient* [b]. Gregorius [c] expendens hunc locum, ait esse siccam spem huius seculi, quia omnia quæ hic amantur, cum festinatione marcescunt. Pium est credere Agatham delectatam huius loci sententia, hisque Petri epistolis, quem plagæ curatorem habere etiam meruit: in oratione ad Christum intra carcerem, huc respexisse, cùm diceret: *iube me Domine ad tuam immarcescibilem gloriam peruenire.*

a Supra.

Felicitas est coronamarcescibilis, & eius.

b Eccl. 24. 29.
c hom. 14. in Ezech.

Conseruatam in cœlis in vobis.] Græcè *in vos*, prout quoque vertit Hieronymus [d]: *Quæ seruatur in cœlis in vos.* τετηρημένην εἰς ὑμᾶς. Syriace דמטיבא לכון *demetaijeua lechun. Quæ parata est vobis, &c.* Augustinus [e]: *Seruatam in cœlis in vobis.* Quare conseruatam hæreditatem in vobis, vel in vos in cœlis, idem est, quod in gratiam vestri, ac pro vobis paratam, & asseruatam esse felicitatem percipiendam tutissimo in loco, hoc est, in cœlis, denique. vt Christus loquitur [f], *possidendum paratum vobis regnum à constitutione mundi*, nempe in cœlo, vbi sedes est Beatorum, eritque etiam pro corporibus eorumdem. Vbi quo pacto illa subsistere possint, cùm sint ex elementis composita, defẽdit aduersus infideles Augustinus [g]. Hæc etiam censeri potest vita nostra, quam Paulus ait *absconditã cum Christo in Deo* [h], *domus nõ manu facta in cœlis, ac ædificatio ex Deo* [i]: *thesaurus in cælo* [k] *non deficiens, quo fures non appropiant, & vbi* [l] *fures non effodiunt, nec furantur*: postremò certam esse denotatur tanti boni assecutionem, & possessionem, quæ nequeat nisi à volentibus eripi, neque ad sui custodiam gryphis, draconibus, militibus egeat. Aurum, & metalla cetera, rubigo, tinea vestes exedit: fures alterius cuiuscumque ferè generis res omnes auferre possunt. Thesaurizat improbus, ignorans, cui congreget [m]: probi omnis expectatio spésque ὑπόστασις Dominus est: & substantia eius (fiducia, vel huius fundamentum ὑπόστασις) apud ipsum. Solum verum gaudiũ nomina habere scripta in cœlis [n], illiúsque patriæ ciues esse conscriptos [o]. Hugo in composito participio (*conseruatam*) notat cooperationem arbitrij nostri: sicut & cùm dicitur *in vobis*, quasi hæc verba designent opus nostrum ac meritum. Glossa ordinaria, & Thomas Anglicus idem præ se ferunt, sed nil tale Græca demonstrant.

d 1. con. Iouin.
e 2. de Pecca. mer. & remis. c. 27.
f Mat. 25. 34.
g 22. de ciuit. c. 4. vsque ad 12.
h Coloss. 3. 3.
i 2. Cor. 5. 1.
k Mat. 6. 20.
l Luc. 12. 33.

Probo omnis expectatio Dominus est.
m Psal. 38. 7. 8.
n Luc. 10. 20.
o Heb. 12. 23.

In vobis.] Εἰς ὑμᾶς, *in vos*, vt antè monui, & importat ius internum ad hæreditatem illam diuinam: nempe per inhabitantem gratiam, & Spiritum sanctum, qui vocatur *pignus hæreditatis æternæ* [p]. Crebrò Interpres *in* vertit, perinde ac si esset ἐν, & pro Ablatiuo Accusatiuum; vt [q], *Spernemus insurgentes in nobis*, pro, in nos. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum* [r], Græcè (in desideriis,) *baptizantes eos in nomine Patris* [s], &c. Græcè *in nomen*.

p Ephes. 1. 14.
q Psal. 43. 6.
r Rom. 1. 24.
s Matth. vlt. 19.

Vers. 5.] **Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.**

PER allusionem ad hæreditatem beatam, quam proximè dixit esse nobis conseruatam, ac tutò custoditam in cœlis, simúlque tacito occurrens errori, quo sibi quis forsan, meritisque suis adeptionem tribueret illius, docet Dei munus esse, atque potentiam, quòd quis in hac interim vita conseruetur, ac protegatur, donec illuc perueniat: licet inter alia requiratur certa fidei persuasio, professióque, omnia Deum posse, & quæ promisit, præstare.

Qui in virtute Dei custodimini.] Supple ex versu præcedenti *in vobis*, εἰς ὑμᾶς: & tunc Græcè sequitur in eodem casu Accusatiuo τοὺς ἐν δυνάμει Θεοῦ φρουρουμένους: Virtus, ac δύναμις potentiam, vim, robur significat, vt sæpè aliàs; custodia est ab aduersariis, & ad perseuerandum, idque per adeo varia media, quæ pendent, ac suppeditantur ab omnipotentia Dei, ad quæ reuocantur etiam Angeli, quos appellamus custodes, ac tutelares. *Nisi Dominus custodierit, frustra vigilat qui custodit* [t]: & quidem nisi custodierit à resistentibus dexteræ suæ, atque vt pupillam oculi sui [u]. Petrus ipse nimis confidens sibi, negauit Christum [x]: *pro eo Christus rogauit, vt non deficeret fides eius* [y].

t Psal. 126. 2.
u Psal. 16. 8.
x Matth. 26. 33. 35. 69. & seq.
y Luc. 22. 32.

Cæterum, quia Christus nominatur *Dei virtus* à Paulo [z], & ita quoque Cyrillus Alexandrinus [a] illud ex psalmo accipit: *Manda Deus virtuti tuæ* [b], propterea Ioãnes Benedictus hoc etiam loco per virtutem Dei Christum vult intelligi. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet* [c]: *Pax verò Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodit corda, & intelligentias nostras* [d].

Christus Dei virtus est.
z 1. Cor. 1. 24.
a 1. Thesau.
b Psal. 67. 29.
c Luc. 11. 21.
d Philip. 4. 7.

Per fidem.] Nam fide resistitur diabolo aduersario [e]: extinguuntur ignea tela eius [f]: illa iustus viuit [g]: est victoria quę vincit mundum [h]. De fide hæc autem intelligũtur vel vt viua, vel per se, quatenus est fundamentum sanctitatis, & prima dispositio: & proponit nobis Christum auctorem iustificationis, aliáque media necessaria. Lege Concilium Tridentinum [i].

Fidei varia opera.
e 1. Pet. 5. 9.
f Ephes. 6. 16.
g Rom. 1. 17. Gal. 3. 11. Hebr. 10. 38. Habac. 2. 4.
h 1. Io. 5. 4.
i Sess. 6. c. 14.

In salutem paratam reuelari in tempore nouissimo.] Tempus nouissimum, quo iam parata est salus, ac felicitas, vt reueletur, & vt appareamus cũ Christo in gloria, est Iudicij tempus, accipiendo consummatam felicitatem totius hominis constantis ex suo etiam corpore glorioso, idque palam, & publicè, quando intelligent omnes *non fuisse condignas passiones ad gloriam, quæ reuelabitur in nobis* [k]: & quid sit *inter iustum, & impium, inter seruientem Deo, & non seruientem ei* [l]. Alioquin mortis quoque nouissimum tempus est, quo animæ, & essentialis felicitas acquiritur, non expectata generali resurrectione, ac Iudicij die, vt aliàs demonstrauimus [m]. Priorem sensum passim cæteri sequuntur; Salmeron secundum. Glossa Interlin. indefinitè de tempore præstituto. Syriaca editio habet in numero plurali לזבנא אחריא *lezanne acharaia. In temporib. posterioribus, vel nouissimis*, quæ voces in Scriptura designant potiùs Iudicium, & generalem resurrectionem, aut legem Euangelicam; quamuis aliquando absolutè quodlibet longè post futurum tempus, vt alibi docui [n].

Tempus nouissimum quid sit.
k Rom. 8. 18.
l Malac. 3. 18.
m in 1. 2. disp. de Beatitud.
n Act. 2. 17.

Vers. 6.] **In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.**

IN tempore quidem nouissimo summa erit exultatio ex summi boni perceptione: at interim spe gaudendum inter varias tẽtationes, quas in hac breui vita parui æstimare debemus com-

parando cum infinito illo futuro bono.

In quo exultabitis.] Alij *exultatis*, ficut & Græcè ἐν ᾧ ἀγαλλιᾶσθε: & exponit Oecumenius de præsenti gaudio, vt spe gaudeamus in isto modico, & nunc vitæ nostræ, etiamsi subeundæ sint res aduersæ diuersæ: vel refert *modicum nunc*, ad contristationem ob tentationes, quia nimium citò abituræ sint. Didymi quoque prior expositio est: Cómunis autem, exultationem futuræ beatitudinis accipit, quæ redundabit ex anima in corpus, quemadmodum exultandi verbo indicatur: quasi dicat ἄγαν ἅλλεσθαι, *valdè saltare, & gesticulatoriè corporis lætitiam ostendere*: quo forsan modo intelligimus Ioannis exultationem in vtero [a]: Mariæ in Cantico [b]: Christi, cùm gratias egit Patri [c]: Beatorum in gloria [d]: Sponsæ introductæ in cellam vinariam [e]. Amplectitur item Oecumenius temporis præsentis pro futuro in hoc loco significationem. Posset ἐν ᾧ non referri ad ea, quæ præcedunt, ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ, *In tempore nouissimo*, sed ad alia plura, & significare, *in qua re*, nempe priùs exposita, quòd regenerati sitis in spem viuam, &c. exultabitis dum viuetis, eritque vobis horũ omnium consideratio iucunda pro antidoto aduersus breues tentationes ac tribulationes, quæ gignere solent tristitiam, & molestiam. Hoc pacto *exultabitis*, futuri temporis verbum loco imperatiui posset esse, vt non rarò aliàs: ἀγαλλιᾶσθε verò æquè significationem continet præsentis temporis Indicatiui modi, & Imperatiui, quod vltimũ Caietanus mauult. Ipsemet *Christus proposito sibi gaudio sustinuit Crucem* [f]. Vbi cùm sit Græcè ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, *pro proposito sibi gaudio*, sensus est, vel cùm posset gaudere, & non mori, hoc maluit, vt explicat Chrysostomus, & reliqui Græci: vel præ gaudio de salute hominum, gloriæ Dei, exaltationis suæ: quæ Angelum confortantem ipsi proposuisse verisimile est [g], vt etiam exponit Theodoretus, ac Latini. Quamuis Christus has rationes noluerit peruenire ad sensum, & dolorem mitigare. Id permisit aliis sanctis, quos testantur historiæ inter dirissima tormenta ingentibus gaudiis exultasse. Verùm simplicior expositio, quæ cómunior de futura æterna exultatione, quam Syrus Interpres censuit exprimendam: (in quibus) nimirum temporibus nouissimis, quæ ante posuerat, תחדון לעלם *thechedun lebhalam, lætabimini in æternum.*

Modicum nunc.] Ὀλίγον ἄρτι. Præstat ista connectere cum sequentibus ad significandam breuitatem tentationum. Ὀλίγον ἄρτι est modicum, vel exiguum adhuc, modò, nunc. Et pertinere potest primum ad tentationes ipsas, nempe modicas: secundum ad præsens tempus, quod adhuc viuimus. Vtrumque permodicum, & vita, & tẽtatio: sed nec aliud illa, quàm ista, Iob teste [h]. Vtriusque modicitatem Paulus elegãter expressit [i], respectu futuræ beatitudinis. Adde comparationem suppliciorum alterius vitæ, & æstimationem grauium peccatorum nostrorum: & quæ nostra causa Christus passus est: & beneficiorum in hac ipsa vita acceptorum: & quæ alij, nósque ipsi pro vanitate patimur: quæ sancti pro Deo. Non est qui non illud vsurpare meritò possit [k]: *Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus, non recepi*: vel de quo dici non queat [l]: *Multò minora exigeris à Deo, quàm meretur iniquitas tua*: vel qui rursus dicere non debeat [m]: *Supplicia peccatis suis minora esse flagella Domini.* Consule, quæ dixi ad verba Sapientiæ Capite tertio [n]: *In paucis vexati, in multis benè disponentur.* Oecumenius præterea refert *modicum nunc* ad exultationem, quam habent sancti in hac vita modicam præ æterna. Quo modo autem oporteat cunctos hic contristari & contribulari, legatur Augustinus [o].

a Luce 1.41. 44. b ibid. 47. c infra 10. 21. d Psal. 149.5. e Cant. 1. 4.

f Hebr. 12.2. *Christus quomodo sibi proposito gaudio Crucem sustinuerit.*

g Luce 22.43.

Et vita & tentatio permodicũ quid est.

h Iob 7.1. i 2. Cor. 4. 17.

k Iob 33. 27. l Iob 11.6. m Iudith. 8. 27. n vers. 5.

Si oportet.] Εἰ δέον ἐστί. Si, pro, etiamsi, omninò autẽ oportet, ac sine dubitatione *per multas tribulationes intrare in regnum Dei* [p]: quæ etiam vocãtur *necessitates* [q]: *quoniam multæ tribulationes Iustorum* [r]; &, *Piè viuere volentes in Christo, persecutiones patiuntur* [s]: &, *Omne gaudium existimandum, in varias tentationes incidere* [t]. Et qui aliter fieri potest, cùm, vt modò retuli, *vita ipsa nostra nihil, nisi tentatio sit* [u]?

Nihilominus non perpetua pulsantur tentatione siue Iusti, siue Iniusti, vt Oecumenius obseruat: quemadmodum nec semper vtuntur prospera fortuna, sed contingit iniustis afflictio ad pœnam, & correctionem: Iustis ad incrementum coronæ: non affliguntur semper Iusti, ne quis putet vitium laudabile, odio prosequendam virtutem: non peccatores quoque, ne si omnium, quæ quis meretur, fieri videamus hic retributionem, de resurrectione dubitemus. Hæc summatim ille, idcirco volens ambigentem orationem esse, (*si oportet*, &c.) Possunt eadem pluribus amplificari, & Chrysostomus [x] vndecim persequitur huius rei causas elegantissimè.

Eadem particula conditionalis nos admonet, ne temerè nos immittamus in pericula, neu Deũ hoc pacto tentemus. Non cauet hoc loco Petrus voluntarias, aut etiam votiuas ad coërcẽdam carnem pœnas, vt ieiuniorum, vigiliarũ, ciliciorum, flagellorum. Externas potius, & ab aliis immissas tentationes intelligit. Vitæ aperta pericula nimis præfidenter adiri non debent: si se offerant, nec honestè vitari possint, fortiter, & alacriter tolleranda.

Particulæ *si* acceptionis alterius, quàm dixi exempla alia alibi extant in diuinis libris [y]; *Si in petra posueris nidum tuum, &c. Si me cogis, non comedã panes tuos, &c. Si eum volo manere donec veniam*, &c. ex Terẽtio, Plauto, Cicerone citat Tursellinus [z] testimonia. Glossa Ordinaria subaudit hoc loco: *Si oportet contristari, non deficietis.*

Contristari.] Gagneius vitiosam lectionem notat pro (contristati) propter Græcum participium λυπηθέντες, vel vt alij habent in Accusatiuo λυπηθέντας. Sic quoque Hesselius opinatur lectum ab Interprete. Non ignorantia Interpretis fuit, nec aliter legit: Sed studium ei perspicuitatis fuit, sic orationem euoluere. Didymus porrò sub tristitiæ nomine laborem designari vult, & cũ Paulo [a] duplicem tristitiam distinguit, *alteram secundum Deum, quæ operatur pœnitentiam in salutem stabilem*: alteram seculi quæ mortem. Sed & ipsummet laborẽ tolerari posse absque tristitia docet, immò cum oblectatione: Sicut *gaudentes ibant Apostoli flagellati à conspectu concilij, quoniam digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati* [b]: *Mundus gaudebit, vos verò contristabimini*, ait Christus [c]: Multa de hoc Petri loco Maximus Confessor [d].

In variis tentationibus.] Ἐν ποικίλοις πειρασμοῖς. Vatablus reddit, *In variis experimentis*. Gagneius iure nostram editionẽ anteponit: quia sermo est de experimentis per afflictiones, quæ comparantur cum igne. Sic autem solet aliis locis interpres idem Latinum pro eôdem Græco nomẽ ponere: hic verò etiam aliqui codices habent (*tribulationibus*) Sumitur etiam per prospera experimentum de homine: sed longè meliùs innotescit per ad-

o ep. 145. & 18. de ciuit. c. 51. lib. 22. c. 23.

p Act. 14. 21. q Psal. 24. 17. r Psal. 33. 20. s 2. Tim. 3. 12. t Iacobi 1. 2.

u Iob 7. 1. *Tribulationes non sunt perpetuæ in hac vita, nec prosperitates.*

x hom. 1. ad populum.

In pericula nos sponte immittere non debemus.

y Num. 24. 21. Iudic. 13. 16. Io. 21. 22. 23.

z lib. de particulis Latinæ orationis cap. 207. num. 5.

a 2. Cor. 7. 10. *Duplex est tristitia.*

b Act. 5. 41. c Ioan. 16. 20. d in capitibus Oecom. Centu. 3. cap. 85. & sequentib.

uersa: *patientia namque* peculiariter *probationẽ operatur* [a]. Erant eum scribebat Petrus præter eas, quæ piis semper sunt communes, variæ à Iudæis, atque Gentilibus afflictiones contra doctrinã, vitámque Christianam. Varietatem, ac multiplicitatem, & iliadem quis enumerare tribulationum tentationúmque valeat externarum, internarum à Diabolo, Mundo, Carne, in facultatibus, honore, amicis, corpore, angoribus animi, in prosperis, & aduersis, & omnibus iis modis, quos se Paulus [b] expertum scribit, & describit Augustinus [c]. Denique *multæ tribulationes Iustorum* [d].

Vers. 7.] Vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi.

HIc inter alios magnus tentationis fructus, vt nos nobis notiores, & cæteris explorati simus siq́ue in illa constantiam retinuerimus, ac probiores euaserimus, referamus coram mundo toto, quando prodit iudex Christus, ab ipso, Deóque approbationem & laudem [e]. Probatur cuiusque fides persecutione potissimùm, errore, seu hæresi, prauo exemplo improbitatis. *Ad hoc, sunt hæreses*, inquit Tertullianus [f], *vt fides habendo tentationem, habeat etiam probationem*: immò necesse dicit Paulus [g], *eas esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant*. De eadẽ causa cur hæreses permittat Deus, disserit Augustinus [h], Vincentius Lyrinensis, & alij.

Probatio fidei.] Fides probata & exercitata, ac proba effecta per tentationes: aut patientia, in tentationibus, per quas fides probatur, & examinatur. Fides hoc loco doctrinã reuelatam, assensúmque eius denotat: quamuis & fidelitatem verum sit his modis probari, nec non fiduciã. Damnatos vocamus Reprobos, non solùm quia sunt à Deo reprobati, sed quia si de adultis sermo sit, se ipsos reprobauerunt, dum Deo per opera bona se non probauerunt, velut exculta fructus non reddens terra [i], & ad omne opus bonum reprobi fuerunt [k]: *confitentes se nosse Deum, factis negantes*, abominati, & incredibiles [l]: tum etiam resistentes veritati, corrupti mente, reprobi circa Fidem [m]. Dicuntur & aliqui reprobi apud homines ἀδόκιμοι. Qua ratione forsan loquitur Paulus [n]: *Ne cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar*: etsi Origenes [o] indicat, tunc reuera Paulum timuisse reprobationem coram Deo, de qua postea certus fuerit: & in epistola ad Romanos [p], cùm dixit: *certus sum*, &c. vtpote magis euadens perfectus, & reuelationem diuinam consecutus. Sed aptior sensus prior, aut per exaggerationem, ne si fieri posset, reprobus euaderet. Talis potest expositio adferri primæ ad alia verba [q]: *An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis.*

Multò pretiosior auro, quod per ignem probatur.] Aliqui habent *pretiosior sit*, vt meminit Glossa ordinaria: Græcè quoque additur, ad χρυσίου aliud epithetum τοῦ ἀπολλυμένου, *pretiosior auro, quod perit*: per ignem autem probatur, vel ex parte consumitur, dum igni probatur: quod fidei non accidit, quæ potiùs perficitur, augetur, corroboratur, manet semper ob effectum salutis æternæ. Clemens Alexandrinus [r] illud secundũ participium retinet.

De ista similitudine auri per ignem probati dixi Capite tertio [s] Sapientiæ. Princeps in metallis aurum denominat quidquid optimum, pretiosissimum, ac pulcherrimum est, vt inde dicatur aureum, etiam homo ipse aureus, ac virtutes, vt apud Horatium [t] mediocritas, vt Seneca [u], Athenæus [x], & Plato [y], testãtur, & plurimis exemplis constat, vt Chrysostomi, & Chrysologi, ab ore, & sermone aureo: & seculi, seu ætatis aureę, & apud Poëtas Veneris aureæ. Vnde & sponsum laudans sponsa, caput *eius, manúsque* tribuit *ex auro* [z], nõ tantùm propter coronam, & annulos aureos, quibus ornabatur, sed multò magis ob summam rationis vim, & operandi, ac benefaciendi efficaciam. Illud verò aurum optimum vocant LXX. Cephas, quod aliqui [a] confundunt cum Ophaz, & Ophir, seu Sophis, & per abbreuiationem cum phaz. Per allusionem quãdam Philo Carpathius, Reticius, Ambrosius, aliíque in expositione Canticorum [b] accipiunt de Petro, qui vocatur Cephas [c], & est caput Ecclesiæ, quod vt seriò dictũ reprehendit Hieronymus [d].

Est aurum probabilius, ac purius, vt Nyssenus [e], atque Paulinus [f] docent. Plinius [g] ad rem nostram bellè describit aurum, cum scribit rerum vni nihil igni deperire, tuta etiam in incendiis, rogísque durante materia: quinimò quò sæpiùs arsit, proficere ad bonitatem, aurique experimento ignem esse, vt simili colore rubeat, quo ignis, atque ipsum obryzum vocari, nempe quasi obrussum. Hieronymus [h] & hanc nominis obryzi affert causam, de colore optimo, & perinde, vt dicatur Opherizon ab insula Ophir. Priorem recipit Isidorus [i], volens ita dictum, quòd obradiet splendori, & sit coloris optimi, & Hebraicè vocari Ophax (Ophaz) Græcè ὄβρυζον, aut ὄβρυζον (ὄβρυζον) Ab obrussa deriuant alij, qua auri, argẽtíque perfectio exploratur. Hermolaus [k] ab ἀβρὸς, id est, purum, ac sincerum. Ait Hieronymus [l], auri apud Hebræos nomina septem esse: illa numerant [m] zabab, phaz, vel ophaz: charus: chethem: Ophir, vnde obrysum quasi ophyrisum: baser: segor. Legatur etiam Gasparis Varerij Tractatus de Ophyra regione, & disputatio alia de eãdem in Thesauro geographico Ortelij, & Commentarius in Iob Pinedæ [n], Pererij in Danielem [o], & in Genesim [p]: Riberæ in Ionam [q], Sotomaior in Cantica [r], & Adricomij Terræ sanctæ Theatrũ [s], & Apparatus Montani [t], & Iosephi Acostæ Indica historia [u].

Verùm vt repetamus quod instituimus, aurum hoc ignitum, in ignibus rutilans, probatum, ac vigens, comparandum nobis est [x], vt cùm infirmamur, potentes simus [y]: & dilatati, ac diuisi laboribus, tamen adhuc supersimus iuxta auri naturam ductilem, diuisibilémque quàm maximè, præter dictam flammis resistendi potestatem. *Patientia perfectum habens opus* [z], debet esse *in charitate non ficta* [a], ἀνυποκρίτῳ, sed quæ prædita suo sit γνησίῳ [b] ingenio, seu genio, & ingenuitate, & quasi germanitate, sine fuco, sine fæce. Probatio fidei viuæ, & quam informat charitas, fit per tribulationem [c], sicut per ignẽ. Probatus hoc igni, non feret ignẽ gehennæ. Existimat Leo Castro [d], Petrum hac sententia alludere ad verba Esaiæ [e]: *Paupercula tempestate conuulsa, absque vlla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphiris*, &c.

In laudem, & gloriam, & honorem.] Vestrum, aut Dei. Primo modo plures interpretantur, quando palàm, & publicè Christus in Iudicio hono-

a Rom. 5.4.
b 2.Cor.11.23.& seqq.
c Soliloq.c.16.& 17.
d Psal.33.20.
e Matt. 10.32. 1.Cor.4.5.
Probatur fides cuiusque persecutione
f de præscr. cap.1.
g 1.Cor.11.19.
h de vera Religion.c.8.de Gen.cont.Manich.c.1.10.de Ciuit.c.2. lib.18.c.51.ep.105.
Damnati cur reprobi dicantur.
i Heb.6.8.
k Tit.1.16.
l ibidem.
m 2.Tim.3.8.
n 1.Cor.9.27.
o In cap.8.ad Rom.
p Rom.8.38.
q 2.Cor.13.5.
Fides perficitur in tribulatione.
r 4. Strom.

s vers. 6.
Aurum denominat quidquid est optimum.
t lib.2.carm.
u ep.116.
x lib.4.& 6.
y in Cratylo.
z Cant.5.11.14.
a Delrius in cant.
b & Ambros. in psal.118. serm.15.
c Ioann.1. Matth.16. 1 Cor.9.& cap.15. Gal.2.
d epist.135.ad Marcellam.
e in Cant.
f epist.4
g lib.33.c.3.
Aurum obryzum cur dicatur.
h ep.140.
i 16. Etymol. cap.17.
k in Plinium, loco citato.
l ep.ad Principiam.
m Drusius obseruat. Sacra. lib.4.c.15.
n c.18. v.16.
o lib.12.
p l.4.de Phasom, & lib.15. nu.158. & seq.
q c.1.num.14. & seq.
r in cap.5.
s in descript. Pharan.
t li. Phalech.
u lib.1. ca.13. & 14.
Ignitum aurum nobis comparandum quodnam sit.
x Apoc.3.18.
y 2.Cor. 12.2.
z Iacob.1.4.
a 2. Cor. 6.4-6.
b 2.Cor.8.8.
c Rom.5.3.
d in cap. 54. Esaiæ.
e ibid.11.

rificè excipiet fideles[a], & honorificabit eos Pater[b], *& laus erit vnicuique à Deo*[c]. Vtrumque amplectitur Carthusianus & Titelmanus, quia tandem referuntur cuncta *ad laudem, gloriam, & honorem Dei*[d]: cui perhonorificum tales per gratiam ipsius victorias ab infirmis hominibus de Diabolis reportari; adeo strenua ed: facinora, res tam arduas fortiter, libentérq; tolerari à pusillo grege, cuius est ad feliciatis eximiũ statum. Secutus videtur Augustinus[e] expositionem secũdam, paulo tamen aliam recitans versionem. (*Inueniamini in laudem, & honorem Iesu Christi*, &c.) Omisit *gloriam* Clemens autem Alexandrinus[f] præteriit honorem.

Fortassis omnia hæc Synonyma sunt hoc loco, sicut Græca ἔπαινος, τιμὴ, δόξα. Nihilominus Carthusianus laudem Dei attendit in verbis, gloriam in admirationibus (sic ipse loquitur) & magnificentiis cordis, honorem in operibus, & diuinorum præceptorum executionibus. Quod attinet ad alios, quos Deus laude, gloria, honore prosecuturus sit, idem Auctor, nec non Hugo, & Glossa ordinaria videntur quoque illis modis sumere, hoc est, de verborum publico encomio, & signis externis. Thomas Anglicus laudem intelligit, quam homines alij tribuent, gloriam, quam Angeli, honorem, quem Deus: vel primam de stola corporis, secundam de stola animæ; tertium de iudiciaria potestate totius coniuncti ex anima & corpore.

Quòd si propriè loqui velimus, discrimen est in his tribus, quidquid sit de allatis expositionibus præsentis loci. Etenim laus, & ἔπαινος per se consistit in verbis; gloria, & δόξα in bona opinione: cui laudationem simul iungendam putant Basilius[g], Ambrosius[h], Augustinus[i]: Sed necessarium non est, vt ipsummet Græcum nomen innuit, significans opinionem, ἀπὸ τοῦ δοκεῖν, immò interdũ de sola opinione approbationis dicitur, quam quis habet de seipso, vt apud Paulũ[k]: *Hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ*. Atque hoc ipso modo Deus de se gloriam habet, & Pater ab æterno Filium, & hic illum vicissim glorificat, & illi Spiritum sanctum, & iste illos, vt Irenæus[l] docet, atque colligitur ex verbis Christi[m]: *Clarifica me tu Pater, apud temetipsum, claritate* (δόξῃ glotia) *quã habui priùs quàm mundus fieret apud te*. Postremò honor importat externa signa. Aristoteles[n] gloriam δόξαν, & δόξαν ait esse, *cum quis virtuosus à cunctis existimatur, aut id habere putatur, quod omnes, vel probi, vel prudentes expetunt*: honorem existimationis, benefactisue iudicium. Nil æquè appetunt homines, vt bonam opinionem, vt laudem, vt honorem. Ipsi testes sumus, aliorum testimonio non egemus. Beatitudo ipsa etiam Scripturæ sacræ sermone gloria dicitur: etsi forsitan, quia ibi omnes Deo dicunt gloriam[o]: & ea in re maximè apparet gloria Dei, vtpote omnium maxima.

——*Tu sola animos mentémque peruris*
Gloria, inquit ille[p].

Hac Mutius vstus flamma, externam sentiebat minus, & Porsenæ ad tantam fortitudinem obstupescenti, respondit, *Quàm vile est corpus iis, qui magnam gloriam petunt?* Denique falsæ gloriæ cupiditate periit cum primis parentibus humanum genus vniuersum. Legendum Osorij opus de Gloria.

In reuelatione Iesu Christi.] Quando adueniet ad iudicium manifestus, qui priùs venit *Deus absconditus*[q], occultus, & carne tectus, *cognoscetúrque et dicta faciens*[r], reuelans, atque manifestans, *& illuminans abscondita tenebrarum*[s], qui nunc ignoratur iniurias patiens, & cœlo cœlatus, *ac dissimulãs peccata hominum*[t] *propter pœnitentiam*, sic apparebit conspicuus, *vt videat eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*[u].

Vitiosa in aliquibus lectio *in reuelationem*. Magnitudo porrò huius gloriæ tanta, vt vel vnius diei solius fruitio cõparari cum perpessione omnium tormentorum possit, nõ solùm, quod multi dicunt Patres[x], æternitas ipsa. *Tanta est autem*, ait Augustinus[y], *pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis atque Sapientiæ, vt etiamsi non liceat amplius in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum rectè, meritóque contemnerentur*, non enim falsò, aut paruo affectu dictum est[z]: *Quoniã melior est dies vnus in atriis tuis super millia*.

Vers. 8.] Quem cùm non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata.

Vers. 9.] Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.

Magna vis diuinæ fidei vt res penitus supra intellectus naturalem captum, & oculis non modò corporis, verùm etiam animi protsus inuisibiles certo credamus assensu, & inde amorem concipiamus earumdem, ex quo existit summum gaudium in Spiritu sancto. Indicate Petrus videtur sententiam illam Christi[a]: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Ex quo duci coniectura posset, non scripsisse Petrum Iudæis tantùm dispersis, sed Gentilibus quoque, qui euasetant Christiani, quoniam ex prioribus poterant non pauci vidisse Christum in carne: loqui tamen etiam potest de diuinitate inuisibili Christi, vt Lyranus notat.

Diligitis.] Ἀγαπᾶτε. Docui quid sit discriminis inter Latina verba, diligere, & amare, & Græca ἀγαπᾶν & φιλεῖν, cùm exponerem Ioannis epistolas: tamen haud rarò quoque συνωνύμως sumi. Nil opus Christianis causas exponere propter quas Christum debeat diligere super omnia, nam *non est aliter quis eo dignus*[b]: *qui Patrẽ diligit, & ipsum necessariò eius Filium diligit*[c]: contristari meritò debet, si quis interrogetur an amet, & diligat, exemplo Petri[d]: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, anathema est*[e], *Maranatha*, quia népe Maran, i. Dominus, atha, id est, venit per incarnationem, veniétque præmiator, ac vindex Augustinus[f] citãs præsentem locum, & partem versus præcedentis, omisit verbum (*diligitis*) & pro (*quem cùm non videritis*) legit (quem ignorabatis.)

In quem nunc quoque non videntes creditis.] Sic legit etiam Origenes[g], exponit autem de Christo. Fidem indicat, quæ ostendit diligendum Christum, & si formata sit, importat etiam secũ amorem. Fidei verò forma & cùm fide charitas innui solet, cùm dicimus credere in Christum, vel Deum, sic passim Theologorum Schola de hac loquendi formula sentit, distinguens ab illis, quibus sut Deo, aut Deum credimus. Quanquam hanc non esse perpetuam differentiam, aliàs demonstraui.

Marginal notes:
a Matth. 25. 34. b Ioan. 12. 26. c 1. Cor. 4. 5. d 1. Cor. 10. 31. e 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 27. f 4. Strom. *Quid differant laus, honor, & gloria*. g in c. 10. Esa. & lib. de Spi. san. c. 13. h in c. 1. ep. ad Rom. i lib. 83. quæstionum, q. 31. k 2. Cor. 1. 12. l lib. 4. c. 28. m Ioan. 17. 5. n 1. Rhet. c. 5. o Psal. 28. 9. p Valer. Flac. lib. 1.

q Esa. 45. 15. r Psal. 9. 17. s 1. Cor. 4. 5. t Sap. 11. 24. u Apoc. 1. 7. *Aeternitatis gloria quanta*. x vt Aug. ser. 2. de omnibus sanctis. Bern. serm. 1. de eisdem. y 3. de libero arb. sub finem. z Psal. 83. 11. *Fidei quanta sit*. a Ioan. 20. 29. *Christus super omnia diligendus*. b Matt. 10. 37. c Ioan. 8. 42. d Ioan. 21. 17. e 1. Cor. vlt. 22. f de peccat. mer. c. 27. g hom. 24. in Num.

Porrò Salmeron totius huius loci, quam dicisse se fatetur ab Amico, expositionem, de Eucharistia probat vehementer, & longo sermone declarat. Inter alias coniecturas affert, quod percipi soleat à deuotis ex Eucharistiæ fide, adoratione, atque perceptione lætitia inenarrabilis, prout etiam B. Thomas [a] hæc accipit verba de isto mysterio, & ex salutifero cibo salus animarum: quod succinctio lumborum mentis, de qua mentio fit paulo post [b], alludit ad ritum agni paschalis, qui edebatur renibus accinctis [c]: quod illa item sequentia verba, *In quem desiderant Angeli prospicere*, denotant eorum in Eucharistia præsentiam, & eadem ad hoc propositum videntur in Marci Liturgia vsurpari. Turrian [d] nostri est hæc sententia, quam tacito nomine Salmerò sine dubio intellexit.

Ego verò ista libenter iuxta sensum accommodatitium recipio, & in eo sanctos Marcum, ac Thomam locutos iudico, non autem sentio sic ad litteram intelligi locum præsentē debere, quemadmodum nec vllus adhuc alius antea intellexit. Alioquin tam multa alia, quæ apud Patres de nostris mysteriis agentes transferuntur ex variis vtriusque Testamenti testimoniis, compellerent affirmare litteraliter intelligenda esse. Admitto, agnum paschalem, & ritus eius Eucharistiam adumbrasse, etiam illum ritum, qui est de renibus accinctis: sed eò Petrum respexisse, non magis credo, quam cùm Christus nos iussit lumbos præcingere [e]. Nec ideo probabile, loqui Petrum modò de Eucharistia, quia prius [f] de Baptismo locutus fuerat sub verbo tegenerandi & aspersionis nomine.

Credentes autem.] Græcè desideratur præcedens verbum *creditis*, quod perspicuitati tamen seruit. Pro participio *credentes* alij legunt *videntes*, teste Carthusiano, qui eam quoque lectionem prefert, atque de visione beatifica interpretatur, ex qua lætitia proficiscitur inenarrabilis, & glorificata. Sed plurimis, & quod caput est, approbatæ editioni nostræ adhærendum.

Exultabitis] Alij *exultatis*, vt & Græcè in præsenti ἀγαλλιᾶσθε, quemadmodum versu sexto, vbi etiam vertit Interpres in futuro. Hoc tempus, licet futurum de præsenti vita potest intelligi, in qua polliceatur Petrus, vt post perpessionē tentationum iis qui credunt in Christum, & illum diligunt, compleantur lætitia, quæ sequentibus verbis describitur, & adipiscantur tandē salutem. Irenæus [g] legit in futuro. Augustinus [h], quasi Petrus dixisset Gaudetis: *Vide(ait) quid Petrus dicat in epistula sua. quid effundat ex dono illo sancti Spiritus.* Tum subdit: *Gaudeamus & nos, credēdo in eum quem non videmus, vt securi illum videamus cùm ad ipsum peruenerimus.*

Lætitia inenarrabili.] Χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ, *Gaudio indicibili.* Mouit Carthusianum, vt supra, loco *credentes* legeret *videntes*. Minimè necessaria ratio, etiamsi de beatifica visione lætitiam istam nasci concedamus: quod eidem Irenæo [i] placet, qui gaudium inenarrabile dicit fore, quâ videbimus gaudium nostrum, nempe de quo Christus: *Intra in gaudium domini tui* [k]. De eâdem Dei visione non pauci Paulum [l] cum Esaia [m] putant loqui, cum scribit: *Quod oculus non vidit*, &c. Vel vt est apud ipsum met Esaiam: *A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt: quod oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Præterea, quādo idem Paulus [n] audisse se refert *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* At nec vidisse Paulum tunc Deum satis constat, & locus Esaiæ de reuelatis fidei nostræ mysteriis intelligitur ab aliis: vel de rebus iis, quas mūdo Christus exhibiturus erat longe præstantiores, quam essent olim in monte Sina exhibitæ. Vnde idem Propheta subdit: *Occurristi lætanti, & facienti iustitiam: in viis tuis recordabuntur tui*, &c. Vtrumuis sit, rectè dicitur lætitia inenarrabilis non tantum ab hominibus, vt ait Th. Anglicus, verumetiam ab Angelis quorū sunt & suæ linguæ [o], vt ait Thomas Anglicus. Scientia quidem expetimentali hoc manna absconditum nemo scit nisi qui accipit [p]: sed sæpenumero neque qui accipit etiam dum hic viuit, spiritualem consolationem, satis eam animo capit, aut exprimere verbis potest: siue percipiatur voluptas illa ex Eucharistia, quæ manna dicitur, siue aliunde, vt rectè Bernardus [q] docet interpretans vniuersè de dulcedine, quæ in retū cœlestiū contemplatione sentitur, appellans centuplum a Christo promissum [r]. Visionis diuinæ multò certiùs est lætitiam inenarrabilem nobis nunc esse, quia nihil pulchrius, honestius, verius, amabilius Deo, quod est obiectum ipsius. Idem obiectum quatenus est incomprehensibile, est quoque cuiuis inenarrabile. Beatus beato summet manifestare visionem non potest, per quam formaliter beatus est: maior minori potest, verbi gratia, apertè hanc, aut illā rem ex possibilibus, quas vidit in Verbo, non autem minor, aut ex iis, quæ pertinent ad statum suum: minor ex hoc solo rerum genere, maiori potest: par item pari declarare & hæc, & res easdem possibiles. Æqualitas verò visionis consistit in iis, quæ ad proprium cuiusque pertinent statum. Si gemitus inenarrabiles sunt, & vt loquitur Tertullianus [s] *ineloquaces* ἀλάλητοι *quibus postulat Spiritus pro nobis* [t], nil mirum, si lætitia, cuius idem Spiritus auctor est (dicitur gaudium in Spiritu sancto [u]) sit inenarrabilis. Vocat præterea Paulus *donum Dei inenarrabile* [x], ἀνεκδιήγητον communicatum Corinthiis, & *pacem Dei exsuperantem omnem sensum* [y], νοῦν mentem, & intellectum. Auctor Ecclesiastici [z] petit, vt repleat Deus Siō id est, Ecclesiam inenarrabilibus verbis suis, nempe de mysteriis diuinis. Etsi gemitus inenarrabiles propriè sunt, quando Spiritus sanctus efficit, vt oremus, nec tamen sciamus quid per orationes impetrare nos faciat. Vocat præterea Paulus sermonem de Christo, *grandem, & ininterpretabilem ad dicendum.*

Hue aduocare possemus eximios nonnullorum sanctorum affectus spirituales, gustúsque quibus præ imbecillitate conditionis humanæ cedere, ac succumbere cogebantur, ipsumque illorum largitorem precari, vt sese contineret, at que manum tettaheret, qualis Ephrem, B. Xauetius.

Glorificata.] Δεδοξασμένῃ, quasi sit vestita lætitia hæc, aut informata, & imbuta ipsamet gloria, & quidam prægustus eius, ac pignus, si agatur de diuina lætitia præsentis vitæ, vt existimo agi, non de beatifica, vt Carthusiano videtur. Caietanus glorificatam exponit tum ex parte materiæ, quia de glorificato Iesu, qui nēpe diligitur, & in quem creditur, sicut ante dictum est: tum ex parte formæ, quia participatio quædam gloriosæ lætitiæ. Thomas Anglicus glorificatam explicat, id est, à Deo laudatam: Hugo vel reputatam gloriosam a Christo, vel ab eo nobis gloriosè datam. Posterior dicendi modus Caietani est, quem attulimus

ipsi.

[Marginal notes:]
Eucharistia ... exponitur.
a Opusc. 58. de sacra. altaris, cap. 15.
b vers. 13.
c Exo. 12. 11.
d Tract. 2. de Euchar. c. 16. 1728.
e Lucæ 12. 35.
f versu. 6. 3.
g lib. 4. c. 24.
h 3. de Symbolo c. 7.
i lib. 5. c. 7.
k Matth. 25. 23.
l 1. Cor. 2. 9.
m Esa. 64. 4.
n 2. Cor. 12. 4.
o 1. Cor. 13. 1.
p Apoc. 2. 17.
q de conuers. ad Cleric. c. 22.
r Matt. 19. 29. Visionis diuinæ lætitia est inenarrabilis.
s de Trin. ... orat. c. ...
t Rom. 8. 26.
u Rom. 14. 17.
x 2. Cor. 9. 15.
y Philip. 4. 7.
z cap. 36. 16.
Hebr. 5. 11.
Sanctorum spirituales affectus inenarrabiles.

ipsi,& placet Salmeroni, atque Catharino. Hic tamen non hinc necessarium colligit argumentum pro certitudine, quam iusti habeant de sua gratia: exultandum enim est Deo, sed in tremore [a]: qua de re alibi. Infert aptiùs Clemens Alexandrinus [b], virum perfectum compleri gaudio maximo, cùm pro Christo, & Deo, quem non videt, multa patitur, sicut & Paulus hoc nomine gloriabatur [c]: Irenæus [d] nos nō aliū visuros in vita futura Christum, vt & Patrē, ac Spiritum sanctum, quàm qui ab Apostolis, & Prophetis nunciatus est. Indicat quoque Petrus nunc lætitiam fidelium qua ob spem futuræ gloriæ gaudent ludibrio haberi: tunc glorificandam atque magnificandam lætitiam in generali iudicio. Hîc est inchoatio quædam salutis, magis præstans veræ spem salutis, quàm salutem perfectam. Qua de re legendus Augustinus [e].

Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum] Addunt alij *vestrarum*. Augustinus [f] legit, sed non satis aptè ad præsentem locum *testamentum fidei*, nisi testamentum sumi dicas pro hæreditate ipsa beatitudinis, ad quam fides, quæ prima est radix in iustificatione, & cum sua forma, id est, charitate, atque cum cæteris virtutibus, refertur non sola per se sufficiens, vt garriunt hæretici, nec sola à Petro requisita, qui de tot aliis virtutibus mentionem hîc facit. Hæc tendimus, & nihil prodest, si iacturam animarum facramus, *etiamsi vniuersum mundum lucremur* [g]. Nullibi alibi quàm es, vt tam sæpe monet Augustinus [h], simul agens de inenarrabilitate lætitiæ spiritualis. Extra Christi fidem, & Ecclesiam salus non contingit. Postremò damnatis vera non conuenit fides, quia non possunt consequi salutem animarum suarum.

Salutem animarum.] Etiam corporum, quorum pendet salus ex animarum salute. Salus autem in sanctificatione consistit, & beatitudine supernaturali. Cùm ergo Clemens Alexandrinus in Cōmentario dicit, hinc apparere, non esse animam naturaliter incorruptibilem, aut more Platonico loquitur, iuxta quem etiam intelligentias siue Angelos Plato [i] munere Dei docet *esse immortales, quoniam à quo acceperunt esse, possunt ab eodem in nihilum redigi*: aut intelligit de incorruptibilitate Gratiæ, atque Beatitudinis, sine qua licet anima sit naturaliter immortalis, nec ab vlla naturali causa, vel intrinseco principio corrumpi possit propter miseriam peccati, & damnationis, mortua censetur potius, quàm viua. Sed nec fieri posse creaturam vllam rationalem naturaliter impeccabilem, probabilius est: quemadmodum neque cui sit connaturale gloriæ lumen.

Habebit corpus Beati, præter ceteras dotes, ac bona, hoc summum bonum, vt Christi humanitatem cernat. Hoc tradunt Theologi cum Cypriano [k], & Augustino [l]: & præ se ferre Iob videtur, dicendo [m]: *In carne mea videbo Deum meum*, (al às *Saluatorem meum*) *quem visurus sum ego, & oculi mei conspecturi sunt*, vt quidem locum illum explicant permulti [n]: & indicatur hic præcedentibus verbis: *Quem cùm non videritis, &c. credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili*, nimirum Christum hominem videndo. Sic decuit homini ex anima composito, & ex corpore, duplex aptari beatificum obiectum in eodem vno Christo, qui simul homo, simul est Deus, vt ratiocinatur Augustinus; vt nobilissimus corporis sensus visus, & præstantissima facultas animæ intellectus expleretur.

a Psal. 2. 11.
b 4. strom. c. 7.
c 2. Cor. 11. 3.
d lib. 4. c. 24.
e 2. con. Iul. cap. 8.
f lib. 1. de pec. mer. c. 27.
Fides non sufficit ad salutem sola.
g Mat. 16. 26.
h 1. Conf. c. 1. lib. 10. c. 40. lib. 13. c. 8. Soliloq. c. 13. & 30.
Anima quomodo non sit naturaliter incorruptibilis.
i in Timæo.
Corpus beati videbit corpus Christi.
k ser. de Nat.
l manua. c. 36. de spi. & anima c. 54. & 60.
m c. 19. v. 26. 27.
n citat illos Pineda.

Vers. 10.] De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.

HOc, duobúsque versibus sequentibus ostenditur, fidem, ac religionem Christianam, cuius finis animarum salus, minimè nouam esse, ac proinde non reuocandam in dubium, perinde ac si humana tantùm esset, in morem sectarum philosophicarum. Quò fit etiam, vt Didymus notat, vt neque qui ante, neque qui post aduentum Christi extiterunt, sint simpliciter inferiores illis habendi, qui tempore Christi. nam omnes aduentum spiritualem Dei verbi, qui consistit in sanctificatione, perceperunt: neque qui corporali præsentia Christi caruerunt, propter malitiam suam caruerunt, sed ob temporis interstitium: sed & peccatores multi viderunt oculis corporis Christum. Non item inferior dici debet Abraham, cùm Deum viderit, & omnes, qui secūdum Christum finiuntur, proficiscantur in eius sinum: non Moses, & Elias, qui cum Christo transfigurato apparuerunt, licet non viderint sensibiliter eum de virgine procreatum. Accedit, quòd qui Christi videbunt in fine mundi gloriosum aduentum, non idcirco præferri debebunt Apostolis, quibus inter eos, qui Christi sunt Euāgelium secuti, nullus fide, aut conuersatione celsior: neque Ioanne Baptista, *quo inter natos mulierum non surrexit maior.*

Vera sunt hæc eo sensu, ac fine, quo dicuntur à Didymo, videlicet contra illos, qui veteri detrahebant Testamento, quales Manichæi. Quin tamen copiosior sit gratia noui Testamenti, atque in eo plures, ac maiores sint sancti, quàm in vetere, non negat Didymus, immò nec fuisse maius priuilegium, videre oculis Christum, & auribus audire doctrinam: *quod multi reges, & Prophetæ desiderauerunt*, vt ipsemet Christus protestatus [o] est. Quod ait ab Abraham visum Deum, non opinor intelligit de clara visione, sed fortasse de illa, cuius meminit Christus, dicendo [p]: *exultasse vt videret diem suum, vidisse, & gauisum esse*.

Sinus Abrahæ [q], locus iustorum defunctorum dicebatur magis propriè ante ascensionem Christi, nondum patefacto illis cœlo: etsi modò dicatur: vt & quod *recubituri sint ex Gentibus fideles cum Abraham, Isaac, Iacob in regno cælorum* [r]: causa est, vel quia istis, sed primo præsertim, facta promissio fore, vt in semine ipsorum benedicerentur omnes gentes: vel quia pater credentium dici solet Abrahā: vel quia hospitalitatis excelluit virtute quæ amplectitur externos. Non etiam improbabile, similibus dicendi formis, vt quis in sinu Abrahæ esse, vel recumbere cum ipso, aliísve dicatur, innui ad beatitudinis gradum prope parem, similémque quem adeo sancti habuerint viri, euchendum, vt sentit Maldonatus [s]. Hæc de istis obiter, ne quis in Didymi verbis offendat.

Porrò ad confirmādos fideles, quanti sint momenti veterum testimonia Prophetarum, docui alìas pluribus: licet vim habeāt peculiarem apud Iudæos, vt conuincātur, vel si Christianam fidem amplexati fuerint, vt magis in ea confirmentur. Nunc epistola sequenti vocabit Petrus firmiorem propheticum sermonem ipsa quoque Christi transfiguratione.

Illud præterea certum, Ecclesiam ortum suum repetere, iam inde à mundi exordio, & appellari Catholicam etiam generalitate temporum, ita vt

Fides Christiana noua non est.
Noui Testamenti gratia copiosior quam veteris.
o Luc. 10. 24.
p Ioan. 8. 56.
q Luc. 16. 22.
r Mat. 8. 11.
s in c. Luc. 16.
Ecclesia ab origine mundi ortum suum repetit.

omnibus Christianũ nomen, vt Eusebius docet[a], possit accommodari, etiam antiquissimis. Plura hac item de re in disputatione de Ecclesia solent dici: quemadmodum & de concordia vtriusque Testamenti, quam præcipuè Tertullianus contra Marcionem, Augustinus contra Faustum Manichæum[b] demonstrat, Irenæus contra alios.

Exquisierunt atque scrutati sunt.] Ἐξεζήτησαν, καὶ ἐξηρεύνησαν votis ac precibus Prophetæ cognoscere de mysterio salutis nostræ contenderunt, vt Moses[c], David[d], Esaias[e], Daniel[f], (qui & vir desideriorum cognominatus est.) Iacob item Patriarcha[g], denique vocatur *desiderium collium æternorum*[h], *expectatio gentium, desideratus cunctis gentibus*[i]. Dici posset exquisitio, quasi extra se, & per affectum quæsitio, vt ait Thomas Anglicus. Sed exquisitio, & scrutatio non id propriè indicant: verùm curam, ac studium, & industriam naturalem, vel meditationis, vel lectionis, vel disputationis: qualem scrutationem scripturarum exigebat Christus ab aduersariis[k]: Lucas laudabat in fidelibus Thessalonicẽsibus[l]: Abraham respõdit vsurpandam à fratribus damnati diuitis[m]. Prophetæ donum supernaturale gratis datur aliquando etiam peccatoribus: tamen tribuitur interdum iis, qui sese bonis disponunt operibus, necnon qui quod in se est faciunt accurato studio, vt Danieli[n] contigit, & nonnullis noui Testamenti sanctis viris, quemadmodum Thomæ Aquinati, qui sic implorabant diuinam opem ad res diuinas intelligendas, vt simul vacarẽt lectioni, & commentationi. De oratione Cassianus[o], de assiduo studio Chrysostomus[p], negans fieri posse, vt si desit hominis magisterium, ipse Dominus supernè corda nostra intrans non illustret mentem. Confirmat exemplo Eunuchi[q], quod valdè exaggerat, de quo nos aliàs[r], & suadet, vt etiamsi non intelligamus, legamus, quia nõ rarò euenit, vt quod hodie inuenire non potuimus, postero die relegentes, repente, & cumulate inueniamus, Deo videlicet pro sua clementia occulte mentem nostram illustrante.

Sed & in scripturis extant exempla eorum, qui rerum sibimet reuelatarum rationes perquirebant, vt Abrahã[s], Moses[t], Daniel[u], pater Ioannis[x], (qui non ideo reprehensus, ac punitus est, sed quia dubitauit) Maria[y], *quæ etiam conseruabat omnia verba, & conferebat in corde suo*[z]. Abacuc[a] quoque dicebat: *super custodiam meam stabo, vt videam quid dicatur mihi.* Affert S. Maximus[b] aliqua ex his exemplis, docétque quòd non sola gratia operabatur in sanctis cognitionem mysteriorum sine facultatibus ad percipiendam cognitionem a natura datis.

Valet id contra veterem errorem Montani, & Priscilliani, & Anabaptistarum quẽ alibi refellimus[c], Prophetas, vt arreptitios fuisse, nec percepisse, quæ vaticinabantur. *Spiritus Prophetarũ,* ait Paulus, *Prophetis subiecti sunt*[d]. Testatur item Daniel[e] se librorum lectioni vacasse, & reperisse numerum annorum, de quo factus est sermo ad Ieremiam Prophetã. Denique sequitur, scripturas difficiles esse, vt sequente docetur epistola[f].

Qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.] De singulis mysteriis Christi, & Ecclesiæ collegerũt nonnulli Patres testimonia scripturarum, & post illos Ioseph Acosta libris de Christo reuelato nulla, ne nimis pauca, nunc afferam.

In vobis.] Εἰς ὑμᾶς, *In vos.* Syriacè דעתידא הוות דתתיהב לכון *dahhbethida hauath dethethheb lechũ.*

a 1. hist. c. 2.
b maximè lib. 12. & 13.
c Exod. 4. 10. 13.
d Psal. 84. 8.
e cap. 64. 1.
f cap. 10. 11.
g Gen. 49. 18.
h ibid. 26.
i Agg. 2. 8. Gen. 49. 10.
k Ioan. 5. 39.
l Act. 17. 11.
m Luc. 16. 29.
Prophetia donũ ... aliquando tribuitur, qui bene se disponunt.
n Dan. 10.
o 5. inst. c. 14. & 15.
p homil. 35. in Genesim.
q Act. 8.
r ibid.
s Gen. 15. 8.
t Exod. 3.
u cap. 9. 3. 4.
x Luc. 1. 18.
y ibid. 34.
z Luc. 2. 19.
a cap. 2. 1.
b apud Salmeron. hic, & Baron. Tom. 8. Ann. pag. 455.
c in Zacham.
d 1. Cor. 14. 32.
e c. 9. 2.
f cap. 3. 16.

Quæ futura est vt detur vobis. Athanasius[g], εἰς ἡμᾶς. *In nos.*

Gratia.] Etiam gloria, immò & incarnatio, ac reliqua mysteria, quæ in lege noua peracta sunt, quæ vocatur etiam lex gratiæ, propter maiorem copiam eius, & propter Christum, per quem gratia, & veritas facta est, *cùm per Mosen lex data sit*[h], & Gloria, est gratia consummata.

Vers. 11.] **Scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.**

Deprehendebant Prophetæ instinctu Spiritus Messiæ, eiusdem Messiæ aduentum, & gratiæ dona, quę allaturus erat, nec tamen saltem omnes definitè sciebant quo tempore veniret, & quali, quàm breui, an belli, aut pacis, captiuitatis, aut libertatis, quo statu Reipublicæ Hebræorũ. Explicabãt, quæ Messias primùm passurus, quam postea gloriam cõsecuturus, & collaturus etiã esset: at ignorabãt circumstantiam temporis, & ratiocinando, atque coniectando disquirebant. Dixi saltem non omnes illud definitum tempus cognouisse, quoniam videtur Danieli[i] perspectum fuisse, ac nonnullis præterea quibusdam, vt Iacob[k], Dauid[l], Esaiæ[m], quod repetit Michæas[n].

Arias Montanus[o] occasionem primam quare scrutarentur Prophetæ dictum tempus fuisse vult reuelationem *de conterendo serpentis capite per semen mulieris*[p], aut per hanc, quia per illud. Propterea Euam primo filio imposuisse nomen Cain a possessione[q], quasi hoc lucrum iam per illum consecuturum esset genus humanum, secũdum Abel appellasse[r], quasi minus ad id idoneũ voce, quæ significat aut luctum, aut interitum, aut frustrationem: deinde vocatum alium ab Adam Seth[s], cùm diceret: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel:* à Lamech Noe: quia *consolabitur terram*[t]: à Thare Abram[u], quod significat patrẽ excelsum, à Noë Sem, id est, nomen, & fama. vel positus, dicente *Benedictus Dominus Deus Sem*[x]: Abraham conquestum esse quòd vaderet sine liberis[y]: idcirco mutatum huic, & vxori nomen[z].

Significaret.] Ἐδήλου. *Demonstraret, declararet, manifestaret.* Dicit autem (in quod, vel quale tempus) vel Hebræo idiotismo, iuxta quem præpositio ב *be, in,* cum verbis quibusdam construitur; vel ad indicandum temporis absentis terminum.

In eis Spiritus Christi.] Simul iungi debent ista τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ, Spiritus Christi qui erat in eis, vel efficienter inspirando, vel inhærendo. Primo rursus modo, aut ille Spiritus est persona tertia Trinitatis, quæ in Symbolo Niceno locuta dicitur per Prophetas; & in epistola Petri secunda[a] *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines:* quod absolutè Deo tribuitur in Cantico Zachariæ[b]: aut est aliquis Angelus, cuius opera factę fuerint reuelationes. Glossa ordinaria exponit de Angelis: Beda, & Hugo de his, vel de Spiritu sancto, cæteri de solo Spiritu sancto, qui & in Christo habitare peculiariter dicitur[c], vt est homo, & ab eodem quatenus est Deus procedit, sicut à Patre. Probat hinc diuinitatem Christi Cyrillus Alexandrinus[d], & Idacius[e] dicens leni nutu, & furtiuis quodammodo aspectibus prophetas in eam prospicere concupiuisse. Eodem ex loco probat Petrus[f] Damiani Spiritum S. à Filio procedere: ac aliis locis nunc dici Spiritũ Patris,

g epi. ad Serapionem.
Cur noua ... lex gratiæ dicatur.
h Ioan. 1. 17.
i cap. 9. 24.
k Gen. 49. 10.
l Psal. 71. 7.
m cap. 2. 4.
n cap. 4. 1.
Cur Prophetæ Christi tempus scrutarentur.
o lib. 4. 3 contritio. & regenerat. Adæ c. 8.
p Gen. 3.
q ibid. c. 4.
r ibid.
s ibid.
t cap. 5.
u cap. 12
x Gen. 9.
y num. 1. 5.
z cap. 17.
a cap. 1. 21.
b Luc. 1. 70.
c Esa. 11. 2. *Diuinitas Christi probatur.*
d lib. de fide ad Reginas.
e cont. Varim.
f lib. 3. ep. 3.

nunc Filij: nunquam negari à Filio procedere, sed potiùs contrarium apertè colligi.

Quæ in Christo sunt passiones.] Τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, *in Christum passiones*, nempe futuras, & inferendas Christo. Syriacè דעתידים חשוהי דמשיחא *dahhathidim chassanhi damschha. De futuris passionibus Christo.* In quibusdam codicibus Latinis: *Quæ in Christo futura erant.* Extẽdunt Hugo, Thomas Anglicus, Lyranus, Feuardentius ad membra Christi, quæ passiones experiri debebant, & Christus in illis. Plurimi sanè referebat Christi passiones prædici, quod & in Sibyllinis oraculis adeo perspicuè legimus, & tã multis quoque figuris præsignificatum est, atque clarissimis verbis Christus ipse aliquoties præmonuit, vt omnes intelligerẽt *regnũ ipsius non esse de hoc mũdo* [a], ac tẽporale, vt maxima Iudæorum pars arbitrabatur; vt æstimarent peccati grauitatem, & miseram humani generis conditionem, cui tali remedio succurrere Dei Filius deberet: vt magni facerent gloriã beatam, & quiduis pro eius adoptione tolerarent, cùm ius ad illam eiusmodi pretio nobis comparatum sit, & Regem ipsum *gloriæ pati oportuerit, & sic intrare in gloriam suam* [b], quę tamen solùm accidentalis est: vt nemo postea offenderetur, cùm res antè prædictas videret impleri, sed sinceritatem potiùs cõmendaret scripturarum, & in prædicendo antequam euenirent, & postquam euenissent in narrando res secundum humanum iudicium horribiles, fugiendas, silentio inuoluendas.

Cur Christi passiones prædictæ fuerint.
a Ioan. 18.36.
b Luc. vlt. 26. 46.

Posteriores glorias.] Oportuit enim, vt dictũ est, *prius Christum pati, & sic intrare in gloriam suam:* quæ multiplex distingui potest in anima, remouendo tristitiam omnem: In gloriosi corporis dotibus, & ascensione: in propagatione nominis per Ecclesiam, & animarum salute: in iudiciaria potestate, quam exercebit suo tẽpore. Hæc omnia sibi meruit Christus: & quoniam *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem crucis* [c]: *propterea Deus exaltauit illum, &c.* Et *propter passionem mortis gloria, & honore coronatus est* [d]. Meriti voce ad hoc propositũ Cyrillus [e] vtitur, & Augustinus [f], Ambrosius [g], Hilarius [h], Fulgentius [i], Vigilius [k], & expositores vtriusque citati loci tum Græci, tum Latini, omnésque Theologi aduersos ætatis nostræ hæreticos, negantes quidquam sibi mereri Christum potuisse.

c Philip. 2. 8. 9.
d Heb. 2. 9.
e de fide ad Reginas.
f Tract. 104. in Ioan.
g in c. 2. ep. ad Philip.
h li. 9. de Trin.
i 3. ad Thrasymon.
k 5. cont. Eutychen.

Altera ex ista quoque sententia tota, hæresis conuincitur, nihil de Christo in vetere Testamẽto expressè dictũ esse. Ea fuit Theodori Mopsuestieusis, vt traditur in Cõcilio Cõstantinopolitano [l], & meminit B. Thomas [m]. Nihil impudẽtius dici ab eo, qui euangeliis fidem habeat, potest, in quibus præter tot citata veteris Testamenti testimonia, Christus ipse prouocat Iudæos ad lectionem Mosis [n], qui de ipso scripserit. Peregrinis [o] Emmaus interpretabatur Mosem, & Prophetas locutos de se. Petro, cum vulnerasset Malchum, exprobrat [p]: *Quomodo implebuntur scripturæ?* sæpe de passione: post resurrectionem aperuit Discipulis sensum, vt intelligerent scripturas [q]: dixit quoque tunc, oportuisse impleri omnia, quæ scripta erant in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de se [r]. Paulus affirmat se *segregatum in euangelium Dei, quod Deus ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo* [s]. & *iustitiam Dei nunc manifestatam esse, olim testificatam à lege, & Prophetis* [t], & quia mortuus est, & resurrexit secundum scripturas [u]. Item Petrus in cõcione ad Iudæos ipsos dixit, quod *Moses, & Prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti sunt annuntiauerunt dies istos* [x]: rursum, quòd *Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum* [y].

Hæresis impia, nihil de Christo in vetere testamento expressè dictum.
l Act. 4.
m prologo in Psalmos.
n Ioan. 5. 39.
o Luc. 24. 25. 26. 27.
p Matt. 26. 54.
q Luc. vlt. 45.
r ibid. 44.
s Rom. 1. 2.
t infra 3. 21.
u 1. Cor. 15. 4.
x Act. 3. 24.
y Act. 10. 43.

Idem, quod Mopsuesteous propemodum faciũt aliqui hæreticorum nostri temporis, hi etiam de Catholicis, qui plus æquo iudaizant, dum vel veteres scripturas solùm exponunt de Iudæis; vel allatas pro Christo nouóque Testamento, negant aptè, & iuxta literalem sensum afferri. Apud Didymum in 2. de Spiritu S. ex Hieronymi versione citatus hic locus, *& ea quæ post erant secutura decreta.* Etsi verò δόξα significet quandoque decretum, non congruit ea notio proposito.

Vers. 12.] Quibus reuelatum est, quia non sibimet ipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nunciata sunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis, Spiritu sancto misso de cælo, in quem desiderant Angeli prospicere.

PRæcedentes prophetiæ, quoniam sunt de rebus futuris, posteris prosunt magis quàm ipsimet prophetantibus, vel iis, qui cũ illis viuunt. *Adhuc visus procul, & apparebit in fine* [z]: & de Ezechiele [a] dicebant: *Visio quam hic vides, in dies multos, & in tempora longa iste prophetat: in longũ differuntur dies,* & apud Esaiam [b] erat prouerbium: Manda Remanda: Expecta, Reexpecta: Expecta, Reexpecta: Modicum ibi, Modicum ibi. Igitur Apostoli, in quos fines sæculorum deuenerunt [c], & vaticinationes impletas viderunt, accepto etiã Spiritu sancto, qui de cœlo missus est [d], bonum nuncium attulerunt distinctè prædicando iam impleta mysteria Christi: quem Christum quæq; ad illũ spectant, vel quem Spiritum sanctum Angeli ipsi summa oblectatione indefessè prospiciunt.

Prophetiæ prosunt posteris, magis quàm prophetantibus.
z Habac. 2. 3.
a c. 12. 22. 27.
b cap. 28. 10. & 13.
c 1. Cor. 10.
d Act. 2. 2.

Quibus reuelatum est.] Syriacè ואתגלי להון כל דבצין *veethgheli lehun chol debaisin, & reuelatum est illis omne quod scrutantes erant.* Hoc nõ credo, prout prius etiam dixi, sed quidquid illud sit, quod ipsis reuelatum est, esse reuelatum in gratiam posterorum. Didymus in opere de Spiritu sancto [e], quod transtulit Hieronymus, videtur retulisse hoc ad posteriores glorias: legit enim *in quibus.*

e lib. 2.

Vobis ministrab. m.] Διηκόνουν. De Græco verbo dictum in Actibus Apostolorum [f]. Syrus Interpres exponit: *Et reuelatum est illis omne quod scrutantes erant, quia non sibimetipsis perquirentes erãt, sed nostra vobis vaticinabantur.* Alij quoque Græci codices habent ἡμῖν *nobis*, & quidam Latini (nobis.) Quæ lectio reperitur etiam in Didymo Latino antea citato. Ministri sunt Prophetæ Dei, se Spiritus sancti, cuius loquũtur instinctu, sed in vtilitatem nostrã, eo modo, quo Angeli vocantur administratorij Spiritus [g]. Hesselius ait verbum *ministrabant* intelligi posse neutraliter; pro vtilia erãt, vel vsui, vel commodo: tuncque (ea) esse nomina tiui casus. Item verbum idem accipi posse actiuè, ac referri ad Prophetas. Similis hoc pacto locus in priore ad Corinthios epistola [h], vbi scribitur *omnia in figuris contigisse Iudæis: sed scripta esse propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt.*

f cap. 6.
g Heb. 1. 14.
h cap. 10. 11.

Per eos qui euangelizauerunt vobis.] Apostolos, aliósve Christi Discipulos. Quibus autem euangelizabant, illi videtur Gentiles etiam fuisse, non Iudæi soli, vt in præfatione ostensum est. Idem Spiritus, fides eadem vtriusque Testamenti: nobis in vtriusque scriptis versandum. *Sapientiam*

enim omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit [a].

Indicare docet Petrum Hesselius, se non fuisse eorum euangelistam: dicturum enim fuisse, per nos qui euangelizauimus vobis. Quidni seipsum cum aliis coniungere euangelistis seu prædicatoribus intelligatur?

In quem desiderant Angeli prospicere.] Cyrillus Alexandrinus legit *in qua.* Græcè Εἰς ἃ: Syriacè בהלין *behalen. In qua.* Et sententiam totam vertit Syrus Interpres, *in qua desiderant etiam Angeli prospicere.* Istam lectionem omnes fere Græci patres, & expositores sequuntur, & Ephrem Syrus [b], & Didymus in Commentario monet sic legi apud Græcos, & non *in quem.* Ex Latinis, aut qui Latinè scripserunt, Irenæus [c], quem Latino sermone vsum ferunt, potest proferri. Facilis mutatio fuit εἰς ὃ in εἰς ἃ. Interpres Latinus legit εἰς ὃ. nimirum Πνεῦμα, quod proxime præcessit, & Latinè est Spiritus generis masculini. Hac posita lectione, cui non debet prior præferri, vt facit Gagnieus, Catharinus, Caietanus, Vatablus, non est adeo laborandum in expositione Græcæ lectionis εἰς ἃ: possunt verò intelligi euangelizata mysteria Christi, de quibus Angeli gaudent, & præ gaudio videntur inhiare, & desiderare; vt paulò pòst dicemus, & Cyrillus Alexandrinus [d] disertè tradit: vel nõnulla quoque ignorant, & addiscere possunt ab euangelij ministris, vt indicat Paulus Ephesiis [e], cùm ait: *Vt innotescat Principatibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiã multiformis sapientia Dei.* & ad Timotheum prima Epistola [f]. *Manifestè magnum est pietatis sacramentum, &c. quod apparuit Angelis* [g]. De hoc in disputatione de Angelis, maximè verò Vasquez [h]: legendus quoque Augustinus [i].

Itaque is, in quem desiderant Angeli boni scilicet, ac beati (de malis, Paulum, aliqui, & præsentem locum, vt indicat Didymus, interpretantur, & Clemens Alexandrinus reiicit) prospicere, παρακύψαι, id est, attentiùs, penitùs, & velut applicatis, & declinatis oculis cernere, vt fecit Ioãnes, quando se inclinauit, & vidit posita linteamina [k], παρακύψας: vt apud Iacobum [l]; *Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis.*

Origenes [m] id interpretatur de Angelis desiderantibus ad animarum nostrarum cooperari salutem, ne in iudicio iudicentur ab hominibus eidem salutis nostræ procurationi studentibus, & horum præferatur ministerium, ministerio ipsorum, atque ita per comparationem censeantur ab hominibus Angeli iudicati, vt scripsit Paulus [n].

Si respicimus ad coniecturam nostram de lectione Græca, εἰς ὃ est Spiritus sanctus, qui vt gratiæ auctor per quamdam attributionem, multa subinde noua edit mirifica opera illius, quæ Angeli ipsi nesciunt, & scire desiderant, vtpote cooperatores illius ad salutem nostram. Certè altercantes inter se apud Danielem Angeli [o], erant in aliqua ignoratione.

Quòd si de visione ipsiusmet Spiritus sancti intelligamus, eo modo desiderant, quo *qui edunt Sapientiam diuinam*, & Deo fruuntur, *adhuc esuriunt, qui bibunt adhuc sitiunt* [p], quia recens est semper, ac noua, & sine fastidio, tædióve lætitia, tantóque velut impetu in illius obiecti perceptione versantur Angeli, ceterique Beati, ac si nunc primùm inciperent. In hac explicatione conueniunt loci præsentis tractatores, & Gregorius [q] concilians cum verbis Christi, quibus asserit, quòd Angeli semper vident faciem Patris [r] (idem habet Beda [s], & Isidorus [t], & Petrus Damianus [u], & S. Thomas [x].) Sed eodem modo de visione Dei, & Trinitatis loquuntur, quamuis de Spiritu sancto sermonem esse fateantur, qui substantialiter est Deus: de Christo tamen etiam Hugo explicat, Beda, & Glossa Ordinaria, Thomas Anglicus, & probabile putat Carthusianus, Titelmanus absolutè de Christo propter magnitudinem gloriæ eius vt homo est. Tunc verò Græcè legi deberet εἰς ὃν referendo ad Christum, de quo paulò remotiùs sermo habitus est. Fauet Sophronius [y] Patriarcha Constantinopolitanus (quamuis legat *in quæ.*) Dicit enim Prophetas, & Angelos Christi natiuitatem, & locum, in quo natus est contueri desiderasse. Eundem de Christo sensum Petrus Damianus [z] sequitur, & Auctor libri de Spiritu, & Anima apud Augustinum [a], qui creditur Hugo S. Victoris, & Bernardus [b], Irenæus citatus de donis à Christo collatis interpretatur. Didymus, & Ephrem, & Caietanus de statu, qui erit in fine seculi. Alij de eo, qui toto tempore militantis Ecclesiæ, præsertim quàm fortiter se gerant Christi milites contra tentationes, & persecutiones. *Sunt enim spectaculum Mundo, Angelis, Hominibus* [c]. Hoc pacto Salmeron, & Catharinus. Sed prior nominatim etiam exponit desiderare Angelos in Christũ prospicere in Eucharistia, prout magna illum ibi cum veneratione, & voluptate sub speciebus spectant, quæ sunt veluti rimæ quædam, aut fenestræ. Idem antea notauimus versu nono, vbi & de Turriani nostri expositione, & de Liturgia Marci vtentis verbis istis pro præsentia Angelorum in Eucharistia Si de Christo interpreteremur, affirmare poterimus alludere Petrum ad Cherubim perpetuò intuentis propitiatorium [d]; quasi semper intuerentur Angeli Christum propitiatorem nostrum, tanquã Deum suum, & desiderarent semper, vt perficeret propitiationem nostri. Duo Seraphim apud Esaiã [e] idem designabant. Lege Cyrillum [f]. Denotant idem Angelorum desiderium psalmus 23. [g] & caput 63. [h] Esaiæ, vbi inducuntur Angeli Christum ascendentem in cælum intueri maximo desiderio cupere.

Philippus [i] Solitarius communi vsus editione Græca, in quâ est *in quæ*, docet Angelos desiderare, vt in natura ipsorum, quemadmodum etiam in carne nostra secundum substantiam suã Deus Verbum ipsorum conditor inhabitet, nimirum per vnionem hypostaticam, vt ipsorum quoque natura à nobis adoretur, & glorificetur in throno Cherubico, & in sinu Patris sedens, quemadmodum natura nostra in Christo ab ipsis, & ab omni aspectabili, inaspectabilíque creatura adoratur: vt habeãt claues regni cœlorum, & sedeant super duodecim thronos cum Christo iudicantes, sicut in die Iudicij piscatores cum Christo iudicaturi sunt: vt tanta apud Christum potiantur libertate, quanta potitus est, qui super pectus eius recubuit: Immò addit, *quod homines iustos faciet Christus discumbere, & transiens ministrabit illis* [k]: *in die autem Iudicij virtutes cælorum commouebuntur præ timore, & tremore illius* [l]. Hæc dextrè commodéque accipienda ad commendationem dignitatis, quam humana natura cõsecuta est ex vnione hypostatica diuini Verbi; ita vt, si fieri posset, hanc & quæ cum ea sunt nexa, desiderarent Angeli: nam quod Angelis non proponitur, vt practicè,

Marginal notes: a Eccl. 39. 1. — b serm. de Armat. spiritua. — c Iren. lib. 4. c. 67. — *Angeli gaudent de Christi mysteriis reuelatis.* — d serm. de eo quòd verbum Dei factum sit homo. — e cap. 3. 10. — f cap. 3. 16. — g 1. p. q. 57. a. 5. & q. 118. art. 2. ad 1. — h disp. 215. c. 2. & 217. c. 5. — i 5. de Gen. ad lit. c. 19. — k Ioan. 20. 5. — l Iacob. 1. 25. — m hom. 22. in num. — n 1. Cor. 6. 3. — o Dan. 10. — *Quomodo Angeli Spiritũ S. videre desiderent.* — p Eccl. 24. 29. — q 18. Moral. cap. 28. — r Matt. 18. 10. — s Tom. vlt. lib. Quæstion. in q. 9. — t lib. 1. sent. c. 12. sent. 20. — u [illegible] qui est de Annunt. — x 1. par. q. 58. art. 1. ad 3. & 1. 2. q. 67. a. 4. ad 3. — y Orat. 1. de Natiu. Christi, Tom. 2. Biblio. Patrum. — z ep. 3. ad Blancam c. 4. — a Tom. 3. cap. 9. — b ser. 4. de commub. [illegible] — c 1. Cor. 4. 9. — d Exo. 25. 20. — e cap. 6. — f de [illegible] — g v. 10. — h vers. — i 3. Dioptra, cap. 4. — *Angeli desiderant vnionem hypostaticam Verbi in ipsorum natura.* — k Luc. 12. 37. — l Matt. 24. 29.

ctice, & possibile, & futurum, minime desiderant. Sic aliqui exponunt murmur eorum, qui acceperunt singulos denarios cōtra Patremfamilias [a], ob magnitudinem beatitudinis tantam, quæ videatur posse id efficere. Sic alij de Angelo euangelizante aliter quàm Paulus [b]: sic de tradente omnia in cibos pauperum, & ardente flammis absque charitate [c]. Qui volunt Angelos ob præuisam Christi passionem, & propter merita eius præseruatos à lapsu, & confirmatos in gratia, & felicitate donatos, & hac ratione caput dici Christum omnis Principatus [d], & Potestatis, dicent quoque desiderare prospicere in eundem ratione amoris, & gratitudinis.

Ceterùm, quam autè dixi de Spiritu sancto sententia communior tradita quoque hic a Clemente Alexandrino, (qui & videtur legisse εἰς ὅ, & desiderare dicit Angelos profectum perfectionis illius adipisci, hoc est, vt existimo, perfici in nobis, nósque proficere in illo.) Et à Victore Vticense [e], & ab Ambrosio [f], (qui per Spiritum sanctum sumit mysteria nostra, & quæ sunt etiam de Christo) & ab Epiphanio [g], & ab Athanasio [h], & à Basilio [i], & alibi a Didymo [k], & ab Idacio [l]: multo etiam verior est, quomodocumque videre accipiamus vel de visione beatifica vel de cognitione particulari operū Spiritus sancti circa nos, & Ecclesiam.

Quid si desiderare dicamus Angelos prospicere in Spiritum sanctum, qui Ecclesiam gubernat, & nos sanctificat, donisque suis munit, & ornat, vtendo Angelorum ministerio, quia prōpti, parati, expediti, inhiantes quoque sunt, & percupidi ad procuranda, & deferenda hominibus diuina auxilia, & munera? Indicat sensum istum verbum παρακύψαι, ita vt hoc desiderare sit velle prono quodammodo corpore oculos admouere ad singula hæc inferiora præstanda, quæ indicentur ab Spiritu sancto: vel curiosè aspicere quasi e fenestra transuersis oculis, & in obliquum: quia fixum obtutum habent à beatifica visione, cui vacant, etiamsi inferiora ministeria obeant.

Præter indicata Patrum varia loca occurrit adhuc Ambrosius [m], sed lapsu memoriæ pro Petro Paulum nominans, qui sic scribit. Audi ergo Apostolum Paulum dicentem ea nobis esse collata, quæ concupiscunt & Angeli videre. Vbi videtur legisse εἰς ἃ in quæ: item Gregorius [n] interpretans absolute de Deo: adhæc Pelusiota [o] exponens de Christi Sacramentis. Sequitur verò Angelos nostræ salutis coadiutores de illa summam percipere lætitiam: qui etiam primi de redemptione nostra nato redemptore laudem Deo reddiderunt; *Gloria in excelsis Deo* [p].

Vers. 13.] Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in reuelationem Iesu Christi.

HActenus exordium, colligit nunc Petrus, proponitque hanc adhortationem, vt ad res tantas, quæ prædicatæ sint ipsis ab Apostolis, & Discipulis Christi, prædictæ à Prophetis, & concupitæ ab Angelis ipsis, comparent sese primùm per corporis, animique castimoniam, & sanctitatem.

Succincti lumbos mentis vestræ.] Castitas mentis, & affectus intelligitur, ac proinde multò magis carnis & effectus, vt passim exponunt omnes, & præterea Hieronymus [q], Augustinus [r], Gregorius [s], Basilius [t], Bernardus [u], & eodem pacto similem Lucæ locum [x], quem optime declarat noster Toletus [y], distinguēs quadruplex cingulum mortificationis, viæ, militiæ, seruitij. Verba porrò ista Petri accipit de cingulo mortificationis, & viæ per opera bona ad Deum: de cingulo militiæ sententiam Pauli [z], qua iubet *armaturam Dei accipere, vt possimus resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare*, vt proinde standum sit nobis lumbis in veritate succinctis. Cingulum verò seruitij ac strenuitatis ait esse, quando quis abiicit affectum erga res huius seculi, contentus necessarijs, vt sit paratus ad omne opus bonum.

Distinguit Bernardus [a] pelliceam Zonam Eliæ, ac Ioannis, lineam Aaron, auream Christi [b], hoc est, mortificationis, seu memoriæ mortis, castitatis, charitatis, quæ vrget nos [c], id est, stringit, & est ad mammillas, vbi sedes cordis, quod non est sollicitum de stringenda in lumbis castitate, nec tam de rebus externis, quàm internis. Sed, vt ait Gregorius [d], *cunctos mutabilium cogitationum motus per solum amoris vincula restringit*. Hebræos volebat Deus accinctos [e], Habacuc [f] vocat populum accinctum: de Elia, & Ioanne notū. de Christo quoque diximus: quem præterea cingit Esaias [g] iustitia, & fide: Daniel [h], sicut & Ioannes [i] auro: Sed ille ad renes, & lumbos, hic, vt etiam notauimus, ad mammillas. Apud Gent les malè audiebant male præcincti, vt Sylla, tanquam laxi, vel moribus incompositi.

Augustinus [k] docet præcingi, esse ministraturi: accingi, præliaturi: cingi, quippiam operis facturi: succingi, iter aggressuri. Verùm pendent hæ notiones magis ex circumstantiis, subiectáque materia, quam ex vi verborū, quibus etiam plerumque respondet idem vel Hebræum, vel Græcum. Symbolum roboris ac fortitudinis, & strenuitatis militaris est cingulum, quod Marti quoque sacrabant Antiqui [l]. Vnde potētia Deus ipse dicitur accinctus [m], *& alios virtute præcingere ad bellum* [n], *& mulier fortis accinxisse fortitudine lumbos suos* [o]. Est autem summæ fortitudinis opus carnis luxum comprimere, lumbos restringere, in quibus Diabolus fortitudinem habere scribitur [p], fortiter ea tentatione fortes quosque concutit duris prœliis, ratis oppugnatorum victoriis [q], & *seruata virginitas habet martyrum sinum* [r]: ipsique Gentiles armabant virgines arcu, & sagittis.

Virginibus Tyrijs mos est gestare pharetram [s].

Generalior interpretatio, vt præcingete, vel succingete lumbos, id est declinate à malo, seu remouete mali occasiones, & impedimenta laciniosæ vitæ, & implicitæ, atque reprimere appetitum rerum secularium, vera est, quam etiam tradunt Augustinus [t], Tertullianus [u], Titus Bostrensis [x], Cyprianus [y], Cyrillus Alexandrinus [z]. At proposito non conuenit, quia mox oratio subiicitur de sobrietate. Idem iudicium de succinctione lumborum mentis, vt cum Gagneio, & Occumenio, Hugone ad vanás, & erroneas cogitationes, extendatur, item dem sit, quod prompto animo esse.

Sobrij estote.] Νήφοντες. Hieronymus [a] *vigilantes*, quam etiam lectionem recipit præter ordinariā Vatablus. Syriacè ואתחעירו בזהירותא גמירתא *vethhhebhiru ghemi aith, & excitamini perfectè*. Participium Græcum admittit vtramque significationem: quo item pacto νηφάλιον vocamus vigilantem, & attentum, atque etiam prudentem, non tantùm sobrium: & vigil est, qui sobrius parci somni, quo parci cibi. In posteriore ad Timotheum epistola

Marginal notes:
a Matt. 20. 11. b Gal. 1. 8. c 1. Cor. 13. 3. d Col. 1. 16. e de Persecut. Vvandalo in ratione fidei. f de Isaac. c. 8. g hæresi 74. h ad Serapio. i de Spiritu sancto. k de Spiritu sancto. l Cont. Varimadum. m 4. de Sacram. c. 1. n homil. 8. in Ezecl. o lib. 1. epist. 229. p Luc. 2. 14. q 1. cont. Iouin. in cap. 16. Ezech. r de continentia c. 7. & hom. 35. de verb. Dom. *Quadruplex cingulum*. s hom. 13. in Euang. lib. 32. Moral. cap. 11. t lib. 28. cap. 7. lib. 30. cap. 3. u serm. 1. de modo bene viuendi serm. 23. x 2. cap. 12. 35. y ibidem. z Eph. 6. 14. a in sententiis. b Apoc. 1. c 2. Cor. 5. 14. d 34. Moral. c. 33. e Exo. 12. 11. f Habac. cap. 3. 16. g cap. 11. 5. h cap. 10. 6. i Apoc. 1. 13. k in Psal. 92. l Hom. Iliad. 2. m Psal. 74. 7. n Ps. 17. 33. 40. o Prou. 31. 17. *Summæ fortitudinis est carnis luxum comprimere*. p Iob. 40. 11. q Aug. serm. 250. de Tempore. *Seruata virginitas habet sinum martyrum* r Hieron. ep. ad Demetria. s Virg. 1. Aeneid. t serm. 39. de verb. Dom. & 2. Quæstion. Euang. c. 25. u 4. cont. Marcio. c. 29. x in Lucam c. 12. y lib. de exhor. Pœc. de exhor. martyr. c. 8. z 4. de Ador. a 1. cont. Iouin.

stola [a], σὺ δὲ νῆφε vertit Interpres: *Tu verò vigila*, & Capite quarto [b] huius epistolæ nostræ: Νήψατε εἰς τὰς προσευχὰς: *Vigilate in orationibus*: Sed in Capite quinto [c] pro eôdem verbo ponit: *Sobrij estote*, quia sequitur aliud immediate, γρηγορήσατε Vigilate.

a cap.4.5.
b vers.7.
c vers.8.

Porrò sequens aduerbium perfectè (τελείως) necti potest vel cum (*Sobrij estote*) vel cum (*sperate*) Oecumenius primum amplectitur, & ait indicari ex.lem, ac introductricem sobrietatem legis fuisse accommodatam imperfectis. Catharino, Caietano, Vatablo placet secundum, nec spem perfectam, solidámque esse illorum, qui vacant intemperantiæ, & libidini, cum sine sanctimonia ἁγιασμῷ nemo sit visurus Deum [d]: & nihil coinquinatum (κοινὸν) in illam sanctam ciuitatem possit intrare [e]. Aliqui legunt (perfecti) vt Glossæ, Titelmanus, Hugo, Carthusianos, Thomas Anglicus. Oecumenium sequor, cui citatus fauere Hieronymus videtur: sed ita vt nó existimem cogitasse Petrum de illa differentia vtriusque legis in castitatis perfectione, & sobrietatis.

d Heb.12.14.
e Apoc.21.27.

Rectè autem cum castitate, lumbísque succinctis sobrietas coniūcta est, propter cognationem tantam, vt illa sine hac, nequeat consistere, vt liquidò constat. Confirmabo dumtaxat præclaro Nazianzeni somnio [f], in quo puellari honestissima forma obiectæ sunt Castitas, atque Temperantia, sese affirmantes Christo regi assistétes cœlestiom Virginum pulcbritudine delectari, & sui studiosos eximio quodam & singulari splendore præditos iu cœlum ferre, ac iuxta immortalis Trinitatis fulgorem collocare. Ex intemperantia circa cibum, nata statim in primis parentibus rebellio in carne est.

Sobrietas cum castitate coniuncta, & sine hac illa neque consistere.
f Nazianzen. Orat. de Calamitatibus suis.

Perfecte.] Alij multi legunt (Perfecti) sed Græcè est τελείως, vt dixi, docens quoque quò referendum videatur. Ex eo colligimus, attingi posse perfectionem in hac vita, non summam quidem, & sine peccatis vllis, etiam leuibus, nisi concedat Deus priuilegium: sed à qua possimus denominari, ac reuera iusti esse coram Deo, & veras habere virtutes, exclusis iis quæ directò contraria sunt illis, vt sunt peccata mortalia.

Sperate in eam, quæ vobis offertur gratiam.] Hieronymus, *quæ vobis deferenda est*. Syriacè וסברו על חדותא דאתיא לכון *vesabba u bhal chadutha dathcia lechun*. *Et sperate in gaudium, quod veniet vobis* Ἐλπίσατε ἐπὶ τὴν φερομένην ὑμῖν χάριν. Notat Oecumenius aliā lectionem ἐπὶ τὴν χαρὰν, *in gaudium*, quo modo expressit Syra interpretatio: exponitque vel de gratia, vel de gaudio, quod In secundo Christi adoentu futurum est, quando, vt ait Lyranus, facie ad faciem, seu *reuelata facie* [g] videbitur Deus: aut quando, vt ait Thomas Anglicus, & Carthusianus, *reuelabitur in Iudicio gloria Domini* [h].

g 2 Cor.3.18.
h Esa. 40.5.

Facilis transitus inter χάριν, & χαρὰν. Sicut & in epistola Ioannis tertia [i]: Maiorem horum non habeo gratiā. Vbi Græcè nunc est χαρὰν, gaudiū: quamuis in aliquibus quoqoe libris sit χάριν, vt ibi vidimus. Affinitas maxima gratiæ, & gaudij, nec verum hoc sine illa: & proximè gaudium post charitatem numeratur in fructibus Spiritus sancti [k]. Dici prætetea potest, sermonem esse de gratia huius temporis; & reuelationem Iesu Christi, licet aliquando tempus illud significet, hic tamen denotare tempus, quo reuelata nobis proponuntur Christi mysteria, & salutis per ipsum remedia.

i vers.4.
k Gal.5.22.

Nil impedit vt gratiæ vocabulo gloriam intelligamus: dicitur enim *gratia Dei vita æterna* [l], & hæc appellatur consummata gratia: Sed & gratiam vocamus absolutè, quia licet adultis non conferatur absque meritis, & eorum cooperatione, prima radix meriti est à gratia, ideóque fructus ille ab hac radice pullulat. Vt vera sit Pauli sententia [m]: *Gratia saluati estis*, (id est, ius ad salutem, & gloriam consecuti estis) *per fidem, itque non ex vobis, ne quis glorietur*. & [n], *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.*

l Rom.6.23.
Vita æterna cur gratia dicatur.
m Ephes.2.8.
n Tit.3.5.

Offertur hæc gratia omnibus sine delectu, hoc est, ratio, modúsque sufficiens gloriam adipiscendi, quādiu viuunt, ita vt desperare sit nefas: quod Cain [o] fecit, Achitophel [p], Iudas [q]. Spei obiectū Deus est, in quo gloria & beatitudo consistit, sed per media gratiæ, vt idcirco sperare iubeamur in gratiam, id est, gratiam, nec enim in gratiæ creatum donum propriè sperari potest, si formulæ vis propria retineatur, qua credere, & sperare In aliquid, est toto in id affectu tendere tanquam in finem vltimum. Notauit id etiam hoc loco Carthusianus de spei virtutis Theologicæ primario, & secundario obiecto.

o Gen.4.13.
p 2.Reg.17.23.
q Matth.27.5.

Turrianus [r] autem noster motus illa orationis formula, *sperate in gratiam*, credit loqui Petrum de Eucharistia, *qua*, inquit, *est gratia* [illegible] *substantialis* (dicitur Eucharistia quasi bona, & maxima omnium gratia) nostra spes, & fiducia Christus Iesus facie nunc velata, in quo est nobis collocata spes videndi eundem, cùm veniet reuelata facie in maiestate sua. Confirmat, quia putat antecedentia, & consequentia mirificè quadrare huic Sacramento: item ex epistolæ ad Hebræos verbis [s]: *Itaque regnum immobile suscipiētes habemus gratiam*, vbi per gratiā vult pariter Eucharistiam intelligi: per regnum immobile ipsum Regem, qui iam non moritur.

r 3.de Dogm. Eucharist.
Eucharistia est gratia substantialis.
s cap.12.28.

Verùm pridem docui non videri hic esse sermonem de Eucharistia, vt ille Auctor alio loco volebat, & Salmeron cum ipso: & satis nunc intelligimus sperari in gratiam, esse vel idem quod sperare gratiam, vel in eius auctorem Deū: Nec propriè sperari potest in Eucharistiam vt Sacramentum, sed in eum, qui continetur Sacramento. Denique singularis, nec alterius, quod sciam est expositio loci ad Hebræos, in quo passim volunt regnum immobile esse legem Euangelicam, per quam regnat Christus in nobis, & a Diaboli seruitute liberati restituimur in verā libertatem filiorum Dei. *Hoc regnum peruenisse ad nos* [t], *& intra nos esse* [u], dixit Christus, & Ioannes *factos regnum* [x] *& reges* [y], quod & in hac ipsa epistola nostra habetur [z]. Paulus ibidem subdit, quod habemus gratiam, videlicet illud ipsum regnum, vel debitam gratiarum actionem, vt explicāt Græci. Porrò hæretici, qui, vna excepta fide, reliquas tollunt virtutes, sperandi verbo volunt nos hoc loco credendi verbum intelligere, vt Canisius noster obseruauit [a].

Hoc non agi de Eucharistia ostenditur.
t Matt.12.28.
u Luc.17.21.
x Apoc.1.6.
y Idem 5.10.
z cap.2.9.
a lib.1.de corruptelis verbi Dei, c.21.

In reuelationem Iesu Christi.] Alij *In reuelatione* ἐν ἀποκαλύψει Dum reuelatur, & patefit in hac vita per prædicationé & dona gratiæ, vt antè dictum est, vel donec reueletur in Iudicio, & generali resurrectione, quam bene Tertullianus [b] fiduciam nominat Christianorum, scil. omnium, sed nominatim Martyrum, & dira patiétium in carne tormenta: quali etiam cogitatione ac spe, animabāt sese Iob [c], & Machabæi [d].

b lib.de Resurre. Carnis.
Resurrectio est fiducia Christianorum.
c cap.19.25.26.27.
d 2.Machab.7.9.11.14.

Tam

Tam ſæpe reuelationis vtitur Petrus vocabulo, verbóve reuelandi, nec non Paulus [a], vt perſuadeant præſens tempus obſcurum, tectum, velatum eſſe, tempus fidei, & ænigmaticæ cognitionis: præmia promitti, offerri, differri in aliud tempus. Denique Ioannis liber vocatur Apocalypſis, quia potiſſimum eſt de ſtatu Iudicij, ac futuræ vitæ. Id nomen Hieronymus [b] ait eſſe proprium Scripturarum, & à nullo Sapientum ſeculi apud Græcos vſurpatum, & ſonare, oſtēdi ablato deſuper operimento, ac proferri in lucem id, quod tectum, & velatum erat. Reliquit illud Interpres in priori ad Corinthios [c]. *Vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet.*

a Rom. 8. 5. c. 8. 19. c. 16. 25. 1. Cor. 1. 7. 2. Theſſ. 1. 7.
b in cap. 1. ep. ad Gal.
c cap. 14. 26.

Verſ. 14.] Quaſi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis.

Docet decere quam dixit ſuccinctionē lumborum mentis in continentia, & ſobrietatem, & ſpei firmitatem illos, qui dignati filiatione diuina adoptiua, morigeros ſe Deo filios, & obedientes præbeant, non amplius prauos illos mores repetendo, quos antea denſis idololatriæ tenebris impliciti, vel vera Dei cognitione priuati, exercebant.

Quaſi.] ὡς tanquam, vt, velut, ſicut, & rei veritatem ſignificat, non ſolam ſimilitudinem, perfectionem in ſuo genere, non diminutionem; quæ tamen eſt propria dictionis iſtius notio. In ea autem, quam dico, ſignificatione frequens eſt eius in Scripturis vſus, quemadmodū & particulæ ὡς & כ che, apud Hebræos. Vt, *Facti ſumus ſicut conſolati* [d]: *Gloriam quaſi Vnigeniti à Patre* [e]: *Propheta eſt quaſi vnus ex prophetis* [f]: *Cùm ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu* [g]: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es* [h]. Plurima ſunt alia exempla: Canon verò iſte traditur ab Ambroſio [i], Hieronymo [k], Auguſtino [l], Gregorio [m], Cyrillo [n] Alexandrino, Theophylacto [o], Euthymio [p], Chryſoſtomo [q]. *Hoc modo*, ait Auguſtinus, *cùm de aliquo dicimus, Fecit ſicut vir bonus, non ſignificamus, eum virum bonum non eſſe, ſed ita feciſſe, vt appareat virum bonum eſſe.*

Item vulgò aiunt, inquit Chryſoſtomus, & Theophylactus, *de Rege, Incedit quaſi Rex.* id eſt, vt Regem decet, ita vt ex ipſo inceſſu facilè appareat ipſum eſſe regem.

Filij obedientiæ.] Τέκνα ὑπακοῆς. Filij obedientes, phraſi Hebraica, Syriacè בניא משתמענא *benaia miſchamhhane.* Obedientia verò amplectitur non ſolam fidem, ſed cuſtodiam præterea diuinorum aliorum præceptorum. Prius illud magnopere contendunt hæretici [r], dicúntque Papam cum academiis ac cœnobiis ſuis hoc verbum dilacerare, & ad ſua mendacia, & diabolicam obedientiam torſiſſe. Quis neſcit, obedientiam ſiue generaliter accipiatur, ſiue vt diſtincta virtus obiecto, ſubiecto, & tota ratione, atque natura ſua diſtare à fide? Obediunt Deo Angeli: obediuit & Chriſtus; quibus tamen fides non magis cōuenit, quàm cuiuis erga magiſtratum ſubdito, cui obedit. Diaboli filius Lutherus, qui doctore Diabolo gloriatur [s]: Zuinglius, qui Spiritu perambulante in tenebris [t]: Ioannes Hus, Ioannes Vvicleff, & qui aſſerebāt oportere Deum obedire diabolo [u].

Fateor proprio quodam modo dici de fide nomen Obediētiæ [x], quia nititur auctoritate dicentis, & non ratione, & ſimpliciter credi debet abſque inquiſitione. Tamē illa etiam ratio probatur Anſelmo [y], aliiſque, quoniam obedire fidei, non eſt ſolùm aſſentiri, ſed opere complere, quæ Fides oſtendit facienda. Verumtamen Capite primo epiſtolæ ad Romanos, obedire Fidei Paulus, de ſeipſo loquens, intelligit obedire diuino præcepto ſibi impoſito de prædicanda Fide.

d Pſal. 125. 1.
e Ioan. 1. 14.
f Mat. 6. 15.
g Iob. 29. 25.
h Iob. 2. 10.
i lib. 7. ep. 47.
k in c. 5. ep. ad Epheſ.
l in Pſ. 125. & in Pſal. 118. ſerm. 18.
m 18. Moral. cap. 4.
n lib. 2. in Ioan. c. 41.
o in c. 1. & 17. Ioan.
p in c. 1. & 15. Ioan.
q in cap. 1. Ioan.
Obedientia non eſt eadem cum fide.
r Marlora. Rapſodia in hunc locum.
s lib. de Miſſa angulari, & ſeruiat de Luthero magiſtro.
t Refert Feuardent. hoc loco.
u Cochlæ. in hiſt. Huſſitarum.
Obedientia cur fides dicatur.
x Rom. 1. 5. c. 6. 17. c. 10. 16.

Quantæ ſit dignitatis filium Dei nominari, & eſſe, docuimus alibi [z]. Exigit viciſſim filialē obedientiam. *Si pater ego ſum*, expoſtulando loquitur Deus, *vbi eſt honor meus* [a]? nimirum vt re, factiſque demonſtrent filij, edántque ſigna ſubiectionis, parendo voluntati eius.

Exactiſſimum obedientiæ iſtius exēplar Chriſtus fuit, & erga Deum, & erga parentes carnales, & erga legem, & erga magiſtratus. At non placet obedientiæ voce abſtracta intelligi Chriſtum ipſum, vt velle Thomas Anglicus videtur, quaſi filij dicantur obedientiæ, id eſt Chriſti, quíque filio obedientiæ ſunt ſimiles, *qui fuit obediens Patri vſque ad mortem* [b]. E contrario legimus nonnullos appellatos filios diffidentiæ [c], iræ [d], incredulitatis [e], perditionis [f], ſeculi [g], mortis [h], &c. hoc eſt, obnoxios, addictóſque rebus iſtis. Filij diffidentiæ, & incredulitatis, vocantur Græcè ἀπειθείας, quibus non perſuadetur, qui ſunt immorigeri, & inobedientes.

Non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis.] Μὴ συσχηματιζόμενοι ταῖς πρότερον ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ὑμῶν ἐπιθυμίαις; Syriacè: *& non communicetis amplius concupiſcentiis primis illis, quibus concupiſcebatis, ſine ſcientia.* Conueniunt hæc Gentilibus magis, quàm Iudæis: hi namque nec adeo effundebantur in concupiſcentiis ſuis, nec laborabant ignorantia tanta, ſed veram habebant notitiā Dei, religioſum cultum, rectè viuendi inſtituta optima, & præcepta. Hæc multò meliora lex Chriſti proferebat, Sacramentorum quoque, & aliorū præſidiorum gratia regenerans, renouans, ſanctificans, veterem beſtiæ characterem, & diaboli figuram expungens, formam diuinam inducens, *vt configuretur tandem corpus noſtrum corpori claritatis Chriſti* [i], & toti *conformes fiamus imaginis eius* [k], poſtquàm deſierimus hìc *conformari huic ſeculo, & reformati fuerimus in nouitate ſenſus noſtri* [l], *atque configurati morti Chriſti* [m]. *Figura mundi præterit* [n]: forma diuturnius quid denotat, vt annotat Chryſoſtomus [o], expendens voces Græcas σχῆμα, & μορφὴν, & verba συσχηματίζεσθε, καὶ μεταμορφοῦσθε, quæ ſunt in citato loco epiſtolæ ad Romanos, & ea reddit Cyprianus [p] per *configurari, & transformari.* Quæcumque ex peccato exiſtunt, vel ad illud trahunt, & ipſummet peccatum phraſi Scripturæ ſolent vetuſtatis nomine deſignari, quemadmodū & vetus homo dicitur, aut Adam poſt peccatum, aut quiuis alius, in quo ſint illa, vt error, ignorantia, varia peccata, concupiſcentiæ. *Per baptiſmum regeneramur, ac renouamur* [q]: & ſi poſt illum peccemus, recidamúſque in priorem vetuſtatem, Pœnitentiæ beneficio nouitas gratiæ recuperatur. De vetere homine meminit Paulus, *qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris*, κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης, & de nouo, *qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis* [r], (id eſt, in ſanctitate vera, vel quæ ſit innixa Orthodoxæ cognitioni, ac veræ fidei, & qui renouatur in agnitionem (pulſa ignorantia.) Secundum imaginem eius qui creauit illum (videlicet in gratia.)

y in c. 1. ep. ad Rom.
z 1. Ioan. 3. 1.
a Malac. 1. 6.
b Philip. 2. 8.
c Eph. 2. 2. c. 5. 6.
d ibid. c. 2. 3.
e Coloſſ. 3. 6.
f Ioan. 17. 12. 2. Theſſ. 2. 3.
g Lucæ 16. 8.
h 2. Reg. 12. 5.
Iudæi in quibus præſtabant gentilibus.
i Philip. 3. 21.
k Rom. 8. 29.
l Rom. 12. 2.
m Philip. 3. 10.
n 1. Cor. 7. 31.
o in c. 12. ep. ad Rom.
p epiſt. 77. & exhortat. ad martyr. c. 8.
Vetuſtatis nomine deſignantur quæcumque ad peccatū trahunt.
q Tit. 3. 5. Heb. 6. 6.
r Eph. 4. 22. 24. Coloſſ. 3. 9. 10.

Porrò

Porrò dictam nouitatem idem Apostolus nominat *vitæ* [a], hoc est, gratiæ cum virtutibus infusis, per quas fiũt opera meritoria: *Spiritum* [b], quoniam & Spiritus sanctus auctor est donorũ, operumque illorum, atque in nouo homine habitat: & Spiritus nostri renouatio est, quæ per se requiritur; *sensus* [c], id est, mentis vĩ: & *Spiritum mentis* [d], propter causam, quam nunc dixi: corpus autem suo tempore, vt prius quoque monui, *reformabit Christus configuratum corpori claritatis suæ* [e], nempe in regeneratione [f].

Vocat præterea *nouam creaturam* [g]. est enim gratuitum, & sine meritis hoc donum: *nouam conspersionem* [h], oppositam veteri fermento: *nostrũ hominem, qui intus est, ac renouatur de die in diem*, (proficiendo per bona opera) contrariam ei, qui foris est, corrumpiturque [i]: *interiorem hominem*: qui *legem Dei probat, sed cui lex in membris repugnat, & captiuat in lege peccati* [k], motione, non consensione, vt placet quidem Augustino [l]: alij enim locum epistolæ ad Romanos accipiunt de peccatore, qui videt meliora, probátque, deteriora sequitur.

Denique innuit ignorantiæ vox, tum quod vulgo dicitur omnem peccantem esse ignorantem: tum quàm magnum, & quàm salubre veritatis lumen lex attulerit Euangelica, quæ duo prolixiore sermone possunt exaggerari. Hic sese quoque offerret aduersus relabentes in peccatum disputatio. Sed commodior in epistola secunda [m] locus erit.

Vers. 15.] Sed secundùm eum, qui vocauit vos Sanctum: & ipsi in omni conuersatione sancti sitis.

Vers. 16.] Quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.

Confirmat nos in proposito retinendæ, conseruandæ, augendæ sanctitatis, castitatis, sobrietatis, nec ad priora resiliendi desideria ignorantiæ, atque concupiscentias, & effrenes libidines, quia qui vocauit Deus ad Filij sui cognitionẽ, religionémque, & asciuit in filios, & coheredes, sanctus est, immò sanctitas ipsissima, maximè alienus, & abhorrens ab omni peccati sorde. Etsi exigebatur ab Hebræis sanctitas, quòd eos Deus imbuisset vera pietate, & notitia sui, abstrahens à turpitudine idololatriæ: quantò magis decet Christianos omni in re, intus forísque sanctitatẽ, neque tam insistere in ceremoniis externis, vt lex illa profitebatur, quàm vt in Spiritu, & veritate Deum adoret [n].

Sanctum.] Deum intelligit, aut per attributionem Patrem, qui vocare dicitur, iustificare, glorificare, prædestinare [o], trahere [p], licet per gratiã, quæ tribuitur Spiritui sancto, & merita Christi, cuius etiam gratia est, quia meruit; ita vt vocari dicamur in gratiam illius [q].

Quid autem sit in Deo, Christóque sanctitas, & de Trisagio hymno aliàs dixi [r]. Est Dei sanctitas, ab omni liberum esse defectu, & imperfectione metaphysica, physica, morali, absque permixtione, & contagione potentiæ, materiæ, peccati: denique esse actum simplicissimum, & purissimũ. Dionysius [s] spectat sanctitatem in libertate à macula sceleris: Basilius [t], & Cyrillus [u] Alexandrinus à commixtione materiæ, & corruptibilitatis.

In omni conuersatione sancti sitis.] In omni cogitatione, verbo, facto sanctitas exigitur, qua mortale peccatum repellatur, quod pluribus contingere potest per Dei gratiam: qua studeamus vitare etiam venialia peccata, quæ nemo sine priuilegio vitat omnia: qua firmi, constantes, & perseuerantes simus, quod est quoque peculiare donum Dei.

Quocirca concidunt crassi illi errores, nullam esse in quoquam internam, verámque iustitiam, sed imputatitiam: Nulla reuera bona opera: Solam fidem absque operibus sufficere: Nullum viuere posse sine peccato mortali. Si conferatur quæuis creata sanctitas ad Deum, quem solum sanctum canit Ecclesia [x], & mater Samuelis, *non esse sanctum, vt ille est* [y], & Christus. *Neminem bonum nisi ipsum* [z], non erit qui huiusmodi mercatus nomen: & in hac vita quiuis dicere debet [a]: *Dimitte nobis debita nostra*, alioqui si dicat, *quoniam peccatum non habet, ipse se seducit* [b], vt pluribus in illius expositione loci docuimus: immò videmur *omnes respectu Dei esse immundi, & cuncta iustitia nostra vt pannus menstruatæ* [c]: quamuis propriè ante oculos illius haberi possimus, & esse iusti ac sancti.

Immortalis est naturaliter anima nostra, & Angeli, etiam si dicatur *solus Deus habere immortalitatem* [d]: homines vera sunt, & perfecta quædam entia, tamen Esaias [e] quoque verè dixit comparando cum Deo, *Quòd omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputata sunt ei.* Lege præ ceteris Gregorij [f] expositionem ad verba Iob [g]. *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.* Itẽ ad illa [i]: *Idcirco ipse me reprehendo.* Errores autem, hæreséſque notatæ damnantur à Concilio Tridentino [k].

Id præterea certum, quod hoc loco notat Carthusianus, eam sanctitatem, quæ perfectionem exactam, passionibus exclusis, includit, nobis non imperari. nam obtineri ordinariè non potest: & in Ecclesia status quidam est minimè communis cæteris, hanc sibi legem imponentium tendendi ad perfectionem, tametsi nemo non debet, quod in se est cauere cuncta, etiam leuia peccata, & remouere proximas saltem occasiones peccandi quomodolibet.

Conuersatione.] Satis frequens Petro [l], Paulo que [m], ac Iacobo nomen, vt & conuersand. verbum. Græca sunt ἀναστροφὴ, & ἀναστρέφω. Significãt commorari apud aliquem, & moribus cum alio communicare [n] Non sic quidem Auctores alij Græci loquuntur: pleræque tamẽ vernaculæ linguæ formulam illam vsurpant, & quidam boni scriptores Latini, vt Plinius [o], & Quintilianus [p], quamuis ille potius loquatur de brutis.

Scriptum est.] Vbi scriptum sit, quærit Didymus: respondétque in Leuitico [q]; adde Deuteronomiũ [r]: tamen etiamsi certus non assignaretur locus, in quo conceptis verbis id esset, ex omnibus scripturis colligi posse, dum crebrò tradunt & eum qui vocat, esse sanctum, & qui vocantur vt sanctificentur, aduenire. Confirmat etiã hinc, esse eundem vtriusque Testamenti Deum.

Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.] In Leuitico loquitur Deus, præfatus quoque se Dominũ Deum, de sanctitate legali, vt non gustarent Hebræi cibos immundos: tum præterea de timore patris & matris, atque de costodia sabbatorũ: de

vitando

a Rom. 6. 4. & infra 7. 6.
c Rom. 12. 2.
d Eph. 4. 23.
e Philip. 3. 21.
f Mat. 19. 28.
g 2. Cor. 5. 17. Gal. 6. 15.
Corpora renouata nomine ex Paulo.
h 1. Cor. 5. 7.
i 2. Cor. 4. 16.
k Rom. 7. 22.
l Ephes. 3. 16. l. cont. ep. Pelag.
Omnis peccans ignorans.
m cap. 3. 3.
Christiani omnes sancti esse debent.
n Ioan. 4. 23.
o Rom. 8. 30.
p Ioan. 6. 44.
q Galat. 1. 6.
r Act. 3. 14. 1. Ioan. 1. 1. *Sanctitas Dei quid sit.*
s de Diui. nominib. c. 12.
t in Psal. 32. & de Spir. S. c. 9.
u lib. 11. in Leuit. lib. 11. in Ioan. cap. 25.
Sanctitas quæ requiratur à nobis.
x in Hymno Angelico.
y 1. Reg. 2. 2.
z Mat. 19. 17.
a Mat. 6. 12.
b 1. Ioan. 1. 8.
c Esa. 64. 6.
Anima nostra immortalis, & Angeli, & Deus ...
d 1. Tim. 6. 16.
e cap. 40. 17.
f 9 Moral. 15. vel: 8.
g cap. 9. 30.
h Greg. lib. 35 Moral. c. 3.
i Iob 42. 6.
k sess. 6. can. 9. 11 ... 25.
l vers. ... 12. c. ...
m Gal. 1. 13. Ephes. 1 ... c. 4. 22. 1 Tim. 4. 12. Heb. 13. 7.
n cap. 3. 13
o lib. ... p lib. ...
q c. 11. 44. 45 & c. 19. 2. c. 20. 7. 26 c. 21. 6. 8.
r cap. 14. 21.
Deus summus sanctitas.

vitando commercio cum Gentilibus, de non consulendis Magis, de cauendis incestis connubiis: vt Sacerdos sit segregatus à vulgo: ne viduam ducat vxorem. Petrus extendit sententiam, præsertim propter Gentiles, quorum dij ipsi, ritusque sacri turpissimi, & maximè execrandi erant. Et sic alludit ad sanctitatem legalem, vt eam nihili, vel non tanti facere videatur: sed intimam animæ, & omnino spiritualem. Græcè hoc loco legimus: Ἅγιοι γίνεσθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιός εἰμι. Vbi Didymus iubet nos animaduertere Deum se sanctum esse dixisse; accedentes autem ad eum fieri, vel futuros. In Leuitico est: Ἁγιασθήσεσθε καὶ ἔσεσθε ἅγιοι. Abutebantur Ariani his locis, vt docerent Filium Dei non esse consubstantialem Patri, nec imaginé eius ἰσοτύπως, dicíque solùm imaginem, quia inter alios excelleret: cùm alij etiam inuitentur, vt sancti sint sicut Deus, perfecti, *sicut Pater* [a], *imitatores Dei, sicut filij charissimi* [b]. Respondet Ambrosius [1], oppositũ effici ex eo, quod quamuis multi possint euadere similes Deo, *solus Filius imago inuisibilis Dei* dicitur [d], & *character seu figura substantiæ eius* [e], quia scilicet in eo naturæ eiusdẽ vnitas, & eius Maiestatis expressio est, & alia est secundum imitationem similitudo, alia secũdum naturam. Probat id etiam inde, quoniam, vt ex Didymo paulò antè retuli, scriptura dicit: *estote sancti*, vt fiant, qui non sunt, per imitationem: de se autem affirmat Deus, *quia sanctus sum*, non vtique proficiente processu, sed manente natura. Affert præterea illud aliud: *estote perfecti* (vt incipiant, inquit, habere, quod non habent) *sicut Pater vester cœlestis perfectus est*. Sed de nomine, rationéque imaginis, quatenus de filio dicitur, consule, quæ ad Ioannis epistolam primam disseruimus.

Christus imago Dei substantialis.
a Mat. 5. 48.
b Ephes. 5. 1.
1 de incarn. cap. vlt.
d Coloss. 1. 15.
e Heb. 1. 3.

Argumentari porrò possumus, euadere sanctos nos posse ea sanctitate, quam prius dixi, nempe per gratiam, quam Deus offerat sufficientem: quia sanctitatem Deus non præciperet, aut non inuitaret ad illam, aut non iuberet nos petere *sanctificare nomen suum* [f], id est, sanctificari in nobis, & vt in eo, quod esse cœpimus in Baptismo, perseueremus, quemadmodum cum Cypriano [g] exponit Augustinus [h], afferentes hunc ipsum locũ: *sancti estote*, &c. Legendus quoque Leo [i]. Sicubi verò studendũ sanctitati, maximè in loco sancto, & quando tractantur sancta. Id sibi volebat inscriptio in lamina aurea, quam gestabat Hebræorum Pontifex: *Sanctum Domino*, vt quidam putant: quamquam alibi [k] docui solum nomen Tetragrammaton inscriptum fuisse.

Sancti euadere possumus.
f Matt. 6. 9.
g de orat. Dominica.
h de bono perseueran. c. 2.
i serm. 8 de ieiun. sept. mens.
k Sap. 18. 24.

Vers 17.] **Et si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini.**

ILle ipse sanctus, quem dixi, Deus vester, & pater est, & iudex. Tamquam pater, inuocatur à vobis in omni negotio atque necessitate: vt iudex, reddet cuique pro meritis. Non possunt gratæ preces esse ac efficaces immorigeri, & improbi filij: in iudicando iustissimus erit Deus, nullo personarum habito respectu, non sicut homo qui filium tractat indulgentiùs, quàm seruum. Ergo dum hunc incolitis mundum, mores ita componite, vt Deum, vel ceu patrem filiali timore, vel saltem sicut iudicem seruili metu vereamini, vt ad hæreditatem cœlestẽ aspiretis, vt paratas æternas pœnas peccatorum abstinentia deuitetis.

Deus Pater est & iudex

Patrem.] Nomen substantiale est hoc loco, & Deo, siue Trinitati toti conueniens, quemadmodum vbicumque absolutè, ac sine vlla cum aliis personis comparatione, vel habitudine ponitur, vt etiam alibi docui.

Inuocatis.] Ἐπικαλεῖτε, Syriacè קרין אנתון *karin an hon, vocantes estis*: sed vocatio fieri potest inuocando, idque significat verbum Græcum. Vatablus ait esse Hebraismum, *inuocatis*, pro *colitis*. Hebraismum nõ nego, qualis cum Enos dicitur cœpisse *inuocare nomen Domini* [l]: sicut & *inuocari nomen Domini super aliquem* [m], & hunc dici cultorem illius. At proposito conuenit magis notio verbi simplex, & communior sententia de inuocatione per vota, precésque. Cùm autem nomen, vt dicebã, Patris de Deo dicatur substantialiter, sicut & apud Esaiam [n], & Malachiã [o], & alios, ac in oratione dominica [p] (nescio cur Arias hoc loco, quod euangelio proprium dicitur, vt hoc oretur Deus modo, solenne dicat Israelitis fuisse: אבינו בשמים *abinu besamaim. Pater noster qui es in cœlis.*) Nihil vereri debent hæretici totam inuocare Trinitatem his, aut similibus verbis, quibus vtitur Ecclesia, Dionysius [q], Augustinus [r], aliíque: *Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis*. Vel, *Domine Deus vnus, Deus Trinitas*: vel, *Trinitas diuina Sapientia, Christianorum præses, &c.* Vel, *Domine Deus omnipotens, qui es Trinus & vnus*, vel *Vnus Deus tres personæ, vna & indiuisa Trinitas*. Plura Feuardentius [s] hac de re docens inter cetera etiam iuxta principia hæreticorum: si non est inuocanda Trinitas, nec etiam adorandam esse, illos autem è Letaniis, Kalendariis, precibus, nomen atque inuocationem, & omnem cultũ Trinitatis erasisse, ac solam Patris adorationem iniunxisse & Christo suo quendam honorem. Probat verò scripturis, & aliis testimoniis Christum & Spiritum sanctum propriè inuocari, & adorari posse, ac debere. Omnium instar est forma Baptismi, quam Christus præscribit [t]: *In nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti*, vbi coactus est Caluinus [u] ipse fateri inuocationem trium personarum contineri, vt omittam alios discipulos eius, à quibus hac in parte deseritur, vt idem Feuardentius refert.

l Gen. 4. 26.
m Amos 9. 12.
n c. 63. 16. c. 64. 8.
o 1. 6. c. 2. 10.
p Mat. 6. 9.
S. Trinitatis inuocatio, & oratio maximè laudanda & probanda.
q de mystica Theol. c. 1.
r lib. vlt. de Trinit. cap. vlt. lib. medit. c. 4. 24. 28. 31. 33. soliloq. c. 31. 32. 37. manua. c. 6.
s Dial. 1 cont. Caluinianos.
t Mat. vlt. 19.
u ibid.

Sine acceptione personarum.] Quid sit acceptio personarum, & quomodo cadere non possit in Deum, docui exponens concionem Petri super causa Cornelij Centurionis [x].

Iudicat.] Salubris & necessaria de Dei iudicio cogitatio, frequénsque memoria, & non de sola misericordia, & gratia, qua nimis delectantur, nimiúmque inculcant hæretici, & laxiores Christiani. *Quis peccare poterit*, scribit [y] Petrum dixisse Clemens, *si semper ante oculos suos Dei iudicium ponat?* Propè infinita possent huc alia proferri. Sed illud quæstionem habet, quo pacto iudicet Pater, cùm Christus dixerit [z] eum non iudicare quemquam, sed omne iudicium dedisse Filio. Didymus occurrit hoc loco, & Oecumenius, quoniam Filius eâdem diuinitate est, iudicante Filio, Patrem quoque esse, qui iudicat. Præterea nomen Patris dici nonnunquam de Filio respectu genitorum participio sanctitatis, addo & filiationis per gratiam. Ideo sæpe Apostolos vocasse filios suos [a], & cuidam dixisse [b], *Fili, remittuntur tibi peccata tua*; alteri [c], *Filia, fides tua te saluam fecit*.

x Act. 10. 34.
Cogitatio de Dei iudicio salubris est.
y epist. 5.
z Ioan. 5. 22.
Quomodo Pater iudicet, cum omne iudicium filio dederit.
a Mat. 11. 24. Ioan. 13. 33.
b Mat. 9. 2.
c ibid. 22.

Facilior responsio, solum Filium Dei, vt simul filius hominis est, & quia filius hominis est, vt ibidem apud Ioannem dicitur [d], iudicare sumpta

d Ioan. 5. 27.

externa natura, & iudicis forma quæ ab hominibus, qui iudicandi sunt, videatur, & cuius sententia exaudiatur: & illud Filiũ Dei facere per Humanitatem, velut per instrumẽtum coniunctum, quod per eamdem facit Pater & Spiritus sanctus tanquam per separatum. Ad hunc ferè modum respondent Augustinus [a], Beda [b], & alij, seipsum sub nomine filij hominis venturum dicit in maiestate sua [c], & sicut Regem, scilicet præter potestatem iudiciariam diuinam communẽ aliis personis, sed vtentem Humanitate modo proprio iam dicto propter cõiunctionem, per humanam: quemadmodum vltra scientiam diuinam, habet infusam: quamuis hæc ipsa dona non darentur illi Humanitati, nisi vnitam haberet sibi hypostasim diuinam. Egregiè declarantur hæc à Toleto [d], & Suarez [e].

a Tract. 21. in Ioa. l. de Trin. c 13. lib. 50. homil. in 22. b in c. 5. Ioan. c Mat. 25. 31.

d in c. 5. Ioan. Annot. 19. & 20. e 3 p. q. 57. art. 1. In Comm.

Christus quomodo se quemquam non iudicare dixerit.

Cùm autem idem Christus negauit se iudicare quemquam [f], intelligit, dum adhuc mortalis viueret, nolle iudicandi potestatem exercere: vt alias prætercam interpretationes [g]. *Non enim*, inquit, *misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Egimus hac ipsa de re, dum dictam illam Petri concionem exponeremus coram Cornelio [h].

f Ioan. 8. 15. g Ioan. 3. 17. h Act. 10. 42. i cap. 7. 13.

Porrò cùm Daniel narret [i] se vidisse ad antiquum dierum cum nubibus cœli quasi Filium hominis peruenisse, & in conspectu eius oblatum, intelligit de Christi ascẽsione, in qua honoris causa deductus est ab Angelis, & à Patre collocatus est ad dexteram, coram quo veluti causam agens, retulit sententiam, *quòd ipse poneret inimicos ipsius scabellum pedum eiusdem* [k]. Quo finito, sequetur generale iudicium, quod Christus ipse celebrabit: vt etiam notauimus capite primo Actuum Apostolorum.

k Psal. 109. 1.

Secundum vniuscuiusque opus.] Per opus intelligitur quoque cogitatio, & sermo, vt monet Thomas Anglicus. His ferè iisdem verbis multoties alibi scriptura [l] tradit iudicium fore de operibus, non de sola fide, vt mentiuntur hæretici.

Iudicium de operibus, non de sola fide fiet.

l Psal. 61. 13. Matth. 25. 35. Ioan. 5. 29. Rom. 2. 6. 2. Cor. 5. 10. Apoc. vlt. 12. Iob. 34. 11. Ierem. 32. 19.

In timore.] Nihil in iisdem diuinis literis repetitur, & commendatur sæpius: tantùm abest, vt de iustificatione nostra fidei diuinæ certitudinem, vt volunt hæretici, concipere debeamus: vel quod Catharinus, & alij nonnulli, tantam moralem possimus, vt nullo modo ambigamus. *Cum metu, & tremore* [m] præcipit nos Paulus *salutem nostram operari: non altum sapere, sed timere* [n]; & vt *qui stat, videat ne cadat* [o]: *ipse timebat reprobus effici* [p]: & tot alij sanctissimi viri magno timore corripiebantur, præsertim Ephrem, qui tertio fermè quoque verbo illum in sermonibus satis prodit. Hieronymi [q] verò tritum de seipso testimonium: *Ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus, & noctibus operior cum tremore reddere nouissimum quadrantem, & tempus, quo mihi dicatur: Hieronyme veni foras.*

m Philip. 2. 12. n Rom. 11. 20 o 1. Cor. 10. 12 p 1. Cor 9. 27. q ep. 5. vt citatur in Glossa.

Incolatus vestri tempore.] Est Græcè, χρόνον τῆς παροικίας, tẽpus peregrinationis vel habitationis in alieno: quam præterea notionem habet alibi παροικία, pro qua itẽ Interpres reddit incolatũ [r]: & πάροικος, pro quo ponit aduenã [s]: & παροικεῖν pro quo peregrinum esse [t]: vel demorari tamquam in terra aliena [u]. Parœcia, & parœci Ecclesiastico vsu sumuntur pro accolentibus, & pertinentibus ad idem templum, & iis qui templo, & similibus præsunt. Alij parochiam, & parochos nominãt velut ab exhibitione sacrosancti panis, quia πάροχος conuiuator est, vt Budæus [x] notat, vel idem [y] qui copiarius, & suppeditator necessariorum ad victum legatis, aliisve honestis hospitibus: vel auspex nuptiarum, seu paranymphus [z]. Sed præualet prius nomen: quamuis res per aliud significatæ bellè congruãt Curatis, qui & Curiones appellantur. Itaque distinctio ipsa populi Christiani in parœcias, admonet ipsum breuis in hac vita moræ, & habitationis tẽporariæ. Diuersari nos in hac vita potius, quàm versari: peregrinari, quàm inhabitare perspectum satis, & redibit capite secundo [a] de eodem sermo.

r Act. 13. 17. s Act. 6. 5. Act. 7. 29. Ephes. 2. 19. 1. Pet. 2. 11. t Luc. vlt. 18. u Heb. 11. 9.

Parœcia & parœci, qui sint.

x in Pandect. y Horat. lib. 1. serm. Satyr. 5. lib. 2. Satyr. 8. Cic. lib. 3. ep. ad Atticum ep. 2. z Cælius Rhodig. lib. 18. c. 25. ex Pausania. a vers. 11.

Vers. 18.] Scientes quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis.

MAXIMVM incitamentum conseruandæ sanctitatis, scire, ac æstimare vnde liberati, reuocatique, ex quantis malis, qua, & quam difficili ratione, pretióque. Ratio, & pretium passio fuit Christi, ac sanguis: terminus, à quo veteres, & a maioribus traditi errores, & mores. Itaque videndum, ne animus offendatur redemptoris, si ad pristinam vitiorum reuertamini corruptelam. Quantò pretium redemptionis a corruptione vitæ carnalis maius, tantò timere magis debemus, & quãtò maius beneficium, tantò magis supplicium manet nos, si fuerimus ingrati. *Cum metu & tremore salutem suam operari Paulus nos iubet*, quia Deus est, *qui gratia sua in nos operatur velle, & perficere* [b]: & sollicitos esse, *ne sanguinem pollutum ducamus, & spiritui gratiæ contumeliã faciamus* [c]: sic vnde certitudinem gratiæ ac securitatem salutis hæretici statuunt, inde timere nos oportere colligunt Apostoli.

Incitamentum conseruandæ pietatis quod & quale.

b Philip. 2. 13. c Heb. 10. 29.

Scientes.] Considerantes, & recogitantes quod fides docet, quæ fides ob certitudinem, dici scientia solet [d]: requirit quoque euidentiã credibilitatis: ac stare etiam potest cum euidentia in attestante, vt quidam putant.

d Ioh. 16. 30. cap. 11. 24.

Corruptibilibus auro vel argento.] Hæc sunt pretia rerum in mercimoniis, emptionibus, redemptionibus, & accipiuntur præterea pro quibuslibet aliis diuitiarũ generibus mobilibus, vt gemmis, vasis, &c. Attamen corruptioni obnoxia sunt hæc omnia, vt aliis locis vberiùs demonstrauimus [e]: & quamlibet valeant ad vsus humanos externos, nihil per se conferunt ad sanctitatem, & fœlicitatem, immò impediunt potiùs, nisi virtute administrentur. Denique *nulla est commutatio pro anima*, ἀντάλλαγμα [f]. Hieronymus [g] istum illustrat locũ verbis Esaiæ [h]: *hic ædificabit* ciuitatem meam, & captiuitatem populi mei reducet, non cum pretio, neque cum muneribus.

e Act. 3. & 8. Ec. Sap. f Matt. 16. 26. g in c. 52. Esa. h c. 45. 13.

Redempti estis.] Ἐλυτρώθητε. Paulus ait nos *emptos pretio, & quidem magno* [i], licet Græcè desideretur epithetum ἠγοράσθητε τιμῆς. Redemptio videtur habitudinem importare ad priorem emptionem. Hanc Hugo vult fuisse per diaboli suggestionem (dicit id etiam Thomas Anglicus) aut per delectationem. Item ait emptum hominem à Christo, nempe vt est Deus, quando creauit: & cariùs, cùm omnes ei creaturas subiecit: carissimè cùm sanguinem pro illo fudit.

i 1. Cor. 6. 20. c. 7. 23.

Idem non rarò significat simplex emere, quod redimere, vt apud modò citatum Paulum, qui simplici Græco verbo vtitur, & in Apocalypsi [k] scribitur de *emptis de terra, & ex hominibus.* Acutè nonnulli redemptionem sumunt pro frequenti

k cap. 14. 3. 4.

emptione

Christus pluribus actibus meritoriis nos emit.

emptione, quoniam Christus pluribus actibus meritoriis nos emit, quorum singuli ob infinitam dignitatem personæ ipsius diuinæ infinitè plus quam sufficiebant. Hæc dicitur in Psalmo [a] *copiosa redemptio*. Præterea redimere, est liberare simpliciter, vt [b]: *Redime me à calumniis hominum.*

a Psal. 129. 7.
b Psal. 118. 134.

Stipendiũ peccati, mors [c]; & *peccatum est debitum* [d]; & *qui illud facit, seruus est eius* [e], & *cui quis exhibet se seruum ad obediẽdum, seruus est eius cui obedit*, peccati quoque ad mortem, & immunditiæ, & iniquitatis [f]; *Et à quo quis superatus est, huius & seruus est* [g], vt corruptionis [h], id est, fomitis, diaboli, peccati, mortis, gehennæ, siue damnationis æternæ.

c Rom. 6. 23.
d Matt. 6. 12. c. 18. 27.
e Ioan. 8. 34.
f Rom. 6. 16. 19. 20.
g 2. Pet. 2. 19.
h ibid.

Istis omnibus peccator quodammodo venundatus est, *idque gratis* [i], & *in iniquitatibus venditus* [k], atque *habens animam venalem* [l], *vt faciat malum* [m]. Quocirca qui dato pretio illum recuperat, censeri potest redimere. Eramus autem ante peccatum sub Dei potestate, & amicitia, & per peccatum facti sumus inimici, ac dæmonis traditi potestati. Redemit ergo Christus nos Deo, & sibi ipsi, vt Deus: emit sibimet vt est homo, quoniam acquisiuit ius in nos, dominiúmque speciale. Quia portò per peccatum Deus offensus est, ac diabolo traditi eramus vt tortori, pretium redemptionis Deo debuit offerri, vt notat S. Thomas [n], & Nazianzenus [o], vnde Ioannes in Apocalypsi [p]: *Redemisti nos Deo* inquit *in sanguine tuo*: &c. contrà verò posset dici Deum Christo nos vendidisse, non quidem alienando à suo dominio, sed à potestate iræ, cui obnoxij eramus, vt notat Bartholomæus Medina [q], & pretium Christi accipiendo.

i Esa. 52. 3.
k Esa. 51.
l Eccl. 10. 10.
m 1. Mach. 1. 16.
Status nostur ante peccatum, & post.
n 3. p. q. 48. a. 4. ad 3.
o orat. 2. de Pascha.
p cap. 5. 9.
Deus nos Christo vendidit.
q in 3. p. sup.

Quamquam, vt initio indicaui, redimere, & emere, quandoque idem valent, & nihil aliud, quã simpliciter & absolutè liberare, vt plurimis locis Psalmorum. Sed quando id fit per singularia quædam beneficia, videtur aliquo modo verbi proprietas retineri, quasi ea sint pretij loco. Ad hunc modum crebrò dicitur populus Hebræus redemptus editis à Deo tot prodigiis in brachio excelso, & iudiciis magnis [r]. Et idcirco appellatur postea [s] *populus acquisitionis*, & multò magis sub eo typo genus humanum respectu Christi.

r Exod. 6. 6. c. 15. 13. Deut. 7. 8. c. 9. 26. c. 13. 5. c. 21. 8. 2. Reg. 7. 23. 1. Esd. 1. 10. cap. 1. 5. Esther 13. 16. Psal. 73. 2. Psal. 76. 16. Psal. 77. 42. & alibi passim.
s c. 2. 9.

Hebræum verbum פדה *padah*, etsi propriè significet redimere pretio, & conuentione: tamen aliquando Interpres ponit aliud loco eius, vt dimittere [t], id est, sinere liberè abire, perinde ac si redimeretur.

t Exo. 21. 8.

Noluit Deus, & Christus potentia, & vi agere, sed iure, ac iustitia hominem liberare, vt Patres obseruant, Augustinus [u], Leo [x], Nyssenus [y], Damascenus [z], Anselmus [a]. Idem Augustinus [b] scribit quòd ipsa redemptio clamat captiuitatem nostram. Ambrosius [c] ex communi ratione contractus emptionis quanti nos fecerit Deus, ait indicari verbo emendi, vel redimendi; sicut eum dicitur vendere, quem vili æstimauerit. Etsi illud ex Psalmo [d]: *Vendidisti populum tuum sine pretio*, de Iudæis accipit præsentem locum, & similes de Gentilibus, quod tamen vniuersè verum est de omnibus hominibus. Lege in eundem Psalmi locum Commentarium nostrum, vbi de formulis istis non pauca notantur. Et Augustini quæstionem 7. in librum Iudicum.

u 13. de Trin. c. 13.
x ser. de Nat.
y orat. de Nat.
z orat. 1. de Natiuit. B. Virg.
Deus noluit potentia ac vi agere sed iure
a 2. cur Deus homo. c. 20.
b in Psal. 70.
c in Psal. 43.
d Psal. 43. ver. 13.

De vana vestra conuersatione Paternæ traditionis.] Cum Lyrano comprehendi puto errores idololatriæ, non solos ritus legis scriptæ, qui vani erãt, quoniam inutiles, eo modo, quo etiam *egena elementa* dicuntur [e]. De pluribus tamẽ redemit nos Christus, nimirum animas nostras de peccatis, de potestate diaboli, de damnatione æterna. Glossa Interlinearis exprimit legis præuaricationem: addit peccatum Adæ Thomas Anglicus, & Primasius: Carthusianus omnia superiora cõplectitur: Titelmanus de solis exponit idololatris. Caietanus, Catharinus, Salmeron de legalibus ceremoniis, déque iis, quas de suo Iudæi adiecerant. Profectò solæ legales ceremoniæ, aut etiam quædam aliæ superuacaneæ non egebant pretio sanguinis quasi agni Christi, de quo mox. Quare bene idem Ambrosius [f] exponit nos isto sanguine Filij Dei liberatos non solum de maledicto legis, sed etiã de impietatis morte perpetua redemptos. Lege apud Thomam Anglicum de varia ratione redemptionis, & de quinque necessariis ad hoc vt proficiat.

e Gal. 4. 3.
f lib. 7. in c. 12. Lucæ.

Iudæi porrò solam a suo Messia expectant redemptionem corporũ: quos refellit Galatinus [g]. Pelagiani negando peccatum originale, & gratiæ necessitatẽ, venisse Christum dicebant ideo dumtaxat, vt nos exemplo doceret, & verbo: quos confutat Augustinus multis libris, maximè duobus de Gratia Christi, in quorum secundo [h] monet consequenter sensisse, non profuisse his qui præcesserunt eum: Basus & Abailardus non concedebant liberasse nos à Diaboli iugo, & seruitute. Contra primum Philaster, & Castro [i]: contra secundum Bernardus [k], & apud illum ab Innocentio secundo damnatur [l].

Errores Iudæorum & Pelagianorum.
g lib. 6. c. 4. & seq.
h cap. 26.
i Verb. Christus. hæresi 8.
k epist. 190.
l ep. 194.

Vanam conuersationem paternæ traditionis Græcus textus appellat ματαίας ἀναστροφῆς πατροπαραδότου. Idololatrarum cõuersatio per traditiones, quas habebãt, erat plusquàm vana, videlicet etiam perniciosa: Iudæorum quoque traditiones, quas δευτερώσεις Græcè nominatas Hieronymus testis est [m], & in quibus vniuersam scientiam ponerent, quatenus propter eas illi transgrediebantur mandata Dei [n], & postea nomen Christianum insectabãtur, vt & Paulus fecit *æmulator existens paternarum suarum traditionũ* [o], πατρικῶν παραδόσεων. Has idem Apostolus [p] vocat *fabulas Iudaicas, & manem fallaciam secundum doctrinam hominum* [q]: Esaias *mandata, & doctrinas hominum, per quas in vanum coleretur Deus* [r].

Iudæorum traditiones vanæ.
m epist. 143. ad Damasum, & in Catalogo script. Eccles. in c. 8. Esa. & 10. & 59. & in ca. Oseæ 3. & in c. 22. Mat.
n Mat. 15. 3. 6.
o Gal. 1. 14.
p 1. Tim. 1. 4.
q Coloss. 2. 8.
r cap. 29. 13.

Diuinæ, Apostolicæ, Ecclesiasticæ traditiones vanæ non sunt, sed maximi faciendæ, cùm non minorem habeant auctoritatem, quàm scriptum Dei verbum, & nominatim Paulus [s] eas iubeat retineri, & adeo multi patres idem præcipiãt, atque illatum catalogum recenseant, Clemẽs, Dionysius, Ignatius, Irenæus, Tertullianus, Basilius, Augustinus, alij permulti, vt alibi ostendimus. Quare abutũtur præsẽti testimonio, & similibus, in quibus cõtinetur traditionum reprehensio, hæretici, ad reprehendendas quas diximus, sacras traditiones. Negant reprehensam à Christo traditionum nomine legem Moysi, sed quas seniores recentiores addiderant contra mentem legis, Irenæus [t], Epiphanius [u], Hieronymus [x]. Sed & Iustinianus [y] quadam constitutione simul damnat, simul declarat cuiusmodi sint traditiones hæ. Quę deuterosis quasi secundaria traditio ab ipsis dicitur, *in vniuersum interdicimus, vt quæ sacris libris cõprehensa non sit, neque desuper tradita per Prophetas, sed excerpta quadam virorum contineat, qui terrena dumtaxat loquuntur, nec quicquam diuini in se habeant numinis.* Sic ibi. Talis omnis, quam Hebræi Cabalam nominant, quæque in Thalmud & Rabinorum libris continetur.

Diuinæ & Apostolicæ, & Ecclesiasticæ traditiones vanæ non sunt.
s 2. Thess. 2. 14.
t lib. 4. ca. 25. & 26.
u lib. hæres.
x in c. 8. Esa. in c. 3. ep. ad Tit. epi. 2. ad Algas. q. 10.
y const. 146.

In gestis Onesimi, quæ recitat Metaphrastes [z],

z apud Surium 16. Februarij.

babetur ; cùm is præfecto respondisset , se conditione priùs seruum (Philemonis nempe , vt constat ex epistola Pauli ad istum) fuisse, tune gratum seruum boni Domini , & Seruatoris nostri Iesu Christi , quòd cognitionem veritatis adeptus esset, & odium simulacrorum (ex quo sequitur factum Christianum ante Philemonem) quæreret autem præfectus de pretio , quo ad talem dominum translatus fuisset, iterum respondisse verbis istis, quæ iam tractata sunt : conuersationem verò vanam, de qua redemptus esset , esse adulterium, auaritiam, præstigias , arrogantiam, maledicentiam, simulationem, iram, ebrietatem , idololatriam matrem omnium vitiorum.

Vers. 19]. Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi , & incontaminati.

ALlusio est ad agnum typicũ, qui debebat esse sine macula [a] .ἄμωμος (quę vox hic etiam est, *irreprehensibilis*, à μῶμος quod est dedecus, probrum, infamia, &c. Deúsque apud Gentiles reli quorum derisor, ac reprehensor Deorum , nocte progenitus , somnóque [b]) nempe sine defectu aliquo vel vitio, vel morbo, vel deformitate, vel monstrositate, quidquid esset de colore, siue prorsus eodem , siue vario. Præterea alluditur ad Esaiæ [c], & Ieremiæ [d] verba , quibus Christum agni nomine appellant: quod & postea Ioannes [e] Baptista fecit, & Euangelista [f] , & Andreas [g], vt nos in historia de baptismo Eunuchi [h] , ratione quoque nominis allata , longiore oratione demonstrauimus. Ecclesia per Illyricum scribens Papæ Symmacho [i] , citánsque præsentem locum, legit *agni Dei*. In præfatione Paschali canitur, *pascha nostrum immolatum esse Christum, & hunc verum esse agnum, qui abstulit peccata mundi*: quoniam qui in lege immolabatur, typus tantum erat , nec tollebat peccata mundi, nec habebat veram mãsuetudinis & innocentiæ virtutem. Similis ratio, vt cùm Christus se veram vitam vocat [k] , & Ioannes illam lucem veram [l] . Tamẽ quasi agnum Petrus appellat, & duo citati prophetæ, quia natura homo erat, non agnus , sicut nec vitis, petra, leo, aut quid aliorum, quæ symbolicè, ac typicè dicuntur de illo.

Cum posset autem & hœdus immolari in Paschate, non tantùm agnus , Christi quoque typus fuit, licet non ita nomẽ ei illius tribuatur, quatenus habuit Christus *similitudinem carnis peccati* [m], *& pro nobis factus est peccatum* [n] , *& cum iniquis* (quos statuet Christus sub hœdorum nomine in iudicio ad sinistram [o]) *reputatus est* [p]. Talem oportuit agnum esse, qui dicto modo simul hœdus esset absque macula cuiusuis peccati , tum originalis, tum actualis , quorum prius volunt aliqui designari priore vocabulo immaculati ἀμώμου, posteriore ἀσπίλου posterius , quamuis ab vtroque vtrumque synonymè possit.

Cæterùm qua ratione dicatur idem Christus agnus, siue ouis , & pastor , docet Fulgentius [q] , alijs exemplis , cùm vocatur etiam sponsus , & sponsa; sacerdos & victima, oblator muneris , & munus ; videlicet ad veritatem humanæ naturæ demonstrandam , lana designat exemplum : lac doctrinam : caro Eucharistiam : sanguis redemptionem, inquit Thomas Anglicus.

Posuit Deus, *Christum propitiatorem nostrum in sanguine ipsius* [r] , *& in eo habemus redemptionem per fidem in sanguine ipsius propter remissionem peccatorum:* *& sanguis eius emundat conscientias nostras* [s] , *ab omni peccato* [t] *& effusus est in remissionem peccatorum* [u] , *& lauit nos Christus à peccatis nostris in sanguine suo* [x] , *& redemit nos Deo in sanguine suo* [y] , *& proposuit nobis illum Deus propitiationẽ in sanguine ipsius* [z] , *& qui eramus aliquando longè , facti sumus propè in sanguine ipsius* [a] , *& per sanguinem eius habemus redemptionẽ* [b] , *& pacificauit Christus per sanguinem crucis suæ quæ in terris sunt siue quæ in cælis* [c] : *& iustificauit Deus per sanguinem Christi* [d] : *& acquisiuit Ecclesiam sanguine suo Christus* [e] , denique *sine sanguinis effusione non fit remissio* [f] . Adumbrarunt hanc effusionem tot victimæ , & sanguis circumcisionis , vt notat Origenes [g], vt intelligeretur deberi pretium sanguinis nostri pro peccato, sed solum sanguinẽ Christi esse pretium sufficiens.

Igitur quanta Caluini blasphemia, nihil Christi profuisse mortem, & sanguinem , atque Crucifixi spectaculum nihil, nisi extremæ desperationis materiã nobis exhibere. Plura in illũ quinto Dialogorum Feuardẽtius, & in huius loci Commentario. Refellit præterea impiam alteram assertionem computruisse pretiosum illum Christi sanguinem in terra, quandò fusus est, nec amplius esse in rerum natura. Opponit hunc Petrus corruptibilibus auro, & argento: & in vna cõcionum, quam Lucas [h] recitat, verbis psalmi [i] affirmat *non vidisse Christi corpus corruptionem*. Repetit id quoque Paulus apud eundem [k]. Denique pertinet ad veritatem , & integritatem resurrectionis, vt sanguinem resumpserit. Consule quæ nos diximus ad illa loca historiæ Apostolicæ , & ad epistolam Ioannis primam [l].

Hinc præterea conuincitur nefaria hæresis, Christum peccasse, dũ in horto petiit à se auferri calicem [m], vel etiam in Cruce desperasse aiendo. *Vt quid dereliquisti me* [n]? Sic sentire de Christo non puduit Caluinum, & alios , de quibus Hosius [o], Lindanus [p], Feuardentius [q]. Sed & multò antiquiores hæretici videntur eandẽ hæresim secuti, vt innuitur in Concilio Ephesino [r] , vbi anathema pronunciatur dicentibus , *quod Christus pro se obtulerit semetipsum Oblationem , & non potius pro nobis solis. quia non eguit oblatione , qui peccatum omnino nesciuit*. Definitur quoque, omissis aliis rei clarissimæ probationibus , in Concilio Romano [s] sub Martino I. in Christo nostram substantiam perfectè, & indiminutè fuisse absque peccato.

Quod verò attinet ad pretium sanguinis Christi (nec morabor enim in aliis, quæ vel de animatione quæri possent , vel de vnita illi , saltem ex singulari priuilegio , hypostasi diuina , quidquid sit de aliis humoribus, & an totus omnino resumptus sit à Christo in resurrectione) multò communior , & mihi quidem prorsus videtur vera sententia. Christum non modò sufficienter, quod in ipso erat, satisfecisse pro lapsu originali humani generis, & cæteris peccatis, quæ sunt commissa, vel vnquam committentur, nec non pro pœnis, licet nostram requirat cooperationem: verùm etiam superabundanter, *copiosa*, vt David [t] loquitur, *redemptione*, nõ ob solam acceptationem Dei, sed ex proprio valore ipsius sanguinis , cui peculiariter tribuitur ratio pretij, ac redemptionis, quamuis ea cõueniat cuiuis operi meritorio propter infinitam dignitatem personę, quam, vt quidam [u] exponunt , exaudiuit Deus *pro sua* , id est, eius *reuerentia* [x] , vt eam scilicet Deus reuereretur Diligenter hoc demonstrant inter alios noster Suarez [y] , meus olim in Scholastica Theo-

logia

a Exod. 12. 5.
b in Adag. Momo satisfacere Lucian. in Hermotimo , & Deorum Concilio, & alij cũ Natali Comite 9. Mythol. cap. 20.
c cap. 53. 7.
d cap. 11. 19.
e Ioa. 1. 29. 36
f in Apocal. sæpe.
g in gestis.
h Act. 8.
i Tom. 3. Bib. patrum pag. 579.
Agnus verus Christus.
k Ioan. 15. 1.
l Ioan. 1. 9.
m Rom. 8. 3.
n 2. Cor. 5. 21.
o Mat. 25. 32. 33.
p Esa. 53. 12. Mar. 15. 28. Luc. 22. 37.
Christus etiam hœdus dici potest.
q [illegible]
r Rom. 3. 25.
s Heb. 9. 14.
t [illegible]
u Mat. 26. 28
[illegible] 4. 24.
Lucæ 22. 20.
x Apoc. 1. 5.
y Apoc. 5. 9.
z Rom. 3. 25.
a Ephes. 2. 13.
b Ephes. 1. 7.
c Coloss. 1. 20.
d Rom. 5. 9.
e Act. 20. 28.
f Hebr. 9. 22.
g in cap. 2. ep. ad Rom.
Blasphemia Caluini horrenda.
h Act. 2. 24. &
i Psal. 15. 10.
k Act. 13. 35.
l c. 1. v. 7. & 5. 6.
Christo tribuunt desperationem Caluinus
m Mat. 26. 39.
n Mat. 27. 46.
o [illegible] de hæresibus
p [illegible]
q Dial. 4. & 5.
r Can. 10.
s Can.
t Psal. 129. 7.
u Chrysost. & Theophyl. in cap. 5. epist. ad Hebræ.
x Heb. 5. 7.
y 3 p q. . disp. 4. sect. 3. & seq

logia præceptos.

Clemẽs Papa VI. in extrauaganti Vnigenitus [a], qua iubileum, qui prius dabatur centesimo quoque anno, reducit ad annum quinquagesimum, agens de pretio, ac thesauro sanguinis Christi, vnde hauriuntur indulgentiæ, citánsque præsentem locum. *Non corruptibilibus auro, & argento, sed sui ipsius agni incontaminati, & immaculati pretioso sanguine nos redemit*, subdit: *quem in ara crucis*, (etiam antè, sed tunc maximè pretij valor eluxit) *innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluuium noscitur effudisse.*

a de Pœnit. & remiss.

Cùm ergo Ambrosius [b] docet, sanguine suo Dominum quasi hominem redemisse, eumdem quasi Deum peccata donasse, debet intelligi de sanguine, & sanguinis effusione formaliter sumptis, cùm constet sanguinem esse Dei, & effusionem propter denominationem personæ, quæ diuina est. Probat hinc potiùs diuinitatem Christi, Cyrillus, Alexandrinus [c], *quoniam si vt homo vulgaris mente*, inquit, *concipiatur, quomodo illius corpus vita omnium æstimationem, ac dignitatem exæquat? Si autem Deus erat carne indutus, qui vndequaque dignissimus est, sanè cumulatissimum per illius sanguinem pretium pro totius Mundi salute impensum est.*

b 5. de Fide c. 5.

c de fide ad Reginas.

Quocirca non licet ampliùs eum Mairone [d], & Durando [e] de hoc Indulgentiarum, quas alioqui admittunt, thesauro dubitare: Pontifex enim ille paulò post eorum obitum, decretum dictum edidit: Hæreticos autem, qui penitus negant Indulgentias, multi confutant, qui tractatus contra illos ediderunt, maximè Bellarminus, qui alios citat.

d 4. dist. 19. q. 1.
e 4. dist. 20. q. 3.
Indulgentiarum thesaurum, est certissimus.

Indignum est porrò, vt empti tali pretio, fiamus serui hominum, ea seruitute, de qua loquitus Paulus [f]: multò magis, inquit Ambrosius [g], vt peccati, serpentis, inimici, & aduersarij: non sumus nostri: *glorificare, & portare Deum in corpore nostro debemus* [h], & soli seruire Domino, qui propria nos redemit caritate, & est suorum redẽptio seruulorũ. *Aduersarius noster*, ais rursus idem Doctor [i], *tamquam captiua mancipia vilioris pretio æstimationis addicit: at verò Dominus tamquã speciosa seruitia, quæ ad imaginem, & similitudinem sui fecit, idoneus sui operis æstimator magno pretio nos redemit* [k], *quod non æstimatur ære, sed sanguine*, &c. Vrget Cyrillus [l] idem seruitutis debitum, & nos non iuris nostri esse, sed eius, qui emit, & seruauit: propterea meritò voce sanctorum accusari, vt negantes Dominum, qui illos seruauit, qui sectè fidei canonem prætergrediantur. Legatur & noster Commentarius in psalmũ 43. vbi quo pacto aliqui dicantur venditi à Deo emptíque. Elice morale aliud documentum, quantopere nobis animarum sit salus procuranda, quæ tam carò constiterit Filio Dei. Reprehendit Deus Ionã [m] quasi dolentem de misericordia ipsius in Niniuitas: & cùm siccata repentè doleret hedera, obiurgauit, quòd super ea doleres, in qua non laborauerat, quasi seipsum innueret Deus olim humanam sumendo naturam pro hominibus laboraturum, & significare vellet illa ipsa præuisa merita præcedentibus quoque salutem conferre.

f 1. Cor. 7. 23.
g in Psal. 44.
h 1. Cor. 6. 20.
i lib. 7. in cap. 22. Lucæ.
k 1. Cor. 6. 20.
l lib. 4. in cap. 43. Esaiæ.
Salus animarũ nobis est procuranda sedulo.
m Ionæ 4. 9. & sequ.

Postremò ad modestiam reuocat sanguis idem Christi, quo sumus omnes ex æquo redempti, ac veluti consanguinei, quia pariter omnes *naturâ filij iræ* [n], & captiui diaboli. Gratis venundati dicimur [o], quia nullum pretiũ dignum anima nostra: vt idcirco redimendi fuerimus sine argento, id est, pretio infinito sanguinis Christi, alioqui poterat redimi minori pretio, si minoris valeret. Sic legimus nonnullos opificia sua gratis dare, quàm vendere maluisse, quia æstimari negabant posse.

n Ephes. 2. 3.
o Esa. 52. 3.

Vers. 20.] Præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos.

AGnus ille immaculatus, & incontaminatus præuisus est ab æterno, & prædestinatus, (præscire enim, & præcognoscere, idem aliquando valet, quod prædestinare, & prædiligere, vt notant hic Catharinus, & Gagneius) *occisus etiam ab origine Mundi* [p], sicut & omnis aliorum prædestinatio, & regni præparatio pro Prædestinatis facta scribitur ante constitutionem mundi [q]. Nec tamen inde ratio necessaria colligitur, Christum ante omnem præuisionem peccati prædestinatum esse, & venturum fuisse, quamuis Adam nõ peccaret, vt hoc tamen loco Feuardentius de Scoti familia, & schola vult, quidquid sit de opinionis veritate quam saltem negari non potest verisimilem esse. Nam rectè intelligitur ante mundi constitutionem præcognitus, ac prædestinatus (prædestinatum legit hoc loco Ambrosius [r]) Christus, quamuis non ante præuisũ peccatum. Alterius autem verisimilitudinẽ opinionis hæc faciunt, quia sanctificatio nostra, & Angelorum ex perfecta iustitia, & vniuersi perfectio, & ipsa dignitas mysterij per se, & similes eiusmodi rationes minimè pendent ex lapsu hominis, quam causam, quia extrinseca est, & Dei commendat misericordiam, iustitiámque secundum peculiarem quemdam modum, & quoniam sic de facto accidit, Scripturæ, ac Patres nominatim expresserunt, præsertim loquendo de Incarnatione possibili, cui solus ille lapsus occasionem dedit. Item prædestinari Christum, *mitti, ac dari in gloriam nostram* [s] aut *vt sit nostra iustitia, & sanctificatio* [t]: aut *caput hominum, & Angelorum* [u], aut *quia Deus dilexit mũdum* [x], aut *vt benediceret nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate: qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ; in qua gratificauit nos in dilecto Filio suo* [y], &c. hæc, inquam, & huius generis alia motiua seorsim, ac per se sufficientia, & digna videntur, ac proinde voluntatem diuinam, quæ perfectè mouetur, atque operatur, impulisse ad ordinandam, & prædestinandam incarnationem; quamuis, præuiso peccato, simul voluerit fieri passibilem, & in remedium ipsius. Nec parum fauet reuelatio, quæ Adæ facta creditur de Incarnatione ante peccatum, quando dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis* [z], &c. Postremò plures Augustinus [a] asserit esse rationes in Christi incarnatione salubriter intuẽdas, atque cogitãdas, præter eam, quæ pertinet ad remediũ peccati: & quemadmodum non ideo Filium productũ à Patre Cyrillus [b] Alexãdrinus aduersus Arianos argumentatur, quia sic ille nobis agere gratias deberet, & esset gloria nostra, sicut fœmina viri, & primi essemus apud Deum, ita esset ille argumentatus, si præcisam, solámque causam incar-

p Apoc. 13. 8.
Christus an incarnandus Ada non peccante.
q Matt. 25. 34.
r 2. de fide c. 7.
s 1. Cor. 2. 7.
t 1. Cor. 1. 30.
u Ephes. 1. 22. Coloss. 1. 18. c. 2. 10.
x Ioan. 3. 16.
y Eph. 1. 3. 4. 5. 6.
z Gen. 2. 23.
a 13. de Trin. cap. 17.
b 5 Thesauro cap. 3.

nationis,immò si primariam fuisse hominis lapsi putasset redemptionem.

Verùm præsens,vt dixi,locus neutram sententiam demonstrat,vel iouat;sed quàm sit antiquū consilium Dei de nobis redimendis per Christi sanguinem ostendit, & Iudaicum supercilium deprimit, vt ait præter Oecumenium idem Cyrillus[a], qui legi semper inhærent, & virtutem nostri mysterij recenti Patris consilio excogitatam arbitrantur.

a lib.11.in Ioa. cap.28.

Manifestati autem nouissimis temporibus.] Tempus,& dies Euangelicæ legis.cur dicatur nouissima,sæpius monui. Appellatur quoque *plenitudo temporis* [b],& *fines sæculorum* [c]: nec enim alia lex, Sacramenta, fides, religio, Messias, Prophetæ, Apostoli sunt expectandi, non aliud tempus acceptabile, diésve salutis [d]. Quòd tam diu dilata sit incarnatio, causa vno verbo reddi posset cum Irenæo [e], quia iuxta infinitam Dei sapientiam facientis cuncta opportunè,id erat opportunum. Eodem pacto respondet Augustinus [f],quia nondum venerat plenitudo temporis moderante illo,per quem facta sunt tempora,& sciente quando venire debebat.Plures afferūt rationes Theologi [g],& Barradius [h] noster.Primariæ sunt, vt adeo magnum beneficium maiore desiderio, magisque grato animo exciperetur: & eius conspectior necessitas esset: & plura præirent signa, ac veluti dispositiones.

b Gal.4.4.
c 1.Cor.10.11.
d 2.Cor.6.2.
Cur tamdiu dilata sit incarnatio.
e lib.4.c.70.
f Tract.31.in Ioan.
g in 3.p. q.1. art.5.& 6. vbi Suarez disp.6.
h t.1.l.5. Harm. cap.31.

Per manifestationem nō sola incarnatio,quæque gessit,docuit,passus est Christus ipse, præterea resurrectio, ascensio, missio Spiritus sancti, verùm etiam prædicatio Apostolorū, & aliorum intelligi potest cum Titelmano.

Propter vos.] Etiam propter Petrum ipsum, & Apostolos. Verùm quia de hoc ambigi non poterat, illos alios expressit,ne se crederent exclusos: vel vt ad tantum beneficium, tamquam ad sibi quodammodo proprium, magis afficerentur. Sic Paulus cùm seipsum priùs coniunxisset in eiusdem participatione beneficij,sermonem conuertit ad Ephesios [i]: *In quo & vos cum audissetis,&c.* Sed & in eadem ad illos epistola [k] pereleganti vicissitudine nūc prima numeri pluralis persona, nunc secunda vtitur. Scribens verò Galatis, de seipso ait [l]: *In fide viuo Filij Dei,qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Videlicet hic est affectus serui fidelis, vt istum expendens locum scribit Chrysostomus [m], vt beneficia domini sui, quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi sol præstare reputet,& quasi ipse sit omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Theophylactus, Oecumenius, & alij in Commentariis suis idem dicunt. Et sanè prouidētiam Dei vnumquemque nostrū attingere, atque beneuolentiam, & amorem eius sigillatim in omnes, non generaliter solum ferri, dubitari non debet. Testis ipse est Christus in ea visione Carpi quam refert Dionysius [n], testis Augustinus [o] præclara illa sententia: *O tu bone omnipotens qui sic curas vnumquemque nostrum,tamquam solum cures, & sic omnes tamquam singulos.* Nihil dico de exaggeratione, quæ notari posset *propter vos* antea peccatores, idololatras, ingratos Iudæos, ac forsan persecutores Christi, &c.vel propter homines, non propter Angelos. De hoc secundo nonnihil in epistola secunda [p] dicendum erit.

i cap.1.13.
k cap.2.1.&10.
l cap.2.20.
m lib. de compunct.cordis.
Seruus fidelis beneficia cōmunia Domini quasi sibi propria imputare debet.
n epist. ad Demophilum.
o 3. Confess. cap.11.
p cap. 2.

Vers.21.] Qui per ipsū fideles estis in Deo, qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra, & spes esset in Deo.

Hic scopus aduētus, & manifestationis Christi, vt vos, ceterósve aggregaret sibi discipulos,idcirco eum Pater excitauit à mortuis, & celebri gloria extulit: vt penderetis à Deo toti, credentes, ac sperantes eò peruenturos vos, quò Filium euexit.

Scopus aduētus & manifestationis Christi.

Qui per ipsum fideles estis in Deo.] Τοὺς δι' αὐτοῦ πιστεύοντας εἰς Θεόν. *Qui per ipsum creditis in Deum.* Sic habet quoque versio Vatabli,& Clarij,Syra quoque editio, Prosper [q] *fideles in Deum*: omnes autē passim intelligunt de fide in Deum, quòd donū per Christi merita consequamur, sicut & alia. Vnus Arias exponit, testes veraces, & probatos, productósque à Deo in testimonium resurrectionis.At certè non tales erant hi, ad quos scribebat Petrus, aut si qui erant, perpauci admodum, qui scilicet edere possent de Christi à se visi resurrectione testimonium. Vocat Petrus [r] alibi *testes præordinatos à Deo bonis vos, quique manducauerunt, & biberunt cum Christo postquam resurrexit à mortuis.*

q 1.de Vocat. Gentium cap.23. vel apud Ambros. lib. 1. cap.8.
r Act.10.41.

Fidem, virtutem Theologicam esse donum Dei, dubitari nequit. Vocat Christus *opus Dei* [s]. Paulus ait *nobis donatum vt credamus in Christum* [t], & *cuique diuisisse Deū mensuram fidei* [u]: negat præterea *nos esse sufficientes cogitare aliquid a nobis ex nobis* [x]: vel posse dicere *Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto* [y]: docet etiam nos *gratia saluari per fidem & hoc non ex nobis,Dei enim donum esse* [z]: Lucas credidisse scribit prædicante Paulo, *quotquot erant præordinati ad vitam æternam* [a]; cuius nimirum adeptio non est sine meritis ex gratia, & iustitia sanctificante; hæc autem suas habet dispositiones eiusdem ordinis, quarū prima est fides, cui ipsamet iustificatio non rarò tribuitur [b], tanquam fundamento. Tandem Concilia hoc definiunt, Mileuitanum [c], Arausicanum [d], Tridentinum [e]. Legendus Augustinus præsertim libro de Prædestinatione sanctorum per multa capita, & Prosper [f], vel Ambrosius [g].

Fides Theologica donum Dei est.
s Ioan.6.29.
t Philip.1.29.
u Rom.12.3.
x 2.Cor.3.5.
y 1.Cor.12.3.
z Ephes.2.8.
a Act.13.48.
b Rom.3. cap.4.c.5. Gal.3. Ephes.2.cap.3. Heb.11.
c can.4.
d can.5.
e sess.6. can.3.
f 1.de vocat. Gent. cap.23.

Errant qui nihil ampliùs credendum dicunt, quàm quod possit euidenti ratione demonstrari. Hoc nomine in libro de vtilitate credendi, refellit Augustinus, & Bernardus [h] Petrum Abailardum, & ex Scholasticis Franciscum de Marchia, Gregorius [i] Ariminensis, & Okam [k]. Sed nec audiendi qui quandoque, acquiri posse salutem sentiunt ab eo, qui supernaturalia Fidei obiecta ignoret. Fertur ea opinio Victoriæ fuisse: illam verò tenuit olim Soto [l], sed postea retractauit [m]: hæsit autem in ea Vega [n]: nec etiam requirens necessariò fidem, quod sit vnus Deus. Denique in lege Euangelica necessariam esse necessitate medij fidem explicitam de Christo longè probabilius,sed de his rebus alias.

Nihil credendū, quod non possit demonstrari, falsum est.
g lib.1.de vocatione Gent.c.8.
h epist.190.
i 1.sentent. in Prol.Q.1.art.4.
k quæst.4.
l 2.de Natu. & Gra.c.11.
m 4.d.1.q.2.a.3.
n 6.super Conc. Trid.ca.23.&20.

Quòd autem fidei munus consequamur per Christum, nihil attinet probare. Est enim Christus nobis auctor omnium donorum gratiæ, vnóque verbo Paulus & fidem esse donum Dei, & nobis etiam prouenire à Christo dixit: [o] *Pax fratribus & charitas cū fide à Deo Patre,& Domino Iesu Christo.* Infert hinc, & ex postremis versus verbis Cyrillus [p] Alexandrinus Christi diuinitatē,quod nempe tum fides,tum spes dicantur esse in Christum.Clariora sunt alia loca, vt [q], *Qui credit in*

Fidei munus per Christum consequimur.
o Ephes.6.23.
p de Fide ad Reg.
Christus est Deus.
q Ioan.6.47.

me, habet vitam æternam; & [a], *creditis in Deum, & in me credite*, &c. Lege cætera apud eumdem, quibus oſtendit, vt Fidei obiectum per Apoſtolos annunciatum Chriſtum.

a Ioan.34.1.

Qui ſuſcitauit eum à mortuis.] Duo notat Oecumenius, & fieri de reſurrectione poſt ſanguinem, ſeu paſſionem Chriſti, mentionem, ne recentes in Fide, facilè ad incredulitatem, illa ſolùm audita mutarentur: & dici à Patre ſuſcitatum Chriſtum, qui alioqui profeſſus eſt ſe corporis ſui diſſulutum templum excitare poſſe [b], & animam, quam ſponte poneret, denuo ſumere [c]: & de illo Lucas, quod præbuit ſe ipſum viuum [d], vt vnam Patris, ac Filij operationem eſſe ſignificaret. Egi de hac re in Commentario illius loci, quo pacto ſe Chriſtus, etiam vt homo, non ſolùm vt Deus ſuſcitauerit.

b Ioan.2.19. c Ioan.6.17.18. d Act.1.3.

Chriſtus ſeipſe ſuſcitauit.

Ipſe ſe Chriſtus vocat *reſurrectionem, & vitam* [e]; aitque *ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & quos vult viuificare* [f], & *ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dediſſe & Filio vitam habere in ſemetipſo* [g]. Profectò cum ſuſcitauerit alios, non habuit in proprium corpus minorem poteſtatem Quapropter Caluinianorum blaſphemia eſt, ſolùm Patrem Chriſtum ſuſcitaſſe, & Chriſtum ſeipſum ſuſcitare non potuiſſe, Lucæ item Stembergæ, teſte Prateolo, non virtute propria diuina, ſed Omnipotentis reſurrexiſſe à mortuis. Hic poſterior error facit Chriſtum purum hominem.

e Ioan.11.25. f Ioan.5.21. g ibidem 26.

Dedit ei gloriam.] *Exaltauit illum*, ait Paulus [h], *& donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, & [i], *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum.* Vbi corporis quoque ſuſcitati gloria continetur, & iudiciaria poteſtas, atque collocatio ad dexteram Patris. Denique Pater promiſit ſe clarificaturum [k], ſiue, iuxta vim verbi Græci δοξάζων glorificaturum illum; & Chriſtus poſt reſurrectionem teſtatur *datam ſibi poteſtatem in cœlo, & in terra* [l].

h Philip.2.9. i Heb.2.9. k Ioan.12.28. l Matth.vlt.18.

Vt fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo: εἰς Θεὸν in Deum. Tanta exaltatio, & glorificatio Chriſti eò ſpectabat, vt crederent, & ſperarent homines in illum, non vt purum hominem, ſed Deum: nec enim conferretur homini puro, ſed ei, qui ſimul eſſet Deus æqualis Patri per omnia: & quia caput noſtrum eſt, perſuaderent ſibi fieri poſſe, vt cū ipſo gloriam conſequerentur [m]. Oecumenius obſeruat ὥστε, cui reſpondet *vt* non cauſam denotare, quod aptius fieret, inquit, per ἵνα, ſed euentum, & ſententiam totam, ſequentiſque voces nonnullas aliter nectit, quod parum refert.

Chriſtus eſt Deus.

m 1.Cor.15.21.22.23.48. Philip.3.20.21.22.

Verſ. 22.] Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde inuicem diligite attentiùs.

NOn ſufficit fides, ſpéſque ſine munditia cordis, atque mentis ab impuris, ac illicitis cogitationibus, & cupiditatibus, vt ſimus agno immaculato ſimiles; præterea ſine amore Dei, & dilectione fraterna.

Fides & ſpes ſine caritate non ſufficiunt.

Animas veſtras caſtificantes.] Τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἡγνικότες, Cùm caſtificaueritis. Similis phraſis in prima Ioannis epiſtola [n]: *Qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſeipſum*, ἁγνίζει: quod alij vertunt *caſtificat*, vt Auguſtinus [o], inde colligens liberam cooperationem arbitrij noſtri: quod & nos ibidem fecimus, & hic quoque monemus. Caſtitas porrò, ſanctitáſque innuere poteſt etiam rectam intentionem, & ſinceram fidem, in qua peculiariter Deus deſponſat nos [p], & nos viciſſim exhibemus nos ipſi fideles & caſtæ ſponſæ [q]. Hieronymus [r] magis attendens ſenſum, quàm verba, legit, *vt caſtificemus animas noſtras*: vel *caſtificetis animas veſtras in obedientia veritatis.*

n cap.3.3. o ibid. Tract.4. p Oſe.2.20. q 2.Cor.11.2. r 1. cōt. Iouin. quem etiā legit in c.17. Iet. & Cyrill. de hac ad Reginas.

Obedientia caritatis cur dicatur.

In obediētia charitatis.] Ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας. *In obedientia veritatis.* Syriacè eodem pacto, & verſio Clarij. Vatablus: *Qui animas veſtras purificaſtis obediēdo veritati.* Oecumenius: *Preparantes vos ipſos ad obedientiam veritatis per ſpiritum.* Puto charitatis obedientiam ab Interprete redditam, quòd ea ſola meretur verum, & abſolutum nomē obedientiæ, ſoláque purgato fit animo, quæ fit ex charitate, non ex timore, vt Bernardus [s] docet, non certis adſtricta limitibus voti, & profeſſionis, fertur largiori voluntate in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur ſpontanea, vigore liberalis, alacriſque animi, modum non conſiderans, in infinitam libertatem extenditur. Tum præſenti vtens loco, *Hæc eſt illa*, inquit, *de qua ſignanter Apoſtolus Petrus: caſtificantes corda veſtra in obedientia charitatis.* Pulchrè ipſam per hoc ſequeſtrans ab illa inerti, & ſeruili obedientia quodammodo, nec charitati prompta, ſed obnoxia neceſſitati. Ait deinde, charitatem eſſe legis loco, ſicque iuſto legem poſitam [t] non eſſe. Citat item regulam S. Benedicti, quæ monet, vt ſi fratri impoſſibilia iniunguntur, confidens de adiutorio Dei, obediat ex charitate. Congruunt iſta cum præfatione conſtitutionum noſtrarum, de interna lege amoris diuini. Petrus Bleſenſis [u] iiſdem prope verbis vtitur, quibus Bernardus, ſed paucioribus, atque denotat affectionem filialem quæ paternam reuerentiam ſemper præ oculis habens, nullis arctata limitibus ſe currenti deſiderio in latitudinem charitatis infundat.

s de Præcept. & diſpenſ.c.9. t 1.Tim.1.9. u epiſt.231.

Hoc ſibi etiam vult præceptum Chriſti, vt *Deum adoremus in ſpiritu, & veritate* [x], & Ioannis Apoſtoli [y]: *vt diligamus fratres opere, & veritate.* Denique cenſeri poteſt idiotiſmus Hebraicus, vt obedientia veritatis idem ſit quod vera. Vera autem non eſt, vt dixi, quæ charitate non eſt informata. Sed nec diſplicet, vt per obedientiam talem dicamus caſtificari animas, quia reſecat ceteros inordinatos affectus; nominatim verò carnales. Obſeruant enim, qui de rebus ſpiritualibus diſſerunt, rebellionem eos carnis in ſe experiri, qui non obſequuntur maiorum mandatis, ad eū ferè modum, quo primi parentes erubuerunt ſuam nuditatem, mox vt Dei præceptum præuaricati ſunt [z]. Id notauit Turrecremata de Caſtigatione [a] libidinis propriæ voluntatis: nec non de Caſtitate ipſa. *Tu Deo*, ait Auguſtinus [b], *tibi caro. quid iuſtius? quid pulchrius? tu maiori, minor tibi. Serui tu ei qui fecit te, vt tibi ſeruiat quod factum eſt propter te.* &c. *Si autem contemnis tu Deo, nunquam ſubiicietur tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris à ſeruo.*

x Ioan.4.24. y 1.Ioan.3.18.

Obedientia vera non eſt, quæ caritate non eſt informata.

Rebellionem carnis ſentiunt, qui maiorum præcepta non obediūt.

z Gen.3.7.11. a in Regu. S. Benedicti. Tract.15. b in Pſal.143.

Aliud intulit ex hoc loco Hieronymus [c], concupiſci nefas eſſe, quod fieri crimen ſit: & ſi nullam Petrus conſtuprationem animæ noſſet, nec caſtificari eam deſideraturum fuiſſe: Innuit idem Lyranus. *Si deſit munditia cordis* [d], *& ſanctimonia, nemo videbit Deum* [e]. Quin etiam ſanctitas inde videtur denominari: & quæ religioſam profitentur vitam nunc ab Auguſtino ſanctimoniales [f], nunc vocantur Caſtimoniales [g], quo nomine vtitur etiam Optatus [h].

c de Vigilant. d Matth.5.8. e Heb.12.14. f de verb. Do. ſerm. 35 & alibi. g in Pſal. 75. h 2 cont. Parmenian.

In fraternitatis amore.] Alterum præceptum charitatis, Proximum respiciens, ei simile, quod in Deum tendit [a], sumitúrque fraternitas latiùs, vt omnem hominem comprehendit, licet peculiari quadam ratione illos qui sunt eiusdem instituti religionisque, Christianos nimirum, vt Augustinus [b] docet.

a Matth. 22. 38.
b in Psal. 32. sub finem.

Plura de suauissimo hoc vocabulo in nostris Commentariis historiæ Apostolicæ. Legendi Iustinus [c], Clemens Alexandrinus [d], Athenagoras [e], Tertullianus [f], Minutius [g], qui tradunt vsque ad stuporem, & inuidiam Gentilium hanc inter Christianos vsurpatam nomenclaturam, sed & vsque ad suspicionem amoris inhonesti. Fraternitatis amor vno nomine hîc, & in epistola secunda [h], & apud Paulum ad Hebræos [i], ad Thessalonicenses [k], ad Romanos [l] appellatur φιλαδελφία, quod est nomen quoque ciuitatis aptè conueniens toti Ecclesiæ, vt Augustinus docet [m]: & capite tertio [n], fraternitatis amatores φιλάδελφοι. Extat in Apocalypsi [o] propria ad Philadelphiæ Angelū epistola. Ibi Blasius Viega noster [p] refert nonnullos arbitrari, vaticinium Ioachimi Abbatis pertinere ad Societatem nostram.

c Apolog. 2.
d 5. Stromat.
e in Apolog.
f in Apolog. cap. 39.
g in Octauio.
h cap. 1. 7.
i cap. 13. 1.
k cap. 1. 4. 9.
l cap. 12. 10.
m 1. cont. lit. Parmeniani. cap. 7.
n vers. 8.
o cap. 3.
p com. 2. sect. 3.

In textu Græco huius loci post illa verba, *in obedientia charitatis*, Græcè τῆς ἀληθείας, habetur διὰ πνεύματος, *per Spiritum*: & pro *in fraternitatis amore*, εἰς φιλαδελφίαν, ita vt charitatem, de qua meminit, referre videatur Auctor ad amorem fraternitatis, & non ibi sumere, vt respicit Deum.

Simplici ex corde.] Εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον. *In fraternitatis amorem non hypocriticum*, nō fictum, non simulatum, sincerum, simplicem, quod his alijs verbis exprimitur, ἐκ καθαρᾶς καρδίας, ex puro, & sincero corde. Syriacè tota sententia est hoc modo: *Cum sanctificaueritis animas vestras per obedientiam veritatis, & fueritis pleni charitate, absque acceptione facierum* (id est personarum.) *Vt ex puro, & integro corde vos inuicem diligatis.* Simplex, compositione, ac partitione caret: qui præ se fert amicitiam, & odium alit: vel qui non alteri bene vult, sed sibi ipsi, in corde, & corde diligit, non simpliciter, & vno corde; cor veluti complicatum habet, non apertum. Non attendit, nec intendit quod debet, admiscet alienam cogitationem, & affectum: delectum facit, non complectitur amore omnes æqualiter. Simulatus, ac perfidus amicus Ioab, colloquij familiaris prætextu Abner [q], & osculi Amasam occidit [r]: & hoc secundo modo Iudas Christum prodidit [s]: Cain cum ad ambulandum animi gratia fratrem inuitasset, interemit [t]. Requirit Paulus *dilectionem sine simulatione* [u], ἀγάπην ἀνυπόκριτον, & vt *qui tribuit, id faciat in simplicitate* [x], ἐν ἁπλότητι. Ioannes [y], vt dixi, exigit *vt diligamus opere, & veritate, non lingua sola, & verbo.*

Simplex quis sit.
q 2. Reg. 3. 27.
r 2. Reg. 20. 9.
s Matth. 26. 48. 49.
t Gen. 4. 8.
u Rom. 12. 9.
x ibid. 8.
y 1. cap. 3. 18.

Diligite attentiùs.] Ἐκτενῶς. Vatablus, & Pagninus *intense*, Clarius *intense*, Sà *intentè*, quod idem est, vel continenter, siue semper. Sic postea in capite quarto [z]: *Mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam*, ἀγάπην ἐκτενῆ *habentes.* Syriacè חריפא *charipha, vehementem*, intentam, prolixam, cumulatam, celerem. Exponit etiam Hesychius, & Suidas idem esse ἐκτενῆ, ac ἐπιμελῆ, *accuratum, sedulum, attentum*, diligentem, promptum. Interpres orationem sine intermissione dixit [a], quæ Græcè dicitur ἐκτενής. Consule quæ dixi de voce τῆς ἐκτενείας in capite vigesimo sexto [b] Actuum Apostolorum. Quæ in epistola Iacobi [c] *oratio assidua* vocatur, Græcè dicitur ἐνεργουμένη, quasi dicas efficacem. Quæ hic posita est significatio, benè congruit; licet comparatiuum sit loco positum, quod non rarò fit alibi. Vt non existimem vim statuendam in comparatione, quod expositores Latini faciunt, quasi innuatur, cùm amari soleant fratres carnales, multò magis amādos spirituales [d]: vel vt id faciant diligentiùs, quam hactenus, proficiántque magis ac magis [e].

z vers. 8.
a Act. 12. 5.
b vers. 7.
c cap. 5. 16.
d Lyranus.
e Glossa interlin. Hugo, & Thomas Anglicus. Extendenda dilectio ad animas purgatorij.

Turrianus noster [f] disceptans de Purgatorio, déque pio studio in mortuos, citánsque Gennadium Scholarium docentem in disputatione de eodem Purgatorio contra Græcos, maximè iuuari per id studium φιλαδελφίας, probabilem ducit expositionem, vt Petrus commendans dilectionem attentiùs exhiberi, Græcè ἐκτενῶς, id est, extensè, significare voluerit extendi debere vsque ad eos, qui in altero seculo nostra ope indigent: sicut & cùm capite quarto [g] inculcat continuam ἐκτενῆ extensam charitatem.

f lib. 4. de dogmat. charact.
g vers. 8.

Vers. 23.] Renati non ex semine corruptibili, per verbum Dei viui, & permanentis in æternum.

FRuctus illos fecit virtutum, qui antè commemorati sunt, qui perstiterit in regeneratione sua spirituali, vel per Baptismū, cuius forma verbum est, vel etiam suo modo per semen prędicati diuini verbi, quæ sunt res per se à corruptione liberæ, & facultatem conferunt æternæ vitæ consequendæ. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* [h]. Cui similis locus in euangelio [i]: *Non potest arbor bona malos fructus facere*, scilicet quatenus, & quamdiu bona est. Verùm de vtroque plura diximus in prioris loci Commentario. Porrò hinc sequitur, quanto nos amore prosequi debeamus, vtpote renatos ex eodem semine incorruptibili, fratres ex eodem patre Deo.

h 1. Ioan. 3. 9.
i Matt. 7. 18.

Per verbum Dei viui.] Plures verbum sumunt, quod accedens ad elementum aquæ, facit sacramentum Baptismi, qui vocatur *lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti* [k]. Ibi aqua vicem subire dicitur matris, verbum patris (vocat Dionisius [l] Baptisterium μητέρα υἱοθεσίας, *matrem adoptionis.*) Aqua respondet corpori, verbum animæ, vt allatis Patrū testimonijs Maldonatus [m] docet, alijque, qui de Baptismo disserunt. Sed quia generatio vnius est corruptio alterius, dicitur quoque qui baptizatur, in morte Christi baptizari, & consepeliri per ipsum in mortem: sed ita, *vt quomodo ille surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & in nouitate vitæ ambulet* [n], mortuo ac destructo in nobis peccato, vt Basilius [o], Ambrosius [p], Chrysostomus [q], Athanasius [r], docent, & vita gratiæ communicata, qui attendunt quoque ritum, quo mergitur baptizatus in aqua, perinde ac si sepeliatur.

Baptismi vis. Ioann. 3. 5. Tit. 3. 5.
l Eccl. hierar.
m lib. 3. 10.
n Rom. 6. 3. 4. 5. Ephes. 2. 1. 5. Coloss. 2. 12. 13.
o Regul. 14. ex breui.
p 2. de sacra. cap. 7.
q in c. 6. ep. ad Rom.
r quæ. 125. ad Antiochum.

Aliter de verbo euangelij locum explicat Hugo, déque rebus prædicatis, quarum cognitio, ac fides adeo salutaris est. Iacobus [s] verbo veritatis genitos nos dicit, quod possit saluare animas nostras [t], quod etiam vocat Paulus [u] *euangelium salutis, & virtutem Dei ad salutem omni credenti* [x]. Parabolis multis Christus appellauit semen, verbum Dei [y].

s cap. 1. 18.
t ibid. 21.
u Ephes. 1. 13.
x Rom. 1. 16.
y Matth. 13.

Porrò præter Baptismum, & eum modum, quo verbum Dei confert ad regenerationem spi-

ritu alem, est ille quoque per se, qui fit per sacramentum pœnitentiæ, & denique quouis modo iustificatio. potest satis propriè nominari regeneratio,& similibus synonymis vocibus,vt diu ante docui hoc ipso capite, multisque scripturæ testimoniis confirmat Fulgentius[a]. Solet autem gratia,etiam actualis, maximè præueniens comparari cum semine herbarum: de qua comparatione Origenes[b]:tamen quatenus iustificatio vocatur nomine regenerationis,aptiùs comparatur cum humano, vt rectè monet Ruardus Tapper[c], pòstque illum Bellarminus[d],& præsenti hoc nostro probant loco. Nam gratia præueniens non continet propriè loquendo,virtute in se gratiam habitualem sanctificantem:sicut continent semina herbarum formas earum; sed tantùm dispositiones ad eam: Deus verò solus producit, quemadmodum in humana generatione , ex vi seminis disponitur materia , vt fiat apta ad animam recipiendam,quam solus Deus creat,& infundit. Postremò Gulielmum Vuitakerum Thomas Stapletonus[e] refutat,cùm asserit, vt semen se se ostēdit, atque prodit, fructúmque tempore suo profert,sic scripturam per se ipse manifestari , se efferre, & erumpere, & suam ἀξίωσιν declarare , ac αὐτόπιστον esse. nam respondet semē,de quo Christus in parabolis agit,& hic Petrus , dicentes esse verbum Dei,non esse verbum scriptum,siue scripturam,sed esse verbum prædicatum,quod auditu accipitur. Id perspiciet nullo negotio in dictis Parabolis , qui eas legendo percurret : mentio enim in illis est de vario genere auditorum: *at quomodo audient*,inquit Paulus[f] *sine prædicante?*De eodem verbo Petrus extremo iste capite ait: *Hoc est autem verbum,quod euangelizatum est in vobis*. Adde quòd sicut semen terræ mandatur,sed præparatæ , ac dispositæ per agricolam: ita non potest scriptura,etiam si semen esse affirmetur,cognosci absque ministerio Ecclesiæ. Appellat idem Paulus[g],*verbum auditus Dei* non quòd Deus ipse loquatur immediatè,sed per prædicatores suos,qui de Deo loquentes audiuntur.

Dei viui.] De hoc epitheto Dei dixi capite decimoquarto Actuum Apostolorum[h]. Discrimen importat à falsis,& mortuis Diis.

Et permanentis in æternum.]Homonymiam Græcè faciunt multa nomina in Genitiuo casu , διὰ λόγου Θεοῦ ζῶντος, καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα , an pertineat illud epitheton *viui*, & ista alia ad verbum, vel ad Deū.Sed nō dubium præferendus hic sensus:quamuis ex eo quòd semper & viuat, & permaneat Deus , efficiatur vt semen diuini verbi quod scilicet est superioris ordinis,incorruptibile quoq; sit, longéque hac in parte nobilius carnali semine,cuius oppositio sequētibus versibus exprimitur: Æternitas tam propria Deo est, vt etiam incommunicabilis à quibusdam credatur, illa,inquam,quæ principium,ac finem durationis excludit. At satis probabilis opposita sententia: qua de re alibi.

a con. Arianos ad obiect. 3.
b homil. 1. in Exod.
c respons. ad articulos scptem de iustificatione.
Gratia præueniens comparatur semini humano comparatur
d libro 4. de grat. & lib. arbit.c.vlt.
e lib.3. defens. Contr. auct. Ecclesiæ circa scripturam. apposita.c.4.
f Rom.10.14.
g 1.Thess.2.13.
h vers.14.
Æternitas propria Deo est.

Vers. 24.] Quia omnis caro vt fœnum , & omnis gloria eius tamquam flos fœni: exaruit fœnum,& flos decidit.

Vers. 25.] Verbum autem Domini manet in æternum: hoc est autem verbum, quod euangelizatum est in vos.

HÆc de humanæ fragilitate naturæ Philosophia proponitur,vt scientes,quæ à Christo acceperimus bona, intelligamus quoque nostris nos viribus non posse ad hæc aspirare:& ex natiuitate carnali nihil nisi fœnum, id est, caducum, vanum , inutile ad æternitatem valere : verbum, seu verbi prædicationem euangelicámque Christi crucifixi ac resurgentis efficax esse, vt credentibus,& quæ oportet,præstantibus, cōferat æternam salutem.

Differentia porro ponitur inter semen materiale herbarum , vel etiam animalium. quæ cum herbis comparantur , & spirituale diuini verbi, quoniam illud edit quidem fructus ad tempus permansuros , non tamen sempiternos , vt facit spirituale , hoc est , vel sacramentale , quod vim spiritualem & sanctificantem in sacramentis cōtinet,licet sit externum,& sensibile:vel prædicatorium , cui Deus vim communicat , quatenus concurrit intus illuminans, & mouens illos,qui docentur exteriùs. Vtriusque fructus est gratia,& vita æterna, ita vt primum dicatur à Paolo[i] *verbum vitæ*; de secundo idem affirmet Petrus[k] , & Christus[l] *tribuat mundandi vim.*

Omnis caro vt fœnum , &c] *Nam quod natum est ex carne,caro est: & quod natum est ex Spiritu , spiritus est*[m]. Sunt autem quæ profert verba Petrus, de prompta ex Esaia[n]. Vide ad explicandam fragilem humanæ conditionis rationem conuenientia in vita,sanitate,viribus, pulchritudine, nobilitate,vestitu,potentia,opibus,honoribus,voluptatibus,& conuersione in angustiis,doloribus , persecutionibus,&c.vt huius & dicti loci expositores notant potissimum Hieronymus,& præterea Ambrosius[o] ,Augustinus[p] ,Gregorius[q], Chrysostomus[r] ,Cyprianus[s] ,Basilius[t] , Ephrem[u]. Talis quoque sententia Iob[x]: *Qui quasi flos egreditur,& conteritur*, &c. vbi idem Gregorius[y] , & in Psalmo[z]: *Homo sicut fœnum dies eius, tamquam flos fœni, sic efflorebit*:quo item loco Augustinus. Crebra *est in aliis Psalmis*[a] ,locisque[b] comparatio eadem. Quò spectat etiam parœmia, qua fœnum esse dicitur homo indoctus,& brutus[c].

Ceterùm totus hic locus recitatur à Petro ex versione L X X. nisi quod pro *verbum Dei nostri*, dicit *verbum Domini* . Omittit etiam quæ in medio sunt apud Esaiam , contentus extremis , quæ faciebant ad rem.

Gloria eius.] Quidam Græci codices δόξα ἀνθρώπου *hominis*: & sic est apud Esaiam in editione L X X. Parum refert,quoniam caro sæpe pro homine toto ponitur,vt & anima.

Verbum autem Domini manet in æternum] Cælum *& terra transibunt,verba autem Dei non præteribunt*[d], propter omninò certam prædictionem ; & ob constantiam eorum,quæ Dei verbo vel fiunt,vel prædicantur,cùm sit humana omnis doctrina incerta,& fluxa,si ad diuinam comparetur. *In æternum Domine permanet verbum tuū*,inquit Dauid[e]; *& per eptum posuisti,& nō præteribit*[f] .Hac in re verbi Dei cum semine materiali comparatio valet inter alias causas, quia semen, vt obseruat Basilius[g] dum crescit,maius è modico fit,non immutatum genere , sed perfectum ex incremento. Et ita,vt ait Lyrinensis,*dogma Christiana religionis has sequitur profectuum leges,vt annis consolidetur , dilatetur tempore,sublimetur ætate,incorruptum tamen,illibatumque permaneat.*

Si pro Dei Filio Verbum sumamus,multo certior,notiórque perpetuitas eius:nam *Filius manet in æternum*[h]:necnon Christus[i] , *qui est quoque Sacerdos in æternum*[k]. Lyranus interpretans de verbo

Differentia inter semen spirituale & corporale.
i Ephes.5.26.
k Ioan.6.63.
l Iosua 15. 3.
m Ioan.3.6.
n cap.40. 6.
o lib. 5. Hexa. c.7.
p Tract.7. in Ioan. & ser. 42. de verb. Dom.
q 16. Moral. c.5.
r homil 28. in Gen.
s de discipl. & hab. vir.
t hom. 5. Hex. hom. de non adhæren. reb. huius vitæ.
u orat. 24 de morte
x Tom 2 Pa. rgne 4.& 18.
x cap.14.2.
y 11. Moral.
z Psal.102.15.
a Psalm 36.2. Psalm. 90.5. Psalm. 128 6.
b 4.Reg.19.26
Eccl.14.18.
Esa 37.27.
Iac. 1.10.11.
Iob 40.10.
c Cicer.de orat.
d Mat. 24.35.
e Psal.118.89.
f Psal.148.6.
Semen materiale & verbi Dei comparatio in quo valeat.
g epist.79.
h Ioan.8 35.
i Ioan.12 34.
k Psal.109.4.
Heb 7.17.

In fraternitatis amore.] Alterum præceptum charitatis, Proximum respiciens, ei simile, quod in Deum tendit [a], sumitúrque fraternitas latiùs, vt omnem hominem comprehendit, licet peculiari quadam ratione illos qui sunt eiusdem instituti religionísque, Christianos nimirum, vt Augustinus [b] docet.

Plura de suauissimo hoc vocabulo in nostris Commentariis historiæ Apostolicæ. Legendi Iustinus [c], Clemens Alexandrinus [d], Athenagoras [e], Tertullianus [f], Minutius [g], qui tradunt vsque ad stuporem, & inuidiam Gentilium hanc inter Christianos vsurpatam nomenclaturam, sed & vsque ad suspicionem amoris inhonesti. Fraternitatis amor vno nomine hic, & in epistola secunda [h], & apud Paulum ad Hebræos [i], ad Thessalonicenses [k], ad Romanos [l] appellatur φιλαδελφία, quod est nomen quoque ciuitatis aptè conueniens toti Ecclesiæ, vt Augustinus docet [m]: & capite tertio [n], fraternitatis amatores φιλάδελφοι. Extat in Apocalypsi [o] propria ad Philadelphiæ Angelũ epistola. Ibi Blasius Viega noster [p] refert nonnullos arbitrati, vaticinium Ioachimi Abbatis pertinere ad Societatem nostram.

In textu Græco huius loci post illa verba, *in obedientia charitatis*, Græcè τῆς ἀληθείας, habetur διὰ πνεύματος, *per Spiritum*: & pro *in fraternitatis amore*, εἰς φιλαδελφίαν, ita vt charitatem, de qua meminit, referre videatur Auctor ad amorem fraternitatis, & non ibi sumere, vt respicit Deum.

Simplici ex corde.] Εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον. *In fraternitatis amorem non hypocriticum*, nõ fictum, non simulatum, sincerum, simplicem, quod his aliis verbis exprimitur, ἐκ καθαρᾶς καρδίας, ex puro, & sincero corde. Syriacè tota sententia est hoc modo: *Cùm sanctificaueritis animas vestras per obedientiam veritatis, & fueritis pleni charitate, absque acceptione facierum* (id est personarum.) *Vt ex puro, & integro corde vos inuicem diligatis.* Simplex, compositione, ac partitione caret: qui præ se fert amicitiam, & odium alit: vel qui non alteri bene vult, sed sibi ipsi, in corde, & corde diligit, non simpliciter, & vno corde; cor veluti complicatum habet, non apertum. Non attendit, nec intendit quod debet, admiscet alienam cogitationem, & affectum: delectum facit, non complectitur amore omnes æqualiter. Simulatus, ac perfidus amicus Ioab, colloquij familiaris prætextu Abner [q], & osculi Amasam occidit [r]: & hoc secundo modo Iudas Christum prodidit [s]: Cain cum ad ambulandum animi gratia fratrem inuitasset, interemit [t]. Requirit Paulus *dilectionem sine simulatione* [u], ἀγάπην ἀνυπόκριτον, & vt *qui tribuit, id faciat in simplicitate* [x], ἐν ἁπλότητι. Ioannes [y], vt dixi, exigit *vt diligamus opere, & veritate, non lingua sola, & verbo.*

Diligite attentiùs.] Ἐκτενῶς. Vatablus, & Pagninus *intensè*, Clarius *intensè*, Sà *intentè*, quod idem est, vel continenter, siue semper. Sic postea in capite quarto [z]: *Mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam*, ἀγάπην ἐκτενῆ *habentes.* Syriacè חריפא *charipha, vehementem*, intentam, prolixam, cumulatam, celerem. Exponit etiam Hesychius, & Suidas idem esse ἐκτενῆ, ac ὀξημελῆ, *accuratum, sedulum, attentum*, diligentem, promptum. Interpres orationem sine intermissione dixit [a], quæ Græcè dicitur ἐκτενής. Consule quæ dixi de voce τῆς ἐκτενείας in capite vigesimo sexto [b] Actuum Apostolorum. Quæ in epistola Iacobi [c] *oratio assidua* vocatur, Græcè dicitur ἐνεργουμένη, quasi dicas efficacem. Quæ hîc posita est significatio, benè congruit; licet comparatiuum sit loco positiui, quod non rarò fit alibi. Vt non existimem vim statuendam in comparatione, quod expositores Latini faciunt, quasi innuatur, cùm amari soleant fratres carnales, multò magis amãdos spirituales [d]: vel vt id faciant diligentiùs, quam hactenus, proficiántque magis ac magis [e].

Turrianus noster [f] disceptans de Purgatorio, déque pio studio in mortuos, citánsque Gennadium Scholarium docentem in disputatione de eodem Purgatorio contra Græcos, maximè iuuari per id studium φιλαδελφίας, probabilem ducit expositionem, vt Petrus commendans dilectionem attentiùs exhiberi, Græcè ἐκτενῶς, id est, extensè, significare voluerit extendi debere vsque ad eos, qui in altero seculo nostra ope indigent: sicut & cùm capite quarto [g] inculcat continuam ἐκτενῆ extensam charitatem.

Vers. 23.] Renati non ex semine corruptibili, per verbum Dei viui, & permanentis in æternum.

FRuctus illos feret virtutum, qui antè commemorati sunt, qui perstiterit in regeneratione sua spirituali, vel per Baptismũ, cuius forma verbum est, vel etiam suo modo per semen prædicati diuini verbi, quæ sunt res per se à corruptione liberæ, & facultatem conferunt æternæ vitæ consequendæ. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* [h]. Cui similis locus in euangelio [i]: *Non potest arbor bona malos fructus facere*, scilicet quatenus, & quamdiu bona est. Verùm de vtroque plura diximus in prioris loci Commentario. Porrò hinc sequitur, quanto nos amore prosequi debeamus, vtpote renatos ex eodem semine incorruptibili, fratres ex eodem patre Deo.

Per verbum Dei viui.] Plures verbum sumunt, quod accedens ad elementum aquæ, facit sacramentum Baptismi, qui vocatur *lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti* [k]. Ibi aqua vicem subire dicitur matris, verbum patris (vocat Dionisius [l] Baptisterium μητέρα υἱοθεσίας, *matrem adoptionis.*) Aqua respondet corpori, verbum animæ, vt allatis Patrũ testimoniis Maldonatus [m] docet, aliíque, qui de Baptismo disserunt. Sed quia generatio vnius est corruptio alterius, dicitur quoque qui baptizatur, in morte Christi baptizari, & consepeliri per ipsum in mortem: sed ita, *vt quomodo ille surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & in nouitate vita ambulet* [n], mortuo ac destructo in nobis peccato, vt Basilius [o], Ambrosius [p], Chrysostomus [q], Athanasius [r], docent, & vita gratiæ communicata, qui attendunt quoque ritum, quo mergitur baptizatus in aqua, perinde ac si sepeliatur.

Aliter de verbo euangelij locum explicat Hugo, déque rebus prædicatis, quarum cognitio, ac fides adeo salutaris est. Iacobus [s] verbo veritatis genitos nos dicit, quod possit saluare animas nostras [t], quod etiam vocat Paulus [u] *euangelium salutis, & virtutem Dei ad salutem omni credenti* [x]. Parabolis multis Christus appellauit semen, verbum Dei [y].

Porrò præter Baptismum, & eum modum, quo verbum Dei confert ad regenerationem spi-

titudinem, est ille quoque per se, qui fit per sacramentum pœnitentiæ, & denique quouis modo fiat iustificatio. potest satis propriè nominari regeneratio, & similibus synonymis vocibus, vt diu ante docui hoc ipso capite, multisque scripturæ testimoniis confirmat Fulgentius [a]. Solet autem gratia, etiam actualis, maximè præueniens comparari cum semine herbarum: de qua comparatione Origenes [b]: tamen quatenus iustificatio vocatur nomine regenerationis, aptiùs comparatur cum humano, vt rectè monet Ruardus Tapper [c], postque illum Bellarminus [d], & præsenti hoc nostro probant loco. Nam gratia præueniens non continet propriè loquendo, virtute in se gratiam habitualem sanctificantem: sicut continent semina herbarum formas earum; sed tantùm dispositiones ad eam: Deus verò solus producit, quemadmodum in humana generatione, ex vi seminis disponitur materia, vt fiat apta ad animam recipiendam, quam solus Deus creat, & infundit. Postremò Gulielmum Vuitakerum Thomas Stapletonus [e] refutat, qui asserit, vt semen sese ostendit, atque prodit, fructúmque tempore suo profert, sic scripturam per sese manifestari, se efferre, & erumpere, & suam ἐνέργειαν declarare, ac αὐτόπιστον esse. nam respondet semen, de quo Christus in parabolis agit, & hîc Petrus, dicentes esse verbum Dei, non esse verbum scriptum, siue scripturam, sed esse verbum prædicatum, quod auditu accipitur. id perspiciet nullo negotio in dictis Parabolis, qui eas legendo percurret: mentio enim in illis est de vario genere auditorum: *at quomodo audient*, inquit Paulus [f] *sine prædicante?* De eodem verbo Petrus extremo isto capite ait: *Hoc est autem verbum, quod euangelizatum est in vobis*. Adde quòd sicut semen terræ mandatur, sed præparatæ, ac dispositæ per agricolam: ita non potest scriptura, etiam si semen esse affirmetur, cognosci absque ministerio Ecclesiæ. Appellat idem Paulus [g], *verbum auditus Dei* non quòd Deus ipse loquatur immediatè, sed per prædicatores suos, qui de Deo loquentes audiuntur.

a con. Arianos ad obiect. 5.
b homil. 1. in Exod.
c respons. ad articulos supra de iustificat.
Gratia propriè semini humano comparatur.
d libro 2. de grat. & lib. arbit. c. vlt.
e lib. 3. defension. auct. Eccl. circa scripturas. approbat. c. 4.
f Rom. 10. 14.
g 1. Thess. 2. 13.

Dei viui.] De hoc epitheto Dei dixi capite decimoquarto Actuum Apostolorum [h]. Discernit importat à falsis, & mortuis Diis.

h cap. 14.

Et permanentis in æternum.] Homonymiam Græcè faciunt multa nomina in Genitiuo casu, διὰ λόγου Θεοῦ ζῶντος, καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα, an pertineat illud epithetum *viui*, & illa alia ad verbum, vel ad Deũ. Sed nõ dubium præferendus hic sensus: quamuis ex eo quòd semper & viuat, & permaneat Deus, efficiatur vt semen diuini verbi quod scilicet est superioris ordinis, incorruptibile quoq; sit, longéque hac in parte nobilius carnali semine, cuius oppositio sequẽtibus versibus exprimitur: Æternitas tam propria Deo est, vt etiam incommunicabilis à quibusdam credatur, illa, inquam, quæ principium, ac finem durationi excludit. At satis probabilis opposita sententia: qua de re alibi.

Æternitas propria Deo est.

Vers. 24.] Quia omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos decidit.

Vers. 25.] Verbum autem Domini manet in æternum: hoc est autem verbum, quod euangelizatum est in vos.

HÆc de humanæ fragilitate naturæ Philosophia proponitur, vt scientes, quæ à Christo acceperimus bona, intelligamus quoque nostris nos viribus non posse ad hæc aspirare: & ex natiuitate carnali nihil nisi fœnum, id est, caducum, vanum, inutile ad æternitatem valere: verbum, seu verbi prædicationem euangeliúmque Christi crucifixi ac resurgentis efficax esse, vt credentibus, & quæ oportet, præstantibus, cõferat æternam salutem.

Differentia porro ponitur inter semen materiale herbarum, vel etiam animalium, quæ cum herbis comparantur, & spirituale diuini verbi, quoniam illud edit quidem fructus ad tempus permansuros, non tamen sempiternos, vt facit spirituale, hoc est, vel sacramentale, quod vim spiritualem & sanctificantem in sacramentis cõtinet, licet sit externum, & sensibile: vel prædicatorium, cui Deus vim communicat, quatenus concurrit intus illuminans, & mouens illos, qui docentur externus. Vtriusque fructus est gratia, & vita æterna, ita vt primum dicatur à Paolo [i] *verbum vitæ*; de secundo idem affirmet Petrus [k], & Christus [l] *verbum vitæ mundandi vim*.

Differentia inter semen spirituale & corporale.
i Ephes. 5. 26.
k Ioan. 6. 69.
l Ioan 15. 3.

Omnis caro vt fœnum, &c.] *Nam quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est* [m]. Sunt autem quæ profert verba Petrus, desumpta ex Esaia [n]. Vnde ad explicandam fragilem humanæ conditionis rationem conuenientia to vita, sanitate, viribus, pulchritudine, nobilitate, vestitu, potentia, opibus, honoribus, voluptatibus, & e conuerso, in angoribus, doloribus, persecutionibus, &c. vt huius & dicti loci expositores notant potissimum Hieronymus, & præterea Ambrosius [o], Augustinus [p], Gregorius [q], Chrysostomus [r], Cyprianus [s], Basilius [t], Ephrem [u]. Talis quoque sententia Iob [x]: *Qui quasi flos egreditur, & conteritur*, &c. vbi idem Gregorius [y], & in Psalmo [z]: *Homo sicut fœnum dies eius, tamquam flos fœni, sic efflorebit*: quo item loco Augustinus. Crebra est in aliis Psalmis [a], locísque [b] comparatio eadem. Quò spectat etiam parœmia, qua fœnum esse dicitur homo indoctus, & brutus [c].

m Ioan. 3. 6.
n cap. 40. 6.
o lib. 3. Hexa. c. 7.
p Tract. 7. in Ioan. & ser. 42. de verb. Dom.
q 16. Moral. c. 5.
r homil. 18. in Genes.
s de disciplin. & hab. virg.
t hom. 5. Hex. hom. de non adhæren. reb. huius vitæ.
u oratio. 24. de morte
u Tom 2 Parænes 4 & 18.
x cap. 14. 2.
y 11. Moral. c. 16.
z Ps. 102. 15.
a Psalm 36. 2. Psalm. 91. 8. Psalm. 128 6.
b 4. Reg. 19. 26
Eccl. 14. 18. Esa 37. 27. Iacob 1. 10. 11. Iob 40. 10.
c Cicer. 2. de orat.

Ceterùm totus hîc locus recitatur à Petro ex versione LXX. nisi quod pro *verbum Dei nostri*, dicit *verbum Domini*. Omittit etiam quæ in medio sunt apud Esaiam, contentus extremis, quæ faciebant ad rem.

Gloria eius.] Quidam Græci codices ἀνθρώπου *hominis*: & sic est apud Esaiam in editione LXX. Parum refert, quoniam caro sæpe pro homine toto ponitur, vt & anima.

Verbum autem Domini manet in æternum] *Cælum & terra transibunt, verba autem Dei non præteribunt* [d], propter omninò certam prædictionem; & ob constantiam eorum, quæ Dei verbo vel fiunt, vel prædicantur; cùm sit humana omnis doctrina incerta, & fluxa, si ad diuinam comparetur. *In æternum Domine permanet verbum tuũ*, inquit Dauid [e]; & *præceptum posuit, & nõ præteribit* [f]. Hac in re verbi Dei cum semine materiali comparatio valet inter alias causas, quia semen, vt obseruat Basilius [g] dum crescit, maius è modico fit, non immutatum genere, sed perfectum ex incremento. Et ita, vt ait Lyrinensis, *dogma Christianæ religionis has sequitur profectuum leges, vt annis consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen, illibatúmque permaneat.*

d Mat. 24. 35.
e Psa 118. 89.
f Psa. 148. 6.
Seminis materialis & verbo Dei comparatio in quo valeat.
g epist. 79.

Si pro Dei Filio Verbum sumamus, multo certior, notiórque perpetuitas eius: nam *Filius manet in æternum* [h]: necnon Christus [i], *qui est quoque Sacerdos in æternum* [k]. Lyranus interpretans de verbo

h Ioan. 8. 35.
i Ioan. 12. 34.
k Psal. 109. 4. Heb 7. 17.

quod

quod est forma sacramenti Baptismi, ait manere in æternum, tum propter characterem indelebilem: tum ob arrham vitæ æternæ. Consentit Carthusianus hanc inter alias expositionem tradens.

Nihil autem refert, quod pro verbo sermonem, vt & pro gloria claritatem, & pro Domini, Dei. Cyprianus, & Augustinus proferant: sunt enim Synonyma; licet sæpius pro persona secunda Verbi, quàm sermonis vsurpetur vox, vt aliàs diximus.

Hoc est autem verbum, quod euangelizatum est.] Non ergo, vt antè monuimus, verbum sumitur hîc pro scripto, & pro scriptura sacra, sed pro eo, quod prædicatur, & quamuis ita sumeretur, vt placet etiam Carthusiano, non idcirco fit, quod hæretici volunt, habere per se vim talem, vt non A egeat Interprete, atque doctore.

Augustinus [a] legendus, dum docet idem esse quod vocatur *verbum fidei* [b], & *Dei* [c], & Apostolorum, ac successorum prædicantium. *Dei est*, inquit, *quia Deus id donauit: Apostolorum, quia hoc prædicandum illis Deus primitus, ac præcipue commendauit.* Ait præterea [d] in verbo, nimirum, sacramentali aliud esse sonum transeuntem, aliud virtutem permanentem: aliud lotionem Baptismi, quæ transit; aliud virtutem quæ manet.

In vos.] Εἰς ὑμᾶς. Alij *vobis*, vel *in vobis*, necnon Syra editio. Idem sensus: etsi Thomas Anglicus arbitretur innui penetrantem vim diuini verbi, quod sit intra eos, quibus euangelizatur, & de quo Paulus [e] asserit, *viuum esse ac efficax, & penetrabilius omni gladio.*

a Tract. 199. in Ioan.
b Rom. 10. 8.
c Act. 6. 2.
1. Thes. 2. 13. Verbum Dei quod nam sit.
d tract. 80. in Ioan.

e Heb. 4. 12.

CAPVT SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

Iam regeneratis spiritualiter fidelibus præscribitur educatio, & incrementum item spirituale; quod partim consistit in abstinentia à rebus mundanis: partim in obedientia, quæ debetur superioribus: partim in patientia persecutionum, & vexationum, exemplo Christi pro nobis passi. Posteaquàm etiam antecessit veluti catechesis de præcipuis Fidei catholicæ mysteriis, traditur modò moralis institutio in hoc, & sequentibus capitibus.

1 DEPONENTES igitur omnem malitiã, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones.
2 Sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite: vt in eo crescatis in salutem.
3 Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.
4 Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum.
5 Et ipsi tamquam lapides viui superędificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.
6 Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur.
7 Vobis igitur honor credẽtibus: nõ credentibus autẽ lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.
8 Et lapis offensionis, & petra scandali, his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.
9 Vos autẽ genus electum, regale sacerdotium, gẽs sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suũ.
10 Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.
11 Charissimi, obsecro vos tamquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.
12 Conuersationem vestram inter Gentes habentes bonam: vt in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.
13 Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue regi quasi præcellenti.
14 Siue ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.
15 Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.
16 Quasi liberi, & nõ quasi velamẽ habẽtes malitię libertatem, sed sicut serui Dei.
17 Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate.
18 Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.
19 Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè.
20 Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum.
21 In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.
22 Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.
23 Qui cum malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, nõ comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè.
24 Qui peccata nostra ipse pertulit in cor-

pore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis.

25 Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.

Vers. 1.] Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolũ, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones.

Vers. 2.] Sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.

Vers. 3.] Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.

QVIA bonis vacari operibus non potest, nisi priùs caueatur a peccandi occasionibus, actibúsque peccatorum, statim exorditur Petrus extirpare maximè noxias pestes quinque, de quibus erit agendum sigillatim, vt ita deinceps innocentiam veluti puerorum retineamus, ac in illa in dies adolescamus, & proficiamus: nihil nisi Deum & Christum, in quo regenerati sumus tamquam filij Dei, & fratres Christi sapiamus, & gustemus.

Deponentes igitur omnem malitiam.] Illatio vim ad vrgendũ, pendentem ex præcedentibus, vt respondeant cœlesti semini, ac diuinæ regenerationi. Quia verò sic regenerati deposuerunt priores peccatorum sordes quas contraxerant, siue per originem, siue per prauam operationem, requirit, vt nunc deponant peccandi habitum, qui residet etiam in iustificatis, & fomitem imminuant per oppositos virtutum actus, & caueant repetere operum malorum exercitium. Quamquã participium ἀποθέμενοι Aoristi secundi denotat *cum deposueritis*. Sed Syrus vsus est verbu imperandi modi הניחו *hanichu*, *quiescere fac te, seu remouete.* Hic est in iustis etiam inquam, quem Paulus[a] præcipit nos *deponere vetus homo, qui corrumpitur secundum desideria erroris*, & est secundum pristinam conuersationem, *vt renouemur spiritu mentis nostræ, & induamus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.*

a Ephes. 4. 22. 23. 24.

Exprimit idem Apostolus[b] quæ deponenda sunt, *iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem.* Vocat præterea[c] vno verbo *omne pondus peccati, & circumstans nos peccatum* pariter deponendũ à nobis. Antiqui criminis omne pondus Rethicius apud Augustinum[d] vocat, quod in principali Ecclesiæ indulgentia exponamus, & ignorantiæ prisca facinora deleamus, & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuamus. Contrariam vestem idem Paulus suppeditat *vt induamur Christum ipsum*[e], *& armat nos armis lucis.*

Quæ deponenda sint. b Coloss. 3. 8. c Heb. 12. 1. d 1. cont. Iul. cap. 1. e Rom. 13. 13. 14. f 1. Pet. 3. 21.

Opponit rursum Petrus[f] depositioni sordium carnis, *conscientiæ bonæ interrogationem*, cùm quis nempe sibimet testis est sine sordibus malorum bonos actus operati. Graue pondus quod premit, ne opprimat, nõ simpliciter deponimus, sed proiicimus: sordes fœdiores non tantum abiicimus, sed cum execratione penitus eradimus: importunos dominos, & tyrannos fugimus, & à nobis proiicimus iugum ipsorum[g]. *Hoc item est abnegare impietatem, & sæcularia desideria*[h]: Pridem abrenunciatum Satanæ, & pompis eius: excussum importabile onus: sublatum, ac humeris impositum *iugum Christi suaue, onúsque leue*[i]. Vbique locis citatis est Græcum verbum ἀποτίθεσθαι, & nomen ἀπόθεσις, quæ peculiarem habent emphasim & indicant violentam abiectionem, atque veluti refusionem intestinorum, vt apud Celsum.

g Psal. 2. 3. h Tit. 2. 12. i Matth. 11. 30.

Omnem malitiam] Κακίαν. Potest in sua sumi generali significatione vtrumque nomen pro quouis peccato, sicut & Syrum בישותא *bisutha*. Tamen Augustinus[k] ait esse nocendi amorem, & cùm quis malo delectatur alieno: *quacumque ratione*, inquit Hugo, *alteri noceatur.* Cæteri conueniunt expositores: licet magis accipiant de prauo animo, qui nondum prodierit foras. Carthusianus amplectitur quoque Latinam aliam notionem, de omni deliberata prauitate, de omni habitu vitioso, de cõsuetudine peruersa, Augustinus[l] idem rursus cum Ambrosio[m] malitiam, sed in generica acceptione, finit, boni indigentiam. Apud scholasticos certus peccati modus est, quẽ appellant ex malitia, sicut qui ex ignorantia, & qui ex passione, vel infirmitate. M. quoque Tullius κακίαν, & malitiam certi cuiusdam vitij nomina dicit esse, *versutiam omnium*[n], nimirum *vbi fraus, & astutia inest venit*[o]. Hieronymus[p] appellat *malignitatem, quæ in tergiuersatione, & calliditate sentitur*. Quamuis, vt præmonui, κακία vniuersè opponatur non ratò τῷ ἀρετῷ.

k lib. 50. hom. hom. 20. l 1. cont. Iul. c. 9. m de Isaac c. 7. Malitia quale genus peccati sit. n Tuscul. 4 & 3 de finibus. o de vniuersito. p in c. 4. ep. ad Ephes.

Mitto fabulam de Caco pessimo, & fraudulentissimo, seu latrone pastore, seu seruo, & hæreses de Deo malo, & auctore mali. *Cacus*, teste Augustino[q], *eo quod erat malitiæ singularis, vt ex hac ei nomen inuentum sit, nam malus Græcè κακός dicitur, quod ille vocabatur, & propter insociabilem feritatem, semihominem, quàm hominem dicere maluerunt.* Plura idem, & alij profani scriptores, maximè Poetæ, & Mythologi, vt Natalis Comes, & scholiastes Augustini Viues.

q 19. de ciuit. cap. 12.

Omnem dolũ.] Græca quoque vox est δόλος non Latina, vt Donatus[r] voluit, deducens à dolando, id est, lædendo: qui consistit in hoc, vt aliud agas, dicásve, aliud simules, aut dissimules. Qua de re morales Philosophi, & citato ex homiliis loco Augustinus. Transfertur ad res inanimatas, cùm degenerant à proprietate, quam præ se ferunt, & latens continent damnum: quo item pacto vocantur Latinè adulteratæ, aut ementitæ, vt vina, lanæ, &c. Vnde absolutè dicuntur δολοῦν, qui lanas tingunt, & nouo inficiunt colore, δέλεαρ, esca est, qua capiuntur animalia δόλωνες, & Latino facto vocabulo dolones, gladioli, pugiones, sicæ occultæ, quibus petit quis alium dolosè: aut simili de causa minora in nauibus vela, quibus raptim fuga capessitur. Plutarchus[s] δόλωνα ξιφίδιον λῃστικὸν interpretatur *gladiolum latronis*. Hinc forsitã factum, vt in Psalmis[t] coniungãtur *vir sanguinum, & dolosus*, & æquè abominari dicatur Deus vtrũque: & Dauid multa, & sæpe in dolosos imprecetur, *vt dispersionem, ac perditionem*[u], siue destructionem: euulsionem, & emigrationem de hominum societate[x]: obmutescentiã[y]: maledicta triginta[z], quæ de fraudulento proditore Iuda nonnulli accipiunt, vt alibi monuimus[a]: *sagittas acutas cum carbonibus desolatoriis*[b]. Ait præterea talis hominis *iniquitatẽ inueniri ad odium*[c], hoc est, maximè dignum odio esse. Denique petit, vt eum iudicet Deus, vt ipse decidat à cogitationibus suis, vt

Dolus quid sit. r in Eunu Teren. Act. 3 Sce. 3. s in Tiberio. t Psa. 5. 7. Psa. 54. 24. u Psal. 51. 4. x Psa. 51. 7. y Psal. 30. 19. z Psal. 108. a Act. 1. b Psal 119. 4. c Psa. 35. 3.

expel

expellat illum, quoniã irritauit Dominum [a]. huc pertinent quæ capite primo [b] Sapientiæ contra fictos disseruimus, quos effugere, seu effugare dicitur Spiritus sanctus, cuius columba symbolũ, quemadmodum Christi agnus, & ouis, natiuæ eximiæ simplicitatis animalia, quibus etiam suos nominibus Christus insigniuit [c], & omnes iustos nomine ouium, & agnorum [d].

Ibi sermonem dixi præsentem esse, de magistratu, quem propter populi peccata hypocritam permittit Deus regnare [e]. Vulpes, quas capi vult sponsus vinearum demolitrices [f], Ægyptij erant, si Hebræis credimus expositoribus, qui populum vexauerant, non vi tantùm, sed κατασοφίζοντες, *sapienter, & fraudulentè opprimentes* [g]; vel erant Amalecitæ, qui populum eumdem in egressu de mari Rubro per insidias adorti sunt [h]; vt placet paraphrastæ Chaldæo [i]. Simili de causa vulpem Christus Herodem cognominauit [k], vt annotarunt Hilarius [l], Ambrosius [m], Augustinus [n], Hieronymus [o].

Oportet Christianum columbina esse simplicitate [p]: *Simplicem in malo* [q]: *azymum & sine fermento malitiæ, & nequitiæ*, sed cum *sinceritate, & veritate* [s]: *pulsa omni hypocrisi* [t], *malitia paruulum* [t], *simplicem ἀκέραιον*, filium Dei sine querela, & reprehensione *in medio nationis prauæ & peruersæ* [u]. Rectè simplicitas exigitur à filio Dei: nihil namque simplicius Deo, qui & actus purissimus dicitur: & aptè opponitur prauitati, & peruersitati. Inter alia Diaboli nomina serpens est, à vafritie: siquidem *peccare hominis est*, ait Hieronymus [x], *insidias tendere, Diaboli.* Caret merito simplicitatis, inquit Ambrosius [y], omne arte elicitum, & fraude compositum: Sed *& filio doloso*, vt sapientissimus testatur Salomon [z], *Nihil erit boni*, solidi nimirum ac veri, quòd sanè deprehenduntur bonum negligere, qui fraude, dolóque commoda sua quærunt. Non quæro quatenus in bello possit locus dolis esse, ac stratagematis, & insidiis. Hæc vt liceant, abesse mendacium tamen oportet, ac hosti etiam seruari fides debet, vt profanis quoque Auctoribus videtur. Lege B. Thomam [a], qui citat Ambrosium [b].

Calliditas verò honesta, quem dolum bonum vocare cum [c] Paulo possumus, etsi in probis, ac diuinæ legi consentaneis conatibus probãda est, numquam tamen, vt Cyrillus [d] docet, inter virtutis suauitates recenseri queat. nam horrens alienam prudentiam animus, agere suauiter cum alio non potest, neque confidenter ambulat, qui non etiam simpliciter [e]. Nullam totius iniustitiæ capitaliorem perniciem Cicero [f] tradit, postque ipsum Augustinus [g], rem pluribus exaggerans, & odio dignam maiore, quàm fraudem: & quando quis tum cùm maximè fallit, id agit, vt vir bonus, probúsq; videatur, nihil æquè parere Chrysostomus [h] prodit inimicitias, & excitare, vt ἀπατᾶσθαι, καὶ παραλογίζεσθαι, decipi, & falli. nam cum fallimur, scientiæ ac prudentiæ facere iacturam videmur, quas duas res rationalis natura sibi arrogat: sublata quoque fide, præcisam censemus cõmunis & socialis inter homines agendi ratiõné.

Simulationes.] Ὑποκρίσεις, quam vocem Latinam quoque fecimus. Vix differunt simulatio, dolus, præterea malitia, iuxta peculiarem vnam illius nominis significationem: ita vt non immeritò pluribus Synonymis rem eamdem exaggerari censere possimus, & perinde intelligere debeamus omnes simulationes, licèt non apponatur *omnes*, vt omnem dolum, & omnem malitiam, sicut & omnes cõstat inuidias caueri, quibus tamen eadem dictio (omnes) non præfigitur. Quidam codices habent numero singulari ὑπόκρισιν, Augustinus [i] pro (simulationes) legit numero singulari (*adulationem.*) Est sanè in omni adulatione simulatio, quia ficta laudatio: & fallaci laude vt ipse loquitur, seductio: nec tamen contrà omnis simulatio adulatio est.

Similis priori quæstio institui posset de simulatione, ac dissimulatione tũ in aliis negotiis, tum in eo quod pertinet ad Fidei confessionem professionémve externam, & ad ritus religionis. Vno verbo, tutius, ac probabilius ducimus, numquam fas esse vel facto, vel verbo simulare seriò falsam fidem, & religionem, quod verbum factúmve aut lege, aut consuetudine sit propriè institutum ad illam significandam, vel profitendam. Hæc est sẽtentia multorum, vt Halensis [k], Antonini [l], Angeli [m], Armillæ [n], Siluestri [o], Nauarri [p], Valẽtiæ [q], Banes [r], Caietani [s], &c. Fauent Patres, potissimũ Augustinus [t]. Ratio verò est, quoniam sicut eodem præcepto affirmatiuo imperatur internus veræ fidei assensus, & externa Fidei confessio: ita negatiuo eodem cauetur internus assensus falsæ fidei, & externa eiusdem professio: negatiuum autem præceptum obligat & semper, & pro semper.

Hinc est, quod idem Augustinus [u] simulationem illam regis Iehu sacrificandi idolo Baal [x], appellat impium mendacium, nec excusatione dignum censet B. Thomas [y]. Et eamdem ferunt alij de Naaman sententiam, quando permissu, nõ approbatione Elisei, qui prohibere prorsus nequibat, adorabat ob regis sui respectum, in templo Remmon [z].

Digredi contra hypocritas liceret, vt sumuntur vulgo pro simulantibus virtutem, & sanctitatem, quorum, vt scribit Augustinus [a], agens de interfectoribus Christi, *simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas*, & Plato asserebat hunc extremum iniustitiæ terminum, iustum videri eum, qui non sit Iustus [b]. Frequens admodum est Christus in reprehendendis hypocritis, quos inter alia docet accepturos damnationem maiorem [c], grauéque supplicium cùm describit, partem vocat cũ hypocritis [d]. *Simulatores*, ait Iob [e], *& callidi* חנפי לב *chanpe leb*, ὑποκριταὶ καρδίᾳ, *hypocritæ corde prouocant iram Dei*, & vocat Deus Assur *virgam furoris sui ad gentem fallacem* [f], לגוי חנף *legoi chaneph, ad gentem hypocritam*, vel Chaldaicè בכנשא *bichnesa*, ad cœtum hypocriticum.

Opposita simulationi, & hypocrisi virtus, veritas, vel veracitas, & simplicitas dici potest, *qua quis*, vt describit B. Thomas [g] verbis Aristotelis [h], *& vita, & sermone talem se demonstrat qualis est*, & alia, quæ circa ipsum sunt, nec maiora, nec minora. Idem sonat quam Gregorius [i] vocat cordis puritatem, Paulus [k] sinceritatem, & cum addito sinceritatem Dei & simplicitatem in Christo [l] Christus [m] cùm abest dolus: hoc est, vt exponit Augustinus [n], *quando non est duplex cor, vnum, in quo videas veritatem, alterum, in quo concipias mendacium.* De Nathanaële id affirmabat Christus, *esse verè Israëlitam, in quo dolus non esset.* Iacob enim, qui & Israël, vir simplex appellatur [o]. Magna cõstantia nonagenarius Eleazar indignum ratus est fingere, ac simulare [p], nec id Paulus in Petro ferre potuit, sed ei restitit in faciem, reprehensibilémque indicauit [q]. Denique Deus, veri-

S tatis

---

a Psal. 5. 11 | b vers. 5. | c Matth. 10. 16. | d Matt. 23. 33. Ioan. 21. 15. | *Vulpes quas sponsus vult capi quæ sint* | e Iob. 34. 30. | f Cant. 2. 15. | g Exo 1. 10. | h Exod. 17. 9. | i cant. 1. | k Lucæ 13. 32. | l in Psal. 62. | m in Psal. 118. serm. 2. & 11. | n Aug. in psal. 88. | o lib. 6. in cap. 14. Esaiæ. | p Matt. 10. 16. | q Rom. 16. 19. | r 1. Cor. 5. 7. 8. | s Lucæ 1. 1. | t 1. Cor. 14. 20. | u Philip. 2. 15. | *Nihil Deo simplicius.* | x 2. cont. Ruf. | y 1. offi. c. 9. | z Prou. 14. 13. | a 2. 2. q. 40. a. 3. & q. 111. [illegible] | b 1. offic. c. 29. lib. 3. c. 10. | c 2. Cor. 12. 16. | d apud Damasc. 1. Parallelo. ca. 25. | e Prou. 10. 9. | f 1. de offic. | g in Psal. 78. | h hom. 14. in epist. ad Ephes.

i lib. 50. hom. hom. 20. | *In omni adulatione est simulatio.* | *Falsam religionem simulare numquam licet.* | k 3. par. q. 183. memb. 2. | l 2. par. tit. 12. cap. 4. | m verb. infideles n. 9. | n verbo fides n. 9. | o verbo fides q. 1. | p Manua. cap. 11. num. 25. | q 3. part. disp. 1. q. 5. punct. 1. | r 2. 2. q. 3. art. 2. | s ibidem. | t lib. con. Mendacium, cap. 2. | u supra. | x 4. Reg. 10. 18. & seq. | y 2. 2. q. 111. art. 1. ad 2. | z 4. Reg. 5. 18. 19. | *Aduersus hypocritas breuis digressio.* | a in Psal. 63. | b apud Basil. orat. ad adolescentes. | c Lucæ 20. 47. | d Matt. 24. 51. | e cap. 36. 13. | f Esa. 10. 5. 6. | *Veritas hypocrisi est opposita.* | g 2. 2. q. 109. a. 2. ad 4. & ar. 3. ad 3. & q. 111. art. 3. ad 3. | h 4. ethic. c. 7. | i 8. Moral. c. 35. | k 2. Cor. 5. 8. 2. ep. 1. 12. c. 2. 17. | l 2. Cor. 11. 3. | m Ioan. 1. 47. | n tract. 7. in Io. | o Gen. 25. 27. | p 2. Machab. 6. 24. | q Gal. 2. 11. & seq.

tatis Deus dicitur [a]: Christus veritas per eúmque facta veritas [b], & in ipso esse [c]: Spiritus sanctus, *Spiritus veritatis* [d]. Idem Paulus ait esse veritatem Christi in se [e]. Non intrabit in sanctam ciuitatem *amans & faciens mendacium* [f]: Diabolus *in veritate non stetit, sed mendax est, pater mendacij, & cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur* [g]. Lege Ambrosium [h], & Gregorium [i], Chrysostomum [k], Basilium [l], & quæ dixi ad secundum Actuum.

a Psal. 30. 6.
b Ioan. 1. 17.
c Ephes. 4. 21.
d Ioan. 16. 13.
e 2. Cor. 11. 10.
f Apoc. 21. 27. & 22. 15.
g Ioan. 8. 44.
h 3. offic. cap. 9. 10. & 11.
i 3. par. Pastoral. c. 11.
k hom. 7. in Actus.
l Regu. 245. 22 breuib. & hom. de vitl. ex lect. Gonsil.
m vers. 24.
n Gal. 5. 20.
o lib. 50. hom.

Inuidias.] φθόνους. Dictum satis de hoc diabolico vitio ad caput secundum libri Sapientiæ [m], Inter opera carnis recenset Paulus [n] inuidias. In quibusdam libris est φόνους homicidia, hoc loco.

Omnes detractiones.] Et hæc de detractionibus tractatio latius patet, apud Morales Theologos. Augustinus [o] mordaciorem, quàm veraciorẽ reprehensionem nominat detractionem, legens numero singulari, quemadmodum & vocem priorem inuidiæ.

Sicut modo geniti infantes.] Syriacè והוו איך ילודי שברי *vahauu ach ialude saure, & estote sicut infantes simplices.* Infantilia ætas innocua, & doli, simulationis, inuidiæ, detractionis prorsus nescia. *Malitia quoque paruulos* Paulus iubet nos esse [p], vt ante memini: & Christus effici, atque *humiliari velut paruulos* [q]: *quibus reuelet Deus mysteria* [r], & *Sapientiam præstet* [s], & ex quorũ ore laudem perficiat [t], & quos custodiat [u]; sicut & ipse paruulos ætate corporéque compleaabatur, & benedicebat [x], manus iis imponendo, & indignè ferendo, quod eos offerentes sibi Discipuli prohiberent, & affirmando talium esse regnum cœlorum, & negando in id intraturum, qui non efficeretur vt paruulus.

p 1. Cor. 14. 20.
q Mat 18. 3. 4.
r Matt. 11. 25.
s Psal. 18. 8.
t Psal. 8. 3.
u Psal. 114. 6.
x Mat. 9. 35. c. 19. 13. 14. 15.

Multa sunt apud Clementem Alexãdrinum [y] de harum ratione appellationũ, & apud Esaiam Abbatem [*], qui etiam de filiolis apud Ioannem libr. 1. epist. a. & nos aliqua diximus explicando Ioannis epistolam primam, in qua filiolos appellat [a], sicut & Christus aliquando [a]. Addit præterea vocabula pullorum [b], & agnorum, Græcum nomen hoc loco est βρέφη. Clemens [c] verò ait νηπίους appellari, quasi νεηπίους, & ἠπίους *lenes ac molles animo*, & qui mites ac mansueti recenter euaserint: Sic autem Paulum seipsum nominare [d]: *Facti sumus paruuli (νήπιοι) in medio vestri, tamquam si nutrix foueat filios suos.* Id exponunt Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, quoniam deposita grauitate, & persona dignitatéve Apostolatus, versabatur inter alios, & artem scenofactoriam exercebat, vt vnus de numero ceterorum, vt nutrix sese attemperat ad lactentis mores.

y lib. 1. Pædag c. 5 & 6.
* orat. 25.
z cap. 2. 1. & alibi.
a Ioan. 13. 33.
b Mat. 23. 37.
c supra, c. 5.
d 1. Thess. 2. 7.

Paulus quomodo sit factus vt paruulus.

Itaque hîc, sicut modò genitos infantes intelligimus non ob solam regenerationem, vt idem Clemens notat, sed propter similem, quæ in pueris est simplicitatem, humilitatem, innocentiam, facilitatem, docilitatem, & his similia. Regenerationis potiò vox, quæ reperitur aliis etiam locis, in quibus mentio fit de baptismo [e] vnà cum mortificatione priorum peccatorum [f], & viuificatione secundum nouam vitam & natiuitatem, planè conuincit non tegi solùm peccata per baptismum: tolli verò tandem per mortem, vt Origenistæ volebant [g], Messaliani [h], & quidam tempore Gregorij [i], & nostro hæretici [k] Lutherani, atque Caluiniani. Quemadmodum in Christo vera mors facta est, ait Augustinus [l], sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio. Profectò non est verè iustificatus, regeneratus, viuificatus, in quo mors adhuc peccati manet, nec aliter tollitur, quam per non imputationem. Cum Naaman mundatus est à lepra, restituta ei caro scribitur *sicut caro pueri paruuli* [m]. Eâdem nunc Petrus vtitur similitudine pro spirituali munditia.

e vt Ioan 3. 3. Colos. 2. 12. Tit. 3. 5.
f Rom. 6. 11. Coloss. 2. 11.
g Epipha. hæres. 64.
h Theodoret. 4. de fabul. hæret.
Remissio peccatorum vera est, non imputata.
i lib. 3. epist. In 39.
k Bellarm. lib. 1. de Baptismo cap. 13
l Enchirid. c. 3.
m 4. Reg. 5. 14.

Sequitur hinc etiam, iustos homines adoptione filios Dei verè nominari, eadem ratio nominis conuenit quidem quoque sanctis Angelis, tamen non ita Græco quidem sermone solent in Scripturis appellari. Quomodo Chrysostomus [n] excusari potest, cùm vniuersè id negat. Nam qui Latinè filij Dei dicuntur in libro Iob [o], Græcè vocantur Angeli. Propria præterea homini etiam secundum naturam, posita incarnatione, causa est cur vocetur filius Dei, quoniam qui filius Dei est, idem factus est homo, & filius hominis. Sed & aliunde suam habet Angelus etiam secundum naturam, rationem, quare potiùs id nomen obtineat, quia immediatè à Deo totus creatus est, vt pote spiritualis, omninóque simplex: hominis autem alteram dũtaxat partem animam sic creauit Deus. Traditur ea ratio de Angelis ab Ambrosio [p], quia, inquit, *ex nullo homine generantur.*

Homines iusti verè filij Dei sunt adoptione.
n homil. 22. in Genes.
o cap. 1. 6. cap. 38. 7.
p de Noë, c. 4.

Admonet præterea hic locus, & quod de lacte subiicitur, ne quis lactis egens cibos quærat solidiores, putétque quod faciunt hæretici, doctoris operam in intelligendis diuinis litteris necessariam non esse. *Non poterant ipsimet Apostoli portare & capere omnia* [q]: *Sapientiam* Paulus *non loquebatur nisi inter perfectos* [r]. Sed *paruulis in Christo, lac potum dabat, non escam* [s]: *necdum enim poterant*: grandem & ininterpretabilẽ dicebat sermonem esse imbecillibus ad audiendum: quibúsque lacte opus sit, non solido cibo, quia non sunt perfecti, neque exercitatos habent sensus [t].

q Ioan. 16. 12.
r 1. Cor. 2. 6.
s 1. Cor. 3. 1. 2.
t Heb. 5. 12. & seq.

Hoc ipsum cautissimè factitari à magnis, & spiritalibus viris Ecclesiæ Catholicæ columnis Augustinus [u] docet, vt alimenta lactea largè auidis infirmioribus pluribus, atque instanter infundant, validioribus autem cibis cum Sapientibus paucis vescantur. Hac ipsa de re egimus in capite octauo Actuum Apostolorum, cùm de Eunucho.

u de vera relig. cap. 18.

Vicissim colligit hoc ex loco Rupertus [x] patribus spiritualibus tollendum, exemplo etiam Mosis [y], de quo agit, grande istud super se onus infantilium morum in subditis, & portandum affectu nutritio. Potuit & Paulum proferre, qui filiolos etiam iterum parturiebat [z]: & sicut nutria fouebat [a]: vt antea notauimus.

x lib. 3. in Exo. cap. 3.
y Nu. 11. 11. 12.
z Gal. 4. 19.
a 1. Thess. 2. 7.

Ceterùm Cyrillus [b] Alexandrinus vult designari Gentiles nomine infantum, senem enim esse populum ex circumcisione, & ex sanguine Israel. Generalior cõparatio videtur cum infantili sæpè dicta innocentia: licet in eo cum Iudæis videri possit similitudo, quod pueri circumcisi, Agathio [c] teste, lana alba vtebantur: & nostri baptizati veste alba: de qua Dionysius [d], & tot alij. Vnde & Dominica in albis, in qua recitatur etiã hic locus, & Dominica ipsa Quasi modo cognominatur. Monachorum cullus, teste Cassiano [e], caput cõtegens denotabat ab iis cum noctu, diúque gestantibus imitatione ipsius velaminis innocentiam, atque simplicitatem paruulorum iugiter retineri debere iuxta illud [f]: *Domine non est exaltatum cor meum, &c. Si non humiliter* [g], *&c. Sicut ablactatus est super matre sua.*

b in cap. 65. Esaiæ.
c in can. cap. 4.
d Cœle hier. cap. 2. & 5.
e 1. instit. c. 4.
f Psal. 130. 1.
g ibid. vers. 2.

Rationabile.] Non *rationabiles*, vt multi habent

codicea, tum quibus antiquiores ferè Latini viũtur enarratores. Nam Græcè est τὸ λογικὸν, quod refertur ad γάλα lac, cui quoque lectioni præter Oecumenium, Augustinum [a], & Hieronymũ [b] (qui legit *rationale*) consentit editio Syra, quę reddit *spirituale*, ܪܘܚܢܐ *ruchana*. Rationabile autem lac dicitur non modo humanum, nec brutum, sed etiam spirituale, vt modò retuli ea editione Syra, non materiale, non corporis, sed animi, non carnalis, sed spiritualis doctrina. Sic ergo vult Petrus, vt Fideles infantiam conseruent, vt *sensibus tamen paruuli non sint, sed malitia* [c]; rationem verò sequantur, & verbo pareant diuino. Vtrumque innui potest per τὸ λογικὸν, vt Oecumenius notat: & Vatablus verbale interpretatur, quod diuinum sit, & ad animum pertineat, sugentes fallere non possit, neque similes brutis reddere [d]. Heruetus etiam Clementis Alexandrini interpres verbale vertit.

Sine dolo.] Ἄδολον. Syriacè ܢܟܕܐ *nak da*, *sincerum*, doctrinam videlicet longè differentem à profana, & hæretica, quæ se dolosè insinuat, & per *dulces sermones, & benedictiones* (διὰ λογίας, καὶ χρηστολογίας assentationes, siue adulationes, & blandos, & suauiter compositos sermones) *seducit corda innocentium* [e] (ἀκάκων simplicium, sine malitia, & dolo.) *Gypsum lacte miscere* hæreticos, iuxta parœmiam, Irenæus [f] scribit: præsens autem venenum esse in gypso Plinius tradit [g]. Augustinus [h] legit *innocens lac*.

Lac.] Iam priùs dixi, lactis vocabulo faciliorẽ, & rudiorum atque imperfectiorum captui magis accommodatam doctrinam intelligi, quæ catechetica vocatur à Clemente Alexandrino [i]. Vnde Cyrilli Ierosolymitani Catecheses, & Augustini liber de Catechizandis rudibus, & vulgo dictus Catechismus baptizandorum. Potest omnia etiam, quæ duobus continetur Testamentis, velut vberibus duobus, quæ laudantur in sponsa [k], doctrina sumi cum Augustino [l]. Nam *lac*, inquit, *nostrum Christus humilis est*, de quo videlicet loquitur tota Scriptura. Et Clemens [m] Alexandrinus lac Patris vocat Verbum, nempe per quod ad mammillam Patris confugimus, & dilectionem haurimus. Idem tamen Augustinus [n] alicubi carnaliter dumtaxat res quæ proponuntur intellectas, vt Christi crucifixionem, sine spirituali fructu eius, lac ait esse, non cibum, itàque Paulum exponit scribentem Corinthiis [o], *Lac se illis dedisse quasi carnalibus*, & paruulis in Christo, id est, in doctrina Christi, quia huius mortẽ percipiebant quidem, at eius vtilitatem non intelligebant. Accipitur præterea in malam partem lac aliàs, & lactandi verbum pro eo quod est, fallere ac decipere alliciendo ad malum, tum apud sacros Auctores [p], tum apud profanos [q], deducendo ab antiquo verbo lacio, vnde lacesso, allicio, illicio, illecto, delecto, oblecto: Sed & interdum significat deceptionem, ac fraudem bonam [r], seu quem Paulus [s] appellat dolum bonum tendere. Sed vide Riberam [t] ne sequaris in eo, quòd vitiosam censet lectionem Iob [u]: *Si lætatum est in abscondito cor meum*, pro (lactatum) etsi enim propriè deceptio significetur ibi verbo Hebræo יפת *ypheth*, & Græco ἠπατήθη: nihilominùs in emendata editione Latina relictum est participium *lætatum*, sensu eodem, quia inanis lætitia lactando oblectat.

Varia est distinctio lactis, vt obseruat Absalon [x] Abbas, humanæ naturæ, simplicis doctrinæ, oblectationis mundanæ.

Primum ait exprimi in Cantico [y]: *lac, & mel sub lingua tua*, id est: Humanitas, & Diuinitas in carne: secundum à Paulo [a]: *Tanquam paruulis, lac dedi vobis*. tertium in Deuteronomio [a]: *Dabo vobis terram lacte, & melle manantem*. Acceptio secunda proposito congruit, vt non modò inchoatio doctrinæ Christianæ significetur, sed quidquid in ea traditur ob eximiam spiritualem voluptatem. Quò fit, vt quæ diximus vbera sponsæ, meliora dicantur [b], quàm vinum, siue vinum de legis austeritate sumatur, siue de humana sapientia, siue de voluptate. Vinum ex vuis exprimitur, & cum labore conficitur, & expressione facta, non aliud fit. At lac facilè fluit, sugitúrque sicut ex fonte.

Ad suauissimas voluptates has inuitat Esaias [c], *vt sugamus, & repleamur ab vbere consolationis Dei, vt mulgeamus, & deliciis affluamus, quoniam ad vbera portabimur, & super genua blandientur nobis.* Talis præ ceteris Ioannes Apostolus recumbens super pectus Iesu [d], affixus vberibus eius, vt Origenes [e], Nyssenus [f], Ambrosius [g] notant. Sed & ciuinis per baptismum regenerando lac, mélque infunduntur in os, vt symbola diuinæ Sapiẽtię [h], & deliciarum spiritualium, quarum Terra promissa lacte manans & melle, typus fuit [i]. Extat in Tertulliano [k], Hieronymo, Clemente [m] Alexandrino mentio de lactis, & mellis dicto prægustu, etsi pro melle vinum ponit Hieronymus, eumque ritum suo tempore seruatum ait in Occidentis Ecclesiis ad significandam innocentiam paruulorum, de qua citat quoque locum præsentem. Hic tamen ritus exoleuit, sicut & quidam alij.

Clemens [n] Alexandrinus qualitates lactis, vim nutriendi optimam, & sub ratione potus, & sub ratione cibi, summam dulcedinem, candorem maximum, transfert ad spiritale nutrimentum, quod vitam tribuit, gratiæ suauitate replet, confert puritatem, & pulchritudinem, de qua laudantur Nazarei *nitidiores lacte* [o]. Adiice aliã proprietatem, quòd nullam lac obiectæ rei similitudinem licet in liquida, clara, lucente superficie, velut alij liquores, vt aqua, vinum, oleum, repræsentet. Quo significatur diuinæ doctrinæ nudam, solámque spectari veritatem: vt quidem notauit Nyssenus [p] (docens, cur oculis sponsæ cum colũbæ lacte lotis comparentur) nullis deludi falsis imaginibus, qui acquiescat illi, rectéque denominari γάλα ἄδολον *lac sine dolo*: iustos autem homines, vt ait Clemẽs [q] post Homerum [r] γαλακτοφάγους, qui vescantur lacte, aut etiam bibant, non tantùm, vt omnino pueri, sugant. Non deerant inter illos, quibus scribebat Petrus, diu renati, ac perfecti. Attamẽ comparat omnes infantibus recens natis, lactéque pastis; quia quamdiu viuimus, paruuli sumus si conferamur cũ ætate virili, atque robusta, quã adipiscemur in seculo futuro. Syriaca editio verbum Dei interpretatur, sicut Beda prima fidei rudimenta: Turrianus [s] noster Eucharistiam. Quod verò dicebam de vetere cõsuetudine vinum in baptizatis infundendi, eum in suis circumcisis Iudæi seruare dicuntur.

Concupis. ite.] Ἐπιποθήσατε: Hieronymus [t], *Desiderate*. Vehementius desiderium, ac inhians denotat compositum verbum Græcum, quale inest pueris lac appetentibus, vel pullis, catulisve. Hac Theocritus comparatione demonstrat ardentem cupiditatem puellarum videndi Helenam [u]:

a lib. 50. hom. hom. 20.
b in cap. 51. Esaiæ.
c 1. Cor. 14. 20.
d lib. 1. Pædag. cap. 6.
e Ro. vlt. 18. *Gypsum lacte miscere hæretici solent.*
f lib. 3. c. 19.
g lib. 36. c. 24.
h supra.
i 1. Pædag. c. 6. & 5. Strom. c. 5.
k Cant. 1. 1.
l tract. 3. in 1. epist. Ioan.
m 1. Pæda. c. 6.
n Tract. 98. in Euang. Ioa. & En. in Psal. 130. *Lac quid denotet.*
o 1. Cor. 3. 1. 2.
p Prou. 1. 10. c. 16. 29. c. 9. 18. Eccl. 10. 9.
q Ribera Ose. 2. ex. Sex. Pompeio, Nonium, Marcellum, Terentium.
r Ose. 2. 14.
s 2. Cor. 12. 16.
t supra.
u cap. 31. 27.
x ser. 35. de Pa. S. B. Virg.
y cap. 4. 11.
z 1. Cor. 3. 1. 2.
a cap. 6. 3.
b Cant. 1. 1.
c c. 66. 11. 12.
d Ioan. 13. 23. & 21. 20. 21.
e in Cant. hom. 1. in 1. Cant.
f hom. 6. in Cant.
g Ora. in cant.
g in Psal. 118 serm. 2.
h Cant. 4. 11. Esa. 7. 15.
i Deut. 6. 3. & alibi.
k de corona militis. c. 3. & 1. cont. Marcio. l cont. Lucif. & c. 55. Esa.
m lib. 1. Pædag. cap. 6.
n ibidem. *Lactis qualitates spiritali nutrimento accommodantur.*
o Thren 4. 7.
p in 2. 5. cant.
q supra.
r Iliad 5.
s in c. 35. lib. 8. const. Clem.
t in c. 55. Esaiæ & 60.
u Idyll. 18.

Ἄμμες δ' ἐς δρόμον ἦρι καὶ ἐς λειμῶνα φύλλα
Ἐρψεῦμες, στεφάνως δρεψάμεναι ἁδὺ πνέοντας,
Πολλὰ τὶν ὦ Ἑλένα μεμναμέναι ὡς γαλαθηναὶ
Ἄρνες γειναμένας οἶος μαστὸν ποθέοισαι.
Nos autem in cursum mane, & in frondosa prata
Veniemus, coronas vt legamus suaue spirantes,
Tui ô Helena bene memores sicut lactentes
Agnæ, quæ matris ouiculæ mammam desiderant.

Adhibet eandem similitudinem Chrysostomus [a], vt ostendat quanto desiderio sumi debeat Eucharistia.

a hom. 61. ad populum, & homil. 83. in Matt.

Nonne videtis quanta promptitudine, inquit, *paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam: quinimo cum longè maiori trahamus tā quam infantes lactantei Spiritus gratiam, & vnus sit nobis dolor hac esca priuari.* Hæc est quam vocant cōmunio in voto, siue desiderio, quam habere debet, qui non potest in re: & qui habet in re, ardens simul desiderium afferre.

Gnostici qui sint.

Plurimi refert etiam discendi, atque proficiēdi alacritas: ista carent, qui se Gnosticos profitentur, hoc est, cognitione præditos, & perfectos, vt admonet Clemens Alexandrinus [b]: plus de se, quàm Apostolus, sentientes, inflati; & exultantes, cùm ipse Paulus de se fateatur [c]: *Non quod iam acceperim, vel perfectus sim*, &c. Hoc Paulus lac quod concupiscebat, sempétque potabat, aliis etiam propinabat, & viuens, vt ante vidimus, & mortuus, quando pro sanguine lactis humor de capite fluxit resecto, vt meminit Chrysostomus [d], & Ambrosius [e], & in primo præsertim ex fontibus tribus, qui ad tres capitis extiterunt, ac eruperunt saltus, quidam hodiéque sapor lactis percipitur. *Quid mirum*, inquit Ambrosius, *si abundat lacte, nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait* [f], *lac vobis potum dedi non escam.* Tum allato typo terræ fluentis lacte & melle, subdit: *Quæ enim Pauli epistola nō melle dulcior, & lacte candidior? Quæ epistola tamquam vbera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem.* Chrysostomus scribit in percussoris veste Pauli sanguinem lacteum apparuisse, ac animum barbari melle dulciorem reddidisse; atque cum aliis triginta quinque eo miraculo permotis conuertisse.

b 1. Pædag. c. 6.
c Philip. 3. 12.
Paulus & viuus & mortuus lac propinauit.
d Orat. in Principes Apostolorum.
e serm. 68. veter. edit.
f 1. ep. 3. 2.

Eucharistia lactis nomine hic designatur.

Arbitratur Salmeron, locum hunc totum cum sequentibus verbis accipiendum de Eucharistia, post factam priùs [g] mentionē de renatis per baptismum. Nam nutrit nos, & auget Eucharistia, & mos est baptizatis Eucharistiam statim dare: quod ex Apostolica profectum traditione Dionysius [h] prodit, Græcique pueris hanc quoque dāt: Petrus autem eam designare videtur nomine lactis, & eius effectum cum dicit: *vt in eo crescatis in salutem.* Verba item illa: *Si tamen gustastis quoniā dulcis est Dominus*, ex Psalmo [i] sumūtur, qui totus mysticè sub typo panum propositionis, quos Dauid accepit, cum mutasset vultum suū [k], videtur esse: & in liturgia Iacobi, atque à Dionysio [l], Cyrillo [m] Alexandrino, Gaudentio Brixiano [n], Hesychio*, vel Euthymio, ad eandem accommodatur, & à Clemēte Romano [o] præcipitur tempore Communionis recitari. Præterea lac Eucharistiæ, siue Christus in illa, est rationabilis, quia viuus mentium cibus, præditúsque ratione; & sine dolo, quoniam *non est inuentus dolus in ore eius* [p]. Accedit, quod ad audiendam solam doctrinam, & capiendum cibum verbi diuini, non requiritur necessariò, vt deponantur necessariò malitia, dolus, sed vt ista deponantur, prædicatur, auditúrq; verbum: vt autem sumatur Eucharistia, debet cōscientia nullius sibi grauis peccati esse conscia.

g cap. 2.
h Eccl. hierar. c. 5.
i Psal. 33. 9.
k 1 Reg. 21. 13.
l de Eccl. hierar. c. de Communione.
m homil. de Cœn. Dom. & lot. pedum.
n Tract. 2. de Pasch.
* in Psal. 33.
o 8. constitut. c. 20.
p Isaiæ vers. 22.

Tandem quod subditur [q]: *Vt accedentes ad lapidem viuum, superædificemur tanquam lapides viui, & domus spirituales sacerdotium sanctum ad offerēdas spirituales hostias, & acceptabiles Deo*, eòdem videtur spectare. Etenim panis Eucharisticus *cor hominis confirmat* [r], & cum tali lapide, qui est Christus coagmentamur per sumptionem Eucharistiæ, si tamen & ipsi lapides viui simus. Fauet nonnihil Fulgentius [s], quod spectat ad hoc vltimum de superædificatione, donibúsque spiritualibus & hostiis. Hæc omnia repeti apud Franciscum Turrianum [t] nostrum, de quo etiam memini capite priore, & his plura, quibus alia Scripturarum affert loca, vt magis idem illustret, atque confirmet.

q vers. 4.
r Ps. 103. 15.
s lib. 2. ad Monimum. c. 11.
t 2. de Eucharist. c. 20. & 21.

Laudo acumē expositionis, fauétque præterea tum ritus lactis cum melle olim præberi baptizatis: tum quòd in officio diuino Dominicæ in Albis locus hic recitatur; & quòd canatur cruore Christi roseo gustando corpus eius sanctissimum viuere nos Deo. At præfero aliam allatam iunctio, quæ plane communis est. Illa vna ratio quæ obstat maximè (nam aliæ solùm habent sensum accommodationis) quòd ad audiendum verbum non sit necessarium carere malitia, dolo, &c. ad hunc modum refellitur, quoniam auditor ita dispositus longè magis proficit, & crescit in salutem, vt hoc eodem loco dicitur. Vnde non tam præcipitur, vt deponamus malitiam, dolum, &c. quam id iam factum ponitur, vt indicat aoristum participium ἀποθέμενοι, & iam renatos per Baptismū retinendo comparatam innocentiam, ardentiore desiderio tendere debere ad lacteam diuinam doctrinam, qua nutriantur, & crescant. Gustus item potest intelligi non de sola perceptione Eucharistiæ, sed de ipsamet spirituali regeneratione, quæ in adultis cum illo fit, & *sunt super mel dulcia eloquia Dei* [u].

u Psal. 18. 11. Psal. 118. 103.

Quod attinet ad Fulgētium, dicit solùm ædificationem spiritualem corporis Christi, quæ fit in charitate sibi cohęrētibus lapidibus viuis, de quibus paulò pòst, nunquam opportunius peti, quàm cum ab ipso Christi corpore quod est Ecclesia, in Sacramento panis & calicis, ipsum reale Christi corpus, & sanguis offertur, quoniam sic vnus panis, vnum corpus multi sumus, &c.

Vt in eo crescatis in salutem.] Syriacè *ad vitam* לחיא *lechaye*, Græcè tantùm est ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε, quamuis citet Gagneius codicem, in quo sit εἰς σωτηρίαν, reprehendens Erasmum vertentem *subolescatis* pro *adolescatis*, cum nil tale significet. Meretur eandem reprehensionem Vatablus. Tolerari possent isti si dixissent *subolescatis*. Placet verò, vt (in eo) sit idem atque *per id*, quod approbat etiam Sà, & vertit Syri Latinus Interpres. Quocirca nihil hinc habent illi Auctores citati pro Eucharistia, quasi corpus crescat cibo, quatenus vertitur in substantiam, nos non Eucharistia, sed in illa, quia potius commutamur in Christum. nam vtriusque phrasis eadem vis potest esse, eodémq; modo Dionysius [x] intelligēdus, cùm scribit in Sacramento nos nutriri. Sunt huius acceptionis (in) & (ἐν) alia exempla non pauca.

x Eccl. Hierar. c. de defunctis.

Quid sit crescere in salutem ad vitam.

Crescere autem in salutem, vel ad vitam, est tum ratione gratiæ, & iustitiæ, dum viuimus, tū ratione iuris, quod cum incremento isto maius acquiritur ad gloriam maiorem, siue vitam æternam. Etsi enim philosophicè loquendo, non recipit vita substantialis magis, minúsve, tamen vi-

ta gratiæ

ta gratiæ, gloriæque admittit vtrumque, hoc eſt, maior, & minor poteſt eſſe, licet non ita, vt quæ ſemel habetur, minui poſſit, ſed in diuerſis inæqualis eſſe, & quod attinet ad gratiam, quæ in quopiam reperitur, dum hic viuit, maior euadere. Hoc in noſtra eſt poteſtate, ſi cooperemur gratiæ diuinæ: veramque Bernardus [a], *virtutem aſſerit finem neſcire*, negat *charitatem excidere*, & *otioſum eſſe*: ait, *numquam iuſtum dicere, ſatis eſt, ſed ſemper eſurire iuſtitiam, ita vt ſi ſemper viueret, ſemper iuſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere conaretur*: indefeſſum affirmat proficiendi ſtudium, & iugem conatum ad perfectionem, perfectionem reputari: & cùm ſtudere perfectioni, ſit eſſe perfectum, *profecto nolle proficere, deficere eſſe: in ſcala Iacob nullum Angelorum reſediſſe* [b], *ſed vel aſcendiſſe, vel deſcendiſſe, vt palàm daretur intelligi, inter profectum, & defectum, nihil medium inueniri.*

a epi.3.91. *Virtutem finem non neſcit.*

Nolle proficere eſt deficere.
b Gen.28.12.

Non opus pluribus aduerſus craſſum errorem Begardorum, & Beguinarum, attingi gradũ perfectionis in hac vita, vltra quem progredi non liceat. Diximus de hoc ipſo nonnihil ſuperius, & legendus Baſilius [c], dum expendit Dei verba: *Creſcite & multiplicamini*, & aliis aliquot locis [d], nec non Leo [e], & alij, Leonis illa peropportuna ſententia [f]: *Natura noſtra manente adhuc mortalitate mutabilis, etiamſi ad ſumma quaque ſtudio prouehatur, ſemper tamen ſicut poteſt habere, quò recidat, ita poteſt habere, quò creſcat. Et hæc eſt perfectorum vera iuſtitia vt numquam præſumant ſe eſſe perfectos, ne ab itinere nondum finiti intentione ceſſantes, ibi incipiant deficiendi periculum, vbi proficiẽdi depoſuerint appetitum. Quia ergo nemo noſtrum, dilectiſſimi, tam perfectus eſt, & ſanctus, vt perfectior, & ſanctior eſſe non poſſit*, &c.

c homil. 11. Hexam.
d hom. in Pſal. 1. & homil. in id, attende tibi lib. de virginit. & regu. 121. ex breu.
e ſer. 2. de Quadrag. & ſer. 8. de Paſſ.
f ſer. 2. de Quadrag.

Ruſus [g]: *Quantumlibet quiſque iuſtificatus ſit, habet tamẽ, dum in hac vita eſt, quo probatior eſſe poſſit, & melior. Qui autem non proficit, deficit, & qui nihil acquirit, nonnihil perdit.* Similia ſunt apud Auguſtinum [h], & Gregorium [i]. Igitur relinquenda infantia, promouendum vltrà rerum diuinarum neceſſariarum vtiliúmve notitia, & operum bonorum exercitio. Parentes, & paſtores vrgere ſuos debẽt ad hunc profectum, idque in ſalutem, hoc fine propoſito, & honeſtis mediis.

g ſer. 8. de Paſſ.
h in Pſal. 89. & ſer. 39. de verb. Apoſt.
i 22. Moral. c. 20.

Si tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus.] Nam guſtus prouocat appetitum, & guſtatum Domini lac non afficit tædio, ſed adhuc concupiſcitur, eſuritur, ſititur [k]. Non eſt reſtringenda ad Euchariſtiam ſentẽtia, vt antè monui: immò præteriti temporis verbum (aliqui legunt *in præſenti*) potiùs indicat de illa propriè ſermonem non eſſe, verùm de doctrina, quæ præceſſit Baptiſmum, & de Baptiſmo ipſo, quo ipſo ſenſu vſurpat Auguſtinus [l] hunc locum, agens cum neophytis. Pro *ſi tamen*, quo pacto editio quoque Syra habet, & idem Auguſtinus [m] abſolutè *ſi*, nec non Hieronymus [n], quamuis etiam *ſi quidem* [o] eſt Græcè εἴπερ, *ſiquidem*, certè, vt notant Caietanus, Vatablus, Clarius, ſub affirmationis forma, non ſub conditionis. Quod tamen & hunc poſteriorem vſum particula iſta habeat, pro ſi modò, ſi quidem, ſi tamen, ambigi non debet, oſtẽdítque Budæus [p]. In poſteriore quoq; ad Theſſalonicenſes [q] εἴπερ reddit Interpres, *ſi tamen*, & idem ibi eſt, ac *quandoquidem*. Quod & de præſenti loco aſſeri poteſt.

k Eccl.24.29.
l ſer. 5. homil. hom. 20.
m ibid.
n in cap. 28. Ezech.
o in cap. 40. Ezech.
p Comm. ling. Græc. pa. 990.
q cap. 1. 6.

Ex hoc porrò, & ſimilibus locis infertur, illuſtrationes, & auxilia gratiæ, quodam interno experimento ſentiri poſſe, quamuis non cum ea certitudine infallibili, quam nonnulli putant. Exempli cauſa, legimus in pſalmo, vnde hic locus tranſſcriptus videtur: *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus* [s], &, *conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam* [t]; &, *Dilataſti cor meum* [u], & in Actibus quod Eccleſia ædificabatur *ambulans in timore* [x] *Domini, & conſolatione Spiritus ſancti.* Denique Spiritus ſanctus paracletus eſt, & conſolator. Conſule de noſtris Molinam [x], Adrianũ [y], Roſſignolium [z], Franciſcum [a] Ariam, ex antiquioribus Chryſoſtomum [b], Bernardum [c], Auguſtinum [d], Gregorium [e], Caſſianum [f]. Porrò guſtum iſtum Hieronymus [g] intellexit per fidem, nam vertit *ſi credidiſtis.*

Gratiæ auxilia quodam interno experimento ſentiri poſſunt.

s Pſal.33.9.
t Pſ.93.19.
t Pſ.118.32.
u cap.9.31.
x lib. de conc. lib. arb. & grat. diſp. 44.
y de diuinis inſpiratione.
z 1. de diſcipl. Chriſt. perf. c. 17. & 18.
a de profectu ſpirituali.
b hom. 1. in 2. ad Corinth.
c ad milites templi c. 11. & declam. in id: ecce nos reliquimus omnia. ſer. de cãt. Ezech. & 74. in Cant.
d conc. 20. in Pſa. 118. & 10. conf. c. 40.
e hom. 38. in Euang.
f collat. 4. c. 5.
g in cap. 28. Ezech. & in c. 40.
h in c. 28. Eze.
i verſ. 8.
k in c. 40. Eze.
l Act 11.

Dulcis eſt Dominus.] Vatablus, & Caietanus *Benignus*. Clarius *Bonus*, Hieronymus [h] *Suauis*, quo modo reddidit Interpres in citato pſalmo trigeſimo tertio [i], & *bonus* [k], Græca vox χρηστὸς, pro qua non ſine mendo Regia Biblia, & editio Baſilienſis habẽt χριστὸς, omnia iſta ſignificat, ac vtilem, commodum, &c. vt aliàs notatum eſt [l], cùm de Chriſti nomine, quem Gentiles per ignorantiam vel ludibrium Chriſtum appellabant, qui reuera omnibus eſt χρηστὸς, id eſt, vtilis &c. & eius diſcipuli Chriſtiani, qui nihil ſcilicet magis in votis habere debent, quàm vt ſint εὔχρηστοι, id eſt, boni erga Deum, vt ait Theophilus Antiochenus [m], & vt Iuſtinus [n] χρηστότατοι, commodiſſimi ceteris. Variam Thomas Anglicus obſeruat in Deo dulcedinem in cogitatione ad meditandum, *quia dulcis gutturi noſtro* [o]: in aure, ad audiẽdum [p], *quia vox eius dulcis*, quia *dulcia faucibus noſtris eloquia eius* [q]: in aſpectu, ad videndum, quia eſt *dulce lumen, & delectabile oculis* [r]: in opere ad exequendũ, quia nihil dulcius, quàm reſpicere in mandata Dei [s]. Magna prorſus *multitudo dulcedinis diuinæ* [t], *& delectationes in dextera Dei vſque in finem* [u]. Nihil ad lac noſtrum illud manna, licet *in ſe habens omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatẽ*, & per quod dulcedinem ſuam Deus dicitur oſtendiſſe [x].

Chriſtus reuera eſt omnibus χρηστὸς id eſt vtilis.
m 2. con. Autolycum.
n Apolo. 2.
o Cant. 2. 3.
p Cant. 2. 14.
q Pſa. 118. 103.
r Eccl. 11. 7.
s Eccl. 23. 37.
t Pſal 30. 20.
u Pſal. 15. 10.
x Sap. 16. 20.

Verſ. 4.] Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum.

Verſ. 5.] Et ipſi tamquã lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctũ, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.

DEinceps exponitur eximia hominum Chriſtianorum perfectio, dignitáſque, conſiſtens in quàm maximè fieri poteſt vnione cum Chriſto, velut ſacri ædificij partium cum fundamento, in quo ædificio ipſimet coædificati quodam fungantur officio ſacerdotis, offerántque vni Deo gratiſſimas hoſtias per eiuſdem, cui cohærent Chriſti merita.

Ad quem accedentes.] Nempe vt hortatur Paulus *cum fiducia* [y] *cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala* [z]: *credendo quia eſt, & inquirẽtibus ſe remunerator* [a]. Sic enim, vt pollicetur Dauid [b], *illuminabimur, & facies noſtra non confundẽtur*: & vt Chriſti [c], à labore, & onere reficiemur, & nuptiali conuiuio excipiemur [d]. Nullo non loco eſt Deus: receditur ab eo tamen peccatis, acceditur, ac reditur ad eum pœnitentia, quæ dicitur conuerſio, quaſi reuerſio, & amore, piiſque operibus: vt etiam ipſe peccatores deſerendo, nec

y Heb. 4. 16.
z Heb. 10. 22.
a Heb. 11. 6.
b Pſal. 33. 6.
c Matt. 11. 28. 29.
d Matt. 22. 2. & ſeq.
Deus nullo non loco eſt, ſed receditur ab eo peccatis.

amicorum loco habendo, recedere ab iis dicitur, despicere, derelinquere, auertere faciem, obliuisci, non exaudire, non respicere. Et è contrario, conuerti, &c. Propter mutuum consensum, & cooperationem liberam nostram, interdum dicit Deus [a]: *Conuertimini, & conuertar ad vos*; & Iacobus [b], *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*: propter necessitatem verò gratiæ præuenientis, dicimus Deo: *Conuerte* [c] *nos, & conuertemur ad te*. Nihil est quod prohibeat quò minùs prope Deũ simus, inquit Chrysostomus [d]: *Deus enim appropinquans ego sum* [e], ait, *& non Deus procul: Non longè est ab vnoquoque nostrum: non assistit miles qui expellat, non satelles qui tempus interrumpat. Non est qui dicat, Non est tempus accedẽdi, veni postea. Sed quãdo veneris, stas audiens, etiamsi tempore prandij, etiamsi tempore cœnæ, etiamsi nocte intempesta, etiamsi in foro, etiãsi in via, etiamsi in cubili, etiamsi intus in iudicio apud Magistratum fueris, & eum vocaueris, nihil vetat, quò minus tuam petitionem audiat: si rite vocaueris*, &c. Nõ hîc amplius repetam, quod prius dixi de illis, qui hunc, & præcedentem locum interpretantur de Eucharistia. Recipi potest, at non vt primarius sensus, qui generalior est de gustu spirituali, & suauitate. *nam qui*, vt ait Beda, *nihil de superna suauitate animo gustat, non est mirum si hunc terrestribus illecebris sordidare non cauet*: nemo desiderat siue concupiscit Deum, nisi qui aliquousque cognoscit eum, & delectatur in eo, & Hieronymus [f], *omne inquit, quod habemus bonum gustus est Domini*.

a Zach. 1. 3.
b cap. 4. 8.
c Ierem. 31. 18.
d In Psal. 4.
e Ierem. 23. 23. iuxta 70.
f ep. ad Ctesiphontem.

Lapidem viuum.] Ζῶντα viuentem, vt veteres patres legunt. *Petra erat Christus* [g], & tamen etiam primus Apostolorum [h]: sed hic vicaria, ille primaria: *aliud fundamentum poni nequit* [i]: *nihilominus super Petrum ædificata est Ecclesia* [k]. Super alios prætereà Apostolos, immò & Prophetas, quorum angularis lapis Christus [l].

Christus est petra primaria, & Petrus Petra est.
g 1. Cor. 10. 4.
h Mat. 16. 18.
i 1. Cor. 3. 11.
k Mat. 16. 18.
l Ephes. 2. 20.

Videtur delectari Petrus petræ, lapidisve similitudine siquidem illam quoque in quadam concione vsurpauit, quæ recitatur à Luca [m], & liberè ter in Christum absolutè transfert, ne quia Petrus à petra vocabatur, existimaretur primaria petra, & fundamentum Ecclesiæ.

m Act. 4. 11.

Inter lapides quidam viui peculiariter nominantur, vt silices, qui percussi scintillant solidioresque sunt. Id nomen Hebræum כיף *cheph*, & Syrum כיפא *chepha*, significare docui eo loco historiæ Apostolicæ, vbi & causas exposui, cur Christo illa appellatio tribuatur, & quare Petro. Illibens eadem transscribo, vel retracto. Voluit, opinor, præterea Petrus innuere lapidem, paulóque post lapides animatos, quibus per analogiam lapidum materialium, præsertim qui viui dicuntur, proprietates congruant. Est porrò Christus lapis viuus non modò quia homo, & post resurrectionem iam non moriens [n], verùm etiam quia viuificans, & ipsissima vita [o], quatenus Deus, licèt propter Patrem, hoc est, quia vitam accepit à Patre [p]. Vox Filij hominis viuificabit mortuos, & eos qui sunt in monumẽtis [q]: *quos vult namque viuificat* [r]; *& in illo omnes viuificabuntur* [s], id est, propter merita ipsius, nec non per efficacem virtutem eius, etiam vt homo est, sed quam accepit à Deo.

Christus est lapis viuus, & cur.
n Rom. 6. 9.
o Ioan. 11 25. cap. 14 6.
p Ioan. 6. 58.
q Ioan. 5. 25. 26.
r ibid 21.
s 1. Cor. 15. 22.

Ab hominibus quidem reprobatum.] Lege Commentarium Actuum Apostolorum [t], & quæ alij ad affinia afferunt loca Psalmi CXVII. [u] Matthæi [x], epistolæ ad Romanos [y], Esaiæ [z]. Reprobata fuit Christi doctrina, miracula, vita multis modis, vt narrat historia euãgelica: deniq; primos electorũ habitus est reprobus ἀποδεδοκιμασμένος, non solùm inutilis, ac pro rege refutatus, sed omni quoque probro, ac pœna dignus. Samaritanus, ac Dæmoniacus vocatus est [a], postpositus homicidæ, & ad crucem appetitus, ac refutatus pro rege. Præter id autem, quod citato dixi loco, probabilis coniectura est, allusionem esse ad lapidem eximium, & maximum in libano excisum, ac dedolatum, qui cum super alios imponendus esset in summa facie templi, (vulgò *frontispicio*) priùs aliquoties ob difficultatem eum transuehendi tantum ædificatoribus negotium fecerit, vt ira perciti, etiam conterere voluerint.

t cap. 1. 11.
u vers. 22.
x cap. 21. 42.
y cap. 9. 33.
z cap. 28. 16.
a Ioan. 8. 48.

A Deo autem electum & honorificatum.] Παρὰ δὲ Θεῷ ἐκλεκτὸν ἔντιμον. *Apud Deum electum, pretiosum, vel honorabilem.* Esaias [b] inducit Deum vocantem electi nomine Christum: & Matthæus [c] Esaiæ citat locũ. Etenim inter omnes homines primus electus est, atque illius humanitas electa est, quã faceret Deus Pater, vnà tamen cum Filio ipso & Spiritu sancto vniri personæ diuinæ Filij, quæ sola persona illam assumpsit, & formaliter sibi vniuit, atque coniunxit: *& prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis* [d], propter singularem prędestinationis modum, vtpote causa, & exemplar nostræ prædestinationis, vt elicitur ex Paulo [e], & docet B. Thomas [f]. Ideo *speciosus forma canitur præ filiis hominum, & vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis* [g] *gloria & honore coronatus, & constitutus super omnia opera manuum Dei* [h], & *nomen dicitur accepisse super omne nomen* [i], & *data ei omnis potestas in cœlo, & in terra* [k], & *electus ex millibus* [l], denique clarificatus, siue glorificatus [m]. Ipsum vulgus cognominabat Messiam Dei electũ: Alios saluos fecit, se saluum faciat, dicebat, irridens crucifixum, si hic est Christus Dei electus [n]. Huius vocatur sponsa electa, & quidem vt sol [o].

Christus lapis est electus, & honorificatus.
b cap. 42. 1.
c cap. 12. 18.
d Rom. 1. 4.
e Rom. 8. 29.
f 3. p. q. 24. art. 3. & 4.
g Psal. 44. 3. 8. Heb. 2. 7. 9.
h Psal. 8. 6. 7.
i Philip. 2. 9.
k Mat. vlt. 18.
l Cant. 5. 10.
m Ioan. 12. 28.
n Luce 23. 35.
o Cant. 6. 8.

Et ipsi tamquam lapides viui superædificamini.] Nec solus videri vult Petrus petra: communicat hunc etiam titulum cum reliquis, qui cooperari possunt ad ædificium spirituale, quippe non mortui, ac insensibiles lapides, sed animati, viui (viuentes legit Hieronymus [p]), ratione, liberóque præditi arbitrio, caritate quoque fidem viuificante. Conatum adhibentes propriæ cooperationis, non sicut materiales lapides, qui cum parantur, ponuntúrve in ædificiis, nihil ipsi laborem operatoris iuuare, nihil etiam per se, vt notat Beda, nisi cadere possunt, sed quocumque, & vbicumque à structore positi fuerint, ita ibi insensibiliter perdurãt, aut elapsi decidunt. Græcè verbum simplex est οἰκοδομεῖσθαι, *ædificamini*: tamen rectè vtitur interpres composito (Beda meminit alterius lectionis: *sursum ædificamini*) propter lapidem illum principalem viuum Christum, de quo proximè præcessit mentio, super quo nobis ædificandum, vt ante quoque diximus. De vocabulis autem ædificandi, & ædificationis ex vsu sacro, & Ecclesiastico mystico atque spirituali egimus loco citato historiæ Apostolicæ [q].

p in cap. 28. & 40 Ezech.
q cap. 4. 11. & c. 9. 31.

Crebrò scriptura domus ædificationem vsurpat pro familiæ propagatione: & בנים *banim*, vocãtur *filij* à בנה *banah ædificauit*, & lapides præposito א dicuntur אבנים *abanim*. Componimus item mysticam domum Ecclesię per charitatis cęmentum, quæ si desit, soláque fides adsit, mortui lapides sumus, atque nisi purificemur, digni, qui iuxta præceptum Domini de domo leprosi [r], vt notat Beda, de ordine mũdorum lapidũ eruamur. Addit, velut ictu securis per discretionem eruditi

Domus ædificatio est familiæ propagatio.
r Leuit. 14.

doctoris amputatis actibus,& cogitationibus superfluis, nos quadrari; & vt in pariete lapides alios alij portant, sic in Ecclesia *alter alterius onera portare* ᵃ: atque qui nunc sunt per doctrinam portari,& patientiam à præcedentibus iustis,& ipsos portare sequentes: Christum autem omnes portare,nec ab vllo portari *in sancta Ecclesia*, inquit Gregorius ᵇ, *vnusquisque & portat alterum,& portatur ab altero*. nam vicissim se proximi tolerant, vt per eos ædificium charitatis surgat. Chrysostomi ᶜ similis sententia:per id quod inter se connectuntur,& conglutinantur,eadémque & sentiūt, & dicunt, atque eâdem mente & sententia ambulant,domum vnam Deo efficiunt. Augustinus ᵈ ideo notat non differre habitantes à domo, vel ciuitate ista,quia sunt lapides viui, erigique homines in hanc fabricam affectu pio, religione sincera,fide,spe,charitate,& ipsum ædificari, ambulare esse. Rursum Gregorius ᵉ,quod Iob ait ᶠ; *non habentes velamen,amplexari lapides*, exponit de iis, qui de nullo suo opere confidentes ad Martyrum,qui vt lapides fortes sunt,protectionem currunt,atque ad Sacra eorum corpora fletibus insistunt, promereri se veniam eis intercedentibus deprecantur. Atque ita præsentem locum nostrum intelligit ad Martyres dirigi, seu ad Fideles,qui ad martyrium animantur. Sed vniuersalior est Petri sermo de tota Ecclesia, quam præterea Esaias ᵍ comparat ciuitati constructæ ex lapidibus pretiosis.

Abutuntur hæretici testimonio isto, & sequentibus verbis,quibus exprimitur domus spiritualis,vt probent Ecclesiam esse inuisibilem. At nihil aliud vult Petrus,nisi cœtum Fidelium, qui visibilis est, nec secundum substantiam spiritualis, ordinari ad finem spiritualem: regi à Spiritu sancto;coniungi vinculo spirituali: habere dona spiritualia: vt cùm quandoque dicitur *homo spiritualis* ʰ,immò & corpus ⁱ: vel cùm hoc ipso loco nominantur *hostiæ spirituales* quælibet opera bona,sicut ieiunia,eleemosynæ,&c.

Vnde occurri eâdem opera potest alteri argumento de Sacerdotio, quod videtur omnibus hic tribui, quódque Pepuziani atque Collyridiani mulieribus etiam tribuebant ᵏ. Nam de spirituali,quemadmodum & hostiæ ipsæ non aliæ nominantur quàm spirituales,oportet intelligere:sicut & in Apocalypsi ˡ Beati ipsi,sacerdotes vocantur, vt scilicet laudent Deum,quod ex munere peculiari faciunt veri, ac externi, & initiati sacerdotes,licet id non sit propriè sacrificium, sed genericè tantùm,vt Augustinus ᵐ docet, atque colligitur ex variis locis Scripturæ ⁿ. Quid?quod simul regia dignitas conceditur, & sanctitas ᵒ,cùm tamen constet non omnes Christianos esse sanctos,& multò pauciores propriè reges:certum sit item Hebræorum gentem,de qua similia scribuntur,& ad nostros transferuntur, Ordinem distinctum sacerdotalem de familia Aaron habuisse,& vnum regem externum, cui morienti succederet alius.

Vnde sensus est,præter dictum,in populo quidem Hebræo Regiam, ac sacerdotalem dignitatem peculiariter institutam esse à Deo: in populo autem Christiano esse veros sacerdotes, (quidquid sit de Regia dignitate,) vt placet Alberto Pighio ᵖ, non autem singulos sacerdotali dignitate præditos,vel vt Didymus exponit hoc loco,& Alphonsus à Castro ᑫ, Christianos originem ducere à vero Rege, & sacerdote summo Christo.

A Omnes hi sensus concordant. nam Verbi gratia, potuit Petrus de proprio, & externo Christiano sacerdotio intelligere,quamuis adhortetur simul omnes ad spirituales,& minus propriè dictas offerendas hostias, & ad annuntiandas virtutes diuinas,quod vocatur sacrificium laudis, nominatim propter sacrificium Christianum externum adeo diuinum Corporis, & sanguinis Filij Dei Christi:Non omnium verò esse munus id obire, B præter alios Ozias documento fit, lepra ʳ punitus,quia fungi voluit munere sacerdotali. Denique ne multis,nulla vnquam natio caruit sacrificio externo,& sacerdote,qui ad id munus deputatus esset.Plura alij, vt Bellarminus ˢ,& recentes expositores huius loci, maximè Ioannes Hesselius,Feuardentius, & Salmeron, & Ribera in caput primum Apocalypsis,& Viegas.

Ambrosius ᵗ rem definit verbo:*Vnusquisque*,inquit,*vngitur in sacerdotium*(linitur baptizandi vertex,& frons in Confirmationis Sacramento:) *vngitur in regnum* (vngebantur reges, & Christiani dicimur quasi vncti) *sed spirituale regnum est* (notandus loquendi modus)*& sacerdotium spirituale*.

Propter Sacramentum Confirmationis, quod vocant etiam Chrismatis, Origenes ᵘ ait omnes nos sacerdotes effici, sicque Petrum exponit. Simul docet ˣ, nos in ipsa cœlestia adyta ingressuros, & ibi sacerdotio functuros. Isidorus ʸ consentit,agens de eôdem Sacramento, & quatenus C æterni sacerdotis,& Regis membra cōstituimur. Videtur ex Augustino ᶻ accepisse, qui & hunc,& similem Apocalypsis ᵃ tractans locum, non de Episcopis, & presbyteris docet intelligi debere, qui propriè iam vocantur in Ecclesia sacerdotes, sed de omnibus Christianis, propter mysticum chrisma, & quoniam membra sunt vnius sacerdotis.Non discrepat Rabanus in Exodum ᵇ.

Cyrillus Alexandrinus ᶜ distinctè seiungens ordinatos,vt sacrificent, nihilominùs alios quoscumque sanguine Christi acquisitos, sinceróque adoratores interpretatur appellari *regale sacerdotium*. Clemens Romanus ᵈ his ipsis verbis compellans laicos, nempe Ecclesiam Dei electam,gentem sanctam, & sacram Ecclesiam de- D scriptam in cœlis, regale sacerdotium, &c. propriam subdit, ac distinctam de singulis ordinibus,& ministris sacris mentionem. Leo Papa I. ᵉ de sua loquens, & Petri propria pontificia dignitate,omnibus communem dicit illam sacerdotalem, de qua hoc loco Petrus: quemadmodum & Regiam propter vnctionem Spiritus sancti, & benedictionis vnguentum, quod copiosius tamen in superiora profluxit. Basilius ᶠ apertè docet discrimen inter generalem rationem sacerdotij,secundum quam omnes exhibere debent corpora sua hostiam viuentem ᵍ, &c. & inter propriam certorum nonnullorum,vt sunt diuersa in eodem corpore membra,atque differentia in Ec- E clesia officia,necnon & loca tum sacra,tum profana. Affert item nonnulla loca scripturarum de sacerdotio generali,de quibus postea. Idem quem priùs citaui Isidorus ʰ accipit hunc locum de quadam parte Ecclesiæ,quam clerici constituunt, & insigniuntur sua tonsura, quæ corona quoque dicitur. Nec improbabile hoc loco, & in Exodo ⁱ, vnde hic sumptus locus,*regnum sacerdotale Domino* significare notissimos,familiarissimos, amicissimos illi,quibus reuelet arcana.Nam כהן *choben*, non semper significat sacram personam , sed Regi,qui vices gerit Dei , siue Principi intimè con-

Margin notes (left): a Gal. 6. 2. — *Christus omnes portat, & à nemine portatur.* — b homil. 13. in Ezech. — c in Psa. 101. — d In Psa. 86. — e 16. Moral. c. 22. vel 24. — f cap. 24. 8. — g c. 54. 11. 12. — *Contra hæreticos qui Ecclesiam constituunt inuisibilem.* — h 1. Cor. 2. 15. — i 1. Cor. 15. 44. — k Epiph. hær. 49 & 79. August. hær. 27. — l cap. 1. 6. & c. 5. 10. & cap. 20. 6. — m 10. de ciuit. c. 6. & 5. qu. Euang. q. 40. — n vt Psa. 50. 19. Rom. 12. 1. — o Exo. 19. 6. — p controuerſ. 15. circa finem. — q contra hær. verb. Ordo.

Margin notes (right): r 2. Paral. 26. 19. — s lib. 1. de Sacram. cap. 24. & 25. — t 4. de Sacr. c. 1. quem etiam lege in Apocaly. cap. 1. — u homil. 9. in Leuit. — *Propter sacramentum Confirmationis sacerdotes efficimur.* — x homil. 4. in lib. Num. — y 2. de offic. Eccl. cap. de chrismate. — z 20. de ciu. c. 10. — a cap. 20. 6. — b in c. 19. — c ep. Apol. ad Theod. — d 2. const. c. 25. — e ser. 3. in anniuersario die assumpt. — f 2. de Baptismo c. 8. & reg. 265. ex breu. — g Rom. 12. 1. — h 2. de offic. c. 4. — i cap. 19. 6.

unctam,& a secretis,consiliíque,ita vt quod est respectu Dei propriè dictus sacerdos, id sit illa erga Regem,Principémve.In hac acceptione accipiunt, quod est in historia Regum [a] ,*percussos a Iehu omnes qui reliqui erāt de domo Achab in Iezrahel, & vniuersos optimates eius,& notos,& sacerdotes*:præterea quod in Iob [b] scribitur,*ducit sacerdotes ingloríos,& optimates supplantat.*

a 4. Reg. 10. 11.

b cap. 12. 15.

Domus spiritualis.] οἶκος πνευματικός. Syriacè: (ac estote templa spiritualia, והוו היכלא רוחנא *vahauau haiechela ruchana.* Alij Domos spirituales.) Quidam in recto casu plurali, *Domus spirituales.* Beda indicat lectionem triplicem: *Domus spirituales*,sed tunc supplēdum in. *Domus spiritualis,& sursum ædificamini in domum spiritualem.* Apud Hieronymum nunc lego *Domus* [c] *spirituales*:nunc [d] *spiritualis.* Apud Augustinum [e] *spiritualis*, etsi nonnulla exemplaria habent *spirituales*:necnon & apud Ambrosium [f]. Rursus apud eundem Augustinum [g]. *In domum spiritualem.* Hic ait,vt priùs notatum est,istam ciuitatē ciuibus suis ędificari,ipsos sibi esse lapides,qui sunt ciues, quia sunt lapides viui; fundamentum verò esse Symbolum Fidei. Leo [h] legit *in domos spirituales*: Ambrosius autem scribit, *quod cùm vnusquisque domus aut Dei sit, aut diaboli,* domus spiritualis, homo est spiritualis. Spiritualis domus idem valet,quod allegorica & mystica, figurata, & præfigurata per sensibilem, proptiéque dictam domum,scilicet per tabernaculum Mosis, ac templum Salomonis. Eamdem notionem habet in epistola ad Corinthios prima [i] *esca,potus,petra spiritualis*;vbi præterea dicitur [k] *quod omnia in figura contingebant illis.* Eodē pacto Ioannes in Apocalypsi [l] *ciuitatem magnam* vocat *spiritualiter Sodoma, & Ægyptum.* Non ita congruit legere (domus, aut domos, aut in domos spirituales) quoniam non ædificantur singuli lapides in singulas domos, sed multi in vnam: estque sensus,ædificari fideles, id est, construi seu componi veluti lapides super Christo, tanquam super fundamentali lapide, vt domum vnam spiritualem constituant, quæ est Ecclesia.

c in c. 28. Eze. d in c. 40. Ez. e ep. 57.

f in c. 13. Luc. g in Psa. 86 & 3. de Symbolo ad Catech. c. 1.

h ser. 3. in assumpt. *Vnusquisque aut domus est Dei,aut diaboli.*

i c. 10. 3. 4. k vers. 11.

l cap. 11. 8.

De re ipsa dictum satis in Commentario præcedenti. Iuxta illos verò,qui vtuntur plurali numero;singuli singulæ sunt domus Dei, immò & templa, vt iidem etiam Patres docent. Quod si verbum *superædificamini* sumamus cum Thoma Anglico in actiua significatione, commodū sensum habebit ea lectio *domos spirituales*, prout & Ambrosius [m] legit. At multitudo nō perinde vnitatem Ecclesiastici ædificij exprimit,nec adeo cōgruit illi comparationi *tamquam lapides viui*, quia singuli lapides domum non efficiunt; nisi dicamus,quod & innuit Beda, non singulas personas lapidibus comparatas moneri, vt fiāt domus spirituales,sed plures singulósque cœtus,seu Ecclesias,quæ tamen vnam conflant Catholicam. Videtur subnotare Petrus vanitatem Iudæorum tātopere gloriātium in templo [n], & sacrificiis suis. Non respuit quidem templa, & sacrificia materialia; sed requirit maximè, vt nos ipsos offeramus Deo, & ita comparemus, vt tamquam in templis inhabitare possit in nobis.

m in c. 3. Luc.

n Ierem. 7. 4.

Sacerdotium sanctum.] Syriacè וכהנא קדישא *vechahane kadiasche,& sacerdotes sancti.* Ambrosius [o], & Hieronymus [p], & aliqui quoque Bibliorū codices,*in sacerdotium sanctum.* Per appositionem hęc omnia dicuntur *lapides viui, domus spiritualis, sacerdotium sanctum.* De sacerdotio, quale sit,dictum antea satis. In lege vetere semel in anno tota gēs fungebatur officio sacerdotali propriè, atque sacrificabat, scilicet in Paschate, suimet manibus hostiam mactando [q]: vt Philo [r] docuit. In Missa qui intersunt, quodam modo sacrificant, prout & in Canone dicitur: *qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.*

o In cap. 12. Luc. p in c. 28. & 40. Ezech.

q Exod. 12.

r 3. de vita Mosis,& lib. de Decalogo.

Offerre spirituales hostias.] Græcismus est ἀνενέγκαι, &c. quem resoluit Interpres Syrus, *ad offerendas hostias*,omittens epithetum *spirituales*,quod continetur in domo spirituali, vel vt idem habet, *in templis spiritualibus.* Hieronymus vno loco [s] retinet *offerre*,in alio [t] ponit *offerentes.* Sic legit etiam Leo [u]. In vtróque ponit *victimas.* Alibi [x] rursus *offerentes*, & *hostias.* Oblatio porrò hæc hostiarum,& victimarum spiritualium demonstrat, non fuisse priùs de proprio, vero, & externo, ac materiali sacerdotio sermonem, nec postea esse, quod publica tantùm persona ritè ordinata, materiale quoque offerens sacrificium, administrat. Sanctus Leo, sacerdotalem,vt omni Christiano communis est, in eo collocat dignitatem, vt voueat Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerat. Basilius [y], vt iuxta Paulum [z] *exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem*, &c. nempe carnem castigando, & passiones reprimendo, quod vocat idem Apostolus [a] rationabile obsequium λογικὴν λατρείαν: qui cultus Deo vni exhibetur. De eodem loco legendi Origenes [b], Augustinus [c], Gregorius [d], & de re tota Beatus Thomas [e], applicans sacrificium pro peccato pœnitentibus: pacificum proficientibus: holocaustum perfectis. *Hæc hostia est*, inquit Gregorius, *quia mortuus mundo, qui se ita offert viuens, quoniam bona, quæ potest, operatur.* Alij viuentem accipiunt, quia non requiritur occisio externa, sicut externarum victimarum,nec semper est occasio,necessitásve martyrij. Eodem spectat sacrificium spiritus contribolati [f].

s in c. 28. Eze. t in c. 40 Ez. u ser. 3. in Annuntiatione assumpt. x in c. 31. Ier.

Sacerdotalis dignitas omnibus Christianis communis quæ sit.

y 2. de Baptis. c. 8. z Rom. 12. 1.

a ibid.

b lib. 9. in ep. ad Rom. c 10 de ciu. c. 6. d h m. 22. in Ezech. e 1. 2. q. 102. a. 3.

f Psa. 50. 19.

Præter istud mortificationis sacrificium, crebrò mentio fit *sacrificij laudis* [g], & *hostia vociferationis* [h],& *sacrificij* [i] *vespertini*, quæ est *eleuatio manuum* [k], & comparatur cum vitulo [l], & dicuntur *vituli labiorum*,vel fructus eorumdem [m]. Huc teneatur munus,quod ante altare Christus præcipit relinqui, *vt reconciliemur prius fratri aliquid habenti aduersus nos* [n], vt quidem Basilius exponit [o]. Adhæc sacrificium dicitur quodlibet opus misericordiæ, & eleemosyna [p], & omne opus bonum, quod etiam cognominatur *sacrificium iustitiæ* [q]: Rabanus [r] appellat hostias immaculatæ conuersationis. Postremò homo nomini Dei consecratus, ac deuotus, in quantùm mundo moritur, vt Deo viuat, sacrificium est, vt scribit Augustinus [s]: præsertim religiosus, qui teste Vualdense [t], altum sacrificium Deo facit carnis, & mentis actus omnes per ingressum religionis perenniter consecrando. Id vocant holocaustum Gregorius [u], & S. Thomas [x]: ille verò sacrificium eius,qui sic operatur quę Dei sunt, vt tamen & quædam,quæ sunt seculi,non relinquat. Lactantius [y]: *Quisquis*, ait, *omnibus præceptis cœlestibus obtemperarit, hic est vere Dei cultor, cuius sacrificia sunt mansuetudo animi, & vita innocens, & actus boni quæ omnia, qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquid,& pium fecerit*,&c. At religiosi opera omnia dicata sunt Deo, & quia perpetuum quoddam est vitæ eius martyrium, vt demonstrat Platus noster [z], nósque in Psalmum 143. iure dici potest, quòd eum Deus tamquam

g Psal. 49. 14. Psa. 49. 23. Psal 106. 22. Psa 115. 16. Heb. 13. 15.

Sacrificiorum varia genera.

h Psal. 26. 6. i Psa. 140. 2. k ibid. l Psa. 68. 32. m Osee 14. 3. Heb. 13. 15. n Mat. 5. 23. 24. o Reg. 165. ex breuib. p Osee 6. 6. Mat. 9. 13. Heb. 13. 16. q Psal. 4. 6. Psa. 50. 21. r in cap. 29. Exod. s 10. de ciu. c. 6. *Homo religiosus est sacrificium altum Dei.* t 4 de sacram. Tit. 5. c. 87. u homil. 12. in Ezech. x 2. 2. q. 186. a. 7. y 6. inst. c. 24. 25.

z 2. de bono status religio. 6 c. 12.

holocausti hostiam accipit[a]. Martyris autem sacrificium esse holocaustum, ostendit Chrysostomus[b].

Athanasius[c] de spirituali quoque, & morali sacerdotio, quæ hic dicuntur intelligens argutè colligit, quemadmodum, etsi populo vetitum esset operari sabbato, non tamē sacerdotibus prohibebatur, quia panes propositionis coquebāt[d], circumcidebant[e], &c. ita omnibus Christianis id permitti, quia omnes sunt regale sacerdotium, nec tamen vacandum negaret dominicis, ac festiuis diebus à seruili opere. Lege Caietanum[f], & Mazzarinum nostrum in Psalmum Miserere discursu Italico 88. & aliquot seqq. in nonagesimo autem agit de holocausto martyris, & religiosi, & quo pacto hic dici martyr possit.

Neque verò spirituales hostiæ, sacrificiúmque fauent alteri hæresi, quòd Ecclesia sit inuisibilis: nam superius docui esse in Ecclesia externum, atque visibile sacrificium: & Ecclesiam certum est esse ciuitatem supra montem, lucernámque super cādelabrum[g], vt exponit Augustinus[h], Hieronymus[i], & alij: alioqui nullos haberemus doctores, & pastores, quorum potestati subderemur, iudicio quorum staremus. Augustinus[k] quidem negat *euangelio creditarum fuisse, nisi Ecclesiæ id vt verum proposuisset*: affirmat[l] quoque *in nullum nomen religionis seu verum, seu falsum coadunari*, (vel coagulari) *homines posse, nisi aliquo signaculorum, aut sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valeat plurimum: & ideo contempta sacrilegos faciat: impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas*. Verùm de hoc aliàs plura.

Acceptabiles Deo per Iesum Christum.] Ipsi per nos offerre gratas hostias Deo nequimus, sed egemus meritis Christi, qui *semper adest vultui Patris[m] pro nobis*, tamquam *aduocatus[n]*: *semper interpellans[o]*: *& exauditus pro sua reuerentia[p]*: & quantumlibet simpliciter, & per se opponatur iudicio Dei, erit verè merito ipsius locus, ac in eo reperietur dignitas, ut Deum promereatur, cuius contrarium impiè Caluinus negat[q]. *Complacuit sibi in Filio suo dilecto Pater*, & quidem bene[r] & perfectè: ut eodem *benedixit nos omni benedictione spirituali: & elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in caritate, & gratificauit nos, ac dedisque redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius[s]*: & *dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: & eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ[t]*, &c.

Profectò si per Christum, & in eius gratiam tanta cōsecuti sumus, & reuera digni coram Deo habemur, gratique non per solam extrinsecam acceptationem, & imputationem, Christus ipse absque vlla comparatione dignissimus, & gratissimus erit. Nostras preces terminamus, vt aliàs notaui, *per Christum Dominum nostrum*. Idipsum videntur fecisse Hebræi, dum, vt Hieronymus[u] docet, in angustiis constituti, & Domini optantes auxilio subleuari, dicebant: *in monte Dominus videbit[x]*, hoc est sicut Abrahæ misertus est, miserebitur & nostri. At quia, si hoc tantùm attendissent, dixissent forsan, *In monte Dominus vidit*. Voluerunt igitur innuere futurum, vt prouideret sibi victimam Deus, remedium omnium malorum, propter quam sperassent quoque liberationem à præsentibus.

Vers. 6.] **Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur.**

Vers. 7.] **Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.**

Vers. 8.] **Et lapis offensionis, & petra scandali, his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.**

TEstimonio scripturæ docet quàm aptè Christum dixerit esse lapidem viuum, & honorificatum, & huic alios posse superædificari tamquam lapides viuos, vnde & honorem reportent, sicut è contrario vituperationem, damnúmque hi, qui per fidem conuenire ad id ædificium nolent. In capitis quarti Actuum Apostolorum expositione[y], vbi eadem ferè sententia recitatur à Petro, satis videmur multa dixisse, quæ consulat lector, si cupit, necnon Pinedam[z], & Villalpandum[a]: propria loci præsentis explicabimus.

Propter quod continet scriptura] Græcè περιέχει ἐν τῇ γραφῇ. *continet in scriptura*: hoc est, quoniam Christus est lapis, per quem ædificamur, sive superædificamur, ac sacerdotes efficimur, idcirco ipse dicitur in scriptura continere, atque amplecti, id est, firmum aliorum fundamentum esse. Ad hunc quidem modum exponit verba Græca Ioannes Hesselius. At videtur potiùs Petrus innuere se proferre scripturæ locum velle. Quare supplendum esset, Deus, aut Spiritus sanctus, qui contineat in scriptura id quod sequitur. Præterea posset sensus hac de re, de qua dictum est, locum capitulum, summam, argumentum, quæ significantur nomine περιοχῆς, extare in Scriptura. Sic in Actibus[b] est περιοχὴ, vbi legimus: *Locus autem Scripturæ quam legebat*, &c. Igitur hîc περιέχειν neutraliter sumendo perinde est ac si dictum esset, continetur seu habetur in Scriptura. Syriacè, *dicitur enim in Scriptura*. Porrò cur sacra scriptura nomine absoluto scriptura appelletur, dixi explicate primo dicti libri[c]. Locus autem est apud Esaiam capite vigesimo octauo[d], quo vtitur etiam Paulus[e], & admiscet vterque nonnulla ex capite octauo: cuius rei causam reddit Leo Castro[f], sicut & cur quædam prætermittant.

Ecce.] Inter varios vsus interiectionis istius, proposito cōuenit, vt admirationem, nouitatem, celeritatem denotet. Admirationem continet Psalmus, in quo post illud[g] *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, subditur[h]: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Pono.] Τίθημι. In Esaia: (ego mittam.) Ἐγὼ ἐμβαλῶ. Hebraicè: הִנְנִי יִסַּד *hinni iissad*, *Ecce ego fundator, vel fundabo.*

In Sion.] Vnde lex exiuit[i], emissáque virga virtutis Christi[k], & vbi primùm Ecclesia coaluit, Christúsque prædicauit, tótque res diuinas patrauit, Sionem etiam intelligendo pro tota ciuitate Ierosolymitana, *& est constitutus super eumdem montem rex[l]*. Notus mons Sion, siue collis, vnus de tribus ciuitatis Ierusalem, qui ob celsitudinem toti nomen dedit. In eo arx Dauid erat, & diuina

cœna

Marginal notes: a Sap. 3. 6. — b homil. 11. in ep. ad Heb. c hom. de semente. — d Luc. 14. 5. Matth. 12. 5. e Ioan. 7. 22. & 23. — f Ieiunio. 3. — Ecclesia sacrificium visibile. — g Mat. 5. 14. 15. h 3. con. Creſ. c. 36. 3. con. ep. Parmenia. c. 5. i con. ep. Petilia. c. 37. i in c. 9. Eccl. k con. ep. fundamenti. c. 5. l 19. cōt. Faust. c. 11. — m Heb. 9. 24. n 1. Ioan. 2. 1. o Heb. 7. 25. p Heb. 5. 7. — q 3. inst. c. 17. § 1. r Mat. 3. 17. c. 17. 5. — s Ephe. 1. 3. & seq. t Coloss. 1. 13. — u de locis Heb. Hebræi per Christum suas preces terminabant. x Gen. 22. 14. — y vers. 11. z in Iob 38. v. 6. a Tom. 2. in Ezec. p. 2. lib. 3. disp. 2. c. 34. — b c. 8. 32. — c vers. 16. d vers. 16. e Rom. 9. 33. f in c. 28. Esa. — g Psa. 117. 22. h ibid. 23. — Ecclesia ex Sion emissa est. i Esa. 2. 3. k Psa. 109. 2. — l Psal. 2. 6.

cœna celebrata est. Laudatur multis elogiis ab eodem Dauid appellante *montem Dei, pinguem, coagulatum, in quo illi beneplacitum est Deo habitare* [a]. Etymon ציון *tsion*, est à ציה *tsaiah*, quod ariditatem significat. nam præ altitudine carebat aquis. Aliqui reddunt pro notione speculam [b]. Lege Villalpandum [c] nostrum de hoc monte, necnon de aliis intra ciuitatem Ierusalem, qui dicuntur Acra, vel Salem, & Moriah. Vocat Iosephus [d] Sionem forum superius. Agit idem etiam prior Auctor de Caluariæ monte, quia postea intra ciuitatem inclusus est.

Lapidem summum angularem.] Esaias: Εἰς τὰ θεμέλια Σιὼν λίθον πολυτελῆ ἐκλεκτὸν, &c. *In fundamenta Sion lapidem multo pretij, siue pretiosum, electum.* Interpres Latinus posuit ibi *probatum*, duntaxat pro duabus illis vocibus Græcis Hebraica bis repetita deinceps dictio אבן *eben*, indicat *pretiũ*, & בחן *bochan*, *electionem*. etsi alij vertunt lapidem arcis anguli פנת *pinnath* De lapide summo angulari dixi citato loco, quem alij explicant in summo, quidam in imo ponendum angulo. Chaldæa paraphrasis ita exponit: *Ecce ego cõstituam in Sion Regem, regem fortem, potentem, & terribilem, & corroborabo eum, & confortabo eum.* Tertullianus [e] Paulum intelligens, qui Christum nominat *summum angularem* [f] *lapidem*, inquit: *Vnde enim accepit summum angularem lapidem dicere Christum, nisi de Psalmi* [g] *significatione: lapis quem reprobauerunt ædificantes, iste factus est in summo anguli?* Thomas Anglicus notat, Petrum lapidem vocare summum, quia spiritualis ædificij fundamentum est in summo. Esaias [h], *in fundamentis fundatum*, quia terreni est in imo. At Esaiam Petrus intellexit loqui de spirituali. Caussam postea reddemus. In scriptura principes, reges, primores, vocantur anguli populorum [i]. Summum Latini quoque dicunt quod præcipuum, siue summo sit, siue loco imo, siue vltimo, siue primo. Sic Horatius [k]:

Prima dicte mihi, summa dicende camœna.

Etsi *summa* ibi vltimam significare possit.

Electum.] Est Christus *electus ex millibus vnus* [l]. Et Electorum, & prædestinatorum primus, in quo Electi, & prædestinati omnes, & quem capite priore [m] Petrus dixit *ante mundi constitutionem præcognitum.* Qua de re satis ibi dictum, nec non sub eadem voce Electi [n].

Pretiosum] Ἔντιμον *honoratum* quoque, quod idem epithetum fuit versu quarto, & attributum est sanguini Christi. Simile τοῦ τιμίῳ priore capite [o], & in pretio apud Patrem, in seipso, & in Electorum iustorúmque opinione. Idẽ lapis dicitur in summo cõstitutus loco, & in fundamẽto, quoniam in summo loco imi subiit officium fundamenti. Petrus vocauit summum hic, quem Esaias in fundamento fundatum. De eodem lapide est illud Zachariæ [p] templum spirituale opponentis materiali: *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum* (nempe redigẽris, vt ponantur fundamenta, & surgat fabrica templi) *& educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* (Hebr. *lapidem capitis, eruntque plausus, & acclamationes ei*) id est, ad culmen perducetur imposito summo lapide, & qui viderint, acclamabunt, *Gratia gratia illi, fausta scilicet omnia illi lapidi*, qui successit priori gratiæ, id est, pulchritudini, quasi dicat gratiam pro gratia [q] factam esse. Licet autem nulla domus constet duobus tantùm parietibus, tamen aptè angularis lapis dictus est propter Gentes, & Iudæos: tum etiam quia in tabernaculo duplex paries solùm notabilis erat magnitudine insignis, aquilonaris, & meridionalis, ad partem enim Orientalem erat velum: occidentalis paries paruus, & ad partem meridionalem altare cum duodecim panibus propositionis, referebat totidem tribus Iudæorum: ad aquilonarem candelabrum cum septem lucernis septem sacramenta Ecclesiæ, quæ ex Gentibus præsertim constat.

Qui crediderit in eum, non confundetur.] Sic apud Esaiam editio Septuaginta, vbi Interpres noster *non festinet*, quod etiã nonnulli Græci codices habent οὐ σπεύσει, quasi dicat, *Qui crediderit in lapidem illum Christum mysticum* formata, & viua fide, non trepidus fugiet לא יחיש *lo iachis*, *non festinabit*, non timebit: non sentiet, nempe quidquam mali: non festinabit vt citò velit impleri, quæ credit, nec despondebit animum, quia tandem non frustrabuntur, vel, non cõfundetur. Chaldaicè: *Iusti autem, qui crediderint hæc, cùm venerit tribulatio, non commouebuntur.* De confusione, quam vitabũt in iudicio iusti, relege, quæ dixi in Commentario epistolæ primæ Ioannis [r]. Qui confunditur, festinat quærendo latebras. Hispani quidem *correrse* dicunt, vt significent pudefieri. Ergo Christus Deus, vt argumentatur Cyrillus [s] Alexandrinus, quoniam nonnisi in Deum credere oportet, aut licet.

Vobis igitur honor credentibus, &c.] Tãtùm abest, vt confundatur credens in Christum, vt summo sit etiam honore afficiendus in iudicio vsque ad stuporem impiorum, vt vidimus capite quinto [t] Sapientiæ, & *honorificaturus illum sit Pater* [u], & *Filius confessurus sit illum coram Angelis Dei* [x]. Nam *gloria, honor, & pax omni operanti bonum* [y], atque incorruptio est gloria Beatorum: claritas etiam intrinseca implebit: implebit enim splendoribus animam [z] tuam (quæ simpliciter censeri potest consistens in clara notitia Dei) non tantùm extrinseca in corpore, quando fulgebit sicut sol [a]. Honor, *quo nimis honorificantur amici Dei* [b], est vocari, & esse filios eius, hæredes, conuiuas, quorum impij putabant finem esse sine honore [c], præterea honore inter se affici in ipso statu Beatitudinis, & his à viuentibus *pax exuperans omnem sensum* [d], est expletio cuiusvis desiderij, coniunctio intima cum Deo, cum reliquis, cum seipso, secura, & tranquilla possessio. Incorruptio, est immutabilis bonorum adeptorum perpetuitas. Per honorificum est esse nonnullum lapidem in eo ædificio, in quo Christus est summus angularis, nobilissimus lapis. Oecumenius præterea exponit de iis, qui credunt futurum Christum honorem, id est, pretiosum, qui videlicet nouerint eum saluatorem suum esse.

Non credentibus.] Ἀπειθοῦσι, *non obedientibus*, nempe fidei. Alij ἀπιστοῦσι, *non credentibus*. Locus quidem totus Esaiæ directò, ac per se de Iudæis intelligitur, *qui Christum reprobauerunt* [e], *& occiderũt, super se regnare* [f] *noluerũt, & congregari sub alas eius* [g], *& verbum Dei repulerunt: indignos se iudicantes æterna vita* [h], & ita inter alios exponit Augustinus [i]: de quibus vis tamen quoque non credentibus eidem sumi potest. Citat autem Petrus, vt prædixi, plura simul testimonia tum ex Psalmo CXVII. tum ex Esaiæ capite XXVII. & cap. VIII. perinde ac si esset vnicum. Id obseruari potest alibi factum. Nam copulat Marcus [k] verba Esaiæ & Malachiæ: Paulus [l] Esaiæ, & Oseæ, & duo Esaiæ [m]. Aliàs docui, assensum fidei obedientiam dici, quia nititur auctoritate reuelantis. Idcirco videri potest Abraham, qui maximè fuit

obe

a Psal. 67. 16. 17.
b Cyprian. de Sina & Sion. Aug. in Ps. 98.
c in appa. 2. vrbis p. 2. lib. 1. cap. 6.
d li. 6. de Bel. Iudai. c. 6.
e 5. cor. Mar. c. 17. *Christus cur lapis angularis*
f Eph. 1. 20.
g Psa. 117. 22.
h cap. 28. 16.
i Iudic. 20. 2. 1. Reg. 14. 38. Esa. 19. 13. Sopho. 3. 6.
k lib. 1. ep. 1.
l Eccl. 7. 29. Cant. 5. 10.
m vers. 20.
n ibid. vers. 4.
o vers. 19.
p cap. 4. v. 7. 9.
q Ioan. 1. 16.
r cap. 2. 28.
s lib. de incarnat.
t vers. 1. & seq.
u Ioan. 12. 26.
x Mat. 10. 32.
y Rom. 2. 10.
z Esa. 58. 11.
a Mat. 13. 43.
b Psa. 138. 17. *Honor quo honorificantur amici Dei quis sit.*
c Sap. 5. 4.
d Philip. 4. 7.
e Mat. 21. 38. 39.
f Luc. 19. 14.
g Mat. 23. 37.
h Act. 13. 46.
i ser. 100. de Temp.
k cap. 1. 2.
l 1. Cor. 15. 54. 55.
Assensus fidei cur obedientia dicatur.
m Rom. 9. 33.

obediens, scribi iustificatum ex fide.

Lapis offensionis, & petra scandali.] Ex Esaiæ capite octauo [a]: quod recitat quoque Paulus [b]. Ex triuio, viáque ductum prouerbium. Nam sicut lapis, & quidem paruus, quem præteriens in via, non aduertit, occasio casus est, iuxta illud: *Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum* [c]: Ita Iudæis Christus adueniens humilis, pauper, passibilis, fuit offendiculum, & vt Paulus etiam scribit *scandalum* [d], & vt Simeon Senex cecinit [e], *in ruinam* εἰς πτῶσιν. Sed scandalum fuit, vt vocant, passiuum: satis enim de tali aduentu præmonuerant Prophetæ, & plusquam propheta Ioannes Baptista viam Christo parans, & impedimenta huiusmodi prædicationis suæ remouens. Existimant aliqui, vt Toletus [f], lapidem quidem offensionis esse id, quod diximus de Iudæis, qui quoniam veram priùs fidem tenebant, & religionem, ambulare censebantur in via; sed petram scandali designare temporalem punitionem eorumdem, potissimùm per Romanos, quos Deus propter illorum incredulitatem, permiserit adeo vexari, *vt nec lapis super lapidem relinqueretur* [g] *in ciuitate Ierusalem.* Nam apud Esaiam [h] πέτρας & אבן *euen*, significare magnam petram, saxumque, in quod nemo propriè offendit, sed suo lædit casu, ruináve: λίθον, & צור *tsur*, de quouis lapide dici, etiam paruo נגף *negeph*, simplicem *offensionem, vel plagam*: מכשול *michsol*, *casum & ruinam*, quod L X X. reddiderunt πτῶμα, vt prius illud πρόσκομμα. Videtur Christus hæc innuisse dicendo [i]: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit lapis, conteret eum.* Fauet citato loco Esaiæ [k], quod subditur: *& offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur.* Verùm apud Matthæum non aliud nomen Græcum, quam λίθος, & Syrum כאפא *chipha*, quod Syrum nomen maximè dicitur de saxo, vel rupe: apud Paulum est λίθος, & πέτρα: sed Syriacè bis eadem dicta vox. Quare incertum ex vocabulis argumentum, licèt in præsenti hoc nostro loco sint diuersa illa duo Græca, & Syra כאפא *chipha*, & אבנא *auna*, & quamuis res ipsa vera sit de duplici modo, quo puniuntur increduli à Christo, vel dum sinuntur hic scandalizati in Christo paruo: vel dum ab eôdem dirè crucientur iam suscitato, & in cœlis triumphante: multóque dirius à venturo iudice cruciabuntur, vt indicat Augustinus [l]. Lege quæ dixi capite quarto Actuum Apostolorum [m], & aliorum citatorum locorum expositores, nec non Lucæ [n] 2. vbi Simeon dixit *positum Christum in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* Tertullianus [o] positum exponit Christum à Patre in lapidem offensionis, & petram scandali. Vitio fit nostro, si nobis Christus petra scandali sit: siquidem fidelibus, ac modestis efficitur *tamquam herinaciis petra refugij* [p], pacem amantibus angularis & ædificium cœleste connectens [q]: *sitientibus petra spiritualis* [r], ex qua largissimæ profluunt aquæ [s].

His qui offendunt verbo.] Οἱ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ. *Impingunt in verbum, & sermonem*, illo offenduntur, & scandalizantur, id blasphemant, & malè de illo loquuntur, doctrinam Christi oppugnant, aut Christum ipsum, qui dicitur Verbum. Non tamen offendere verbo, vt Hugo, Thomas Anglicus, Glossa Interlinearis, Lyranus, & Carthusianus præ se ferunt, est verbo peccatum committere, sed in, seu circa verbum; & quidem potius circa verbum doctrinæ, quàm Verbum increatum. In epistola Pauli ad Romanos [t] Interpres vertit *offenderunt in lapidem offensionis*, quod est Græcè προσέκοψαν τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος: & in euangelio Matthæi [u]: *irruerunt in domum illam*, προσέκοψαν τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ. At in epistola [x] Iacobi additur præpositio, *qui non offendit in verbo.* Sed est aliud verbum πταίειν. non satis Latinè offendendi verbum datiuo casui.

Nec credunt, in quo & positi sunt.] Ἀπειθοῦντες, *non obedientes*, impersuasi, increduli, alij ἀπιστοῦντες, Εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν, Syriacè, *& offendũt ad eam* (petram) quòd non acquiescant sermoni, in quem positi sunt. Aliquot codices Latini, *in quod*, sicut meminit etiam Beda, qui præfert nostræ lectioni, postque ipsum Lucas Brugensis, etsi fatetur Interpretem non raró sextum casum quarti loco *in* præpositioni dare. Sensus autem iuxta editionem Syriacam est, positos esse illos in sermonem, vt nẽpe audirent, & obedirent ei, & hunc esse finem hominis. Lyranus, Carthusianus, & Caietanus accipiunt de Iudæis, quibus propterea data fuerit lex, vt disponerentur ad Christum, *& ea vterentur sicut pædagogo* [y] *ad ipsum*, ipsíque venienti, ac prædicanti crederent. Glossa Interlinearis, Hugo Thomas, & Feuardentius interpretantur, positos Iudæos, aliósve homines in verbo, vel verbo prędicationis percipiendo, & credendo, vel Verbo increato, vt quemadmodum in eo est *quiuis homo, viuit, mouetur* [z], sic eidem per confessionem iudicij voluntatísque coniungatur, & inhærescat: denique ordinatus à Deo est quilibet ad vitam æternam, sed ea se per propriam culpam reddit indignum, vt obseruat Catharinus.

Gregorij Primaticcij, qui allaros dicendi non respuit modos, planè singularis expositio, nec admodum probabilis est, vt dicãtur ij, qui non credunt verbo, seu prædicato, seu increato, esse in verbo positi, hoc est in increato qui est Christus tamquam sub fundamento, quia scilicet conculcati, & depressi, & cõdemnati sint, quasi dicas obteri, & confringi. Quartum tradit Arias sensum, vtrosque non modò qui non credunt, sed & qui credunt, positos esse in eodem lapide; istos in salutem, illos in offensionem, quas appellauit Simeon [a], *resurrectionem, & ruinam.* Atqui nimis longè abest lapidis mentio, & præsens videtur tantùm attingere non credentes sententia.

Vltimus assignatur à Didymo, & Oecumenio, quos Gagneius, Lucas Brugensis, & Salmeron sequuntur: illos, qui per incredulitatem in euangelicæ prædicationis verbum impingunt, ad sic impingendum positos & constitutos esse iudice, ac permittente Deo, dum huiusmodi sortem sua sibi peruersitate meruerunt: ad eum modũ, quo Paulus [b] tradidisse scribit *aliquos Deum in desideria cordis eorum, in passiones ignominiæ, in reprobũ sensum* Cui dicendi modo similes alij: *In* [c] *hoc ipsum excitaui te* (in Exodo *posui* [d]) vt ostendam in te virtutem meam. Item. *Non* [e] *posuit nos Deus in iram: sed in acquisitionem salutis.* Præterea; Ipsi [f] enim scitis quòd in hoc positi sumus. Habet hæc expositio parẽ ferè cum prima probabilitatem. Itaque nõ credentes damnantur, quia recedunt ab eo, ad quod facti sunt, & positi: vel propter præcedentia peccata posuit illos Deus in hoc, vt non crederẽt, quamuis ad credendum gratiam sufficientem non negauerit. Attamen Augustini [g] verissima sententia. *Noli putare, quia Christianus vocaris, ideo te non* posse offendere in lapidem offensionis, *cuius gratiæ derogas. Minus est offendere Christum in cruce pendentem, quàm in cœlo sedentem.* Ambrosius [h] acutè in alium

sensum

[a] vers. 14. [b] Rom. 9. 33. [c] Psa. 90. 12. [d] 1. Cor. 1. 23. [e] Luc. 2. 34.
Christus fuit Iudæis scandalum, sed passiuum.
[f] in c. 9. ep. ad Rom. annot. 34. & in c. 2. Luc. ann. 34.
[g] Luc. 19. 44. c. 21. 6. Mat. 23. 2. [h] cap. 8. 14.
[i] Matth. 21. 44. [k] cap. 8. 15.
[l] serm. 4. de verb. Dom. & in Psa. 45. [m] vers. 11. [n] vers. 34.
[o] 3. con. Marc. c. 7. & lib. 4. c. 35.
Si Christus sit nobis petra scandali, vitio nostro fit.
[p] Psa. 103. 18. [q] Ephe. 2. 20. [r] 1. Cor. 10. 4. [s] Num. 20. 11.
[t] cap. 9. 32.
[u] cap. 7. 25. [x] cap. 3. 2.
[y] Gal. 3. 24. [z] Act. 17. 28. [a] Luc. 2. 34.
[b] Rom. 1. 24. 25. 28. [c] Rom. 9. 17. [d] cap. 9. 16. [e] 1. Thess. 5. 9. [f] cap. 3. 3.
[g] serm. 15. de verbis Apostoli.
[h] in Psa. 40.

sensum bonum detorquet casum lapidis, quem interpretatur esse Christum: super alios, qui sint retro ipsum, vt nempe saluet illos. Tum citat ex Luca [a], *omnis qui super hunc lapidem ceciderit, conquassabit eum: supra quem autem ceciderit, emundabit eum:* vel iuxta lectionem aliam, *ventilabit eum, vel comminuet. Qui enim*, inquit, *ventilat frugem, mundat à paleis: qui comminuit aliquid, in puluerem redigit, vt mollitia pulueris vel poculo salubri, vel reliquo medicinæ vsui sine vlla perturbatione proficiat.*

a cap. 20.

Vers. 9.] Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annũcietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.

REdit ad credentes, ornátq; iisdẽ ferè laudibus quib[us] versu quinto, ex quo peti etiã poterũt, quæ ad præsentis intelligentiã faciunt: tũ illud vt nõ de solis loquatur ex Iudaismo, sed etiã ex Gẽtilitate Christianis: quãuis verbis vtatur, quę olim de Iudæis pronũciata sunt, cùm nominati *peculiũ Dei de omnibus gentibus, ac populis* [b], regnum *sacerdotale, gens sancta, quando populum se illum Deus formasse sibi dixit, qui laudẽ ipsius narraret* [c], *cum Iacob non inuocasset eum, nec laborasset in ipso Israel*, &c. Sed *seruire eum fecisset in peccatis suis, & præbuisset ei laborem in iniquitatibus suis*: sub nomine bestiæ agri, draconum, & struthionum, quę sunt potatæ aquis productis à Deo in deserto, intelligit Gentiles.

b Exod. 19. 5. 6. Deut. 7. 6. ca. 14. 2. ca. 26. 17. 18. 19. c. 29. 13. c Esa. 43. 21. 22. 24.

Genus electũ.] Nemo prior elegit Deũ, teste Christo [d]: tamẽ electus eligere dicitur, dũ eligenti respõdet [e], & oblata salutis media amplectitur. Plura capite [f] priore, legendúsque Ambrosius [g], vel potius Prosper, quo pacto locus hic electioni cõgruat prædestinatorum. Clemens [h] Alexandrinus ex hoc toto hominis Christiani encomio argumẽtatur, nõ debere nos, ne aures quidẽ stopri, fornicationisve sermonibus inquinare, immò & ex imagine Dei quã gerimus. Hortatur itẽ Hilarius [i] omnes ad modestiã, & humilitatẽ deposito fastu, qui ex opinione carnalis nobilitatis concipitur, quoniã omnes genus electũ sumus, & adeo videlicet electi, quàm solet in regibus atq; Sacerdotibus eligendis haberi magna ratio. Didymus hoc ex loco reprehẽdit Manichæos, qui malas naturas quasdam affirmabant: nam quod eligitur, inquit, nõ ex natura, sed virtutis munere possidetur.

Nemo prior Christum eligit, sed ab illo eligentes, quia eligenti respondet. d Ioan. 15. 16. e Deut. 26. 17. f vers. 2. g 1 de vocat. Gentium c. 3. & 5. h orat. adhort. ad Gent. i in Psa. 118.

Regale Sacerdotium.] Βασίλειον ἱεράτευμα. Elegãter Græci abstracte enũciãt: vt pro σοφιστὴς, σόφισμα πάλαισμα pro παλαιστὴς, & similia, sicut obseruauit scholiastes Athenæi [k]: qui pręter hęc & alia exempla, hoc etiam profert. Syriacè דמכהנא למלכותא *damchahana lemalchutha*, quod fungatur Sacerdotio ad regnum. In Exodo [l] sunt eadem vocabula Græca, pro quibus Interpres: *eritis mihi in regnum Sacerdotale* Hebraicè, ממלכת כהנים *mimleceth chohanim, regnum Sacerdotum*. Chaldaicè: *Eritis coram me reges Sacerdotes*, מלכין כהנין *malchin chahenin*. Quocirca superflua videtur annotatio Hugonis, & Thomę Anglici, regale Sacerdotium hîc dici ad innuendam prærogatiuam Noui Testamenti respectu veteris, quoniam in Nouo Sacerdotium præemineat regno, sicut spiritus corpori. Secutus est Primaticcius eandem sententiã, dicens in Vetere Testamẽto regalem dignitatem Sacerdotali superiorem fuisse. Explicat verò totum locum de propriè dictis Sacerdotibus nostris, vt sint genus electum, quia non debent se ingerere per potentiam, nobilitatem, simoniam, sed

k Casaubonus in lib. 1. c. 3. l cap. 19. 6. *Regale Sacerdotium quid sit.*

eligi à Deo, & rite ordinari; regale Sacerdotium, propter spiritualem consecrationem, & vnctionem ad consecrandum Christi corpus, & ministrandum res sacras, necnon ob coronæ formam in rasura capitis, vt Isidorus [m] obseruauit, regẽdi, atque clauium potestatem, decimarum, tamquam tributorum receptionem: gentem sanctam, quia sancta tractantes decent sanctiores mores: populũ acquisitionis, vt annuntiẽt virtutes Dei gratias ei agẽdo pro beneficiis populo collatis, & eidem populo prædicãdo, & eũdem hac ratione Deo acquirendo populum Dei, cùm priùs esset nõ populus Dei, ob perfectionis, ad quẽ vocati sũt, statum.

m 2 de Offic. Eccle. cap. de Tonsura.

Nihil obstat concedere de vero Sacerdotio, cui quadam ratione cõueniat regis dignitas, esse sermonem, sed ita, vt sensus sit, in Ecclesia reperiri apud aliquos, non apud omnes, quemadmodum pridem ante dixi. At non arbitror distinctionem esse seu regale Sacerdotium, seu regnum Sacerdotale dicamus, vt voluit tamen etiam Salmeron, Catharinus, & Feuardentius; quidquid sit, an in vetere Testamento maior esset regia dignitas, quod minimè concedo. Nam Petrus, vt solet ipse, aliique Apostoli, verbis vsus est ex editione LXX. quæ ante retuli.

Eodem pacto Ioannes in Apocalypsi [n] scribit, *Fecit nos regnum, & Sacerdotes, vel reges*, &c. regnũ: vt in nobis regnaret Christus cum Patre & Spiritu sancto, vt ait Ambrosius [o]: reges, vt soli Deo pareamus, & quibus vult, nos etiam parẽre propter ipsum: Sacerdotes, tom quia membra Christi Sacerdotis ex ordine Melchisedec [p]: tũ propter spiritualia sacrificia, quæ offerimus, de quibus antea egimus [q]. *Dispono vobis regnum*, inquit Christus vnctus Rex, Sacerdosque Christianis vnctis suis, *sicut Pater meus disposuit mihi.* Ad regnum vocati sumus, & Christi sumus, inquit hoc loco Clemens Alexandrinus: Sacerdotes etiam per oblationẽ, quæ fit orationibus, & doctrinis, quibus acquirũtur animæ, quæ offeruntur Deo. Nec melior aliorũ expositio. βασίλειον ἱεράτευμα denotare Sacerdotium, quod sit Regis Dei: vel quod sit eximium, ita vt regale dicatur, quod est tale.

n cap. 1. 6. ca. 5. 10. *Quomodo simus regnum, & reges.* o ibidem. p Psal. 109. 4. Heb. 5. 6. 7. 17. q Luc. 22. 29.

Regiam dignitatem, quæ nonnumquam apud aliquas gentes cum Sacerdotali tẽporaliter fuit coniũcta, (vt in Machabæis) in Sacerdotibus nostris ratione quadam peculiari, multò autem magis in summo, agnosco, sed per se spiritualẽ, temporalem non ita directè, verùm quatenus ad spiritualem necessaria est, vt alibi demonstratur, & hoc ipso loco notant Caietanus, Catharinus, & Salmerõ, qui affirmant, Papam esse regem spiritualem, atque, vt de se Christus profitebatur [r], *nõ ex hoc mundo*, & Caietanus ei suapte natura conuenire præesse regibus omnibus, relatiuè autem ad spiritualia, de eis disponere.

Papa rex est spiritualis. r Ioan. 18. 36.

Rectè simul monet Catharinus, meritò vti Papam, & ceteros Prælatos, aliquo splendore dignitatis secularis, ne redeat pristinum crucis scãdalum, & reddantur contemptibiles his ornamẽtis destituti: sed moderatione opus esse, vt & occasio auferatur malignis detrahendi de nimia tẽporali pompa, & infirmioribus contemnendi. Lege quæ hac de re dixi in Historia Apostolica [s]. Gelasius Papa [t] hac de re disserit egregiè, docens ante Christi aduentũ fuisse nonnullos pariter reges, & pariter Sacerdotes, vt Melchisedec: Diabolũ id in suis imitatum, scilicet in Romanis Imperatoribus, qui simul Põtifices Maximi dicebãtur: *Sed cum ad verum ventum est eundem Regem, at-*

Papa & Prælati aliquo externo splendore vtuntur. s cap. 2. t de vinculo anathe.

que

que Pontificem (Christum) vltra sibi nec Imperatorem Pontificu nomen imposuisse, (aliquandiu tamen id iustis de causis Constantinus ipse, aliique fecerunt, donec senatus constabat pluribus Idololatris) *nec Pontificem regale fastigium vindicauisse: & quamuis membra Christi secundum participationem naturæ vtrumque sumpserint, vt hic dicitur, in sacra generositate: tamen Christum memorem fragilitatis nostræ, officia distinxisse, & voluisse Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigere, & Pontifices pro temporalium rerum cursu imperialibus dispositionibus vti, vt & modestia vtriusque ordinis curaretur, ne extolleretur vtrôque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.* Hæc sanctus, doctúsque Pontifex in compendium redactus.

Pontificibus reges indigent, & hi illis.

Maior aliorum pars expositorum, nec non & Patrum, quos attulimus versu quinto, intelligit etiam singulos Christianos quadã ratione Sacerdotes, regésque dici posse, videlicet inter alias causas ibi assignatas, *quoniam*, vt ait Leo [a], *nihil tã regium, quàm subditum Deo animum* (seruire autem Deo regnare est) *corporis sui esse rectorem: nihil tã Sacerdotale, quàm vouere Domino conscientiam puram, & immaculatæ pietatis hostias de altari cordis offerre.* Pari modo Ephrem ait [b], pœnitentiam Christiano esse pro multiplici oblationũ, & victimarum Iudaicarum genere, dũ seipsum offert pro seipso, Deũ placat, ex corde orat. Fascia porro, qua Chrismate inunctæ in Sacramento Confirmationis frontes velantur, diadema quodãmodo regium refert; ita vt hoc etiam pacto rex regũ Christus vocari possit, & dici esse ipsi populũ principũ spontaneorũ, quod Hebraice dici videri potest Psalmo 109. [c] pro eo quod legimus, *tecum principium*: & præterea idcirco toties Ecclesiam nominet Christus regnum Dei atque cælorum, id est, prorsus eximiũ.

a Serm. 3. in anniuers. die suæ assumpt.
b tom. 3. serm. de Pœnit.
c vers. 3.

Gens sancta.] Propter doctrinam, Sacramenta, sacrificium, religionem sanctam, & rectorem Ecclesiæ Spiritum sanctum, caput Christum, & dona virtutum sanctificantium, quæ nulli extra Ecclesiam habent, & non pauci intra ipsam iis præditi sunt, vt aliàs notatũ est; deniq; professionem vitæ, ac morum sanctorũ, & quia Deo dicata est.

Populus acquisitionis.] λαὸς εἰς περιποίησιν, quem multò emit, redemitque Christus, nõ qui, vt perperã vertit Erasmus, & explicat Vatablus, accessit Christo in lucrum, nẽpe acquisiuit sanguine suo, vt antè declarauimus [d], atque in Commentario Actuum Apostolorum [e] כנשׁא פריקא *chensa perika, Cœtus & congregatio redempta.* Paulus simili ratione describit [f], vocãs Spiritum sanctum *pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis*, εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως: dicens [g] *non posuit nos à Deo in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum: qui mortuus est pro nobis: non subtractionis filios in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ* [h]. Appellat etiam hanc acquisitionem gloriæ Christi [i], vnde nimirum Christus magnam sibi gloriam comparauerit, ita vt nouo titulo, qui iam totius erat rerũ vniuersitatis, euaserit generis humani dominus. Hæc pars Christi, ait Bernardus [k], quam tulit de manu Amorrhæi (qui amarum ac rebellem sonat, nempe Diabolum) in gladio prędicationis, & arcu [l] incarnationis. Ideo cariores nos illi, quia caro ei constitimus. Sic videmus non tam lætari reges, quòd hæreditariæ ditionis domini dicantur, quæ nullo iis pretio, nullo negotio, & labore obuenerit, quàm si propria virtute, industriáque adiunctam prouinciam Acquisitoris, vel Conquisitoris, vel Redemptoris nomine valeant insigniri. Hoc sibi Conquisitoris nomen in Hispania Petrus Rex cognomento Crudelis, in Normania, Angliáque Gulielmus Nothus gloriosè asciuerunt.

d cap. 1. 19.
e Act. 20. 28.
f Ephes. 1. 14.
g 1. Thess. 5. 9. 10.
h Heb. 10. 39.
i 2. Thess. 2. 14.
k in sentent.
l Gen. 48. 22.

Etsi verò haud ita vice versa videri gloriosum solet apud homines, vt ipsi, eorúmve regio denominentur ex eo, quòd alios acquisiuerit, videlicet regio acquisita, homines acquisiti, quoniã vinci, & subdi turpe censetur; tamen cedit in eximiam gloriam nostram, quòd *qui re nulla eget Deus*, suæ ipsius vitæ, sanguinisque pretio nos sibimet comparare dignatur, ex quo maxima vitãtur à nobis mala, maxima nobis proueniunt bona: quemadmodum gemma si ratione prædita esset, mirificè gloriaretur, si pretio integri regni empta esset. Quocirca nullum nobilius nomen, quàm vt appellemur *populus acquisitionis*, id est, vt exponit Glossa, sanguine Christi respersus, vel redemptus à Domino. Immo si credimus Isidoro [m], sanctus à sanguine dicitur, eo quod hi, qui purificari volebant, sanguine hostiæ tingebãtur. Hoc si esset, rectè post gentẽ sanctã positus fuisset hoc loco populus acquisitionis: quẽadmodum apud Esaiã [n] prædicitur vocandum *populum sanctum, & redemptos à Domino, quæsitam ciuitatem, & non derelictam.* quæsiuit enim bonus Pastor ouem dispersam, ac perditam [o], & imposuit in humeros suos gaudens [p]. Istam nonnulli [q] inter alias causam volũt esse, cur appelletur Ecclesia sancta, quia sanguine Christi acquisita, & inuncta. Empti *pretio tanto glorificemus, & portemus Deum in corpore nostro.*

Gloriosum est à Christo victum esse.
m 10. Etymol. lit. S.
n cap. 62. 12.
o Ezech. 34. 11. 16.
p Luc. 15. 5.
q Valentia. tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 7.

Porrò Augustinus [r], & Ambrosius [s] recitantes hunc locum, legunt *populus in adoptione.* At nõ ea est vocis Græcæ περιποιήσεως notio, sed quam Interpres expressit, cui similis, vt dicatur *vindicatio, assertio in libertatem*, &c. Simplex autem adoptio nõ satis explicat pretium, aut laborẽ, quo quis vindicat, asseritq; alium in libertatẽ. Significat præterea tuitionẽ, seu tutationem, & conseruationẽ. In epistola ad Ephesios [u] quod legimus *in redemptionẽ acquisitionis*, vet[9] editio habebat (adoptionis) fortassis pro (adeptionis) quæ idem est ferè atque acquisitio, & ab aliis vertitur, *in redemptionem acquisitæ possessionis.* est autem ibi etiam περιποιήσεως.

r 1. Cor. 6. 20.
s 1. de Peccato. merit. c. 27.
t in Psal. 118. Octon. 6.
u c. 1. 14.

Vt virtutes annuncietis.] Regum, & Sacerdotum est cõcionari, flectere populos, animas mulcere, quoniam vita fundati, & verbo debent esse, nec in actu redargui, vel sermonib. timẽr, inquit idẽ Ambrosius [x]. Tot enumerata prius beneficia eò tẽdunt, certè id exigũt, vt Deum celebremus, *narremusque nomen eius fratribus nostris, atque in medio Ecclesiæ laudemus illum* [y]. Nã populus qui creabitur spiritualiter, & genitus verbo vitæ [z], ac veritatis, tãquam *initiũ, & primatus quidam creaturæ eius* [a], vel primitię ἀπαρχή, laudabit Dominũ [b], quippe *apud eum laus nostra* [c]. παρ' αὐτῷ ab ipso, quia laudis ipse materia, propter tam ingentia beneficia, quæ contulit: & quoniam ipse formauit nos populum sibi, vt laudem illius narraremus [d], *& hac laude infrænauit, ne interiremus* [e]. Curatum à Dæmone (quod symbolum est iustificationis) iussit Christus annũtiare, quanta illi fecisset Deus [f]. Raphael monuit familiã Tobiæ, pro tot muneribus *benedicere Deum cæli, & coram omnibus* viuentibus confiteri illi [g]. Rursum Christus reprehendit ingratos leprosos nouẽ, qui cùm essent mũdati, *nõ sunt reuersi, vt darent gloriam Deo* [h]. Effrenes meritò tales appellãtur, nec de numero illorum, quos *infrænat laude Deus sua* [i], id est, tot beat donis, vt in eius prorũpant laudes. Lege Ber-

Regum & Sacerdotũ est concionari.
x supra.
y Psal. 21. 23.
z 1. Pet. 1. 23.
a Iacob. 1. 18.
b Psal. 101. 19.
c Psal. 21. 26.
d Esa. 43. 21.
e cap. 48. 9.
f 1. Mar. 5. 19.
g Tob. 12. 6.
h Luc. 17. 18.
i Esa. 43. 9.

uardum [a]. Summum Sacramentum appellatur ΕΥΧΑΡΙΣΤΙ'Α, quia inter alias causas, ad agendas Deo gratias institutum est, atque maximas vires communicat ad liberè promendā ore Fidei confessionem, quæ quādoque necessaria est ad salutem [b], quidquid contra senserint Elcesaitæ, Priscillianistæ [c], Bogomiles [d], Anabaptistæ [e], Libertini [f], contenti sola interna fide [g]. Adeo fortes Martyres vidit paulo antiquior Ecclesia, & numero penè innumerabiles, quando panis ille frequentabatur quotidie, *qui cor hominis cōfirmat* [h]. Hanc Fidei confessionem, cùm se offert occasio, tenentur omnes habere: diuinas quoque laudes pro Eucharistia debent omnes celebrare, ac Domini mortem annunciare [i], καταγγέλλειν. Sed hoc maximè officiū sacrorum ministrorum est, qui solemniter quoque, ac publicè persoluūt Canonicas horas siue priuatim, siue in Choro. Cunctis incumbit gratum erga Deum animum gerere, gratiásque pro cunctis, præsertim pro supernaturalibus referre beneficiis. Nō omnium est publicè prædicare, quod pertinet ad munia hierarchica, ideóque nihil hinc habent Hæretici dudū ante confutati, vt probent nullum esse Ordinem hierarchicum à Laicali distinctum.

Allodit Petrus, vt notauit Beda, ad Canticum Hebræorum [k]: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est*, &c. quod cantauerunt, postquam liberati sunt ex Ægypto, & mare Rubrum transierunt. Ad eundem modum princeps Apostolorum vult, vt liberati de diabolica seruitute per aquas Baptismi, assiduè cantemus Canticum gratiarum actionis, & laudemus potentiam Redemptoris: quin etiam, quod Oecumenius docet, vt id bonis faciamus operibus, vitáque nostra sit quasi quædam cōtinua concio Gentilibus, qui [l] *videntes opera nostra bona glorificent Patrem*: mulieres ipsas, quibus docere non permittit Paulus [m], docere tamen ait *pietatem promittere*, ἐπαγγέλλεσθαι *annunciare* per opera bona [n].

Virtutes.] Τὰς ἀρετὰς. Syriacè, תשבחתה *theibechatheh. Gloriam siue laudem eius*, quæ scilicet virtuti propriè debetur, & ob quā Deus maximè laudandus, non solùm propter potentiam, quæ vocatur δύναμις. Eluxit videlicet in opere nostræ redemptionis sapientia, charitas, misericordia, iustitia, patiētia, humilitas, omnis denique virtus. In Testamento Nouo bis adhuc voce ista Græca Petrus [o] vtitur, semel Paulus [p], præterea nullus. Inde artis deriuatum nomen [q], Augustinus testis est, ac Donatus [r]. Itali virtuosum vocant etiam versatum in honestioribus artibus, vt cantandi, pulsandi, pingendi, scribendi, &c. Recta etymologia Grecę vocis ab ἄρης, Mars, indicat potissimùm conuenire virtuti bellicæ & fortitudini: sicut & notatio virtutis à viro. Enituit profectò eximia fortitudo in inimicorum redēptione, in victoria de Diabolo, Morte, Peccato, Carne, Mundo, &c. per tot supplicia, & mortem. Virtutem hîc in numero singulari legit Petrus Damianus [s]. Nihilominus nomen istud aliquādo pro præstātia, & potentia sumitur: & ita sumi hîc potest, vel pro gloria, & existimatione, quæ notio à Suida traditur.

Qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumē suū.] Admirabile redemptionis, atque iustificationis nostræ opus aptissimo luminis exprimitur vocabulo, quòd lumē inter corporeas qualitates primatum obtinet, vt aliàs diximus. Tali quoque Sermone M. Tullius [t] Deiotarum dixit familiam cuiusdam abiectam, & obscurā è tenebris in lucem vocasse. Græci baptismum nominãt φωτισμὸν *illuminationem*, illuminandíq; verbo, seu illuminatorum participio Paulus [u] vtitur ad idem propositum. Allusit fortassis Petrus ad Esaiæ verba [x]: *Tenebræ operient terram, & caligo populos; super te autem orietur Dominus.* Lumen Fidei, & alia Intellectus dona supernaturalia, & id quod gloriæ cognominatur lumen, per quæ lumina omnia videntur, & *consideramus mirabilia* [y], *& mirabilis Deus ipse* [z], *habitans lucem inaccessibilem* [a], *illuminans mirabiliter à montibus æternis* [b], *nec enim cognosci possunt in tenebris mirabilia eius* [c].

Vitia Intellectus propriè tenebrarum nomine significantur: tamen illa quę appetitus sunt, idem nomen habent aliquando, propter dependētiam huius facultatis à facultate cognoscēte, & ob deformitatem, quam tenebræ ipsæ vidētur importare. Iudæorum lex obscurior erat, & adumbratio nouæ: sed non meræ tenebræ, sicut Gentilium infidelium. Idcirco spectant verba ista ad vtrosque quidē; verumtamē magis ad posteriores, ad quos etiam propterea scriptā epistolam in Præfatione docui. Cyrillus Alexandrinus [d] probat Christum esse verum Deum, verámque lucē [e], neque conuenire id creaturæ, vt vera lux dicatur, quoniā si lux ipsi naturaliter, ac verè essemus, non essemus vocati quasi è tenebris ad lucem, qui nūquam in tenebris fuissemus. Igitur propriè atque verè Lux Filius est, qui ad se vocat: creatura verò Lucem participans, substātialiter illi nullo modo cōiungitur. Hoc ferè modo ille: vbi pluribus aliis scripturæ testimoniis idē confirmat. *Vt Filij ergo Lucis* (increatæ) *ambulemus, qui fuimus aliquā do tenebræ* [f]: *abiiciamus opera tenebrarum, induti arma Lucis* [g]: *sic luceat Lux nostra* [h], vt admiratione perculsi alij, glorificent *Patrem luminū* [i]: & perculsi radiis lucis nostræ tenebras ignorantiæ, ac peccatorum suorum deprehendāt, & abstergant, accedendo ad Deum vt illuminentur, neque confundātur [k] (ob turpitudinem sordium illatū) oportet nos sine querela esse, & simplices Filios Dei *qui Lux est* [l], qua qualitate nulla purior, nulla simplicior, sine reprehensione (Lucem enim damnat nemo, nisi cui caligant oculi) in medio nationis prauæ & peruersæ, tum inter Gentiles, si cōtingat apud illos versari, tum inter nos (quibus mali permixti) vt *inter eos luceamus* (Syriacè *spectemur*) *sicut luminaria in mūdo* [m]. Spectare porrò vidētur potissimùm ad conuersos ex Gentilibus quæ hîc dicuntur: quoniam Christū Simeon cecinit *lumen ad reuelationem Gentiū* [n]: Attamen etiam ad Iudæos pertinet illud, *Surge* [o], *& illuminare Ierusalē: populus* [p] *qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnā: lux* [q] *in tenebris lucet*, &c. *Lux* [r] *venit in mundum, & dilexerūt homines magis tenebras quàm lucem.*

Vers. 10.] Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

EX Osea propheta [s] mutuatus est Petrus hunc locū, sicut & Paulus [t]. Oseas ex vxore fornicationū filiā vnam suscepit, cui nomen imposuit *Absque misericordia* [u], & aliam, quam vocauit, *Non populus meus*: dixit verò illi Deus: *Miserebor eius, quæ fuit absque misericordia: & dicam non populo meo, Populus meus es tu* [x]: Et erit in loco, vbi dicetur eis: *Non populus meus vos, dicetur eis: Filij Dei viuentis* [y]. Ostendit noster Ribera [z], Prophetam loqui de Gētilibus, ac de iisdem Apostolos: & probat par-

tim

a Serm. 12. in Cant. *Eucharistia est summum Sacramentum.*
b Rom. 10. 10.
c Zonar. Alexio.
d Aug. de hæres. lib. 1. 70.
e Stapilus in epitome Theol. Lutheri, Par. 3.
f Caluin. lib. con. eosdem.
g Euseb. 6. Hist. c. 28.
h Psal. 103. 15.
i 1. Cor. 11. 26.
Cunctis incumbit gratias Deo agere.
k Exod. 15. 1.
l Matth. 5. 16.
m 1. Cor. 14. 34. 1. Tim. 2. 12.
n ibid. 10.
Virtutes quæ eluxerunt in opere nostræ redemptionis.
o 2. ep. 1. 5.
p Philip. 4. 8.
q 4. de Ciuit. cap. 21.
r In Andriam Terentij.
s Serm. 10. de Cœna Dom.
Redemptionis & iustificationis nostræ opus, cur lumen dicatur.
t Orat. pro Deiot.
u Heb. 6. 4 c. 10. 32.
x cap. 60. 2.
y Psal. 118. 18.
z Psal. 67. 36.
Psal. 92. 4.
a 1. Tim. 6. 16.
b Psal. 75.
c Psal. 87.
d lib. 1. in Ioan. cap.
Christus vera lux & verus Deus.
e Ioan. 1.
f Ephes. 5. 8.
g Rom. 13. 12.
h Matt. 16.
i Iaco. 1.
k Psal. 33. 6.
l 1. Ioan. 1. 5.
m Phil. 2. 15.
n Luc. 2. 32.
o Esa. 60. 1.
p cap. 9. 2. Matth. 4. 15.
q Ioan. 1. 5.
r c. 3. 19.
s cap. 1. 6.
t Rom. 9. 25.
u Osea 1. 6.
x ibid. 9.
y ibid. c. 2. 23. 24.
z ibid. c. 1. 10.

tim auctoritate, non solùm Hieronymi, & Cyrilli in Oseam [a], sed etiã Chrysostomi [b], Theophylacti [c], Theoduli [d], Occumenij [e], Ambrosij [f], Anselmi [g], Augustini [h], Prosperi [i]: partim ratione, quia Iudæi non sunt vocati, *Non populus meus*, donec Christi, & Apostolorum prædicationi obstinate restiterunt, siquidem Hebræi eiecti in Babylonem appellabantur adhue populus Dei, necnon post reditum ex captiuitate, vt liquet ex Cãtico Zachariæ patris Ioannis Baptistæ [k], & Simeonis [l], & ex verbis ipsiusmet populi dicentis, *quia Deus visitauit plebem suam* [m], &c.

Præterea docet, quãuis per duos filios ex fornicaria, & per filium Oseę intelligantur decẽ tribus, tamẽ sub harum typo intelligi debere Gentiles, & allegoricum illum sensum ab Apostolis ipsis, scriptisque eorum sacris approbatum, non minorem vim habere ad cõfirmationem dogmatum, quàm litteralem. Addit posse quoque litteralẽ haberi de Gentilibus, ita vt dicti filij nõ modo Tribuum, sed etiam illorum signum fuerint, in eo videlicet, quòd Gentilium captiuitas penes potestatem Diaboli diu duratura erat vsque ad prædicationem Euangelij, quod pertinet ad primum filium: & in eo, quod vsque ad idem tẽpus futuri erant absque misericordia, & vocãdi, *Non populus Dei*, quod spectat ad Filiam, & ad alterum Filium.

Adhæc monet Apostolos, dum de Gentilibus vsurpant Oseę locum, de decẽ quoque Tribubus intellexisse, quæ peccatis, ac Idololatria ipsorũ se implicauerant. Eandem sententiam sequitur Leo à Castro in Oseã, qui Tertullianũ [n] citat dicentẽ, *vbi Deus Christo dedit Gentes hæreditatem, & possessionem terminos terræ* [o], *cœpisse expungi, id est, adimpleri, quod dictum est per Oseam: Non populus meus, populus meus: & non misericordiam consecuta, misericordiã consecuta*. natio scilicet, &c. Affert item Cyprianũ [p], & Hieronymum [q]. Adiice adhuc Cyrillum [r] Alexãdrinum, & Irenæum [s] & Bedam, Glossam Ordinariam, Lyranum, Hugonem Carthusianum.

Potest hinc porrò colligi, non pertinere ad populum Dei solos Prædestinatos, immò nec istos, dum adhuc sunt infideles, vel hęretici, quatenus nempe populus hic Dei significat cœtũ, seu Ecclesiam visibilẽ, & externam: quemadmodum nec è contrario quicumque pręsciti sunt, quamuis fideles, & iusti, de populo, & Ecclesia Dei debent eximi. Hæc hæresis Ioãnis Hus, & Ioãnis Vuiclef conuellitur præsenti testimonio. Nã qui aliquando fuit non populus Dei, fit populus Dei: at qui prædestinati sunt, nullo vnquam tempore prædestinati nõ sunt. Similis locus Epistolæ ad Ephesios [t]. *Eratis aliquando alienati à conuersatione Israel & hospites testamentorũ, & c. qui aliquando eratis longè, facti estis prope, &c. iam non hospites, & aduenæ sed ciues sanctorum, & domestici Dei, &c.*

Postremò notandum, quod hic locus totus à Paulo recitatur [u] aliquantulum immutatus: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco, vbi dictum est eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur Filij Dei viui.* Sed nec apud Oseam ipsum legitur eadem sententia eodẽ modo. Constat, Apostolos in referendis veteris Testamenti locis, verborum sæpe sensum, non ordinem exactũ sequi, vt obseruauit Hieronymus [x]. Quidquid sit de Paulo pro vltimis verbis nostris: *Qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti* [y]: Septuaginta habent. *Ἀγαπήσω τὴν οὐκ ἠγαπημένην*: *Diligam non dilectam*. Interpres: *Miserebor eius, quæ fuit absque misericordia*: quæ respondent ad verbũ textui Hebræo רחמתי אתלו רחמה *richamtihi ethlo ruchamah*: nec non Chaldæo. Verbum autem רחם *racham* comprehendit simul & dilectionem, & misericordiam: quæ duo Paulus coniunxit. Sed hæc expendit Ribera diligẽter [a]: cui tamẽ haud licet amplius Pauli lectionẽ illam reiicere iam approbatam Pontificia auctoritate.

Non populus.] Nimirum Dei, quod nomen Dei sequenti membro exponitur, & in hoc satis intelligitur, sicut & in Osea, Paulóque dicitur: *Non plebs mea*. Fateor tamen aptum Gentilis populi epithetum esse, vt simpliciter denominetur *non populus*, aut *non plebs*. Sic enim etiam Esther [a] Gentiles vocat, *eos qui non sunt*: & Deus minitans habiturum se populum Hebræorum loco Gentilũ, *quia prouocauerunt ipsum in eo, qui non erat Deus* [b]: *Prouocabo*, inquit, *eos in eo qui non est populus* [c], quẽ Paulus vocat (non gentem) vtens eodem loco, & Esaias [d] (quasi non sint, quasi nihilum, & inane.) Hoc sensu negat Augustinus [e] veram apud Gentiles Rempublicam fuisse, verum populum, hoc est, *cœtum iuris veraq; iustitiæ consensu, ac vinculo sociatum*, quo carebant, qui seipsos Deo vero tollebant, & immundis Dæmonibus subdebant. Boëtius etiam, quem citat Hugo, ait, quòd mali homines, non sunt: ergo erant Gẽtiles populus Diaboli, qui *princeps mundi huius* dicitur [f], ciues Babylonis, & Inferni, non cælestis Ierusalem, & Raab meretrix facta est de populo Dei [g], & Achior Gentilis [h], & Naaman [i]; & *Populus quem non cognoscebas Deus, seruiuit ei* [k], *& inuentus est à non quærentibus se* [l].

Qui non consecuti misericordiam.] Gentiles misericordiam consecuti erant: nec ab ea quisquã excluditur, id est, à necessaria; & sufficienti gratia: efficax non omnibus datur, etiam qui sunt de populo Dei, & Ecclesia. Attamen misericordiam consecutus dicitur hic populus, qui pluribus affectus beneficiis, & reipsa veram Dei cognitionem, atque religionem adeptus. Populo Christiano conuenit maximè cognomen misericordiam consecuti, quia viscera ipsa misericordiæ Dei effuderunt se super ipsum, quando *visitauit illum ex alto* [m], factus homo.

Colligit hinc glossa ordinaria, quæ est Bedæ, & alij expositores, quos antè citaui, scriptam Epistolam istam his, qui de Gentibus ad Fidem venerant, atque de iisdem loqui Oseam prophetã. Ego cum Catharino simul Iudęos comprehendo. Electis maximè propriè conuenit vocari [n] *Vasa misericordiæ*, sicut Reprobis *Vasa iræ* [o]. Siquidem electionis maxima misericordia est, fonsq; cæterarum. Sed latiùs accipitur hoc loco misericordia; nec tamen ita latè, vt cùm dicitur *esse super omnia opera Dei* [p], & in dãnatis ipsis locum habere.

Vers. 11.] Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.

REdit Auctor ad institutionem moralem, incipiens, vt Aureolus obseruat [q], à cõstitutis in infimo, & quasi seruili statu Et primum præcipit, quod ad ipsosmet secundum se spectatos pertinet, vt nempe temperantes sint: postea tradit, quemadmodũ inter se bonis exẽplis gerere se debeãt: Magistratui obediãt: Christũ imitandum sibi

a in cap. 2. Oseæ, num. 1. & seq.
b in c. 9. ep. ad Rom. in Psal. 32. & 24. & 116.
c in cap. 9. ep. ad Rom.
d ibidem. *Iudæi populus Dei dictus est etiam Christi tempore.*
e ibidem.
f ibidem.
g ibidem.
h 18. de Ciui. c. 28. 32. cont. Faustum, c. 89. lib. de Altercat. Eccl. & Synag. sub finem. ad Simplicianũ q. 2. quæst. vet. Testamen. q. 44. lib. in ep. ad Rom.
i 2. de vocat. Gen. c. 18. vel Ambr. c. 7. & Prosper lib. 1. c. 22. & 25.
k Lucæ 1. 68.
l infra 2. 32.
m Luc. 7. 16.
n 4. cõt. Marcion. c. 1. 16.
o Psal. 2. 8.
p 1. Con. Iudæ. cap. 19.
q ad Hedib. q. 10.
r lib. 5. in cap. 65. Esaiæ.
s lib. 4. c. 37. *Non prædestinati aliqui populus Dei sunt.*
t cap. 2. 12. 13. 19.
u Rom. 9. 25. 26.
x Quæst. 1. ad Algasiam. in c. 27. Matt. lib. 1. in ep. ad Galatas sub finẽ in c. 5. ep. ad Ephes. ep. de optimo genere interpret. ad Pammachium & alibi.
y Oseæ 2. 23.
a ibidem.
a cap. 14. 11. *Gentiles vocãtur non populus & non plebs.*
b Deut. 32. 21.
c Rom. 10. 19.
d cap. 40. 17.
e 19. de Ciuit. cap. 21.
Mali homines non sunt.
f Ioan. 14. 30.
g Iosue 6. 17. Iacobi 2. 25.
h Iudith 6. 18. & seq.
i 4. Reg. 5. 15. 17.
k Psal. 17. 45.
l Esa. 65. 1.
m Lucæ 1. 78.
n Rom. 9. 23.
o ibid. 22. *Electionis est maxima misericordia, & fons cæterarum.*
p Psal. 144. 9.
q in Compendio scripturæ.

proponat. Primum illud ratione duplici persuadet; quia peregrinos immorari non decet in huius hospitij amore, & curas studiosos animæ salutis oportet strenue resistere hostibus illius, qui sine cessatione decertant.

Carissimi.] Ἀγαπητοί, *Cari, seu dilecti*, propriè diligibiles: qui autem est ἀγαπώμενος, *dilectus. propter vnam rem diligitur: qui priore modo, propter omnia*, inquit Oecumenius. Sed monui in Commentario primæ Ioannis Epistolæ nũc superlatiue, nũc positiue Interpretem eandem Græcã vocem reddere. Nec discrimen id Oecumanij obseruatur, cùm non minus pateat dilectũ esse, quàm diligibilem.

Carissimi sunt quos Deus carissimos habet.

Quidni verò Carissimi, quo tam sæpe nomine vtuntur Apostoli, hi, quos carissimos habebat Deus, & populo suo aggregauerat, & misericordiam eis suam largitus fuerat, vt proximè dictũ est? Voces hæ propriæ sunt Noui Testamẽti, nec ita in scriptis veteris reperiũtur. In Ecclesiastico officio cum recitatur aliquid ex Epistolis Pauli, *Fratres*, initiò nominantur: cum ex aliorũ Apostolorum, *Carissimi*, præterquàm in Capitulo Cõpletorij sumpto ex Capite quinto istius Epistolæ: *Fratres, sobrij estote*, &c. Causam arbitror, quoniam licet Paulus inserat Carissimorũ appellationem, non id ita passim facit, sicut alij in Oratione, qua eos alloquatur, quibus scribit, sed adhibet tunc Fratrum nomen, quo tamen etiam & alij vtũtur. Hoc loco quidam Codices habẽt ἀδελφοί. *Fratres.* Si carissimi Deo fuerunt Iudęi propter patres eorum [a], & ob illorum merita multi ex iis saluati, & saluandi sunt: quãtò magis quotquot salutem consequuntur, eidem Deo carissimi sunt propter dilectum Filium Christũ, qui nos tantopere dilexit, & cuius merita prosunt omnibus electis, etiam Iudæis.

a Rom. 11. 28. *Gentiles cur carissimi dicũtur.* b cap. 5. 1. 12. 1 Rom. 12. 1, cap. 15. 30. 1. Cor. 1. 10. cap 16. 15. 2. Cor. 2. 8. c. 5. 20. cap. 10. 1. Gal. 4. 12. Ephes. 4. 1. 1. Thess. 4. 1. 2. epist. 3. 12. 1. Tim. 2. 1. ad Philem. vers. 8. 9. d Rom. 16. 17. 1. Cor. 4. 16. c. 16. 12. 2. ep. 8. 6. c. 9. 5. c. 10. 2. cap. 12. 18. Philip. 4. 2. 3. 1. Thess. 4. 1. 10. c. 5. 14. 2. epist. 3. 1. 1 Tim 1. 3. Hebr. 13. 22. e 2. ep. vers. 5. f Lucæ 3. 3. g Gal. 6. 1. h vers. 8. 9. i Tit. 2. 15. k 2. Tim. 4. 18. c. 5. 7 c 6. 17

Obsecro vos.] Non imperat. Sic etiam idem infrà [b], & Paulus obsecrabat [c], rogabátque [d], nec nõ Ioãnes [e], immo & Christus [f]: *Hic est spiritum lenitatis* [g], quem idẽ Paulus exigit à spiritualibus; & ipsemet sic Philemoni scribit [h]: *Propter quod multã fiduciã habens in Christo Iesu imperãdi tibi, quod ad rem pertinet, propter charitatem tamẽ magis obsecro.* Permittit tamen Paulus, vt interdũ arguant alij cum omni imperio, nequis ipsos contẽnat [i]: & vt præcipiãt [k], quod & ipse faciebat nõnunquam [l].

Non est hic porrò vis vlla ponenda in verbo latino *obsecro*, quasi sit, per sacra adiuro. nam Græcum est παρακαλῶ, id est, *hortor*, &c.

An præstat imperare, vel obsecrare.

Problema potest esse, vtrũ præstet, vel imperare ad obedientiæ meritũ, vel obsecrare ad lenitatis exercitiũ, & vt promptius is exequatur, qui obsecratur. Secũdum certe tutius est, magísq; approbat Bonauentura [m]. Primũ per se magis meritoriũ; ita vt Christus voluerit obedire, & noster B Xauerius ad meriti augmentum solebat Imperare. Agebat Petrus cum iustis, quibus non est lex posita [n] secũdum vim obligantem, quatenus ipsi sponte legis præscripta faciũt. Loquebatur quoque de Actibus internis, in quos per se, ac directè non cadit humana lex, & potestas, sed sola diuina, tantò præstantior, vt Iustinus notat [o]. Quo pacto Prælatus nunc præcipere, nunc obsecrare debeat, lege Gregorium [p].

l 1. Cor. 11. 17. 1. Thess. 4. 11. 2. epist. 3. 4. 1. Tim. 6. 13. m lib. de sex alis Seraphim. n 1. Tim. 1. 9. o Apolog 2. p 27. Moral. c. 19. vel 22.

Tanquam aduenas, & peregrinos.] Lege primi Capitis primum versum de vocibus istis, earúmque significata, hoc est, de huius exilio vitæ, & patria cœlesti. Apud Cyprianũ [q] legitur *hospites, & peregrinos*. Qualitates boni, maliq; peregrini spiritualis persequitur Cardinalis Vitriacus [r], describens habitum, viam, impedimenta, adminicula, hospitem, hospitium. Digna lectu Tractatio vel ob eruditionem, vel ob pietatem. Plus Hugo peregrinum putat esse, quàm aduenam, loquẽdo tropologice: ita vt prior sit, qui possessiones quidem non habet, at viuit in aliena terra; res terrenas amans immodicè, licèt infra Deum: posterior, qui præterit dumtaxat, solóque corpore hìc viuens, ac vitam tolerans, *conuersationem suã totam in cælis habet* [s]. Nempe vt in Nilo canis, aquas percurrendo lambit, ne noceant crocodili; & vt ille anachoreta, comedit ambulando; ac Pascha edit *festinans cum baculo, & calceamentis*, qui est habitus peregrini [t].

q ep. 7. vel li. 1. ep. 5. & li. 3. Testam. c. 11. r serm. in ep. 1 post Pascha. *Quid sit discrimen inter aduenam & peregrinum.* s Philip. 3. 20. t Exo. 12. 11.

Addi potest tertia perfectior exulis ratio. Etenim pœna, mœrórque est exilium; nec aliter absentiam à beatitudine ferũt iustissimi, quàm exules abesse à patria. Dei Filius *quasi colonus fieri dignatus est in terra, & quasi viator declinans ad manendum* [u], (factus homo) & natus locũ in diuersorio non repetit [x], vt nos cœlestis patriæ faceret municipes, inquit Augustinus [y]: *non habuit vbi reclinaret caput* [z]: & habitu peregrini post resurrectionem voluit apparere [a]: Sed Magdalenæ vt hortulanus [b], quoniam exulem paradisi in eum, dominus ipsius reuocabat, qui ex horto ad crucem raptus est: sed pertransit benefaciendo [c], *& ascendens in cælum, captiuam duxit captiuitatem* [d]. Bernardus [e] docens peregrinum rectà tendere per viam, contentum victu, ac vestitu sine sarcinis superuacaneis, neque curantem aliena negotia, subiungit alios duos magis perfectos gradus mortui seculo, viuentis autem Christo, & crucifixi [f], cui crux sit quidquid amat mundus [g].

Christus in terra aduena fuit. u Ierem. 14. 8. x Luc. 2. 7 y serm. 10. de Natiuit. z Lucæ 9. 58. a infr. vlt. 18. b Ioan. 20. 15. c Act. 10. 38. d Psal. 67. 19. Ephes. 4. 8 e serm. 7. de Quadrag. f Gal. 2. 19. g infra 6. 14.

Peregrinos nos esse consideratio plurimum nos iuuat.

Multa de hac nostra peregrinatione Cyrillus Alexandrinus [h], quantopere conducat eius cõsideratio ad virtutem, vrgens maximè Abraham exemplũ *iussi exire de terra, cognatione, domo patris* [i]. Ait quoque Petrum hoc loco tanquam præclarum, & gloriosum putasse nos iussisse aduenas esse & peregrinos. Legendos præterea Damascenus [k]. Amos [l] propheta dum inuehitur in luxũ, & in concupientes, sectantésque carnalia desideria, de quibus agetur paulo post, inter alias causas hanc assignat iuxta editionem LXX ὡς ἑστῶτα ἐλογίσαντο, καὶ οὐχ ὡς φεύγοντα, *Quasi stantia putauerunt, & non quasi fugientia.* (pro eo quod Hebraicè legimus, & Latinè: *Sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici.*) Sententia ista, quam Hieronymus [m] vocat pulcherrimam, proposito nostro valde cõgruit. Etenim transeuntes circa transeuntia occupari non decet, & res fugaces consectari, qui fugæ consulunt.

h 1. de Adorat. in Spiritu. i Gen. 12. 1. Heb. 11. 8. k 2. Paralle. cap. 17. l cap. 6. 5. m in Amos.

Etsi verò abutũtur quoq; peregrinatione nonnulli, etiam ad carnalia desideria, cùm alibi discant, faciántque quæ non domi, vt filius prodigus [n], & alius, qui ab Ierusalem descendit in Iericho [o]; & ideo legibus quarũdam Rerumpublicarum cautũ est peregrinari [p], vel peregrinos admittere, & fit aliquando quod de Læuina cecinit Martialis [q] ad Baias peregrinante:

Penelope venit, abit Helene.

vt impuri mores contrahantur. Vnde & pro meretrice peregrinã dixerũt, & hospitam, vt Terentius in Andria [r], in Eunucho [s], in Phormione [t], & Horatius in Carminibus [u], eorúmq; Scholiastæ, Donatus, & Lambinus, prætereáq; Iuuenalis in Satyris [x]. Attamen per se loquendo, multò desunt pauciores carnaliũ desideriorum peregrinis; & dum eas arripiunt, peregrinari desinunt.

n Lucæ 15. 12. & seq. o Lucæ 10. 30. p Alex. ab Alex. lib. 4. c. 10. cum Tiraq. q lib. epigr. 1. in 63. r Act. 1. Sce. 1. s Actu 3 sce. 2. s Actu 1. sce. 2. t Act. 1. sce. 3. u lib 3. Ode 8. x Saty. 6.

Conuenit

Conuenit iusto aduenam esse mundo

a Ioan.15.19.
b Ioan.8.23.

Conuenit iusto,aduenā mundi esse , quoniam cœlo natus , extra illud hic viuit in mundo isto, de quo non est [a] ,sicut sunt mali [b] ,qui etiam velint nolint peregrinantur , quia hic manere non possunt semper , sicut vellent. Quisquis cogitat se aduenam,& peregrinum,stultus est,si labentis mundi rebus adhærescit:spe debet magna meliorum , & æternarum rerum qua breui succedet, excitari.

Abstinere vos à carnalibus desideriis.] Ἀπέχεσθαι τῶν σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν. Alij codices, Ἀπέχεσθε *Abstinete*, quo etiam pacto videtur Didymus legisse , & Cyprianus,necnon textus Syrus אתפרקו *ethparekn*. Sed Clemens Alexandrinus [c] vtitur lectione nostra,& quia in lege vetere præcipitur,*ne concupiscamus* [d]. Hinc efficit,ac ex similibus aliis locis eundem vtriusque Testamenti Deum esse. Addit idem Syrus Interpres (*ab omnibus*) nec est cur aliqui [e] obseruent non esse id appositum Græcè,aut Latinè,quod quædam sunt necessaria, minimèq; vituperanda desideria,vt cibi,somni,& similium. nam quod sequitur,(*quæ militant aduersus animam*) satis docet,de quibus sermo sit , nempe de vitiosis , & *ne carnis curam faciamus in desideriis* [f] : nec *ea perficiamus* [g] , cùm alioqui *nemo eam odio habeat, sed foueat , & nutriat* [h] , quantùm scilicet ordinatus,& honestus amor patitur. *Quæ cura fieri in desiderio prohibetur,* ait Gregorius [i] , *in necessitate conceditur. Sed sæpè dum incautè necessitati cōdescendimus, desideriis deseruimus : nonnunquam verò dum desideriis immoderatius obuiare nitimur , necessitatis miserias augemus*, &c. Eandem Cassianus [k] tradit non dissimili sermone sententiam , colligitque , quamuis quis corpore sit infirmus,perfectam virtutem,æquámque robustis, ac sanis in omnibus possidere posse,si desideria , quæ fragilitas carnis non exigit, mentis rigore castiget. *Apostolus namque ait,* inquit ipse : *& carnis curam ne feceritis in desideriis: non ergo curam eius omnimodis interdixit , sed vt in desideriis fieret,denegauit. Voluptuosam ademit diligētiam carnis gubernationem vitæ necessariam non exclusit : illud,ne indulgentia carnis ad desideriorum occupationes noxias deuoluamur ; hoc verò, ne corruptum nostro vitio corpus spiritales,ac necessarias functiones implere nō possit.* Spectant eodem,quæ Damascenus [l] recitat ex Chrysostomo.

c 3.stro.c.6.
d Exo.20.17. & alibi sæpe.
e Penardentius.
f Rom.13.14.
g Gal.5.25.
h Ephes.5.29.
i 9.Mor.c.vlt. lib.10.c.14. vel 18. & lib. 21.epist.3.
Desideria carnis quæ fugienda vel non.
k 5.5. de institut. renunt. cap.5.
l 2.Paralle. c.27.

Aliud hinc sequitur,peccatum perpetrari non exteriùs dumtaxat,& opere , sed interius etiam, atque sola concupiscentia: quæ vocantur item *cogitationes noxiæ* [m]. Nam vetat Sapiens [n] *ne post concupiscentias, & Sapientia ipsa damnat qui videat mulierem ad concupiscendum eam* [o] , & Deus *ne concupiscamus* [p] :& Iacobus [q] ait , quòd *concupiscentia cùm conceperit , parit peccatum* : denique omnis malitia consistit,& profluit à praua voluntate, ac *de corde exeunt cogitationes malæ* [r] ,&c.

m Ier.4.14.
n Eccl.18.30. 31.
o Matt.5.28.
p Exo.20.17. Deut.5.21. Ro.7.7.c.13.9.
q cap.1.15.
r Matt.15.19.

Existimant aliqui, dedita opera in Decalogo posita præcepta de non concupiscendo , ne quis arbitraretur,solum furtum & homicidium prohiberi, & peccata esse. Georgius Dauid [s] negabat animum peccato infici , sed carnem solam. Iosephus [t] ,Rab. Dauid [u] Kimhi , & alij Hebræi senserunt , motum internum peccandi non esse peccatum,nisi exteriùs se prodat. In altero extremo plurimi hæretici alij omnem concupiscētiæ motum,immò concupiscentiam ipsam aiunt esse peccatum , ac proinde iubent nos spem abiicere virtutis,veræ sanctitatis, omniáque docent mala esse opera cuiusuis,quālibet videatur iustus esse. Longior contra hos errores instituitur ab aliis disputatio. Verior sententia , in primis motibus concupiscentiæ nullum inesse peccatū,quia præueniunt omnem deliberationem , & libertatem. *Ego Opifex,* inducit loquentem Deum Chrysostomus apud Damascenum [x] *,figmento meo concupiscētiam indidi ; proindéque naturalem motum minime criminor. Neque enim dico: Non concupisces* (quia cùm id vetat,consensum intelligit) *non enim,quod rectè satum est, radicem auello;verùm adulterinas corrupta stirpis fibras elido, atque amputo.* Habet homo,vnde gratias agat Deo, etiam cùm sentit concupiscentiæ motus,quia illi ad tuendum se,& propagandum genus necessarij sunt : aliquibus ad exercitium virtutis,& meriti , qui sibi eorum opere penitus interdixerunt:omnibus ad aliquod meritū, ne præter modum eos in opus reducant.

s Testis Prateolus.
t 18.Antiq. c.13.
u in Psal.60.
Concupiscentiæ primi motus non sunt peccata.
x 2.Paralle. c.17.

Cæterùm per carnalia desideria intelligi possunt non ea solùm,quæ carne perficiuntur,vel in appetitu sensitiuo sunt , quæ turpiora , & magis infamia sunt , ac à Gentilibus frequentiùs vsurpata,& in praxim,vsúmque reuocata : sed etiam, licèt non ita præcipuè, quæcumque sunt , súntve per omnes potētias tum inferiores, tum superiores aliquo modo propter originale peccatum corruptas : nam Paulus inter opera carnis sectas numerat [y] : *& cùm sint inter vos,*inquit [z] , *Zelus , & contentio, nonne carnales estis , & secundum hominem ambulatis?* Obsistendum primis initiis desideriorum:interficiendæ *demolitrices vulpeculæ* [a] : *allidendi paruuli ad petram* [b] :peccatū in foribus [c] dicti motus primi sunt,sed *sub nobis est appetitus illius,& dominamur eius* [d] , si non consentimus. Iacob tenet plantam Esau [e] ,dum ratio nō sinit primos motus vsque ad morosam delectationē , vel consensum procedere,inquit Vitriacus [f] , qui tamen primos motus vult esse venialia peccata:è contrario, qui *caput aspidum,*qui sunt serpentes parui,*sugit , occidit eum lingua viperæ* [g] : qui panem delectationis admittit in vtero voluntatis, vertitur in fel aspidum intrinsecus [h] :*Oua aspidum rumpens , & comedens de illis morietur, & quod confotum est , erumpet in regulum* [i] *:de radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem* [k] ,id est , virum etiam spiritualem:fœdus iniens cum gentibus earum , corrumpitur moribus [l] : claudenda Sodomitis porta [m] :eiicienda ancilla cum paruulo filio eius [n] :radendi pili [o] ,quos nequimus euellere:non est parcendum Amalec , neque concupiscendum illius aliquid [p] , vt egregiè ad hoc propositum Gregorius exponit [q]. *Non debet regnare peccatum in nostro mortali corpore,vt obediamus concupiscentiis eius* [r] .

Carnalia desideria quæ sint.
y Gal.5.20.
z 1.Cor.3.3.
a Cant.2.15.
Primis desideriorum motibus obsistendum.
b Psal.136.9.
c Gen.4.7.
d ibidem.
e Gen.25.25.
f serm.in ep. Dom.3.post Pascha.
g Iob.20.16.
h ibidem 24.
i Esa.59.5.
k Esa.14.29.
l Deut.7.2.
m Gen.19.6.
n infra 21.10. Gal.4.30.
o Leuit.14.8.
p 1.Reg.15.3.
q Ibidem.
r Rom.6.12.

Trita valde sententia , cuius auctorem ferunt Epictetum, Ἀνέχου, καὶ ἀπέχου. *Sustine,& abstine:* illud pro aduersis,hoc pro illicitis , contra intolerantiam,& incontinentiam. Meminit Gellius [s] dixisse Philosophum , quod si quis hæc duo verba cordi habeat, eáque sibi imperando atque obseruando curet,is erit plerumque impeccabilis , vitámque viuet tranquillissimam.

s lib.17.c.19.

Quæ militant aduersus animam.] [t] Verè *militia vita nostra super terram* , & cunctis diebus nunc militamus [u]. Sed videndum , vt in carne ambulantes,non secundum carnem militemus,nec arma militiæ nostræ non carnalia sint [x] , nec *militans Deo implicet se negotiis secularibus* [y] , *vt ei placeat, cui se probauit* τῷ στρατολογήσαντι, qui delectū exercitus habuit , qui eum militem delegit , & suæ militiæ adscripsit : *sed militemus bonam militiam* [z]. Compugnantia in nobis est,ac iuge bellum partium oppositarum , carne concupiscente aduer-

Militia vita nostra est super terram.
t Iob 7.1.
u Iob.14.4.
x 2.Cor.10. 3.4.
y 2.Tim.2.4.
z 1.Tim.1.18.

sus Spiritum,& hoc aduersus illam [a]:& externa ipsa bella litésque oriuntur ex concupiscentiis nostris quæ militant in membris nostris [b]. Idcirco induit nos Paulus [c] armaturam Dei,atque præcipit,*ne exhibeamus membra nostra arma* iniquitatis peccato,sed *iustitiæ Deo* [d],quæ sunt arma locis [e] à dextris,& à sinistris [f]. Petrus [g] armat nos cogitatione de passione Christi. Tota Ecclesia castrorum instar habet benè ordinatorum [h],de quibus inter alios Gregorius [i]. *Pugnandum in magno*, vt Sapiens [k] loquitur,nósque aliàs [l] exposuimus, *inscientia belli*:certandum Menti cum Lege,quæ ipsi repugnat in mẽbris [m]. *Colluctatio nobis* dirior quidem *aduersus Principes,& Potestates, & rectores tenebrarum,spiritualia nequitiæ,sed etiam aduersus carnem, & sanguinem* [n],magis intestina,& periculosa,cùm non liceat arcem Carnis, in qua sunt aduersarij, diruere: foris [o] pugnæ plurimæ ab Infidelibus, Hæreticis,Tyrannis,Improbis,&c. denique non pax,sed gladius [p].

Non inepti,qui deriuant militiam, vel à mollitie per antiphrasim,vel à malitia, vt hæc duritiam,laborémque significat, aut vt improbitatẽ, satis militibus familiarem.Hunc agonem,& certamen,in qua legitimè certandum est [q],coronam volenti reportare,designat oleum,quo baptizandi olim corpore toto inungebantur, vt meminit Dionysius [r],hanc ipsam assignans causam.(alios enim omittam, qui de eâdem Vnctione mentionem faciunt)idem tradit Prosper [s], & alij:prætetea illud, quo confirmamur in altero Sacramento,cui nomen inde inditum, vt Confirmatio appelletur, in quo militiæ Christi adscribi censemur [t]. Tertulliani verò illud præclarum: *stat conflictus,& victoria suorum agonothetes Deus viuus:Xystarches Spiritus sanctus: epistates Christus Iesus:corona æternitatis:brauium angelica in cœlis substãtiæ politia:gloria in secula seculorum.* Militia cœlestis exercitus nato Christo [u] annuntiat pacem, quia veniebat peritus belli dux, vt doceret manus nostras ad prælium,digitos ad bellum [x], & principem eiiceret mundi [y],ac fortem armatum [z], *Venite*,inquit ille [a], *& videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram,auferens bella vsque ad finem terræ,arcum conteret*, &c. Hoc sibi voluit agonia in horto [b].Legendi etiam Cyprianus [c],Hilarius [d], Augustinus [e],Hieronymus [f],Basilius [g],Ephrẽ [h], Bernardus [i] de Christiano bello& pugna non externa tantùm,etsi de ea clariùs, verùm etiam de interna.Vocatur hîc viuentium militans Ecclesia. Colligit porrò Didymus ex tanta Carnis, Animæq; pugna, non esse corpoream animam, sed immaterialem,& immortalem. Bonum argumentum, quódque philosophicè amplificari magis posset.

a Gal.5.17. b Iacobi 4.1. c Eph.6.12. 13. d Rom.6.13. e infra 13.12. f 2.Cor.6.7. g c.4.1.vers.1. h Cant.6.3. 9. 10. i Hom.8.in Ezech. k Sap.14.22. l ibidem. m Rom.7.23. n Eph.6.12. o 2.Cor.7.5. p Matt.10.34. *Militia vnde dicatur.* q 2.Tim.2.5. r Eccl.hier.c. 2.Par.2.& 3. s in sent.ex Aug.sent.342. t lib.ad Martyres c.3. u Luc.2.13.14. x Ps.17.35. y Ioan.14.31. z Luc.11.20. & seq. a Psal.45.9. b Lucæ 22.43. c lib.3.epist. vlt.lib.4. ep. 6.siue ep.56. d in Psal. 24. e serm.105. de temp. f in Psal. 83. g epist.60. h li.de Armat. spirituali. i tribus ser.de pugna spirituali.

Vers 12] Conuersationem vestram inter Gentes habẽtes bonam:vt in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes,glorificent Deum in die visitationis.

PRæceptum est de honestè,atque cum decoro transigenda inter infideles vita, ne quam offensionis capiant ansam,sed potiùs deposita praua opinione,quam cõceperant de ipsis, prorumpant in laudes Dei,& religionis, quam illi colũt, deprehensa veritate. Existimat Vitriacus de cura bonæ famæ sermonem esse: simul puto agi de bonis exemplis, quibus ceteri alliciantur ad virtutem.Maximi momenti res est, vt cogantur homines etiam improbi loco operum bonorũ conspecta *glorificare Patrem cœlestem* [k]. Cauendum verò maximè,ne commaculet quis nomen sanctum Dei prauis operibus, idque polluat, & blasphemet inter Gentes [l]:cúmque *fateatur se nosse Deum, factis neget* [m]. *Spectaculum sumus non Deo* tantùm,*& Angelis,sed mundo etiam, hominibúsque* [n]: honestè nobis *ambulandum etiam ad eos,qui foris sunt* [o]. *Prouidere debemus, bona non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* [p], & sine offensa esse non solùm Ecclesiæ Dei,sed prætetea Iudæis,& Gentibus [q],*vt non vituperetur ministerium nostrũ* [r]. Hoc se Paulus [s] dixit studuisse, vt *sine offendiculo cõscientiam haberet ad Deum & ad homines semper.* Rursus in capite sequenti [t] Petrus iubet vt cum modestia,& timore conscientiam habeamus bonam, *vt in eo,quod(alij) detrahunt uobis, confundantur, qui calumniantur nostram bonam in Christo conuersatiõnẽ.* Cyprianus præsenti vtitur loco [u], vt confirmet eos,qui ceteris bono proderant exemplo,& contrà reprehendat, qui oberant malo. Exempli vis quanta,& procuratio famæ, quænam haberi debeat,alibi docui [x].

Inter Gentes.] Syriacè קדם כלהון בני אנשא *kedam chullehun bene anasa*, *coram omnibus filiis hominum*,coram Iudæis,& Gentilibus,sed & coram fratribus Christianis,quamuis de his non loquatur,vt indicant sequẽtia verba. Cyprianus [y] *Gentiles* (vulgo multarum linguarum idiomate Gentes dicimus de quauis hominum multitudine.)

Vt in eo,quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus,] ἵνα ἐν τῷ καταλαλοῦσιν ὑμῶν,ὡς κακοποιῶν. Cyprianus [z] *(vt dum detrectant de vobis tanquam de malignis.)* Detrectare propriè est defugere, deuitare,recusare,&c. Detrectare quamuis haud valde Latinum,obloqui,quod etiam detrahẽdi verbo significatur:tamen detrectare hoc loco eãdem notionem haber, sicut & obtrecto.Sed aliud exẽplum ex probo Auctore afferre non possum, nec in paucis aliis codicibus legitur *detractant*. Malefactores,& κακοποιοὶ sunt non ij soli, qui malefici vocantur,& magi, vt videtur Thomæ Anglico, & Salmeroni (infamatos autem Christianos de magia, constat vel ex adeo frequenti supplicio ignis,testisque Augustinus [a],& alij)sed quibuslibet aliis criminibus obstricti. Interpres Syrus ita reddidit (vt iis qui obloquuntur de vobis) מלא בישתא *melle visatha*, *sermones malos*. Oecumenius ex Irenæo, totáque Lugdunensi Ecclesia, refert calumniam de cœnis Thyestæis, siue de comestis humanis carnibus, cùm Christianorum serui cõprehensi à Gentilibus,& compulsi, vt arcani aliquid de illis proderent, referrent Christi ipsos dicere corpus,sanguinémque se sumere.

Calumnias Gentiliũ,præsertim aduersus Christianos, continent quãplurimæ Patrum vel Apologiæ,vel tractatus contra illos, vel historiæ Ecclesiasticæ, partim verò sacratiora mysteria nostra non intelligentes, deteriorem ea in partem accipiebant: partim quæcumque crimina, aut errores in Iudæis essent, quo nomine Christiani initiò appellabantur,à gentilibus,& in hæreticis, qui se quoque Christianos nominabant, veris,& Orthodoxis Christianis tribuebant.Nihil attinet posteriora tempora commemorare,cùm iam Petrus ex hac vita subductus esset,nec enim illa intelligit. Adhuc viuente Petro Vrbis incendium affictum est Christianis, eóque nomine ferarum

Exemplum bonũ dare ad Deũ glorificandum magni refert. k Matt.5.16. l Esa.52.5. Ezech.36. 20. Rom.2.24. m Tit.1.16. n 1.Cor.4.9. o Coloss. 4.5. p Rom.12.17. 2.Cor. 8.21. q 1.Cor.10. 32. r 2.Cor. 6 3. s Act.24.16. t vers.16. u lib.1.ep.5. vel ep.7. x Eccl.7.& Act. 24. y ipsum citando z lib.1.ep.9 vel ep.6 & lib.3. testimo. cap.11. *Christiani de magia infamati.* a 1.de consen. Euangel.c.9. 10.11. *Cœnæ Thyestææ Lugdunensibus martyribus nostris obiectæ.* *Christianis calumniæ à Gentilibus.*

tergis contecti, canum laniatui obiecti ſunt, vel crucibus affixi, vel flammati, ac in vſum nocturni luminis vſti. Teſtis Tacitus [a]. De Apoſtolis, præſertim Paulo, eorum a Luca conſcripta hiſtoria tradit, quantis affecti calumniis fuerint, idémque Paulus idẽtidem in epiſtolis de ſe, ac de aliis Chriſtianis, locuples edit teſtimoniũ. Chriſtum magum fuiſſe, diſcipulóſque ipſius, Pagani calumniabantur, vt ſcribit Auguſtinus [b]: quidam, vt idem refert [c], Chriſtum bonum, & ſanctum, ſed Petrum magum. De Gnoſticis turpiſſimis hæreticis, qui extiterunt proximè poſt Apoſtolos, Epiphanius [d], & ante hunc Irenæus [e] ſcribunt indidiſſe ſibi nomen Chriſtianorum, Diabolo ſuggerente, ad hoc, vt Gentes per ipſos offenderentur, & Eccleſiæ Dei vtilitatem, & veram prædicationem propter illorum nefaria facta, & incomparabilem improbitatem auerſarentur: & ipſorum aſſiduò nefaria opera conſiderantes, putarent etiam ſanctas Dei Eccleſias tales eſſe, & auerterent aures à Dei, & veritatis doctrina, blaſphemarent omnes Chriſtianos, in nullo eis communicarẽt, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana conuerſatione. Idem docuit Euſebius [f], addens oppreſſas tales calumnias veritatis, ac ſanctitatis Chriſtianorum eximio ſplendore. Origenes [g] autem Iudæos architectos ac diſſeminatores fuiſſe talium calumniarum. Obiiciebatur etiam quòd religionis prætextu, libertatíſque, non obſequerentur Ethnico magiſtratui, nec ſe ſatis ciuiliter accommodarẽt iis inter quos viuebant.

Ex bonis operibus vos conſiderantes glorificẽt Deũ.] Cyprianus [h]: *Bona opera veſtra aſpicientes, magnificent Deum.* Vatablus: *æſtimantes.* Interpres Clementis [i] Alexandrini: *ſuſpicientes.* Verbum ἐποπτεύειν, cuius participium hic eſt ἐποπτεύσαντες, *inſpicere* ſignificat, & nominatim ſecretiores, ac ſacratiores res, veluti ritus, & ceremonias, ac myſteria, quaſi iuſtorum ſpectentur opera, vt ſacrarum perſonarum, cum quodam horrore, & ſacra admiratione. Hoc nimirum eſt, quod modò retuli ex Euſebio [k], & pluribus ipſe perſequitur, quantopere ſanctitas motum compreſſerit maleuolorum calumnias: & inimici ipſi teſtimoniũ virtuti Chriſtianorum dare coacti fuerint. Notiſſima Plinij ſecundi [l] ad Traianũ epiſtola, de laudibus Chriſtianorum: nec dubitat Origenes [m] quemuis cœtum obiicere Celſo Chriſtianorum longè præſtantiorem eſſe quouis ſenatu, & cõuentu Philoſophorum: & ſi quis candidus, ac veritatis ſtudioſus hoc examinet, rem ei miram viſum iri, &c. Ipſe de ſe narrat Iuſtinus, quemadmodum exploratis Stoicorum, Peripateticorum, Pythagoricorum, Platonicorum ſectis, tandem ſolidam veritatem repererit dumtaxat apud Chriſtianos [n], & cùm animaduerteret illos ad mortem, & alia, quæ terribilia cenſentur, adire intrepidè, ſecum ſtatuiſſe, fieri haudquaquam poſſe, vt Chriſtiani in vitiorum prauitate, & voluptatum amore viuerent. Apollo etiam, & quidam eius vates, vt Conſtantinus [o] retulit Imperator, non alios reſponderunt iuſtos eſſe, niſi Chriſtianos [p]. Satis item conſtat ex hiſtoriis, non paucos de Tyrannis de officio, quod vocant vniuerſo, de ſatellitibus, & carnificibus ipſis Martyrum victos humanitate, atque conſtantia, terrores, errores, mores malos exuiſſe, vt Iacobi [q] Apoſtoli maioris, & Pauli [r], &c. Albanus in Anglia Paganus cùm Clericum ex perſecutione fugientem hoſpitio recepiſſet, eúmque orationibus continuis, ac vigiliis diu, noctúque ſtudere conſpexiſſet, exemplum æmulatus, Chriſtianus euaſit, & Clerici veſtes indutus, morti pro illo ſe obtulit, & martyrij collegam ipſummet carnificem reddidit [s]. Conſpecta quoque vita pia Auguſtini & ſociorum gentiles Angli conuerſi ſunt [t]: Sed & pluſquam quadringẽti profeſſi ſunt credere ſe Chriſtum verum Deum, qui talem poſſideret famulam Cæciliam. Luciani martyris ſola vultus cõpoſitio, & modeſtia perſuaſit verum Deum eſſe, quem coleret [u]: & patientia Abrahamij vicum integrum Chriſto lucrifecit [x]: immò veritus Maximianus ne ſibi quod aliis ex ſolo Luciani aſpectu contingeret, vt fieret Chriſtianus, à longè loquebatur cum illo [y].

Lactantius [z] eleganter conuincit, Ciceronis, ac Senecæ etiam teſtimonio, perrarum Philoſophũ extitiſſe, qui decretis parẽret ſuis de moribus, & non cum eorum vita mirabiliter pugnaret, & quem non aliter intueri deceret, quàm medicos, quorum tituli remedia habeant, pyxides venena. Ait præterea [a], *qui docent tantùm, nec faciunt, ipſos præceptis ſuis detrahere põdus; non enim eſſe, qui obtemperet, cùm ipſi præceptores doceant non obtemperare: bonum eſſe, recta, & honeſta præcipere; ſed niſi & facias, mendacium eſſe: & incongruens atque* ineptũ eſſe non in pectore, ſed in labiis habere bonitatem. Conſule, ſi libet, quæ ad ea verba capitis primi [b] Actuum Apoſtolorum annotaui: *cœpit Ieſus facere, & docere:* & lege Chryſoſtomi Orationem de S. Babyla Martyre, ſiue contra Gentiles. *Conuincunt magis*, vt ibi ille dicit, *opera virtutis, quàm miracula: ista namque vel ficè fieri poſſunt, vel ſi verè etiam ab improbis per gratiam gratis datam* [c]. Hoc præceptum Clemens Romanus [d] accipit datum peculiariter propriè dictis Sacerdotibus à Petro: & aptari poteſt Clero vniuerſo, ac Religioſorum Ordini.

In die viſitationis.] Ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς. Græcam vocem Interpres vertit aliquando reſpectionẽ [e], vel reſpectum [f]: nonnunquam epiſcopatum [g]: de quibus acceptionibus alias egimus [h]. Propriè ſignificat inſpectionem, & intimam viſionem, vt perſona inſpecta, viſáque, aut afficiatur beneficio, aut ſupplicio: denique vigilem curam, quæ requirit exactam cognitionem, diſcuſſionẽ, examen, inueſtigationem, perſcrutationem. Beda, & Primaticius interpretantur de tempore retributionis, quando gloria reddetur iuſtis, & velint nolint, fateri cogentur Improbi iuſtitiam Dei, ac dicere: *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſũ* [i], &c. Gloſſa ordinaria, & Carthuſianus, & Catharinus addunt, quando viſitabit Dominus detractores, illos conuertendo. Gagneius, & Titelmanus ſequuntur hanc vnam expoſitionem, nec non Sà, Salmeron, Vatablus. Hugo, & Thomas Anglicus adiungunt ſenſum tertium de tempore, quo Deus flagellat Iuſtos, híque patienter ferũt, & extorquet huiuſmodi patientia laudem Dei, quem colunt, etiam à detractoribus. Oecumenius quarto loco: vt cùm vitam Iuſtorum examinarint Improbi, & contrario modo res, quàm opinati fuerant, inuenerint, fiat, vt & ipſi ex erubeſcẽtia corrigantur, & Deus glorificetur. Eòdem ſpectat Arias, vt quando non ex vulgi inuida opinione, accuſatione, calumnia, ſed ex vero, legitimóque iudicio de moribus agatur, exemplíſque ipſorũ, etiam apud Gentium Iudices innocentiam cognitam hi prodere compellantur, vnde laus exiſtat Dei quem colunt.

a lib. 15.
b 1. de conſen. Euang. c. 9. & 11.
c 18. de ciui. c. 53.
Gnoſtici hæretici qualis.
d hæreſi 27.
e lib. 1. c. 24.
f 4. hiſt. c. 7. quem etiam lege lib. 5. c. 1. & ſeq.
g 6. Con. Celſum.
h ſupra.
i 3. Pædag. c. 12. Quid ſit ἐποπτεύειν.
k ſupra.
l lib. 10. epiſt. 97.
m lib. 3.
n Dialo. cum Tryphone.
o Ora. ad Gẽtes.
p Euſeb. 2. de Vita Conſtãt. c. 49. & 50.
q Euſe. 2. hiſt. cap. 9.
r in Geſtis.
Chriſtiani facti ſunt plurimi propter Chriſtianorum piã vitam.
s Beda 1. hiſt. Anglica. c. 7.
t idem ibid. c. 22.
u Surius 7. Ianuarij.
x idem 26. Martij.
y idem ſupra 7. Ianuarij.
z lib. 3. c. 15.
a cap. 16.
b verſ. 1.
c Matt. 5. 22.
d epiſt. 2.
e Sap. 3. 13.
f Sap. 2. 20. c. 3. 6. 1. 4. 15. c. 14. 11. c. 19. 14.
g Act. 1. 20. Pſal. 108. 8. 1. Tim. 3. 1.
h in lib. Act. & Sapientiæ.
i Sap. 5. 3.

Amplectitur Feuardentius secundum, tertiumque dicendi modum, ego secũdum maximè probo. Videtur enim mihi de istius vitæ tempore Petrus loqui, quo tempore, qui glorificant Deum, cùm priùs detraherent seruis eius, videntur resipuisse, & ad illos se adiunxisse, eorundem moti quidem exemplo, sed præcipuè per instinctum, & impulsum gratiæ diuinæ.

Vers. 13.] Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue regi quasi præcellenti.

Vers. 14.] Siue ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

SEquitur admonitio tertia de Obedientia aduersus Magistratus, cuius est præmiare, ac punire. Idipsum cõmendauit vehementer Paulus [a] ad eximendam Gentilium sinistram de Christiana lege sententiam, licere per eam, vt olim seditiosi docuerant auctore quodam Iuda, de quo in Actibus Apostolorum [b], & Iosephus [c], Galilæo, non subiici Principibus, vel pendere tributum, qua de re etiam tentatus est Christus [d], & suspicionem augebat quod haberetur Galilæus, sicut & reipsa Galilæi erant Apostoli, plurimíque discipulorum. Annotat hoc loco id Didymus, ac Oecumenius, & in epistolam ad Romanos atque ad Titum Chrysostomus, Hieronymus, alij, Augustinus [e] item quadam epistola, atque Tertullianus [f]. Quamuis autem de politico per se magistratu Apostoli loquantur, (de quo erat dicti erroris suspicio) vt præter citatos Patres Irenæus [g] docet; tamen argumento ducto ea comparatione minorum, & maiorum colligit Basilius [h] de Ecclesiastico, & satis de illo ea aperta ratione constabat, de quo etiam Paulus [i] ait: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Vt omittam Christi sententiam [k]: *Qui vos audit, me audit* [l]: *Si Ecclesiam non audierit*, &c.

Studuerũt post Apostolos Patres alij euellere prauam istam de nobis Gentilium sententiam, vt Iustinus [m], Clemens [n] Alexandrinus, citatus ante Augustinus [o]: & rustici tamen Germani Luthero duce contra Nobiles eôdem errore imbuti, arma sumpserunt, quibus plusquàm centum millia hominum perierunt [p]. Est vna quoque de præcipuis hæresibus Anabaptistarũ, & Trinitariorum huius temporis (quæ fuerat priùs Vualdẽsium [q], & Vvicleff, negantium in vllo, qui haberet peccatum mortale, esse dominiũ ciuile: contra quam hæresim Bernardus [r]) nullos inter Christianos geri magistratus debere: nulla prætoria esse, tribunalia, iudicia, ius gladij [s]. Cùm autẽ respõdẽt, Apostolos dicere tantùm, oportere nos parêre Regi, & Magistratui Ethnico, non autem licere Christianis regna possidere, magistratus ciuiles gerere; occurrendum simili ratione, qua vsum Basilium dixi. Si licet subesse Ethnico, licere multò magis subditum esse Christiano, ac proinde Christianum præesse posse. Paulus [t] quidem homines de Ecclesia iubet constitui, qui secularia iudicia tractent, scilicet in iis causis, quas non tenebantur necessariò deferre ad Gentilium tribunalia. Quod iidem Apostoli paruam de Magistratibus fecerint mentionem, ac ferè nullam, vt Christianis conuenit, causa est, quoniam solliciti magis erant de regno spirituali ac hierarchico, eoque viuebant tempore, quo Ethnici temporaliter imperabant. Plura Bellarminus [u], & Turrecremata [x], Valentia [y], & alij tractantes de Dominio, vel de legibus.

In hoc Tractatu demonstratur, penes magistratum politicum veram esse potestatem leges condendi, quæ obligent in conscientia (contrà quàm præter hæreticos, existimarint Gerson [z], & Almain [a]) sunt enim qui eo funguntur à Deo missi, vt hic dicitur, *nec est*, vt ait Paulus [b], *potestas nisi a Deo: & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: & sibi damnationem acquirit, videlicet æternam*, vt exponunt Græci: *& necessitate subditi debemus esse non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, atque, vt hoc etiam loco habetur, propter Deum, hoc est, non solius timore pœnæ. Dominicum [c] Sotum Gregorius [d] de Valentia refellit, negantem hoc quod dicimus, esse de Fide.

Ceterùm nullus eximitur ab hac obedientia, ne quidem, qui sibi videntur perfecti, vt Begardi [e]; asserit enim vniuersè Paulus [f]: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* *Quod si lex iusto posita* negatur [g], causa est, quia sibi ipsi lex est [h], quatenus sponte facit, quod lex dictat, & ad quod obligat.

Neque verò inde fit, Ecclesiasticas personas legibus ciuilibus per se teneri, & potestati politicæ subiici: sed quemlibet subditum parêre debere superioribus suis, quibus subest. Vnde Bernardus [i] ad Conradum Imperatorem: *legi*, inquit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: quam sententiam cupio vos custodire in exhibenda reuerentia Petri Vicario; sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso seruari Imperio.* Legenda item Ignatij ad Philadelphienses epistola [k], in qua Principes Cæsari, Principibus milites subiicit: Sed Presbyteris Diaconos: vtrosque, & omnem Clerum simul cum omni populo, & militibus, atque Principibus, ipsóque Cæsare, præcipit Episcopo obedire: Episcopum autem Christo, sicut Patri Christus obediuit: vt ita vnitas per omnia seruetur.

Profectò si valet argumentum ad probandũ, quia omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esse debet, etiam Clericos debere secularibus, efficietur quoque Regi Hispaniæ obtẽperare debere Gallos, Anglos, Germanos, Italos, &c. Similiter si omni humanæ creaturæ subiectus esse quis debet, non erit magis vni, quàm alteri. Quæ sanè absurda sunt. Ostendendum ergo priùs est, seculares Principes Clericorũ respectu esse potestates sublimiores, quàm asseratur, Clericos iis esse subditos. Huius oppositũ iure diuino, & euidentissima ratione demonstratur; quidquid sit de rebus, ac possessionibus, loquendo, inquam de ciuili potestate, ac iurisdictione, vt reperitur intra Ecclesiam: ab ea enim, quæ residet in aliis, ad Ecclesiam non pertinẽtibus, haud ita videntur eximi etiam personæ Ecclesiasticæ. Porrò nuper diximus obiter, cuiusmodi esset regnũ, ac temporalis potestas in Pontifice, estque secundum proportionem par de aliis Ecclesiasticis ratio. Nimirum proprium rerum aliquarũ habere dominium possunt, atque directum: Sed in eos, qui spiritualiter subiecti sunt, résve eorum indirectum, quatenus cõfert ad spiritualem ipsorum gubernationem, nec aliter per se absolutè, atque simpliciter.

a Rom. 13. 1. & seq. & Tit. 3. 1.
b cap. 5. 37.
c 18. Antiq. cap. 1. & 2. lib 20. cap 5.
d Mat. 22. 15. & seq.
e ep. 3. & 54.
f *Utrumque magistratus & politico, & Ecclesiastico est obediendum* ad Scapulã.
g lib. 5. c. 24.
h de constit. monast. c. 25
i Heb. 13. 17.
k Mat. 10. 40. Lucæ 10. 16. Ioan. 13. 20.
l Matt. 18. 17.
m Apolog. 2.
n 4. Strom.
o supra, & in Psal. 118. Concio. 31.
p Coclæus in Gestis Lutheri.
q Conc. Constantien. sess. 8 errore 15.
r serm. 66. in Cantica.
s Antitheses Veri & falsi Christi editæ Abbæ Iuliæ. Anno 1568.
t 1. Cor. 6. 4.
u lib. 3. de laicis.
x summæ de Ecclesia Par. 2. c. 17.
y To. 4. disp. 9. q. 3. punct. 4.
z de vita Spir. lect. 4.
a de Potest. Eccl. cap. 12.
b Rom. 13. 1. & 2. & 5.
c lib. 1. de iust. q. 6. art. 1.
d 1. 2. disp 7. q. 3. punct. 6. §. 1.
Nullus ab obedientia magistratuum eximitur.
e in Conc. Viennen.
f Rom. 13. 1.
g 1. Tim. 1. 9.
h Rom. 2. 14.
Ecclesiastici sunt a ciuili potestate immunes.
i epist. 183.
k epist. 9.
Potestas in Pontifice temporalis qualis sit.

Omni humanæ creaturæ.] Πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει: Syriacè לכלהון בני אנשא *lecbullehun benai anaſa. Omnibus filiis hominum.* Accommodatè intelligere oportet, de iis, qui ſunt in poteſtate ſite conſtituti, vt antè diximus, moxq; Petrus exprimens Regem, ac Duces, ſatis innuit. Quocirca omnis non accipitur pro generali, ſeu publica, vt ait Hugo: nec ſequitur, ſubdi oportere Prælatos inferioribus ſuis, quamuis mente, atque coram Deo debeant omnibus ſubſterni, & *Omnibus omnia fieri, vt omnes faciant ſaluos* [a]. Ineptè præterea Lutherus [b] hinc argumentatur, contra monaſticam obedientiam, obedire vni ſoli Prælato, eſſe contra Scripturam. nam omnis creatura ſignificat omnem imperandi poteſtate præditum.

a 1. Cor. 9. 22.
b lib. de votis monaſt.

Oecumenius poſt Didymum κτίσιν accipit pro conſtitutione, & ordinatione humana, eo quòd reges ac principes hominum voluntate, & electione conſtituantur, & vt Latinè quoque dicimus, creentur. Approbat Caietanus. Exigit ſine dubio contextus, vt humanam creaturam ſumamus dicto modo, cùm alioqui creatura interdum pro quolibet homine ſumatur, vt ibi [c]: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* & alibi [d] de Euangelio, quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura quæ ſub cœlo eſt. Si tamen velimus comprehendi Eccleſiaſticum quoque magiſtratum, humana creatura hominem ſignificabit, qui hominis quidem opera præficitur, licet poteſtatem immediatè accipiat à Deo, vt ſaltem ſummus Pontifex, cuius perſonam deſignant Electores. Gloſſa Interlinearis, & alij generalem hanc enũtiationem referunt ad Fideles, & Infideles, quibus ſi ſint Superiores, obediatur. Carthuſianus quẽlibet cuilibet quadam ratione ſubiici per humilitatis virtutem poſſe *honore inuicem præueniendo* [e]: *per charitatem Spiritus inuicem ſeruiendo* [f]: *per humilitatem ſuperiores ſibi inuicem arbitrando* [g]: *inuicem humilitatem inſinuando* [h]. Sed vt præmonui, de ſuperioribus, ſubditiſque ſermo eſt. Indicare præterea videtur generalis appellatio humanæ creaturæ omnem hominem, quà homo eſt, dominij capacem eſſe, ac ſi naturæ humanæ dotibus præſtet, aut ei quæ homini poteſt conuenire, delata poteſtas ſit, illius obſequendum imperiis non habita ratione aliarum externarum qualitatum, ſiue adſint, ſiue non adſint, vt nobilitatis, opum, doctrinæ, &c. maximè verò propterea, quòd Dei vices hîc gerũt: quod ſequentibus verbis dicitur.

Humana creatura quid hic ſignificet.
c Mar. vlt. 15.
d Coloſſ. 1. 23.
e Rom. 12. 10
f Gal. 5. 13.
g Philip. 2. 3.
h 1. Pet. 5. 5.

Bertrandus Cardinalis Eduenſis [i] tractans hũc totum locum, diligenter contra Petrum de Cugneriis pro Eccleſiæ libertate. vult loqui Petrum de ſubiectione propter neceſſitatis meritũ, id eſt, cùm quod effugi non poteſt, ex virtutis honeſtate fit, non propter neceſſitatis debitum; id eſt, non quia teneatur quis ita facere. *Alioqui Epiſcopus cuiuis infimæ vetulæ*, inquit, *ſubiectus eſſe deberet*, ſi nempe omnem creaturam humanam propriè intelligeremus in omni ſua amplitudine. Innocentius Papa III. [k] ſimili argumento vtitur contra Imperatorem Conſtantinopolitanum, qui abutens præſenti loco, Patriarcham Conſtantinopolitanum iubebat iuxta pedes ſuos ſedere in parte ſiniſtra. *Sequeretur*, inquit, *quod etiam ſeruus quilibet in ſacerdotes imperium acceperit, cùm dicatur omni humanæ creaturæ.* Lege Nicolai Papæ I. epiſtolam ad Metenſem Epiſcopum, quam recitat Baronius [l].

i To. 4. bibl. pat.
Petrus de Cugneriis libertatis Eccleſiaſticæ impugnator.
k c. ſolitæ de maiori. & obed.
l Tom. 10. Annal.

Propter Deum.] Syriacè etiam אלהא *Elaha*, Græcè Κύριον *Dominum.* vt etiam aliqui [m] legũt.

m vt Eligius, Hom. 1.

Propter Deum ergo, vel Dominum quod poſterius nomen de Chriſto ſæpius dicitur in nouo Teſtamento, vt alias notaui [n]: quia id præcepit [o], quia vices gerunt Dei, & ab illo poteſtatem habent [p], quales quales tandẽ ſint ipſi: quia Principis lex, præceptúmque adſtringit conſcientiam, ſicut id, quod immediatè à Deo datur [q]: quia ſi quid homo præcipiat contra ſummi Principis Dei voluntatem, parendum non eſt [r], quia Obedientiæ finis Deus eſſe debet, non fuga pœnæ, non præmij ſpes, vt meritum habeat, vt ex animo, & cum bona voluntate ſeruiatur, & obediatur ſicut Domino, & non ſicut hominibus [s], quia Deus ipſe ſubdidit ſe hominibus, nempe Chriſtus matri, & patri putatiuo [t], & Ioanni Baptiſtæ, omnem implendo iuſtitiam [u], id eſt, humilitatem, ſoluit tributum [x]: ſubiecit ſe poteſtati Pilati [y] & aliorum: lauit Diſcipulorum pedes [z]: denique *humiliauit ſemetipſum, & obediuit vſque ad crucem* [a]. Legiſlatoribus curæ fuit in primis, vt ſuas ab aliquo Deo leges accepiſſe perſuaderent, ſéque, vt Plato [b] loquitur, Deorum prædicarẽt ἀκουστὰς, ὁμιλητὰς, συνουσιαστὰς, διαλόγους, συμμαθητὰς, συμπαίκτας, *auditores, colloquij participes, compotores, colluſores.*

n Act. 1. 6.
o Matt. 23. 3.
p Prou. 8. 15. 16.
q Mat. 10. 40. Luc. 10. 16.
r Actu 5. 29. Aug. ſer. 6. de verb. dom.
Obedientiæ finis Deus eſſe debet.
ſ Epheſ. 6. 7.
t Luc. 2. 51.
u Matt. 3. 15.
x infra 17. 26.
y Ioan. 19. 11.
z Ioan. 13. 5.
a Philip. 2. 8.
b in Minoë.

Exigit Paulus [c], vt *ſimus ſubiecti inuicem in timore Chriſti: vt filij parentibus obediant in Domino* [d]: *vt ſerui dominis, ſicut Chriſto* [e]: *vt mulieres viris ſicut oportet in Domino* [f]: atque maius quoddam vinculum eſt obediendi Principi, & Reipublicæ in his, quæ ad commune bonum pertinent. Ergo id fieri debet propter Deum, cuius perſonam repræſentãt, cuius nomine imperant magis è viciuo quàm alij.

c Eph. 5. 21.
d Colo. 3. 20.
e ibid. 23. Epheſ. 6. 5.
f Collo. 3. 18.

Siue Regi, quaſi præcellenti.] Regis nomen generale eſt, eumque omnem ſignificat, qui præſit vnus, etiamſi ſit vel infra dignitatem regiam, vel ſupra, ac ipſemet Imperator, de quo Regis nomen in Scriptura quandoque dicitur [g], & ſæpius apud Auctores profanos Latinos, & Græcos. Et probabile eſt ita ſumi hoc loco, quoniam ſcribitur multis prouinciis ſub ditione Romani Imperij Quamquam Interpres Syrus numero plurali dixerit *regibus*, & pro *tanquam præcellenti*, (*propter imperium ipſorum.*) למלכא מטל שולטנהון *lemalche metul ſchultanehun.* Regem præcellentem textus Græcus vocat βασιλέα ὑπερέχοντα, ſicut apud Paulum [h] *poteſtates ſublimiores* ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις, quas Hieronymus [i] recitans illũ locum, *ſuperiores* vocat. Caietanus in expoſitione eiuſdem loci obſeruat, ſublimiores dici pro præcellentibus: per has autem præcellentes poteſtates diſcrimen ſtatui à poteſtatibus tyrannicis, hoc eſt, eorum, qui non ſunt verè, ac legitimè domini, ſed tyranni, quorum videlicet poteſtates ſunt hoſtiles, & latronicæ, atque idcirco non mandatur, vt iis omnis anima ſubiiciatur. Verum eſt, quod Caietanus docet, adhibita certa quadam cautione, ac loquendo de illo, qui tyrannidem occupauit, nec iure imperat, regnátve, aut aliter dominium exercet. Sed eget res hæc expoſitione maiore: hoc autem loco, & in alio epiſtolæ ad Romanos arbitror non id indicari verbo ὑπερέχειν, & præcellendi, & poteſtatis ſublimioris, cùm poſſint hæ voces de Tyrannis etiam dici, quamuis iniuſtè præcellant, & ſe vt ſublimiores gerãt; denique de facto, non de iure.

Regis nomine quis comprehendatur.
g Ioan. 19. 15.
h Rom. 13. 1.
i in c. 3. epiſt. ad Tit.

Porrò licet Romanum Imperium, aliáve regna initio iniuſtè acquiſita ſint; tamen Apoſtoli hoc non expendebant, vel definiebant, ſed loquebantur in genere: & cùm ſubditis paſſim viderentur

Quomodo obediendum ſit ſublimioribus poteſtatibus.

iuſtè

iustè acquisita, tenebantur ipsi obedire. Deinde successu temporis adsuit populorum, aut tacitus, aut expressus consensus. Denique, vt rectè monet Victoria [a], eo ipso quòd Respublica tales dominos tolerat, eo quòd non valeat iugum illorum excutere, tenentur singuli obedire, *quoniam præsumendum*, inquit, *est velle Rempublicam vt tale regimen vim habeat, posito quod ipsa non potest aliud constituere.* Innocentius III. [b] quem antea retulimus, præcellentiam istam exponit in temporalibus dumtaxat, eorúmque comparatione, qui ab ipso recipiunt temporalia; Pontificem in spiritualibus antecellere, vel à ipso, sicut anima, quàm corpus. Sed nec simpliciter dictum, *subditi estote*, verùm *propter Deum*: nec absolutè, *præcellenti*, sed *tanquam præcellenti*. Quamquam fateor in hoc non maiorem vim esse, quàm in sequenti membro, *siue ducibus tanquam ab eo missis*: & constat huiusmodi particulas sæpe nihil minuere, sed rei veritatem magis exprimere. Verbi gratia: *Vidimus gloriam eius* [c] *gloriam quasi vnigeniti à Patre.*

a Relect. de Potest. ciuili.

b c. solitæ. de Maio. & obed.

c Ioan. 1. 14.

Siue ducibus tanquam ab eo missis.] Sunt ἡγεμόνες, magistratus inferiores rege, aut alio quocumque merum, ac mistum, seu summum ius habente, & à quo Vicariam potestatem acceperint. Nisi velis missos ab eo interpretari, non à rege, sed à Deo, & intelligere de regimine oligarchico, vel aristocratico. Syriaca editio iudices ponit דינא *daiane*, à Iudicibus autem ante reges administrata est Hebræorum Respublica, de quibus egimus in Actibus Apostolicis [d]. Caietanus, Vatablus, Clarius reddunt *præsides*. Glossa Interlinearis optionem facit, vel vt à Deo, vel vt à Rege missos intelligamus hos duces. Placet Hessellio vt à Deo; mihi magis vt à Rege: alioqui, si qui non penderent à superiore, quo is eumque tandem nomine appelletur, nomen quoque retinere regis potest, vt ante dixi, & Paulus [e] imperat orari pro omnibus, at primo loco *pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt*, ὑπὲρ ὑπεροχῇ. Syriacè ורורבנא *taurenane*, magnis, & magnatibus. Alioquin certū est, duces, ac magistratus à Deo mitti, ad eum modū, quo potestas omnis ab ipso est [f]. Plutarchus [g], Principes ait Dei ministros esse ad curam, & salutem hominum constitutos.

d cap. 13. 20.

e 1. Tim. 2. 7.

f Rom. 13. 1.

g Opusc. quod in Princip. requir. doct. Duces quo nomine hic dicantur.

Sunt qui hic vocantur Græcè ἡγεμόνες duces vixtum qui in exercitu dicuntur, siue ductores, & Imperatores: prætereа principes (quo pacto Latini nonnumquam duces, & principes copulant) præsides, præfecti, magistratus, &c. Plutarchus [h] quidem apud Romanos testis est appellatos Patres conscriptos, quos ἡγεμόνας suo etiam tempore vocarent Græci: & Athenis Budæus [i] auctor est ἡγεμόνα, & φύλαρχον dictum, qui erat princeps, præfectúsque Collegij τῶν ἀρχόντων: & inde τὸ ἡγεμονικὸν translatitiè de principatu animi, vt [k] Cicero loquitur. Significat prætereа ἡγεμονία Imperium, & omnem iurisdictionem, principatum, præfecturam, &c. Græci medij seculi Latinum fecerunt ducis vocabulum, & μέγας δοὺξ, magnum ducem, vt Curopalata [l]: io casu μέγας δοὺξ, & præerat exercitui in mari; sed ἡγεμὼν in terra.

h in Romulo.

i Com. ling. gr. pag. 152.

k 2. de Natu. Deorum.

l lib. de official. Palat.

Quæ sit apud Latinos Ducis, Ducatúsque dignitas, differit præ alijs satis exactè Petrus Gregorius [m], eam referens vsque ad prisca Imperatorum Romanorum tempora ex auctoritate [n] Suetonij, Vopisci [o], Polybij [p], tum prætereа ex testimonio Iuris [q] Ciuilis. Legendus item Paulus Æmilius [r], Renatus Choppinus [s], libri Notitiæ prouinciarum, Chassanæus [t], Auctor [u] Lexici vtriusque Ioris [x], Sabellicus.

m lib. 6. Syntag. Iuris c. 7. & li. 6. de Repub. c. 7. Duces quo tempore primùm nominari cœperint.

n in Nerone.

o in Aureliano.

p lib. 10.

q l. 1. de offic. Præfec. prætor. Africa. C. l. 1. de domest. & protect. C. l. fin. §. etiam sumtem de re militi. C.

A Francis poriffimùm orta distinctio videtur Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, &c. tradit verò Vvolfangus [y] Lazius apud illos Ducatum constitisse quinque Comitatibus, & Comitatum olim habuisse centum pagos in sua ditione, idque ex lege Salica. Alij [z] memorant Comitem vel Marchionem, qui habent sub se quatuor Comitatus, vel quatuor Baronias pro vnoquoque Comitatu, licitè Ducem fieri ab Imperatore, vel à suo Rege superiore, &c. Polydorus [a] Virgilius refert arbitraru Regis Angli titulum Ducis, & Comitis dari etiam sine possessione locorum, è quibus titulus petatur. Scitu quoque dignum, qui Romam gubernabant pro Imperatore seculo LXX. appellatos Duces & Romæ ducatum. Ex simili causa nasci potuit, vt nummi qnidam maiores vocarentur Ducati. At de hoc nunc satis.

r lib. 1. histo. Franc.

s lib. 3. de Domanio. Tit. 6.

t in Catalo. Glor. mundi.

u Verbo Ducet.

x l. 5. g. Emenda. l.

y in lib. de Rep. Rom.

z Antonius de la Sale libro Gallico, cui Titulus *La Salade*. c. 22.

a lib. 9. histo. Angl. & li. 23.

Ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorū.] Videri posset Petrus imitatus Paulum, quando hic scripsit Romanis, *qui bonum faciat, laudem habere ex potestate* [b]. id est, exhibere se laude, ac præmio dignum, quamuis fortasse non laudetur, vt exponit Augustinus [c], nec præmio afficiatur: *qui malum, is timendum esse, quia non sine causa gladium portat, quippe minister Dei vindex in iram* [d]. Præmio, suppliciόve omnis administranda Respublica: hinc ad virtutem incitamentum est, hinc reuocatio à peccato. *Nec domus, nec Respublica stare potest*, inquit M. Cicero [e], *si in ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis: Sed lege præmia proposita sunt virtutibus, & supplicia vitiis* [f]. Etsi autem peruertant Principes hunc ordinem, & immeritos afficiant præmio, supplicio bene meritos, abutentes nimirum potestate: attamen non minus ad laudem bonorum pertinet, si patienter, inquit Glossa ordinaria, ex Beda, improbitatem potestatis tolerent, & sapiétet eius astutiæ resistant. Cùm autem per se loquatur Petrus de potestate, ac magistratu ciuili, quam vocat humanam creaturam: censeri quoque potest eodem modo loqui per se de vindicta, siue pœna, & de laude, siue præmio temporali, quamuis ex natura meritorij actus cum pacto diuino legis, ac potestatis humanæ obedientiam consequatur dignitas æterni præmij, & præuaricationem debitum ac reatus perpetui supplicij. Innocentius [g] III. de quo iam aliquoties memini, verba hæc docet intelligenda, non quòd Rex, vel Imperator super bonos, & malos omnes gladij acceperit potestatem, sed in eos solummodo, qui vtentes gladio, eius sunt iurisdictioni commissi.

b Rom. 13. 3.

c lib. expositio. quarundam propositio. ex ep. ad Rom.

d supra 3.

Præmia supplicióve esse omnis administranda resp.

e 1. de Natura Deorum.

f idem lib. 2. de Orat.

g c. solitæ de Maio. & obed.

Verſ. 15. Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

NOua ratio suadens obediendum Magistratui, quoniam id requirit Dei volútas, actionum nostrarum prima, summáque regula. Hoc Deum velle, Scripturæ sacræ testantur, à nobis antea productæ. Quòd voluntates nostræ ad diuinam sese accommodare, atque conformare debeant, & eius tum habere notitiam, tum nutus obseruare, ac implere debeamus, ratio naturalis conuincit, & Paulus crebrò inculcat [h], *vt probemus quæ sit voluntas, & intelligamus, & impleamus*

h Rom. 12. 2. Ephes. 5. 17. Coloss. 1. 9. c. 4. 12. 1. Thess. 4. 3. cap. 5. 18. Heb. 10. 10. 36. cap. 13. 21.

agni

agnitione eum, & pleni simus in omni illa, & Christus, vt id oremus [a], iubet.

Benefacientes.] Participiū Græcum ἀγαθοποιοῦντας propriè quidem significat beneficio afficientes, quod qui facit, in ceteris operibus promior futurus videtur: tamen generaliter accipi potest de quouis opere bono. Lege Caput [b] quartum.

Obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiā.] Syriacè: (*vt obturetis os* חסכרון פומא *thescherun puma.* Sic in Psalmis [c]; *vt obstruatur os loquētium iniqua*, &, *omnis* [d] *iniquitas oppilabit os suum*, & in Euangelio conuictus obmutescit [e]. Tanta vis est veritatis, virtutísque, quod prius etiam docuimus, vt reddat hominem *sine querela* [f], *cuius non vituperetur ministerium* [g]. Sed is, *qui ex aduerso est, vereatur, nihil mali habens loqui de nobis* [h]. Ignorabāt detractores & maledici, lege Christi, obedientiam imperari aduersus Magistratus ciuiles, ideoque Christianos accusabant seditionis: Christū quoque ipsum, Deúmque ab illis cultum, falsum esse Deū, ac seditionis occisum nomine dictitabant. Igitur cùm cōtra quàm de Christianis existimabāt, cōperirent, semetipsos leuitatis, maledicētiæ, præcipitis, ac temerarij arguere iudicij cogebātur, & Christo, ac Deo vero deferre cōpellebantur.

Communis omni detrahenti, & peccanti ignorantia est; sunt aliqui tamen, qui ex malitia, & inuidia id præterea faciant. Secundi non facilè obmutescunt, sed quamlibet conuicti pergūt; quales maiore ex parte Iudæi. Gentiles pertinent ad primos, ideóque multo plures ex ipsis acquieuerunt veritati, & conuersi sunt.

Obmutescere faciatis.] Emphasim habet verbum Græcū φιμοῦν. Significat enim camo obligare, seu obstringere, iuxta illud [i]: *Nō alligabis os bouis triturāti.* pro quo Ambrosius [k] legit, *Non infrenabis.* Est enim φιμὸς camus, capistrū, fiscella, qua capistratur bos, equus, aliúdve animal, ne mordeat, vel comedat [l]. Per metaphorā Deus infrenaturū se pollicetur hominum os laude sua [m], qui possunt dici freni ori recti [n]; & Dauid petit *camo, & freno maxillas cōstringi eorum qui ad Deum non approximāt* [o]; cuius loci vide commentarium nostrū: & meminit Esaias [p] *freni erroris in maxillis populorum*, id est, imperij duri, quo Assyrij subiectos pro arbitratu infrenabant, & quò volebant, agebant, erraréque faciebant. Solebat enim & mancipiorum ori obdi camus, vt videre est apud Aristophanē [q], Plautum [r], Horatium [s], & huius rei vestigium, præter citata Scripturarum loca, reperitur in minis Dei contra Sennacherib [t]; immo & in Iob [u]. Eadem metaphora vtitur Euangelista recitans imponentem diabolo [x], vel mari [y] silentium; vel hominibus [z], ad significandum, ne hiscere quidem, vel mutire, vel sonum leuissimum edere audere.

Ignorantiam.] Ἀγνωσίαν. Syrus Interpres vertit: *Vt per bona opera vestra obturetis os stultorum illorum, qui non norunt Deum.* Clemens [a] Alexandrinus legit ἐργασίαν. Quæ vox inter plures alias significationes, hanc habet etiam, quod obseruatū est à Budæo [b], vt sit vel idem quod Sycophātia, vel quod ἐγχείρημα, hoc est, *instructa quadā ratio, & abstructio in efficiēdo veluti opere proposito*, queadmodū Quintilianus [c] loquitur. Hac ratione notarētur prius dicti detractores omnes, qui rectè nominari posšūt Sycophantæ, soléntque composita ad fallendum oratione vti. Sed multò conuenit hæc magis improbis, & iniquis magistratibus, qui suæ fucū iniquitati subdolæ orationis prætextu faciunt, atque iniustè agendo, maximè videri volunt iusti. Posset præterea exponi, legēdo ἐργασίαν pro occupatione, vt dum ipsi in bene operando occupati estis, non habeant aduersariorum linguæ, in quo occupentur, quídve dicant.

a Matt. 6.10. b versu 12. c Psal. 62.12. d Psal. 106.42. e Matt. 22.34. f Philipp. 2.15. g 2. Cor. 6.3. h Tit. 2.8. *Christianos quare Gentiles improperent.* i Deut. 25.4. 1. Cor. 9.9. 1. Tim. 5.18. *Camus quid sit.* k in 1. Tim. 5. l Plin. lib. 18. cap. 19. m Esa. 48.9. n Eccl. 28.29. o Psal. 31.9. p cap. 30.28. q in nubibus. r in Casina. s lib. 2. serm. Saty. 6. t 4. Reg. 19. 28. u cap. 30.11. x Mar. 7.26. y cap. 4.39. z Matt. 22.34. a 3. Strom. c. 6. b Comment. ling. Græ. pag. 272. & 695. c lib. 8. c. 3. de ornatu Orat. *Detractores sycophantæ rectè nominari possūt.*

Vers. 16.] Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem.

Occurrit obiectioni, & errori simul quorūdam, qui quod lex Euāgelica, lex libertatis, & non seruitutis, vt verus [d], diceretur, liberos se putabāt ab obediētia magistratus: & fas esse, dūmodo crederent, quiduis agere quamlibet inhonestū, ac turpe. Repetitur similis epistola [e] sequēti sententia de promittentibus libertatem, cùm ipsi serui sint corruptionis. Paulus de his quoque loquitur, seu præmonet aduersus tales: *Vos in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionē detis carnis* [f]. Et abhorrens ab errore tanto: *quid ergo?* inquit: *peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? absit.* De Gnosticis id asseritur, sed hi extiterūt post Apostolos: & Borboriani, seu Borboritæ ἀπὸ τοῦ βορβόρου, quasi cœnosi, fœdi, turpes, impuri (Gallicè *bourbier* est lutū,) de quib. Epiphanius [g], & alij hæreseologi: Philastrius [h], & Augustinus [i] ab Nicolao Diacono exortos dicūt; sed Irenæus [k] à Carpocrate: Hieronymus [l] à Basilide Imperatoris Adriani tempore circa Christi annū CXXIX. Sed simul monet [m] Apostolorum tempore viguisse Galilæorum de qua prius memini hæresim, non esse obediēdum Principibus, & Potestatibus, nec tributum soluendum.

Plures alij posteriores hæretici, ac recentissimi etiam nostri eandem sectati sunt libertatē quidlibet audēdi absque fræno vel tēperantiæ, vel obedientiæ, præsertim verò præter eos, de quib. ante dixi, qui Liberi cognominātur Antilutherani ex Anabaptistarum ordine, de quibus Lindanus [n]. Scripsit contra istos Ioannes Driedo de Christiana libertate, libros tres, ac refellit abusum nonnullorū Scripturæ testimoniorū, vt, *Si vos Filius liberauerit* [o], *verè liberi eritis* [p]: *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas* [q]: *Si spiritu ducimini, nō estis sub lege* [r]: *Iusto non est lex posita, sed impiis, periuris, adulteris* [s]: *Fructus Spiritus sunt charitas, &c. aduersus huiuscemodi non est lex* [t]: *lex propter transgressores est posita* [u]: *Qui proximum diligit, legem impleuit: quia Finis præcepti est charitas* [x]. Vnde tritum illud Augustini: *Dilige, & fac quod vis: tene charitatem, & in ea inuenies omnē scientiam.* Vno verbo respondetur, charitatem Christianam non esse superbam, neque inobediētem sublimioribus, atque præcellentib. potestatibus, vt satis ante probatum est. Deinde libertas Christiana propriè consistit in gratia liberāte à captiuitate, & seruitute peccati, & corruptionis, à reatu æternæ mortis, à Spiritu seruitutis, ab onere legis antiquæ, à seruitute diaboli; & transferente ad seruitutem iustitiæ, ad Spiritum adoptionis filiorum Dei, *ad libertatem gloriæ filiorum eius* [y], *vt sine timore de manu inimicorum nostrorū liberati seruiamus Deo in sanctitate, & iustitia* [z], idq́; sponte, & vt Spiritu Dei ducti, & acti, atque *ea libertate, qua Christus nos liberauit* [a].

Igitur optimè Paulus [b] legem Euangelicā vocat legem Spiritus vitæ in Christo Iesu, quæ liberet nos à lege peccati, & mortis; & Iacobus [c] *legem perfectæ libertatis*: denique præcepta dant seruis, ac subditis Apostoli, vt vidimus: Audiatur totam rem definiens Augustinus [d], dum explicat Christi verba [e]: *Si ergo vos Filius liberauerit, verè liberi eritis: Hæc spes nostra est fratres, vt a libero liberemur,*

d Rom. 8.15. & alibi. e cap. 2.19. *Libertatis promissores serui vitiorum.* f Gal. 5.13. g hæresi 26. h lib. de hæresib. i lib. de hæresib. k lib. 1. c. 24. l de viris illustrib. m in c. 3. ep. ad Titum. *Hæretici nostro tempore Barboritas imitātur.* n Dubitantij Dialo. 2. o Ioan. 8.36. p 2. Cor. 3.17. q Gal. 5.18. r 1. Tim. 1.9. s Gal. 5.22. t ibid. c. 3.19. u Rom. 13.8. x 1. Tim. 1.5. *Libertas Christiana in quo consistat.* y Ro. 6.14.18. c. 8.2.15.21. z Lucæ 1.74. a Gal. 4.3. b Rom. 8.2. c c. 1.25. c. 2.12. d tract. 41. in Ioan. e Ioan. 8.36.

mur, & liberando, seruos nos faciat. Serui enim eramus cupiditatis, liberati serui efficimur charitatis. Hoc & Apostolus [a] dicit: *Vos autem fratres in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionẽ carnis detis, sed per charitatem seruite inuicem.* Non ergo dicat Christianus: liber sum, in libertatem vocatus sum: seruus eram, sed redemptus sum, & ipsa redẽptione liber effectus sum: faciam quod volo: nemo me prohibeat a voluntate mea, si liber sum. Sed si ista voluntate peccatũ facis, seruus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandũ, sed vtere ad non peccandum: erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia: eris liber, si fueris seruus; liber peccati, seruus iustitiæ, dicente Apostolo [b]: *Cum serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ: nũc autẽ liberati à peccato serui autẽ facti Deo, habetis fructum vestrũ in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Hoc conemur, id agamus. Hæc omnia ex Augustino, apud quẽ similia reperies libro de Fide, & Operibus [c], & alibi [d], & apud Bernardum epistola ad Carthusienses [e]. Plura si cupis, Driedonem [f] citatum lege, atque Bellarminum [g], & Concilij Tridentini [h] Canones tres ex sessione VI. Hugonis mihi verò monitũ perplacet, ne qui vel Religiosi, vel alij priuilegiis, & exẽptionibus, quas vocãt, ornati, munitique sunt, suam hanc libertatẽ faciant malitiæ velamen ad liberiùs peccandum.

Quasi liberi.] Syriacè: *Quasi vel tanquam filij liberi.* איך בני חארא *ach bene chere. Quasi,* est expressiuum, inquit Lyranus, veritatis, id est, quasi verè liberi. Thomas Anglicus citat, & sequitur Lyranum. Sed virtutem apud eum lego pro veritate: additque sensum esse, vt dominis liberè, & voluntariè seruiatur, & cum alia Glossa, vt ex amore, non ex timore. Cùm autem Lyranum citet, euidens argumentum est, Commentariorum in hanc, & alias canonicas epistolas auctorem non esse B. Thomam Aquinatem, sed alium, quem cognominant Anglicum. nam B. Thomas obiit anno MCCLXXIV. Lyranus floruit anno MCCCXX.

De libertate iam antea dixi; & quod attinet ad onera legis scripta, dũ exponerẽ Actus Apostolorũ [i] vbi appellatur *onus graue, quod neque patres neque filij portare potuerint,* videlicet constans ducẽtis decẽ & octo affirmatiuis præceptis iuxta numerum membrorum corporis humani, & negatiuis trecentis sexaginta quinque, quot diebus constat annus, vt prodidit Rabbi Moses [k]: vel vt ex Cabaleis alij [l] referunt, affirmatiuis ducentis quadraginta octo pro numero solidorum ossiũ, quæ sustentãt corpus nostrũ, & negatiuis trecentis sexagintaquinque, quàm sunt multi neruorum, ac venarũ meatus. Marcus Eremita [m] hoc ex loco, & ex similibus argumentatur, actus peccatorũ non Satanę, vel Adami, sed nobis ipsis esse tribuẽdos.

Sed sicut serui Dei.] Quod antè dictum est [n] *propter Deum & sic* [o] *est voluntas Dei*: Quanti referat seruum esse Dei: & quod hoc regnare sit, nec officiat veræ, perfectæque libertati, vidimus iam dudum alibi. *Qui in Domino vocatus est seruus (hominum) libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi* [p]. Iustinianus Imperator seruum se Christi vltimum appellauit [q].

Vers. 17.] Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate.

INgerit magis magísque de modestia, & obedientia Christiana præceptum erga omnes, erga participes eiusdem religionis, erga ijs sum Deum, erga Dei vice ciuiliter moderantem.

Omnes honorate.] Generaliter comprehendit omnes hoc monitum, vt libẽter omnibus honorem quisque impertiat, & quemlibet, prout fert eius conditio, reuereatur, ne Gentili quidem, vel Iudæo excepto. De Hæreticis alia ratio, atque de aliis excommunicatis, quibus nec Aue dicere nobis permittitur, vt in Commentario Epistolæ secundæ Ioannis [r] docuimus. Paulus [s] vbi præcepisset, vt *charitate fraternitatis* (τῇ φιλαδελφίᾳ) *inuicem diligeremus, essemúsque φιλόστοργοι, cupide ac ex animo diligentes,* vt exponit Basilius [t]; vel vt Tertullianus [u], *affectuosi*; vel vt Ambrosius [x], *benigni*, subiicit, *vt honore inuicem præueniamus*: quod, etsi de fratribus intelligit, qui in eadem Religione cõmunicant, ad omnes etiã exteros trãsferri potest.

Porrò, vt nihil est, quod charitatem lædat magis, dissoluátque, quàm cùm quis alium spernit, & alteri per ambitionem præferri conatur: sic nihil adeo conciliat amorem, odiúmque dissipat, vt humilitas, & facilitas in exhibendo honore. Nec tamen Apostolus ordinem tollit ciuilem & Ecclesiasticum, quo non decet, vt quiuis quemuis honore præueniat exteriùs. Sicut charitas, ita humilitas ordinata est: ac ferè locum habet illa, vt ita loquar, præuentio in paribus, & æqualibus: nisi fortassis ad retinendam, reuocandámque etiam inter inæquales charitatem, videatur aliquando necessarium, vt maior minorẽ præueniat.

Hugo, & Lyranus honoris cunctis exhibendi causam dãt, in quãtùm relucet in eis imago Dei. Aliæ grauiores, quia redẽpti sanguine Christi, & eiusdẽ gratiæ capaces, atq; gloriæ: & fieri potest, vt qui nunc improbus, & contẽptu dignus est, ad numerum pertineat Electorũ, immò & Sanctorum. Illustre in hoc genere proditur exẽplũ Antonij Patauini. Is Anicij in Gallia, Gallorũ lingua *Le Puy*, obuium in platea notatiũ identidem salutabat perhonorificè, virũ alioqui haud optimæ famæ. Cùm id cõtrà ille probro, iniuriæq; duceret, ac minas iterãret, respõdit adhuc demissius Antonius, talẽ se honorẽ habere martyrio, quod ille quidẽ Christi causa passurus esset, ipse à Deo beneficiũ tantũ obtinere nequiuisset. Prædictioni euentus respõdit. Potest item quilibet aliũ se meliorem æstimare, vel digniorem in conspectu Dei, vt fecisse Franciscum sanctissimũ scimus, & in *humilitate superiores inuicem possumus arbitrari* [y], *& humilitatem insinuare*, vt capite quinto videbimus [z].

Fraternitatem diligite.] Delectantur mirificè Petrus ac Paulus fraternitatis, ἀδελφότητος, aut φιλαδελφίας vocabulo abstracto; sæpius autẽ nomine fratrum. Petrus iam antea [a] id vsurpauit, & deinceps [b] quater: Paulus ter [c]. Hic φιλαδελφίας vbique; ille [d] semel φιλαδέλφους, aliàs ἀδελφότητα [e]. Egimus hac de re alibi tum capite primo [f], tum in Actuum Apostolorum capite primo. Non solùm coniunctionem significat animorum, sed Ecclesiam ipsam vt Syrus vertit Interpres, & sæpissime id nomen ita vsurpant Cyprianus, Basilius quoque quadam epistola ad Episcopos Galliæ.

Deum timete.] Hic nos timor, qui amorem eiusdem Dei comprehendit, ad amorem fraternũ impellit, & honorem aliis habendum, & quod mox subiicitur, ad eũdem regi reddẽdum. Crebro alibi de isto timore incidit sermo; nec nunc de illo plura. Illud modò videri Clemẽti Romano [g] Θεὸς dici, quasi δέος à metu, quod equidem nõ credo;

&

Marginalia: Gal. 5. 13. — Christianus libertate sua abuti non debet. — Rom. 6. 20. — c 24. & 25. lib. de Na. & gra. c. 57. lib. de contin. c. 3. & in exposit. propositio. ex ep. ad Rom. c. 72. lib. 90. hom. 10, 27. de fide & oper. c. 27. ep. 11. lib. de libert. christia. c. 5. lib. 4. de iustifica. cap. 5. & 6. can. 19. 20. — cap. 15. 10. — lib. 3 doctorum dubiorum, cap. 56. & 57. Paulus Pa. lib. 4. cælestis agricul. — lib. de Baptismo. tom. 5. Biblioth. Patrum. — vers. 13. — vers. 15. — Seruire Deo regnare est. — 1. Cor. 7. 22. L. 4. de Offic. rator. Ainc. — Omnes honorandi sunt. — r vers. 10. s Rom. 12. 10. — t regula 242. breui. u 5. Marcio. c. 14. x in cap. 12. ep. ad Rom. — Sicut caritas, ita humilitas ordinata est. — Quilibet potest alium se digniorem existimare. — y Philip. 2. 3. z vers. 5. — a cap. 1. 22. b cap. 2. 1. ep. 1. 7. bis. c c. 1. 5. c. 5. 9. d 2. ep. 1. 7. bis. e Rom. 12. 10. 1. Thess. 4. 9. Heb. 13. 1. f vers. 22. — g epist. 1. Θεὸς vnde dicatur.

& aptius alijs à θέειν. ϑεᾶσϑαι, αἴϑειν, τιϑέναι, currere, contemplari, vrere, disponere [a].

Regem honorificate.] August. [b] *Regē reueremini. Nec dicere licet,* inquit, *quia nobis, & Imperatori, quid mihi, & regi; quoniam Apostolus voluit seruiri regibus; voluit honorari reges: & per iura regum possidentur possessiones.* Fulgentius [c] Trasimūdo regi profitetur se honorem habere; citās istam sententiam. De hoc etiam satis suprà. Singulare Dauid nōdum rex, designatus à Deo, tamē in Saulem edidit exēplum obseruantiæ, attingere [d] nolens, quem poterat iure belli occidere, vt August. [e] docet, & in eum animaduertens, qui occiderat [f]. Idem de honorando Rege, siue Imperatore præceptum dederūt Patres cæteri, vt antè vidimus. Id Tertull. [g] necesse dicit, vtque eum quiuis Christianus saluum velit, cū toto Romano Imperio, quousque seculū stabit, quoniam tamdiu stabit, (qua in re non satis verus propheta de statu, nempe Imperij Romani perpetuo, quale ipsius erat ætate.) Verùm, cùm modo honorem esse debere admonet, vt colatur videlicet sicut homo à Deo secundus, & quidquid est, à Deo consecutus, & solo Deo vero minor, maior Dijs falsis, non inter illos numerandus, qui & ipsi in potestate sunt eius. Refert [h] prætetea maiore formidine, & callidiore timiditate Cæsarem obseruatum à Gentilibus, quàm ipsum de Olympo Iouem, & citiùs apud illos per omnes Deos, quàm per vnum genium Cæsaris peieratum: quamuis meritò, quia quicumque viuens quolibet mortuo potior.

Non hìc referam venerandi, colendique Principes, Reges, & Imperatores modos varios, seu gestu, seu verbo, seu re, vt tributo, &c. quos vniuerse nec approbare, nec refellere quisquam possit: quāuis immodici aliqui videri debeant: illi autē prorsus reprehendendi, qui significationem continebant diuinitatis, vt tēpla, sacrificia, &c. Diocletianus quidem primus adorationē, pedúmque osculationem exegit [i] (quod tamen de Syluano, qui contra Constantium arma in Gallias intulit, Ammianus [k] refert:) at Domitianus, Dominúsque, Deúsque nominari voluit [l], ante quē Caligula [m]. De Persarū regibus testis apud Curtium [n] Cleomenes Siculus, Deorum honoribus coli solitos: & Philostratus [o]. Tandē qui suos Principes alloquebantur, deuotos se illis ac dicatos præfabātur. Meminit Dio [p], & ostendunt marmora, statuæque cū inscriptione: *Deuoti numini maiestatique eius.* Simile quod de Macedonibus Iustinus [q] prodit in prælijs Imperatorū nomina pro numinibus acclamauisse.

Modestiores omittam, qui nimios honores, ac titulos deprecati sunt, & detestati, vt ne Domini quidem vellent dici, & si quis inter salutandum flexisset caput, aut assentaretur blandius, foras detrudi, atque exigi iuberent. Tales [r] Augustus, & Alexander Seuerus [s]. Maneat honore regem prosequendum Dei vice (sic etiam Plinius [t]) Rempublicam tēporaliter, vt schola loquitur, administrantem, & vt Menāder [u] atque Plutarchus [x] vocāt εἰκόνα ἔμψυχον Θεοῦ πάντα σώζοντος. *Imaginē viuā Dei cuncta seruantis. Honorandus autem rex,* ait Tertullianus [y], *cùm suis rebus insistit, cum à diuinis honoribus longè est,* id est, eos non vsurpat, vel nō exigit.

Vers. 18.] Serui subditi estote in omni timore, dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.

SAtis, opinor, ante monuimus, & sæpius admonet Paulus [z] Christianæ spirituali libertati seruitutē nō officere, nec vice versa libertatem istam

a refert posteriora Salme. 6. tom. 2. Prolego. 10. Can. 10.
b Aug. tract. 6. in Ioan.
c 1. ad Trasimund. cap. 2.
d 1. Reg. 24. & 26.
e Contra Adimant. c. 17.
f 2. Reg. 1. 15.
g ad Scapulā, cap. 2.
h in Apolog. cap. 35.
Cæsar magis honoratus à Gentibus quam Iupiter.
i Eutrop. lib. 9. Paulus Diaco. in historia.
k Pompeius lib. 15.
l Martial. li. 5. Epig. in 8. Xyphilinus in Domitiano. Statius, lib. 4. sylua. Sueto. in Domit. c. 13. Victor in Domit. Euseb. in chron. & alij.
Domitianus vt Deus adorari voluit.
m Victor supr. d. Sueto. in Caligul. c. 22. Dion. ibid. Paul. Oros. lib. 7. cap. 3.
n lib. 8.
o in vita Apollonij.
p lib. 52.
q lib. 24.
r Sueton. in vita. c. 53.
Rex prosequendus honore Dei vice.
s Lamprid. in Vita.
t in Panegyr.
u Cuiac. Brisso. 2. de regno Persarum.
x in Themistocle.
y in Scorpiac. cap. 14.
z 1. Cor. 7. 21. & sequent. Gal. 3. 28. Ephes. 6. 8. Coloss. 3. 22. 1. Tim. 6. 1. Tit. 2. 9.

seruituti; & idcirco Gentili quoque domino seruū Christianū debere obediētiam atque obsequium, vbi Deo contraria non præcipit. Græcè hoc loco nominātur οἰκέται, nō tā serui à morte seruati, ereptíq; vel mancipia, quàm famuli domestici mercede conducti absq; dominio quod appellāt proprietatis, sed cū solo iure ad operas prēstādas. Porrò iure Cæsareo [a], & Eccles. [b] nec Iudæi, nec Pagani, nec Hęretici Christianus mācipiū efficitur, loquendo de Iudæo, & Pagano, qui sunt in ditione Principis Christiani. Ergo intelligitur hic locus de vtroq; genere seruitutis, mitiore, & arctiore: sed de isto, si dominus Christiani extra Christianā sit ditionē. Inter Christianos autē nemo propriè seruus alterius est. Loquebantur Apostoli de tēpore, quo sub Principibus Ethnicis erant Christiani, cauebantq; ne Dominica doctrina pateret inuidiæ, odio, obtrectationi, & ne, vt ait Paulus [c], *nomen Domini, & doctrina blasphemaretur, si retraheret vinculo seruitutis nexos à dominis.* Obseruatū id à Hieron. [d], Ambros. [e] & alijs, necnon in Gāgrensi Cōcilio [f], anathema indicitur docenti seruum prætextu religionis, seu diuini cultus, contemnere dominum suum, & ab eius ministerio recedere, ac nō potiùs cum bona fide, & omni honorificentia deseruire. Plura Iurisconsulti, & noster Molina [g], & in priore ad Timotheum Espencæus [h], vt & de seruitutis origine, quæ ex peccato profecta est. Permittitur quidem seruo, *vt liber fiat, si possit* [i]: Sed dum in ea conditione, & vocatione est, gerere debet quæ illi cōueniunt. Quod autem Paulus [k] vetat, ne fiamus serui hominū, loqui videtur de solutis à matrimonij seruitute, ne ea se implicēt: in qua qui est, nō simpliciter Christi seruus appellatur, sed libertus, quasi ex parte liberatus, nempe à peccati, & Diaboli potestate: ideóq; certis operib. Deo, seu Christo addictus, sed non penitus propter dictum nexū cōiugij, vt exponunt Hieronymus [l], & Origenes [m]. Quamuis alij velint loqui de ciuili simplici seruitute, quæ cohæret cum libertate spirituali.

Quòd si de famulis Christianis, qui æquè dominos Christianos habēt, loquamur, potiore profectò iure quadrat præsens illis præceptum: & eo adhuc magis egēt, quod verendū est, ne cōceptum religionis par pariat cōditio. Sic Paulū solent exponere, cū scribit [n]: *Qui autem fideles habēt dominos, non contēnant quia fratres sunt; sed magis seruiant, quia fideles sunt, & dilecti, qui beneficij participes sunt.*

Paralogismū nominat S. Thomas [o], quādo qui in vno se æquales vident esse, in omnibus se putāt esse, nec volūt eis in aliquo subesse, quibus in aliquo pares sunt. Affert exēplū in popularibus, qui Nobilib. minimè subiecti in ciuilibus, credunt se eis in reliquis prorsus esse pares. Potest hoc ad Clerū, & Ordinē Religiosū transferri, vbi scilicet sit eadē cōmunis vitæ ratio, vt suum tenere ordinem, ac locū debeat hierarchia inferiorū, superiorum.

In omni timore] Paulus [p], *cum timore & tremore, in simplicitate cordis ex animo, & cum bona voluntate, sicut Christo Domino. Omni honore dignos dominos arbitrādo* [q]: *obediendo per omnia, non ad oculum, sed timendo Deum* [r]: *in omnibus placendo, non contradicendo, non fraudando, sed in omnibus fidem bonam ostendendo, vt doctrinam salutatoris nostri Dei ornent in omnibus* [s].

Omnia ista, omnis hoc loco timor amplectitur, quē Lyranus exponit omnē dici quia perfectus ac totus: omne enim poni pro toto, & perfecto iuxta Philosophū [t]; talem verò timorē esse, quando quis cauet nō solùm offensā Dei, sed etiā hominis propter Deū. Eadē Hugonis expositio, qui perfectio-

a l. vnic. C. ne Christianum mancip. & l. Deo nobis. §. his autem. C. de Episcop. & Cler.
b de Iudæ. & Sarace. cap. 1. a 9 & c. Mancipia, & c. Fraternitatē, Dist. 14.
Inter Christianos nemo propriè alterius seruus est.
c 1. Tim. 6. 1.
d in Epist. ad Ephes. cap. 6.
e in 1. Tim. 6.
f cap. 3 & ex c. 47. Martini Bra. c. 17. q. 4. ca. si quis alienum.
g tom. 1. de Iusti. & Iure.
h in cap. 6.
i 1. Cor. 7. 21.
k ibid. 23.
l Apolog. pro lib. contr. Iouin.
m li. 1. in ep. ad Romanos.
n 1. Tim. 6. 2.
o ibidem.
p Ephes. 6. 5. 6. 7.
q 1. Tim. 6. 1.
r Col. 3. 22. 23.
s Tit. 2. 9. 10.
Omnis pro toto.
t 5. Metaphys.

né requiri docet, quā vocāt sufficiētiæ, etiāsi fortè desit, quæ dicitur excellētiæ. Hoc modo seruiētes & cum bona volūtate [a], suā seruitutem ipsi quodā modo liberā faciūt, inquit Augustinus [b], *nō timore subdolo, sed fideli dilectione seruiēdo, donec trāseat iniquitas* (origo seruitutis) *& euacuetur omnis principatus, & potestas humana, & sit Deus omnia in omnibus* [c].

Quāuis autē, qui seruilis à seruis denominatur timor, si cū seruilitate sit, ac solus metu pœnę, quę si nō esset, nō parēret seruus, mereatur reprehensionē: tamen laude dignus etiā qui timēs pœnam, obtēperat: licet melior, qui ex timore quē dicimus reuerentialē, & non repugnet, vt in eo reperiatur, qui est conditione seruili, siue initialem appelles, siue quo alio nomine. Distinguit hos timores Oecumenius. & vt in omni timere dicatur seruus, requirit eū timorē illarū sine causa patienter ferat. Ex Didymo petita sunt hæc. Nō inuerisimilis cōiectura, Paulum scribentem Ephesino Episcopo Timotheo, Tito Cretensi, Ephesiis, & Colossensibus, qui erāt omnes in Asia, de seruis mentionem fecisse, quoniam his illa regio abundabat, vt est apud Ciceronē [d], in qua quoq; regione sunt quæ nominātur in Præfatione Epistolæ nostræ Pōtus, Galatia, Cappadocia, Asia (attributū cōmune nomen certæ prouinciæ) Bithynia: & Onesimus Philemonis aliquādo seruus furax, fugáxq; Colossensis erat [e], quæ ciuitas non procul distat à Phrygia.

Extant quidē plura in Histor. Eccles. dominorū Christianorū, qui seruos magno numero traxerūt ad Fidē, exēpla, vt Chromatij vrbis præfecti [f], Hippolyti [g], Hermetis [h], &c. at missis ex vetere Testamēto frugi seruis Iosepho [i], Daniele [k] cū collegis, Mardochæo [l], captiua paruula ex Israël [m]: produnt eadē Eccles. [n] historiæ adolescentū duorum captiuorū opera Indos vlteriores, & captiuæ mulieris vitæ sanctitate Iberes Armeniæ versus Pontum Euxinum, ad Christianismū perductos. Verendum valde, ne improbi serui mores inserāt improbos, quemadmodum facile fuit, vt heri Ethnici malo talium exemplo retardarētur ab amore, & approbatione religionis nostræ. Verè dictum [o]: —*Is*

Cliens frugi habetur, qui neque leges, neque æquum bonum vnquam colit. & illud [p]:

Seruum nolle mentiri, noua religio est. Postremò [q]:

Ἥμισυ γὰρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς

Ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

Altisonánsque viro virtutis luppiter aufert

Dimidium, quem alij miserè seruire necesse est.

Recitat hæc Alexādrinus Clemēs [r] interpretans de spirituali seruitute venūdati sub peccato. Plato [s] paulo aliter negās animum seruorū integrum esse, sed mētis dimidiū iis Iouem ademisse. Porrò Clemēs [t] discrimē statuit inter δοῦλον, & θεράποντα, quòd ille nōnisi coactus faciat officium; iste, quem famulum Latinè dixeris, libenter, & alacriter. Eustathius [u], & alij in eādē nominū propria notione conueniunt, licet etiam quādoque confundantur.

Non tantū bonis.] Dicūtur boni, & Græcè ἀγαθοὶ nō solū qui absolutè boni sunt, & vt Interl. Gl. explicat, Hugo Carthus. Thom. Anglicus, fide, vita, moribus tales, sed qui commodi, benigni, faciles.

Et modestis.] Iidem illi auctores modestiā referunt ad verba, aut ad externū gerēdi, ac se habēdi dominorū erga seruos modū, quādo vel imperant, vel condonant, &c. Græcum nomē τῶν ἐπιεικῶν significat eos qui summo iure non agunt, sed adhibent moderationem, & cum remissione tractāt, & æquitate. Vnde nota virtus τῆς ἐπιεικείας. Hoc est, quod Colossensibus iniūgit Paulus [x]: *Domini, quod iustū est, & æquum* (τὸ δίκαιον καὶ τὴν ἰσότητα) *seruis præstate, scientes quoniam & vos Dominum habetis in cælo.* Et ad Ephesios [y], *& vos domini eadem facite illis*, vt etiam aliquādo seruiatis, vt fecit Christus, inquit Chrysostomus [z], *remittentes minas, scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cælo, & personarū acceptio non est apud eum.* Hoc sciēs Iob [a], non contēnebat subire iudiciū cum seruo, & ancilla, quando disceptabant aduersus eum. Considerabat communem iudicem Deum, & Creatorem.

Multa pro seruis egregiè Seneca [b], monēs æquè vt dominos homines esse (quod ante dixit Cato) immò humiles eorūdē amicos, immò & cōseruos. Eadem ferè Macrobius [c] repetit. Laudātur ab hac in seruos humanitate nonnulli, vt à Plinio [d] Traianus. Cēturioni Euāgelico seruus erat pretiosus, eumq; curabat ægrum domi [e]: & Sapiens [f] præscribit, *vt seruus sensatus, & fidelis Domino sit dilectus tamquā anima, nec illum vnquā inopem derelinquat*, sed quasi fratrē tractet. Martinus adhuc laicus famulo sæpe seruiebat [g]. Antigonus filio dixit insolētius, ac ferocius in subditos se gerēti. *Scito fili, regnū nostrum splēdidam esse seruitutem* [h], *& tenerēdos subditos, vt notos ac familiares, & à Principe tractādos, velut à patre mansueto.* Talia Xenophon [i] dixisse, ac fecisse Cyrum prodit, & longè pulchrius censuisse, atque honorabilius Regi beneficiorū post se multitudinē relinquere, quā trophæorū. Præcipiebat præterea Sopater [k], vt Princeps māsuetū se simul præberet, ac grauem: nō ageret iratè cùm subditis, nec absque reprehensione tamen relinqueret, cum peccant: abstineret à dicteriis & conuiciis. Idem ποιμένα λαῶν appellatio *pastoris populorum* indicat ab Homero toties vsurpata; & inducit Æneam Virgilius [l] alloquentem subditos tamquam socios.

O socij (neque enim ignari sumus ante malorum.)

Vocem huius loci Græcam vsurpat in eadem notione Iacobus [m], necnon Iosephus [n].

Sed etiā dyscolis.] Hugo, & Th. Anglicus mētionem faciūt alterius editionis, *difficilioribus*. Referūt quoq; cū Gl. Ordin. quæ est Bedæ, dyscholos aspiratè scribendo, esse agrestes, nec scholæ, & studiis deditos, quæ reddūt mitiores homines. Græca vox hoc loco est τῶν σκολιῶν, quæ significat obliquos, inflexos, tortuosos, prauos, molestos. Interpres nomini Græco aliud nomē Græcū substituit dyscolorū: propriè sunt autē δύσκολοι fastidioso stomacho, & difficiles in sumēdo cibo, qui dicitur κόλον (vnde κόλαξ adulator, & parasitus) atque per metaphorā acerbi, & morosi, implacidi, molesti, quibus omnia dicta, facta stomachum mouent, & quos aliter nominant δυσαρέστους, καὶ δυστρόπους, καὶ πικρούς, &c.

Pro re difficili dictionem eandem exponit idē interpres [o] alibi, cùm Christus dixit *difficile esse diuitē intrare in regnū cælorum.* Illam aliam vocē dyscholorum, aut dischölorū in dicta notione, neque Latini agnoscunt, neq; Græci: sed hi δίχωλον appellāt vtroq; claudicantē pede, δύσχωλον grauiter, & valde claudum. Auctor libri de scholariū disciplina, quem tribuunt vel Boëtio, vel Petro Blesensi, vel Hugoni Ætheriano, legens dyscholis aspiratè, interpretatur etiam sine schola, esseq; tales vacatione diuisos, discurrentes per vicos, plateas, tabernacula, meretrices, cellulas, publica spectacula, pōpas, choreas, comessationes, cœnas, vagis oculis, effræni lingua, petulanti animo, vultu incomposito. Agit, credo, Petrus de dominis ethnicis, prorsus alienam putans à nomine Christiano sæuitiam in seruos, famulósve.

Reprehensi sunt à Gregorio II. ad Bonifacium

Episcopum

a Ephes. 6. 7.
b 19. de Ciuit. cap. 15.
c 1. Cor. 15. 28.
Qui timore pœnam obtemperat, laude dignus est.
d orat. pro L. Flacco.
e Coloss. 4. 9.
f in Gestis S. Sebastia.
g In actis sancti Lauren.
h in vita Alex. Papæ.
i Gen. 39. & 40. & 41.
k Dan. 1. & 2. & 3. & 4. & 5. & 6. & 14.
l Esther 2. & 6. & 10 & 11 & 12.
m 4. Reg. 5.
n Ruffin. lib. 10. c. 9. & 10. Theodor. li. 1 cap. 23. & 24. Nicephor. lib 8. cap. 34. & 35. Freculphus Chron. tom. 2. lib. 4. c. 19.
o Plautus in Menæch.
p Terent. in Andria.
q Homer. Odyss. ρ.
r 4. Strom. c. 2.
s 6. de legib.
t 2. Strom. cap. vlt.
u in Iliad. α.
x Coloss. 4.
y cap. 6. 9.
z Ibidem.
a Iob 31. 13. 14. 15.
b epist. 47.
c lib. 1. c. 11.
d in Panegyr.
e Lucæ 7. 2.
f Eccl. 7. 23. cap. 33. 31.
g Sulpit. in vita.
h Sopater apud Stob. serm. 44. *Regnum est famosus splendida.*
i 8. Cyri pædi.
k Apud Stob. serm. 46.
l 1. Æneid. longius ab initio.
m c. 3. 17.
n 24. Ant. c. 15.
Dyscholi qui sint.
o Matt. 19 23. Mar. 10. 23. Lucæ 18. 24.
Sæuitia in seruos, famulósue aliena à Christiano nomine.

Episcopum scribente, Germani fideles, qui Paganis ad immolandū sua venūdabant mācipia, eandemq; cum homicidis pœnitentiam ipsis ind. xit. In Concilio etiam Vormariēsi, qui seruum occidisset, quamuis morte dignū, plectitur excommunicatione, vel pœnitentia biennali [a]: & ancillam domina flagris zeli furore verberans, ita vt ea infrà diem tertium animam cum cruciatu effundat, si id voluntate acciderit, septem annos: si casu, quinque, legitimā peragere pœnitētiā imperat [b].

a cap. 18.
b cap. 39.
c lib. 1. c. 11.

Conqueritur apud Macrobium [c] Prætextatus agens cum Euāgelio, de quorundā morositate dominorum. *Virga murmur omne cōpescitur, & ne fortuita quidē sine verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentū, singultus, magno malo lieitum. Sic fit, vt isti de Domino loquātur, quibus corā Domino loqui nō licet.* Plura ibi; transcripta, vt videtur, ex Seneca prius citato: & exēplo præterea docet, quā sint serui Diis curæ: item ad inuidiam dominis detrahendā atq; cōtumeliā seruis, placuisse Maioribus nostris dominos dici patres familias, seruos familiares: & ne verū euaderet prouerbiū, *Totidē nobis hostes esse, quot seruos.*

Ad extremū, Clemens [d] Alexandrinus admonēs nō tamquā iumētis famulis vtēdū, subdit rationē ex præsēti testimonio. *Quemadmodū enim illis præcipitur,* inquit, *vt cū omni metu dominis non solū bonis, & clemētibus, sed morosis etiā, & prauis subiiciātur: ita æquitas, & patiētia, & benignitas dominis pulchrè cōuenit.* Lege quo pacto * Ephrem hunc proferat locum vna cum similibus, vt doceat magistris, atque præfectis morigerandum.

d 3. Pæda. c. 11.
* To. 1. pag. 9.

Hinc potiò refelli potest iam ante commemoratus error, nō priuari potestate, gradu, dignitate, iurisdictione, dominio, honore, tributo, & similibus eos, qui versātur in peccato mortali, quidquid sit de tyranno, de quo nihil nunc affirmamus, nā dyscolis obediendum, sicut Christus [e] imperat *vt quæ dicūt doctores, ac pastores nostri, nimirū honesta, & iusta faciamus: verū non secundū opera eorū, si contingat mala esse.* Nec Sorbonici, sicut de his obloquitur Augustinus Marloratus [f], nec aliorū Catholicorū quisquā ex dyscolorū significatione, pro dissolutis & irregularibus, Fidei struūt articulū, quod Papę, & cornutis eius bestiis (sic furcifer loquitur) obediēdum sit, quantumuis graué, & minimè ferendam tyrannidē exerceāt; Euāgelicū iugum, & disciplina ecclesiastica tyrānis est Apostatis, & Hęreticis. Vtroq; Marloratus obstrict⁹ crimine, proptèr seditiones quoque Rhotomagi cōmotas, Regij magistrat⁹ decreto, laquei suppliciū passus est.

Non priuantur potestate mali principes.
e Matt. 23. 2.
f In Catena huius loci.

Vers. 19.] Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè.

Vers. 20.] Quæ enim est gloria, si peccātes, & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum.

HÆc seruis quidem, qui dominis vtuntur dyscolis, immediatè dicuntur, & subditis quibuscumq; attamen vniuersè cōgruere Christianis possunt, vt patienter ferant quaslibet afflictiones, & persecutiones. nam in hoc summa est hominis Christiani, perfectio Euāgelica id exigit, ista apud Deū gratia, laus, gloria, gratis, absq; causa, & merito, pati, nō propter scelera, & crimina, quæ prouocant iram & odiū Dei, atque supplicia merentur æterna. *Pati persecutionem propter iustitiam beatum est* [g]: martyrem facit nō pœna sola, sed causa, propter quam toleratur, vt crebrò disserit contra Donatistas, maximè qui Circūcelliones appellabantur (vt omittantur Marcionitæ, Cataphrygæ, Nouatiani, & Euphemitæ, qui cognominati sunt Martyriani, & nostro tēpore Martyroliniani Hæreticorū) Augustinus [h], & in genere Bernardus [i], Hieron. [k] Optat. [l] Chrysost. [m] Cypr. [n] aduersus Hæreticos nō patiēter modò, verum etiā hilariter pro suis erroribus morientes. Quāquam sua nō deest laus, ac merces eū patiētia tormēta ferentibus, vel à Deo, vel ab hominibus ob sua peccata inflicta, & de necessitate, vt dicunt, faciētibus virtutē: sed si conferantur hi cum aliis, parua sunt laude, ac mercede digni, *Ibant Apostoli gaudentes, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati* [o]: habebantur *vt mundi purgamenta, & peripsema* [p], in quos diræ omnes cōiicerentur, velut in maximè noxios: laborabat Paulus *vsque ad vincula, tamquā malè operās* [q]. Exaggerat hunc locū totū Ambros. [r] de Iusto, cui semper bonus Deus, etiam cum torquetur doloribus corporis, & cū affligitur acerbitate pœnarū, atque gratulatur, siue iustè, siue iniustè afficiatur in hoc seculo, vel quòd hîc soluat pretia delictorū, vel quia nouit apud Deum vberiorem gratiam esse iniustè pro eius nomine, aut pro bono aliquo opere acerba aliqua pati. Inuiderunt persecutores olim aliqui, vt Iulianus, & nūc inuidēt, in Anglia Hæretici gloriā istā Orthodoxis, vt videātur pro Fide, & Religione mortem obire: prætexūt causā seditionis, & perduellionis.

Pati propter iustitiam beatum est.
g Matt. 5. 9.
h epist. 50. 61. & 167. & Serm. 50. de verbis Dom. Serm. 15. de verb. Apost. 1. cont. epist. Parmen. c. 7. 3. con. Cresc. cap. 47 in Psal. 34 & 68.
i Serm. 66. in Cant.
k in cap. 5. ep. ad Gal. & in epi. ad Philem.
l 3. con. Parm.
m tract. 1. cont. Iudæos.
n epist. 52. & ep. ad Iubaia. lib. de Vnit. Eccle. & in orat. Domin.
o Act. 5. 41.
p 1. Cor. 4. 13.
q 2. Tim. 2. 9.
r in Psal. 72.

Hæc est enim gratia.] Τοῦτο γὰρ χάρις. Hoc est enim gratia. Syriacè: *Illis enim est gratia apud Deum*: nempe grati sunt illi, ac placent, & probantur Deo. Ephrem [s] legit: (*Hæc est gratia apud Deum.*) Sensus præterea potest esse, in hoc potissimū vigere, & ostendi vim gratiæ, in hoc perfectionis sitam summam, quòd vulgo dicitur; *Bona facere, & mala pati, egregium id esse, maximéque gratum*. Per hoc efficitur homo gratus Deo, ait Glossa interlin. & Ordin. & hoc exigit gratia Fidei: hoc est, opus supererogationis, inquit Lyranus: per hoc acquirūtur, vel cumulantur merita, dicit Hugo. In aliquibus libris Græcis additur Θεῷ, vel Θεοῦ, vel παρὰ τῷ Θεῷ. Trito sermone diceremus: *Questo è gratia, questo si è far cosa grata, & gratiosa, &c.*

s tom. 2. paræn. 15.
Bona facere & mala pati egregium est.

Si propter Dei conscientiam.] Εἰ διὰ συνείδησιν Θεοῦ. Syriacè: *Illi gratiam habent coram Deo, qui propter bonam conscientiam perferunt,* &c. Oecumenius (nec enim silent de hoc Græci, vt Gagneius dixit) explicat de timore, propter consciētiam, id est, cum scientia rectæ rationis, quando scilicet nihil peccantes puniunt seruos peruersi, ac praui heri. Caietanus de applicatione scientiæ, quam quis habet de iis, quæ sunt grata Deo. Titelmanus de timore Dei, quem dictet consciētia, nempe ad eum ferè modum, quo dicebat Oecumenius. Clarius de conscientia inculpatæ vitæ, cum qua patiatur quis pro Deo, & pro veritate. Catharinus, & Salmeron de conscientia studentis Deo placere, & scientis se propter Deum pati, quæ videri possit instar muri ahenei: de quo poëta [t].

Conscientia murus aheneus.
t Horat. lib. 1. epist. epist. 1.

Vatablus de illo, qui cognoscit Deum, vel nouit id esse Deo acceptum, nempe sustinere, seu pati, &c. Gagneius, si neglecto hominum iudicio, quoniam Deus mentem nostram nouit, & studemus cōscientiam habere ad illū semper, & quoad licet, etiam ad homines, patienter feramus iniurias, & gratiam apud eundem quæramus, cui probè quoq; nota sūt cęterorum falsa iudicia. Exemplum profert in Paulo [u], de quo antea diximus.

u Act. 24. 1. 6. 2. Cor. 8. 13.

Emmanuel Sà, propter Deum omnium conscium (hoc etiã Primariccius dicit) vel propter cõscientiam secundum Deum, nempe cum quis conscius est id Deum velle, inquit Pererius [a], inde colligens humana pręcepta obligare posse in cõscientia. Salmeron [b] alibi, quia termus datum à Patre ad mortem Filium. Paruum in his dissidium, nec discrepant vetustiores, nominatim Hugo, exprimens rectam intentionem, quam Deus cum homine scit, cùm Paulus meminisset de tribulatione supra modũ grauante, & periisset agi gratias pro se Deo, subdit *summum solatium, & gloriam ex testimonio bonæ conscientiæ* [c]. Quare neque Gagneius iustam hic occasionẽ sumpsit adeo acerbè Caietanũ tractandi: neque Catharinus argumentum satis hinc idoneum colligit ad suam illam explosam opinionem probandam de gratiæ certitudine.

a in c.13. ep. ad Roman. disp. 1. nu. 9.
b tom. V. tract. 11.
c 2. Cor. 1. 8. & seq.

Tristitias.] Λύπας, molestias, dolores, angustias, עקתא *bhatbaka.*

Iniustè.] Ἀδίκως, non quia ioris præterita sit ratio modúsque dumtaxat, sed quia innocentes puniti vexative sint.

Quæ enim est gloria.] Alij vt Ruffinus [d], (Gratia) ποῖον κλέος, *Quale decus, laus, gloria, &c.* Tertullianus [e]: (*Quænam enim gloria.*) Ambrosius [f]: *Quia nulla est gloria.* Habet quoque Syra editio nomẽ gloriæ, תשבוחתא *thesbuchetha*, & Ephrem [g] Syrus. Similis loquendi modus illi, quo dixit Christus [h]: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* τίνα μισθὸν, apud Matthæum. Apud Lucam [i]: *Quæ vobis est gratia?* Ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; Item [k]: *Numquid gratiam habet seruo illi, quia fecit, quæ ei imperauerat?*

d in Psal. 43.
e in Scorpiaco, cap. 12.
f in Psal. 72.
g tom. 2. Paræ. 25.
h Mat. 5. 46.
i cap. 6. 32.
k cap. 17. 9.

Si peccantes, & colaphizati suffertis. Ambrosius: *Si peccantes punimini, & suffertis*, quo communi etiam puniendi verbo Tertullianus [l] vtitur, ἁμαρτάνοντες [m], καὶ κολαφιζόμενοι, aut iuxta alios κολαζόμενοι *puniti.* Syrus interpres exponit genericè per participiũ aliud, significans oppressos אליצין *alisin*, eodẽ verbo κολαφίζειν in generali etiam notione vtitur Paulus [n], cum ait, *Colaphis cædimur*, & [o], *Datus est mihi Angelus Satanæ, qui me colaphizet*, qui locus variè exponitur, de persecutione, de morbo vel dolore capitis, vel auriculæ, vel renum, vel articulorum, siue de podagra, vel dolore iliaco, vel stomachi, vel de stimulo carnali aduersus Theclam (hoc dicit Hugo Cardinalis) ibi est σκόλοψ lignum præacutũ, & ambustum, surculus acutus, & inhærens, sudes, spiculum, &c. Sed Euangelistæ in propria ponunt significatione, quando narrant colaphis, & alapis cæsum Christum [p], sicut & cũ palmis, quæ dicũtur ῥαπίσματα, à verbo ῥαπίζειν. Vix reperias extra scripturas sacras κολαφίζειν, & colaphizare, κόλαφος, & colaphus Latinè alapa, est ictus inflictio, quæ pugno fit; interdũ palma: palmam pro percussione, quæ palma, id est, vola manus, fiat totáve expãsa manu, nec apud alium idoneum Auctorem reperio. Quamuis depalmare, pro palma percutere, Gellius [q] ex tabulis legum referat, commemorans L. Neratij egregiam improbitatẽ, atq; immanem vecordiam; vt eum pro delectamento haberet os hominis liberi, manus suæ palma verberare, sequi se iuberet seruũ crumenam plenã assium portitãrem, & quemcumq; depalmauerat, ei numerare statim secũdum XII. Tabulas quinque & viginti asses. Vnde colligitur seruile; viléque hoc habitũ supplieiũ quod cõstat nõnullos martyres passos, vt Torpetem, Marcellinum presbyterum, Sororem Aquilinam, Tatianam, Felicitatẽ, Agatham, Dorotheam, Symphorosam, Epipodium, Speusippũ, Eleusippum, Meleusippum, Photinum, Fabium, Antimum, &c.

l supra.
m supra.
n 1. Cor. 4. 11.
o 2. Cor. 12. 7.
p Matt. 26. 67. Marc. 14. 65.
q lib. 20. c. 1. Depalmare quid sit.

Viles habebantur Christiani, & de seruis præsertim scribebat nunc Petrus: idcirco tum hic, tum Paulus huiusmodi verbis libenter vsi sunt. Hinc quoq; manasse videri potest ritus in Sacramento Confirmationis, vt Episcopus Confirmatum leui alapa cędat, nempe vt is eo se sacramento armatum recordetur contra ignominiam, & iniurias pro Christo. Hanc rationem reddit Concilium Coloniense. Quamquam illa reddi posset de quadam veluti seruorum manumissione, quæ fiebat olim alapa percutiendo, & circumagendo, vt indicant Claudianus [r], Persius [s], Appianus [t], Arrianus [u]: & dum liberi mancipabantur, vsus erat præterea rapismatum iniuriosorum, de quibus in Codice [x]. Vbi Glossæ Auctor simile quid suo tempore factum refert in desponsantibus licet. Ludo Ephrem [y] inuehens in percussorem Christi, meminit dictæ consuetudinis asserendi seruos in libertatem per alapam: ipse verò ô miser, inquit, iniustè, vniuersorum liberatorem alapis cædis? &c. Alapam quidem omnium Domino dedisti, sed per hoc seruos seruorum in perpetuum effectus es. Boëtius [z] meminit manumissionem factam lictore virgam serui capiti imponente. Meminit etiam Plutarchus [a]. Lege Iacobum Reuardum [b], & Alciatum [c], & Balduinũ [d]. Hic rapisma putat fuisse ipsos ictus virgulæ, quia ῥαβδὶς virgula est. Consule item Politianum [e], Lælium Bisciolam [f].

Cur confirmatis palma cæditur.

r consulatu 4. Honorij.
s Satyra 5.
t lib. 4.
u In Epict. lib. 2. cap. 1.
x de emancipat. liberorum l. vlt. & nouell. 81.
y Tom. 3. serm. de Passion.
z In Topica Ciceronis.
a de sera numinis vind.
b 4. de ambiguit. iuris c. 9.
c lib. 2. parerg.
d li. 1. in Iustin.
e miscella. cap. 98.
f hora. subcis. 8. 15.

Chrysostomus homilia quadam, qua explicat illa verba Pauli [g]: *sufficit tibi gratia mea,* &c docet ignorari à multis quid sibi velit colaphizare: nec enim tantùm percutere caput, sed parœmiali sermone deprimere atque humiliare, vel per carceres, vel per abductionem ad supplicium, vel per famem, vel per quamcumq; aliam rem: id autem sibi velle, cùm ait se colaphizatum ab angelo Satanæ. Confirmatur verbis Iob [h], quibus ait, *quod hostes exprobrantes percusserint maxillam eius*; id est, quod vt aliqui exponunt, omni genere ignominię seu ignominia maxima affecerint.

g 2. Cor. 12. 9.
h c. 16. 11.

Sed si benefacientes patienter sustinetis.]. Alij (patiẽtes,) vt etiam est Græcè, πάσχοντες ὑπομενεῖτε, & ita quoque legit Ambrosius [i], Ruffinus [k], si benefacientes & patientes, sensu tamen eodem.

i in Psal. 72.
k in Psal. 43.

Hæc est gratia apud Deum.] Τοῦτο χάρις παρὰ Θεῷ, *hoc est gratia*, &c. quemadmodum versu decimonono. Syriacè. *Tunc crescet gloria vestra apud Deum.* Relege notata dicto versu. Et continet repetitio istą emphasim.

Vers. 21.] In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.

Duplex ratio ad persuadendam patientem obedientiam: tum quia eam exigit Christiana vocatio: tũ quia Christus nostra causa tulit tam multa prorsus innocens, & sese nobis ad imitandum proposuit. Nemo potest causari se in patiendo primum: præiuit exemplo tantus vir, immò simul Deus Christus: non potest queri se sine causa pati: quis enim innocentior Christo, qui quod facillimum est, ne verbo quidem lapsus est? non potest afferre se, donec non lacessatur, quæ accidunt, passurum: quin autem repellat illatam iniuriam, obtineri non pòsse, nam Christus cùm malediceretur, non maledicebat: tantáque

Nemo potest causari se in patiendo primum.

passus

passus, ne comminabatur quidem: non potest affirmare, se, si commeritus esset, laturum æquo animo: siquidem Christus tradebat se iudicanti iniustè: tandem non potest obiicere grauitatem, ignominiámve tormenti: quia quid in vtroque genere maius cruce? quam & propter peccata nostra tulit Christus, vt æquum sit, nos nonnihil ipsius causa ferre, non solum ob ipsamet tot, adeoque grauia peccata propria.

In hoc enim vocati estis.] Εἰς τοῦτο γὰρ ἐκλήθητε. Quasi diceret: hæc ars, hæc professio vestra: nihil alienum accidit à vocatione vestra. Seruorum est obedire, & pati, sed omnibus quoque Christianis id est commune, *non aliter viuere piè potest, nisi persecutionem patiendo* [a]: *non intrari in regnum Dei nisi per multas tribulationes* [b]: *nemo sequi Christum potest*, & Christiani nomine dignus esse, *si seipsum non abnegat, & crucem tollat* [c]: prædixit Christus *pressuram nos habituros in mundo* [d]: ploraturos, & fleturos [e]: *Militia & tentatio est vita hominis super terram* [f]: indictum nobis ab initio bellum.

Sed per se, ac primo loco Petrus alloquitur seruos, & subditos: quemadmodum Paulus epistola ad Titum [g], vbi pariter subiicit exemplum Christi sicut ille hoc loco: nihil enim efficacius exemplo isto, præsertim miseræ hominum talium conditioni, quibus etiam per occupationes non vacat prolixiores audire sermones, *Christus verò formam serui accepit* [h]; & adeo nobilis persona in vilem se seruitutem abiecit: compertum verò experientia est, cùm rex induit fictam huiusmodi personam, facilè ceteros eum imitari. Vnde sub mortem vltimam veluti monitum seruili officio consignauit pedes lauando [i].

Passus est pro nobis.] Sic etiam Græcè ὑπὲρ ἡμῶν & Syriacè חלפן *chalapan*, Oecumenius autem, & quidam libri Græci: & Cyrillus Alexandrinus [k]: ὑπὲρ ὑμῶν *pro vobis*, & pro ἔπαθεν *passus est*. ἀπέθανεν, *mortuus est*. Vatablus, Caietanus, & Clarius legunt hic; & sequenti parte versus *nobis*, passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum. Nicolaus Zegerus, & Lucas Brugensis contendunt legi debere *vobis*, sicut & sequenti membro. Nam seruos, ait Lucas, alloquitur Petrus, proponens ipsis exemplum Christi, vt obseruat quoque Beda: qui & illud notat, cùm ad illos specialiter fecerit sermonem, postea monere generaliter seipsum addendo *peccata nostra ipse pertulit*, &c. Ait præterea Lucas, videri eos, qui legunt *nobis* cauisse, ne censeretur arrogantius scribere Petrus, & parum gratus esse; *passus est pro vobis, & vobis relinquens exemplum*, quasi non agnosceret redemptionis suæ per Christi passionem beneficium: aut se perfectiorem duceret, quàm vt eiusdem opus haberet exemplo.

Ad hæc annotat ex Patribus citantibus præsentem locum, non licere certò argumentari, vt ex Augustino [l], apud quem est vtrobique *nobis*, quia non ad verbum, sed iuxta sententiam citat, exprimens etiam *sequamur*, non autem *sequamini*. Item ex Cypriano [m], Hieronymo [n], Leone [o], quia ferè solent librarij citationes Patrum eo modo, qui assueuerunt, immutare: & qui præsunt editionibus Typographorum, aliquando iuxta Græcorum lectionem. Exempli causa, Hieronymus ex Typographia plurium habet *nobis* priore loco, & posteriore *vobis*: ex quorumdam pauciorum vtrobique *nobis*. idem affirmari potest de Tertulliano [p], Ambrosio [q], & aliis. Cyrillus [r] Alexandrinus legit vtrobique *vobis*.

Eximimur ab ista disceptatione, postquam prodierunt Biblia iussu Pontificis Sixti Quinti, & Clementis VIII. emendata, debemusque, quod passim faciunt expositores Latini, legere *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*, & ita maxima ex parte video extare in aliis editionibus, vel Bibliorum, vel Patrum, excepto Augustino, & Saluiano [s], qui legit quoque *sequamur*. De re ipsa, hoc est, de passione Christi quid attinet, agere, breui præsertim sermone de tam amplo argumento?

Vobis relinquens exemplum.] Iam notaui aliam lectionē *nobis*. Tertullianus [t] addit *semetipsum*. Thomas Anglicus, & Caietanus *vobis relinquens exemplum* aiunt dici, retinendo lectionem illam, quia subauditur *nobis dedit, qui vidimus: vobis reliquit, qui non vidistis*. Hugo: quia Apostoli non indigebant exemplo, vtpote qui Dominum viderant, & eius iam passio formata atque impressa in animabus illorum: *ita vt circumferrent mortificationem Christi in corpore suo* [u]; & *stigmata portarent* [x]. Carthusianus: *vt exhortatio ista cordibus eorum, quibus scribebat Petrus*, fortius inculcaretur.

In omni vita Christi, si de moribus loquamur, multa nobis exempla suppetunt, estq; omnis eius actio nostra instructio, maximè verò in passione, & morte. Vna ex præcipuis causis incarnationis fuit, vt præberetur nobis exemplum, & qui volueramus esse *sicut dij* [y], Deum imitari possemus incarnatum, *& conformes fieri imaginis Filij Dei* [z]: vt non amplius ironia sit, sed veritas: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est* [a].

Hoc multi docent Patres, potissimum Basilius [b] appellans Christum εἰκόνα, ὑπογραμμὸν, ἀρχέτυπον, τύπον, ὑπόγραμμα nostrum: præterea Ambrosius [c], Augustinus [d], Gregorius [e], Leo [f], Bernardus [g], Cyrillus [h] Alexandrinus, Euthymius [i], Cyprianus [k], Hieronymus [l], Sixtus [m] Papa Tertius, Athanasius [n], Chrysostomus [o], Ignatius [p]. Verùm nos hoc ipsum tractauimus exponendo Ecclesiastem [q], & primam Ioannis epistolam [r].

Vrgent Ambrosius, & Leo, quòd facti simus ad imaginem Dei, quæ imago Christus est [s]. Sixtus Papa, quòd Pater præsentibus Mose, & Elia, iussit Apostolis, *vt illum vnum audirent* [t]. Ceteri ad hoc factam incarnationem: & vrget Bernardus, quia nos carne constabamus, amórque noster cum carne coniunctus: quo referri posset illud [u]: *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Paulus prouocat alios *vt se imitentur, sicut ipse Christum* [x]: nec enim *socios fore consolationis, qui non fuerint passionum* [y]. Ait etiam *apparuisse gratiam Saluatoris* [z] *nostri* Dei omnibus hominibus erudientem nos: suggerit causam cur imitari debeamus Deum quia *sumus filij carissimi* [a]: *vt hoc sentiamus* (seu sapiamus) *quod & in Christo Iesu* [b]: *vt recogitemus eum, qui talem aduersum semetipsum sustinuit à peccatoribus contradictionem; vt ne fatigemur, animis nostris deficientes* [c]. Est verò ἀναλογίσασθαι expendere, reputare seriò, & facta collatione, & analogia cogitare.

Hoc martyres in primis ardenti dilectione fecisse, Augustinus [d] docet, Athanasius [e], & Nazianzenus [f], & auctor libri de conflictu vitiorum apud Augustinum [g]. hoc exemplo premunt maximè retinentes iniuriæ, odiíque. Christus legē tulit [h] *vt dimittamus debita*, seu, vt Lucas peccata nostra *sicut & nos* (Deū imitādo) *dimittimus debitoribus nostris*: iussit *vt ab eo discamus mites, & humiles esse* [i], exemplum dedit, *vt quemadmodum ipse fecit nobis*

a 2. Tim. 3. 12. b Act. 14. 22. c Mat. 16. 24. d Ioan. 16. 33. e ibid. 20. f Iob. 7. 1. g Tit. 2. 9. 10. 11. h Philip. 2. 7. *Christus persona nobilis in vilem se seruitutem abiecit.* i Ioan. 13. 5. & seqq. k De Incarn. quòd vnus sit Christus. *Citationes Patrum ... conformant.* l in Psal. 87. & Tract. 51 in Ioan. ... m ... n ... o serm. 14. de Pass. p in Scorpiace c. 15. q in Psal. 73. r ... quòd vnus sit Christus.

s lib. 6. de gubern. t in Scorpiace c. 15. *Christus dedit exemplū Apostolis, nobis reliquit.* u 2. Cor. 4. 10. x Gal. 6. 17. y Gen. 3. 5. z Rom. 8. 29. a Gen. 3. 22. b de constit. monast. c. 2. & 4. c in Psal. 118. serm. 10. d de fide, & Symb. c. 4. lib. 83. qq. q. 25. & 40. in Psal. 17. e ... f serm. 15. de Pass. ... g serm. ... h in Ioan. lib. ... i ... k ... l in Psal. 48. m lib. 3. de diuitiis. n de virginitate. o hom. de credulitate. p epist. ad Ephes. q c. 10. 16. r c. 4. s Coloss. 1. 15. t Matt. 17. 5. u Heb. 2. 14. x 1. Cor. 4. 16. ibid c. 11. 1. y 2. Cor. 1. 7. z Tit. 2. 11. a Ephes. 5. 1. b Philip. 2. 5. c Hebr. 12. 3. *Christi exemplū martyres sequuntur maximè.* d Tract. 84. in Ioan. e de virginitate. f ... g Tract. ... h Matt. 6. 12. Luc. 11. 4. i Matt. 11. 29.

lauando pedes discipulorum, &c. *ita & nos faciamus* [a].

Vita omnis Christi nobis instar est pallij [b] Eliæ, *& ipsummet Christum totum indui debemus* [c]. Vnius de septem sapientibus apophthegma est: Ἕπου Θεῷ, Sequere Deum [d]: quod multò sapientior alius expressit verbis: *Gloria magna est sequi dominum* [e]: *sequens enim habebit lumen vitæ* [f]. *Inspicere oportet, & facere secundum exemplar, quod nobis in mõte monstratum est* [g]: ac velut alterum nobis loquentem audire Abimelech: *Quod me videritis facere, citò facite* [h]. Armiger Saulis illo mortuo mori voluit [i]: Vrias noluit delicatè agere, cum Ioab durè viueret in exercitu [k]: Filio tribuitur esse Patris imaginem [l], propterea ipse per se maximè imitabilis videtur. Poëtas Plato eiiciebat propter τὸ ποικίλον, inquit Proclus [m], *propter varietatem quam proponunt imitando bonos malósque*. Cùm enim homo sit μιμητικός, esse quoque φιλόμυθον: plurimi autem referre, vt bona dumtaxat imitetur, ac virtutem sectetur, quæ Deo similis est, in quo excellit maximè τὸ ἕν id, *quod vnum est*. Quomodo virtutum omnium nobis principium Christus, egregiè docet per inductionem Ambrosius [n]. Præcipit Aristoteles [o] ne pueri Pausonis figuras inspiciant, quæ turpes erant, sed Polygnoti, ἠθικὰς morales, & honestas. De iisdem idem in Poetica capite primo.

Caluiniani, quos in dialogis refutat Feuardentius [p], impiè negauerunt Christi omnia facta promiscuè ad imitationem trahi conuenire, vt exempli causa ieiunium Quadragesimale [q], & similes alios continentiæ, temperantiæ, & similium virtutum actus. Vocãt qui velint imitari peruersos æmulatores, stultos ludiones, simias, contumeliosos in Christum, instituẽtes impium, ac detestabile Christi ludibrium, obscurantes singulare miraculum eius, eiusdem se spoliis vestientes. Caluini dissectaneis, contrariisque testimoniis aliis ipsemet, ac sui conuinci possunt, quæ citatus producit Auctor. Sed multò validius confutantur allatis scripturarum, atque Patrum locis, & ipsamet ratione, quam confecimus. Nominatim autem ieiunio Quadragesimali nobis editũ à Christo exemplum permulti Patres tradunt, de quibus alibi [r] meminimus, nec admodum nunc refert illos repetere. Id vnum monendi sumus, imitationem Christi virtutum pro modo nostro esse debere, & pro gratiæ mensura, quam largiri dignatur Deus.

Aliud præterea sequitur ex imitatione Christi, quæ nobis hic proponitur circa passionem eius, non satis esse, quòd ille sit passus pro nobis, nisi studeamus quoque patiendo satisfacere, & vindicare in nobis ipsis illatam Deo iniuriam, etiam si condonata sit per pœnitentiam peccati culpa, & æterna illi debita pœna. Nam plerumque residet particula temporalis luendæ pœnæ. Non magis porrò hæc de satisfactione, & crucis quadam gestatione, ac perpessione doctrina obscurat redemptionis beneficium per Christum, quàm cùm iuxta Pauli [s] præscriptum *carnem crucifigimus: Christo capiti cõpatimur* [t]: *peccatis mortui, iustitiæ viuimus* [u]: *pœnitentiæ dignos fructus facimus* [x]: *quæ desunt passionum Christi adimplemus in carne nostra pro corpore eius, quod est Ecclesia* [y]: vt licet in capite nostro consummatum sit [z], loquitur Augustinus [a], restarent adhuc in membris eius aliæ passiones, id est, in nobis, quibus gloriam istam obtinuit, vt & ipsi pati possimus pro ipso, vel vt patiamur pro Ecclesia, & pro aliis, sicut ille pro nobis: vel quia

a Ioan. 13. 15.
Vita Christi est instar pallij Heliæ.
b 4. Reg. 2. 8.
c Rom. 13. 14.
d Amb. lib. 1. de Abraham, c. 2.
e Eccl. 23. 38.
f Ioan. 8. 12.
g Exod. 25. 40.
h Iudic. 9. 48.
i 1. Reg. 31. 5.
k 2. Reg. 11. 9. 11. & seq.
l Coloss. 1. 15. & alibi.
m in Quæst. Polit. ex 3. Platonis de Rep.
Virtutum omnium principium Christus est.
n 1. de fide c. 4.
o 8 Polit. c. 5.
p dial. 4. centu 108.
q Mat. 4. 2.
Caluiniani volunt Christi imitatores.
r in Domin. 1. Quadrag.
Per pœnitentiam peccata dimissa, adhuc pœna satisfactoria luenda.
s Gal. 5. 24.
t Rom. 8. 17.
u 1. Pet. 2. 24.
x Mat. 3. 8.
y Col. 1. 24.
z Ioan. 19. 30.
a in Psal. 86.

defuit hoc passioni Christi, vt pateretur ipse in membris suis, qui nostras suas deputat passiones. *Deus*, inquit Basilius [b], *pro remissione peccatorum nostrorum demisso vnigenito filio suo, quantũ in ipso est, iam ante iam omnibus condonauit. Quoniam autem misericordiam & iudiciũ sanctus vir canit* [c], *& testatur Deũ misericordem esse, & iustum, necesse est, vt quæ & à prophetis, & ab Apostolis suis locis de pœnitentia dicta sunt, ea à nobis præstentur, vt appareãt iudicia iustitiæ Dei, & misericordia eius consummetur ad cõdonationem peccatorum.* Accedat & Gregorius [d]. Is explicans mysticè, quod Sauli Samuel apponi de eo, quod remanserat, imperauit [e]: *Remãsit quidem*, inquit, *quia non omnia nostra Christus expleuit: per crucem quidem suam omnes redemit: sed remansit, vt qui redimi, & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò residuum viderat, qui dicebat* [f]: *si compatimur & conregnabimus.* Quasi dicat, quod expleuit Christus non valet nisi ei, qui id, quod remansit, adimplet. Hinc B. Petrus Apostolus dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Hinc Paulus [g] ait: *Adimpleo ea, quæ desunt passionũ Christi in corpore meo.* Ad hunc modum Gregorius. Plura Theologi de satisfactionis necessitate: aduersus hæreticos autem diligenter Bellarminus [h] noster.

Ceterùm curare quisque debet, maximè qui præest vt præeat aliis exemplo. Valde id Paulus Timotheo commendat [i]. Iosephum Philo [k] scribit, vitam suam proposuisse velut virtutibus bene pictam tabulam. Sed de hac re postea capite quinto.

Vt sequamini vestigia eius.] Memini priùs de iis, qui legunt *sequamur*, Augustino, & Saluiano. Tertullianus [l] legit *adsequamini*. Sũt vestigia hæc impressa non in puluere tantùm, sed & in sanguine, plagæque ipsæ luculẽta sunt vestigia, non pedum dumtaxat, verum etiam lateris, & manuum. Nulla compendiosior ad vestigandum, & reperiendum Christum via, quàm per impressa ista vestigia. Viri mendaces, *apud quos obliuioni datus ille tanquam mortuus a corde* [m], non erunt illius memores, (quod genus ingratitudinis Seneca [n] summum dicit, nempe beneficiorum obliuisci) *viri veraces* (qui recentem beneficij tanti gerunt memoriam) *inuenientur in illa, & successum habebunt vsque ad inspectionem Dei* [o], qui enim *socij passionũ, simul & resurrectionis* [p], *& qui sustinuerint, in Christi vestigiis insistendo, conregnabunt* [q], videndo Deum facie ad faciem, non amplius in solis vestigiis: vel cùm inspiciet Deus, id est, visitabit, & iudicabit, prosperè agetur cùm talibus.

De prioribus erat Iob [r], dicens: *vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & non declinaui ex ea.* Nempe asserit se Dei secutum præcepta, quam velut viam nobis tenendam ipse commonstrat: aut eiusdem actiones honestas, quibus præiuit, nosque ad virtutes informauit, præsertim Deus factus est homo. Ita quidem Gregorius [s] intellexit, & ipsummet Iob, qui certis iam fide dixerat [t]: *Scio quod redemptor meus viuit*, &c. Respexisse ad benignitatem Christi, humilitatem, patientiam, quæ nobis ad exemplum virtutes essent futuræ, & eas ille iam sibi proponebat imitandas, & illa eius vestigia tenenda iuxta id, quod hoc loco dicitur. Citat eumdem locum ad idem propositum Hugo in Commentario. Idem dici de Patribus aliis antiquis potest, & nominatim id Paulus exprimit de Mose [u], *quòd maiores diuitias æstimauerit thesauro Ægyptiorũ*

b Reg. 12. in breui.
c Psal. 100. 1.
d lib. 4. in 1. Reg. c. 9.
e 1. Reg. 9. 24.
f 2. Tim. 2. 12.
g Coloss. 1. 24.
h li. 4. de pœni.
i 1. Tim. 4. 12.
k lib. de Ios.
l in Scorpiace, 12.
Plagæ Christi luculenta sunt eius vestigia.
m Psal. 30. 13.
n lib. 3. de benefic. c. 1.
o Eccl. 13. 8.
p 2. Tim. 2. 12.
q ibid.
Iob Christi actiones est imitatus.
r cap. 23. 11.
s lib. 16. Mor. c. 10. vel 17.
t cap. 19. 25.
u Heb. 11. 26.

improperium

improperium Christi. Vbi nomen Christi Christo videtur tribuere etiam ante incarnationem: quod quo pacto fiat, vt & nomen Iesu, dixi in historia Apostolica [a].

Conquerentē audire videor de ingratis Christum, qui dicta eios vestigia non persequuntur, ac ne agnoscere quidem volunt [b]: *Facta est mihi hereditas mea* (hi, quos cōparaui mihi sanguine meo:) *quasi Leo in sylua: ideo odiui eam.* Leonem ferunt [c] propria vestigia, ne inueniatur, cauda obscurare, ac delere. Sic illi, quæ reliquit Christus sequenda & imitanda vestigia, reddunt infecta, penitúsque incognita. Exprobrat Saluianus [d] his, qui cùm acceperint morte Christi redemptionem, vitam turpissimam repensant. Citans verò præsentem locum, ironia, subdit: *videlicet vestigia Saluatoris sequimur in circis: vestigia Saluatoris sequimur in theatris: tale scilicet nobis Christus reliquit exemplum, quem fleuisse legimus* [e], *risisse non legimus.* Augustinus [f] docet B. Stephanum passionis Christi vestigia secutum patiendo, & pro lapidantibus orando [g].

Vers. 22.] Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

IAm Christus innocens multa passus est, sine facto, siue verbo malo, adeo in tortores suos beneuolus, & beneficus, tanta in omnes misericordia, quæ salutem attulit, documentum, & adiumentum exercendæ iustitiæ post dimissa peccata: ea benignitate, quæ velut errantes ad se reuocaret oues.

Nil ergo est, quod serui, subditíque detrectent dominis parere, licet dyscolis, ac molestis, vel iniquius feraot, si quid se offerat, vnde patientiæ occasio præbeatur. Tanto exemplo, tantóque beneficio, quod est omnibus commune, pro quorum peccatis Christus crucem tulit, excitandi sunt omnes ad tolerantiam, *si ipse est*, ait Cyprianus [h], *salutis nostra via, qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur*, &c. Augustinus [i] verbis præcedētibus facit Petrum loquentem cum anima humana tamquam cum sponsa Christi, *sequere*, inquit, *sponsa, sequere vestigia sponsi tui, nullus te metus reuocet à consortio dilecti tui. Ama amantem, quia prius ille amauit non amantem: require requirentem, quia prius ille quæsiuit non quærentem.*

Qui peccatum nō fecit.] Totus hic locus ex Esaia sumptus [k] est, qui Christi passionem haud explicat obscurius, quàm ipsimet euangelistæ, vt meritò vocare possis euangelicum prophetam, vt aliàs [l] monui. *Non Petrus erat*, inquit Cyrillus Ierosolymitanus [m] *qui hoc dicebat*, (videlicet non primus) *adulatus magistro, sed Esaias, qui corpore nondum aderat, spiritu aduentum præuidens.* Ideo idem docet vnum Christum horrori dæmonibus esse, quamuis multi per orbem crucifixi fuerint (non excludit sanctos Christi discipulos, quos horrent etiam dæmones propter Christum) quoniam solus pro alienis, nullo modo pro suis peccatis mortuus est. Eamdem innocentiam Christi, ac proinde dignitatem capitis, & redemptoris, & exactam, maximéque gratam obedientiam, & perfectissimum exemplar omnis virtutis, hoc testimonio confirmant alij Patres, Irenæus [n], Athanasius [o], Cyrillus [p] Alexand. Tertullianus [q], Hilarius [r], Augustin. [s], Iustinus [t], Gregorius [u], Salonius [x], Philo [y] Carpathios, Aponius [z], Basilius Seleuciensis [a], Fulgentius [b], Procopius [c], Chrysostomus [d], Nyssenus [e]. Hinc in Christo animam fuisse argumentatur Fulgentius [f]: nec enim id mirum videri posse secundum diuinitatem. Cùm verò præ se ferunt solum fuisse Christum, qui peccatum non fecerit, quod est nempe actu proprio commisisse, vt vterque Cyrillus, Hilarius, & Fulgentius videntur loqui, debemus intelligere per se, ac vi quodam modo naturali propter vnionem hypostaticam, cuius ratione plurium opinio est nullo modo peccare vmquam potuisse, non solum re ipsa non peccasse, de quo nunc non disputo. At quidquid sit de aliis, dubitare nefas est ob auctoritatem Tridentini [g] Concilij, vllum à Deipara vel leuissimum actuale peccatum commissum esse. Legendi de summa innocentia B. Virginis Canisius [h], Bellarminus [i], Suarez [k].

Porrò cùm Augustinus [l] fateatur colligi posse ex eo quòd Christus nullum fecit peccatum, nec vllum etiam habuisse, *& quod peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset, & propterea nullum esse hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu*; sequitur originale in B. Virgine non fuisse secundum eiusdem Augustini mentem, quia nullum fecit vmquam. Ipsemet [m] enim eum de peccatis agitur, de illa mentionem fieri non vult. Præterea Ambrosius [n] citatus ab Augustino [o], de Christo cunctorum iustissimo, notat dici absolute, *Peccatum non fecit.* Probat Cyrillus Alexandrinus peccare Christum non potuisse.

Superfluum prorsus iudico blasphemias refellere Caluini, quas retulisse, refutasse est, Christum verè peccatorem, ac reum fuisse diuinę maledictionis: mollitie animi mortem fugisse: vota inconsideratè, siue preces emisisse in cruce: mediatoris officio fungi detrectauisse: in voces desperationis plenas erupisse: simpliciter, ac per se oppositum iudicio Dei non meruisse, nec in eo digoitatem repertam, quę Deum promereri posset: disputat de his ex instituto Feuardentius in Dialogis [q].

Cùm autem Paulus ait de Christo agens: *Qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit* [r]: sensus est, Christum penitus expertem peccati, à Patre factum datúmque nobis, velut hostiam pro peccato: vel quod fecit cum in similitudinem carnis peccati [s], dando illi corpus passibile, sicque de peccato damnando peccatum in carne [t]: vel adeo grauiter iniquitates omnium, quas posoit super eum [u], puniuit, ac si non tantùm esset ipse peccator, sed ipsummet peccatum. His ferè modis explicant Interpretes, potissimùm Anselmus, & alij, maximè Augustinus [x]. In editione Syra est: *Qui non nouerat peccatum, propter nos peccatum se fecit.* Christus ipse se חטיתא עבדה *chatitha bhabdeh.* Pluribus aliis scripturæ testimoniis hoc de summa Christi sanctitate comprobari posset. Ipsemet testimonium perhibet de se verum [y]: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* eum Paulus [z] *Pontificem nominat sanctum, innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus, qui non haberet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes pro suis delictis hostias offerre.* Ait præterea [a], *tentatum per omnia fuisse pro similitudine, absque peccato.* Id ipsum sibi velle quidam putant verba eiusdem Christi [b]: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Apud Esaiam [c]: *Quis contradicet mihi? stemus simul, quis est aduersarius meus?* &c. *Dominus Deus auxiliator meus:*

a cap. 3. 6.
Christus de ingratis conqueritur.
b Ierem. 12. 8.
c Epiphan. in Physiol. ca. 2. Ælian. lib. 14. ca. 10. Plutar. lib. de anim. compa. Isid. 2. orig. cap. 2. Dion. coelest. hier. Naz. cat. de virtut. Glycas in animalib. hos citat Cōsulus Conce. Schollastes Epiph.
d 6. de prouid.
e Luc 19. 41. Ioan. c. 11. 35. Heb. 5. 7.
f loc. 2. de S. Stephano.
g Act. 7. 59.
Christus innocens tot & tanta passus est.
h de bono patientiæ.
i Tract. de festis 4. c. 5.
Ama amantem & requare requirentem, &c.
k cap. 53. 8.
Esaias propheta Euangelicus.
l Act. 7. 48.
m Catech. 13.
n lib. 4. ca. 37. & lib. 5. c. 14.
o Tract. de salutifero aduentu Christi.
p de fide ad Theodos. & de fide ad Reginas.
q cont. Iud. c. 10.
Christus quomodo solus dicatur non peccauisse.
r Can. 3. in Mat. & in Ps. 118.
s serm. 5. de Temp.
t cont. Tryph.
u 2. Mor. c. 16. vel 23. & cap. 23. vel 31.
x in Eccles.
y in Cantic.
z lib. 3. in Cant.
a orat. 2. de incarnat.
Virgo Deipara numquam peccauit, nec peccatum originale habuit.
b ad Trasimundum c. 12.
c in Esa. c. 2.
d hom. 5. quod vbi est, ibi non sit Spiritus sanctus.
e hom. 14. in Cant. & tract. de perf. Christ. form.
f lib. 1. ad Trasim. c. 11.
g sess. 6. c. 23.
h lib. . de S. Virg. c. 10. lib. 4. c. vlt.
i lib. 4. de Amiss. gratiæ, c. 6.
k Tom. 2. de Incar. disp. 4. sect. 4.
l cont. Iulianum lib. 5. c. 9.
m 1. de natu. & gra. c. 36.
n de arca Noë.
o 2. cont. Iul. cap. 2.
p con. Anthr. c. 23.
q Dial 4. & 5.
r 2. Cor. 5. 21.
s Rom. 8. 3.
t ibid.
u Esa. 53. 6.
x enchirid. c. 41. lib. cont. aduers. leg. & prophetas. ca. 14.
y Ioan. 8. 46.
Christus omnis peccati expers fuit.
z Heb. 7. 26. 27.
a Heb. 4. 15.
b Ioan. 14. 30.
c c. 50. 8. 9.

quis ex quibus arguet me? Tandem in Ephesino concilio [a] tamquam contrarius error nonnullorum notari videtur, cum sic decernitur: *Qui dicit quod pro se obtulit semetipsum oblationem, & non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nesciuit) anathema sit.* Definitur etiam in Concilio Romano sub Martino [b], in Christo fuisse nostram substantiam perfectè, & indiminutè absque peccato. Meritò præterea modus ille dicendi cuiusdam Augustini de Roma damnatus est in Concilio Basileensi [c]: *Christus quotidie peccat in membris suis.* Nam videtur innuere, Christo imputari peccata membrorum suorum, vel Christum cum illis peccare, quod est blasphemum.

Quocirca quando Christus inducitur in Psalmo [d] vocans *verba delictorum suorum*, propterea id fit, quoniam & propria voluntate, & Patris præcepto recepit se pro membrorum suorum peccatis satisfacturum [e]: *Posuit enim Pater in eo*, vt dictum est, *iniquitatem omnium nostrum.* Quo pacto solemus nostra vocare debita etiam quæ sunt aliorum, si promisimus nos ea dissoluturos. Consule Augustinum [f], & Damascenum [g], & quos in eum locum citat Genebrardus, præterea Scholasticos [h], tum verò B. Thomam [i] cum suis expositoribus Medina, Suarez, Valentia, &c. De peccati damnis copiose, ac doctè Cardin. Vitriacus [k], si quis alius.

Nec inuentus est dolus in ore eius.] Etiam ab iis, qui consulto capere eum volebant in sermone [l], mittendo insidiatores, qui se iustos simularent, vt traderent illum principatui, & potestati Præsidis [m]. *In omnibus non peccauit Iob labiis* [n] *suis, neque stultum quid locutus est.* Dolum porrò posuit Petrus pro quolibet oris peccato, vt etiam in Psalmo 31. [o] *est in spiritu eius dolus*; cum alioqui fraudem propriè significet, vt antea [p] vidimus. Est autem phrasis Hebraica, vt inueniri quid, vel non inueniri dicatur pro eo quod est aut esse, aut non esse, vt [q], *habitu inuentus vt homo* [r]: *Non est inuentus similis illi*: id est, Quamuis curiosè quis quærat, non inueniet: vel contra, si quis diligenter attendat, inueniet rem ita se habere, aut non habere. Vulgo dicitur Doli capax, qui peccare potest.

Vers. 23.] **Qui cum malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè.**

NOn solùm innocens Christus, sed patiens quoque inter tot conuitia, & supplicia. Non egent hæc probatione: omnis de his Euangelica loquitur historia, maximè quæ de passione Christi est. Contra maledicentiæ quoque vitium complura possent afferri. Quædam attigimus in Ecclesiastis expositione [s], docuimúsque quatenus liceat aliquando. Lege Toletum [t] in Lucam.

Illustre Michaelis exemplum, qui in altercatione cum diabolo super corpore Moisis, abstinuit maledicto, ac ne ausus quidem id proferre dicitur [u], vindicantis animo, relinquens vindictam Deo. Immò Sapientis [x] sententia, *dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam*: videlicet propter affinitatem in moribus. in se ipsum censetur proferre sententiam, qui diabolum execratur, eique imprecatur, qui nonnisi propter mala, quorum est auctor, execratione dignus est, atque imprecatione.

Non maledicebat.] Οὐκ ἀντελοιδόρει. *Non remaledicebat*, quo modo etiam legit Hieronymus [y], Cyprianus [z], Ambrosius [a], Augustinus [b], Fulgentius [c], Paulinus [d], Ruffinus [e]. Non modò autem non maledicebat, sed benedicebat quoque Christus, prout nos iussit facere [f]; nec non capite sequi Petrus [g], & Paulus [h]. Negatio maledictionis demonstrat patientiam, & silentium inter maledicta, calumnias, conuitia, vnde maxime proditur hominis innocentia. Talem describit Socratem in iudicio capitis Cicero [i], ita vt ibi non vt supplex, aut reus, sed vt magister, aut dominus videretur esse iudicum, & adhibuisse liberam contumaciam à magnitudine animi ductam, non à superbia. Nihil ad modestissimum silentium Christi, de quo præses mirabatur vehementer, & ad dissimulationem patientissimam, quando appetebatur iniuriis, quamuis interdum asperis verbis Iudæos acceperit, vocans *diaboli filios* [l], & *filios* [m] *gehennæ, generationem malam* [n], *prauam, adulteram* [o], *hypocritas* [p], *mendaces* [q], *cæcos* [r], *& duces cæcorum* [s], *occisores prophetarum* [t], *osores Dei* [u], *sepulchra dealbata, plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia* [x]: Comminatus est etiam frequenter væ [y], eiectionem *in tenebras exteriores* [a], *vbi fletus, ac stridor dentium*; ciuitatis Ierosolymitanæ destructionem [a]: *remissius fore Sodomæ, & Gomorrhæ in die iudicij, quam illis* [b]: omnes *perituros, nisi egerint pœnitentiam* [c]. Discipulos ipsos nunc Satanæ [d] vocabulo nominauit: nunc *sine intellectu* [e]: nunc *stultos* [f], *ac tardos* [g] *corde ad credendum: nunc ignaros cuius spiritus essent* [h], *generationem infidelem, & peruersam* [i]. At quoties id fecit, non legitur fecisse ab aliis prouocatus quasi se ipse vindicaret: immò tunc retinuit constantiam, & patientiam. Vt quando dæmoniacus appellatus est, ac Samaritanus, vt eius opera Beelzebub, *vorax potatorque vini: seductor gentis, seditiosus in Cæsarem.* Docet Augustinus [k] interdum iusta de causa licere fratrem vocare fatuum, vt Christus Cleopham [l], sociúmque, ac Paulus Galatas [m] appellauit. Loquitur Petrus de contumeliis ex ira, odiove, quales Christus non protulit, nec Petrus in concionibus aut Stephanus, quæ recitantur in actibus Apostolorum [n] quamuis nominauerint Iudæos deicidas *dura ceruice*, &c.

Cum pateretur, non comminabatur.] Πάσχων, οὐκ ἠπείλει. Augustinus [o] (*Cum iniuriam acciperet* Prosper [p]: *Percutienti se non comminabatur.* In Canone quodam Apostolorum [q]: *Cum percuteretur, non repercutiebat: cum malediceretur, non remaledicebat: cum pateretur, non comminabatur.* Τυπτόμενος, οὐκ ἀντέτυπτε, λοιδορούμενος, οὐκ ἀντελοιδόρει, πάσχων, οὐκ ἠπείλει. Vbi prima verba desiderantur in hoc textu nostro, Prosper [r] autem ea innuere, nec non Ambrosius [s], Caiphæ Christus, cum adiuraretur ab eo, vt diceret, *si esset Christus filius Dei* annuit, & subiunxit *fore vt veniret aliquando in nubibus cæli* [t]. Verùm nec tunc propriè patiebatur, nec tam minæ erant, quàm simplex prædictio, qua satisfiebat quæstioni, confirmabatúrque responsum, esse se Christum filium Dei. *Non aperuit os suum*, ait Esaias [u], *& obmutuit tamquam ouis & agnus, vel cùm ad occisionem ducitur, vel cum tondetur.* De eodem Christi silentio in sua passione, quódque vsque ad mortem pertinaciter tenuit, Lactantius [x], post allatum Esaiæ testimonium, confirmat Sibyllæ testimonio: καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει, &c. Augusti-

a vers.14.15.

nus in expositione Psalmi XXXVII. [a] *Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*: docet multa Christum antea increpauisse, prout nos etiam proximè monuimus. *Tamen quando passus est*, inquit, *nihil horum dixit, non quia nō habebat quod diceret, sed expectabat vt complerent illi omnia, & implerentur omnes prophetiæ de illo, de quo dictum erat, & sicut ouis coram tondente se, sine voce, non aperuit os suum.* Oportebat ergo vt taceret in passione, non taciturus in iudicio, &c.

Martyres multi tyrannos in passione insultantes.
b 2 Mach.7.

Legimus in historiis Ecclesiasticis, necnon in Machabæica [b] insultantium Tyrannis Martyrūm minas. Tanta fortitudo vires ex Christi meritis, & silentio in passione sumebat. Sed nec desunt alia exempla ponentium ori custodiam, *cum consisteret peccator aduersus eos, & obmutescentium, ac silentium à bonis* [c], quemadmodum faciebat Dauid cum incesseretur verbis iniuriosis à Semei [d]. Marinæ virginis in habitu monachi exemplum illustre. Non omittenda super hoc Ambrosij [e] sententia: *Beatus qui potest tantam habere virtutem, vt lacessitus non irascatur, commotus se nolit vlcisci. Inimici hoc agunt, vt prouocent ad iracundiam, maledicunt, vt maledicamus: comminantur, vt crimen retorqueamus: conuitiantur, vt excitent nos ad vicissitudinem contumeliæ.* Vnde præclarè Petrus de Domino Iesu in epistola sua posuit: *Qui cum malediceretur, non remaledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Ad eius ergo similitudinem, atque imaginem iustus sua vitæ cupiens instituta formare, accusatus taces, læsus remittis, dissimulas lacessitus, & non aperit os suum, vt illum imitetur, qui sicut agnus ad victimam ductus non aperuit os suum: vt cum possit habere, quod referat, magis vult silere, quam dicere. Ipse enim Dominus Iesus cum accusaretur, tacebat, & cum percuteretur, non repercutiebat.* Subdit exemplum de responso ad impactam sibi alapam [f]: in quo ait quasi verè infirmum, quique se vindicare nō posset, puerili quodam locutum affectu. Ignatius [g] item eodem isto, & similibus locis valde hortatur ad modestiam, humilitatem, patientiam Christianam Ephesios. Affert etiam exemplum mitissimi Mosis [h], & Dauid dicentis [i]: *si reddidi retribuentibus mihi mala.*

c Psa 38.2.3.
d 2.Reg.16.7. & seq.
e in Psa.37.
f Ioan.18.22.23.
g ep.14.
h Num.12.3.
i Psa.7.5.

Tradebat autem iudicanti se iniustè.] Sic etiam lego apud Cyprianum [k], Leonem [l], Paulinum [m], qui tamen addit *ad mortem.* Græci libri, & Enarratores legunt παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως, *tradebat, vel committebat, vel commendabat iudicanti se iustè*, videlicet vindictam, vt expressit Vatablus, Clarius, & Ioannes Benedictus: aut causam suam, vt Caietanus, & Catharinus: aut eos, à quibus affligebatur, quod videtur sentire Didymus, & Oecumenius. Deo, qui de se ipso pronunciat [n]: *Mihi vindicta, vel, mea est vltio, & ego retribuam*: & Christus [o]: *Ego non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet.* Posset quoque videri sensus esse, quod commendabat persecutores suos Deo. Ioānes Hesselius paulò durius exponit, *tradebat se Deo*, nempe percutiendum, *pro peccatis populi, non respiciendo ad iniquitatem persecutorum: sed ad ipsum Deum, qui propter scelus populi sui percussit eum* [p]: *vt cogitemus quando patimur ab aliis iniuriam, debere nos suscipere de manu Dei iustè iudicantis.* Repugnat hæc, & aliquæ ex dictis expositiones editioni vulgatæ, quæ habet aduerbium negatiuum *iniustè*: Augustinus [q] citat: *Sed commendabat illi, qui iustè iudicat.* Fulgentius [r]: *Commendabat autem iudicanti iustè.* Syriacè eodem ferè pacto: *Sed tradebat, vel tradens erat iudicium suum iudici iustitiæ, siue rectitudinis*, אלא משלם הוא דינה לדינא דכאנותא *ella maslem hana duneh ledaiana dechinzetha.* Lucas Brugensis posteriorem præfert lectionem, & arbitratur cùm id intelligendum putaretur de iudicibus, à quibus Christus malis affectus est (quibus nisi se ipse tradidisset, permisissétque, malis affici ab eis haud potuisset,) mutatum *iustè* in *iniustè*, ac *se* additum claritatis causa, quod aliqui quoque repetiuerunt: *Tradebat autem se iudicantes se iniustè.* Refert alios legere: *Tradebat autem iudicari se* (id est, vt iudicaretur) *iniustè.* Item, *Tradebat autem iudicantes se iniustè* (nempe Deo Patri.)

k lib.3.c.39.
l serm.14.de Pass.
m ep.2. ad Seuerum.
n Deut.32.35. Rom.12.19. Heb.10.30.
o Ioan.8.50.
p Esa.53.8.
q Tract. 21.in Ioan.
r 1. ad Trasimun. c.12.

Verus sensus horum verborum.

Nostræ sunt partes editionem vulgatam tueri, cui fauet Clemens Alexādrinus in Commentario, auctor Græcus de antiquioribus. Exponit verò: Tradebat autem semet ipsum secundum iniustam legem iudicantibus, quia inutilis illis erat, vtpote iustus existens: vel tradebat Deo iniustè iudicantes, id est, eos, qui eum nequissimè condemnabant, & gratis neci eius instabant, vt supplicia perpetientes erudiantur.

Prior dicendi modus melior, & ab aliis Latinis magis receptus. Tradidit se Christus sponte, propriàque voluntate tum Iudæis, tum Pilato, ad mortem oblatus, *quia voluit* [s], *animam ponens, quam nemo auferre posset, si nollet* [t]. Aliter Pater eum tradidit, & alio modo Iudas, Iudæi, Pilatus. Cum hic exaggeretur benignitas Christi, qui pro *transgressoribus quoque & crucifixoribus suis rogauit* [u], non est adeo probabile, tradidisse dici hoc loco, puniendos. Quamuis misericordiæ opus censeri possit, & charitatis punire ad resipiscentiam.

s Esa.53.7.
t Ioan.10.18.
u Esa.53.12. Luc.23.34.

*Vers.*24.] Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis.

Fructus passionis Christi, quis.

HIc omnis fructus passionis Christi, vt deleatur peccatum, ac proinde vt ex peccati morte reuocemur ad vitam, tum gratię, tum beatitudinis æternæ. Vt hoc nobis promereretur ille, tanta tulit in cruce, & ante illam plagas tam multas, quæ liuidum, & vibicibus plenum reddiderunt. Quidni ergo æquo ferant animo, & patienti Christiani, nominatim verò serui, si quando contingat illos dominis vti dyscolis, morosis, duris, quique quod seruis satis solemne est, plagas ab illis, quamuis immeriti recipiant?

Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.] Pœnas peccatis nostris debitas interpretantur: vel peccata ipsa, quæ sua morte Christus voluit expiare, factus hoc modo peccatum [x], id est, hostia pro peccato, sacrificium expiatorium peccati, quod vocant Hebræi אשם *asciam*, à verbo, quod significat *peccare*, & Græci κάθαρμα. *erat enim agnus tollens peccata mundi* [y]: & *velut hircus emissarius, cui omnes iniquitates Hebræorum imponebantur* [z], exportandæ in solitudinem. Itaque *pertulit* non tam pati, quàm portare significat. (Quidam vim in verbo faciunt, quasi, pertulit, sit per se, tulit aut perfectè, & asperè tulit, id est, passus est) quamuis onus graue, quale peccatorum, gestari absque labore ac perpessione non potest. Syrus eam significationem expressit magis: *& baiulauit omnia peccata nostra, eáque sustulit in corpore suo ad crucē.* Duo verba sunt שקל *schakal*, & אסק *assek*,

x 2.Cor.5.21. Christus fuit hostia pro peccato.
y Ioan.1.29.
z Leuit.16.21.22.
a Psal.37.5.

Hierony

Hebræorum adhibet verbum portandi, afferetque typum Iesu sacerdotis gerentis sordidas vestes, quod plures alij faciunt. Cyrillus Alexandrinus legit: *Delicta nostra ipse corpore suo in ligno tulit.* Athanasius prætereà: *efferens peccata nostra in crucem vna cum corpore suo.* Apud Esaiam quod legimus: *Verè languores nostros ipse tulit*, vbi, vere, typos excludit, vt hirci, &c. *& dolores nostros ipse portauit*, LXX. vertunt: οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται: *Ipse peccata nostra portat, & pro nobis dolet.* Paraphrastis verò Chaldæa, *deprecabitur pro peccatis nostris, & delicta nostra propter eum dimittentur.*

Eumdem illum Esaiæ locum citatum hic iuxta versionem LXX. de peccatis, Matthæus iuxta editionem Hebraicam citat de infirmitatibus, & ægrotationibus corporis, quas Christus *accepit, & portauit* ἀνέλαβε, καὶ ἐβάστασεν ἀσθενείας, καὶ νόσους. Ibi Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius accipientes de morbis spiritualibus, cur euangelista pro corporalibus locum citauerit, dicendo: *Vt adimpleretur*, &c. (Eadem verò expositio Athanasij, Eliæ Cretensis, Nicetæ, Anselmi, qui explicat mysticè de corporalibus, Cyrilli Alexandrini, Origenis:) causam reddunt, quia morbi corporis sunt pœna peccati, & plerumque ex morbis animi nascuntur. Exemplo sit paralyticus ad probaticam piscinam, quem monuit Christus, *ne amplius peccaret*, & alius, cui antequam curaret corpus, dixit: *Fili remittuntur tibi peccata tua.* Adde, quod non nisi propter animi morbos curabat Christus morbos corporis, etsi non videntur quotquot corpore, animo etiam curati, vt Malchus, sed à quibus Christus exigebat fidei, aliásque dispositiones.

Basilius eadem ratione declarat docens τὸ βαστάζειν idem esse quod τὸ αἴρειν, καὶ θεραπεύειν. & citans ex Matthæo ὅτι αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἀνέλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν, ait, sic portasse Christum οὐκ ἐν τῷ εἰς ἑαυτὸν ἀναδέξασθαι ταῦτα (numquam enim ægrotauit) ἀλλ' ἐν τῷ τὰ πάσχοντας θεραπεύειν: subdit pari quodam modo *debere nos qui firmiores sumus, imbecillitates infirmorum sustinere*, nimirum diligentia nostra alios curando. Augustinus item, aliíque prætereà secuti auctoritatem Matthæi, de corporis ægritudinibus Esaiam intellexerunt. Quo fit, iuxta quorumdam opinionem, vt eiusdem loci duplex literalis sensus sit, vel certè mysticus, in quo locum sumit alius Auctor sacer, vim & efficaciam habeat ad probandum dogma fidei.

Gabriel Vasques negans constare locum eumdem plusquam vno literali sensu, contendit ad literam sermonem esse Esaiæ de peccatis, quia non ait, *Languores abstulit*: sed tulit, id est, io se ferendo suscepit, quod Petrus hic dicit, *pertulit in corpore suo.* Præterea quoniam sequitur *dolores portauit*, id est, debita peccatis supplicia subire voluit, & vt habent LXX. *Peccata nostra portat, & pro nobis dolet.* Denique Christus nihil in se ipso corporalium morborum assumpsit. Adnæe quia idem Propheta pergit: *& nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo*, nempe sustinendo quæ merebamur tormenta, existimatus est ab hominibus leprosus, percussúsque à Deo propter sua met delicta. Deinde Anselmi opinionem refellit de corporalibus morbis in sensu mystico; eo quod non conueniat, vt horum curationis figura sit sanatio spiritualium: sed potius vice versa, licet non repugnet res inferiores maioribus significari, vt apud Paulum: *Exeamus igitur extra castra, improperium eius portantes.* Ad extremum cum Rupeito, Titelmano, & aliis in Matthæum docet referri locum Esaiæ à Matthæo de corporis infirmitatibus, licet sit à Propheta de spiritualibus pronuntiatus, quoniam Christus opus suum, quod erat ægritudines animæ sanare, operari cœpit ab ægrotatione corporum, vt dum prius corpora visibiliter curaret, verus medicus innotesceret, & sic demum ad curandas animas perueniret. Vnde sequitur, vt Titelmanus notat, minus principaliter intelligi de corporis morbis Esaiæ testimonium, vtpote cum istorum curatio signum sit, & confirmatio sanationis internæ, ac proinde tacitè solum illam indicari, & insinuari.

Attamen non satis assequor, quo pacto non debeat sensus ille indicatus appellari literalis, non solum quia Matthæus ea vsus est præfatione: (vt adimpleretur, &c.) Sed quia mysticum esse de morbis corporis mihi ratio allata, quæ est eiusdem Vasques, persuadet, & idem Auctor fatetur, communiorem sententiam esse, quòd idem locus patiatur plures literales sensus, idque ex intentione Spiritus sancti: ea autem de re tunc nobis constet, quando vel consentiunt Patres, vel Ecclesia definit. Legendi de hoc toto argumento, de quo nos alibi plura, Augustinus, B. Thomas cum suis expositoribus, Bugensis, Abulensis, Alphonsus de Castro, Driedo, Catharinus, Salmeron, Michael Medina, qui vltimus oppositam tenet opinionem.

Quod verò attinet ad institutum, temerè dixit Erasmus, euangelistam coactius attulisse hoc testimonium. Origenes putat de vtrisque morbis locum Matthæi, & Esaiæ intelligi, de quibus etiam rectè noster Salmeron, Leo Castro in Esaiam existimat Petrum verbis illis, illa Esaiæ expressisse: *Disciplina pacis nostra super eum*, id est, castigatio, & pœna, quæ nobis pro peccatis nostris erat infereuda vt reconciliaremur Deo, super Christum fuit.

In corpore suo.] Addita sunt hæc à Petro, vt & alia sequentia verba *super lignum.* Passus est Christus etiam dolores animæ, & in ea sustinuit iniquitates omnium nostrum. Hoc Petrus per corpus quoque intellexit, sed id quod manifestius erat ac notius, expressit. Concilium Hispalense II. sub Bonifacio Papa V. inter alia scripturarum testimonia, quibus refutat hæresim confundentem in Christo post vnionem duas naturas, hoc etiam profert, vt ea quarti capitis: *Christo igitur passo in carne.* Videtur Athanasius eadem ratiocinatio vt probet habuisse verum corpus. His illud affine Pauli Apostoli: *Etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed viuit ex virtute Dei*: agnosco hic ego etiam emphasim, dum exprimitur corpus ipsum, in quo pertulit Christus, iuítque pro peccatis nostris pœnas: vnde ad amorem, gratitudinem, imitationem prouocamur. *In corpore*, inquit Carthusianus, *proprio, immaculatissimo, tenerrimo, ac nobilissime complexionato, ideóque maximè perceptiuo doloris, & summe passiuo.* Nec phantasticum fuit Christi corpus, vt voluere Manichæi: vel impassibile, vt Gaianitæ, & ex Acephalis aliqui, nec incorruptibile, vt Aphthartodocitæ, quos Iustinianus Imperator sectatus est, de quibus fusè Nicephorus: nec alius, quàm ipse pro nobis passus est, nō Simō Cyreneus, vt Basiliani; non Pater, vt Patropassiani, qui & Noetiani, aut Sabelliani, aut Priscillianistæ senserunt, de quibus omnes hæreseologi.

Margin notes (left): a 2. con. Iov. — b Zach. 3. — c Lib. 4. in Ioan. c. 11. — d Orat. 4. cont. Arian. — e c. 53. 4. — f c. 8. 17. — g hom. 28. — h supra. — i in orat. 1. Apolog. Naz. — k in orat. 39. Naz. — *Morbi corporis sunt pœna peccati.* — l in c. 8. Matt. — m lib. 5. in Esa. — n in c. 8. Matth. — o Ioan. 5. 14. — p Matt. 9. 2. — q Luc. 22. 51. — r regu. 177 ex breu. — s Rom. 15. 1. — t Tract. 51. in Ioan. — *Christus num quam ægrotauit.* — u 3 p. disp. 18. c. 5. — a in c. 8. Mat.

Margin notes (right): y Heb. 13. 13. — z cap. 8. — *Christus cœpit curationes animæ a curatione corporis.* — a disp. 17. c. 3. — b 12 Conf. c. 31. & 12. de doct. Chri. c. 27. — c 1 p. q. 1. a. 10. — d in suis prologis. — e Mat. 8. — f 1. cont. hær. — g 2. de sac. Scr. — h de claui. — i Tom. 1 prolego. — k de fide — l in c. 8. Matt. — m Tom. 6. tr. — n cap. 13. — o cap. 4. 1. — p Orat. 4. con. Aria. — q 2. Cor. 13. 4. — *Christi corpus non fuit phantasticum.* — r lib. 17. c. 29.

Execran

Execranda præterea hinc blaſphemia Caluiniſtarum conuincitur, ſenſiſſe Chriſtum in animo diros cruciatus damnati, ac perditi hominis, & inferorum dolores, atque nil actum fuiſſe, ſi corporea tantum morte Chriſtus defunctus eſſet. Confutat accuratè Feuardentius[a]. Videlicet paſſioni in corpore, & ſuper lignum tribuitur hic mors, & extinctio peccatorum noſtrorum, & gratia, per quam iuſti viuamus.

Sed & impiè docuit Illyricus, ſic Chriſtum pertuliſſe noſtra peccata, vt per imputationem peccator eſſet, aut propriè loquendo, peccatum, & iniuſtitia ipſa. Erroris adeo fœdi cauſa eſt, quia putat nil aliud eſſe peccatum, niſi debitum ſoluendæ pœnæ. At hic eſt effectus conſequens, poteſtque quis hoc debitum pro alio velle ſoluere, quamuis illius peccatum in ſe propriè non recipiat. Legatur Auguſtinus[b]. Ex illo alius error deducitur, iuſtitiam noſtram coram Deo nihil internum dicere, ſed ſolam externam non imputationem, & liberationem à ſoluendis pœnis.

Super lignum.] Addidit & hoc Petrus, quod non eſt in Eſaia. Cur ita crux abſolutè nominetur, & de figuris nonnullorum aliorum lignorum; & cur crucis pati ſupplicium decuerit Chriſtum, dixi in Commentario Actuum Apoſtolorum[c], & libri Sapientiæ[d] ſuper lignum in corpore ſuo Chriſtus peccata noſtra pertulit, affigens ea ſuper illud, *chirographúmque decreti contrarium nobis vt ibi deleretur*[e], *& vetus homo noſter ſimul crucifigeretur, ac deſtrueretur corpus peccati*[f]. Alluſio quoque fortaſſe ſit ad geſtationem crucis, quæ deſignabat quod Chriſtus portaret peccata noſtra, vt ea occideret, tamquam in crucem ſuffixa. Ipſimet cruci in qua pependit Chriſtus habetur honor à fidelibus, & cuiuis alteri typo illius, vt eſt definitum in VII. Synodo[g], nam crux fuit velut altare diuini ſacrificij, & inſtrumentum redemptionis noſtræ, & triumphi Chriſti. *Ibi pacificata ſunt omnia*[h], ſanguine nimirum crucis, id eſt, fuſo in cruce. Lege Bellarminum[i]. Ibi *affixum eſt chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*[k]: *ibi Chriſtus expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palámque triumphans illos in ſemetipſo*[l], ἐν αὐτῷ, aut vt legit Origenes[m], *in ligno crucis*, licet Interpres eius mentionem faciens de ea editione, quæ nunc eſt, teſtetur apud Græcos haberi *in ligno*: illæ dictiones ἐν αὐτῷ cum ſpiritu leni in prooœmine poſſent referri ad σταυρῷ *cruci*, quod nomen paulo ante præceſſerat. Quemadmodum in epiſtola ad Epheſios[n] quod legimus, *Et reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo*: Hieronymus legit *in ea*, ſcilicet cruce, ἐν αὐτῷ nempe τῷ σταυρῷ. Syriacè ibidem: *crucéque ſua enecauit odium.*

Vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus.] Iuſtificatio noſtra, vt vtramque continens mutationem, crebrò in ſcripturis exprimitur per mortem peccatis vel in peccatis, id eſt, vt ipſa moriantur & extinguantur, & per vitam in iuſtitia, & gratia ſanctificante. Ideo comparari ſolet cum Chriſti morte, & reſurrectione, & Baptiſmus nominari ſepultura, vt nos exiſtimemus nos mortuos peccatis, viuentes autem Deo; nec amplius moriamur peccando, ſicut ille *reſurgens ex mortuis, iam non moritur, nec mors illi vltra dominatur.* Comparationem iſtam longa oratione perſequitur Paulus[o].

Mortuus peccato appellatur in dandi caſu, qui

a Dial. 5. errore 127. 128. 129.
Illyrici error.
b Enchirid. c. 41. q. in Num. q. 10. lib. 2. cont. Maximin. c. 2.
c ca. 2. 23. c. 5. 30.
d c. 10. 4.
e Col. 2. 14.
f Rom. 6. 6.
Cruci Chriſti habetur honor ab omnibus.
g Act. 7.
h Coloſſ. 1. 20.
i de imag. ſancto. cap. 26. & ſeq.
k Coloſſ. 2. 14.
l Ibid. 15.
m homil. 8. in Ioſue.
n cap. 2. 16.
o Rom. 6. 2. & ſeq.
Mortuus peccato quis dicatur.

non habet in ſe operationes peccati, nec operatur ex concupiſcentia, ſenſu, voluntate propria, velut ex vitæ principio: in caſu auferendi, qui mortuus per peccatum eſt, priuatúſque vita gratiæ. In primo ſenſu loquitur hoc loco Petrus, vbi eſt, ἀπογενόμενοι defuncti, & in citato Paulus dicens: *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* In ſecundo idem Paulus alibi[p]: *cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto.* Chryſoſtomus[q] obſeruat non eſſe ſcriptum, quod mortuum ſit peccatum, ſed nos mortui peccato, vt ad ſtudium excitemur bonorum operum, & abſtineamus à peccatis, cùm iam illis mortui ſimus. Attamen lego, *deſtrui corpus peccati*[r], id eſt, congeriem, & maſſam peccatorum, aut materiale ipſum corpus noſtrum, quatenus in peccato conceptum, ac enutritum eſt, aut robur, virtutémque peccati, quemadmodum & corpora cruci affigebantur.

Cùm autem dicitur ſemel Chriſtus *mortuus peccato*[s], ſenſus eſt, quia propter peccata noſtra, pro quibus vnica morte ſatisfecit, vt non ſit neceſſe iterum mori. Idem aliter exprimitur epiſtola ad Hebræos[t], *quod Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata: & ſemel in conſummatione ſeculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit*[u]: *& vna*[x] *oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos.*

Etſi verò Hilarius[y], & Oecumenius[z], & Auguſtinus[a] exponant mortuum peccato Chriſtum, quoniam corpore, ſiue carne, quæ vocatur caro peccati, ſicut & corpus: ipſe autem factus eſt *in ſimilitudinem carnis peccati*[b]: præterea quamuis Ambroſius[c] explicet de peccatore, pro quo Chriſtus mortuus eſt, nihilominùs planior eſt allatus ſenſus, quem Chryſoſtomus, Theophylactus, ac Theodoretus tradunt, vt ſit mortuus peccato, quia hæc fuit cauſa, cur pateretur, videlicet vt illud tolleret de medio.

Iuſtitiæ viuamus.] Illud eſt, quod Paulus vocat *viuere Deo*[d] *conſeruando vitam gratiæ*, ſecundum quam nos in illo, & ipſe in nobis viuit[e]: item *exhibere ſe Deo tamquam ex mortuis viuentes, & membra ſua arma iuſtitiæ*[f], id eſt, vt ipſiſmet corporis externis membris tamquam animatis inſtrumentis per gratiam ipſam vtamur ad exercitium quorumlibet actuum bonorum: denique in nouitate vitæ ambulare[g].

Cuius liuore ſanati eſtis.] Οὗ τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἰάθητε. Non eſt ad rem, vt liuor vel exceſſum denotet amoris in Chriſto, quia vt dixit ille[h]:

Palleat omnis amans.

Et vacuatis præ nimio amore ſpiritibus, color pallidus, liuidúſque redditur: vel inuidiam Iudæorum, quæ ad inferendam Chriſto impulit paſſionem. Hos dicendi modos ponit Gloſſa Interlinearis, & refert Thomas Anglicus, atque Hugo. Sed liuor ſignificat vibicem, & plagas omnes, quæ aptè dicuntur ſanitas noſtra, ſicut mors Chriſti vita noſtra. Id penitus euincit Græca vox μώλωψ, quæ apud Eſaiam quoque reperitur[i], & alibi ſæpè[k], vbi nomen Hebraicum eſt חבורה *chabburah*, aliquando Græcum ὑπώπιον[l], interdum verò Latinè cicatrices[m], nec vllo in loco liuorem aliter ſcripturarum Interpres vſurpauit. Eſt propriè μώλωψ verberum in cute veſtigium, vel cutis ea incuſſione verberum ſugillata, quæ Latinè vocatur vibex. Idem ferè valet ὑπώπιον, niſi quod per ſe, ac priùs, Suida teſte, partes denotat circa oculos percuſſionibus contuſas, & liui-

das

p Epheſ. 2. 5.
q in epiſt. ad Rom.
r Rom. 6. 6.
s ibid. 10.
Chriſtus quomodo dicatur mortuus peccato.
t c. 9. 26.
u ibid. vers. 26.
x c. 10. 14.
y 8. de Trin.
z in c. 6. ep. ad Rom.
a enchir. c. 51.
b Rom. 8. 3.
c in Pſa. 118. ſer. 18.
d Rom. 6. 11.
e Gal. 2. 20.
f Rom. 6. 13.
g ibid. 5.
h Ouid. de Arte.
i c. 53. 5.
k Eſa. 1. 6. Gen. 4. 23. Exod. 21. 25. Prou. 20. 30. Eccl. 23. 11. c. 28. 21.
l Prou. 20. 30.
Liuor in Scriptura G. μώλωψ quomodo ſumatur.
m Pſa. 37. 6.

das, & fune, inquit, ὑπώπια τὰ ὑπὸ τοῖς ὤταις τῶν πλαγῶν ἴχνη: postea in ampliore significatione ictus ipsos, quos quis accipit, quando contunditur, & sugillatur. inde ὑπωπιάζω, quo Paulus[a] vtitur: vbi noster Interpres reddit castigo, *castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*: ὑπωπιάζω, καὶ δουλαγωγῶ Paulinus[b] citat, *liuidum facio*, intelligens de ieiuniis: item Irenæus[c] (qui videtur Latinè scripsisse.) Indicat nempe seruis familiare esse contundi validis ictibus. Fortasse quoque Petrus hoc loco, seruos præsertim alloquens, fecit mentionem de liuore (cùm alioqui sanguini ipsi tribui soleat salus nostra) sicut prius, de colaphis[d]. Quamquam alij apud Paulum legunt ὑποπιέζω, idem est quod Doricè ὑποπιάζω vt Clemens Alexandrinus[e], & Nazianzenus[f], quod est, deiectum opprimo, & conculco, vt solet luctator. Sic videtur legisse qui B. Antonij vertit epistolas, siquidem interpretatus[g] est *obculco corpus meum*. Cyprianus[h] legit *affligo*. Suidas docet, quod ὑπωπιάζω est πρὸς ἄσκησιν μετ' ὑπωπίων, καὶ φρονήσεως γυμνάζω, καὶ πρὸς τὴν τῶν κρειττόνων συνέργειαν ἢ πρὸς ἀσέλγειαν πεποιῆσθαι. Præterea quod τῷ ἀσκητικῷ ἀγωγῷ ταπεινοῦντα, καὶ πιέζοντα ἐν τῷ σώματος πόνοις. Aliqui exponunt ὑπωπιάζω fame trado, inediáque affligo: quibus fauet citatus Paulinus. Sed magis id congruit verbo ὑπωπιάζω. Hesychius exponit ὑποπιέζειν idem esse quod ταπεινοῦν, & μαραίνειν.

Sed ad rem. Sanauit Christus liuore suo, plagisque, quarum extare quoque vestigia voluit, vulnus, & liuorem, & plagam tumentem, *neque circumligatam, neque curatam medicamine, neque fotam oleo*[i]: putridas item & corruptas cicatrices[k] μώλωπας & חבורות *chabburoth, fame collectos humores*, atque apostemata. Prolixè hinc argumentatur Iustinus contra Tryphonem Iudæū pro Christi humanitate simul cum diuinitate, quippe qui liuorem sit passus, & eo sanauerit nos. Possumus appellare Samaritanum Christum, qui oleo, vinoque sanguinis fluentis de vulneribus propriis vulnera curauerit eius, qui inciderat in latrones[l], hoc est, hominis, qui per peccatum spoliatus censetur supernaturalibus, vulneratus in naturalibus, quatenus amisit gratiam sanctificātem, & ablata iustitia originali facta est veluti diuisio partis superioris à Deo, partis inferioris à superiore, & est redditus obnoxius externis iniuriis, morbis, morti: vulneris autem ratio in diuisione continui consistit. Rupicam auiculam seu icterum, aut galgolum, & gagulgulum Physiologi medicíque consentiunt si icterico admoueatur, morbum in se attrahere, coloreque luteo infici, turgescere, emori[m] (sicut cantaridi contingit sanguinem exsugenti) sic pœnas omnes nobis debitas Christus deriuauit in se, & liuore suo nostrum sanauit liuorem.

Vers.25.] Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.

EGregia capitis clausula, qua oculis mentis nostræ ingens obijcitur ex Christi passione fructus, necessitásque, vt nempe sine Christo, & quadam saltem implicita in eum fide nemini contingere salus potuerit. Sæpè aliàs hac de re egimus, nec non post promulgatum Euāgelium, cuiuis necessitate, vt aiunt, medij, explicitam fidem necessariam esse: quamuis externa ad illum prædicatio non perueniat.

Comparatio autem pastoris, ouiúmque perfrequens est Prophetis, Psalmis, Euangeliis, omni demum sacræ Scripturæ, sed & profanis auctoribus, qui reges suos cognominant ποιμένας λαῶν, *pastores populorum*, vt non semel quoque alibi memini[n]. Petrus porrò prima verba videtur ex Esaia[o] transcripsisse, sicut & alia non pauca in prioribus sententiis. *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit.* Non sint ingrati homines gratiæ Dei, ait Augustinus[p], pusilli cum magnis, à minori vsque ad maiorem. Totius Ecclesiæ vox[q]: *Errani sicut ouis perdita*: omnium membrorum Christi vox est: *omnes vt oues errauimus, & ipse traditus est pro peccatis nostris.* Meminerat Petrus parabolæ ouis[r], *quam pastor in humeros gaudens inuentam retulit*, sibi vt oues, & agnos pasceret, iniunctum[s] ab eo, qui seipsum pastoris boni nomine appellauit[t], *& se alias oues quærere dixit, quæ non essent ex ouili, vt fieret vnum ouile, & vnus pastor*[u]. Postremò illum eundem, vt paulo post scribit[x], *esse principem pastorum*, quem Paulus[y] vocat magnum pastorem. Eodem tempore statim natus accersiuit ad se pastores Iudæorum[z], & reges Gentium Magos[a], qui sunt pastores populorum: ipsa Bethleem locus pascuorum erat: præsepium[b] escas continebat animalium: bos, & asinus sunt ex pascualibus animalibus: ouium pastores aduenerunt[c]. Ioannes Hesselius ait errantes ouibus comparari, cum reuera sint hœdi fœtentes, quia Dei prædestinatione sunt oues. Fateor oues pro talibus aliquando sumi. Sed certum etiam est latiùs patere, dicique de omnibus, qui erroribus derelictis Deum colant, iustique sint; quamuis non sint prædestinati: Nec videtur sanè Petrus de solis hic agere prædestinatis.

Retuli aliàs ex Tertulliano, pictas in calicibus imagines pastoris reuehentis ouem in humeris: & pallium insigne præcipuorū Episcoporum idem sibi velle. Inter prodigia, quæ celebrantur euenisse in morte Christi, quæ sub Tiberio contigit, nonnulli recensent, quod recitat ex Plutarcho Eusebius[d], auditam vocem de nocte ab vna insularum Echinadum, vocabulo Paxus: *Pana magnum mortuum esse*, hunc enim fatui Gentiles, ac reuera oues errantes, pastorum Deum esse credebant. Quod autem iidem fabulantur, ab amore victum, optimè conuenit veréque pastori Christo. Multa moraliter de pastore bono, & ouibus Stapletonus in Morali promptuario[e], Cardinalis Vitriacus[f], & alij Ecclesiastæ.

Conuersi estis.] ἐπεστράφητε. Trium valde Conuertendi verbum, & nomen Conuersionis, sicut & opposita Auertendi, atque Auersionis: hæc in peccatis, illa in iustificatione: præterea oratur Deus, vt nos conuertat, & ne auertat se à nobis: inuitat ipse quoque vt ad eum cōuertamur, pollicens conuersionem suam ad nos. Significat cōuersio perfectam mutationem totius in totum physicè loquendo, vel reuersionem, vnde se quis auerterat, & recesserat: & moraliter exactam animi coniunctionem cum eo, ad quem fit illo penitus relicto, à quo fit auersio, tamquam à termino. Certè Sponsa, vt exprimeret eximium amorem Sponsi erga se promptum, paratúmque ad obsequendum, & veluti subiectum voluntati suæ, dixit[g]: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Eodem ferè, sed opposito sensu quod legimus Latine

a 1.Cor.9.27. b Ep.1. ad Sever. & 58. apud Augusti. lib.4.c.73. d Vers.20. e 3.Strom.c.8. f Orat.1.cont. Iulianum. g Ep.1. Tom.1. Bibliotheca Pat. h De singularitate cleric. i Vulnus sine liuore, & plaga tumens. k Isa.1.6. Psal.37.6. *Christus habuit liuorem cum diuinitate coniunctum.* l Luc.10.34. m Plin.li.30. c.11. Probr. in Psal. 8. f. 20. *Christi fide ... salus ...* n Act.7. & 20. o c.53.6. p 1. de peccat. meri. & remiss. c.27. q Psalm.118. vers.ult. r Luc.15.4. & seq. s Ioan.21.15.16.17. t Ioan.10.11.14. u Ibid.16. x Cap.5.4. y Heb.13.20. *Christus pastor, & pastorum princeps.* z Luc.2.8. a Matth.2.1. b Luc.2.7. c Ibid.16. d 5. de Præpar. cap.9. *Pana magnum mortuum esse refert Plutarchus.* e Domi. 2. post Pascha. f Ibidem. *Quid sit conuersio.* g Cant.7.10.

in Genesi [a]: *sub viri potestate eris*, L X X. verterunt: Πρὸς τὸν ἄνδρα σοῦ ἡ ἀποστροφή σου, *Ad virum tuum conuersio tua*. Hebraice אל אישך תשוקתך *el ischech thescinkathech*; quod magis declarant sequentia verba: *& ipse dominabitur tui.* Rursus eodem libro [b]: *sub te erit appetitus eius*; (peccati) *& tu dominaberis illius*. Πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, &c. אליך תשוקתו *elecha thescinkatho*. Ambrosius [c] Commentario in Cantica designati docet citato dicti libri loco, vbi legitur *frater*, perfectam requiem Sponsæ in Sponso, vt iste conuertatur super illam, & caput suum reclinet, atque requiescat, vt requiescebat Ioannes in sinu, & pectore Christi [d]. Addit priùs his eandem sententiam præcessisse in Canticis [e] propter incipientes, & proficientes, tandem propter perfectos: primo loco de vmbris agi; in secundo de odoribus absque vmbris.

Ad pastorem, & episcopum animarum vestrarum.] Græcè ἡμῶν nostrarum in Complutẽsibus, & Regiis Bibliis: sed plura alia habens ὑμῶν. De Pastoris vocabulo monui paulò antè: de nomine Episcopi dixi etiam explicans caput primum libri Actuum Apostolorum [f], & vigesimum [g]. Fulgentius [h] recitans hunc locum, legit *pastorem, & visitatorem.* Vtrumque refertur eodem, scilicet ad animas, & indicat salutem spiritualem, bonáque spiritualia: non, vt Primaticcius voluit, primùm ea, quæ pertinent ad corpus, secundum, quæ ad animam, nam constat pascendi pastorísq; voces etiam spiritualiter vsurpari; immò sic sæpius, ac ferè semper, cũ ad oues sub eâdem figura respectum habent, nempe ad homines. Concedo tamen Pastoris spiritualis, ac Episcopi esse pauperes corporali nutrimento pascere, & alere ex Patrimonio Ecclesiæ, præsertim quando suppetit, vnde valeat eleemosynas largiri. Sicut & animarum per se spiritualia lucra procurare debent; &, vt faciebat Paulus [i], *non res subditorum quærere, sed ipsos*, id est, salutem eorum.

a cap. 3. 16.
b cap. 4. 7.
c lib. de Isaac. cap. 8.
d Ioan. 13. 13. cap. 20. 21.
e cap. 2. 16. cap. 6. 2.
f vers. 20.
g vers. 18.
h 2. ad Trasimundum cap. 11.
Pastoris & Episcopi est pauperes pascere.
i 2. Cor. 12. 14.

A Porrò licet κατ' ἐξοχὴν Christus Pastor sit, & Episcopus animarum (vocat illum Dionysius [k] ἀρχιποίμενα) & eius comparatione reliqui solum vicarii; plus tamen eædem appellationes absolute, veréque tribui possunt, & solent. Inter istos rursum sine dubio vnus est, qui simpliciter nominatur Sponsus Ecclesiæ, Vicarius Christi, locum tenens Christi, aut vicem, Papa (quod nomen aliàs quidem commune aliis numquam legitur à summo Pontifice cuiquam tributum) summus Sacerdos, & Pontifex, rector domus Dei, & custos vineæ eius: Pater, & doctor fidelium omnium, vniuersalis Patriarcha, vel Episcopus, vel Archiepi- B scopus, pastor ouilis Christi: præpositus Ecclesiæ; aliisq; multis modis, quos post Ioannem à Turrecrem. [l] recitat Rutilius [m] Benzonius, & Bellarminus [n], extántq; apud varios Auctores, & Cõcilia, & ex eisdem Baronius sparsim in Annal. & nos capite primo indicauimus. Sed notandum cum eodem Turrecremata [o], sæpius à summo Pontifice nomen Episcopi in Bullis poni, non solùm, quia hac generalitate comprehenditur amplissima iurisdictio: vel quoniam, quod attinet ad ea, quæ sunt ordinis omnes Episcopi sunt æquales: verùm etiam quia Christus, cuius est vicarius, nomine magis Episcopi, quàm aliarum dignitatum nomi- C nibus in sacra Scriptura exprimitur nominatus. Ait enim B. Petrus de Christo loquens, inquit Turrecremata: *Conuersi nunc estis ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.* Hinc Athanasius [p] efficit, Christum Deum esse docétque prudenti consilio Petrum, aliósque Apostolos Iudæis primùm proposuisse, quæ spectabant ad humanam naturam Saluatoris, vt Messiam venisse persuasos, & signis, & miraculis paulatim ad credendam eius Diuinitatem perducerent, ostendentes certissimis rationibus istiusmodi opera non hominis, sed Dei esse.

k de Eccles. hierarch.
Papa Christi vicarius, & sponsus Ecclesiæ.
l in Sum. de Eccles. c. 57.
m lib. 1. speculi episcopalis. disp. 1. q. 1.
n controuersia de Pont.
o in Apparatu suo, et decreto Vrsonis Græco verbo (Episcopus).
p epist. quæ incipit: sed mihi, de sent. Dionysii Alexand.

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM.

Argumentum huius capitis.

Traduntur deinceps domestica præcepta viris, & vxoribus: tum æquè omnibus communia variarum virtutum, præsertim patientiæ: Christi rursus exemplo: cuius demum passionis vtilitates adhuc enumerantur, maximè quam per baptismum recipimus in similitudinem eorum, qui ex aquis diluuij seruati sunt in arca. Vbi difficilis attexitur illa sententia de Christi prædicatione in Inferno.

1 SIMILITER & mulieres subditæ sint viris suis: vt & si qui non credunt verbo, per mulierum cōuersationem sine verbo lucrifiant.

2 Considerantes in timore castam conuersationem vestram.

3 Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.

4 Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.

5 Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo ornabant se, subiectæ propriis viris.

6 Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cuius estis filiæ benefacientes, & non pertimescentes vllam perturbationem.

7 Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri, impartientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ: vt non impediantur orationes vestræ.

8 In fine autem omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles.

9 Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è cōtrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis.

10 Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coërceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.

11 Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam.

12 Quia oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala.

13 Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?

14 Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.

15 Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.

16 Sed cum modestia, & timore, conscientiam habentes bonam: vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calūniantur vestram bonam in Christo conuersationem.

17 Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes.

18 Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.

19 In quo & his, qui in carcere erāt, spiritibus veniens prædicauit.

20 Qui increduli fuerant aliquando, quādo expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam.

21 Quod & vos nūc similis formę saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi.

22 Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem vt vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum subiectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus.

Vers. 1.] Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis : vt & ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant.

Vers. 2.] Conſiderantes in timore caſtam conuerſationem veſtram.

INter calumnias Chriſtianis obiectas vna fuit nó ſolùm quod ſeruos a dominorum poteſtate, ſubditos ab obedientia magiſtratuum abſtraherent, quod priore capite confutatum eſt : ſed etiam quod matronas à virorum debito conſortio, & ſubiectione remouerent. Cauſa diſſeminandi tales rumores erat, quòd lex Chriſtiana turpes, ac præpoſteras libidines exhorreret, prohiberetque, quas ethnicæ vxores diſſimulabāt, ferebant, approbabant. Sic quidem proditum eſt à quatuor concubinis Agrippæ præfecti, & ab vxore Albini toros eorum deuitatos ea de cauſa, Petro perſuadente, cùm Petro diceret Agrippa; *multa tibi fiducia eſt, ô ſcelerate, in plebibus, quas circūuenis: & in fœminis, quæ tua perſuaſione à maritali toro diſcedunt* [a]. Paulum etiam occidendi Nero captaſſe dicitur occaſionem, quòd pellici eius, quam fecerat Chriſtianā, nefandum cum illo congreſſum fugere perſuaſiſſet [b]. Præterea ex Iuſtino [c] refert Euſebius [d], fœminam, poſtquam Chriſtiana euaſerat, pudicitiam viro turpi, quo cum & ipſa turpiter ante vixerat, cum perſuadere nequiret, repudij libellum dediſſe. Denique vidimus in Capite vigeſimoquarto Actuum [e] Apoſtolorum prædicatum de Caſtitate à Paulo Felici Præſidi.

Chriſtiani detractores malè audiebant, quod vxores à viris ſeparabant.

a Linus de Paſſ. Petri. Metaphra. de Petro, & Paulo.
b Chryſ. 1. cōtra vituperato. vitæ monaſt.
c Apolog. 2.
d 4. Hiſt. c. 17.
e Verſ. 25.

Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis.] Et Latina, & Græca nomina *γυναικῶν, καὶ ἀνδρῶν* nūc ſexus ſignificāt, nūc nexu iūctos matrimonij, vt alibi [f] monuimus. Eandem porrò verbis iiſdem ſententiā reperimus apud Paulū [g], hoc addito, *in Domino*, vel *ſicut oportet in Domino* [h]. Præterea negat debere mulierem dominari in virum, *quia primus formatus eſt Adam, nec ipſe ſeductus, ſed illa* [i]. Affert etiam legem iubētem hanc ſubiectionem [k], quæ lex habetur in Geneſi [l], hoc ſermone: *ſub viri poteſtate eris; & ipſe dominabitur tui.* Poſtremo eiuſdem Pauli [m] ſententia: *Caput mulieris vir eſt.* Omnia iſta cum noſtro teſtimonia Damaſcenus [n] affert ad hoc propoſitū, & Clemens Romanus [o].

f Act. 1. 14.
g Epheſ. 5. 22.
h Coloſſ. 3. 18.
i 1. Tim. 2. 12. & 14.
k 1. Cor. 14. 34.
l Cap. 3. 16.
m Epheſ. 5. 23. 1. Cor. 11. 3.
n 3. Paral. c. 7.
o 1. Conſt. c. 9.

Ratio naturalis hoc dictat, quia ex ſuo genere nobilior, ac perfectior eſt vir: fœminam autem, vt alia præteream, paulo infrà [p] vocat Auctor noſter, *infirmius vaſculum*, quod & Ambroſius obſeruauit [q]. Qua ratione poteſt aliquo modo cēſeri mulier minùs quàm vir ad imaginē Dei facta, vt ex Ambroſio, & Auguſtino dicitur XXXIII. Cauſa, Quæſt. III. cùm tamen abſolute loquendo, in hoc non differant, vt docet Baſilius [r]. *Animal occaſionatum* vocat Ariſtoteles [s], quia ex occaſione, id eſt, propter imbecillitatem vis generādi in viro, cui data à Deo in adiutorium [t]. Barbarorum quidem eſt eodem habere mulierem, & ſeruum loco, vt idem Ariſtoteles [u] docet, verùm negari nequit, quin in innocentiæ quoque ſtatu ciuile, liberum, voluntarium, ac proinde iucundum futurum fuiſſet viri dominium in vxorem, vtpote in vtilitatem communem, cūm magna æquitate, & beneuolentia, & circa res ſemper honeſtas. Pœna nunc eſt, quod volens nolens, nec ratò abſque multis moleſtiis cogitur mulier viro ſubeſſe, atque obtemperare, vel quia male vir illam tractat, vel quia ipſa ſe ſe ad iuſta iniuſta illibens accommodat, leuioris ingenij, iracundi animi, voluntatis cupidæ dominandi, &c.

Mulieres cur viris ſubditæ eſſe debeant.

p Verſ. 7.
q De Paradiſo c. 4.
r Homil. 10. Hexam.
s 1. Polit. ca. 1.
t Gen. 2. 18.
u ſuprà.

Dominium viri in vxorem quale eſſe debeat.

Verùm caſtis, ac fidelibus hanc pœnam, inquit Rupertus [x], beneuolentia nullam, aut leuiſſimam efficit; & non ſolùm non obeſt, ſed etiam laudi eſt. Citat deinde hunc ipſum Petri quē tractamus locum. Dignum item lectu, quod eadem de re tradit Auguſtinus [y]: Perſarum reges taxat Plutarchus [z], qui ceteros habebant loco ſeruorum, præter vxores, quibus maximè, vt imperarent decebat, iuxta Pittaci dictum: *Γυναικὸς ἄρχειν.* Romanis item Cato, eodem teſte Plutarcho [a], vxores dominari dicebat contra omnium aliorum morem. Etſi Tacitus [b], Clemens [c] Romanus, Nicolaus Damaſcenus [d], & Heraclides [e] de nonnullis nationibus memorent, apud quas viris vxores præſint: qua de re adhuc poſtea.

x lib. 3. in Geneſim. cap. 21.
y 11. in Gen. ad lite. cap. 27.
z Opuſc. quòd in Principe requiratur doctrina.
a in Catone.
b lib. de Morib. German. ſub fin.
c 9. Recognit. cap. 17.
d apud Stob. ſerm. 42.
e in Polit.

Hinc porrò intelligitur, quàm repugnet iuri diuino, & naturali, vt ad hierarchiam fœminis aditus pateat : ſed & non adeo conſentaneum videri, vt ciuilis iiſdem committatur poteſtas; quamuis id nonnullæ ferant gentes, non prorſus abſque bonis exemplis, non penitus ſine aliqua ratione: qua de re aliàs: Sic ſanè ſuam tuetur mulier cauſam apud Poëtam [f]:

Fœminæ ad hierarchiam Eccleſiaſticam aditus patere nō debet.

f Lucan. lib. 10.

——Non vrbes prima tenebo
Fœmina Niliacas: nullo diſcrimine ſexus
Reginam ſcit ferre Pharos.

At verò tritum illud inter alia veterum de fœminæ ſub viro ſubiectione [g].

Ἀγαθῆς γυναικός ἐστιν, ὦ Νικοστράτη,
Μὴ κρείττον' εἶναι τ' ἀνδρὸς, ἀλλ' ὑπήκοον.
Γυνὴ δὲ νικῶσ' ἄνδρα, κακὸν ἐστι μέγα.
Bona mulieris eſt, ô Nicoſtrata,
Non ſuperiorem eſſe viro, ſed ſubditam.
Mulier verò vincens virum, magnum eſt malum.

g Philemon. apud Stobæ. in præcep. connub.

Item [h]:

Καὶ τοι τόδ' αἰσχρὸν προστατεῖν τῶν δωμάτων
Γυναῖκα, καὶ μὴ τὸν ἄνδρα.
Et quidem hoc turpe, præſidere domi
Vxorem, non virum.

h Eurip. in Electra.

Auguſtinus [i] nihil hac re peius affirmat: & quid hoc in genere ſenſerit, feceritque piiſſima mater Monica recitat [k]. Denique tum demum imperare matrona cenſetur, cùm paret viro.

i Tractat. 2. in Ioan.
k 9. Confeſſ. cap. 9.

Caſta ad virum matrona parendo imperat [l].

l Seneca, vel Publius Syrus.

Huc facit, quòd aliqui acutè notauerunt velari mulieres, dum maritantur, vt ſe nouerint ſubditas maritis [m]: non debere ſibi comam amputare, quā Deus ad memoriam ſubiectionis illi dedit [n]: & vt mariti aliquid inuenirent, vnde vxores trahere, ac ligare [o] poſſent.

m c. Fœminæ. 30. q. 5. c. Mulier. 33. q. 5.
n c. Quæcunq. diſt. 30.
o Guliel. à Monte laud. in Clemente (cum ex eo, verbo continentes.)

In Epiſtola prima ad Corinthios [p] emendati libri habent : *Ideo debet mulier poteſtatē habere ſupra caput, propter Angelos*, quod alij legūt *velamen* Græcè eſt *ἐξουσίαν*, Syriacè שולטנא *ſcultetana*. nam indicium ſubiectionis eſt, ac dominij viri in fœminam velamen, vt Patres Græci obſeruant, vnde aperire caput alij, ſymbolum ſubiectionis eſt. Quocirca ſerui manumiſſi pileo donabantur: ſeruus ſeruorum Chriſti Pontifex nulli caput detegit. Angelos aliqui Spiritus præſides intelligunt: alij Sacerdotes: quidam viros qui virginitatem ſeruant : & nonnulli de primis, ne per detectionem faciat ſe mulier æqualem viro: qui tamen immediate factus eſt à Deo [q] : viro

Velamē ſignum eſt dominij viri in fœminam.

p cap. 11. 10.
q Gen. 2. 7.

medio, ipsa [a]. Ex ipsa subiectione multi sequuntur effectus, quos colligit Tiraquellus [b], qui etiã prior nonnulla eorum notauit, quæ attulimus.

a cap. 2. 39. b in l. 1. connub. Glossa 1.

Aptè verò Hieronymus [c] argumentatur, si debetur Gentilibus maritis honor iure coniugij, multo magis reddẽdum Christianis. Possem præterea dicere de iis, quæ obstare solent, quo minùs viri subditas sibi vxores habeãt. Inter alia meritò numerarut inæqualitas, v.g. si multò sint nobiliores, ditiores & sapiẽtiores vxores, aut viri ætate grandes, ipsæ adolescentes, & iuniores. Celebris Martialis sententia [d]:

c epist. ad Celantiam de Instit. Matrisfamilias.

Cur mulieres quandoque viris imperent.

d lib. 8. epigr. In 12. vbi Ra- …

Vxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.

Offendit plerunque virum, ait Ambrosius [e], *si se vxor nobiliorem nouerit.* Et idem Hieronymus [f] viduas reprehendit, quæ sibi pauperes maritos deligunt, quibus imperent, vt nomen tantùm virorũ habere videãtur, qui paticotet riuales sustineant: si mussitauerint, illico proijciendi. Ex Auctoribus profanis affert in hãc rem cõplura Tiraquellus [g]. Eodem reuocari possent Dei verba [h]: *Faciamus ei (viro) adiutorium simile sibi*; non effigie duntaxat, & natura, sed etiam conditione.

e l. de Abrahã cap. 2. f in Epitaphio Marcellæ.

g in lib. 5. connub. & 6. h Gen. 2. 18.

Vt & si qui non credunt verbo.] Fulgentius [i] addit Dei. Igitur Christianæ fœminæ manere cum prioribus viris possunt infidelibus, si, vt vulgo dicitur, sine iniuria Creatoris velint cohabitare. Nõ tamen per se, ac absolutè, & absque dispẽsatiõne licet cum infidelibus noua cõiugia celebrare. Sed longiorem ista disputationem requirunt, quæ nõ est præsentis instituti; sicut & de aliis tori, aut non ineundi, aut separandi causis.

i epi. 2. ad Gallam, c. 11.

Christianæ fœminæ quatenus cum viris infidelibus cohabitare debeant.

Per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant.] Interpres Syrus totam sententiam exprimens, ita vt Petrus ipsasmet mulieres alloquatur, sic paulo aliter vertit: *similiter & vos mulieres subditæ estote maritis vestris, vt eos qui non acquiescunt sermoni, bonis moribus vestris acquiratis absque labore*, דלא עמלא *dela bhamla*: nam lucrum videtur sine labore contingere. Fulgentius [k] legit *vxorem* & (*lucrifiantur.*) Tanta illa inter cõiuges coniunctio valet in vtrãque partem plurimùm, & facile est alterũ sanctificari, & saluum fieri per alterum, vt Paulus docet [l]: De fœminis exempla non desunt, vt Monicæ, quæ, vt scribit Augustinus [m], eũ in omni vita sese cum Patritio viro ira feruido gessisset modestissimè, *iam in extrema vita eius, lucrata est illum Deo, nec in eo iam fideli planxit, quod in nondum fideli tolerauerat.*

k supra.

l 1. Cor. 7. 14. 16. m 9. Confessio. cap. 9.

Quid referã de Cæcilia, quæ Sponsum, & Cognatum: de Natalia, quæ Adrianum: de Martha, quæ Marium: de Theodelinda, quæ vtrũque maritum, Eutharin, & Agilulphum Longobardos reges: de Domitia, seu Domitilla, quæ Flauiũ Clemẽtem propinquum Domitiani: de Clotilde, quæ Clodouæum Francorum regem: de Ingulde, quæ Hermogillam Gothorum: de Dobbera, vel Dabraua, quæ Polonorum Ducem Miscio, aut Meisco ad fidem, & religionem Christianam conuerterunt? Sed nec insolens Iudæis cum Gentilibus & infidelibus cõiugi matrimonio. Nam vt omittam Salomonem, Timotheus filius fuit mulieris Iudææ fidelis patre gentili [n]; Felix Præses Romanus vxorem habuit Drusillam Iudæam [o].

Mulieres quæ Christo viros lucrata sunt.

n Act. 16. 1. 3. o c. 24. 24.

Vnicam adhibeo sententiam Chrysostomi [p], cetera prætereiens exempla plura eruditarum, & prudentum fœminarum, quæ redigit in Catalogum Tiraquellus [q]; *Nihil*, ait ille, *potentius muliere bona ad instruendum, & informandum virum quodcunque voluerit: neque tam leuiter amicos, neque magistros, neque Principes patietur, vt coniugem admonentem, atque consulentem. Habet enim voluptatem quamdam admonitio vxoria, cum plurimum amet, cui consulit* (aliàs, *ametur quæ consulit.*) Multos possum afferre viros asperos, & immites per vxorem mites redditos, & mansuetos: ipsa enim mensa, lecto, filiorum communicatione, dicendis, tacendis, ingressu, exitu, & aliis pluribus cum marito communicans, & vt corpus capiti coniuncta, si prudens erit & diligens, omnes vincet in curando coniuge, & coniugis superabit diligentiam.

p Hom. 60. in Ioan.

q l. 11. connub. … Pat. 11.

Subiicit deinde, rationem optimam persuadendi consistere in probis mulieris moribus, maximè in ornatu moderato, in modestia, beneuolentia, pudicitia, pietate, rei familiaris cura. Hæc indicantur hoc loco per castam conuersationem, & timorem, aliãque, quæ sequuntur. Ambrosius [r] autem, velut per paraphrasim, locum hunc totum sic tractat: Sed & Apostolus Petrus; *Mulieris*, inquit, *gratia plurimum valet, vt viri eius comuertatur affectus per vxoris suæ bonam conuersationem, & incredulus se conuertat ad gratiam Christi. Hoc valet mulieris grauitas, & pudicitia, & eius bona conuersatio, vt virum suum vocet ad fidem, & deuotionem, quod prudentis viri sermo frequenter operatur.*

Qua ratione honesta sua viros mulieres persuadebunt.

r 6. de Sacram. cap. 5.

Conuersationem.] Quid sit, prius explicaui [s], dixique nil magis commendare Fidem nostram apud alios, quàm bonam conuersationem. Confirmatur sententia Iacobi [t]: *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.* Præcipit quoque Paulus [u], *vt dignè Euangelio Christi conuersemur.* Ansam Hæretici magnam ex mala Catholicorum, & Ecclesiasticorũ conuersatione arripuerunt, sicut Catholici ex Religiosorum. Postquam Moses [x] exposuisset diuina præcepta: *Hæc est*, ait, *vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc* (non recitari tantùm, sed obseruari,) *dicant: En populus, sapiens & intelligens, gens magna*; non tam multitudine, quàm dignitate, ob sanctitatem, &c.

s cap. 2. 12.

t c. 3. 13. *Conuersatio bona maximè ostendit fidem nostram.* u Philip. 1. 27.

x Deut. 4. 6.

Sine verbo.] Rectè Glossa Interlinearis, Hugo, Thomas Anglicus, Carthusianus, Lyranus, & alij, sine verbo prædicationis communis, quia *mulieri publicè docere non permittitur* [y]; & in Ecclesiis loqui [z]. Syrus Interpres, vt dixi, reddidit *sine labore*: est namq; non paruus labor prædicationis. Idcirco Paulus [a] *duplici dignos honore ducit, qui laborãt in verbo, & doctrina*; ξυνιόντας, & simul iungit, cum omni doctrina, patientiam [b], scilicet æquè omnẽ: & multis argumentis probat iis deberi stipendia [c]: immò eum, *qui catechizatur, debere communicare ei, qui se catechizat, in omnibus bonis* [d]. Domesticus autem vxoris sermo, & adhortatio absque labore fit.

y 1. Tim. 2. 12. 14. z 1. Cor. 14. 34. 35. a 1. Tim. 5. 17. b 2. Tim. 4. 2. c 1. Cor. 9. per totum serè caput. d Gal. 6. 6.

Oecumenius exponit *sine verbo*, quia efficacior persuasio ex tacitis operibus bonis, quam ex verbis, quæ illis careant, ita vt contradici non possit. Videtur etiam *sine verbo* referre ad viros, qui videlicet nullum habeant, quo contradicere valeant, & ad vxores, quia leui negotio, propter causas prius dictas, persuadere valeant. Tritum admodum Francisci responsum, duos ex discipulis idiotas, vt erant iussi, per plateam tantùm inambulando, prædicasse; quoniam modestia sua commouerant multitudinem ad pietatem.

Lucrifiant.] Κερδηθήσονται. Præter causam quã prius attuli de lucri nomine, quod videtur va-

cuitatem laboris indieare;hæc alia est,qua denotatur pretium animarum nostrarũ, & voluptas, quæ percipitur ab iis, qui student animarum cõuersioni. Hæc luerosissima negotiatio adeo commeodata in fideli seruo à Cbtisto [a], ita vt præ isto lucro nihil prosit totius mundi luerum [b], etsi non de aliena, sed propria cuiusque loquatur anima. Qui sua correctione persuadet fratri, lueratus eũ censetur, vt ait idem Christus [c]. Paulus *summum lucrum reputabat Christum* [d], & alia præ hoc lucra, *vt stercora* [e], & mortem ipsam, vt cũ Christo esset habebat in lucro [f]; labores omnes suos eo referebat, vt alios eidem luerifaceret [g]: quod verbum maximè inculcauit, quandu se abstinuisse docuit, cum tamen recipere posset, ab alienis seu eleemosynis, seu stipendiis, pro suo labore [h]. Si quos conuertisset, appellabat *gaudiũ* [i], *coronam* [k], *gloriam suam coram Domino* [l]. Vetabat quoque magnopere ne *turpe lucrum sectaretur Episcopus*, eiusve cupidus esset [m]: *turpis lucri gratia docentes acriter coarguebat* [n].

Negotiatio lucrosissima salus animarum.
a Matt. 25. 16. 17. 22.
b Matt. 16. 26.
c infra 18. 15.
d Philip. 3. 8.
e ibidem.
f cap. 1. 21.
g 1. Cor. 9. 19. 10. 33. 12.
h ibidem.
i Philip. 4. 1.
k ibidem.
l 2. Cor. 1. 14.
m 1. Tim. 3. 8.
n Tit. 1. 7.

In timore.] Vel Dei, vel etiam virorum suorum, & quidem præsertim in timore reuerentiali, qui diei castus solet, prout etiam indicat conuersatio casta, quæ hic statim ponitur. Arbitrantur Hugo, Lyranus, Primaticcius, Titelmanus, dirigi orationem ad mulieres, ita vt in participio *considerantes* supplenda sit particula, ô, (*ô mulieres*) Repugnat Græcum generis masculini participium ἐποπτεύσαντες; & Thomas Anglicus, Carthusianus, cęteri explicant de viris incredulis. Posset quoque timor intelligi in viris ipsis, quem conciliauerit ipsis sanctitas morum deprehensa in vxoribus, reddénsque eas venerabiles.

Castam.] Alij *Sanctam*, ἁγνὴν, melios exprimit editio nostra. Ne quis Agnem puret vocatã quasi ἁγνὴν; obstat enim quod sine aspiratione scribitur: & quod ab agna Augustinus [o] deriuat. Communis quoque opinio: & appictus ei agnus: & agnorum vellera ritè benedici solitá quotannis in eius æde via Nomentana die eiusdem festo ad pallia conficienda. Propria vxorum laus castitas, indiuidua cum viro societas, vna demũ cum illo caro [p]. E contrariu graue scelus adulterij, omnium vindicatum legibus nationum: qua in re nihil attinet immorari: licet verò parem in vtroque coniuge oporteat fidem esse; tamen in vxore damnabilior eius violatio æstimatur, ob incertitudinem prolis, & familiæ maiorem infamiam, & quia potiùs quoddam ius habet vir in fœminam: & quia decet magis illam pudor, pudicitiáque, & domi sese continere, nec quid sine viro agere Differunt de hoc Scholastici [q], Martinus de Magistris [r], & alij.

o serm. 101. de diuersis
p Gen. 2. 24. Matt. 19. 6. Ephes. 5. 31.
Adulterium graue scelus omnium nationum legibus punitum.
q 4. dist. 35.
r lib. de temperantia. q. 9.

Vers. 3.] Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.

Remouet à matrona immoderatum corporis externum habitum, cultum, ornatum, in capillo, in auro, & aliis rebus pretiosis, in vestimentis. Res hæc latius patet, de qua proprios Tractatus ediderunt Tertullianus, & Cyprianus: alij autem Patres nonnulla præcepta tradiderunt, præter Ethnicos Scriptores, nosque ipsi ad caput tertium Esaiæ diximus aliquid. Paucis hic absoluemus, quæ instituto necessaria videbuntur.

Multa congerit in legibus cõnubialibus Tiraquellus [s]. Tertullianus ait, quòd habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, Cultum, & Ornatum. Cultum esse, quem mundum muliebrem vocant. Ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici: illum in auro, argento, & gemmis, & vestibus deputari: istũ in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt: alteri ambitionis crimen intendi, alteri prostitutionis. Liuius [t] scribit, quod munditiæ ornatus, & cultus fœminarum insignia sunt, his gaudent & gloriantur: & hunc mundum muliebrem appellauerunt maiores nostri. Cyprianus *deteriorem pronunciat superfluum ornatum adulterio ipso, quoniam*, vt etiam scribit Augustinus [u], *ibi pudicitia, hîc natura adulteratur.*

s in lege 5.
t lib. 34.
Ornatus superfluus peior adulterio.
u lib. 2. de Ser. Do. in monte.

Quarum non sit extrinsecus capillatura.] ὧν ἔστω οὐχ ὁ ἔξωθεν ἐμπλοκῆς τριχῶν, &c. κόσμος. *Quarum non sit extrinsecus implicationis capillorũ ornatus.* Syriacè: (*Et non ornemini ornatu externo, vt cincinnis capillorũ.*) Alij Græci codices habent ἐμπλοκᾶς, quæ vox idem valet, nempe crinium nexus, (qui appellantur etiam πλόκαμοι, & à Paulo [x], agente de hac eadem re, πλέγματα,) siue *plicaturas, crispaturas, & nodos*, qui torquendo, & frangendo per gradus vario flexu fiunt: dicíque vno verbo cincinni, cirri, corymbi, crobyli, calamistri possunt. Videtur Ambrosius [y] legisse ἐν πλοκῇ. recitat enim *in plicatu*: alibi [z] tamen, *capillorum implicatio*, vt & Fulgentius [a]. Idacius verò, *Non extrinsecus capillorum implicatus* [b]. Cyprianus ponit nomẽ generale ornaméti, fortassis eo sensu, quo retuli Tertullianũ [c] docuisse ornatum consistere in cura capilli. Augustinus [d] memoria lapsus Petro tribuit quod est Pauli [e]. *Ornantes se non in tortis crinibus.*

x 1. Tim. 2. 9.
y exhortat. ad Virgi.
z ep. 27. edit. Rom.
a epi. 2. c. 10.
b contra Varimadum.
c lib. 3. c. 56.
d serm. 10. de Verb. Apost. c. 21.
e 1. Tim. 2. 9.

Est sanè mulieri gloria comam nutrire, turpe tonderi, aut decaluari, cum ei capilli pro velamine dati sint, vt scribit Paulus [f]; & minatur Deus tanquam supplicium decaluationem verticis filiarum Sion, & crinis nudationem [g], (quamuis & viris interdum par pœna indicitur [h], & erat signum luctus vtriq; sexui tõderi apud Hebræos [i], (etsi secus apud alios teste Plutarcho [k]) immo apud illos varia fuit in hoc ratio, vt ostendit Pineda [l] noster: denique sanctimoniales crinem resecant, quod omnibus fœminis Eustathium hæreticum præcepisse narrat Nicephorus [m], & factitatum apud Amriphęos prodit Solinus [n]. De monialibus Hieronymus [o]. Contra Eustathium verò Concilium Gangrense [p], & Imperator Valentianus, Theodosius, Arcadius [q]. In Concilio item Viennensi [r] non improbantur simpliciter crines, etiam in monialibus, sed comati, cortuti, cincinnati.

Mulieris gloria est comam nutrire.
f 1. Cor. 11. 15.
g Esa. 3. 17. & 24.
h ibidem 24.
i Iere. 15. 8. Ierem. 48. 37. Ezech. 7. 18. Amos 8. 10. Michææ 1. 16.
l Iob 1. 20.
[illegible] fusca.
k P. oble. 13.
l Iob 1. vers. 2. num. 15.
m lib. 9. ca. 45.
n cap. 27.
o ep. ad Sabin. Diacon. & in alia epi. de eo qui pellebat dicatam Deo.
p c. 17. & habetur quæcunq; mulier dist. 30.
q C. Theodos. de Episc. vel Cler. l. 7.
r Clem. 2. de stat monacho.

At Petrus, Paulúsque, sicut & alij Patres modum præscribũt fœminis generaliter in cura capilli, & reliqui ornatus, cultúsque, permittentes eum, qui congruit statui, & conditioni cuiusque. Id rectè Caietanus monet: sed illud non adeò benè, non prohiberi hoc loco ad litteram, nisi vt isti externo præferantur ornamenta interni hominis. Hoc namque facere debent etiam quæ modestè se ornant, & colunt: cùm sit φιλόκοσμον (vt loquar cum Hieronymo [s]) genus fœmineum, multæque etiam insignis pudicitiæ, quãuis nulli virorum: tamen sibi libenter ornati velint. Facit idem argumentum, sed prior Cyprianus [t], multò hac magis egere coërtione Virginem, cui nulla ornatus sui competit venia, nec deriuari in alterum scilicet (maritum) possit mendacium cul-

Mulierum genus φιλόκοσμον.
s epist. 11. ad Gaudentium.
t de habitu Virginum.

pæ, sed sola ipsa remaneat in crimine. Affert idem Cyprianus [a] in confirmationem reprehensionis ornatus secularis in muliere, & allatum ex epistola ad Timotheum [b], testimonium & exempla Thamar [c], atque meretricis, quam describit Ioannes in Apocalypsi [d], addere possumus Iezabelem [e], atque Montani prophetissas [f], & alia testimonia Scripturarum [g]. Paulus verò sic vetat tortus crines, aurum, margaritas, vestem pretiosam, vt permittat habitum, ornatum, καταστολὴν Syriacè castum, κόσμιον, modestum, honestum cum verecundia & sobrietate, atque vt decet mulieres promittentes, id est *profitentes ἐπαγγελλομένας, pietatem per opera bona* [h]. Nec vitio vertitur Ruth, quòd lota, vncta, cultioribus vestimentis adhuc nubilis indueret se [i]: nec quod Iudith vidua *crinem quoque capitis discriminauerit, séque adeo multis ornamentis ornauerit* [k]: nec quòd Esther *vestes regias gestauerit, etsi Deo professa est, se id necessitate compulsam fecisse, & abominatam signum superbia, & gloria sua, quod erat super caput suum, atque detestatam quasi pannum menstruata* [l]. Mentio præterea est in aliis locis scripturæ [m] de ornatu mulierũ, & virorum honesto. Quin etiam docente Augustino [n], peccare mulier potest, si vestes humiliores ferat inuito marito, quod preter alios probat magis Martinus de Magistris [o], eadémque ratio de cætero ornatu videtur.

Sed quod attinet ad capillaturam, siue plicaturam crinium, quod argumentum tractat Adrianus Iunius libro de Coma, iam dixi de Iudith, quod capitis crinem discriminauit. Id Græcè est, Διέταξε τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς. *Disposuit crines capitis*. Plutarchus [p] ex pluribus causis, cur nuptarum comam hastæ cuspide discriminarẽt Romani, assignat istam, vt monerentur debere ornatu vti simplici, & à luxu, ac mollicie esse alienæ, vtpote bellicosis iunctæ maritis, qui primas etiã vi, belloque duxerant, Sabinas nempe. Homerus [q] memorat Iunonem alioqui castissimam, vt Ioui placeret marito, inter alia hoc ornamentum adhibuisse:

Τῷ ῥ' ἥγε χρόα καλὸν ἀλειψαμένη, ἰδὲ χαίτας
Πεξαμένη, χερσὶ πλοκάμους ἔπλεξε φαεινούς.
(Dulcis odor) quo nunc corpúsque comásque elegantes
Obleuit, pulchros pectens discrimine cirros.

Adulter crinis color dignus reprehensione [r]: Si se mulieres sumptuosius comant [f], & vt ait Comicus [t]: *Dum moliuntur* (aut *poliuntur*) *& comuntur, annus est*. Si crines à fronte demittant [u]: Si capita turrificent adulterinis crinibus, vt Nazianzenus hoc vetans scribit [x]:

Μὴ κεφαλὰς πυργοῦτε νόθοις πλοκάμοισι γυναῖκες.

Pudet sanè quòd hac ætate nostra viri damnatum in fœminis cirrorum vsum assumpserunt sibi, comptique & cincinnati non verẽtur procedere, idque Christiani. Inuehitur Roa [y] noster, & ante illum Tiraquellus [z], in hoc infame hominum genus, testibus in eos excitatis, etiam Ethnicis. Clemens Alexandrinus [a] illiberali, ac meretricio se tonsu tondẽtes appellat effœminatos. *Pensate*, inquit Gregorius [b], *qua culpa sit, hoc etiam viros appetere, quo curauit pastor Ecclesia & fœminas prohibere*. Negauit B. Tiburtius, vt est in Gestis S. Sebastiani, Torquatum nomine Christiano dignũ, quòd capillos super apicem frontis tonsoris arte componeret, capitis fimbrias admitteret, tonsorem diligeret. Diodorũ, qui dum ædificandæ præesset Ecclesiæ, cirros puerorum licentius detondebat, Ammianus [c] prodit à plebe Gentiliũ interfectũ.

a lib. 3. c. 36.
b 1. ep. 2. 9.
c Gen. 38. 14.
d cap 17. 4.
e 4. Reg. 9. 10.
f Euseb. 4. histo c. 18.
g Psal. 143. 12. Esa. 17. 8 & seq. Ezech. 23. 15. & seq. Eccl. 9. 8.
h 1. Tim. 2, 9. 10.
i Ruth 3. 3.
k Iudith 10. 3.
l Esther 14. 2. 16 & cap. 2. 13. *Peccare mulier potest, si vestes humiliores ferat*
m Gen. 24. 47. Exo. 35. 22. Iob 40 5. 2. Reg. 10. Cant. 1. 10. 11. Ezech. 16. 10. & seq. Dan. 5. 29.
n epist. ad Ediciam. 199. & refertur C. Quod Deo 33. q. 5.
o de Temper. q. 6.
p Quæst. Romana. q 87.
q Iliad. 14.
r Cypr. lib. de habitu mulierum, & lib de bono pudicitiæ.
s idem Cypr. priore nunc loco citato.
t Teret. Heauton. Act. 2. sce. 7.
u Hieron. ad Demetriad.
x carm. contra mulieres.
y lib. 3 singula cap. 15.
z l. 3 connub. num. 45 & seq.
a 3. Pædag c.
b homil. 6 in Euangelia.
c lib. 22.

Sed vt reuertamur ad mulieres (viros enim etiam Clemens Romanus [d] hoc nomine reprehendit.) Tertullianus [e] satis indicat honestum institutum matronatum in hac re hisce verbis: *simúlque*, ait, *se mulieres intellexerũ* (grandiores natu) *vertunt capillum, & acu lasciuiore comam sibi inferunt, crinibus à fronte diuisis, apertam professæ mulierositatem*. Idem, quem nominaui Clemens Papa [f] Apostolos inducit eas eodem spiritu, & penè sermone eodem instituentes, quo cum Petro locutum Paulum vidimus.

Aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.] Quæ adhuc dixi, huc accommodari possunt: nec opus pluribus contra luxum vestium, & variæ supellectilis, cuius bene longum ordine alphabetico texit Catalogum Tiraquellus [g]. Super ceteras nationes modum Persas excessisse cognoscitur ex historia Esther [h], exque Tullio [i]: nec dissimilia de Sibaritis memorant Athenęus [k], & Plutarchus [l]. Quatenus liceat ornato vti vestitu Hieronymus [m], & Augustinus [n] docent, nósque Capite duodecimo Actuum. Deníque mulierum externus ornatus (idémque dici de virorum potest) non prohibetur omnino, sed monentur vtrique, quem verum coram Deo æstimare cultum debeant: quemadmodum quando dicitur [o]: *non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax*, non vetantur esca potúsve. Sic etiam cum in regula præcipit Augustinus, *ne affectent vestibus placere, sed moribus*, non vestem prohibet mundam, sed mores bonos verum esse ornatum docet. Postremo idem voluit Basilius [p] definiens *mulieres nullo modo debere nimis exquisita in ornatu corporis elegantiæ studere, potiúsque curam omnem in bona opera conferre*: huncque verum, & germanum Christianorum [q] ornatum esse.

Circumdatio auri, siue auri circumpositio, vt legit Fulgentius, περιθέσεως χρυσίων, amplectitur varium modum ornandi se auro, præsertim in crobylo, seu cincinno, de quo Clemens Alexandrinus [r]. Indumenti vestimentorum cultus, ἐνδύσεως ἱματίων κόσμος vt Lyranus, Hugo, Thomas Anglicus putant, denotat pretiosiores vestes (quo pacto etiam Syrus vertit) ita vt dicatur indumentum vestimentorum, quemadmodum rosa flos florum, Deipara Virgo virginum, &c. coactius id est.

Vers. 4.]Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti Spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.

PRæcipuum in mulieribus, quarum, vt diximus, genus est φιλόκοσμον, docet esse debere studium in ornando animo potiùs quàm corpore, sub quo ille latet, atque cùm sit per se incorruptibilis, Deóque similis, eiusmodi requirit ornamenta item incorruptibilia: qualia sunt cùm virtutum aliarum, tum verò mansuetudinis atque modestiæ, & pacis internæ, quæ optimè cõponit, & exornat animum, ac veris opibus locupletat. *Omnis gloria filiæ regis ab intus* [s]: ἔσωθεν, & vt legunt etiam LXX. ἔσωθεν, nec non psalterium Æthiopicum Esbon, & Cyrillus Alexãdrinus [t], quod Didymus [u] exponit λογισμῶν: quia rex cogitationum iustarum est ipse Dominus. Hieronymus [x] autem testatur in quibusdam exemplaribus inueniri (ἐξ ἐννοιῶν) *ex cogitationibus*. Non dicitur

d 2. const. c. 4.
e de velan. Virginib.
f 1. const. c. 9.
g l. 3. connub. nu. 27.
h cap. 1 11.
i Orat. 5. in Verrem.
k lib. 12. c. 6.
l in conui. septem Sapientum.
m 1 con. Pelag.
n epist 73. & 3. de doct. Christia. c. 12. 13. 14.
o Rom 14. 17.
p in moral. definit. c. 5. regul. 73.
q ep. 3. c. 11.
r 2. Pædag c. 10. & lib 3. cap. 2.
Mulieres magis de animo ornando esse debent.
s Ps. 44 14. 15.
t 1. de Adorat. in Spiritu.
u in Catena.
x epist. 140.

simplici

simpliciter *intus*, sed *ab intus*, vt suus relinquatur, non modo externis operibus virtutis locus, & naturæ dotibus, aut etiam quæ vocantur gratiæ gratis datæ dona, sed ornatus quoque moderatus in corpore, quæ omnia dici possunt *fimbria aurea, & varietates ex aureo charitatis vestimento*, vt explicat Augustinus [a], si nempe ex charitatis sint præscripto, & ad eius finem dirigantur, atque, vt ait Gregorius [b], intus, forisque cum perseuerantia, quam fimbriæ designant, ceteræ adsint virtutes. Illa non virgo dumtaxat, sed alia in suo genere mulier quæcumque laudanda.

[a] In Psal. 44. 31.
[b] lib. 6. cap. 1. in cap. 15. lib. 1. Regum.

Quàm [c] decor occultus decorat, quam tecta venustas. Tantæ laudes erant interni ornatus sponsæ, vt eas sponsus, quod satis explicari nequirent, inuoluendas iudicauerit silentio [d], *Absque eo quod intrinsecus latet*, aut iuxta aliam translationem de qua Gregorius, absque occultis tuis, ἐκτὸς τῆς σιωπήσεώς σου, *extra silentium, vel taciturnitatem tuam* [e], seu quia silentij virtus valde commendatur in puella: seu, vt sileantur de te reliqua, quæ non ita foris apparent, & longè plura, maioráque sunt: quod indicat quinta editio ἀπὸ τῶν κρυπτῶν σου. Mitto aliorum sententiam ex Hebræo מבעד לצמתך *mibbahhad letsammathech, intra vittam, vel velum*: aut intra comam; oculos pulchros esse, quibus cincinni crispique superuolitant, & inter quos quasi per cancellos emicant. Nil etiam dico de illis, qui volunt internas, aut secretas indicari partes corporis exactè perfectas.

[c] Nazianzen. Carm. de præce. ad virgines.
[d] Cant. 4. 5.
[e] Ambros. in psal. 118. serm. 16.

Prima expositio communior, maximè autem à Gregorio [f] tradita. Tritum satis, quid de Charmidis, & Socratis interna animi forma Plato [g] scripserit, quid de cuiusvis alterius hominis [h], quomodo Socrates à Diis petierit [i], vt pulcher intus efficeretur, & quæcumque extrinsecus haberet, intrinsecus essent amica: quare Antipatrum Alexander plane purpureum nominaret, qui vestes externas vulgares induebat: cur è contrario mulier externæ formæ dedita, internam negligens dicatur internè, Hecubam, externè Helenam referre [k].

[f] in cant. ca. 4. & hom. 16. in Ezech.
[g] in Charmide, & in Conuiuio.
[h] 3 de Repu.
[i] in Phædro.

Ἔνδοθι τὴν Ἑκάβην, ἔκτοθι τὴν Ἑλένην.

[k] Nazianzen. Carm. contra fucatas mulieres.

Sed qui absconditus est cordis homo.] Sit videlicet ornatus. Cyprianus [l]: Sit in muliere non exterior ornamenti (quæ in editione nostra dicitur *extrinsecus capillatura*) aut auri, aut vestis cultus cordis. Idacius [m]: *Sed qui absconsus est homo.* Ambrosius [n] hinc probat hominem omnem Sapientem non modò liberum, sed & diuitem esse, nec excepto sexu fœmineo. Ait præterea hanc velut hominis definitionem censeri, quam his tradit Petrus, & sequentibus verbis: idcirco autem, cùm in Genesi [o] laudatæ legantur à Deo res ceteræ, prætermissam laudationem hominis, propter quem illæ factæ, quia aliæ in specie sunt, homo in occulto. Nihil verbi gratia in bestiis plus repetitur, quàm quod videtur; in homine nihil est inferius, quàm quod videtur, & seruit corpus quod videtur, regit mens, quæ non videtur, sed quasi inuolucro corporis tegitur, & occultatur, vt eam haud facilè quisquam introspicere, & speculari queat: aliarum gratia foris, & in natiuitate, hominis intus est, & in corde, & non in forensi (hoc est, externa) pelle, sed in interiori homine antè probandus, sicque demum prædicandus homo. Id magis adhuc explicans [p], præfatur, quòd nemo ante Petrum tali expressione vsus est, vt diceret cordis hominem. Tamen subdit: *exterior enim homo plurima in se membra habet: interior autem cordis homo totus Sapientia est, plenus gratia, plenus decore.* Id ipsum confirmat sequentibus huius loci verbis, ducens veras diuitias in virtutibus consistere. Facit hoc etiam Augustinus [q], atque corporis huius, id est, exterioris hominis ornamenta, quantò magis appetuntur, tantò esse interioris maiora detrimenta: quantò autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tantò magis moribus pulchris hominem interiorem adornari. Nazianzenus [r] præfert artem animabus medendi ei, quæ curat corpora, & difficiliorem affirmat: quoniam medicina corporalis pauca respicit eorum, quæ in profundo latent: medicis spiritualibus in eo, qui absconditus est cordis homine, omnis cura, omnéque studium ponendum est, & cum eo certamen ineundum, qui nos intus oppugnat, atque inuadit.

[l] de habitu Virg. & lib. 3. ad Quirin. cap. 36.
[m] cont. Varimad.
[n] ep. 37. edit. Rom.
[o] cap. 1. 31. *Homo totus in interiori parte consistit.*
[p] epist. 37.
[q] serm. 18. de verb. Apost. cap. 11.
[r] in Apologetico. *Ars medendi animabus artè medendi corporis est difficilior.*

Legimus in Pauli scriptis *interiorem hominem* [s] (vno nomine Augustinus [t] plura ista exposuit) id est, rationalem, siue spiritualem, ita vt propter partem sensualem, seu animalem, & propter corpoream, vel ob animam, vt distincta ponitur à Spiritu, & ob corpus [u] vocari possit exterior homo.

[s] Rom 7. 22. 2. Cor. 4. 16. Ephes. 3. 16.
[t] 13. de ciuit. c. 10.
[u] 1. Thess. 5. 23.

Est igitur absconditus & interior homo, secundum partem suam superiorem, quæ est ratio, ac voluntas, nec patent hominum sensibus; sicut in bruto produnt se foras functiones omnium potentiarum ipsius. Inde absolutè denominatur homo tamquam ab eo, quod potius est in ipso: non quia vel sola mens sit homo, vt existimauit Plato [x]: vel quasi rationalis anima, quam vnicam habet homo, figurata sit secundum formam, & effigiem hominis, vt arbitratus est Tertullianus [y].

Homo absconditus quis sit.
[x] sæpè.
[y] lib. de Anima.

Rursus apud eundem Paulum [z] mentio fit de eo, *qui foris est, nostro homine, & corrumpitur, & de eo, qui intus, & renouatur de die in diem.* Origenes [a] docet hominem veterem, qui cum externo idem est, ab infantia per pueritiam, adolescentiam, senectutem tendere in corruptionem, ac interitum; interiorem, qui nouus appellatur, aut renouatus secundum Spiritum à vetustate peccati ad pueritiam, & infantiam, hoc est, ad innocentiam per assiduam in bonis operibus exercitationem.

[z] 2. Cor. 4. 16.
[a] hom. 13. in Ezech. *Homo vetus quis sit, & nouus.*

Nihilominùs, magis propriè loquendo, vetus homo importat culpam, & pœnam: nouus iustitiam, & gloriam: exterior, quidquid habemus commune cum brutis: interior, quidquid cum Angelis præsertim sanctis. Veterem deponere debemus, non tamen externum; & induere nouum [b] qui nempe perfectionem interioris includit. Legendus Augustinus [c] de homine interiore, & exteriore, Ambrosius [d] de iisdem, ac de vetere, & nouo, nec non de Spiritu, anima, corpore: Bernardi liber de interiori domo. Quocirca licet conceptis verbis præter Petrum nemo, vt docebat Ambrosius, dixerit cordis hominem, attamen eundem sensum satis expressit Paulus citatis locis: & adhuc magis vbi distinxit [e] *alterum Iudæum in carne, in manifesto Circumcisionis, in littera: alterum in abscondito cordis in Spiritu, in circumcisione spirituali.*

[b] Ephes. 4. 24.
[c] 1 de Nup. & concup. c. 10.
[d] de instit. virg. c. 2.
[e] Rom. 2. 28. 29.

Caietanus hominem cordis absconditum in incorruptibilitate, vult esse circumlocutionem, seu descriptionem hominis immortalis, qui habet latentem in corpore animum immortalem, & cor, id est, voluntatem: requiri verò, ornatum interni hominis. Verùm illud *in incorruptibilitate*,

pertinet, iungiturque cū eo quod sequitur *quieti, & modesti spiritus*, vulgo dicitur *huomo di cuore, di petto*, &c. pro cordato, forti, constanti, fideli. Animi iusti pulchritudo si conspici posset, quantam voluptatem ingeneraret? vt contrà peccatricis fœditas exanimaret, vt Catharina Senensis dixit! *Concupiscet rex decorem tuum* [a].

In incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus.] Ἐν τῷ ἀφθάρτῳ τοῦ πραέος, καὶ ἡσυχίου πνεύματος. Debet nimirum mulierum ornatus potissimus esse occultus; & hic nihil aliud est, nisi homo carens in corde omni corruptela; vnde fit vt spiritus eius placidus sit, & quietus; quæ sunt incorruptibilia ornamenta, non vt externa, corruptioni obnoxia. Hoc est esse diuitem æternitati, ait Ambrosius [b], cum pace animi, cum tranquillitate quietis nihil concupiscere, nullis exagitari cupiditatum procellis, &c. Rectè verò idem Pater [c] indicat, de modestia sermonem hîc fieri post absconditum cordis hominem, quoniam habitus mentis in corporis statu cernitur. & hinc aut leuiores, aut iactantiores, aut turbidiores: aut contra grauiores, & constantiores, & puriores, maturiores æstimamur. Subiicit quæ sibi euenerant in duobus hominibus exempla.

Hieronymus [d] vertit (*in incorruptione mitis & silentis spiritus.*) Tunc addit: ô verè digna vox Apostolo, & petra Christi! maritis, vxoribúsque dat legem, & damnato carnis ornatu, castitatem prædicat, & ornatum interioris hominis in incorruptione mitis & silentis spiritus quodammodo hoc dicens: Quoniam exterior vester homo corruptus est, & beatitudinem incorruptionis, quæ propriè Virginum est, habere desiistis, imitamini incorruptionem spiritus saltem per seram abstinentiam, & quod corpore non potestis, mente præstate. Has enim Christus diuitias, & hos vestræ coniunctionis quærit ornatus.

Placet, quod annotat Caietanus, exigi ornatū internum in mulieribus. mansueti spiritus contra iracundiam, quæ ipsis familiaris est; quieti, contra inconstantiam, quæ lōgè familiarior. Titelmanus addit, garrulas esse, atque contentiosas: adde, ambitiosas, cupidas, querulas, obmurmurantésque vitiis, nisi eas maximè orneut, & in id omnes fundos atque census exhauriant, vt conqueruntur Seneca [e], Columella [f], Plautus [g], Ouidius [h].

Quis pudor est (ait iste) *cēsus corpore ferre suos*? Monilis amore capta Ephesina puella, patriam Brenno prodidit [i], & Vrbem Tarpeia [k]: quæ meritò monilibus viuentes obrutæ sunt: suum Eriphyla vitæ Amphiarai mariti prætulit [l]. στυγερὴν τ' Ἐριφύλην,

Ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα. Quamplurimi alij narrant historiam; ex quibus Auctor librorum de inuentione [m], *Mulierum*, ait, *genus auarum est.* nam Eriphyle *auro viri vitam vendidit.*

Igitur moderatio, modestia, sedatus, pacatúsque, & iusto, ac honesto contentus in fœminis animus meritò exigitur. Si nomine incorruptibilitatis, aut incorruptionis, vt legere solet Ambrosius, & Hieronymus [n], mentis, corporisque integritatem velis intelligere, proculdubio hæc vna virtus facilè cupiditatem ornandi exterius corporis refrænar, quoniam

Γυναικὶ κόσμος ὁ τρόπος, κ' οὐ χρυσίον.

Mulieri ornamentum mores, & non aurum.

Immò non vacat suspicione impudicitiæ, quæ se nimium colit, quamuis alioqui sit pudicissima. Testis Claudia Vestalis, quæ

Casta [o] *quidem, sed non est creata, rumor iniquus*
Læserat, & falsi criminis acta rea est.
Cultus & ornatos varie prodisse capillos
Obfuit, ad rigidos linguáque prompta senes.

Simile quid memorat de Posthuma item Vestali Plinius [p]. Athanasius [q] Spiritum hoc sumens loco pro tertia Trinitatis persona, probat Deum esse, & à creaturis alienum, supráque illas, quoniam incorruptibilis est. Idem facit Idacius [r], ostendens de Spiritu sancto dici modestiam, sicut de Patre, iuxta quemdam locum Ieremiæ ex editione L X X. & de Christo in posteriore ad Corinthios epistola [s]. Verùm simplicior, vt communior sensus est de Spiritu humano, quemadmodum liquet ex dictis.

Qui est in conspectu Dei locuples.] Quidam codices habent *Quod est*, propter πνεῦμα, sed vt respōderetur spiritui, dici debuit *qui*; licèt Sapientiæ 1. [t] *& hoc quod continet omnia*, referatur ad Spiritum, qui Græcè πνεῦμα ibidem præcessit. Cuius generis exempla non desunt alia. Talem Spiritum habet Deus in pretio; coram illo magnifica, & sumptuosa res est: est coram Deo placens, vt exponit Hieronymus [u]. Nam *diuitiæ salutis sapientia, & scientia* [x], atque *simplicitas* [y]; quamuis externa paupertas adsit, & tribulationes [z]. De his diuitiis relege citatam pluries epistolam Ambrosij [a]. Ad rem facit præterea, quod Augustinus [b] scribit: *Sancti amiserunt omnia quæ habebant. Numquid fidem? numquid pietatem? numquid interioris hominis* (alludit ad hunc locum) *bona, qui est ante Deum diues? Hæ sunt opes Christianorum, quibus opulentus dicebat Apostolus Paulus* [c] (quem vocat foris pauperem, intus diuitem) *est magnus quæstus pietas cum sufficientia*, &c. Addit exempla Iob [d], qui magnas se facultates existimabat habere Domini voluntatem, cui pedissequus mente ditesceret [e], & Paulini Nolani, qui ex opulentissimo diuite, voluntate pauperrimus, copiosissiméque sanctus, cùm post vastatam Nolam teneretur à Barbaris, sic in corde suo precabatur: *Domine non excrucier propter aurum, & argentum: vbi enim sunt omnia mea tu scis*; scilicet vbi Christus [f] thesaurizare monuerat, quod est diuitem esse in bonis operibus [g]. Vt hoc præcipuè modo diuites essemus. Christus *cùm esset diues* [h] (id est, posset externis potiri diuitiis, quarum erat dominus) *propter nos egenus factus est.* Hinc simul fit, vt quamuis egentes, multos (spiritualiter) locupletare possimus, nihil habentes omnia possideamus [i], *delectari in via testimoniorum Domini sicut in omnibus diuitiis* [k], *diligentes mandata eius super aurum, & topazion* [l]. Augustinus [m] sanè legens, *absconditus cordis vestri homo, qui est ante Deum diues*: Non ante homines, inquit, sed ante Deum diues, & vbi Deus videt, ibi diues. Quid ergo tibi prodest, si vbi homo non videt furaris, & vbi Deus videt grandinaris?

Vers. 5.] Sic enim aliquando sanctæ mulieres sperantes in Deo, ornabant se subiectæ propriis viris.

Vers. 6.] Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cuius estis filiæ benefacientes, & non pertimentes vllam perturbationem.

PRofertur exemplum piarum veteris Testamenti vxorum, quæ viris subditæ, modestó-

que vſæ ornamento fuerunt: Sed in primis magni Patriarchæ Sara vxor, quæ maritum demiſsè dominum nominabat, adducitur in medium; & cuius vt maſculini filij Abrahæ, ſic omnes fœminæ dici filiæ poſſunt. Vtilis exemplorum ad perſuadendum commemoratio, quam videmus crebrò vſurpatam ab vtriuſque Teſtamenti ſcriptoribus, vt a Machabæis, Iudith, Tobia, Paulo [a]; & ab Eccleſiaſticia, maximè à Gregorio in Homiliis Euangeliorum, non ſolùm à profanis: Nominatim inculcata Iudæis mentio de Abraham [b], aliquando de Sara [c], vt *attenderent ad patrem ſuum, & ad eam quæ pepererat illos* [d], & *Abrahæ opera facerent* [e]. Hic *pater omnium credentium* dicitur [f]; & receptaculum iuſtorum olim vocabatur ſinus Abrahæ [g].

a Heb. 11. 4. vſque in finem capitis.
Abraha & Saræ exempla Iudæis cur propoſita.
b Rom. 4. & Gal. 3. & 4. Iacobi 2. 21. & ſeq. Eſa. 51. 2.
c Ibidem.
Eſa. 51. 2.
d Ibidem.
e Ioan. 8. 39. 40.
f Rom. 4. 11.
g Lucæ 16. 22.

Sancta mulieres.] Præter Saram recenſeri poſſunt Lia, & Rachel, Maria, (ſi tamen iuncta matrimonio fuit, virginem namque alij faciunt, vt aliàs dixi [h]) Noëmi, Ruth, Anna, Abigail, Bethſabæa, Sunamitis, Sarephtana, Eſther, Iudith; & Chriſto viuente Annæ duæ (fortaſſis vixit Deiparæ mater cum viro, cùm adhuc Chriſtus viueret, & altera Anna cùm Phanuel [i],) matres, vxoréſque Apoſtolorum aliorúmve Diſcipulorum, ac ſuper omnes iuncta Ioſepho genitrix [k] Dei. Non erant huiuſmodi exempla prorſus incognita etiam ex Gẽtilitate conuerſis Chriſtianis; quibus nempe veteres ſcripturæ communicabantur, & recentia ſanctorum ſacta ſubinde ſine dubio narrabantur. Sic animaduertimus in epiſtolis Apoſtolos ceteros, tametſi non ad ſolos ſcribant Iudæos, antiquas tum ſcripturas, tum hiſtorias allegare.

h cum Nyſſ. de virgin. c. 9. Ambroſ. l. de Virginib.
i Lucæ 2. 36.
k Matth. 1. 18. & ſeq. Lucæ 1. 27.

Porrò ſanctæ vocantur hic mulieres *ἅγιαι*, non generaliter dumtaxat, ſicut omnes fideles, ſed propriè, ob morum ſanctitatem. Magis adhuc propriè Deo dicatæ mulieres, vocari ſolent ſanctæ, nempe quia, vt Paulus [l] loquitur, & corpore, & ſpiritu tales ſunt, quas vocant etiam, vt pridem notaui ſupra, ſanctimoniales, & caſtimoniales, quaſi ſanctas, & caſtas moniales: & has credo intelligi in antiphona, *Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles*, &c. (quæ totidem verbis habetur apud Auguſtinum [m],) per deuotum fœmineum ſexum; cui reſpondet ibidem Clerus.

Dicata Deo mulieres vocantur ſancta.
l 1. Cor. 7. 34.
m ſermon. 18. de ſanctis.

Verumtamen hoc Apoſtolus dicens, vt docet Fulgentius [n], non ſic adſcripſit Virginibus ſanctitatem corporis & Spiritus, vt illam vel coniugatis demeret, vel viduis abnegaret. Probat id autem præter alia eiuſdem Pauli teſtimonia, quia Petrus non ambigit coniugatas fideles appellare ſanctas: ait autem Paulum ita locutum, quoniam ſanctarum virginum cogitatio magis ad ſpiritualia recurrit: ſanctarum verò coniugatarum magis coniugali neceſſitati ſeruit. Quamquam cùm loquatur Petrus de fœminis ante nouum conditum Teſtamentum, abſolute ſanctas appellauit coniugatas, quoniam in eo Teſtamento paſſim vacabatur coniugio, vixque conſtare poteſt, an aliquæ perpetuam, ex animi ſaltem propoſito, votóque virginitatem cuſtodirent. In hoc ſenſu Mariam dicunt nullum ante ſe Virginitatis exemplum habuiſſe, ſicque *per deſertum vt virgulam fumi aſcendiſſe* [o]. Nam vt ait Gulielmus [p] Neoburgenſis, nihil illis diebus Teſtamenti veteris tam neglectum, atque deſertum, quàm virginitas, & nulla, ſanctarum fœminarum virginitatem legitur amplexa, dum ratio temporis officium propagationis expoſceret: etſi aliqui ſancti viri pauciſſimi ſeruaſſe creduntur, iuſſam magis, quàm ſponte oblatam, vt Ieremias [q]: extra id verò præceptum, res erat potiùs maledicti [r], quàm conſilij [s]: & ſic filia Iephthe in ætate nubili ſine filiis moritura in Iſraël *virginitatem ſuam per duos menſes fleuit in montibus* [t], quaſi expians maledictionem ſuam.

n epiſt. 3. ca. 8.
o Cant. 3. 6.
p ibidem, vt citat Delrius.
Sancta mulieres in veteri teſtamento coniugatæ ſuggerunt.
q cap. 16. 2.
r Exo. 23. 26. Deut. 7. 14.
s 1. Cor. 7. 25.
Matt. 19. 12.
t Iud. 11. 38.

Sperantes in Deo.] Ἐπὶ τὸν Θεόν. Non eſt perpetuum diſcrimen in his formulis, ſperare, vel credere Dei, Deum, in Deo, aut in Deum: ſperantes autem in Deo dicuntur, quaſi locupletem in conſpectu Dei Spiritum habentes in incorruptibilitate, &c.

Ornabant ſe.] Simul cum ornatu externo, moderato, multò magis interno conſiſtente in virtutibus ſupra recenſitis, atque in ſubiectione ſub maritis ſuis.

Sara obediebat Abrahæ.] Intricata ſatis de Sara dubitatio, fueritne vera Abrahæ ſoror, licet non vterina, ſed ex eodem patre, matre diuerſa, vtrum potiùs filia Aran fratris Abrahæ, ſorórque Lot. Diſputat accuratè hac de re noſter Pererius [u], meritò præferens poſteriorem ſententiam, docénſque eo tempore, vt etiam Auguſtinus [x] tradidit, nefas fuiſſe fratres ex vtroque, aut altero, alteráve parentes natos, necti coniugio. Abraham verò filium Thare fuiſſe ex alia eius vxore, Aran item ex alia, & Aran patrem Lot, & Saræ: quæ alio nomine diceretur Ieſcha [y]. Probabile tamen etiam ducit, Saram non fuiſſe filiam Aran, nec fuiſſe eam, quam Moſes nominauit Ieſcham, ſed fuiſſe natam ex alio quopiam filio Thare, quem is genuerit multò ante ſeptuageſimum annum, quo natus eſt Abraham, immò ante illos, qui nominantur in Scriptura, nempe Nachor, Aram, Abraham, natos eſſe Thare ex diuerſa vxore aliquos alios, vel vnum aliquem, ex quo nata ſit Sara, ſed id omiſſum à Moſe, vt non pertinens ad hiſtoriæ ſeriem.

u lib. 16. in Geneſ. diſput. 4.
x 22. cont. Fauſtum, cap. 31. & 16. de ciuit. cap. 19.
y Gen. 11. 29. vt ſentit Hieron. Aug. & alij.
Sara non fuit filia Aran, ſed alterius filij Thare.

Ceterùm ex Sarai nomen ei mutatum eſt à Deo in Sara [z], quemadmodum Abram in Abraham [a], id eſt, quæ ſecundum etymon nominis prioris vocabatur Domina mea, iuxta poſterioris notionem abſolutè appellata eſt domina [b], poſtquam pollicitus eſt Deus illum fore *patrem multarum gentium* [c]: ex hac naſciturum filium, qui eſſet in nationes, & reges populorum orientur ex eo. At in hac mutatione non fuit adiectio litteræ, r, ſcribendo Sarra, vt paſſim Græci faciunt, & exiſtimauit Ambroſius [d], Anaſtaſius [e] Nicænus, & Sinaita [f], Chryſoſtomus [g], Hilarius [h]. Hunc vocat Hieronymus [i] errorem, ac refellit. Itaque non r, geminatus, quod non fert Hebræa lingua, ſed iod detracto, poſitum eſt ה. Vbi notari acutè poſſet, fœminam parendo (quæ eſt quædam detractio) imperare, ac dominam eſſe: plus enim vult iod, quàm he.

z Gen. 17. 15.
a ibidem 5.
b ibidem 17. 5. 15. 16.
c ibidem 5 & 16.
Rom. 4. 17.
d 2 de Abraham. c. vlt.
e quæſt. 51. in Scripturam.
f 10 Hexam.
g hom. 40. in Geneſim.
h in Matth. can. 16.
i in tradit. Hebraic.

Reprehendit idem Hieronymus dicentes, antè eam lepram vocatam fuiſſe, poſtea principem: cum lepra dicatur צרעת *tſarahhat*, elementis valde diuerſis, etſi ſono non ita diſſimili. Ad verum etymon propius accedit Ambroſius, dicens, primum nomen ſignificare

Potestas mea, vel, *Principatus mei initium*, vel *regis*: secundum, *qua regat*, quam Anastasius Sinaita, qui ait secundi significationem esse, *abundans liberis*: & quam Augustinus [a], vel potiùs Hebræi apud illum, qui, virtus, aut fortis, vt etiam Basilius [b], quasi id innuatur verbis epistolæ ad Hebræus [c], (*virtutem in conceptionem seminis accepit.*)

a 16. de ciuit. cap. 18.
b in ca. 1. Esa.
c cap. 11. ii.

Non approbo Tertullianum [d] dicentem, ad Abram, & Sara, & Ausfeæ additas syllabas. Nam vt alios taceam, verum nomen non erat Sara, sed Sarai: Sarai autem Hebræis est dissyllabum, sicut & Sarah, vel vt Græcos velle dixi perperam, Sarra: quamuis in eodem hoc errore de addito r, ponat Iustinus Tryphonem Iudæum, vt & de a, addito ad Abram cum sit non a, sed ה. Sed nescio vbi Pamelius [e] legit Iustinum referre de R, vel A, addita ad Sara: Græcè tantùm est R, licet interpres hæreticus posuerit R, aut, I, Pamelius A, pro, I. Ex Sara denominati Saraceni, iidem, qui Agareni, & Ismaëlitæ, quia Sara fuit auctor viro suo, vt ex Agar ancilla susciperet filium Ismaël [f].

d lib. 4. cont. Marcionem c. 13.
e in Tertull. num. 164.
f Gen. 16. 2. & seq.

Habuit Sara, (quamuis nomine domina) caussam, cur obediret viro, præter communem aliis vxoribus, tum quia erat simul Abraham, vt modò dixi, patruus ipsius: tum quia decennij ætate minor [g]; tum quia tanta ille propter sanctitatem, à Deo acceperat promissa. Obedientiam Sara declarauit, virum, quocumque pergeret, sequendo, externa adeundo, periculis obiiciendo se pro ipso, asserendo se sororem, contentáque, si ita esset necesse, se periclitari pudore, quam virum salute, vt expendit Ambrosius [h]. Quid si obediuisse præterea dicamus fidem habendo diuino promisso de prole, quod minùs initio credens riserat [i], postquam eam vir suus confirmauit, & ad congressum præcepto impulit? nam quod tandem crediderit, Paulus restatur [k], obedientia demum quædam fuit, honestorum similitudo motum in benignitate, & hospitalitate. Quinetiam obediuit imperanti: *Accelera, tria sata simila commisce* [l], &c. vt magna cum exaggeratione obseruant Ambrosius, & Chrysostomus.

Sara cur Abrahæ præter communem caussam obediuit.
g Gen. 17. 17.
h l. de Abraha cap. 2.
i Gen. 18. 12.
k Hebr. 11. 11.
l Gen. 18. 6. & seq.

Quod autem quiritari cum marito visa est, quasi iniquè contra ipsam agente [m]: fecit & iustè, & modestè. Nam prorsus indignum erat, vt Agar ancilla, quam Sara viro dederat in concubinam, & eiusdem tori legitimam sociam, concepto, editóque fœtu, efferretur aduersus primariam vxorem, ac dominam: temeritatem verò eius mentémque petulantem, vt Chrysostomus [n] norat, Abraham non prohiberet. Quamuis idem Doctor nonnullam in sexu fœmineo agnoscat infirmitatem, & facilitatem ad querelas excitandas.

Quomodo cum viro quiritari visa sit.
m Gen. 16. 5.
n hom. 38 in Gen.

De nomine Abraham nihil occurrit, nisi vt caueatur eiusdem Chrysostomi [o] in lingua Hebræa nonnullus lapsus circa illud, & prius eiusdem nomen Abram, à patre Thare impositum nomen Abram prospiciente per spiritum propheticum eum migraturum ex Mesopotamia, & Euphratem transiturum. Longè postea cognominatus est Abram Hebræus [p] עבר *hhiuri*, quasi transitor, & transfluuialis, aut ab Heber pronepote Sem [q], vnde dicti Hebræi, non, ab Abraham, velut Abrahæi. Verùm de hoc differui diligenter alibi [r], vnóque verbo voces apertè repugnant אברם *Abram*, & עברי *hhibri*. Vana profectò notatio apud Ambrosium [s], vt Abram sit de patre vano, & vanus fuerit, cum Deum nesciuit: nisi vanum intellexit superbum, qui est excelsioris, altiorisque animi. At numquam non nouit Deum Abraham, nec fuit vnquam idololatra.

o Hom. 29. in Gen. & Hom. de nomine Abrahami.
p Gen. 14. 13. Abraham quando Hebræus dictus fuit.
q Gen. 11. 14. Act. 7. 2. & seq.
s 1. de Abraha cap. 4.
Abraham numquam fuit idololatra.

Dominum eum vocans.] Si mea doctis viris coniectura probabitur, & eam ipse probabo, non aliter. Cum Sara risit, audito prolis promisso, simul dixit [t]; *Postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Credibile videtur eandem vocem ארני *adoni*, qua tunc vsa est, solitam vsurpari ab illa honoris causa, quoties vel de viro suo cum aliis, vel cum viro ipso loqueretur: Abraham verò pariter, vt honorificam redderet appellationem, nominauisse vxorem שרי *Sarai*, quæ propriè, & à parentibus accepto vocabulo dicebatur Iescha.

t Gen. 18. 12. & 13.

Nec obstat quod Angelus nomen idem Sarai retinuerit loquens de vxore Abraham, vel quod Agar, quæ addidit aliam dictionem, quæ dominam etiam significat גברה *ghebirah*. Nam adeo familiare fuit viro, ac solemne sic nominare vxorem nomine Sarai, vt inualuerit eius auctoritas, & ex appellatiuo proprium nomen fecerit: quæ, cùm par non esset in vxore auctoritas, obtinere non potuit, vt vicissim vir communiter ab aliis vocaretur Adoni. Possunt similia complura exempla proferri. Sic loco aliorum, quod occurrit de sancto Francisco, qui cum Ioannis proprium nomen gereret, Francesco Italica lingua, quod nomen Francum significat, dici cœpit, quoniam Francorum callebat linguam, eáque sæpè vtebatur [u].

u Chron. Franc.

Materfamilias ancillam se appellare non dedignatur, inquit Ambrosius [x]: *bona coniux virum suum dominum vocat*: Sicut Sara obediebat Abrahæ, dicebat Petrus Apostolus, dominum eum vocans: bona, inquam, coniunx non solùm vocat virum suum dominum, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales, instrumenta emptionis suæ deputat.

Materfamilias ancillam se appellare non dedignatur.
x in c. 31. Prou.

Nazianzenus [y] matrem Nonnam cum Sara, patrem Gregorium comparans cum Abraham, laudat Saram, quod virum suum dominum & appellauit & existimauit: aítque propterea iustitiæ laudem quãdam ex parte consecutam esse, & promeruisse talem filium Isaac. Chrysostomus [z], qui velatum, rectúmque mulierum caput subiectionis credit esse signum, scribit, quod priscæ illæ mulieres maritos suos vocabant dominos, & primas eis concedebant. Sed quæso te indicatum locum lege, in quo sigillatim percenset mutua talium coniugum Abrahæ, & Saræ officia, præsertim istius demississimam voluntatem, obsequium, obedientiam qua item de re idem alibi [a] differit, nec non Ephrem [b].

y Orat. in Gorgon. sororem.
z Hom. 26. in 1. ad Corinth.
a hom. 40. in Genes.
b Tom. 3. de Abraham, & Sara.

Ignatius [c] præcipit, vt mulieres præ honore, néve nimis familiariter, contemptímve agere videantur cum suis viris, illos ex nomine appellare non audeant. Respectum forsãn habuit ad præsentem Petri sententiam, & exemplum Saræ, sicut & Clemens in Constitutionibus [d]. Accedit præterea infœlix illa vxur Leuitę qui vim

c epist. 12.
d l. 1. c. 18.

tota

tota nocte ab impurissimis passa, rediisse narratur ad ostium domus, *vbi manebat dominus suus*, id est, maritus, *& ibi corruisse* [a]. Sic Bethsabee vocat Dominum suum Dauidem [b]; & alia virum suum in Iudicum [c] libro, & eadem voce בעל *babhal*, tum vir, tum dominus appellatur. Indicem quoque subiectionis capillum qui præscindi non debeat, decreta [d] vocant: & idem denotat velum quo nupta obnubitur, quod non tantùm ἐξουσία dicitur, vt notauimus, sed Hebraicè רד quod importat subiectionem sub dominio, solebántque olim ad indicandam subiectionem ac supplicationem etiam coram diis, velari capita.

Inuocat [e] *Deos immortales, vt sibi auxilium ferant*
Manibus puris, capite operto.

Item [f]:

Et capita ante aram Phrygio velamur amictu.

Eôdem pacto Mathidia Faustinianum B. Clementis patrem [g], eôdem Natalia virum suum Adrianum [h]: Monica etiam Patritio viro seruiebat vt domino [i]. Sic videtur quoque Prosper [k] domini vocem vsurpare. Omnibus prælucet Deipara, quæ sponsum suum appellabat maximè honorifico vocabulo patrem filij sui [l]: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

Ad extremum, Nonius Marcellus annotat, dominum pro marito vsurpatum à Virgilio [m], ibi

——— *connubia nostra*
Reppulit, ac dominum Ænean in regna recepit.

Lucretiæ [n], Megistonæ [o], aliarúmque profanarum profert exempla Tiraquellus [p], præter quæ adde alia ex Ouidio [q].

Apud Hebræos eâdem voce בעל *babhal*, & maritus, & dominus dicitur: eodem verbo בעל *babhal*, & dominari, & cū vxore commisceri. Generale quoque nomē idoli est בעל *babhal*, quia suis cultoribus domini loco est, & hi cum illo per figuram fornicari dicuntur. Alioqui, propriè loquendo nec est vxor ancilla mariti, nec vir dominus eius; sed sunt socij, sicut Augustinus [r] docet ex mulieris creatione de latere viri, immo & Paulus [s]: quamuis viris amorem vxorum præcipiat, vxoribus timorem erga viros [t].

Cuius estis filiæ.] Saræ, non autem Abrahæ, etsi etiam Abrahæ: ἧς ἐγενήθητε τέκνα, non successione generis, sed imitatione fidei: nec enim solis ex Iudæis Christianis scribebat. *Sicut enim quis opus faciens Abraham*, inquit Didymus, *& habens eius fidem, filius eius fit* [u]: *ita bona facientes fideles fœminæ, matrem habent Saram.* Vnam quoque Christus filiam Abrahæ nominauit [x], quod se ab eo curari posse crederet. Sic appellauit quoque Zachæum auidum videndi se [y]. Ab opposito cognominantur impij *semen Chanaan* [z]: *patre Amorrhæo, matre Cethæa* [a]: *Sodomitæ, & Gomorrhæi* [b]: immò *patre diabolo ipso* [c]: *Serpentes, genimina viperarum* [d]. Non confunditur vocare nos Christus fratres suos [e]: nec profectò confundetur mater eius nos appellare filios suos: & si viuentiū carnalis mater Eua; multo magis spiritualis Maria. Sic eam quidem inuocamus in solemni litania ipsius, & petimus in quodam hymno *vt se nobis monstret matrem.* Quæ dedit vbera sua Christo filio corporalia ad pascēdum eum, dat eidem in membris suis spiritualibus spiritualia, & quæ fuit mater eius carnalis, nostra est spiritualis, vt piè, & elegāter docet Guilhelmus Neoburgensis [f]. Rupertus [g] verò tractans illa alia verba Cantici [h]: *Quis mihi det te fratrem meū sugētem vbera matris meæ*, hæc instituto nostro profert percommodè: *An non tu mater eius* (nimirū piæ animæ) *qua vitam, & salutem peperisti? Annon filia sua hæc est, videlicet imitatione fidei? Si Abrahā pater gētium* [i], *& Sara* (aduerte animum) *mater gentiū rectè dicitur*, & est, videlicet propter fidem (Saræ fidem laudat Paulus [k], cum qua perelegāter Mariam comparat Ephrem [l]) *quanto magis tu, ò fidelissima* (*beata enim quæ credidit* [m]) *fidelium mater es omnium nostrum?* &c. Paulò pòst: *Mater ista, mater est, quia caro ista* (fratris nostri Christi,) *caro nostra: fides ista, fides tua ò Maria, fides nostra est.* Cùm Emmanuel Sà, probus, & doctus Ordinis nostri vir, de B. Stanislao nouitio nostro quæreret, amaret ne Deiparā? *quid ni* (*ille amicè subconquerens*) *est namque mater mea.* Denique quando in cruce Ioāni Christus quæ sua erat, matrē dedit [n], nobis omnibus proculdubio dedit. Omnium parentem salutat Ephrem [o]. De re ipsa legatur Anselmus [p].

Benefacientes.] Ἀγαθοποιοῦσαι. In hoc sita est ratio filiationis, vt imitentur Saræ virtutes: quod clarius expressit Syrus Interpres: *cuius vos estis filiæ* בעבדא טבא *babhauade taue, in operibus bonis.* Et est communis expositio. Comprehendit autem hoc verbum omnia munia vxoria, de quibus Salomō capite vltimo Prouerbiorum (super quo proprium Commentarium edidit Albertus Magnus, & recentior Auctor Bartholomæus Valuerdius) & parentes alterius Saræ, quæ iuniori Tobiæ tradita est vxor [q]. Priore loco inter siue laudes, siue documenta fortis mulieris, ponitur, vt sit *fortitudo, & decor indumentum eius* [r], hoc est, non solùm, vt loquēdo ad litteram, sua sibi industria comparet præclarum, ac decorum, honestúmque indumentum, sed multò magis, vt se dotibus ornet animi, fortitudine ad res grauiter, & constanter gerendas: decore, ad seruādum in omnibus decorum, moderationē, grauitatem. His ornatus Deus ipse describitur ornamentis, nempe *decorem indutus, & fortitudinem* [s]. Quæ ornamenta sanctis sunt necessaria, vt ex operibus iustitiæ sint fulgidi, & contra aduersariorum impugnationes muniti, vt docet Gregorius [t]. In posteriore loco monuerunt Saram filiam parentes honorare soceros (in textu Græco: Αὐτοὶ νῦν γονεῖς σοῦ εἰσι, *ipsi nunc parentes tui sunt*) *diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsum irreprehensibilem exhibere*, nō modo, vt ait Lyranus, per coniugalem castitatem, sed & per linguæ, vitæq; totius disciplinam tam cum domesticis, quàm cum aliis.

Tertius est alius de præcipuis locis in epistola ad Titum [u]: vbi præcipitur *adolescentulis viros suos amare: filios suos diligere: prudentes esse: castas: domus curam habentes: benignas: subditas viris suis, vt nō blasphemetur verbum Dei.* Plura de hoc toto argumento Dionysius [x] Carthusianus, Brissonius [y], Tiraquellus [z], Ludouicus Legionēsis [a], idiomate Hispa. Feuardétius in Ruth: & ex antiquiorib. Ethnici Plato [b], Aristot. [c] Plutarchus [d], Xenophon [e].

Atqui Oecumenius τὸ ἀγαθοποιοῦσαι de beneficentia, & eleemosyna interpretatur, qua scilicet Sara excellebat virtute, ne vereantur eam facere ob seueriores, quas exigūt viri, sumptuum rationes. Lubrica res: nec enim, vt libet, vxores possūt largiri eleemosynas, nisi de quodam [*] bonorū genere, cuius & dominium, & administratio, vsúsque earum est. Significat quidem ἀγαθοποιεῖν benefacere alicui, tamen aliquādo, maxime apud Ecclesiasticos scriptores, absolutè recta agere. Hæc significatio congruit magis proposito, & à plurimis expositoribus recipitur.

Et non pertimentes vllam perturbationem.] Καὶ μὴ

ecΐů

a Iudic. 19. 26.
b Clem. Rom. 9. Recog. versus finem.
c cap. 19. 26.
d d. 30. c. quæcumque.
e Plaut. in Amphit.
f Virg. Æn. 3.
g Clem. Ro. 9. Recog. versus finem.
h in vna apud Iacob. de Voragi.
i Aug. 9. Confess. cap. 9.
k de Prædict. p. 2. cap. 19.
l Lucæ 2. 48.
m 4. Æneid.
n apud Ouid. 2. Fast.
o Apud Plut. Opusc. de Claris mulier.
p in l. 1. connub. nu. 14. 15. 16.
q epist. Herm. & epist. Briseid.
[*] *Vxor propriè non est ancilla viri, sed socia.*
r 12. de ciuit. c. 19.
s Eph. 5. 28. & seq.
t ibid. 33.
u Rom. 4. 12. cap. 9. 8. Gal. 3. 9.
x Luc. 13. 16.
y infra 19. 9.
z Dan. 13. 56.
a Ezech. 16. 3.
b Esa. 1. 10.
c Ioan. 8. 44.
d Matt. 23. 33. & cap 3. 7.
e Heb. 2. 11. Matth. vlt. 10. *Maria spiritualis mater viuentium.*
f apud Delrium cant. 7. vers. 13.
g in c. 7. cant. lib 7.
h Cant. 7. 1.
i Gen. 17. 5. Rom. 4. 17. & seq.
k Heb. 11. 11.
l Tom. 3. serm. de Abraham, & Isaac.
m Luc. 1. 45.
n Ioan. 19. 26. 27.
o Orat. de laudib. Deiparæ apud Surium 1. Nouemb. & in qua Tom. 3. Ephrem.
p de excellen. B. Mariæ cap. 9. & 12.
q Tob. 10. 13.
r Prou. 31. 25.
s Psal. 92. 1.
t in Ps. 4. Pœnitentiæ. (*Benigne fac.*)
u cap. 2. 4. 5.
x tract. de laudabili vita Coniugali.
y lib. de Ritu nupt. & lib. de iure connub.
z in legibus connub.
a de perfecta maritata. Idiomate Hispan.
b 6. de legib.
c 1. Oecono. c. 3. & 4. lib. 2. cap. 2. 3. 4.
[*] *Vxores non possunt de omnibus bonis eleemosynas facere.*
d Opusc. de Nuptial. præc.
e in Oeconomico.

φοβούμεναι μηδεμίαν πτόησιν. Benefaciendo, & virtutes Saræ, similiúmque piarum fœminarũ imitando, timor molestiarum coniugalium, & quam Paulus [a] nominat *tribulationem carnis* (de qua Basilius [b], Chrysostomus [c], Hieronymus [d], Augustinus [e] multa; intelligentes status molestias: alij acriores stimulos carnis) non perturbabit: non verebuntur vxores, ne vel ipsæ domi turbas cieant, vel eas pati cogantur seu à maritis, seu à familia, seu ab externis, non timore ad faciendum officium adigentur, sed amore virtutis, maritorũ, Dei. Quamquam phrasis satis trita est etiam profanis scriptoribus, pertinere perturbationem, vel timorem, sicut furere furorem, gaudere gaudium. &c. Itaque omnis generaliter intelligitur timor, quo faciliùs infirmior sexus concutitur, nullo negotio indignatur, ac tumultuatur: subueretur, ne se si viro subijciat, contumeliosius ab eo tractetur, viliórque, & abiectior habeatur iudicio aliorum. Dixi quem Oecumenius intelligat timorem; sed loquitur nimis angustè, dum loquitur de liberalitate.

Refert noster Salmeron quorundam sententiam aliam, fœminas rectè facientes nullam ardentem libidinem metuere debere: nomen enim πτόησιν illum significare libidinis ardorem, & vuluæ suffocationes, à quibus non nisi post multos partus, Aristotele [f] teste, liberentur: Deum autem morigeras, & pias multò antè liberare. Addere potuit, vnum istum effectum esse Sacramenti Matrimonij.

Admitto notionem Græci vocabuli traditam à Philosopho pro nimia illa, velútque attonita, & stupida libidine πρὸς τὰ ἀφροδίσια, verùm non arbitror ad rem esse, immò indignum iudicio tanto Apostolo rem adeo parum honestam vel indicare. Illud quoque, μηδεμίαν, arguit magis generalem timorem. Postremò dicendum potiùs fuisse πτοούμεναι, quod verbum responderet nomini πτόησις, habétque similem vsum, quem φοβούμεναι.

Vers. 7.] Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ.

VIROS instituit ne abutantur potestate in vxores, verùm quò scientia valent magis, & auctoritate, hoc earum magis infirmitati consulant, vna, & sociabiliter viuentes, memoresque, cùm participes vitæ sint eiusdem æternæ, atque gratiæ, communionem habere inter se debere rerum externarum & studiorum, quibus ad illam perueniatur. Inter quæ cum oratio, & cultus Dei magnam vim obtineat, curandum, vt sibi ex mutuo consensu temperent subinde à voluptate.

Similiter.] Ὁμοίως. *Petrus Apostolus*, inquit Hieronymus [g], *experimentum habens coniugalium vinculorum, vide quomodo informet Ecclesiam, quid doceat Christianos*, &c. Quod autem ait, *similiter*, idcirco ad imitationem prouocat viros, quia iam supra vxoribus præceperat, &c. Præterea quia socia est vxor, de qua Adam [h]: *Mulier, quam dedisti mihi* sociam μετ' ἐμοῦ, qua de re præcipit Aristoteles [i].

Cohabitantes secundum scientiam. Συνοικοῦντες κατὰ γνῶσιν. Cohabitatio hæc est eiusdem lecti, tectique, ne vagentur foris, aut pernoctent, aut cum alienis consuescant. Vir vxori adhærere debet tamquam vna caro [k], & eam diligere *sicut Christus Ecclesiam, sicut caput membra sua* [l]. Quatenus autem liceat consuetudinis, & cohabitationis separatio, traditur à Theologis, & Iurisconsultis, nec non de libello repudij, an reuera licitus fuerit Iudæis, an tantùm permissus.

Cohabitare autem secundum scientiam Hieronymus [m] interpretatur, & post eum Beda, vt nouerint quid velit, quid desideret Deus. Addo, quæ sit ratio & modus cohabitandi, vtque, quod ipsorum est, doceant, ac informent viri vxores suas, atque, quod ait Oecumenius, cum probè nouerint leuitatem, & timiditatem muliebrem, non exigant rigidiùs rerum domesticarum, si ipsæ forte liberaliores sint erga pauperes, rationes. Idem Auctor, & Hugo, & citati Hieronymus, ac Beda præterea, Thomas Anglicus, & Glossa Ordinaria de reddendo debito secundum conscientiam explicant non in passionibus desiderij [n], nec per se ob alium finem, quàm ad suscipiendam prolem ad cultum Dei; & vt, si placeat vxoribus, aliquando à coitu cessare, iis obsequantur.

Confirmat Oecumenius ex verbo cognoscendi, quo honestè vtuntur Scripturæ ad actum coniugalem denotandum: Pronior, inquit, ad eum est sexus muliebris: idcirco non debent ab vxoribus abstinere viri cum obiurgatione, & vehementi austeritate, sed ipsis primùm indulgẽter vti, tanquam infirmioribus vasculis: deinde iisdem cum quadam reuerentia persuadere, vt huiusmodi abstinentiam admittant: hoc esse honorem impartiri, quoniam nisi honor aliquis alicui exhibeatur, eius reuerentia, & ratio haberi nulla consueuit: ad hoc ipsum inducere, quod vtrique sint cohæredes eiusdem gratiæ: denique propterea reddi causam, ne interrumpantur orationes, cùm tamen, si qua viri alia aduersus vxores austeritate vtantur, contemptus hic potiùs illis occasionem præbeat magis assiduè, diligentérque orandi.

Meminit Lyranus expositionis eiusdem: sed mauult aliam de cohabitatione domestica, in qua mulier quidem, vt dictum est, debet esse subiecta, vir autem præesse secundum scientiam, vt vxorem tractet tanquam sociam, ac de latere suo formatam [o], non quasi ancillam. Consentit Carthusianus, vt discretè, atque circumspectè viri agant, ne scandalizent, ac offendant vxores, quia sunt proniores ad malum. Mens eadem Gagneij, & recentiorum aliorum, quibus libentius acquiesco. Nunquam memini συνοικεῖν actum exercere cõiugalem, vel γνῶσιν significare actum ipsum: licet γινώσκειν significet exercere illum, etiam apud Plutarchum [p], non tantùm apud scriptores sacros [q], & συνοικεῖν connubio iunctum esse. Certè plerumque viri, quàm vxores in exigendo debito sunt liberiores, & importuniores. Ad illud de orationum interruptione postea respondebo, & eam oriri posse, certum est, ex varijs alijs perturbationibus, atque si nimis onerentur domesticis curis. Turrianus [r] noster interpretari videtur de prudentia viri, sed supranaturali.

Quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.] Concedam libentiùs hæc intelligi de coitu, & honestè dici à Petro, quod etiam sentit

Margin notes:
a 1 Cor. 7. 28.
b de constit. monast. cap. 3.
c de Virginit.
d lib. 1. cont. Iouin.
e libris de Adulterin. coniug. maxime
f de Genera. animal. c. 5.
Viri quam debeant cum vxoribus gerere debeant.
g 1. cont. Iouin.
h Gen 3. 12.
i 8. Ethic. c. 12. & 1. Polit. c. 1.
k Gen. 2. 24. Matth. 19.
l Ephes. 5. 29.
Quid sit cohabitare secundum scientiam.
m supra.
n 1. Thess. 4. 5.
o Genes. 2. 22. 23.
p in Alexand. & in Pōpeio.
q Matth. 1. 25. Luc. 1. 34. Gen. 4. 1 & 25. & alibi sæpe
r lib. 3. pro ep. Pont. c. 14.

Turrianus [a] noster: sicut solet res eadem honestis alijs vocabulis denotari. Dixi de verbo cognoscendi. Eadem ratio de verbo ingrediendi [b], aut intrandi. *Gloria in confusione* idem valet [c], nempe illa significat impetum libidinis, hæc pudenda ipsa, quæ illa flagrant in iis, quorum Deus venter, id est, qui se ingurgitant. Tectè præterea de re eadem loquitur Paulus, dicens: *siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis* [d] *omnia in gloriam Dei facite*, vbi hæc verba, *siue quid aliud facitis*, exponit Origenes [e], inuerecunda coniugij negotia committitis. Item vsurpat similem formulam isti, quæ hoc loco est [f]: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum; & ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum.* & postea, *non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit*, non hominem spernit, sed Deum. Ibi honor significat abstinentiam, vsúmve coniugij moderatum; negotium, actum ipsum: vas, vxorem: & cauetur tum immodicus propriæ coniugis vsus, tum quiuis alienæ, vt explicat Hieronymus [g]. Vocatur adhuc ab eodem idem actus debitum, vel debita beneuolentia [h]. *Vxori vir debitũ reddat*, τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν. Subditur ibidem: *Nolite fraudare inuicem*: μὴ ἀποστερεῖτε, *nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.* Addunt alij, *& ieiunio*, τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ.

Afferri possunt alia exempla ex lingua Hebræa, vel idiotismo, vt molendi de fœmina [i]: *incuruandi se super aliam*, de viro [k]: *inclinandi fœmora mulieribus* [l]; *ascendendi cubile* [m]; colloquendi [n], & loquendi (Græci [o] dicunt ὁμιλεῖν, & actum ὁμιλίαν [p].) *humiliandi* [q], *reuelandi, aut discooperiendi turpitudinem* [r]: *conuersandi cum meretricibus* [s]; *dormiendi cum fœminis* [t]: *iocandi seu ludendi* [u], (vt quibusdam placet) *segregandi se* [x], (vt nonnulli quoque volunt) & alia plura, de quibus congressioné confecit noster Pineda [y], & nonnihil disseruit Cantapetriensis [z], & Salmeron [a]. Apud Danielem [b], nomen Operis honestè significat id quod est turpe. Quam phrasim reperies etiam in Plutarcho [c], ἐν ἔργῳ deprehendi, & Demosthenes [d] quæstum meretricium vocat ἐργασίαν: cum decoro præterea ius ciuile [e] vsurpat, ἄρρενα ἐν ἄρρεσι ἔχειν.

Vna est hæc Hebraicæ linguæ præcipua, magisque propria laus, & hanc vnam ob causam sancta meritò dicitur, quòd nullum rei turpis nomen proprium habeat, sed honestè circumloquatur. Id obseruauit Rabbi Moses [f]. *Rectè*, inquit, *vocatum est hoc linguagium sanctum: in ipso namque non inuenies verum nomen, & proprium fornicationis, neque inuenies nomen impositum alicui membro quod turpe est nominare.* Tunc subijcit rationem: *Fuit autem intentio*, inquit, *in hoc, quod talia nõ oportet*, vt nominentur (*nec nominentur in vobis*, ait Paulus [g]) *nedum imponantur eis propria nomina, sed expedit, vt taceantur.* Cùm verò necessitas exigit, vt de ipsis fiat mentio, verba insertant, & res exprimunt per alia verba occulta. Similiter cum necessitas postulat, vt exerceantur talia opera, operantes debent celare, & abscondere se quantumcumque plus possunt. Affert præterea ex Sapientum suorum traditione vocatum Eliseum sanctum [h], quia elongauit se à cogitationibus carnalibus.

Infirmiori vasculo muliebri.] Ambrosius [i] (*tanquam infirmiori vasi muliebri*) Paulus etiam vas nominauit [k], vt vidimus σκεῦος: & vasculi voce vtitur eodem quoque modo Petronius, & Plautus [l] pro obsceno muliebri, (quod idem Apostolus [m], infirmius, ignobilius, inhonestum vocat.) Et sunt qui putent priore loco Apostoli per vas intelligi viri corpus (quemadmodum in Historia Regum Dauid loquitur [n], & dicimus *habere thesaurum in vasis fictilibus* [o].) eiúsque quod nominari nefas est membrum, sicut vas, vnde vasati deriuata vox apud Lampridium [p]. Hinc fieret, vt muliebre infirmius appellaretur, qui recipit, non agit. In ea videtur sententia Oecumenius [q] referens alios sentire de vxore, ex quibus est Hieronymus [r].

Distinguit Hugo vas, & vasculum iuxta diuersos respectus dici de vxore, quæ ratione tori æqualis est viro: minor ratione curæ, & quia habet se passiuè in generatione. Notat item dici *cisternam* [s], & *cauernam* [t]. Sed distinctio vocis diminutiuæ non est ad rem, cum respondeat eidem Græcæ σκεῦος, nec forma nominis diminutiui diminutionem semper importet, vt in voce tabernaculum, spectaculum. Augustinus [u] refellit Iulianum Pelagianum, qui nomen vasis, aut vasculi apud Apostolos volebat sumi non pro vxore, sed pro meretrice. Fortassis nil aliud hic est quàm Hebraismus, quo omne instrumentum & adiutorium vas dicitur: mulier autem viri adiutorium vocatur [x].

Impartientes honorem.] Egent infirmiora, & inhonesta membra nostra honore abundantiore, quia magis necessaria [y]: qua de re Ambrosius [z], dicens, non nominanda, & Nazianzenus [a]. Honorem istum prius retuli, à Hieronymo, Oecumenio, aliísque intelligi de moderato vsu matrimonialis actus. Fauent contrariæ significationis voces *Confusio*, de qua paulò ante dixi, *& ignominia* [b]: & quod recens cognita nominatur נחפרת *nechpereth*, quasi exprobrata, à verbo חרף *charaph*. Sic per antiphrasim vocant Hispani (*la honrada*) meretricem; & violare alienam dicunt *tocarla, ò quitarle la honra*: Itali, *torle, ò leuarle l'honore.*

Quod si velimus honorem sumere in latiore significatione, & hoc verum est, habédam in honore vxorem, atque verbis, & factis honorificè tractandam, non potest ferre vxor se despici à viro, & verò ad id suspicax est, ac vt honoris auida est, quærit à quo consequi posse putet, si virum suspicetur, vel deprehendat non impertiri.

Timidior præterea est, ac verecundior. Addit Carthusianus memoriam, ac reuerentiam B. Virginis, ex qua natus Deus. Graui admodum Deus sententia despectum vxorum vetat apud Malachiam [c]. Iubet quoque per Angelum Abrahæ, *vt omnia quæ diceret Sara, audiret vocẽ eius* [d], scilicet quod pertinebat ad querimoniam de ancilla, & filio eius. Quocirca non debuit Origenes [e] ad allegoriam confugere de virtute sub nomine Saræ, quasi verba illa præ se ferant, vt in omnibus Abraham obediret vxori.

Facilius est docere veteribus multis exemplis appellatas à viris vxores, dominas, δεσποίνας, quàm illos ab istis dominos, vtque id aliàs etiam ostendimus [f]. Exempla Tiraquellus [g] affert. Viget hic adhuc apud aliquos vsus, præsertim Hispanos, vt vir dicat, *mi señora, mi dama*, &c. Etsi vox ista communis quoque Gallis, & Italis, vi-

a de dogmat. charact. *Honesta verbis turpia alias exprimi.* b in tit. ps. 50. c Philip. 3. 19. d 1. Cor. 10. 31. e 1. Hom. 5. in Genesim. f 1. Thess. 4. 3. 4. 5. 6. g in c. 4. ep. ad Ephes. h 1. Cor. 7. 3. i Iob. 31. 10. k ibidem. & Threo. 5. 3. l Eccl. 47. 21. m Gen. 49. 4. n Dan. 13. 57. 58. Cant. 8. 8. o Ignat. ep. ad Trall. & alij. p 1. Cor. 7. 1. q Threo. 5. 11. r Leuit. 18. saepe. s Osee 4. 14. t 2. Reg. 11. & alibi passim. u Gen. 26. 8. x epist. Iudæ. vers. 19. y Iob 31. verf. 10. z lib. 10. Hypotypos. Regul. 15. *Lingua Hebraica sancta dicatur.* a tom. 1. Prolegom. 15. regul. 33. b cap. 13. 15. c in Solone. d orat. cont. Nearam. e l. quod ait. ff. de Adult. f 3. ductoris dubitc. c. 9. g Ephes. 5. 3. h 4. Reg. 4. 9.

i de Parad. cap. 4. k 1. Thes. 4. 4. l in Penulo. m 1. Cor. 12. 22. 23. n 1. Reg. 21. 5. o 2. Cor. 4. 7. p in Heliogabalo. q in 1. Thes. 4. r in cap. 1. Threno. *Mulier vas fæminum dicatur.* s Esa. 51. 1. t Prou. 5. 15. u lib. 5. c. 9. x Gen. 2. 18. y 1. Cor. 12. 22. 23. z 1. offic. c. 18. a orat. in sanct. bapt. b Esa. 30. 4. Ezech. 16. 7. Rom. 1. 26. *Vxor in honore habenda.* c cap. 2. 14. 15. 16. d Gen. 21. 12. e Hom. 6. in Genes. f Act. 1. 6. g l. 5. connubialium. 11.

deri potest deriuata à Græca δάμαρ, quæ significat vxorem. At in honore oportet modum esse, ne quis fiat *vxorius* [a] γυναικοκρατούμενος [b]. (Plinius [c] populos quosdam Amazonibus vicinos gynæcocratumenos appellat bello ab iis victos, & iis obsequentes ad procreandam sobolem) & Tanaquile vtatur vxore [d], seruitutis hoc genus intolerãdum, in quod inuehitur Aristoteles [e] (qui hoc nomine Spartanas reprehendit viris imperantes) Cicero [f], Iuuenalis [g].

Ex pœna qui male pugnarunt aduersus Bastarnas, a suo rege Hotoro Dacos punitos Iustinus prodit [h] ob vltionem segnitiæ, vt vxoribus ministeria, quæ ipsis antea fieri solebãt, facerẽt, donec ignominiam virtute delerent. Denique ὑπὸ γυναικὸς ἄρχεσθαι ὕβρις ἀνδρὶ ἐσχάτη. *A muliere dominari, dedecus viro extremum* [i]. Elicit hinc Ambrosius [k] monitũ salutare, vt nemo nec facilè alteri se credat, vt Adam fecit vxori, quam sociam, & auxiliarem acceperat [l]: nec arroget sibi, sed honorem impartiatur ei, à quo potest accipere auxilium. Sic etiam Hieronymus [m] docet, tametsi Petrus præceperit, vt viri vxoribus suis tanquam infirmiori vasculo honorem tribuant: non tamen arbitrandum, quòd vxor, quæ corporis vasculum habet infirmum, statim & animo infirmior sit: vnde & eadem præcipi eis, quæ senibus viris: & in ipsis quoque illud Apostoli compleri [n]: *Virtus in infirmitate perficitur.* Denique saluo inter coniuges dignitatis ordine, vt vir primum teneat locũ, debent esse bene sibi consentientes: id enim probatur coram Deo, & hominibus, & sibi placere scribit Auctor Ecclesiastici [o], vbi pro (consentiẽtes) Græcè legitur συμπεριφερόμενοι, id est, vt explicat Iansenius, *vicissim sibi deferentes*, mutuos defectus ferendo, mutuis officiis iuuando, quasi dicas, simul circumferentes se, aut circumlati, vt solet in conuiuio poculum circumferri, ac idcirco dici conuictus, vitæq; coniunctio συμπεριφορὰ quasi *circumpotatio*. Quo spectare potest parabola Nathan de oue [p].

Tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ.] ὡς καὶ συγκληρονόμοι χάριτος ζωῆς (quia id namque etiam valet ὡς) *vel qua*, ac tanquam cohæredes (*vos nimirum, seu cum sitis cohæredes*) gratiæ viuentis. Syriacè *donis vitæ in æternum* מוהבתא דחיא לעלם *mauhabtha dechaye lebhalam*. Quidam codices habent (ζωῆς vitæ) sensus idem. *Gratia vitæ*, viuam gratiam Hebraico idiotismo significat. Est autem gratia Dei, vita æterna [q], & fons aquæ salientis in vitam æternam [r]. Ad eandem gratiam, gloriámque coniuges vocati sunt: cùm tamen licet compares & consortes in coniugio, non semper eorumdem bonorum externorum, & facultatum fiant hæredes. Hieronymus [s] legit *cohæredibus multiplicis gratiæ*.

Vt non impediantur orationes vestræ.] Hæc verba proximè referunt multi prius citati ad honorem impertiendum vxoribus à viris, qui sit abstinentia a congressu, vt orationi vacare possint; quemadmodum & Paulus [t] præcepit, *ne fraudarent inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt eidem orationi vacarent*, atque etiam vt ieiunio, vt habent Græci codices, & Hieronymus [u]: qua de re memini dixisse, cum agerem de ritibus Quadragesimæ [x], quo toto tempore ab vsu coniugali olim coniuges abstinuisse docui. Vnde sermo videtur esse de publicis ieiuniis, & orationibus, & quando ingruit grauior cõmunis calamitas, aut necessitas. Ratio verò decori multò magis hanc abstinentiam requirit, cũ aliquod Sacramẽtum recipiendum est, præsertim Eucharistiæ. Sed sub Orationum voce continentur hæc, & similia pia opera, in quibus aliqua semper oratio locum habet. Vnde Babylonij, si Danieli possent orationis facultatem eripere, de vniuersa religione ipsius actum putabant [y].

Glossa interlinearis, Hugo, Lyranus, Carthusianus explicant de concordia coniugum, sine qua nec ita bene fieri, nec adeò facile orationes exaudiri possunt. Certe Christus vult *dimitti munus ante altare, vt quis prius reconcilietur fratri* [z]. Rectè autem Hugo priorem recitans expositionẽ, simulq; Thomas Anglicus explicant verba Glossæ Ordinariæ, & Bedæ, quæ sumpta sunt ex Hieronymo [a]. *Si semper orandum* [b] *est, nunquam ergo coniugio seruiendum, quoniam quotiescũque vxori debitum reddo, orare non possum.* Semper orari, quando horis destinatis: vel omne opus bonum censeri posse orationem, solóque peccato impediri, nempe actuali. Iacob vxores reiectis Idolis incitabat in Bethel ad preces, & sacrificia vero Deo offerẽda [c]: Elcana suas quoque deducebat in Silo sacrificatum [d]. Tobias iunior sacram vxorem hortabatur ad triduanam orationem [e]: nec enim cùm filij sanctorum essent, iungi coniugio debere, ac misceri, sicut Gentes quæ ignorant Deum.

Hac ex Petri sententia Iulianum Pelagianum refutat Augustinus [f], volentem quoties commoueret se in coniugibus concupiscentia, sanãdam audè, & regnare securam, & negabat loqui Petrum vasculi nomine de vxore, sed de meretrice, aut de proprio cuiusque corpore. Eundem Augustinum lege in Psalmum 146. Celebris Ægidij Francisci Sodalis sententia, *Ebriari quem posse non minus proprio, quàm alieno vino*, æquè propria, vt aliena vxore.

Vers. 8.] **In fine autem omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles.**

Redit ad generalia præcepta cõcordiæ, compassionis, amoris fraterni, misericordiæ, modestiæ, humilitatis.

In fine.] Beda, Thomas Anglicus, Lyranus, Glossæ aliæ, Hugo, Carthusianus, Titelmanus, Ioannes Benedictus, & alij legunt. *In fide.* Lectionem nostram aliqui Codices Latini habent, & quos citat, sequiturque Lucas Brugensis, nempe Zegerus, Guillaudus, Hesselius, præterea Caietanus, Gagneius, Salmeron, Sà, Catharinus, & ex iis, qui alias versiones condiderunt, Vatablus, & Clarius, qui vertunt: (*In summa autem.* eodémque modo in suo textu Primaticeius. Græcè est (Τὸ δὲ τέλος.) Finis autem, quod alij, vt dixi, reddunt (*In Summa*) (alicubi Seneca [g] dicit *Summa Summarũ*) & est idem atque denium, postremò, ad extremũ, sit finis, &c Aliter Græci: Εἰς τέλος, πρὸς τὸ τέλος, ἐπὶ τέλει, τελευταῖον λοιπὸν, τὸ ἔσχατον, &c. Vulgo finaliter dicimus. Syriacè שולמא דין *sculama den*, finis porrò.

Omnes vnanimes.] Ὁμόφρονες *eiusdem mentis, animi sententiæ* prætcrea volũtatis, & affectus. Multa de hoc satis in Apostolica historia [h]: hortatũ que Paulus ad istam vnanimitatem nõ semel [i], vsurpans aduerbium ὁμοθυμαδὸν, nomina μιᾷ ψυχῇ, & σύμψυχοι. Qui legunt *in fide* vnanimitatem in ea interpretantur. Addunt alij, *in oratione estote*: idque refert Hugo ad illud quod sequitur *compatientes*,

a Virg. 4. Aeneid. Horat. li. 1. carm. Ode 2. Plautus in argum. Asinariæ.
b Budæ. in Pandect. ex Aristotel. Politic. lib. 2. c. 7.
c lib. 6. c. 7. *Gynæcocratumenorum populi.*
d Sidon. Apollin. lib. 5. epist. ep. 7. Hiero. 1. cont. Iou.
e 2. Polit. c. 3.
f Parado. 5.
g Satyr. 6. *Dacis cur gynæcocratumeni facti sint.*
h lib. 32.
i Democritus, vel Democrates apud Stob. Serm. 73. & Maximũ martyr. in locis. c. 39. & Philo apud Anton. Melissam. to. 0. Serm 54.
k de paradiso. c. 4.
l Gen 3. 12.
m in c. 2. ep. ad Titum.
n 2. Cor. 12. 9.
o c. 25. 1. & 2.
p 2. Reg. 12. 1.
Gratia vitæ.
q Rom. 6 23.
r Ioan 4 14.
s 1 cont. Iou.
t 1 Cor. 7. 3.
u 1. cont. Iou.
x in Dom. 1. Quadrag.
y Dan. 6. 5.
z Matth. 5. 23. 24.
a 1. cont. Iou. *Orandum semper quomodo sit intelligendum.*
b Luca 18. 1. 1. Thes. 5. 16.
c Gen. 35. 2. 4.
d 1. Reg. 1. 3. & 21.
e Tob. 8. 4. 5.
f 5. cont. Iulianum. c. 9.
g epist. 40.
h cap 2.
i Rom. 15. 6.

a Serm. 2. in Dom. 5. post Pent.
b ep. 1. apud Henric. Canis. tom. 2. varia. lect.

ad præcedens nomen *vnanimes* Vitriacus [a]. Legit quoque Albinus [b] cum additamento *in oratione*. Thomas Anglicus, Lyranus, Carthusianus reiiciunt à textu, negántque esse in correctis libris, nec Beda, vel Glossæ agnoscunt, vt neque vllus ex recentioribus: ignorant etiam Syra, & Græca editio. In officio Missæ Dominicæ quintæ post Pentecosten sic inchoat epistola: *Omnes vnanimes in oratione estote, &c.* quæ vltima verba Collector Officij de suo addidit; & supplendum indicauit, prætermittens in fine, quod ad rem non faciebat. Quod autem ab eo adiectum est, in textum Scripturæ alij inseruerũt. Sed quem ex nescio quibus Dominicanis, velut Canonem, Lucas Brugensis recitat [c], propter vsum Ecclesiæ, non est mutãdus vsus Bibliæ (sic enim illi loquuntur) mihi placet, eúmque possem exemplis aliis confirmare. Tunc Concionatori quidem licebit adiectas ab Ecclesia dictiones enarrare: ab Interprete Scripturarũ nemo iure id expectabit. Porrò Lectionarij, qui & Comes appellatur, in quo est collectio Epistolarum, & Euãgeliorum, quæ in Missa per annum leguntur, auctor creditur Hieronymus, sicut Antiphonarij.

c nota in c. 15. Eccl. ver. 2.

d tom. 2. Liturgicon in Prolog. c. 1.
e lib. de Missa. c. 1. & 5.
f de Eccl. obseruat. c. 25. 31. 39. 40. 50. 52. 54. 56.
g lib. de Can. obseruat. proposit. 23.
h in rationali diuin. offic. c. 57.

Citat Pamelius [d] ita de Comitis Auctore sentientem Bernonẽ [e], Micrologum [f], Rodulphũ [g] Tungrensem, Ioannem Beletum [h]. Porrò Berno, quam bellè congruat Epistola dictæ Missæ in Dominica VI. post Pentecosten cum Euangelio, & Oratione docet: quia in Euangelio dicitur Petro: *Noli timere: Ex hoc iam eris homines capiens*, &c. & ille secutus est Christum cum sociis: petimus autem in Oratione, vt Deum, *qui diligentibus se bona inuisibilia præparauit, in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones eius, quæ omne desiderium superãt, consequamur.* Vt hæc verò omnia, inquit, cũ Apostolis mereamur cõsequi, hortatur nos Petrus in lectione omnes vnanimes in oratione existere.

Compatientes.] Συμπαθεῖς, Syriacè חשים עם חשים *chascim bham chascim, Patiẽtes cum iis, qui patiuntur*, vt solet videlicet membro membrum corporis compati [i], *sumus enim inuicem membra.* Hæc membrorum analogia, & συμπάθεια, qua vtitur quoque Demosthenes in Olynthiacis, non solùm passionẽ includit, vt est de rebus malis, sed etiam vt de bonis *gaudendo cum gaudentibus, flendo cum flentibus* [k]. *Mementote*, inquit Paulus [l], *vinctorum tanquam simul vincti, & laborantium* (τῶν κακουχουμένων *malè tractatorum, ægritudine animi velut mœrentium, afflictorum, tabescentium luctu, &c.*) *tanquam & ipsi in corpore morantes* (in quo nimirum sumus omnes iisdẽ casibus obnoxij) Reputate vobiscum vos & in isto corpore teneri vt in carcere, & fieri posse, vt carcer etiam externus teneat vos. denique Homo humani nil à se alienum ducit. Laudat idem Apostolus eosdem, *quòd vinctis compassi essent* [m]. Ipse verò, *si quis infirmaretur, infirmabatur: vrebatur, si quis scandalizaretur* [n]: Talem præterea testatur *habere nos Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine* (sed) *absque peccato* [o]. Talis Iob fuit, qui, vt de se ipso prodidit, *flebat super eo, qui afflictus erat: & anima eius compatiebatur pauperi* [p]. *Exteriora largiens*, inquit Gregorius [q], *rem extra semetipsum præbet*: qui autem fletum, & compassionem proximo tribuit, aliquid de semetipso dat: & largitorem muneris rerum abundantia facit, non virtus compassionis. Nempe si hæc adsit virtus, & suppetat facultas, erit exterior largitio: potest autẽ ista fieri absque illa virtute. *Nouit Iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia* [r]. Viscera Hebræa voce à miseratione dicuntur רחמים *rechamim*, σπλάγχνα ἀνελεήμονα, immisericordia. Gurdianus Imperator nec pueros verberari videre poterat sine lachrymis: è contrario muscas captans & occidens alius adhuc puer portendebat futuram in Imperio sæuitiam.

i Rom. 12. 4. 1. Cor. 12. 12. & seq. fusè.
k Rom. 12. 15.
l Heb. 13. 3.
m Heb. 10. 34.
n 2. Cor. 11. 29.
o Heb. 4. 15.
p Iob 30. 25.
q ibidem.
Compassio si adsit, & suppetat facultas erit externa largitio.
r Prou. 12. 10.

Sũt aliqui penitus ἀπαθεῖς, ac Stoico ingenio, nihil cõmoueri soliti ad aliorum res vel prosperas, vel aduersas: non dolentes super contritione proximi [s]: quos fictę potiùs excitent narrationes, quàm veri casus, plus recitatæ fabulę, quàm propositæ historię, résve sub sensum cadẽtes. Alexãdrum Pherensium tyrannũ maximè temulentum sæuúmque narrat Ælianus [t] lacrymas profudisse, ac de theatro recessisse audita Æsopi fabula, quã cum acri animorum affectu, & commiseratione (ἐμπαθῶς) Theodorus agebat: Theodoro autẽ affirmauisse, se non idcirco abiisse, quòd illum aut aspernari, aut contumelia afficere voluisset; sed quòd puduisset ipsum histrionis incommodis, & aspectionibus misericordẽ videri, suis verò ciuibus, & subditis non item, αἰδούμενος εἰ τὰ μὲν ὑποκρινοῦ πάθη (breuiùs & meliùs hæc dicuntur Græco sermone:) οἰκτείρει ἐλεεῖν, τὰ δὲ τῶν ἑαυτοῦ πολιτῶν οὐχί. Est in rebus & hominibus naturalis sympathia, & antipathia, de qua Medici, ac Physiologi, tum Hieronymus Fracastorius: verùm illa, de qua hic agitur, compassio longe habet efficacioтem internam, sed liberam simul causam diuini Spiritus, quo Filij Dei aguntur [u].

Quidam sunt ἀπαθεῖς, *& Stoico ingenio.*
s Amos 6. 6.
t lib. 14 de Varia Histo. c. 40.
u Rom. 8. 14.

Fraternitatis amatores.] φιλάδελφοι. Dictum capite primo [x], & secundo [y]: de fraternitate, & pluribus in Commẽtario Actuum Apostolorum [z]. Ex tribus, quæ Auctor Ecclesiastici [a] suo placere Spiritui scribit, & probari coram Deo, & hominib. primum tenet locũ *concordia fratrum* [b]; secundum, *amor proximorum*; tertium *vir, & mulier bene sibi consentiẽtes*. Salomon [c], è cõtrario sex enumerat, quæ odit Dominus: sed septimũ quòd detestatur anima eius, nempe *qui seminat inter fratres discordias*.

x vers. 12.
y vers. 17.
z cap. 1.
a c. 25. & 2.
b Prou. 6. 19.
c Prou. 6. 16.

Misericordes.] Εὔσπλαγχνοι. *Quasi viscera habentes bona. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur* [d]. Ὁ ἐλεῶν πτωχὸν αὐτὸς διατραφήσεται. *Qui miseretur pauperis, ipse nutrietur* טוב עין *tob hhain, Bonus oculus siue Bonum oculum habens*, &c. Benedictio erit in iudicio, quando dicetur misericordibus: *Venite* [e] *benedicti Patris mei, &c.* & [f]; *Qui seminauerint in benedictionibus, de benedictionibus metent.*

d Prou. 22. 9.
e Mat. 25. 34. & seqq.
f 2. Cor. 9. 6.

Modesti, humiles.] In textu Græco vnica dictio est vel φιλόφρονες vel ταπεινόφρονες. Prima significat humanos, faciles, affabiles, comes, beneuolos, ac veluti res amicas, & aliis commodas (vulgo *carezze*) meditantes, & sectantes, secunda illos, qui humilitati student. Erasmus, Vatablus, Clarius, Caietanus reiiciũt *humiles*. Occumenius licet in textu solùm habeat φιλόφρονες, tamen in Commentario ponit συμπάθειαν, εὐσπλαγχνίαν, ταπεινοφροσύνην, vel ταπείνωσιν, præter ὁμοφροσύνην & φιλαδελφίαν. Sed primã virtutem ait in malis versari: tertiam, cùm quis opprobrio afficit, ferre: agnoscere peccatum; accusationes sustinere: quæ etiam ἀγνωμοσύνη dici possit, barbarè *agnoscentia*.

Non est, quod sciam, in vsu φιλοταπεινοφροσύνη, aut φιλοταπεινοφρόνη. Sed, quod in epistolas Ioannis docui, excogitarunt Apostoli nouas voces ad eximiam vel humilitatẽ, vel caritatem exprimẽdam. In Actibus Apostolorum [g] scribitur, quòd Publius Paulũ triduo benignè exhibuit, φιλοφρόνως ἐξένισε; Interpres hoc loco pro φιλόφρονες satis

g cap. vltim. vers. 7.

apte substituit duas dictiones (*modesti humiles*) semper enim modestia, comitas, benignitas adiunctam humilitatem habet, súntque, vt ait Bernardus [a], mansuetudo, & humilitas veluti sorores collactaneæ. Hinc est, quod Christus simul se mitem, & humilé nominat [b], & beatitudini paupertatis Spirit⁹ mox subiicit beatitudinē mititatis [c].

Modestiá, vt modum in rebus mediocribus ac minimis ponit, vix differt à temperátia. Eius partes tres Andronicus, vt [d] B. Thomas refert, faciebat, Ordinationé, Ornatum, Austeritaté. Differit de hac virtute Ambrosius [e], vocans *portionē Dei*, & Prosper [f]. Immodestiæ exempla duo idé Ambrosius [g] affert: Nazianzenus vnum Iuliani Apostatæ [h]. Gregorius [i] narrat, virginem adolescentulam non ante admissam ad cœlestes nuptias à diuino Sponso, quam leuitaté, ac vanitatem quamdam motū per modestiá exuisset. Hieronymus [k] Nebridij modestiam describit. De Luciani martyris modestia dixi alias idoneá fuisse ad Gétiles conuertendos. Idem Ambrosius [l] scribit de B. Virginis modestia: Paulus [m] Corinthios obsecrat per mansuetudinem & modestiá Christi *διὰ ἐπιεικείας*. Ignatius [n] ait obstupuisse se Philadelphiensium Episcopi modestiá, qui tacitus plùs posset, quàm alij, qui plurima loquantur: (tale quid de B. Francisco, cùm dimisit in forū duos, qui modestè ambulando plus quàm si prædicassent, publico profuerunt) solum autem eo conspecto cognouisse, quod nó a seipso, neque per homines ad dignitaté euectus esset, nec per inanem gloriam, sed in charitate Christi, & Dei Patris. Verùm versu quarto nónihil, & alibi de modestiæ virtute plura diximus.

Humilitatis laudes omnia sacra, hominúmque scripta sacrorū loquuntur. Basilius [o] docet animi progressum in virtute non esse nisi cum progressu in humilitate: & in hac vt in sagena contineri virtutes omnes, maximè cùm quis alteri libenter ministrat. Ephrē [p] nominat humilitaté principiū, ac finé omnium bonorū: Dorotheus [q] ait esse velut cæmētum, quo virtutes omnes cohærét: coronā in tecto, seu pinnaculū, & mænianum, ne quis ex alto decidat; absolutā omnium virtutum perfectioné: Isidorus [r] Pelusiota quàm bene magnanimitas cō humilitate cōsistat, ostédit: Antonius [s] diuinū retulit respōsum, laqueos, quibus hic oppansus est mūdus, ab humili euadi: Augustinus [t] primas eis, secundas, tertias, perinde vt actioni Demosthenes, defert: Auctor Ecclesiastici [u]; magnā potentiā, quę Dei solius est, à solis humilibus honorari scribit, quāuis emendati codices habeāt *ab hominibus*. Sed hi qui Romæ editi in octauo hac in voce mendosi sunt, cùm alij ibidem excusi habeāt *humilibus*. Christus [x] (primus humilitatis doctor, vt Augustinus [y] loquitur) nos ab ipso discere voluit, quia mitis & humilis corde esset, vel hoc ipsum discere, id est, humilitatem, quæ penè tota disciplina Christiana est. (vt idem Pater tradit [z]) vel ideò discere, quæcūq; proponeret, quia in doctore pręcipua virtus humilitas: Chrysostomus [a] affirmat nihil ea fortius, ac potentius esse

Vers. 9.] Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis.

SAtis multa dixisse videri possemus Capite priore [b] de hac sententia, cùm exponeremus, quemadmodū Christus cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, nō comminabatur, nec non alio quodam loco, quem ibi citauimus. Nec deest tamen, quod addatur maximè aduersùs insitam hominibus prauam opinionē, turpe esse, animíque abiecti nō propulsare aut vlcisci iniurias. Atqui benedictionem cœlestem obtinere hi nō possunt, nec audire: *Venite* [c] *benedicti Patris mei*, &c. non valent appellari Filij Dei, *qui non minùs malos, & iniustos afficit beneficiis, quàm bonos, iustósq;* [d] *diligere debent inimicos, orare pro persequentibus, & calumniantibus* [e]: *non possunt malum pro malo reddere*, vt his ipsis verbis cauet Paulus [f]: vincāt oportet in bono malum, *non vincantur* [g] *à malo: Dei vindicta, & vltio est* [h], non cuiusquam priuatæ personæ, sed qui Dei minister est, ac vindex [i]. Non licet tibi dicere: *Quomodo fecit mihi, sic faciā ei: veriùm expecta Dominum, & liberabit te* [k], ita vt non de vindicta, sed de salute cures. Arguit Deus, *in æquitate pro mansuetis terræ* [l]. Exigit enim iustitiæ ratio, vt qui aduersarios suos non arguunt, illos ipsos Deus aduersarios arguat, *& Spiritu oris sui interficiat* [m].

Cùm audito conuicio, ait Augustinus [n], *ira cœperit surgere, vt reddas malum pro malo, recordare verba Apostoli: Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto* [o]. *His verbis recordatis frangis iram, tenes fortitudinem, & quia coram te ille tibi maledixit, præcinctus es illa. A flagello linguæ nos separare cupiens*, inquit Ambrosius [p], *Petrus Apostolus monet, vt non reddamus maledictum pro maledicto, sed magis cùm maledicitur nobis, benedictionis referamus gratiam.*

Gregorius [q] eum, qui imprecatur alteri mortem, acutè annotat id optare à Deo, quod nec peccatorem quoque facere decet, etiamsi possit, sed aut metuere, ne homicidij reus teneatur, aut iniquus appareat. Vitabat vtrumque Iob [r], dicēs: *Non dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterē maledicens animam eius.* Scilicet, quamuis præsentem, & similes citatas non legisset sententias, exteriùs non audita, inquit idem Gregorius, supernæ gratiæ præcepta seruabat, quia hæc in mente illius sancti Spiritus afflatus scribebat. Idem iudicium de Dauid, aliis omissis. Ille sibimet imprecatur [s], *si forte reddidissem retribuētibus sibi mala, optās decidere ab inimicis manis*, id est, frustrati bonis ab ipsis, quæ expectabat à Deo: item, vt ipsum illi persequerentur, & vitam, honorémque turpiter redimerent.

Obseruauit Origenes [t] mirū sibi visum, quod maledicens in Leuitico [u] narratur maledixisse nomen, non exprimendo an maledixerit Deū, causam reddit, ne maledicendi de hominibus Moses videretur dedisse licentiam; & vt vtraque maledictio caueretur. Quamquam ceteri volunt de Deo propriè locum intelligi, Græcè *ἐπονομάσας τὸ ὄνομα κατηράσατο*, Hebraicè יקב *iykkob* ac ויקלל *vaiekalel ethaschem* את השם, Chaldaicè: *& expandit*, seu, *explanauit, &c. nomen, & blasphemauit.* Verbum Hebræum quidam dicunt significare maledicere; alij perforare, sculpere, & scribere, vndé נקבה *nekabah* fœmina quasi perforata, & מקבת *mackebeth* malleus apud Esaiam [x]: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit* יקבנו *iykkabennu.* Lactantius [y] inter Christiana pręcepta hoc ponit: *Maledicenti benedicto respondeat*, nec verbum malum *procedat ex ore hominis, qui colit verbū bonum.* Adde, qui ore sumit Christum ipsum, in cuius reuerentiam mutuò Christiani se osculabantur olim, teste Chrysostomo [z]. Iusta Iudicis vindicta

c Matt. 25. 34.
d Matt. 5. 45.
e ibid. 44.
f Rom. 12. 17.
g ibid. 21.
h Deut. 32. 35. Rom. 12. 19. Heb. 10. 30.
i Rom. 13. 4.
k Prou. 20. 22.
l Esa. 11. 4.
m ibid.
n in Psal. 92.
o Rom. 12. 14.
p exhort. ad virg.
q 22. Moral. cap. 6. *Non decet alteri mortem imprecari.*
r cap. 31. 30.
s Psal. 7. 5. 6.
t Hom. 14. in Leuit.
u cap. 24. 11.
x cap. 62. 2.
y lib. 6. c. 18.
z in 2. Corint. Hom. 30. & de Côpunc. cord. Hom. de prodit. Iudæ.

non reprehenditur, sed quæ, aut priuata exercetur auctoritate, aut vlciscendi libidine, odiove, non amore iustitiæ.

Sed e contrario benedicentes.] Benedictio hæc non tantum consistit in eo, vt bene precemur, quod intus facere possumus in anima nostra, & verò debemus; quatenus neminem à communi oratione licet excludere, sed etiam, & quidem propriè in verbis beneuolis. Hoc secundum non est adeo semper necessarium, fierique potest vt potius contemnat, & magis indignetur aduersarius. Alioquin valdè *responsione molli frangi solet alterius ira* [a], & prouocatur ad laudandū Deum, eiúsque doctrinam, gratiam, bonitatem: simul persuadetur, aliam esse hac meliorem vitam. Nam nisi illam speraret, non tam facile, quas alij magni faciūt, ferret iniurias: rem adeo difficilem præstare nemo sine omnipotentis Dei gratia valet: bonum oportet indicari Deum, propter quem benedicat quis, etiam aduersario. Lex talionis in Ecclesia quem locum habeat, vel non habeat, aliàs ostendi.

a Prou. 15. 1.

Aliam esse vitam ista meliorem vnde doceatur.

Quia in hoc vocati estis.] Eadem phrasis præcessit cap. [b] priore, ac alias in istis, Paulique epistolis, vocationis frequens fit mentio, quæ includitur etiam in ipsomet Ecclesiæ vocabulo, vt scilicet intelligamus, atque recogitemus gratiam vocationis, & in ea permanere, illiq; respondere studeamus. Hesselius vocationem in hoc, vel ad hoc interpretatur, vt benedicant Deo, proximóque iuxta illud [c]; *benedicam Dominum in omni tempore*, & similia alia loca; vtque quod in seculum seculi facturi sumus, nempe *laudare* [d] *illum*, nunc sedulo meditemur, ac inchoemus.

b vers. 21.

c Psal. 33. 2.

d Psal. 83. 5.

Vt benedictionem hereditate possideatis.] Fulgentius [e] legit: (Vt *benedictionem hæreditate possideatis*) sed κληρονομεῖν significat hæreditate possidere. Benedictio Dei est beneficium Dei, quoniam eius dicere facere est, benedicere, benefacere. Summum bonū, summa & absoluto nomine significata benedictio est, necnon beati simpliciter benedicti: & ipsemet Deus omni cumulatus bono, omnéque bonum, benedictus cognominatur. Et quia nos benedicimus nō agendo, sed laudando, denominationes eædem respectum dicūt ad laudes, quib. res illæ dignæ sunt; & quas nos, & aliæ creaturæ rationales dant, vel dare possunt. Quo autem pacto felicitas, quæ nobis prouenit per merita Christi, & nostra, dici simul hæreditas queat, alibi docuimus.

e Fulgen. li. 1. ad Trasimud. c. 13.

Benedictio Dei est eius beneficium.

Hac porrò phrasi Petrus indicat, si quando ex zelo iustitiæ maledicere oporteat, malúmque reddere pro malo, id magis faciamus ex necessitate, quàm quasi hæc possessio nostra, & bonum esset, vel nimium de bonorum externorum solliciti defensione. Nec improbabile, alludere ad filios Liæ, ac Rachelis legitimarum vxorum, qui stabant ad benedicendum, cùm filij Balæ & Selphæ ancillarum [f], cum primogenito Liæ Rubē, qui stratum patris maculatat [g]: & cum vltimo eiusdem Liæ filio starent ad maledicendum [h]: ita vt filij liberarum designent filios noui Testamenti: ancillarum, veteris, ac seruos peccati, sicut de Israël & Isaac philosophatur Paulus [i]: Ruben & Zabulon, qui ad tempus miscentur filiis noui Testamenti, & spiritum libertatis habent. Obseruauit id etiam Hesselius.

f Deut. 27. 12.
g Gen. 35. 22.
h Deut. 27. 13.
i Gal. 4. 22. & seq.

***

Vers. 10. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coërceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.

TEstimonio Psalmi trigesimi tertij [k], quem Ecclesia toties recitat in officio de Apostolis, & de martyribus, & olim dum celebrabatur Communio, vt meminit Clemens [l] Romanus, (de quo etiam Psalmo toto Commentarium nostrum, si placet, consule) confirmat vocatos nos ad benedicendum, cauendámque maledicētiam, quæ vitæ aditum æternæ intercludit. Paulus [m] quoque maledicos negat, æquè regnum Dei possessuros, ac iniquos, fornicarios, idolis seruiētes, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebriosos, rapaces: vetat quoque cum talibus, si de numero sint fratrum, vel cibum sumere [n]. Petrus item coniungit maledicum cum homicida, fure alienorum appetitore [o].

k vers. 13.

l 8. cōst. c. 10.

m 1. Cor. 6. 9. 10.
Maledicere est graue peccatū.

n 1. Cor. 5. 11.
o 1. ep. 4. 15.

Qui vult vitam diligere.] Ὁ θέλων ζωὴν ἀγαπᾷν. Notatu dignum primo loco per vitam absolutè intelligi æternam, ac beatam. Id aliàs demōstraui. Eadem ratio de diebus bonis. *Quare impij viuunt?* ait Iob [p], id est, prosperè agunt: *In hilaritate vultus regis vita*, inquit Salomon [q], id est, felicitas, huius vitæ dies mali sunt [r], quia laboriosi, quia peccandi occasionibus obnoxij. Deinde in Psalmo, vnde sumpta est ista sententia, sic legimus: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* vbi posterius verbum ad dies refertur bonos, ad vitam prius. Visio dierum bonorum est possessio felicitatis: non item amor vitæ: nisi sequaris opinionem, in amore sitam esse felicitatem. Tunc velle, esset desiderare, ac minus perfectè amare: quod in hac vita fit: amare denotaret actum charitatis perfectum, & immobilem, proprium Beatorum. Quæ distinctio retineri adhuc potest, etiamsi assentiamur melius sentientibus beatitudinem videndo percipi formaliter. Existimant aliqui amorem viæ, & patriæ distingui specie, quia pendent ex diuersa cognitione fidei, & visionis, quas per modum efficientis putant ad eos actus concurrere. Si rectè dicitur quis concupiscere, desiderare [s], quidni velle, quod est verbum magis generale, amare? Innuit duplicatio non solum vehementiam desiderij, amorisve, sed infirmitatem quoque carnis reuocantis subinde voluntatem ne ita velit acriter, & assiduo. Citato tamen Psalmo Hebraicè est גרסה *garesah, Fracta est anima mea præ summo desiderio.* Ergo vult diligere, qui serio, vehementi, incenso, continuo quodam voluntatis conatu impellitur, ac veluti frangitur, & deficit. Glossa Interlinearis, Thomas, Hugo declarant: Qui vult ostendere se dilectionem habere.

p c. 21. 7.
q Prou. 16. 15.

r Gen. 47. 9. Eph. 5. 16.
Dies huius vitæ cur mali sint.

s Psal. 118. 20.

Diligere quis vult.

Dies videre bonos.] Dixi nostros, dum viuimus, malus dies esse. Demonstrat id egregiè Augustinus [t]: *Et dies semper malos in seculo, semper bonos in Deo, & non hic quærēdos sed alibi.* Paulus de his ait [u], *quod mali sunt.* Videndi autem verbum constat, ad omnem sensum, & facultatem cognoscentē trāsferri, sumique pro qualibet cognitione, vel experimento. Clemens Alexandrinus explicat versum totum hoc pacto: *Qui vult æternus, & incorruptibilis fieri*: & vitæ nomine Dominum: per dies bonos intelligit sanctos [x]. Vitriacus dies bonos exponit diem gratiæ, & diem gloriæ.

t in Psal. 33.
Dies in hoc seculo sunt semper mali.
u Eph. 5. 16.

x in ep. Dom. 5. post Pent.

Coerceat linguam suam à malo.] Παυσάτω, *Quiescere faciat*: Hebraicè, *Custodiat*, à verbo נצר *natsar.*

Primum hoc Dauid præceptum tradit filiis, quos timorem Domini docet, quia, vt Basilius [a] loquitur, peccatum, quod per linguam admittitur, omnium fere propensissimum, & multiforme est. Suppetit prolixus contra linguam sermo, & ipsa in seipsam longa, disertáque oratione declamare lingua potest. Multa Iacobus [b] hac de re, & Salomon [c], & alij, nos de dolo superius. Comparat Iacobus cum fræno silentium, & gubernaculo: vitium oppositum cum igne modico syluam inflãmante: vocat *inquietum malum, & venenum mortiferum.* Extant quoque permulta exempla illorum, qui tenacissimè silentium seruauerunt. Vno contentus ero Pambonis, quod maximè præsentem illustrat locum [d]. Cùm illum prorsus indoctum, ac sine literis doctus vir docere volens, fortè Psalmi octaui supra trigesimum, versiculum primum explanandum proposuisset: *Dixi, custodiam vias meas vt non delinquam in lingua mea*: non est passus plura audire: quod diceret, sibi sufficere, si posset opere audita implere. Lapsis mẽsibus sex, ad doctorem se non reuertisse respondit, quòd nondum versum opere impleuisset. Immò post quadragintanouem annos rogatus an didicisset, vix dixit eum implere valuisse.

Eget os custodia, *ostio circumstantia labia* [e], immò *ostiis, & seris* [f]: *vitta coccinea labia stringenda* sunt [g], id est, silentio verecundo, vt exponit Guillelmus Neoburgensis [h]. Pro custodia est מחסום *machsom*, frænum, & pro ostio circumstãtiæ נצרה *nisrah*, custodi ostium super labia mea. Sed Chaldaicè, custodi eleuationem labiorum meorum. Paraphrastes ita vertit דל *dal*, quod tamen per Apocopen ex דלת *deleth*, astium est. Denique *cultus iustitia silentium* [i]; & *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* [k]: & e contrario *maculat lingua totum corpus inflammátque rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna* [l]: *nec vllus hominum eam domare potest* [m]. Lege Augustinum [n]. *Tacuisse nunquam nocet, vel pœnitet*, vt Xenocrates [o], siue Simonides [p] dixit; & versu quidam expressit:

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Alia ratio de Esaia dicentе [q]: *Væ mihi quia tacui*: silentio, ac lingua peccans, vel in silentium redactus sum propter visionem diuinã, vt illi, de quibus liber Iudicum [r].

Vers. 11] Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam.

PRimo membro simile quid est in alio Psalmo [s]: *Declina a malo, & fac bonum*; & apud Esaiam [t]: *Quiescite agere peruersè, & discite benefacere.* Decalogi præcepta quædam negantia sunt, nonnulla affirmantia. *Arbor non faciens fructum bonũ, excidetur, & in ignem mittetur* [u], nec sufficit, si sola proferat folia [x]: *vt quid enim terram occupat* [y]? piger damnatur seruus, qui talentum [z], vel mnã [a] etsi non consumpsit, inde lucrum non retulit: Paulus [b] etiam præcipit, *vt oderimus malum, adhæreamus bono*: & Amos [c], vt illud odientes, hoc diligamus: & adhuc Dauid [d], *vt qui Deum diligunt, oderint & malum.*

Retribuere censetur mala pro bonis, qui sterilitatem offert Deo [e] *prædicans non furandum*, V. G. *& tamen furans* [f], &c. vt Augustinus [g] explicat. Iuxta tropologiã, paralyticus curatus surgit, & tollit grabatum [h], seu sternit sibi [i]; quãdo & mala dereliquit, quæ perpetrauit, & bona operatur, vt notat Gregorius [k]. Habet cum his nonnullam affinitatem vetus parœmia, quæ tantopere placuit Epicteto: Ἀνέχου, καὶ ἀπέχου, Sustine & Abstine, *tolerando scilicet aduersa, fugiendo illicita.* Meminit Gellius [l], Athenæus [m] prætèrea recitat hoc carmen.

Ἀγαθὸς ἀνὴρ λέγοιτ' ἂν ὁ φέρων τ' ἀγαθά,
Ἀγαθὸς ἂν εἴη, καὶ ὁ φέρων κακῶς κακά.
Bona quisque affert, vir bonus vocabitur,
Bonus erit & ille qui mala perfert erit bene.

Hieronymus [n] (quem alij malunt esse Paulinum) præscribens piè viuendi rationem Celentiæ matronæ, ponit primo loco, duo esse genera mandatorum, in quibus clauditur tota iustitia, prohibẽdi vnum, iubẽdi alterum; ibi otium imperari, hic studium: ibi coerceri animũ, hic incitari: hic fecisse, illic non fecisse culpabile esse; hoc duplex præceptum æque omnibus iure mandatum esse; in quouis proposito, in quouis gradu æquale peccatum esse vel prohibita admittere, vel iussa non facere. At cautè quod Theophylactus [o] ait intelligendum, negantia præcepta nihil habere vel promissi, vel meriti, nec vllam esse, qui à malis abstinent facinoribus remunerationem. nam sine dubio laudabilis, ac sua digna mercede est abstinentia, in qua tantam quoque patimur difficultatẽ; neque quis nisi volens abstinet. Origenes [p] ait, *circũcisionem prodesse si quis legem obseruet, apud Paulum* [q] *significare, prius circumcidenda mala, tum bona facienda.* Quod si Iob [r] dicatur *simplex, & rectus, ac timens Dei, ac demum abstinens ab omni malo*, causam esse, quia licet soleant ceteri ferè inchoare à mali abstinentia, & in exercitio bonorum mala quędam permiscere, tamen Iob hac in parte eximiũ fuisse, quòd agens bona, simul ab omni malo abstineret.

Inquirat pacem, & sequatur eam.] Vtitur Interpres in Psalmo verbo persequendi, cùm tamen sit idem Græcum διώκω, quod cursum quemdam videtur importare, vt Basilius [s] obseruat, & editio Syra expressit נרדוף בתרה *nebrat batherah.* Augustinus [t] verò notat, quærendam pacem esse, sed non hîc, verùm sequendo quò is præcessit, qui est pax nostra [u], dixítque [x]: *Hæc loquor vobis, vt in me pacem habeatis*: & è contrario, *non veni pacem mittere, sed gladium* [y]; &, *pacem hîc dat, sed non quomodo mundus* [z] *dat.* nam neque cũ Deo, neque cum proximo, neque nobiscum pax, dum viuimus, obtineri perfecta potest: ex parte hîc habenda, vt ex toto illic habere mereamur. Pax cum proximo est, *si diligas sicut te ipsum* [a]: cum Deo *si illum ames ex toto corde* [b]: tecum, si rationi obtemperes. Nonnullæ nunc interim interdum cum proximis rixæ, licet non occidant concordiam, non interimant charitatem, vt accidit inter Paulum, & Barnabam [c]. Cùm te pœniteret peccati, irasceris tibi ipsi, passiones quoque, corporísque necessitates repugnant rationi, ac Deo. Absoluta pax exuperat omnem sensum [d], nec eam dare mundus potest [e], etiam quæ percipitur in hac vita, & vnus numeratur de Spiritus sancti fructibus [f]. *Pax perfecta*, inquit idem Augustinus [g], *tunc erit nobis, quãdo natura nostra Creatori suo inseparabiliter cohærente, nihil nobis repugnabit ex nobis.*

Quærunt aliqui pacem, sed non sequuntur, quia *non adhibent sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* [h]. Nempe quærunt, vt euertant, sicut Iudęi Christum, qui *pax est nostra* [i], vt dixi, *vt occiderent, non vt imitarẽtur*, inquit Hieronymus [k]. Idem porrò Rustico præcepta viuendi præscribens, ait [l]: *Declina à malo, & fac bonum: quære pacem, & perse-*

a hom. in Psal. 1. *peccatum quod per linguam cõmittitur, omniũ propensissimum est.* b ep. c. 3. 1. & seq. c in Prouerb. d S. Tripar. c. 1. *Pambonis mirũ taciturnitatis exemplum.* e Psal. 38. 2. Psal. 140. 3. f Eccl. 28. 28. g Cant. 4. 3. h ibid. apud Delrium. i Esa. 32. 17. k Iacob. 3. 2. l ibid. 6. m ibid. 8. n serm. 4. de verb. Dom. o Valer. Max. 7. c. 2. p Plut. Opusc. de Tuen. valetud. q c. 6. 5. r c. 13. 15. 22. s Psal. 36. 27. t c. 1. 16. u Matt. 3. 10. 7. 19. x Mat. 21. 19. y Luc. 13. 8. z Matt. 25. 26. & seq. a Luc. 19. 23. & seq. b Rom. 12. 9. c c. 5. 15. d Psal. 96. 10. e Ps. 34. 12. f Rom. 2. 21. g concio. 2. in Psal. 34. h Ioan. 5. 8. & seq. i Act. 9. 34. k 3. Moral. c. 15. aut 23.

l lib. 17. c. 19. m lib. 10. c. vlt. n epist. 14. *Mandatorum duo sunt genera.* o in c. 6. ep. ad Ephes. p in cap. 2. ad Rom. q Rom. 2. 25. r cap. 1. 1. s in Psal. 33. t in Comm. u Ephes. 2. 14. x Ioan. 16. 33. y Mat. 10. 34. z Ioan. 14. 27. *Pax cum Deo & proximo & nobiscum quomodo habenda.* a Matt. 19. 19. & alibi. b Luc. 10. 27. & alibi sæpe. c Act. 15. 39. d Philip. 4. 7. e Ioan. 14. 27. f Gal. 5. 22. g de ciuit. c. 7. h Heb. 12. 14. i Eph. 2. 14. k in Psal. 33. l epist. 4.

quere

quere eam. Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus: quin potius faciēdum est bonum, vt declinemus a malo. Pax quærenda, vt bella fugiamus (interna, externa) nec sufficit eam quærere, nisi inuẽtam, fugientémque omni studio persoquamur, *quæ exuperat omnem sensum* [a] (quasi diceret effugere omnẽ sensum) in qua habitatio Dei est, dicente Propheta [b]: *Et factus est in pace locus eius.* Confirmat simili modo loquendi Pauli [c]: *Hospitalitatem persequentes, aut sectantes διώκοντες, vt non leui, vsitatóque sermone, & vt ita loquar,* inquit, *summis labiis hospites inuitemus, sed toto mentis ardore teneamus (quo pacto discipuli coegerunt* [d] Christum, & Abraham facere solebat [e]) quasi offerẽtes se cum lucro nostro, atque compendio. Sic profectò *pax exultabit in cordibus nostris* [f], *in qua & vocati sumus in vno corpore*, vel, vt indicat Gręcum verbum βραβεύειν, *triumphabit* aduersus omnes controuersias, palmam feret, aut etiam tanquam agonotheta, dabit, vt explicant Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Chrysostomus. Alibi de bono pacis plura. Pax prædicanda propter fratres, & proximos [g], non propter commodum temporale, vt notat Augustinus ibidem. Similis adhuc formula Pauli est, cùm hortatur sectari iustitiam [h], & charitatem [i].

a Phil. 4. 7.
b Psa. 71. 3.
c Rom. 12. 13.
d Luc. vlt. 29.
e Gen. 18. 2. & seq.
f Coloss. 3. 15.
g Psal. 121. 9.
h 1. Tim. 6. 11.
i 1. Cor. 14. 1.

Vers. 12.] Quia oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala.

HInc allicimur, hinc retrahimur: præmio ad bona opera consectanda; supplicio ad vitanda mala. Vtriusque auctor Deus, benignis oculis iustos, irato intuens vultu improbos: illorũ exaudiens preces, istos nec dignans audire.

Deus benignis oculis iustos, iniustos irato vultu intuetur.

Oculi Domini super Iustos.] Rabbi Abenesra exponit Deum interna Iustorum videre desideria, & (quod est sequenti membro,) externas preces audire. Ceteri passim intelligunt de fauore diuino, qui diuino declaratur oculorũ coniectu, aspectúq; Ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται ἐρᾶν. *ex visu gignitur amor* [k]. &,

[l] *Oculi sunt in amore duces.*

Qua de re Aristoteles [m] etiam, & Lucianus [n], atque alij. Inde crebræ in Scripturis phrases ad benignitatem declarandam, vt dicantur quibus ea exhibetur, aspici, & respici. nam libenter ac sæpe oculis vsurpamus, quæ diligimus, & nobis salua custoditáque esse volumus. *Dominus diligit iustos* [o]. Idcirco firmat super eos oculos suos [p]; *vel autem carius oculis*, inquit Augustinus [q]. Illustrare quoque dicitur Deus, faciem & vultum super aliquem [r]. Dixi quodam loco aliàs de oculorum nobilitate, atque vtilitate, & quo pacto existant in eis animi motus omnes. Nemo de hac re meliùs quàm Philo [s]. Is non dubitat affirmare, nullã inuisibilis rei tam euidentem imaginem à Deo factam. Legendus quoque Plinius [t].

k Plato in Cratylo.
l Proper. lib. 1. eleg. ô me felicem.
m 9. Ethic. c. 12.
n dial. ἔρωτες.
o Psal. 145. 8.
p Psal. 31. 8.
q 3. de serm. Dom. in mon. c. 14.
r Psal. 30. 17.
s lib. de Abraham.
t lib. 11. c. 37.

Et aures eius in preces eorum.] Hoc optabat idem Dauid, cum dicebat; *Domine* [u] *exaudi orationem meã, fiant* [x] *aures tuæ intendẽtes in vocem deprecationis meæ: intret in conspectu tuo oratio mea* [y]. Id facere Deum solere, alia loquuntur testimonia: *Inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, ecce adsum* [z]. *Ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi* [a]: *Preparationem cordis eorum audiuit auris tua* [b]: *Domine Deus noster tu exaudiebas eos* [c]: *orationes iustorum exaudiet* [d].

u Psal. 101. 2. Psal. 142. 1.
x Psal. 129. 2.
y Psal. 87. 3.
z Esa. 58. 9.
a Esa. 30. 19.
b Psal. 9. 17.
c Psal. 95. 8.
d Prou. 15. 29.

Oculi aurésque Dei mysticè sunt Angeli.

Videtur Basilius [e] oculos, aurésque mysticè sumere pro Angelis, quorum aliqui, velut oculi, curam susceperint nos interuisendi, alij preces nostras excipiendi. Clemens Alexandrinus interpretatur in Commentario multiformẽ Spiritus sancti speculationem. Monet idem Basilius, necnon Hieronymus [f], vt caueamus errorem Anthropomorphitarum, qui Deo humanam formã, membráque attribuebant. De illis fusè Cassianus [g]. Sed quo pacto semper exaudiantur iusti, qui tamen non videntur semper impetrare, & nõ eripiuntur de tribulationibus, ostendit Augustinus [h], exemplísque confirmat trium puerorum in camino illæsorum [i], & Machabæorum interfectorum [k]: Petri de carcere liberati [l], & postea crucifixi.

e hom. in Psal 33.
f in eundem Psal. 33.
g Coll. 10. c. 2. & seq.
h concio. 2. in Psal. 33.
i Dan. 3. 50.
k 2. Mach. 7. per totum c.
l Act. 12. 11.

Vultus autem Domini super facientes mala.] Additur in Psalmo [m]: *vt perdat de terra memoriam eorum,* quod hic etiam aliqui codices Græci habent τοῦ ἐξολοθρεῦσαι αὐτοὺς ἐκ γῆς. In vultu apparet indignatio, sed & lenes alij affectus: Nec minùs in bonam, quàm in malam partẽ accipitur in scripturis hoc nomen, maximè quibusdã aliis vocabulis adiectis. Similitudinem cum loco pręsenti habẽt hi alij [n]: *Quis resistere potest vultui meo? Pones eos vt clibanum ignis in tẽpore vultus tui* [o]: *Diuisi sunt ab ira vultus eius* [p]: *Ab increpatione vultus tui peribũt* [q]: *Facies Domini diuisit eos* [r]. Tale illud: *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem* [s]. *Ponam faciem meã super hominem illũ, &c. succidam que & ipsum* [t], &c. *A facie Sarai dominæ meæ ego fugio* [u]. Lyranus in Commentario pręsentis loci ait in textu Hebræo Psalmi trigesimitertij esse (iræ Domini) ibi est nomen פני *pene*, quod prima sua notione significat vultum, faciémve, deinde verò etiam iram. Vultuosum Latini dicunt tristem, seuerum, tetricum. Humanæ porrò imbecillitatis etiam Cyrillus [x] ait, hanc curam esse, vt credat nõ vitaturos supplicia iniuriantes, sed humana imbecillitate præstantiorem esse Iesum, qui etiam pro suis persecutoribus orauit.

m vers. 17.
n Iob. 41. 1.
o Ps. 20. 10.
p Psa. 54. 22.
q Psal. 79. 17.
r Thren. 4. 16.
s Prou. 25. 23.
t Leu. 20. 5.
u Gen. 16. 8.
x li. 13. in Ioa. c. 30.

Vers. 13. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?

CVm Dei vultus sit super faciẽtes mala, oculos, contrà, benignè cõuersos habeat ad iustos, nemo vereatur alterius improbitatem: sit tã tùm studiosus æqui, ac iusti, virtutis amator, sectator boni, nullum patietur damnum. Acrimoniam, & efficaciam habet interrogatio. Nemo lęditur nisi à seipso: Græcè Οὐδὲν πέπονθας δεινὸν, εἰ μὴ προσποιῇς: *Nihil passus es graue, nisi tu id ipse tibi vendicas.* Gratis, veráque parœmia: de qua Chrisostomus [y] vltimam edidit lucubrationem, quam Olympiadi mittens [z], hortatur, vt eam assidue partuoluat, immo etiam, si per valetudinem licet, recitet; id enim pharmacum, si quidem voluerit, ipsi sufficere; ne illius in afflictione positus animus obruatur molestiis, sed desuper tamquam pennis quibusdam extollatur, & optimum inde remedium paret.

y Chrys. ho. quod nemo læditur nisi à seipso. Tom. 5.
z epist. 4.

Multa sat scio sapientum etiam ethnicorũ, & moralium sunt apophthegmata philosophorum. Vnum arbitror Chrysostomum ceterorum instar esse posse, dignúmque cui pareatur, hortanti ad lectionem dicti tractatus. Demonstrat eleganter ac fusè, non damna, non paupertatem, non calumnias nocere, non morbos, non vincula, non exilia, non seruitutem, non quiduis aliorum quæ vulgò censentur mala lædere, quoniam orthodo-

Nemo læditur nisi à seipso, apophthegma omnium dignissimum.

xam de Deo sententiam, ac virtutem, & principem hominis partem, quæ sedes illarum est, & cuius illæ ornamentum atque verum bonum, minimè attingunt, nedum corrumpunt. Profert Iob in exemplum, qui multis diaboli tentationibus exercitatus, clarior, & magnificentior redditus est. Ait Adamum suamet læsum ignauia, dum erga obseruantiam mandati, tametsi solicitatus à diabolo per vxorem, non vigilauit. Adhibet adhuc Apostolos, Paulũ præcipue, Ioseph, Lazarum mendicum, Abel, tres pueros in Babylone, & similes, quibus non noxam calamitates, sed lucra maxima protulerũt. Confirmat id præterea vario scripturarum, præcipuè nouarum testimonio.

Docet deinde solos illos qui lædunt lædi, non item eos, qui lædi videntur, nisi ipsi velint, nempe per animi impotentiam, & impatientiam. Postea demonstrat quàm sint ficta, & fallacia, quę creduntur vera, solidáque bona, vt diuitiæ, honores, deliciæ, potentia cum facultate iniurias propulsandi, & vindicandi. Addit parabolæ interpretationem de duplici domo, bene, maléque fundata consistente, & labente [a] (vtitur eàdem Beda hoc loco) propter mentis vel ignauiam, vel virtutem, firmúmque, aut infirmum animi propositum. Confert tantis Iudæos beneficiis affectos, & peruicaces tamẽ contra Deum cum Niniuitis ad vnum Ionæ [b] sermonem conuersis. Hæc summa longioris Tractatus à me redacta, vt vel sic aliquo modo iustæ Chrysostomi petitioni obtemperaremus, qui totum legi vellet. In vna ex collectis quas vocant, feria 6. post Cineres, quæ recitatur vltimo loco in Missa, & ad vesperas est, *quod nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas.*

[a] Mat. 7. 24. & seq.
[b] Iona 3. 5. Matth 12.

Et quis est qui vobis noceat.] Καὶ τίς ὁ κακώσων ὑμᾶς. *Et quis est, qui sit afflicturus vos*, malo affecturus, &c. vt scilicet æstimetis vos vero affectos malo, vt commoueamini, vt ex animo abiiciatis constantiam, vt resiliatis ab instituto pio, à semita virtutis, à religione, à Deo, vt deseratis collectionem vestram, vt succumbatis tentationi, vt manus detis diabolo, & aduersariis ceteris, vt de sanctæ vitæ tenore quidquam remittatis. Possit ad ea quæ retuli ex Chrysostomo, addi illa Psalmi expositio, quam tradit Augustinus [c]: *Libera* [d] *(eripe) me Domine ab homine malo: Tu noli tibi*, ait ipse, *esse malus: liberet te Deus à te. Quando enim Deus gratia sua & misericordia de malo facit te bonum, vnde te facit bonum vnde te liberat, nisi à te ipso homine malo? Omnino, fratres mei, hoc verum est, hoc certum est, hoc fixum. si Deus te liberauerit à te ipso homine malo, nihil tibi nocebit, quisquis fuerit alius homo malus.* Probat exemplo conuersi Pauli, & hoc ipso testimonio quod tractamus.

[c] ser. 107. de diuers. c. 6. & 9. siue ser. 2. de Petro, & Paulo.
[d] Psal. 139. 6. *Liberat nos Deus à nobis quando nos liberat à malis.*

Attamen quo pacto quiuis improbus nocens dicatur non sibi dumtaxat, sed aliis etiam vel exemplo, idem Pater in citati Psalmi Commentario rectè demonstrat. *Quo modo nulli nocet*, inquit, *qui sibi non parcit? innocens enim ille est, qui non nocet, non autem qui sibi nocet. Tibi autem quomodo potest non nocere, qui sibi nocet?* &c. Possem hîc, quod aliàs vberius feci, refellere falsam, iniquam, blasphemam criminationem quorumdam, peccatorum auctorem Deum, vel certè diabolum. *Hic latrare vt canis potest, mordere seu catena ligatus nisi in eius sese proiicientem nullum non potest*, vt idem Augustinus docet [e].

Diabolus molestiarum Deus non est caussa peccatorum nostrorum.
[e] ser 197. de tempore.

Si boni æmulatores fueritis.] Ἐὰν τοῦ ἀγαθοῦ μιμηταὶ γένησθε, *si boni*, id est, *rei*, vel *personæ bonæ imitatores fueritis.* Vatablus vertit, *bonitatis.* Monent Lyranus, Hugo, Thomas, Caietanus, Gagneius, (boni) nomen esse generis neutri, & genitiui casus, & exponunt de zelo, amore, imitatione virtutum, sicut & Bernardus [f] de studio charitatis iuxta illud [g]: *Aemulamini charismata meliora.* Augustinus [h] legit (*amatores*) Carthusianus, & Feuardẽtius aliter exponunt, non reiicientes priorem expositionem, & Primaticcius hanc vnam sequitur, de amore, vel imitatione Dei, siue Christi essentialiter boni [i] (quemadmodum diabolus vocatur absolutè malus κατ' ἐξοχὴν) [k] *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

[f] serm. 29. in Cant.
[g] 1. Cor. 12. 31.
[h] ser. 107. de diuers. c. 6. 7.
[i] Matt. 19. 17.
[k] Rom. 8. 28.

Etsi prior sententia sit plurium, eique faueat editio Syra, vocans טננֵי דטָבוּתָא *tanane detauutha, Zelatores bonitatis*; tamẽn propendeo magis in posteriorem. Nam insolens mihi videtur vt quis dicatur μιμητὴς *imitator alicuius formæ*, siue rei inanimatæ: nec aptè quempiam appellamus imitatorem virtutis, sed personæ studiosæ: nõ etiam virtus proponi dici solet ad imitandum, sed aliquis virtute præstans, quamuis imitatio in virtutis exercitio, & actione consistat. Dicimus quidem aliquos μιμητὰς, καὶ ζηλωτὰς ἀρετῆς τινὸς, *imitatores, & Zelatores virtutis alicuius hominis*, at nõ simpliciter ἀρετῆς virtutis. Quod si Plutarchus [l] vsurpat μιμητὰς τῶν τραγικῶν παθῶν, *imitatores tragicarum affectionum*, id facit, quoniam tragœdi personam illa dicendi formula subintelligit.

[l] 8. Sympos.

Obiici potest ex epistola Ioannis tertia [m]: Ἀγαπητέ, μὴ μιμοῦ τὸ κακὸν, ἀλλὰ τὸ ἀγαθόν: *Carissime, noli imitari malum, sed quod bonum est*: Fateor prætér id, quod respondere possem de diabolo, & Deo, hinc primam sententiam reddi probabiliorem. Deinde, vtroque in loco debere suppleri personã virtute, aut vitio præditam: Ioannes quidem apertè loquitur de vitando prauo exemplo Diotrephis, vt ipsi quoque in eius loci enarratione docuimus. Quare duplex sensus consentiet, vt æmulatio imitatione boni, hoc est, rei bonæ spectetur, vt respicit personam, in qua est. Persona autem illa, quæ meretur imitationem, Deus est, atque Christus, postea sancti quoque alij: nam Paulus [n] hortatur *vt simus imitatores ipsius, sicut & ipse Christi.* Denique possumus dicere simpliciter, nos æmulari, zelare, desiderare, amare virtutes, non ita propriè imitari: vel vt synonymè accipitur pro isto verbo illud aliud æmulari, sed quemadmodum dixi, personam aliquam, aut virtutes cum habitudine ad illam.

[m] vers. 11.
Quæ nobis imitanda proponere debeamus.
[n] 1. Cor. 4. 16. c. 11. 1.

Maluit Interpres æmulatores, quàm imitatores dicere, vt innueret in imitando vehemẽs studium & amorem. nam ex vetere parœmia, de qua Augustinus [o] docens, quo pacto de Deo dicatur zelus, *qui non Zelat non amat*: adde, multò minùs imitatur. Pro imitatione verbum æmulandi videtur sumi ibi: *Noli æmulari in malignantibus*, &c. [p] &, *Ne æmuleris hominem iniustum* [q]: &, *Non æmuletur cor tuum peccatores* [r]: &, *Ne æmuleris viros malos* [s].

[o] cont. Adim. c. 13. *Zelus, qui non zelat non amat.*
[p] Psal. 36. 1.
[q] Prou. 3. 31.
[r] Prou. 24. 1.
[s] Prou. 24. 1.

Vers. 14.] Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.

NOcumentum nonnullum ab improbis accipimus, & damnum: negari non potest. Tamen rectè prius dictum, nihil noceri æmulantibus bonũ, quia multo maior merces pro iustitia

Nihil nocere possunt improbi bonis.

patien

patientibus datur. Quocirca pellendus ex animo timor malorum externorũ, nec vlla ex his in animum perturbatio admittenda.

Si quid patimini.] Εἰ πάσχετε. Deest (quid) sicut & in editione Syra, nec si adesset, rei designaret necessariò leuitatem, & exiguitatem, vt indicat tamen Thomas Anglicus, & apertiùs notat Feuardẽtius. B. Thomas verus auctor Commentarij in Ioannis Euangelium in ea sententia [a]: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*, obseruat, *quid*, designare spiritualia bona, quasi dicas, substantialia, terrena enim, si conferantur cum illis, nihil esse. Sic fit, vt oppositos circa eandem particulã sensus, pios quidem, veróſque habeamus; verùm non adeo necessarios. Græce apud Ioannem est ὅσα ἂν αἰτήσητε, *quæcumque petieritis.*

a Ioan. 16. 23.

Propter iustitiam beati.] Διὰ δικαιοσύνην. In euãgelio Matthæi [b], vnde videtur hæc desumpta sententia, ἕνεκεν δικαιοσύνης integra sic habet: Μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Quamquam Clemens Alexandrinus [c] meminit alterius lectionis: Μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ὑπὸ τῆς δικαιοσύνης, ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ θεοῦ κληθήσονται· μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκα ἐμοῦ, ὅτι ἕξουσι τόπον, ὅπου οὐ διωχθήσονται: *Beati qui persecutionem patiuntur (aut passi sunt) à iustitia*, vel *pro iustitia*, vel propter iustitiam: (nam ὑπὸ in casu genitiuo hũc habet sensum apud Plutarchum, Platonem, & alios) *& beati qui persecutionem patiuntur (aut passi sunt) propter me: quoniam habebunt locum, vbi nõ patientur persecutionem.* Vtitur autem idem Clemens ista lectione: Μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ θεοῦ κληθήσονται: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.* Sed pro regno cœlorum prior duplex lectio secundum posuit membrum: hoc quod est alterius beatitudinis, ad istam accommodauit.

b c. 5. 10.
c 4. Strom. c. 3.

Quid sit pati propter iustitiã.

Pati propter iustitiam est, quia sis iustus, & propterea quod iustitiam sequaris, vel tuearis, hoc est, quamlibet virtutem. Huic patientiæ redditur corona iustitiæ [d] debita etiam ex iustitia ob patientis eum Dei gratia, & pacto, promissóque condignitatẽ. Meritò vltimum in beatitudinibus octo tenet locum illa, quam dixi, de persecutionis patientia propter iustitiam, & ipsi promittitur tanquam perfectissimæ regnum cœlorum. Homines iustos vario illo virtutum genere, quæ continentur in reliquis septem beatitudinibus, tentatio tribulationis [e] probat: & acceptũ Deo necesse est, vt tentatio probet [f]. Persecutio prætereà siue tribulatio conseruat in nobis, augétq; alias virtutes, & efficit vt magis emicent. Solet item Diabolus acrius adoriri maiore præditos gratia, & nobilioribus ornatos, munitóſque virtutibus. Denique *patientia opus perfectum habet* [g] (quamuis Græci legãt, ἐχέτω *habeat*. & Beda multíque alij Latini) & veræ ac spiritualis circumcisionis martyrio, vt loquitur Hieronymus [h], *octaua beatitudo terminatur. Si persecutio perueniat vsque ad mortem*, sicut octauam beatitudinem interpretantur idem Hieronymus [i], Nyssenus [k], Bernardus [l], Tertullianus [m], Clemens [n] Alexandrinus, alij, (quidam enim magis generaliter accipiunt, vt Græci differentes de illa, & Philo Carpathius [o]) erit martyrium, pro quacumque virtute mors oppetatur, non solùm pro fide, ac religione. Exemplo sit Ioannes Baptista occisus ob liberiorem incestus reprehensionem [p]. Thomas Cantuariensis pro Ecclesiæ iuribus, atque libertate, & similes alij, vt Stanislaus.

d 2. Tim. 4. 8.
e Eccl. 27. 6.
f Tob. 12. 13.
g Iacob. 1. 4.
h in c. 5. Mat.
i ibid.
k Tra. de beatitudin. 8.
l ser. de omnibus.
m in Scorpiac. c. 9.
n 4. Strom. c. 3. & 4.
o in Cant. *Pro quacumque virtute mors oppetatur erit martyrium.*
p Mat. 14. 4. 10.

De illis, qui à iudicibus pro causa ficta, vel secundum allegata & probata, vel ex præsumptionibus, & coniecturis damnantur ad mortem, atque hanc patienter ferunt, sunt qui prope habendos martyres existiment [q]. Certè non ita propriè censeri possunt. Lege B. Thomam [r]. Si qui Patres aliquando sanctum latronem cum Christo crucifixum, vocant Martyrem [s], non quia pro iustitia sit mortuus, intelligunt, *ipsemet namque se digna factis recepisse* confessus est, sed quia libere Christi professus est innocentiam, & illius agnouit, credidítque diuinitatem, à quo petiit, vt sui meminisset, cùm venisset in regnum suum [t]. Quodam modo Carthusianus [u] admittit eos, qui pro demeritis patiuntur, si libenter patiantur, censeri posse pati propter iustitiam. Id verum est, si ex affectu iustitiæ: nec tamen idcirco martyres sunt.

q Salm. Tom. 5. Tract. ...
r 2. 2. q. 124. a. 3.
s Luc. 23. 41.
t ibid. 42.
u hoc loco.

Hæretici propter iustitiam non patiuntur.

Nullo modo pati pro iustitia hæretici censendi sunt, qui summa peruicacia tormẽta mortẽmque tolerant: quod olim Donatistæ, præsertim Circumcelliones faciebant. Crebrò admodum vsurpat Augustinus [x] contra istos, *ubi non esse iustitiam, vbi non est sana fides*, & charitas: *martyrem facere non pœnam mortémque, sed causam* [y]: *Martyrũ laudem esse in causa bonitate, non in pœnæ acerbitate*: Vrget maximè ad hæc probanda dicta Christi sententia: [z] *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Alioquin fieret*, inquit [a], *vt occisi pro sua superstitione pagani, vel pro errore hæretici*, immò eiecti de delubris Dæmones dici martyres deberẽt. Quod si dementissimum est dicere, non ergo ex passione certa iustitia, sed ex iustitia passio gloriosa est. Ideóque Dominus, ne quisquam in hac re nebulas offunderet imperitis, & in suorum damnatione meritorum laudem quæreret martyrum, non generaliter ait: *Beati qui persecutionem patiuntur*, sed addidit magnam differentiam, qua vera à sacrilegio pietas secernatur. ait enim: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* &c. Similis doctrina Chrysostomi [b], qui martyrum comparat tormenta cum malefactorum.

x in Psal. 34. concio. 2. de vera relig. c. 6. ep. 50. 3. cõtr. lit. Petiliani c. 7. 3. con. Cresc. c. 59. & 23. con. Donatist. post collat. c. 17. 2. con. Gaud. c. 13. ser. super gestis cum Emerito.
y ep. 198. c. 2. ep. 191. c. 1. 1. con. ep. Parm. c. 9. 3. cõ. Cresc. c. 48. in Ps. 34. conc. 2. in Ps. 41. in Psal. 68.
z Matt. 5. 10.
a con. epist. Parme. c. 9.
b ora. 1. con. Iudæos.

Timorem eorum ne timueritis.] Timor propriè non timetur, sed qui timorem incutit, vel terror ipse ac minæ, &c. & timore formaliter [c] timemus. Interpres Syrus clariùs exposuit: *Neque reformidabitis eos, qui terrorem vobis incutiunt*: ולא תדחלון מן אילין דמדחלין *velo thed chalun men den damdachalin.* Eodem sensu dicitur in Psalmis *eripere quis a timore nocturno* [d]; vel *incumbere timor alicuius super aliquem* [e]. Timores nocturni [f] sunt terrores, & terriculamenta: aspectus per timorem occidẽs, est visum, seu spectrum terrificum. Adhuc magis apertè hac vtitur [g] phrasi Iob [h], & Esaias [i]: *Timor, quem timebam*, ait ille, *euenit mihi, & quod verebar, accidit.*

Timor non timetur.
c Psal. 13. 5. Psal. 52. 6.
d Psal. 90. 5.
e Psa. 104. 38.
f Psal. 90. 5. Cant. 3. 8.
g Sap. 11. 20. c. 18. 17.
h cap. 1. 25.
i c. 8. 12.

Ex alio transcriptus videtur præsens locus: *Timorem eius ne timeatis neque paueatis.* Tali dicendi formula, *visiones videre, somnia somniare* [k]. Seruire seruitutẽ, &c. vsurpant. Est in his Metonymia, & abstractis loco concretorum positis augetur significatio: uoluit Interpres aliquando eandem Hebræam dictionem sermone magis perspicuo, vt in Prouerbiis [l]: *Cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit*: Hebraicè: *Cum venerit timor vester* בבא פחדכם *bevo pachdechem.* præterea Iacob *per timorem Isaac patris sui* [m], Deum intelligebat, quem ille timeret, atque coleret, ac esset summopere timendus, colendúsque. Christus præmonnit [n] *ne*

k Ioel. 2. 28. Act. 2. 17.
l c. 1. 26.
Deus timor Isaac patris sui a Iacob dicitur.
m Gen. 31. 42. 53.
n Mat. 10. 28.

timeremus eos qui occidunt corpus, sed eum, qui animam quoque cum corpore perdere potest in gehēnam. Esaias [a] præterea vbi cauisset, ne timorem hominū timerent Hebræi, subiungit: *Dominum exercituum ipsum sanctificate: & ipse pauor vester, ipse terror vester.* Non prohibetur hominum timor, quem etiam pij homines habent, vt habuit Ioseph Mariæ sponsus de rege Archelao [b], & alij de aliis, sed ne plus timeantur quàm Deus, vel æqualiter etiam: *Potius timete eum,* ait Christus, *qui potest* [c], &c. Duplex autem sensus potest esse; ne timueritis eo timore quo timent improbi, qui vos persequuntur, & est mundanus: ne timueritis ipsos persecutores.

a c.8.12.13. Dominum exercituum timere non prohibetur.
b Mat.2.22.
c Mat.10.28.

Et non conturbemini.] Apud Esaiam [d] vnde sumptum dixi hūc locum, posuit Interpres: (neque paueatis, Οὐδὲ οὐ μὴ ταραχθῆτε: hoc loco, μηδὲ ταραχθῆτε. Sed paraphrasis Chaldæa ibi: *Et fortitudinem eius ne dicatis esse fortitudinem. Iustum, quidquid acciderit, non contristat* [e] *metu tangi potest, sed non perturbari. Non turbetur cor vestrum,* inquit Christus [f]: *neque formidet.*

d c.8.12.
e Prou.12.21.
f Ioan.14.1. & 27.

Vers. 15.] Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe.

Omnem facilè pellit hominum timorē, qui ritè Deum colens, ac timens, & eius studēs propagare quoad ipsi licet nomen, paratus, benéque instructus est, vt liberè, ac fidenter doceat, nō gratis, & frustra talem coli, & prædicari Deum: non esse inanes spes, quas proponit religio Christiana, non ficta, quæ proponit bona.

Deum timens & colens humanos omnes pellit timores.

Dominum Christum.] Κύριον Θεὸν; *Dominum Deum*, Syriacè; למריא משיחא *lemaria mescicha, Dominum Christum.* Clemens Alexandrinus legit quoque Κύριον Χριστὸν. Sequuntur eandem lectionem omnes enarratores antiquiores, & Fulgentius [g], & Robertus Stephanus notat in margine Testamenti sui Græci. Hoc pacto Petrus Esaiam [h] dum nominauit Dominum exercituum exposuit de Christo, qui Christus in nouo Testamento, vt aliàs annotaui [i], sæpius per nomen Domini designatur, vel etiam Domini exercituum. Pater autem per nomen Dei absolutè positi.

g 2. ad Trasim. c.14.
h c.8.13.
i Act.2.6.

Sanctificate in cordibus vestris.] Addidit ad Esaiā Petrus *in cordibus vestris*, vt efficacior sit externa sanctificatio. Christum sanctificat, vt docet Beda, qui sanctitatem eius, quàm incomprehensibilis gloriæ sit, intimo cordis affectu intuetur. Fulgentius [k], qui de Christo, quæ sancta sunt, cogitat: quæ cogitatio cogitantem sanctificat, & sanctificando conseruat. Confirmat auctoritate Cypriani, petitionem illam orationis dominicæ [l], *sanctificetur nomen tuum*, ita declarantis, vt nobis donum sanctificationis diuinæ conferatur, atque vt qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus.

Christum quis sanctificat.
k supra.
l Mat.6.9.

Idem docent Ambrosius [m], ac Tertullianus [n], Didymus, cúmque sequi solitus Oecumenius obseruant, de industria dixisse Petrum *in cordibus vestris*, ne ore tantùm id faciamus, & vt intelligamus nil Deo, sed nobis inde accedere. Eandem tradunt de dicta petitione explicationem (sicut & quando dicitur Deus vel Dominus magnificari [o], exaltari, &c.) tum iidem Auctores, tum in Matthæum, Chrysostomus, Hieronymus, Rupertus, & qui separatim disserunt de oratione dominica, Nyssenus [p], Cyrillus [q] Ierosolymitanus, vt scilicet ex bonis moribus, ac operibus nostris gloria Dei cognoscatur ab aliis, & celebretur.

m l.5. de sacram. c.4.
n lib. de orat.
o Psal.33.4. Psal.34.27. Luc.1.46.
p orat.3 de orat. Dom.
q Catech.5. mystagogica.

Sed alij, vt Augustinus [r], Cassianus [s], Bernardus [t], magis vniuersè interpretantur peti, vt innotescat omnibus nomen Dei, & ab omnibus sanctificetur, vel idola relinquendo, vel hæreses, vel peccata cetera, & omnes credant Deo vero, in eum sperent, eum toto corde diligant, obediāt mandatis ipsius.

r 2. de serm. Dom. in mon. c.10.
s Collat.9. c.18.
t serm.6. in Quadrag.

Variæ sunt sanctificandi notiones, aliæ pro eo quod est purificare [u], Deo consecrare [x], præparare [y], confirmare [z]. Sed proposito congruit quam diximus, innotescere, seu cognosci, ostēdi, haberi, dici, ac prædicari sanctum [a]. Lyranus tamen hoc loco vult agi de bene firmanda in cordibus nostris fide, vnde postea fiat, quod sequitur, vt satisfacere valeamus obiiciētibus cōtra ipsam. Recipit eundem sensum Thomas Anglicus, & Carthusianus.

Sanctificandi variæ sunt acceptiones.
u Exod.19.10. & alibi.
x Deut.15.19. Exod.13.2. Leu.25.10.
y Ierem.22.7. Iosue 7.13. Esa.13.3.
z Ioan.17.19. Apoc.vlt.11.
a Leu.10.3. Deut.32.51. Esa.5.16. Ezech.28.25.

Porrò quod imperandi modo dicitur *sanctificate*, indicat arbitrij nostri libertatem, quemadmodū & forma petitionis, *sanctificetur nomen tuum* [b], atque aliarum impersonaliter expressārum, cooperationem nostram cum gratia diuina, propter quam ipsimet etiam dicimur interdum sanctificare nos ipsos, vt exposuimus in Commentario primæ Ioannis epistolæ [c].

Libertas nostri arbitrij vnde probatur.
b Matt.6.9. & seq.
c cap.3.3.

Parati ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe.] Memoriæ lapsu Chrysostomus [d] tribuit hanc sententiam Christo: nam citat alibi [e] Petrum. Satisfactio Græcè est ἀπολογία, Latinitate quoque donata vox, qua non profani solùm, sed Ecclesiastici quoque vtuntur Auctores, aut voce Apologetici, nimirum sermonis. Consistit propriè in verbis, siue prolatis, siue scriptis, quibus respondetur. Fulgentius [f] vertit *ad respondendum.* Talem apologiam condere nonnisi bene docti possunt, ac etiam debent, cum nefas sit cuiuis de rebus fidei cum aduersariis disputare, vt alibi [g] docui, & habetur in iure Canonico [h]: ac eleganter ostendit Iacobus Simancas multos citans [i]: ex quibus legendus Nazianzeni tractatus de moderatione in disputationibus, ac sermone de Arianis. Vno verbo Augustinus rectè monet [k] *scientiæ illud tribui tantummodo, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non polleant fideles plurimi, licet ipsa fide plurimùm polleant*: aliud enim esse scire tantummodo quid homo debeat credere propter adipiscendam vitam æternam; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio vocabulo appellare scientiam videtur Apostolus. Ioannes [l] mandat omnibus, vt probent Spiritus, si ex Deo sint; & tamen Paulus [m] discretionem spirituum, scribit peculiare quoddam donum esse. Pro modulo suo quisque spiritus probare, & rationem reddere debent: sed aliqui magis ex officio & perfectius vtrumque faciunt. Lege Commentarium nostrum in Ioannem.

Apologia quid sit.
d hom.34. in Matth.
e hom.16. in Ioan.
f 1. ad Trasim. c.2.
g disp. de fide.
h c. cum ex iniuncto. extra. de hæret.
i de Cathol. inst. Tit. 20.
k 14. de Trin. c.1.
l 1. ep.4. v.1.
m 1. Cor.12.10.

Magis faciles, ac generales rationes quiuis fidelis reddere potest; prætèr vitæ probitatem & patientiam, de qua Glossa ordinaria: & aliquando tenetur quis fidem ore palam confiteri [n], quid-

n Rom.10.10.

quid Elcesaitæ oppositum senserint [a]. Initio potissimum Ecclesiæ infideles argumentis fidē impugnabant, & quam fideles proponebant beatitudinem, planè commētitiam esse contendebant: fidem de rebus inuisibilibus, humanæ rationi repugnantibus. Quocirca, vt notat Oecumenius, oportebat habere in promptu breues, ac faciles magis firmas rationes, V.G. prędictiones Prophetarum, & Sibyllarum. Eandem fidem primorum patrum in vtrâque lege naturæ, & scripta: tot edita mi sæcula à Christo: Sanctitatem eiusdem, atque discipulorum: florere, ac vigere Christianos, quo illos magis alij persequuntur: Iudæos Christianorum iuratos hostes, & interfectores Christi miserrimam, sempiternámque seruire seruitutem: denique tam credibilia esse fidei testimonia, vt absque temeritate negari nequeant: si quis verò, quod esse non potest, subesset error, dicere Deo fidenter nos posse, vt Ricardus sancti Victoris dixit [b], *non ab ipso deceptos*.

a Eus. 6. hist. c. 38.

Capita summa argumentorum, quibus Christi fides propugnatur.

b 1. de Trin. c. 2.

Potest pro modulo suo quilibet, etiam rudis religionem rotari, & aliquam rationem afferre. Probat id Chrysostomus [c], simúlque acriter hac in re negligentiam reprehendit exemplo artificum, qui pro artis suæ professione pugnant: exēplo Gentilium sua defendentium, nostra refellentium: exemplo ipsorummet Christianorum, qui vilium personarum, vt saltatorum, excusant turpissima facta: tandem hoc Petri loco cum nec quid Trinitas sit, respondere simpliciter quidam possint, nec quid resurrectio, nec quare tali tempore incarnatus sit Filius Dei. Præterea reiicit eos, *qui causantur beatam esse simplicem animam* [d], quasi denotetur illis verbis stultus, nilque noscens, & non potius non malus, non versutus. Ad id valet Cypriani reprehensio libro de spectaculis, eorum, qui pro illis abutebantur sacra Scriptura, longè melius fuisse nullas literas nosse, quam sic literas legere, quia verba, & exempla, quæ ad exhortationem euangelicæ virtutis posita sunt, ad vitiorum patrocinia transferunt.

c hom. 16. in Ioan. & Concio. 3. de Lazaro.

d Prou. 10. 19.

Laudabile admodum Theologorum studium, & meritorium in excogitādis pro fide, quam tenent, mordicus rationibus, colligit hoc ex loco Beatus Thomas [e], vt in eâdem fide, erga quā summopere afficiuntur, & quam nihilominus, si aliæ rationes deessent, sequerentur, ob sufficienter sibi propositam ab Ecclesia diuinam reuelationē, magis confirmentur ipsi: ac sibi magis in eâdem complaceant.

Theologorum studium pro Catholica fide pugnantium laudatur.

e 2. 2. q. 2. art. vlt. sed cont.

In quo sensu putant aliqui Ioannem Baptistam ex vinculis discipulos misisse [f] ad Christum in suimet ipsius gratiam, non propter discipulorum vtilitatem dumtaxat. Oderunt cum Vvicleso huius temporis hæretici scholasticam, & positiuam Theologiam, negántque necessariam Ecclesiæ, sed potiùs perniciosam. Hic error damnatur in Concilio Constantiensi [g]. De Theologiæ vtilitate disserunt Scholiastici primæ partis Beati Thomæ initio: Legendus autem Augustinus [h]. Clemens etiam Romanus, (si tamen non alius potius) in primo recognitionum Petrum inducit docentem, quantò quis propensior est in expetenda ratione, tantò firmiorem esse in conseruanda fide, & ratione quasi vinculo colligari, vt duelli, aut separari facilè non possit.

f Mat. 11. 2. 3.

g sess. 8.

h 14 de Trin. c. 1.

Extendit idem Chrysostomus [i] ad martyrij tempus istam sententiam, vt quamuis Christus alicubi dixerit [k], *ne solliciti simus quid tunc loquamur*, tamen quid Spiritus sancti valeat gratia significare voluerit adeo difficili tempore: nō prohibere, vt quod in nobis est, nos muniamus, maximè quando nobis certamen quoddam est ad amicos, hoc est, extra tam grauia pericula, in quibus nempe disertissimus quisque, ac sapientissimus infans sit, & elinguis.

i hom. 34. in Matth.

k Mat. 10. 19.

Videtur hoc in huius loci Cōmentarium Oecumenius transcripsisse. Sed nō credo de tempore Petrum loqui extra martyriom, vt ille vult. nam proximè dixerat, nil nocere quemquā posse, nempe persecutorum, & si quis quid pateretur propter iustitiam, beatum fore: denique requirit Petrus hoc loco, vt simus semper parati: Hugo putat respexisse Petrū ad fideles dispersos, quos alij de dispersionis caussa fortassis interrogabāt, vel in genere ad omnes, qui priusquam admitterentur ad Baptismū sic instituebantur, vt respondere possent de fide.

Omni poscenti vos rationem.] Fulgentius [l] cùm priora verba, & alia scripturæ protulisset loca, quibus necessitatem probaret, quę incumbit potissimùm Episcopis respondendi de rebus fidei: argumentatur ex istis verbis, cessare prorsus vniuersæ, tam dignitatis exceptionem, quàm personæ. Verumtamen habendus delectus: nec *temerè sanctum dare canibus, nec mittere margaritas ante porcos oportet* [m]: non sunt dignandi responso hi, qui maleuolo animo inquirunt res nostras, vel etiam de rebus sciscitantur simul difficilibus, simul parum necessariis, vel vtilibus, quásque scire iis aut non conueniens, aut etiam periculosum. Quòd si Christum legimus respondisse interdum aduersariis, quibus nihil profuturas præsciebat respōsiones, id fecit, vt illis conuictis, alij veritati acquiescerent, vel in ea confirmarentur. At nōnunquam etiam elusit interrogationes aliis interrogationibus, vt cum quærerent de ipsius potestate [n]: Herodi autem curiosa percontanti penitus non respondit [o].

l 1. ad Trasim. c. 1.

m Mat. 7. 6. Quibus respondendum non sit de fide interrogantibus.

n Mat. 21. 23. & seq.

o Luc. 23. 9.

Afferam quæ hac de re Augustinus [p] præcipit ipsiusmet verbis; nec enim possum paucioribus, & melioribus. *Canendum est ergo*, inquit, *nequid aperiatur ei, qui non capit: melius enim quærit, quod clausum est, quàm id quod apertum est, aut infestat, aut negligit*, &c. *Agendum ergo primum est, vt impedimenta detrahantur, quibus efficitur, vt non capias: quia vtique si propter sordes non capis, mundandus est vel verbo, vel opere, quantùm fieri à nobis potest. Quod autem Dominus noster quadam dixisse inuenitur, quæ multi qui aderant, vel resistendo, vel contemnendo non acceperunt, non putandus est sanctum dedisse canibus, aut margaritas misisse ante porcos: non enim dedit eis qui capere non poterant, sed eis, qui capere poterant, & simul aderant, quos propter aliorum immunditiam, negligi non oportebat. Et cùm eum tentatores interrogabant, respondebátque illis ita, vt quod contradicerent, non haberent, quamuis venenis suis contabescerent potiùs, quàm illius cibo saturarentur, alij tamen qui poterant capere, ex illorum occasione multa vtiliter audiebant*. &c. *Qui enim nouit*, quid respondeat, debet respondere vel propter alios, quibus desperatio suboritur, si propositam quæstionem solui non posse crediderint: & hoc de *rebus vtilibus, & ad instructionem salutis pertinentibus. Multa sunt enim, quæ inquiri ab otiosis possunt superuacua, & inania, & plerumque noxia: de quibus tamen nonnihil dicendum est: sed hoc ipsum aperiendum, & explicandum, cur inquiri talia non oporteat. De rebus verò vtili-*

p 2. de ser. in mon. c. 42.

bus aliquando ad id reſpondendum eſt, quod interrogamur ſicut Dominus fecit [a], &c. Huc ſpectat antiquus Liturgiarum ritus eiiciendi Catechumenos, ac publicos quoque pœnitentes proclamante ac denunciante Diacono ſub horam cōſecrationis; *Nullus infidelis, nullus profanus, nullus Catechumenus, nullus Iudas,* &c. *non quia,* inquit Chryſoſtomus [b], *infirmitatem myſteriorum aliquam noſtri deprehenderent: ſed quia ad participationem eorum illi adhuc, quos arcebant, infirmi erant.* Valet ad id prætetea exemplum Chriſti, qui crebris vtebatur parabolis [c]; nec diſcipulis ipſis omnia ſimul promebat, ſed quæ portare non poterant, in Spiritus ſancti aduentum reſeruabat [d]; reprehēdit etiam inutilem quæſtionem, quare reſtitueret regnum Iſrael [e], illam etiam, *Domine, ſi pauci ſunt, qui ſaluantur* [f]? Paulus item *lac prius proponebat, quàm ſolidum cibum* [g], nec *ſapientiam loquebatur, niſi inter perfectos* [h]. Sic volebat vt Coloſſenſes [i] in ſapientia ambularent ad eos, *qui foris ſunt, vt tempus redimerent,* id eſt, opportunitatem (ſic intelligendum quod hic antea dicitur ſemper) & ſermo ſemper eſſet in gratia Sale conditus, vt ſcirent quomodo oporteret illos vnicuique reſpondere. Nempe, vt docet Theodoretus [k] poſt Chryſoſtomum [l], aliter infideli, & fideli: aliter perfecto, & imperfecto: aliter infirmo, & ſano doctrina tradenda eſt: aliter principi, & ſubdito: diuiti, & pauperi: Catechumeno, & iam initiato, &c. Alioqui quibus facultas eſt, ac de rebus diuinis ab iis interrogātur, qui Dei amore præditi ſunt, proditionis periculum incurrunt, teſte Baſilio apud Damaſcenū [m] (qui ad idem propoſitum cum præſente ſentētia recitat alias de ſcripturis) ſi non promptè atque impigrè reſponſum dant. Antonius de ſciſcitatū ſe venientibus quærebat ex Ægypto venirent, an ex Ieroſolymis, id eſt, res vtiles, an inanes [n]. Quomodo conueniat id cuiuis Chriſtiano pro cũiuſque ſtatu, legendi Hieronymus [o], Pelagius [p] Papa, Fulgentius [q].

Rationem.] Res fidei, vel obiecta ſpei diuinæ nulla ratione euidenti demonſtrantur per ſe loquendo, iuuant nihilominus excogitatæ à nobis rationes aliquæ ad oſtendēdam eorum veriſimilitudinem; atque ad occurrendum argumentis, quæ poſſunt ab aduerſariis obiici, ne conuincant.

De ea quæ in vobis eſt ſpe.] Beda, & reliqui Latini expoſitores, atque (vt omittam Bleſenſem [r], Gratianum [s], S. Thomam [t], & alios huius æquales aut recentiores,) Fulgentius [u] prætetea legũt (*de ea quæ in vobis eſt fide, & ſpe*) alij *ſpe, & fide,* vel *de fide quæ in vob is eſt, & ſpe.* Syrus Interpres, *de ſpe fidei,* על סברא והימנותא *bhal ſaara dehaimanutha.* Tamen omnes libri Græci Bibliorum, & Patrum habent ſolùm περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος. Sic recitat quoque Gregorius [x], qui tropologicè vectes in arca Doctores interpretatur ſemper exiſtentes in circulis, vnde nunquam extrahantur. *Quia nimirum neceſſe eſt, vt qui ad officium prædicationis excubāt, à ſacræ lectionis ſtudio non recedant,* &c. *Et cùm ſpiritale aliquid à ſubditis paſtor inquiritur, ignominioſum valde eſt, ſi tunc quærat diſcere. cùm quæſtionem debet enodare.* Tum hanc primi paſtorum ſubdens admonitionem, ait *perinde eſſe ac ſi diceret, vt ad portādam arcam nulla mora præpediat, vectes nunquam à vinculis recedant.*

Sed vt locum hunc noſtrum tractemus, rectè ſub ſpe fides comprehendi poteſt, cum ſit *fides ſubſtantia rerum ſperandarum* [y], & ſignificatur iſtis verbis, de quibus rebus reſponderi vtiliter poſſit, debeátque, prout paulo ante docuimus. Immo Cyrillus [z] Alexand. vtens hoc loco, fidei dumtaxat meminit, non ſpei: licet alibi citans eundem locum, de ſpe ſola mentionem faciat [a]. Paulus prohibet quæſtiones, *quæ non præſtant ædificationem Dei, quæ eſt in fide* [b], *vt de fabulis, & genealogiis* [c], quæſtiones quæ continent pugnas verborum, λογομαχίας, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum [d]: quæſtiones ſtultas, & ſine diſciplina, quæ generāt lites [e]: contentiones, & pugnas legis [f]. Idem præceptū de vitandis quæſtionibus curioſis circa ſcripturas Baſilius [g] dat, quas videlicet ignorare nil refert ad ſalutem. Ait etiam *loqui veritatem cum proximo,* ſicut eſt in Pſalmo [h], videri eſſe, myſticam veritatem non prodere vulgo, ſed qui ſacramentis communicent. Eàdem de re ſcribit Iſidorus [i] Peluſiota nonnullis epiſtolis, & alij.

Verſ. 16.] Sed cum modeſtia, & timore, conſciētiam habentes bonam: vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur veſtram bonam in Chriſto conuerſationem.

Verſ. 17.] Melius eſt enim benefacientes (ſi voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes.

SIc ſatisfaciendum quærentibus de ſpe noſtra & rebus, quæ ſub eam cadunt, vt verbis modeſte prolatis reſpondeat totius hominis modeſtia, & honeſta, benéque compoſita ex animi apta proueniens compoſitione viuēdi ratio: vnde pudefiant: & conuincantur reprehenſores, ac perſecutores noſtri, & quando ferendum aliquid eſt, ſic volente Deo, ſit nobis ſolatium conſcientiæ bonæ teſtimonium [k].

Sed cum modeſtia, & timore.] Aduerſatiua particula indicat nexum cum prioribus: non autem nouum præceptum, vt vult Peuardentius. Ideirco dixi requiri à reddentibus apologias, modeſtiam, & alia, quæ hìc afferuntur. Pro modeſtia, quæ Græcè eſt πραΰτης, Syrus ponit מככיבותא *macchichutha, humilitatem.* Timorem φόβον ſumunt alij pro reuerentia. Vox prima Græca ſignificat propriè, lenitatem, mititatem, mãſuetudinem, comitatem. Timidè, ac reuerenter loquendū de Deo, nec deſpiciendus antagoniſta. *Differentium inter ſe,* inquit Cicero [l], *reprehenſiones non ſunt vituperāda, maledicta, contumeliæ, iracundæ contentiones, concertationéſque in diſputando pertinaces, indigna mihi philoſophia videri ſolent.*

Modus atque moderatio in diſputante magnā laudem habet, valétque plurimum ad deuinciendum, & conuincendum etiam aduerſarium. Edidit Nazianzenus integram orationem de moderatione in diſputationibus ſeruāda, & quòd non ſit cuiuſuis hominis, nec cuiuſuis tēporis de Deo diſputare. Hac in re virtutem humilitatis, quam in vlla alia magis elucere contendit, ac ſatius eſſe nimis hac in parte ignauum timidúmque videri, quàm nimis curioſum, audacem, temerariū: idem præſtare cùm doctus ſis, ob manſuetudinem, & animi æquitatem cōſultò cedere, quàm, cùm eruditione careas, per inſolentiam, ac temeritatem altius efferri: adhæc omnem de minimis quoque contentioſum ſermonem, viam ſtruere ad con-

tenden

a Matt. 22. 18. ſeq. 23. & ſeq. *Antiquus liturgiarum ritus eiiciendi Catechumenos.*
b hom. 24. in Matth.
c Matth. 13. & alibi in euangeliis.
d Ioan. 16. 12.
e Act. 1. 6. 7.
f Luc. 13. 23. Matt. 7. 13.
g 1. Cor. 3. 2. Heb. 5. 12.
h 1. Cor. 2. 6.
i Col. 4. 5. 6.
k ibid.
l hom. 31. *Aliter fideli & infideli doctrina tradenda eſt.*
m 3. Par. c. 58.
n Ath. in vita.
o ep. 61.
p ep. ad regē Franciæ apud Baronium to. 7. annal.
q ad Donatū c. 2. *Rationes rerum fidei ad quid proſint.*
r ſerm. 43.
s diſt. 36. cap. Qui Eccl. §. hinc & Petrus.
t 2. 2. q. 2. art. vlt. ſed contra & 3. diſt. 24. a. vlt. q. 1. arg. 3.
u l. 1. ad Traſ. c. 1. & lib. ad Donat. c. 2.
x 2. p. paſtor. c. vlt. *Qui ad officiū prædicationis excubant, à ſacræ lectionis ſtudio non recedant.*
Sub ſpe rectè fides comprehenditur.
y Heb. 11. 1.
z ep. ad Anaſt. & alios in To. 2. Conc. Eph. append. primæ c. 6.
a Tom. 5. Cōc. Epheſ.
b 1. Tim. 1. 4.
c ibid.
d 1. Tim. 6. 4. 5.
e 2. Tim. 2. 23.
f Tit. 3. 9. *Quæſtiones vitandæ circa Scripturas.*
g hom. 9. hex. & hom. in Pſ. 14. de Spiritu ſan. c. 2.
h Pſal. 14. 3.
i lib. 2. epiſt. ep. 100. & 273. lib. 5. ep. 37.
k 2. Cor. 1. 12.
Timidè ac reuerenter loquendum de Deo.
l 2. de Finib.

tendendum de rebus grauioribus: præterea sicut Hebræi suis iunioribus quorundam lectionem librorum non permittebant, ita non quibuslibet, ac quolibet tempore de diuinis disputationem permitti debere, sed verè compositis, & temperantibus.

Non quibuslibet libri omnes concedendi sunt.

De præcepto illo Hebræorum vt non cuivis ætati quiuis libri concederentur, meminit idem Nazianzenus [a] alio loco, necnon Origenes [b], & Hieronymus [c]. Erat autem principium Genesis, hoc est, tria prima capita, principium, finisque Ezechielis, Canticum Canticorum ætas necessaria triginta annorum. Obseruabit facilè qui leget historias, aut patrum tractatus contra hæreticos, aliósve Ecclesiæ hostes, quantam illi moderationem tum scribendo, tum in dicendo adhiberent rationis tecti præsidio, contentique, à maledicentia sese continendo, timidè etiam quodam modo rem aggrediendo. Testatur id de se nobilis eruditione virtutéque apud Eusebium [d] Apollinaris Hieropolitanus Episcopus, & Boëtius [e].

a 10 Apol. & ora. con. Eun.
b prolog. in Cant.
c prologo galeato, & prol. in Ezech.
d 5. hist. c. 15.
e lib. de duab. natu. & vna persona Christi in fine.

Conscientiam habentes bonam.] Ἀγαθήν, alij ἀγνὴν putant. Confert ad fidem permultùm conscientia bona, puráque tum acquirendam, tum conseruandam, tum augendam, tum defendendam; vt è contrario praui mores plurimum officiunt, minùs enim piè afficiunt erga res credẽdas. In omni demùm cõtrouersia tractanda magnum præsidium est, si partem, quam tuendam suscepisti, æquam putes, & diligas. Necesse est quibus desit *caritas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, conuerti in vaniloquium, non intelligendo neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* [f]. Exigens à suo Timotheo Paulus bonam militiam, eius constituit quasi summam in fide, & bona conscientia. Eos namque qui repulissent istam, circa illam naufragauisse [g]. Hanc velut conscientiæ ipsemet bonæ opponebat apologiam [h], & gloriabatur in testimonio ipsius, eum simplicitate cordis, & sinceritate Dei [i]. Prauus doctor, bene dicens, male viuit, dicit, & non facit [k]. Qui non priùs tulit, non bene imperium gerit, nec laude dignus dominus est, qui non seruiuit: ad eundem modum minus ad veritatẽ, quæ refertur ad vsum, & praxim virtutis, idoneus, qui virtuti non vacat.

Conscientia bona ad fidem conseruandam plurimum confert.
f 1. Tim. 1. 5. 6.
g ibid. 18. 19.
h Act. 23. 1.
i 2. Cor. 1. 12. Hebr. 13. 19.
Prauus doctor bene docet & malè viuit.
k Matt. 5. 19. & 23. 3. Rom. 2. 1. 21. 22. 23. Iacob. 2. 12. Psal. 49. 16 & seq.

Multa in hunc locum transferes si voles, ex Antonio Melissa [l], & Maximo abbate [m], qui profanorum, & sacrorum citant Auctorum sententias. Adiice Aristotelem [n], Platonem [o], Plutarchum [p], præter ea, quæ capite primo [q] Actuum dixi, exponens quod Christus *cœpit facere, & docere*. Denique Paulinæ scribit Augustinus [r], *videri sibi plus valere in inquisitione veri, viuendi, quàm loquendi modum*, & qui didicerint à Domino Iesu Christo mites esse, & humiles corde [s]: plus cogitando, & orando proficere, quàm legendo & audiendo, adde quam disserendo, ac respondendo.

l lib. 2. Meliss. serm. 1. & lib. 1. serm. 61.
m serm. 4.
n 3. Polit. c. 5. lib. 7. c. 14.
o 6. de legib. pan Politicis.
p
q vers. 1.
r ep. 112.
s Matt. 11. 29.

Hæc est epistola scripta spiritu Dei viui, quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus [t]. Ideo petebat Christus vt discipuli essent vnum inter se, sicut ipse cum illo, vt crederet mundus, quia illum Pater miserat [u]: sic fit vt qui vident, dicant: *Isti sunt semẽ cui benedixit Dominus* [x]. Iulianus Apostata expertus quanti hoc referret, scripsit idolorum sacerdoti, curaret Gentiles virtutem colere, sic enim religionem creuisse Christianam.

t 2. Cor. 3. 3.
u Ioan. 17. 8.
x Esa. 61. 9.

Si propriè loquare, conscientia non est bona, quia pertinet ad intellectum qui veritate perficitur. Bonitatis denominatio ex habitudine nascitur ad consensum voluntatis, cum nullius mali sibi conscius est intellectus, sed boni. Sic quoque ab opposito mala nominatur [y]. Vnde tribuitur conscientiæ ratio testimonij [z]: laus, vel reprehensio: & quia solus arcanorũ animi sensorum scrutator Deus, Dei veluti loco conscientiam esse dixit ille [a]:

Conscientia propriè bona non est.
y Heb. 10. 22.
z 2. Cor. 1. 12. Rom. 2. 15. cap. 9. 1.
a Menander.

Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις Θεός.

Mortalibus omnibus conscientia Deus.

Vt in eo, quod detrahunt vobis.] Ἐν ᾧ καταλαλοῦσιν ὑμῶν ὡς κακοποιῶν: *In quo obloquuntur de vobis vt de malefactoribus.* Totus hic autem locus tractatus satis antea capite priore [b].

b vers. 12. 15.

Confundantur.] Plus est hoc, quàm tantùm obmutescere [c]. Lege historias, & gesta martyrũ, ibi cognosces, quanto Tyranni pudore fuerint affecti, dum in teneram etiam sæuirent vtriusque sexus ætatem, dum in abiectæ conditionis personas; & hac de causa Diocletianus seipsum dicitur imperio abdicasse. Sæpenumero insultat Dauid hostibus suis, quòd confusi sint à Deo, gratiásque hoc nomine agit [d], vel hoc eis imprecatur [e], vel tamquam iustorum notam affert non pati confusionem [f]: vel hoc petit, hancque ipse de seipso concipit fore vt non confundatur [g]: vel orat vt non confundantur alij super eum [h]: vel inducit Deum promittentem confusionem inimicorum [i]. Nil magis vrit, cruciátque animum ingenuum, & honoris cupidum quàm confusio, eritque grauissimum tormentum coram Christo, & vniuersitate rationalium creaturarum in iudicio confundi, ita vt si fieri posset, cuperent improbi molibus montium obrui, & collibus operiri [k], & abscondi à facie sedentis super thronum, & ab ira agni. *Qui me confusus fuerit*, inquit ille [l], *& verba mea in generatione ista adultera, & peccatrice* (attende comparationem) *& filius hominis confundet eum, cum venerit in gloria patris sui cum Angelis sanctis.* Voluit Christus ipse *in facie operiri confusione* [m]: & *confusione contempta crucem sustinere* [n], *ac saturari opprobriis* [o]. Et prius effectus amissę iustitiæ originalis videtur fuisse, quòd primi parentes erubuerint nuditatem suam [p]. Soror Mosis propter superbiam contra fratrem, turpi ac ignominiosa lepra percussa est, ac vt rubore suffunderetur, iussa separari septem diebus extra castra [q]. Interpretes LXX. quod legimus apud Ezechielem [r]: *Ergo & tu porta confusionem tuam*, vertunt: *sustine tormentum tuum*: Τὴν βάσανόν σου. Non est solũ pudor, vt Gellio [s] teste, finiunt Philosophi, φόβος δικαίου ψόγου, *iusta reprehensionis timor*, sed vt Philosophorum docuit princeps [t], dolor etiam atque perturbatio ex malis aut præsentibus aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferant, qualia quę à vitio potissimùm proficiscuntur.

c ibid. 15.
d Psal. 41. 8. Psal. 52. 6.
e Psal. 4. 3. Ps. 34. 4. 26. Psal. 39. 15. 16. Psal. 69. 3. Psal. 70. 13. 24. Ps. 82. 18. Ps. 85. 17. Ps. 108. 18. 29. Psal. 118. 78. Ps. 128. 5.
f Ps. 21. 6. Ps. 24. 3. Ps. 33. 6. Ps. 36. 19.
Confusio animum ingenuum & honoris cupidum maximè cruciat.
g Psal. 30. 2. 15. Psal. 70. 1. Psal. 118. 6. 31. 80. 116.
h Psal. 68. 7.
i Ps. 131. 18.
k Osee 10. 8. Luc. 23. 30. Apoc. 6. 16.
l Mat. 8. 38.
m Ps. 68. 8. 20.
n Heb. 12. 2.
o Thren. 3. 30.
p Gen. 3. 7. & seq.
q Num. 12. 14.
r c. 16. 52.
s lib. 19. 6.
t 2. Rhet. c. 9. lib. 2. c. 6. 4. Ethic. c. 9.

Melius est enim benefacientes pati, quàm malefacientes.] Bonum quidem supplicia ferre peccatis debita, etsi patiẽter quis toleret, satisfacit, ac meretur: at melius non commeruisse; & *propter Deum mortificari* [u]: *Laborare, & maledici, quia speramus in Deum viuum* [x]: tradi in mortem propter Iesum: *vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali* [y], qui scilicet prorsus immeritus adeo multa est passus.

Propter peccata supplicia pati bonum: melius eadem propter Deũ sustinere.
u Ps. 43. 22. Rom. 8. 36.
x 1. Tim. 4. 10.
y 2. Cor. 4. 11.

Hæc est, vt vulgo dicunt, de necessitate virtus, & in necessitate patiendi, magnum solatium nullius pati mali conscium: maius adhuc, si patiendi causa sit, quòd benefeceris. Melius fuit Tobiæ [z] excæcari sine culpa, vt eius probaretur patientia, quàm Elimæ pro culpa [a], qui de-

z Tob. 2. 10. & seq.
a Act. 13. 11.

tetior etiam euasit, quàm Saulo [a], qui post culpam resipuit. Notauit id Beda, dicens hic argui illorum stultitiam, qui cum pro culpis arguuntur à fratribus, vel etiam pœnis coërcentur, patienter omninò tolerant: at cum absque culpa vel verborum contumelias, vel damna rerum, vel aduersa quæque patiuntur à proximis, mox ad iracundiam prorumpunt: & qui hactenus videbantur innoxij, per impatientiam se, & murmurationem noxios reddunt.

Subdit postea vbi de tribus illis cæcitate percussis dixit: & mihi si detur optio, malim cum tanto patre Tobia, nempe, siue diuinis, siue humanis subiacere iustus verberibus, quàm ab iniustitia verberum vi ad iustitiæ studia trahi. Rursúmque malim à culpis flagello retrahi (vt Saulus) quàm pro insanabili pondere peccatorum æternę vltioni subiici, vt Elymas. Hæc quæ partim Glossa ordinaria transcripsit, retuli diligentius, quia perutile continent extremo damnatis supplicio documentum, necnon quibuslibet aliqua calamitate affectis, qui sine dubio, si sit omnino patiendum, electionis iudicium, quod Beda fecit, probare, atque imitari debebunt. Addit Glossa exemplum Christi, de quo mox, & boni, ac mali latronis.

Si voluntas Dei velit.] Duplex esse sensus potest, aut si Deo placet, permittere persecutiones, atque calamitates, & non parcere nec iusto etiam ad perficiendam, vel confirmandam, vel probandam virtutem, vt loquitur Augustinus [b] legens *si spiritus Dei velit*: aut vt idem [c] docet, si concesserit hoc Deus donum, vt patiatur quis pro ipso, siue pro Christo [d].

Primus communior sensus, & simplicior. Placet tamen quoque secundus Thomæ Anglico, ex secundo colligit Augustinus, malè Faustum Manichæum veteres libros reprehendere, quasi Deū semper minantem, nec illi parcentem faciant, cùm in nouis reperiantur similia: & vtrique de variis, sed iustis de causis hoc Deo tribuant. Hugo innuit tertium sensum: pati sine culpa esse ex beneplacito Dei: scilicet quia placet Deo innocentis patientia, quamuis displiceat, qui nocet innocenti.

Porrò habent emphasim verba illa: *Si voluntas Dei velit*) quemcunque teneamus sensum. Nam cùm videatur alienum à communi hominum iudicio, vt patiantur iusti, & voluntas omnis, maximè verò Dei rendat in bonum: cùm prætetea constet Deo curæ esse in primis iustos, necesse est, singulari quadam Dei voluntate, atque prouidentia elicientis ex malo bonum: & eximio quodam gratiæ dono, quo egent innoxij ad immerita mala perpetiendum, fieri vt improbi probos persequantur, & hi tolerent calamitates: nec nisi ex magno erga iustos Dei amore: ac ob eorumdem vtilitatem proficisci, quod sinantur pati.

Forsitan idcirco Augustinus, vt dixi, legebat: *Si spiritus Dei velit*, quoniam gratiæ munera Spiritui sancto attribuuntur. Voluntas etiam Dei quandoque sumitur pro ipsius gratia, & misericordia, & pro ea quæ vocatur *voluntas beneplaciti* [e], *propositum voluntatis illius* [f], *sacramentum* [g], *concilium* [h], *bona voluntas* [i], *perfecta* [k]. Hanc significationem voluntas absolutè posita interdum habet, vt quando dicitur vita esse in voluntate Dei, Deus *præstare in voluntate sua* [l] ברצונו *birtsono decorem nostro virtutem* [m], hoc est, statui nostro, decoro, prospero, florenti. Quod vltro ac sponte offertur, siue spontanea, & vltronea oblatio, atque supererogationis appellari solet voluntaria. Sic Dauid: *Voluntariè*, inquit, *sacrificabo tibi* [n] בנדבה *bindaua*, &, *voluntaria oris mei beneplacita fac Domine* [o] נדבות פי *niaboth pi*, רצה נא יהוה *retseh na Iehouah.* Hoc spontanei sacrificij seu oblationis spontaneæ genus vocant Hebræi נדבה *nedauah*, de quo in Leuitico [p], & opponunt נדר *neder*, quæ est votiua, & חובה *chobah*, quæ aliter debita. Inde apud eosdem vocatur princeps נדיב *nadib*, quasi *sponte suas seruans leges*, (vt de Rege Ægypti quotidie ante aram sacerdotem magna voce prædicasse Diodorus [q] refert, & vniuersè de omni Rege, seu Imperatore pronunciant Theodosius, & Valentinianus [r], vel tamquam liberalis, beneficus, &c. & vt loquitur Paulus [s], *hilaris dator.* Quò videtur Christus respexisse, cum dixit [t]: *Qui potestatem habent super eos benefici vocantur, εὐεργέται.*

Pati pro meritis, & culpa, sacrificium quoddam est, sicut egregiè demonstrat Ephrem [u] pœnitentiæ conuenire rationem sacrificij, & sacerdotis pœnitenti. At necessariò suscipitur, & offertur huiusmodi sacrificium tamquam debitum, sine quo non potest placari Deus. Si autem libenti animo feras res aduersas, quas non commeruisti, quamuis virtutis partes exequaris, alioquin obnoxius vitio futurus, tamen vltro Deus materiā suppeditat maioris meriti, & gratioris sibi sacrificij, cuiusmodi præcipuè martyrium est, vt passim Patres affirmant. Votorum oblationes hoc nomine præstant, etiam martyrio, quod magis spontè eduntur, & ab eo, qui voluntatis suæ potestatem habet, nec vlla lege adstringitur ad ea. Videtur & apud Gentiles ad formulam similis pertinuisse sacrificij verbum volendi. Vnde apud Poëtam [x].

--Communemq; vocate Deum, & date vina volentes.

& [y], *—vo ens voi Turnus adoro.*

Aliás [z] & de alia formula memini, seu de religiosa exceptione, *si dij volent, cum dijs volentibus*, &c. de qua item Brissonius [a].

Vers. 18.] Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.

Corroborat exēplo passionis Christi, (de qua toties, ac tāto animi affectu loquitur, nominans se testem passionum eius [b]) pios, & innocētes Christianos persecutiones passos. Si enim Dei Filius, vt nos Patri reconciliaret, tam dira, tam iustus tolerauit, & post mortem semel obitam, immortalitatem induit: multò magis nobis, qui peccatores fuimus aliquando, & esse possumus æternæ iterum rei damnationis, libenter ferenda esse quæcunque acciderint aduersa, cùm similem liceat immortalitatis gloriam ab Auctore salutis expectare.

Et Christus.] Est energia in particula (&) id est, etiam Christus, quod est nomen eius, qui simul homo ac Deus est, duplici constans natura in vna persona diuina.

Semel pro peccatis nostris mortuus est.] Plures Græci libri carēt pro nomine *nostris*, & habēt ἔπαθε *passus est*: quamuis etiam alij ἀπέθανε *mortuus est*. Ergo Deus est, quia solus pro peccatis nostris mortuus vt ratiocinatur Cyrillus [c] Alexand quemadmodum

Act.9.8.

a 22.cont.Faustum c.20. c lib. de bono perseu. c.2. d Philipp.1.29.

Placet Deo innocentium patientia, displicet nocentium iniuria.

Voluntas Dei quandoque ipsius gratia & misericordia. e Rom.12.2. f Ephes.1.9.c.5. g Ephes.1.5. h ibid.9. i ibid.11. k Phil.2.13. l [illegible] m ibid. Psal.19.6. n Psal.53.

o Psal.118.108.

p Leu.7.16.

q lib.2.

r l. digna vox C. de legibus & const. principum.
s 2. Cor.9.7.
t Luc.22.25.

Pati pro meritis & culpa sacrificium est.
u Tom.3. de pœnit.

x 8.Æneid.

y 10.Æneid.
z Act.14.

a lo. formulis lib.1.pag.77.

b cap.5.1. Christi passione ad aduersa corroborat.

Christus Deus & homo.
c lib. de fide ad reginas.

dum antea quoque notauimus [a]. Ergo simul homo, vt colligit Athanasius [b], nec alius est persona, qui passus, alius qui non passus: licet secundum naturam diuinam non sit passus. Semel, *quia resurgens iam non moritur* [c]: & frustra putant aliqui, de quibus Thomas Anglicus meminit (Origenes creditur ita sensisse, vt est in V. Synodo, & refert Nicephorus lib. 17. c. 27.) iterum, ac sæpius passurum in aëre pro dæmonibus: quia sufficit semel se obtulisse pro delictis populi [d], & per proprium sanguinem semel introiuisse in sancta, æternam redemptionem inueniendo [e]: *quia semel multorum*, (ac omnium, quod in se est) *moriendo exhausit peccata* [f]: & *vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos* [g]: quia licet, si opus esset, denuo, sæpiúsque moreretur, vt ipsemet Carpo reuelauit teste Dionysio, non debent peccatores [h] illum ita conculcare, *eiusque sanguinem pollutum ducere* [i], ac tam securè peccare, ac si nouam esset obiturus mortem: quia, sicut nunc immortalis viuit, ita mortuos nos semel peccatis, oportet semper viuere Deo [k]: *semper viuus ad interpellandum pro nobis* [l]: & vt ex hoc loco Ambrosius [m] argumentatur, *fructus mortis Christi perpetuus est*. Christus *semel quidem pro peccatis*, inquit, *populi mortuus est: sed quotidie peccata populi redempturus*. Itaq; semel Christus obtulit se oblatione cruenta in cruce, & pridie quàm pateretur, incruenta in cœna, instituendo sacramentum Eucharistiæ [n], ac relinquendo Ecclesiæ sacrificium visibile. Eandem hostiā offerimus quotidie per sacrificium incruentum, quia nō potest Ecclesia consistere absq; vero sacerdotio, atq; sacrificio, & decuit fieri quotidie memoriā cruenti: & præterea per dictam hostiæ oblationē siue incruentum sacrificiū fructus crucis, quod fuit vniuersalis, ac sufficiēs causa salutis omniū & remissionis peccatorum, magis magisque ad nos peruenit, applicatur, efficientiam habet. Docentur ista ab aliis Patribus, & Theologis, sed maxima cum auctoritate, perspicuitate, breuitate à Tridentino Concilio [o]: quod velim legas.

Iustus.] Nam quæ non rapuit, exoluit [p]. De hac iustitia Christi egimus nonnihil in commentario Actuum Apostolorum [q]. Solus potuit satisfacere, quia sine peccato, & iustus solus, atque dignitatis infinitæ, ac meriti.

Pro iniustis.] Ac proinde pro inimicis [r]: pro *filiis iræ* [s]: pro peccatoribus [t]. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris* [u]: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra* [x]: denique *mortuus pro peccatis nostris secundum Scripturas* [y].

Vt nos offerret Deo.] Ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ Θεῷ, vt nos (aliqui codices Græci legunt ὑμᾶς, vos) adduceret ad Deum, vt etiam legit Augustinus [z], (probans nec infantes consequi salutem sine baptismo, & Christo) & meminit Beda. Deum autē intelligit, vel Patrem, vel totam Trinitatem: ac proinde ad seipsum, vt est Deus. Obtulit autem Christus nos Deo tamquam recōciliatos, & amicitiæ ipsius restitutor, atque, velut gratum quoddam munus, sacrificiúmve offert se vicissim nobis Deus tamquā filiis [a]: offeramus ipsi nos per Christum semper tamquam hostiā [b]. Quidni ergo pro Christo patiamur libenter, quando ille pro nobis passus est? Quod in historia Regum [c] respondisse legimus Dauid execranti maledicum Semei, & punire volenti: *Dimitte eum vt maledicat, iuxta præceptum Domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Dicunt aliqui [d] veterem aliam lectionem fuisse: *Si fortè respiciat Dominus afflictionem suam, & reddat bonum pro maledictione sua.* Hebræos autē corrupisse, quòd non assequerentur, qua ratione posset affligi Deus, ac pati. Quamquam de hoc valde dubito. & interdū *sua* ponitur pro *eius*, (vt: dispersit superbos mēte cordis sui [e],) id est eorū. Sicque ad maledictionem à Semei iactatam referretur, & non vt erat Dei aliquando incarnādi. Et si contendas de maledictione Dei intelligi, exponere posset aliquis, quoniam, vt ibidem dicitur, maledicebat Semei iuxta præceptum Dei. Quia tamen alij de futura Christi passione, & maledictis locū illum sumunt, nihil verò ea expositio editioni vulgatæ incommodat, propositóque nostro nonnihil conducit, eam referre libuit. In verbo autem προσαγάγῃ, *adduceret*, vel *adducat ad Deum*, vt legit Augustinus [f], notari potest oblationis denique ratio, similis ei quę tam sæpe legitur de adducendis hostiis ad offerendum, in Leuitico, & Numeris, vt ibidem ipsi admonuimus.

Mortificatus quidē carne, viuificatus autem spiritu.] Miror huius loci varias lectiones omnino prætermissas à Luca Burgense, legerunt omnes ferè veteres Latini expositores (*mortificatos, & viuificatos.*) Sed sequenda nobis editio emendata consentanea Græco textui (θανατωθεὶς & ζωοποιηθεὶς, & interpretationi Syriacæ וּמִית בַּפְגַר וְחַיָא בְּרוּחַ *vumith bappegar vachaia berauch*, (*Et mortuus est in corpore, & vixit in spiritu,*) Et Patribus Græcis hunc exponentibus locum, vt Clementi Alexandrino, & Oecumenio. Epiphanius [g], & Athanasius, quem citat ipse, non faciunt de hoc loco mentionem, vt nec in Commentario Didymus: Salmeron tamen citat Didymum, Epiphanium, Athanasium. De Cyrillo Alexandrino non ambigo, quin ita legerit, licet eius interpres Theodorus Peltanus, seu Concilij Ephesini, vbi is citatur, videatur aliter interdum ponere. Sed aut memoriæ quodam lapsu, aut errore typographorum [h]. Alij enim, qui Cyrillum transtulerunt, retinent lectionem editionis nostræ. Atque idem aio de Petro Alexandrino, qui pariter profertur in eodem Concilio Ephesino [i]. nam Petrus Alexandrinus vtitur isto testimonio, vt probet diuinitatem Christi.

Præter Græcos eandem sequitur ex Latinis lectionem Ruffinus [k] (citat, *viuificatus autem spiritu, qui in ipso habitat*, Hieronymus [l] legit *occisus*, Augustinus [m], Cyprianus [n], quos etiam sequitur Helselius. Idacius [o] autem *mortificatus carne, viuificatus spiritu.* Quocirca si quo tempore Suarez noster Commentarios edebat in tertiam Partem Beati Thomæ, prodiissent emendata Latina Biblia, non prætulisset sine dubio etiam aliam [p] lectionem propter auctoritatem Complutensium codicum, aut ob versionem Concilij Ephesini factam à Peltano item nostro, de qua dixi.

Ostendam præterea non melius, quod ipse contendit, contextui quadrare dictam lectionem, ad nostram, quamuis & illam videantur Arias, & Gagneius præferre, nec non Sà, & Catharinus. Nam quamuis sit verum, nos carne mortificatos, id est afflictos, viuificari spiritu per Christum, & possit id confirmatum intelligi exemplo eorum, qui secundum carnem perierunt in Diluuio [q]; sed multi ex ipsis in fide abeuntes vixerunt spiritu Christo, & ideo Christus illis vnà cum sanctis aliis versantibus in limbo cō

Marginal notes: a c. 2. 21. b de Incarnat. Christi. c Rom. 6. 9. d Heb. 7. 27. e infra 9. 12. f ibid. 28. g Heb. 10. 14. h ep. ad Dem. i Heb. 10. 29. k Rom. 6. 11. l Heb. 7. 25. m li. 10. in Luc. n Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 13. 1 Cor. 11. *Ecclesia non potest sine sacerdotio & sacrificio consistere.* o sess. 22. c. 1. p Psal. 68. 5. q cap. 3. 14. r Rom. 5. 10. s Ephes. 2. 3. t Rom. 5. 8. u Thre. 4. 20. x Esa. 53. 5. y 1. Cor. 15. 3. z c. de peccat. mor. cap. 7. & ep. 99. *Christus nos Deo obtulit.* a Hebr. 13. 7. b infr. 13. 15. c lib. 2. c. 16. 11. 12.

d Galatinus l. 1. c. 8. & apud Pinum in c. 4. Thren. Victor. 2. part. contra Iudæos, & Raymun. in Pugione. e Lucæ 1. 51. f de pecc. merit. c. 27. & epi. 99. g Hæres. 77. h Cyril. Alex. de Fide ad Theod. & de Fide ad Reginas. i Tom. 2. c. 7. k In symbolū. l In cap. 54. Esaiæ. m Aug. epi. 99. & serm. 14. de verb. Apost. c. 16. n In symbolū, etsi videatur idem auctor cum Ruffino. o contr. Varimadum. p tom. 2. disp. 43. sect. 3. q Gen. 7.

descendés, prædicauit: tamen quod sequentis versus principio habetur, *in quo*, multò aptiùs refertur ad immediatè præcedens nomen *spiritu*, & sensum efficit faciliorem.

Quapropter non est immorandum in referendis Latinorum aliter legentium expositionibus, quod Christus nos obtulerit Patri, velut victimam per mortificationem carnis nostræ, & absolutos carne in æternum regnum introducturus [a] sit: vel nos à Christo iustificatos esse, vt qui eramus mortificati carne, id est, sensibiles facti ad desideria carnis, redditi sumus viuificati spiritu, hoc est, sensibiles, ac mobiles ad sequendum instinctum Spiritus sancti [b]: vel Christum offerre Patri nos mortificatos carne secundum castigatas passiones carnis, viuificatos spiritu, sine lege, ac doctrina spirituali gratia nobis ab ipso data [c], siue Spiritu sancto, *quem effudit in nos abundè* [d], *vt secundum spiritum viuamus*.

Gloss. interl. — Lyranus. — Heb. 4. 16. Tit. 3. 6.

His igitur omissis iuxta emendatam editionem Latinam, cuius hac in parte lectio, antequam extaret, placuit Caietano, Clario, Hesselio, Salmeroni, Varablo, & eius Beda meminit, Clemens Alexandrinus explicat Christum, qui carne mortuus est (quod membrum difficultatem non habet) viuificatum fuisse spiritu, quia in nobis viuit, & in spiritibus nostris per fidem, scilicet obtinendo, ac tribuendo nobis fidei munus, per quod particulariter viuere dicimur [e], & charitatis aliarumque virtutum cum gratia sanctificante.

Quomodo Christus mortificatus carne viuificatus spiritu fuerit. — Rom. 1. 17. Heb. 2. 4. Heb. 10. 38. Gal. 3. 11.

Oecumenius ait significari quod Christus, vt homo moriendo, à morte nos, & corruptione liberauit: simul vt Deus, *qui spiritus est* [f], vi ac potétia diuinitatis resurgés, eos qui apud inferos erát, secum suscitando, viuificauit, de quibus Matthæus [g]. Vbi aduerte, liberationem à morte non conuenire Christo dumtaxat, vt homo erat, sed ratione dignitatis personæ diuinæ. Deinde, saltem instrumentaliter, vt aiunt, suæ sibi resurrectionis causam physicam Christum videri fuisse, vt alibi docui [h]. Denique dubium esse, an qui resurrexisse scribuntur à Matthæo, cum suis corporibus ascenderint cum Christo: qua item de re aliàs [i]. Augustinus [k] viuificatum spiritu Christũ declarat, quia eadem caro, qua sola fuerat mortificatus, viuificante spiritu resurrexit: nec enim animam eius mortificari potuisse, quæ peccatũ, in quo mors animæ immortalis, secundum naturam consistit, nequiuit locum habere, atque in ea viuificate, in qua fuerat mortificatus, nimirum in carne, concludit.

Ioan. 4. 24. — ca. vlt. 52. 53. — Act. 3. — ibidem. — epist. 99.

Caietanus docet, etiam cum Christus esset mortificatus carne, spiritu viuificatum fuisse, quoniam beatus erat secundum spiritum; & de dæmonibus secundum eundé; *qui viuificationis actus*, inquit, *accessit ei, quando mortuus est carne*.

Isidorus Clarius vult magis explicari quod præcessit: *mortuus est pro peccatis nostris, iustus pro iniustis* hoc pacto. Id fecit Christus, vt nos offerret Deo, seu adduceret: quod & potuit: nam etsi morte affectus est, ob carnis naturam acceptam, spiritu tamen ac diuinitate (siquidem *Deus spiritus est* [l]) semper viuit, vnde, *& saluare potest per se ipsũ accedentes per ipsum ad Deum* [m].

l Ioan. 4. 24. — m Heb. 7. 25.

Conflari potest integrà ex omnibus sententia, præsertim ex quatuor vltimis. Sed fateor magis propriè dici viuificatum spiritu Christum propter resurrectionem, & restitutam vitam carni à spiritu, vel ab anima, quæ recesserat, vel à virtute spirituali, atque diuina: ad eum modum, quo scripsit Paulus [n]: *Si crucifixus est ex infirmitate, viuit tamen ex virtute Dei*. Athanasius à Beda citatus accipit Spiritum pro Spiritu sancto: Oecumenius pro diuinitate: Augustinus pro vtroque. Magis remotum est, quod Caietanus dixit de beatitudine animæ Christi, vel de triumpho ipsius contra dæmones. Nec illud placet, quod Hesselius tradit, dici viuificatum Christũ spiritu in passione, quia carne mortua, occidi anima non potuerit [o], etenim hoc omni animæ commune est, quamuis non ignorem, & alibi [p] notauerim, viuificandi verbum vsurpari pro eo quod est non occidere; vt ibi: *Afflixit patres nostros, vt exponerent infantes suos ne viuificarentur* [q]: *virum, & mulierem non viuificabat David* [r]. *Mensus est* (David) *duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum* [s]: *Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me* [t]. Alia præterea sunt exémpla Hebræi verbi חיה *chaiah*, quod est *vixit, & viuificauit*, pro quo Latinus interpres reddit etiam *saluare* [u], & *conseruare* [x], atq; præmissa negatione, *non pati viuere* [y], vsurpat, cùm dicendum esset, non viuificare. Verùm hoc loco sequor potius sensum simplicem, & Augustini rationem, vt propriè dicatur viuificatus Christus secundum eam partem, in qua fuerat verè mortuus, hoc est, secundum carnem, & in carne, nihil enim obstat, & sic omnia cohærent.

n 2. Cor. 13. 4. — o Sic Bellarm. lib. 4. de anima Christi c. 15. & Pererius lib. 9. in Gen. disp. 9. nu. 96. — p Act. 7. 19. *Viuificare idem quod non occidere.* — q Act. 7. 19. — r 1. Reg. 27. 11. — s 2. Reg. 8. 2. — t Psal. 137. 7. — u Iob. 36. 6. — x Exod. 1. 17. — y ibid. c. 22. 18.

Vers. 19.] In quo & his, qui in carcere erát, spiritibus veniens prædicauit.

Vers. 20.] Qui increduli fuerant aliquádo, quádo expectabant Dei patientiam, in diebus Noe, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam.

PRiusquam enucleem difficillimũ locum istũ, (& iudicio quidem Ariæ Montani, totius noui Testamenti locis difficiliorem ab interpretibus æstimatum) à tam multis tractatum, post Augustinum [z] præcipuè, qui difficultatem eius præ se tulit, expedienda quæ pertinent ad lectionis varietatem, & vim, propriamque dictionis notionem.

z epist. 99.

In quo.] Ἐν ᾧ Cyprianus [a], aut Ruffinus legit *in ipso*: Oecumenius interpretatur αἰτιολογικῶς ἀντὶ τοῦ διά causaliter pro, *ideo, ob quod, quapropter*, &c. Id est, Quia Christus mortuus est pro iniustis non iis tantùm, qui post ejus aduentum fuerunt, sed & qui præcesserunt, idcirco descendit in infernum, &c. Alij (in quo) vel spiritu, qui vitam tribuebat corpori Christi, dum viueret, & à corpore separatus immortalis remanebat: vel Spiritu sancto, siue virtute diuina, quæ attribuitur illi, quæ videtur interpretatio Cyrilli [b].

a in symbol. — b de Fide ad Theodos.

His qui in carcere erant.] Τοῖς ἐν φυλακῇ, *in custodia*. Syriacè בשיול *bascival, in inferno, vel sepulchro*; sed illud melius, etiamsi secũdum is qui vertit textum Syriacum, secutus fuerit: *Et prædicauit animabus illis, quæ detinebantur in sepulchro*, error est, animas ordinariè detineri in sepulchro, de quo aliquando Augustinus [c]. Meminit Beda, Hugo, Thomas Anglicus, Carthusian. alterius lectionis *in carne*; præterea Beda addit, & cum illo Albertus, teste Carthusiano, (erant conclusi) itáque legit idé Augustinus [d], & alij. Quidam quoq; codices Græci habent ἀποκεκλεισμένοις, & Syriaca versio דאחידן הוו *dachidan hauu* (animabus) *quæ detentæ erant*.

c Ser. 5. de Cathedra S. Petri quæ est 15. de sanctis. — d epist. 99.

Quidam carcer animæ caro est, corpúsque

Carcer animæ caro est.

σῆμα Græci vocant, aut παρὰ τὸ σώζεσθαι seruari, aut quasi σῆμα *sepulchrum*. & Dauid, eúmque imitatus Fráciscus, orabat: *Educ de custodia animam meam* [a]. Sed magis propriè carcer accipitur hic pro loco subterraneo, in quo spiritus, siue animæ à corporibus separatæ detinentur. Talem autem locum esse, vt rem compertam pono, & ex præsenti testimonio colligi, deinceps constabit.

a Psal. 141. 8.

Loquitur ergo Petrus de animabus, quæ tunc erant in dicto carcere, quando Christus descendens eò secundum animam, prædicabat illis. Quocirca ineptè contra omnes alios Beza in Cómentatio huius loci exponit quòd Christus in spiritu, id est, diuinitate veniens, prædicauit spiritibus, qui nunc sunt in carcere inferni: sed quando prædicabatur eis, nimirum dum fabricaretur arca, non erant in carcere, sed in corpore. Verùm contra ipsum paulò post.

Legéda epistola Zonaræ adiecta notis in opus Cyrilli Alexandrini contra Anthropomorphitas. Cum vero Cyrillus [b] probat secundum Deitatē non potuisse Christum spiritibus prędicare in inferno, quia secundum eam est inuisibilis, intellige innisibilem naturaliter. Alioquin iustis ibi ostensa clarè deitas est: neque Cyrillus animam humanam visibilem, corporeámque facit.

b dial. de incarnat.

His qui in carcere erant.] Mendosa lectio est, *in carne*, cuius & Beda meminit. eámque exponit: licet reuera caro & corpus animæ carcer sit, custodiaque, & σῶμα *corpus*, quasi σῆμα *sepulchrum*. Speculam verò quidem φυλακὴ quandoque significat, seu excubias, & vigiliam: sed non est ad rem huiusmodi notio, nisi vt falsò negetur descensus animæ Christi ad inferos: quam ob causam Caluinus illam sequitur, & explicat per expectationem. Refert Irenæus [c] testimonium ex Ieremia: *Recommemoratus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum, qui prædormierunt in terra offensionis, & descendit ad eos, vt euangelizaret eis salutare suum, ad saluandum eos.* Idem fere Iustinus [d] martyr recitat ex eodem Propheta dicens hoc & alia huiusmodi Hæbræos ex bibliis detraxisse. Sed videtur aliis hoc testimonium promptū ex Esaia [e], *viuent mortui tui, interfecti mei resurgent*, & ex præsenti loco istius epistolæ.

c lib. 4. c. 39.
d in Trypho.
e c. 26. 19.

Spiritibus.] Nempe animabus: nam πνεύματα pro Angelis tantum sumi, vt Lauatherus docuit, planè falsum est: alioqui, cùm caro dicitur spiritui resistere [f], Angelo repugnare intelligeretur, & vice versa Angelus carni. Cùm etiam Apostoli apparente post resurrectionem Christo, *putabant se πνεῦμα Spiritum videre* [g], de anima in assumpto corpore exponunt Patres [h]. Plurima exempla alia ad idem confirmandum possent afferri, tum illud *de spiritu suo quem Christus Patri commendauit & emisit* [i]. Syriace לנפשהוא *lenaphscuatho*, *Animabus*. Quocirca mendum est in libris, in quibus legitur *spiritibus*, quam lectionem expositores Latini secuti sunt. Illa quoque corrupta lectio, quæ est in textu Ioannis Benedicti, vt sit (spiritualiter) sed hac nostra vtitur Augustinus [k], & Hieronymus [l], apud quem est, *spiritibus in carcere conclusis*, & Ruffinus [m], qui sic recitat: *iis, qui in carcere conclusi erant: descendit spiritibus prædica e.* Et Cyprianus [n], qui in eo solùm differt, quod legit *inclusi*: quanquam expositionis in Symbolum apud hos duos, vter auctor sit ambigitur, cum eadem videatur, creditúrq; potius esse Ruffinus à Hieronymo, Gennadio, Vincentio Bellouacense, Antonino, Trithemio, Pamelio ipso Schuliaste Cypriani. Facilis mutatio esse potuit ex πνεύμασι in πνεύματι. Sed factam non credo Lucæ Brugensi, nec ita melius legi. Præterea, licet, si legas *Spiritu*, sensus commodus effici possit, quòd Christus veniens Spiritu, hoc est, anima, siue secundum animam, præsens prædicauerit his qui in carcere *inferni* erant, tamen *spiritibus* legendum, quia quotquot extant Græci Bibliorum libri, quod equidem sciam, & Oecumenius collector scholiorum Græcorum, Cyrillus [o] quoque Alexandrinus, & citati graues Patres Latini legūt πνεύμασι, & *spiritibus*: præterea quoniam lectio alia fauet expositioni, quam refellemus, Christū spiritu, id est, secundum diuinitatem prædicasse iis, qui erant in carcere carnis ac vitæ suæ, in diebus Noë: aut descendisse tantum spiritu in infernum, sumendo spiritum pro virtute, & efficacia: adhæc quia priores dictiones (*in quo*) iam satis designauerant Christum in spiritu, id est, in anima: denique, quod caput est, quia sic imperauit legi Sixtus V. & Clemens VIII. quorum auctoritate vulgata editio correcta est. Corruptelam Caietanus non dubitauit appellare prioris lectionis, & Salmeron appellare falsam.

f Gal. 5. 16. 17.
g Lucæ 24. 37. Ioan. 20. 19.
h Aug. serm. 145. de Tēpore, & in Lucam Theophylact. Beda, Hugo, & alij, nec abEuchetius.
i Luc. 23. 46.
k epist. 99.
l in c. 42. Esaię.
m in symbolo.
n in symbol.
o lib. de Fide ad Theodos.

Qui increduli fuerant.] Ἀπειθήσασι. *Qui inobedientes.* Monitos à Noë fuisse credi potest: nam posterioris epistolæ capite secundo [p] Petrus eum *iustitiæ præconem* nominat, vt suo tempore videbimus. Hebræi in Genesi Magna volunt illius temporis homines vnius Dei fidem abiurasse: Idololatriam incepisse, quando Enos cœpit inuocare nomen Domini [q], nempe cultu peculiari: incredulos præterea priùs fuisse, quando Enoc librum edidit ad corrigendos mores hominum. Angelus Pas [r] putat per hos incredulos intelligi Damnatos, qui extiterunt sub Noë, & extincti sunt sub Diluuium, sed aliis verbis, *his qui in carcere erant*, in genere omnes omnino. Alij eos tantùm, qui sub Noë, cui non crediderint, licet ex iis aliqui ante mortem pœnitentiam egerint, quod alij tamen negant. Salmeron iustos, qui dicantur increduli propter fidem minùs explicitam. Quid verius sit, constabit postea.

p vers. 5.
Idololatria quādo cœperit.
q Gen. 4. 27.
r c. 20. lib. 7. in symbolo.

Veniens.] Πορευθεὶς *Profectus.* Cyprianus, vel Ruffinus [s] *Descendit*, & denotat verum motum localem, quem animæ separatæ conuenire posse, sicut & Angelo, Schola Philosophorū, ac Theologorum concedit: Spiritui verò sancto non id conuenit, nisi ob effectum, & apparitionem per aliquod signum sensibile. Quare nescio quid velit Vatablus, cùm interpretatur Christum profectum in spiritu, id est, ductu illius spiritus post resurrectionem. Non recordor, qui cum corpore dicat Christum descendisse ad inferos: post resurrctionē verò non ampliùs exuit corpus. Voluitne post resurrectionem id fecisse per Apostolos, qui defuncti eo statim descenderint ad prædicádum? Non credo. Id voluisse quosdam, dicam postea. Arias spiritus incredulos ait fuisse liberos Noë. Refellam & id postea.

s in symbolo.

Prædicauit] Ἐκήρυξεν, Non vt conuerterentur, sed vt annunciaretur, & euangelizaretur gaudiū de liberatione piorum, & iusta causa damnationis impiorum. Prædicatio autem fiebat per locutionem spiritualem, quæ conuenit Angelis, & Animabus separatis.

Christus animabus prædicauit, & quid.

Quando expectabant Dei patientiam.] Ὅτε ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία: *Quando expectabat Dei longanimitas*, vel *quando expectabatur*. Est enim mediæ vocis verbum Rupertus [t] legit hoc secundo

t lib. 4. in Gen. c. 17.

modo. Hieronymus, & Augustinus iam citati, nec non Carthusianus, & Idacius [a]: *Quando Dei patientia expectabat.* Non parum refert vtro legas modo, siquidem ex nostra lectione colliguot aliqui, eos, quibus Christus in inferno prædicauit, seu io limbo, & perierunt diluuio, incredulos fuisse minis Noë, quia de diuina patientia multùm confidebant; nec hinc tamē discessisse priusquam illos pœniteret. Alij, vt citatus Pas, expectationem sumunt pro irrisione, qualis illorum apud Esaiam [m], *Expecta, reexpecta.* Catharinus passiuè sumens, *expectabatur*, explicat non ab incredulis, sed à Noë, & filiis, ac fortassis à nonnullis, qui ante irruptionem aquarum mortui sunt cum peccato. Porrò in nonnullis Græcis Bibliis [c] est ἅπαξ ἐξεδέχετο semel, aut simul. Videtur interpreti Syro placuisse actiua significatio. nam reddit: (*Cùm longanimitas Dei præcepit, vt fieret arca* [d] ob spem pœnitentiæ eorum) על סורא דתיבותהון *hual saura datibeuanthohun*. Præterea nonnulli codices habeot ἔτι pro ὅτε. Durauit fermè improbitas illorum per septingentos annos: quo Dei patientia maior enituit.

Patientiam.) Μακροθυμίαν *longanimitatem.* Chrysostomus [e] negat in scripturis tribui Deo ὑπομονὴν, quoniā, inquit, ὑπομένειν dicitur quis eos, quos οὐ δύναται ἀμύνεσθαι, non potest vlcisci: μακροθυμεῖν, quos potest. Reprehendit Sixtus [f] Senensis, alia tis aliquot locis, in quibus Deo tribuitur nomen pœnitentiæ, non solum longanimitatis, & inter alios hunc nostrum. Sed oportuit proferre Græcas voces, cùm hoc loco sit, μακροθυμία, quam reddit interpres aliquando patientiam, interdum longanimitatem. Idem possum illi obiicere de aliis locis, in quibus etsi sit Latinè, patientia, tamē est μακροθυμία, vt in epistola ad Romanos [g], in psalmo 85. [h] & 144. [i] quæ citat. Illud verè dicit ex Augustino, in libro de Patientia, Dei patientiam prædicari, non in hoc, quòd malum aliquod patiatur, sed in hoc, quòd expectet malos, vt conuertantur. Memini aliàs id notauisse.

Cùm fabricaretur arca.] Græcè: *Cùm appararetur:* κατασκευαζομένης. Syriacè: *Cùm longanimitas Dei præcepit vt fieret arca.* Arcam potiùs appellari, quàm nauem, à figura ipsa, & fabricæ modo aliàs [k] docui, ac nonnihil de ea dixi. Etsi verò cuncti præter paucos liberos, fidem negarent minis Noë, quas Dei nomine denunciabat, nihilominus lucri gratia operas alij suas ad opus tantum perficiendum libenter locabant, & spatium centum annorum in eo consumptum, paucitatem compensauit fabricantium, vt annotauit Augustinus [l]. Quo in tempore fabricæ conueniunt, & alij, quos affert noster Pererius [m]; meritò refellens figmentum Berosi Anniani de octo & septuaginta solis annis, ita vt in præparandis lignis positi sint quadraginta duo.

In qua pauci, id est, octo animæ.] Potuit interpres vertere *pauca* sicut est Græcè ὀλίγαι. Animas autē συνεκδοχικῶς pro integris hominibus vsurpari sæpè monuimus, quemadmodū & de nomine carnis: licet huius numerum pluralem ita vsurpatū non meminerim. Obseruauit hoc ipsum de vtrāque voce Fulgentius [n], nominatim præsentem producens locum cum aliis. Mysticam rationem octonarij pro resurrectionis fide necessaria vel de nouo Testamento, quam hîc assignant enarratores, omitto. Aliam dat Rupertus de Christo, & Apostolis, qui acceperūt spiritum septiformem. De mysteriis octonarij egimus in Ecclesiaste [o],

a cont. Vermudum.
b cap. 28. 10.
c Rob. Steph.
d Gen. 6. 14 & seq.
Deus non dicitur ὑπομονητικὸς sed μακρόθυμος.
e ho. 2. in epi. ad Coloss.
f 6. Bibli. Annot. 312.
g cap. 2. 4.
h vers. 15.
i vers. 8.
Dei patientia quo modo prædicetur.
k Sap. 10. 4. & 14. 6. 7.
l 15. de ciu. cap. 27.
m libr. 10. in Gen. disp. 6.
n de Incarn. ad Petrum Diac. cap. 9. libr. 1. ad Trasimun. c. 17.
o cap. 11. 2.

legíque potest Petrus Bongus, in opere, quo persequitur hoc de numeris argumentum.

Sed facit difficultatem, quoniam videtur Mathusalem sex annis, minimùm vixisse post Diluuium, sicque non octo solæ animæ saluæ factæ in arca: nam iuxta editionem LXX. erat ille annorum centū sexaginta septē, cùm genuit Lamech, vixitque postea octingentis & duobus annis: quæ summa est nongentorum sexaginta nouem. Et quamuis editio Latina [p] in vltima summa conueniat, tamen in primo numero recenset centum octoginta septem, in secundo octingentos duos. Porrò, vt est in textu Græco, August. [q] & Hieronymus [r] dicunt errorem esse. De Enoch non est laborādum, quia non viuebat vitam communem.

Salua facta sunt per aquam.] De salute corporali loquitur. De spirituali alia ratio, & incertum, an eam sint cōsecuti omnes filij Noë. De Cham dubitat Augustinus [s], an amiserit fidem in Deum, cùm & postea reprobatus fuerit. Quod autem dicit (*per aquam.*) δι᾽ ὕδατος, במיא *bemaya*, vel accipit *per* pro *ab* vt notat Gagneius, & Titelmanus, id est, saluæ factæ sunt ab aqua: vel vt idē Gagneius, ac Lyra, & Carthusianus exponunt, *per aquam* intelligit velut per instrumentū, quoniam cùm per illam subleuaretur arca, qui erant intra illam saluabantur [t]. Thomas Anglicus idem docet: præterea vulgarem loquendi modū esse, quo dicimus nauem saluari, quę vadit per aquam. Notat etiam vitiosam lectionē *per arcam.* Valet interdum (per) idem quod (in) vt [u], *per omnem orationem*, id est, in omni oratione. Ceterùm hinc elicitur tropologia de timore vindicis Dei, & de saluandorum paucitate, sicut & duo tantùm viri promissam terram ingressi sunt [x]: & tempore Prophetarum pauci relicti à gladio, fame, pestilentia [y].

Iam verò tempus est, vt ad totius expositionem sententiæ *accedamus* quæ sicut prædixi, perdifficilis iudicatur ab Augustino [z], & aliis. In duobus autem potissimum consistit difficultas, An velit Petrus reuera, & propriè Christi animam descendisse in carcerem, infernum, & quid continuerit, quémve effectum habuerit ipsius prædicatio illa, seu quibus facta fuerit. Prima expositio est Augustini, quam Beda hoc loco sequitur, atque Hugo, Thomas Anglicus, Carthusianus, Titelmanus, Ioannes Benedictus, Primaticcius, præterea B. Thomas [a]. Vult spiritus in carcere conclusos esse homines, qui viuebant tempore Noë: animæ enim sunt in corporibus mortalibus velut in carcere. Deinde Christum illis tunc prædicasse non secundum Humanitatē, quam adhuc non assumpserat, sed secundū Deitatem, tum immediate inspirando, tum per prædicationem Noë, quæ verbis eius fiebat, & ipsamet arcæ fabricatione. Dat Augustinus facultatem, ac rogat etiam, vt disquiratur, quo pacto possit hic locus intelligi de descensu ad inferos. Itaque potest obiici Augustino plurium aliorum auctoritas, hunc locum sic intelligentium, tam Latinorum, quàm Græcorum, ex quibus iam aliqui citati sunt. Ita sensit Clemens [b] Alexandrinus (qui hoc tamen loco fauet nonnihil isti expositioni) Athanasius [c], Epiphanius [d], Cyrillus [e] Alexandrinus, Oecumenius [f]. Ex Latinis Hilarius [g], Hieronymus [h], Ambrosius [i]; Ruffinus [k]. Addi possunt Iustinus [l], ac Irenæus [m], quatenus vt Esaiæ posterior, prior vt Ieremiæ citat locum, qui nunc non extat (credit ille à Iudæis odio Christianorum extinctum, & ei adeo simi-

De Mathusalē, an fuerit superstes post diluuium.
p Gen. 5. 25. 26. 27.
q lib. Qu. in Gen. q. 2. & 15. de ciuit. c. 15.
r de trad. heb.
s ep. 99.
t Gen. 7. 17.
u Ephe. 6. 18.
Paucitas saluādorum hinc colligitur.
x Num. 14. 6. & inde.
y Ezech. 6. 11. & seq. c. 12. 16.
z ep. 99.
a 3. p. q. 52. art. 2. ad 3.
Christus quomodo prædicauit iis qui tempore Noë fuerunt.
b 6. Strom.
c epist. ad Epictet. & li. de incarn. qui incipit: Mors per hominem.
d hæres. 77.
e de fide ad Theodos. de Fide ad Regi. lib. 12. in Ioa. c. 36.
f hoc loco.
g in Psal. 118. vers. 82. defecerūt oculi mei & in psal. 141.
h in c. 54. Esa.
i in c. 10. ep. ad Roman. & in c. 4. ad Ephes.
k in symbolū.
l in Tryphon.
m lib. 3. c. 23. & lib. 3. cap. 18.

lis est hic noster, vt ex illo transcriptus videatur. Sic autem se habet: *& commemoratus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum, qui dormierant in terra sepultionis, & descendit ad eos euangelizare salutem, quæ est ab eo, vt saluaret eos.*

Deiode, venire, atque proficisci, verum motum localem denotat: Spiritus, in quo viuificatus dicitur Christus, cùm fuerit carne mortificatus; & in eo venisse, significat partem compositi humani, nempe animam: Spiritus item, quibus prædicatum est, ex consueta phrasi scripturæ, non accipiuntur, etiam per Synecdochē, præcipuè in numero plurali, pro integris hominibus, sicut vox *animarum* (quamuis vulgus macie confectos soleat appellare spiritus, & eleganti hominem ingenio, *vn bel spirito*) sed pro animabus ipsis. Vnde & capite quarto[a], vbi fit iterum mentio de hac prædicatione, disertè nominantur mortui, distincti à viuis, de quibus vtrisque iudicium sit futurum: carcer, Græcè φυλακὴ, absque vllo impedimento retinere propriam significationem debet pro loco, qui tenet, & coërcet aliquos: ideóque frustra quæritur figurata significatio pro corpore.

Spiritus quid hoc loco significet.

a vers. 6.

Prætereo refutationem Bezæ, quæ hoc distat ab ea, quam modò examinauimus, quod lectionem communem deprauat, *pro his, qui in carcere erant*, legens *sunt*, & (quod ipsi etiam admittimus) intelligit carcerem pro inferno: vult autem sensum esse prædicasse Christum, quemadmodum docebat Augustinus, in spiritu, hoc est, in diuinitate per reuelationes, &c. spiritibus, qui nunc quidem sunt in carcere, sed tunc, tempore Noë, erant in corporibus.

Bezæ refutatio.

Mihi Diegus Paiua[b], Catholicus alioqui, pius, & doctus vir, déque Societate nostra benè meritus, idem videtur sentire. Nā scribit, quòd Christus in spiritu iam diu veniens, vtpote non nunc primum Ecclesiæ curam suscipiens, prædicauit spiritibus illis, qui nunc in carcere meritas infidelitatis pœnas luunt, quippe qui Noë recta monenti, & arcam, Dei iussu, construenti fidem habere numquam voluerunt: quamuis Dei illos patientia diutissimè, hoc est, cētum, aut eò amplius, annos expectarit.

b lib. 6. pro Trid. Conc. fol. 122. & seq.

Fateor hoc nomine me minùs abhorrere ab ista sententia, quòd sit Auctoris tam boni. Sed charior veritatis amor. Cùm autem ille anno scripserit millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Beza de sua illa expositione, quæ eadem est cum ista, cur adeo se iactet, non video, & quare restetur sibi propterea coram, & per litteras à multis gratias actas. Conueniunt interdum humanæ cogitationes, ac vter prior suam ediderit, nescio. Certè Paiuam de Beza mutuatum non credo.

Nec tertiò meretur Caluinus[c] prolixiorem reprehensionem, cùm tradit, prædicatum à Christo spiritibus defunctorum bonis, malísque, non veniendo ad illos per præsentiam, sed efficiendo, vt effectum sentirent passionis, atque mortis suæ: vertique debere textum non *in carcere*, sed *in specula* quam significat etiam φυλακὴ, propter animas bonorum, quæ erant in continua expectatione mortis Christi: aut si carcer retineatur, quia veluti sub nube, ac vmbra eminus lucem prospiciebant, ita vt ea expectatio dici carcer possit. Omissis aliis argumentis allatis, abutitur Caluinus inaudita significatione τῆς φυλακῆς pro specula, vt specula solam significat expectationem, nec aptè expectatio in vmbra, carcer appellatur. Postremò cœli locus, in quo piorum semper animas fuisse vult, non debet appellari carcer.

c in Psychopannychia. & 2. instit. cap. 16. §. 9. Contra Caluinū.

Quarta opinio contendit, descendisse Christi animam in infernum, & ibi prædicasse omnibus, etiam damnatis, nominatim iis, qui fuerāt increduli in diebus Noë, verùm absque fructu & his, & aliis damnatis, nempe ostendendo quàm iustè damnati essent, cum quadam exprobratione: ceteris iustis in limbo præsertim lætum nuncium attulisse: Petrum in genere omnes qui versabātur in locis inferis intellexisse, per eos, quos ait *in carcere fuisse*: damnatos autem, per illos, quos incredulos vocat in diebus Noë, & patientiam Dei expectasse, non sperando, sed irridendo. Placet iste dicendi modus Angelo Pas[d], quoniam defunctis incredulis prædicatio non profuisset. Atqui æquiuocatio magna est, si hoc eodem loco prædicatio, & in malam partem accipiatur, & in bonam: videtur quoque tota oratio Petri restringi ad eos, qui viuebant tempore Noë: nec fert communis vsus loquendi, vt expectare patientiā Dei, sit eam irridere. Quod autem affertur ex Esaia[e]: *expecta, reexpecta*, ob antecedentia, & consequentia talem sensum habet.

d li. 7. in symbolum, ca. 10. Contra Angelum Pas.

e cap. 28. 10.

Quinta è regione opposita priori facit descensum Christi ad inferos omnibus damnatis salutarem: ita vt ipso prædicante conuersi, & liberati sint: peculiariter verò meminisse Petrum de illis, quos perdiderat diluuium, quia maiore numero constabant, & magis ambigi de illis poterat. Hæc non tam opinio dicenda, quàm hæresis, prout comprehendit omnes damnatos, & à nobis alibi[f] refutata est: nec multò maiorem continet probabilitatem, si de aliquibus tantùm loquatur, etiam illis, qui circa Fidem de Deo prius non errauerant, licèt alios habuissent errores, propter quos detinerentur in inferno. Hoc quidem præ se fert Hilarius[g], & qui putatur Ambrosius[h] in epistolas Pauli, & Augustinus[i], & Epiphanius[k], & Moses[l] Bar-cepha, & Damascenus[m], & Hermes, seu Pastoris liber citatus à Clemente[n] Alexandrino, qui sibi persuadebat Apostolos quoque defunctos sese ad prædicandum in inferos descendisse, & quidam presbyter soppat Apostolis apud Irenæum[o].

Christum prædicasse omnibus damnatis falsum est.

f Act. 2. & Eccles. 24.

g in psal. 118. vers. 82 defecerunt. & in psal. 141.

h in c. 10 epis. ad Rom. & in cap. 4. epi. ad Ephes.

i 12. in Gen. cap. 33.

k hæresi 46.

l 1. par. de Paradiso sub finem.

m Orat. de defunct.

n 6. & Strom. cap. 6.

Porrò iubet Gregorius[p] Georgium presbyterum sentire, id quod vera fides per Catholicam Ecclesiam doceat, solos per Christi gratiam descēdentis ad inferos liberatos, qui eū & venturum esse crediderant, & præcepta eius viuendo tenuerant. Citat quoque Philastrium[q], & Augustinum[r], qui hanc recenseant inter hæreses. Præterea Beda hoc loco refellit, nomine tacito, Hilarium, & cōtrarium vocat Catholicam fidem. Hic quoque Oecumenius citans Nazianzenum, consentit, solis profuisse Christum qui ipsi, si ad eos venisset, credituri fuissent, quia piè, iustéque vixerunt. Nicetas Nazianzeni Scholiastes etsi illum in opposito sensu videatur intellexisse (sicut & Billius, volens eū ad locum præsentem allusisse) referátque fictitium nescio quid de Platone conuerso, tamen adducit Chrysostomū negantem in inferno quēquam à Christo salutē accepisse, nisi qui salute dignos esset, cū ex hac vita decessit.

Qui per Christi ad inferos descensum liberati sunt.

o lib. 4. c. 45.

p lib. 6 epist. in 179.

q lib. de hæresib.

r lib. de hæresib. cap. 79.

Quid autem referam turpissimum Marcionis errorem, solas sanctorum Patrum animas relictas in inferno, quòd noluerint ibi prædicanti Christo credere[s]: De Philosophis nónullis, quorum quidam sibi de salute persuaderit, ac nominatim de Platone, Socrate, Seneca, lege quæ

Marcionis error turpissimus.

s Irenæ. lib. 1. cap. 29. Epiph. hæres. 24.

refellendo tradit noster Pererius [a]. Illud verò idem Commentum de Platone, qui Scholastico ipsum, vt incredulum damnati, ac maledicenti per somnium responderit, se ex primis fuisse, qui Christo in inferis prædicanti crediderit, Anastasius Antiochenus narrat in libro, cui titulus, ὁδηγός, hoc est, itinerarium.

Sexta est Francisci Turriani [b] nostri, prædicasse Christum in descensu ad inferos, non vbi damnati essent, quia sunt incapaces redemptionis, cùm etiam plurimi alij ex iis essent, qui non aliquando solùm, sicut illi, qui erāt in diebus Noë, sed semper increduli fuerant: nempe vbi iusti in sinu Abrahæ, quia ille locus est lucis, ac refrigerij, non carcer: sed vbi animæ pœnæ temporalis reliquum debitum persoluebant: qui locus appellatur Purgatorium. Veruntamen vnde scire possumus, illos, qui erant in diebus Noë, decessisse cum solo tali debito, & iustos fuisse, & pœnitentiam egisse? Non reddit quoque causam, cur his potiùs prædicatum sit: nec ostendit quæ prædicatio fuerit, cùm priùs quæ credere oportebat, credidissent, dum viuerent. Nil obstat, quò minùs limbus iustorum vocetur carcer, & crediturque à nonnullis tenebrosus: improbabile est illas animas tamdiu in Purgatorio fuisse: est item incertum, an Christus tunc aliquas animas eduxerit de Purgatorio.

Septima, vult eorum animas, quas tempore Diluuij pœnituit, accepisse lætum nuncium redemptionis suæ à Christo. Sic tenet Oecumenius, Carthusianus, Salmeron, Feuardentius, Lyranus, Catharinus, Sà, & loca, quæ postea proferam, Bellarminus, Suarez, Valentia: Suarez autem ideo Petrum attulisse dicit hoc exemplum, quia dixerat priùs, quod Christus mortuus erat, vt nos offerret Deo mortificatos carne, viuificatos spiritu, id est, licet patiamur multa in corpore, tamen saluamur in spiritu. Quod probat dicto exemplo, quia nulli magis mortificati, quàm qui aquis submersi; & nihilo minùs ex iis aliqui in fide Christi, spiritu vixerūt; ac idcirco ipse illis vnà cum sanctis aliis prædicauit descendens in infernum: Valentia, quia singulare beneficium fuit conuerti sub finem vitæ tempore Diluuij, cùm hactenus fuissent increduli: Bellarminus, quia maius dubium erat de hominibus dicto tempore morientibus, an essent salui, nécne. Hæc sententia nititur solo pio iudicio de pœnitentia nonnullorum, priusquam aquis mergerentur, quod probare tamen non possum. Deinde sequitur Suarez lectionem huius loci repudiatam, vt antea monuimus.

Octaua est Ariæ Montani hoc loco, qui totius noui Testamenti difficillimū aliis, sibi inter apertissimos locos censeri dicit. Intelligit spiritus in carcere antea incredulos, illas ipsas animas, quæ saluæ factæ dicuntur in arca, quæ erat velut carcer. Iis prædicasse Christum in spiritu, per Noë auctorem dictæ familiæ, qui persuasit, vt crederent, & in arcam se reciperent: vnde & eiusdem Christi iussu finito diluuio sunt egressæ. Tam mihi apertè absurdus videtur hic explicatus, quàm suo Auctori apertè, & apertè, ni fallor, ex his, quæ adhuc de aliis dixi, refutatus.

Nona Hesselij, describi à Petro vocationem Gentium, quas etiam psalmus 106. & Esaias [c] describunt tamquam vinctos, ac obtenebratos, vectibus ferreis & portis æreis conclusos, & incarceratos: Christum per Spiritum sanctum, vel (quia ipse mortuus est pro iniustis) per Apostolos abunde prædicatum miseris gentibus carcere infidelitatis conclusis, quæ iam olim fuerant incredulæ, cum expectabat Dei patientia & sustentabat peccata hominū, quæ scribit Paulus [d] fuisse in sustentatione Dei; siue tum erant incredulæ, cum expectarent sancti veteris testamenti Dei bonitatem. Ait præterea, explicare Petrum, quo pacto Christus pro iniustis mortuus sit, & quòd animæ sint immortales, ex eo nempe, quòd hominibus seculari iudicio victis damnatisque prædicetur a Christianis Euangelium, sicut ipsi latroni cum Christo crucifixo [e], & iis qui cum Paulo & Sila Philippis vincti erant [f].

Restat vltima sententia, quæ maximè mihi probatur. Sed aliquot pronunciatis distinctè declarari debet.

Primum pronūciatum est intelligi locū istum de reali descensu animæ Christi in subterraneos, & inferos locos. Id asserunt Auctores recitatarū sententiarum, præterquam primarum trium, & octauæ. Præ aliis disertissimè Cyrillus Alexandrinus [g] docet neque de Diuinitate nuda nos dicere posse, quòd per se descenderit, ac prædicauerit, quia maior est, quam vt dicatur (melius dixisset, quàm vt descendere dicatur, vbi ante non esset; ne occasionem det nobis Cyrillus existimandi animas esse visibiles, & corporeas) neque transformatam esse in apparentem animæ figuram: sed quemadmodum Filius Dei cum iis, qui adhuc erant in carne cum carne conuersatus est, ita & animabus in inferno prædicauisse cum anima, quam sibi vnitam habebat. Gaudentius [h] Brixianus descendisse, inquit, Saluatoris animam ad inferos visitandos, non solùm B. Petri epistola, verum etiam B. Dauidis prophetia testatur, cùm dicit [i]: *Non derelinques animam meam in inferno*, &c.

Secundum: Prædicationem Christi, & euangelizationem non profuisse in dictis locis ad obtinendam salutem, vel iustitiam sanctificantem, sed ad manifestandam gloriam Christi, & efficaciam incarnationis, & mortis eius, erga damnatos quidem, quia noluerant credere; erga iustos autem præcipue, qui erant in limbo, quos à propter ipsius merita liberandi erant, & suo tempore gloriam corporum consecuturi.

Priorem pronunciati partem satis confirmat refutatio quintæ opinionis, vel potius hæresis. Quod attinet ad posteriorem, quæ melius intelligetur ex explicatione verborum capitis quarti [k]: *Propter hoc & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundum homines in carne, viuāt autem secundum Deum in spiritu*: per incredulos placet intelligere damnatos, non autem, vt intellexit Caietanus, Iustos, qui Deo credebant, sed non Noë: quomodo enim Deo credebant, qui Dei nomine prædicanti non credebant? Et quid profuit expectasse patientiam Dei, non pœnitentibus? vt bene argumentatur Catharinus: neque item iustos, qui dicuntur, vt Salmeroni videtur, increduli, quia licet haberent sufficientem fidem, non tamen adeo explicitam cognitionem de Christo; nam valdè impropriè de fidelibus vsurpatur incredulorum nomen, sicut si plurimos Catholicorum, qui sunt magis rudes, appellares incredulos: non postremò, quia fuerant aliquādo increduli, inobedientes, & peccatores saltem in Adamo, vt innuere tamen videntur Athanasius [l], & Hieronymus [m], & Hesselius videtur sentire.

Tertium; de damnatis, qui perierunt diluuio

(nec

a in c. 1 epist. ad Rom. q. 18.
b 4 pro epist. Pontificum c. 12.
Opinio Francisci Turriani nostri.
De animabus qua tempore Diluuij pœnituerant locus expositus.
Ariæ Montani sententia.
Hesselij explicatio.
c c. 49. atque 42.
d Rom. 3. 26.
e Lucæ 23.
f Actorum 16.
g de Fide ad Theodos.
h Tract. 10.
i Psalm. 15. Actor. 2. 27.
Prædicatio Christi apud inferos ad quid profuerit.
k v. 6.
l de incarn.
m in c. 9 Zach. & in Tradit. Heb. in c. 6. Genesis.

(nec enim possumus diuinare aliquos egisse pœnitentiam, vt sensit tamen septima opinio) mentionem facere Petro placuit hoc loco, (qui posteà aget de Sodomitis) exempli causa, (cùm non neget aliis item damnatis, vel etiam iustis prædicatum, nos autem, cum aliis affirmamus;) quoniam res adeò insignis, ob tantam multitudinem pereuntium, demptis solis octo, valebat plurimùm ad confirmandum quod ante dixerat, Christum carne mortuum, spiritu vixisse, ita vt posset, sicut & fecit, seipsum suscitare, in quo spiritu descendens prædicauerit, & adumbrabat mysterium Baptismi, atque illorum, qui saluantur post aduentum Christi, vt paulò pòst, cum eôdem Auctore nostro videbimus.

In hoc tertio pronuntiato Pererius [a] cōcordat, & Gagneius [b], & Sà in vna ex expositionibus, quas attingit. Cōuenit mihi quoque cum Auctore quartæ sententiæ, iis exceptis, quæ ibi reieci.

a li. 9. in Gen. disput. 3.
b hoc loco.

Quartum: si cui placeret verba illa: *Quando expectabant Dei patientiam*, accipere de nonnullis aliis distinctis ab iis, qui vocantur increduli, ita vt cùm multi, ac multò plures, & ferè omnes essent increduli, seu quando erant increduli, pauci tamen aliqui expectarent Dei patientiam, & misericordiam, eámque implorarēt pœnitentia ducti: tunc possemus rectè intelligere, Christum non tātùm impiis, & incredulis, sed iustis etiā, & fidelibus prædicasse. Indicat id Oecumenius: Verùm gratis videtur admitti aliquotum pœnitentia, & contextus totus melius refertur ad eosdem. Hieronymus videtur sētire, omnes saluatos, qui submersi sunt in diluuio, mari Rubro, & consumpti igne in Pentapoli. Sed hoc aliàs refellimus.

Si obiicias, cùm dicitur in textu *qui increduli fuerant aliquando*, indicari, non semper incredulos fuisse, sed & ex hac vita discessisse cum fide: item illud aliud: *quando expectabant Dei patientiam*, significare, sperauisse saltem aliquos. Respondeo: vt ratio figuræ cum baptismo consistat, dicendum probabilius videri, sic vt octo soli tunc salui facti sunt in corpore, ita per baptismum, quem etiam non omnes percipiunt, paucos, aliorum comparatione saluari, aut etiam iustificari. Ex quo etiam colligi potest, prædicationem Christi ad eos, qui tunc aquis perierant, saluique facti in anima non erant, fuisse. Quod autem dicuntur aliquando increduli, non sequitur, aut etiam post credulos fuisse: (vt ostendi potest similibus exemplis circa talia aduerbia, vt, donec, &c.) expectare verò patientiam Dei, non erit vel sperare, vel etiam irridere, sed ea abuti.

Ad quos prædicatio Christi facta fuerit.

Difficultatem præterea facere potest capitis sequentis versus sextus, sed eius explicationem ibi reperies. Confirmatur autem sententia, quoniam sequenti epistola capite secundo idem repetitur, simul cum interitu Sodomitarum, & Angelorum, qui videntur omnes periisse. Præterea priùs hortans Petrus ad patientiam, proposuit exemplum Christi passi pro iniustis, sed qui postea spiritu, id est, anima redeunte in corpus resurrexerit, ita tamen, vt antea in illa ipsa anima descendens prædicauerit, videlicet iniustis illis, quos dixi. Vnde bonum animum concipere possumus, licèt modò patiamur ab iniustis, quorum vindex erit Christus. Legēdi qui locum istum accuratè tractauerunt præter Hesselium, Feuardentium & Salmeronem in Commētario, Pererius [c], Bellarminus [d], Suarez [e], Valentia [f], Cantapetrēsis [g]. De patientia Dei tempore Noë in expectā-

c lib. 2. in Genesim disp 3.
d lib. 4. de Anima Christi cap. 13.
e 3. par. Tom. 2. disp. 43. sect. 3.
f 3. par. disp. 2. q 4. punc. 2.
g lib 9. Hypotypos. addit. ad Reg. 10.

dis hominibus ad pœnitentiam, quid Rabbini tradant, scire si cupis, lege in Zohar [h], & in Beresciith Rabbah [i], & apud R. Eliezer [k].

h fol. 46. & 49. edit. Cremon.
i fol. 35.
k c. 22.

Vers. 21.] Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi.

ALlatum exemplum diuinæ patientiæ in expectandis peccatoribus ad pœnitentiam, & misericordiæ in saluandis fidelibus, atque obedientibus; & iustitiæ in puniendis inobedientibus, ac infidelibus tempore diluuij, ad tempus accommodat noui Testamenti, in quo est præfigurata per Arcam, & Diluuium Ecclesia, & Baptismus: volentibus autem intra Ecclesiam manere, eique obedire, & baptismum recipere, salus, & sanctificatio obtingit: sed extra illam constitutis, vel eius mādata, siue quæ tamquam Dei, & Christi nomine proponit, non exequentibus, perditio, atque damnatio.

Celebris admodum Ecclesiæ figura est Arca Noë secūdum allegoriam, & habet etiam vtilem tropologiam, præter physicam similitudinem cum corpore humano. De his ex professo Pererius [l], ac allegoriam quidem, quæ proposito maximè conuenit, colligit ex Origene [m], Augustino [n], Gregorio [o], Ruperto [p]; Adde Hieronymum [q], Cyprianum [r], Firmilianum [s], Iustinū [t], qui tamen etiam ligneam arcam typum crucis facit, quod reperies quoque apud Ambrosium [u], Augustinum [x], & alios, vt alibi [y] dixi. Idem Iustinus citat ex Esaia [z] ὅτι ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ τοῦ Νῶε ἔσωσά σε. *Quoniam in diluuio Noe seruaui te.* Apud LXX. nunc sic est: Ἀπὸ τοῦ ὕδατος τοῦ ἐπὶ Νῶε τοῦτό μοί ἐστι, &c. Augustinus præterea multis aliis locis idem docet [a]. Sed libro de vnitate Ecclesiæ [b] sic loquitur. Nulli nostrū dubium est, per arcam Noë, salua rerum gestarum fide, vt deletis peccatoribus domus iusti à diluuio liberaretur, etiam Ecclesiam fuisse figuratam, quæ fortè humani ingenij coniectura videretur, nisi hoc Petrus Apostolus in sua epistola diceret. Ibidem subdit Donatistam episcopum per bitumen, quo intus ac foris [c] arca illita erat, intellexisse, ne baptismus vel extra Ecclesiam exire credatur, vel quē extra Ecclesiam datus fuerit acceptetur. Vide quemadmodum refellat, & aptius exponi dicat de charitate, quæ nobis inuicem debet esse, & in omnes.

Eodem referri potest familiaris item Ecclesiæ cōparatio cum naui, quam nullo negotio in scriptis Patrū reperias, & in Isagoge Pagnini ad Scripturas, & in Sylua Allegoriarū. Hinc est quod aliqui dicuntur fluctuare [d], vel naufragare à Fide [e].

Quod.] Suspicantur Erasmus, Caietanus, Gagneius legendum ᾧ, cui nimirum aquæ, & ita est in Bibliis Regiis, atque Complutensibus, licet in aliis sit ὃ, nec non apud Oecumenium. Malè Caietanus legens ὃ refert ad arcam, est enim ἀρκτὸς generis fœminini. Vatablus docet esse ordinem præposterum, ibique relatiuum antecedenti præponi, & sic orationem conuertendam: *Et nunc saluos nos facit baptisma, quod respondet aquis diluuij, tamquam veritas typo: vt quemadmodum Noē cum suis in arca sublatis aquis seruati sunt: sic & nos per baptismum.* Carthusianus putat supplendum verbum *dico*, hoc modo: *Quod dico, quia baptisma*

l li. 10. in Genesin disp. 11. 12. 13.
Quomodo extra Ecclesiam salus nemini contingat.
m in ca. 6. Genes. hom. 2.
n 12. contra Faust. c. 14. & seq. & 38. & 39. lib. 19. q. 20.
o hom. 12. in Ezech.
p li. 4. in Genes. cap. 17. & 18.
q 1. contr. Iouin. Dialog. cont. Luciferia & epist. 57. ad Damascen.
r epist. 74. & 76.
s apud Cypr. ep. 75.
t Dialo. cont. Tryphonem.
u de initiandis cap 3.
x de Catechizan. rudib. c. 9.
y in lib. Sap. cap. 14. 5.
z c. 54. 9. non secundū LXX. sed aliam aliquam editionem.
Arca Noë Ecclesiam figurauit.
a 5. de Baptismo, c. vii.
De Vnit. Eccles. cap 5.
De Fide, & operib. c. 15.
De Fide ad Petrum c. 37.
b cap 5.
c Gen. 6. 14.
d Ephe. 4. 14.
e 1. Tim. 1. 19.

similis

pendio forma, seu simile aquis diluuij, &c.

Simulis forma.] Cyprianus [a] legit *similiter*, atque Firmilianus [b], Augustinus [c], & Idacius [d], *simili forma*, Guitmundus, & alicubi Augustinus [e] *sic*, Hieronymus [f], eo modo quo hic legimus. Syriace habetur: *Quo exemplo & vos seruamini*, &c. vbi est ܛܘܦܣܐ *tuphesa*, Græca verò vox ἀντίτυπον; & dicitur baptisma antitypum arcæ seruatæ in aquis cum illis, qui continebantur in ea. Significat propriè ἀντίτυπον id, quod est pro typo, vel typi loco succedit, & habet maximam similitudinem cum illo, etiamsi aliquando illud aliud non sit institutum, vt esset typus, & vt repræsentaret. Quo pacto Nazianzenus [g] noctem paschalem infinitis cereis ardentem, vocat antitypam firmamēti cœlestis, in quo sunt stellæ. Conuenit, & à Græcis Patribus ita sumitur crebrò nomen antityporum pro Sacramentis nouæ legis, vt veteribus opponuntur, tamquam imagini res, vt loquitur Paulus [h], & maximè pro Eucharistia, quæ solet per antitypa absolutè posita intelligi: & interpres, apud Paulum [i] vertit *exemplaria verorum*.

Quamquam eadem Sacramenta nostra, vt signa sensibilia, quæ gratiam significāt quam physicè efficiunt, possint vocari typi, & effectus illorum antitypa, aut etiam illa per habitudinem ad suos effectus, quibuscum habent analogiam proportionis, atque similitudinis retinere appellationem antityporum.

Claudius de Sainctes [k], ac post eum Bellarminus [l] diligenter demonstrat Eucharistiæ saltem consecratæ a nullo Patre Græco tribui vocem antitypi, vt denotat inanem figuram, vacuámque similitudinem: denique idem quod typus, quasi non adsit in ea præsens Christus: sed quia respectu eiusdem corporis Christi, vt est in cœlo, habet se Christus in Eucharistia vt antitypum: nec non si comparetur ad idem corpus in passione, aut aliàs quomodolibet visibile, ac sensibile. Sic modò dum Patres Latini vocant ipsammet Eucharistiam figurā, & signum [m]. Hæc potest censeri antitypi velut actiua significatio: passiua autem, quatenus, vt dixi, res, quæ tali nomine appellatur, per alios typos præsignificata est, quemadmodum eadem Eucharistia per Agnum paschalem, sacrificium Melchisedech, Manna &c. baptismus noster per circumcisionem, columnam nubis, mare Rubrum, &c. tandem per diluuium, arcámque Noë, quem typum hoc loco assignat Petrus, appellans antitypum baptismum. Quocirca in actiua significatione possent ipsimet etiam typi, & Sacramenta vetera nominari antitypa, quatenus videlicet nostra significabant: sicut & Paulus [n] tabernaculum manufactum appellauit antitypum veri, & cœlestis, quia ipsum repræsentabat. Sed vsus scripturæ, & Scriptorum Christianorum obtinuit, vt noui Testamenti Sacramenta numquam typorum nomine simpliciter exprimantur, aut certè aliquid in antecedentibus, & consequentibus attexatur, vnde intelligatur non esse simplices typos, nudáque signa.

Quapropter perperam hoc loco Beza docuit, typum, & antitypum in idem redire. Vellet quippe Sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ, quæ sola duo recipit, nudos typos esse sine re, & effectu, quē operentur, cuius oppositū Catholici tenent, de quo mox. Legēdus præterea Suarez [o] de hoc vocabulo, nec nō Turrianus [p], qui præ ceteris exactior videtur, & præsentem nostrū locum expendit, atque in Commentario huius loci Salmeron, ex illo sine dubio mutuatus. Catharinus obseruat oppositionem cum similitudine, & id indicari præpositione ἀντὶ, quæ componit nomen antitypum: vt illi octo saluati sunt per aquam, ne tangendo mergerentur: ita nos contrario modo per contactum aquæ, & immersionem saluamur, recipientes baptismum, qui est in Arca, id est in Ecclesia. Quemadmodum etiam ligno damnati sumus, ligno redempti.

Et nos.] Aliqui codices habent (*nos*) sed constanter lectionem nostram Græci sequuntur.

Saluos facit baptisma.] Cyprianus, & Firmilianus iam aliquoties citati legunt *faciet* in tempore futuro. Ceteri in tempore præsenti, in quo est verbū Græcum σώζει. Idacius [q], (*Simili forma baptismi saluos facit.*) Hinc primò infertur efficacia baptismi: dicitur enim saluos facere, sicut arcam dum aqua subleuabat, saluabat contentos in ipsa, per physicam, & realem efficientiam. Augustinus [r] in sua illa adeo celebri, & recepta doctrina de Sacramēto, vt id fiat accedente ad elementum operatorio verbo, adhibet ad probationem præsētem locum. Profectò, *si fides saluum facit*, vt quandoque Christus dixit [s], hæretici autem propterea fidem iustificare confirmant: negari non potest de baptismo, de quo etiā Paulus [t] ait, *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, & [u], *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, & Christus [x]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, &c. Sed Petrus [y] Martyr ineptè contendit per aquam intelligi debere non externum elementum, sed gratiam Dei, sicut & per vocem Spiritus sancti.

Alter error hæreticorum est, per solam memoriam baptismi dimitti peccata post illū facta. Hoc docent Lutherus [z], Caluinus [a], Kemnicius [b]: dānatur autem a Concilio Tridentino [c]. Argumentatur Kemnicius, quia de baptismo loquens Scriptura, eius effectum descr.bit modo per præteritum [d]; *Saluos nos fecit*, &c. modo per futurum [e] *Qui baptizatus fuerit, saluus erit*, &c. modo per præsens, vt hoc loco, & alibi [f], *Mundans eam lauacro aquæ*. Respōdeo, quod attinet ad tempus præsens, in quo hic locus legendus est, quamuis legāt alij, vt dixi, in futuro. Petrus confert hic non baptismum cum peccatis, sed Christi tempus cum tempore Noe; vt quemadmodum sub Noë octo saluos fecit diluuium per arcam, sic nunc saluet credentes baptismus Christi. Deinde verum est, quotidie saluari aliquos, & mundari per baptismum; sed a peccatis præteritis immediatè: licèt immediate etiam à futuris, quatenus per characterem baptismalem datur ius ad pœnitētiæ Sacramentum: vel si peccata sint venialia dumtaxat, per gratiam collatam in baptismo, potest quis eorum veniam impetrare, nec aliud voluit Augustinus [g], quem idem hæreticus citat.

Non carnis depositio sordium.] Οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου. Syriace: *Non abluentes corpus à sordibus.* לו כד פגרא משיגן אנחנו מן צאתא *lau chad pagra mesciglin anachnan men tsatha.* Augustinus [h], & post illum in suo Commētario Beda, ex quo est Glossa ordinaria, & Thomas Anglicus, volunt denotari baptismum hæreticorum, quo abluitur corpus, & sola recipitur forma pietatis absq; virtute nimirum gratiæ: licèt character recipiatur, si ritè Sacramenti materia & forma adhibeatur. Sed quia per baptismi externam ablutionem corporis sordes vix deterguntur: præsertim aspergēdo aquam dumtaxat: probabilius est respicere Petrū ad alios

abluen

q conc. Varien. *Baptisma efficitur per quam saluamur.*

r Tract. 80. in Ioan.

s Marth. 9.22. Marc. 10.52. Luc. 7.50. &c. 17.19. c. 18.42.
t Tit 3.5.
u Eph. 5.26.
x Ioan. 3.5.
y in 3. Reg. c. 8.

Error hæreticorum per memoriam baptismi dimitti peccata post illum facta.
z de captiuit. Baby'o. cap. de baptismo.
a 4. instit. 15. §. 3. & 4. & in Antid. Conc. Triden.
b contr. Conc. Trid.
c sess. 7. de Baptismo, canon 10.
d 1. Tit. 3.
e Marc. vlt. 16.
f Eph. c. 5. 26.
Responsio.

g de nupt. & concup. c. 33.

h contr. Faust. c. 12. & 15.

abluendi modos vsitatos in vetere Testamento, quos quia frequēter Iudæi repetebant[a], sibi persuadebant, saltem rudiores ex ipsis facti Christiani, baptismum sæpius à Christianis iterari posse, vt docent Ambrosius[b], Theophylactus[c], Oecumenius[d]. Hoc indicāt reliqui Enarratores huius loci, potissimùm Feuardentius, & placet Bellarmino[e], qui probat hinc quoque, baptismum efficienter lauare sordes animæ, sicut illa Iudæorum baptismata verè tollebant sordes carnis. Thomas Anglicus addit baptismum Ioannis, qui erat tantùm in aqua[f].

Turrianus[g] existimat innui circumcisionē, qui fuit alter typus baptismi. nam per circumcisionem fiebat depositio sordium carnis, hoc est, carnis sordidæ, siue præputij, quod vocat Damascenus[h] *δεῖγμα ἀγνείας*, & Philo[i] inter alias causas institutæ circumcisionis, illam dat, *Διὰ τὴν δι᾽ ὅλου τοῦ σώματος καθαριότητα*, *Propter munditiem per totum corpus*; aitque simul eo ritu significari circumcisionem voluptatum, quæ mentem fascinant, quarum princeps est, quæ partem illam corporis afficit. Quò spectat ratio Rabbi Mosis[k] de debilitatione concupiscentiæ, ac vis fornicandi: quam tamen rationem, quæ placuit etiam Abulensi[l], scio nonnullis displicere[m], quod qui circumcisionem vsurpant comperiantur intemperantes.

Quidquid sit de hac re, de qua nonnihil reperies in Actuum Apostolorum Commentario nostro[n]; arbitratur idem Turrianus, quàm hic vocat Petrus depositionem carnis, à Paulo appellatam *exspoliationem corporis carnis*[o]: præterea Damascenum fauere, cùm ait, nunc circumcidi, esse, *ἐναντίον τοῦ ἁγίου βαπτίσματος*, *contrarium sancti baptismatis*; quasi alluserit ad *ἀντίτυπον*, quo nomine Petrus appellat baptisma, quia contrarium sit typo circumcisionis. Non abhorret hoc loco Salmeron, etsi veretur pleno assensu ferri, ne videatur circumcisioni denegare vim remittendi peccatum originale.

Est quidem de hac vi circumcisionis opposita multorum sententia, vt aliàs docui[p], quam licet sequar, non hæc me ratio retrahit à Turriani expositione: sed quia deponere sordes faciliùs intelligimus fieri per ablutionem quàm per sectionem: Nec illa causa circumcisionis, ad munditiem corporis valde quadrat, vel consentanea est institutioni diuinæ.

Porrò Anabaptistæ (de quibus Coclæus[q], & Caluinus[r],) atque præterea etiam Transyluani ministri[s], & ante illos alij (quorum facit mentionem B. Bernardus[t]) voluerunt non licere baptismum tradere, nisi adultis qui eum per se flagitant, immò Anabaptistarum aliqui expectandum dicebant ætatis annum trigesimum, quo Christus baptizatus est[u]. Ex obliquo facit Erasmus[x], docens examinandos infantes cùm adoleuerint, an habeāt ratum, quod in baptismo ipsorum nomine promissum est: dimittendósque liberos si non habeant. Videtur eodem propendisse Ludouicus Viues[y], dicens olim consueuisse dumtaxat eos baptizari, qui peterent, ac intelligerent, quid sit baptismus. Vnum ex argumentis est, quia baptismus hoc loco describitur *depositio sordium*, id est, peccatorum, has autem non habent infantes. Atqui habent peccatum originale, quod est ipsum per se turpis macula, & seminariū aliarum sordium, quas adulti contrahūt. Vnde Iob[z] iuxta editionem LXX. à qua non valdè discrepat nostra, & Hebræa: *Non est mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram. Τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου; ἀλλ᾽ οὐδείς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς.* Latina editio sic habet: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* At immunditiam carnis tollere potest etiam homo, ex quo loco peccatum originale probant Origenes[a], Augustinus[b], & alij. Negant quidem Anabaptistæ in infantibus esse peccatum originale: sed Paulus asserit, *omnes in Adā peccauisse*[c], & *natura esse filios iræ*[d], vt alias probationes omittam. Tandem damnatur hæresis illa in Concilio Tridentino[e]. Nec displicet verò quod ait Hesselius, innui hoc loco per Sacramenta non liberari fideles à miseriis & afflictionibus præsentis seculi, de qua re Augustinus[f].

Sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.] *Ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν*: Syriacè: *Sed gratias agentes Deo cum pura conscientia.* Significat præterea *ἐπερώτημα* stipulationem, vt Gagneius notat, quæ scilicet fit respondente eo, quo cum initur contractus. Depositionem sordium animæ sic explicat Petrus, & *μετωνυμικῶς* describit, ac appellat baptismum per illius effectum: nam sic abluit peccata, vt si se baptizati (qui non fictè, sed seriò accesserit ad baptismum) animus corā Deo examinet, atque interroget, grauis maculæ minimè conscius, tutò, quantùm fert humani iudicij imbecillitas, respondere possit, & reddere Deo illud ipsum testimoniū, quod Spiritus sanctus dat in corde, *quòd sit adoptione filius Dei*[g], bene quoque sperare, se quod in baptismo per seipsum, si adultus erat, vel per susceptores, si puer (vnde nihil hinc habent prius refutati Anabaptistæ) stipulatus est, credere propositis articulis, atque abrenunciare Satanæ, ac pompis eius, ratum habere, & præstare velle.

Conueniunt cūcti ferè expositores in isto sensu, quem possunt illustrare similia Pauli[h] verba: *Aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda*, quæ de baptismo interpretantur Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. Sed idem hic vltimus in expositione huius loci nostri, sumit interrogationem pro diligenti inquisitione, quam bona conscientia præditus facit de rebus ad salutē conducentibus; & cōperto quòd baptismus sit necessarius ad eū accurrit.

Beda, & ceteri Latini post Augustinum[i], explicant de interrogatione, quæ fit baptizando à baptizante, & tendit in Deum, vt non fictè, sed ex animo accedat, & per bonam conscientiam vnum efficiatur cum Deo, dum scilicet fides, quam baptizandus exigitur, & affert, informatur charitate: quæ si priùs non aderat, infunditur bene disposito per baptismum, baptismi verò externa lotio in adulto, per se non sufficiat absque dictis dispositionibus; qua eadem de re idem adhuc Augustinus aliis in locis[k], Ambrosius[l] quoque, & Basilius[m]. De interrogatione quæ fit ante baptismum, Dionysius[n], Cyrillus[o] Alexandrinus, Augustinus[p], alij. Caietanus exponit de iam baptizato adulto, cuius verum studium est, atque consequens ex baptismo effectus, si cooperari velit, vt inquirat applicationem scientiæ erga Deum bonam. Titelmanus declarat Petrum significare, se non loqui de ablutione sordium carnis nostræ, sed de baptismo, qui valeat ad conscientiam nostram bonam apud Deum commēdandam, posteaquàm hæc fuerit per illum emendata. Arias indicat per baptismum reddi consciētiam adeo de diuina ope securam, vt speret quis

impetra

a Heb. 6. 2 c. 9. 10. Matt. 7. 3. 4. Leuit. 11. & 15. Num. 19.
b 2. de pœnit. c. 2.
c in cap. 5. ad Hebræos.
Baptismus sufficienter sordes animæ lauat.
d ibidem.
e 1. de Sacra. in genere c. 3.
f Matth. 3. 11. & alibi.
g in Clem. li. 3. constit. 13.
h 4. de Fide cap. 24.
i de circumcis.
k doctoris dubi. lib. 3. ca. 50.
l in cap. 17. Genes.
m ibid. disp. 1. Pererio.
n cap. 7. 8.
o Coloss. 2. 11.
p Act. 7. 8.
q in Actis Lutheri an. 1527.
Anabaptistarū error de baptismo.
r in Instruct. cont. Anabapt. & 4. instit. c. 16. § 29.
s libris contra Trinit. & In carnat.
t ep. 240. & ser. 66. in cant.
u Lucæ 3. 23. Matth. 3. 16.
x Præfa. paraphra. in Matth.
y in c. 27. lib. 1. de ciu. Dei.
Peccatum originale nomine sordium intelligitur.
z cap. 14. 4. & cap. 15. 4.

a Hom. 8. in Leuit.
b 12. cont. Iulia. c. 2. 10. de ciuit. c. 16. in psal. 60. 3. Hypognost.
c Rom. 5. 12.
d Ephes. 2. 3.
e sess. 7. can. 12. 13. 14.
f Enchir. ca. 66. 3 cont. Iul. c. 3. & 6. lib. 6. c. 4.
Baptizatus per baptismum verè filius Dei adoptione efficitur.
g Rom. 8. 14. Gal. 4. 5.
h Heb. 10. 22.
i 10. contr. Faust. c. 12. & tract. 8. in Io.
k ser. 3. de verb. Dom. lib. de perf. iust. in fine.
l de his qui initiantur ca. 3 & 4.
m de Spiritu S. c. 12. & 15.
n Eccl. Hier. sub finem.
o 12. in Ioan. c. 64.
p ep. 23 & alibi sæpe.

impetraturum se quidquid petierit, iuxta illud[a]: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deũ: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo*, facimus. Hæc nempe censeri potest interrogatio, postulatio, interpellatio, quæ dicitur Hebraicè שאלה *schaalach*, & eiusdē linguæ idiotismo cum præpositione ב *bi*, באלהים *beelohim*, εἰς Θεὸν, idem est quod postulatio à Deo, &c.

a 1. Ioan. 3. 21. & 22.

Interrogatio pro postulatione vsurpatur.

Cauendus Vatablus, cùm ait, sensum esse *quod baptisma, quo nos seruamur, non est ablutio, quo eluuntur sordes corporis, sed declaratio recti, & pacti animi erga Deum, qua sordes animæ eluuntur, vt quæ sordes corporis*. nam videtur velle, quod maximè volunt hæretici, per baptismum non fieri sanctificationem nostram, nisi protestatiuè, & declaratiue, vnicam verò causam esse fidem.

Vatabli error.

Sed & Lutherani secuti magistrū in huius loci Commentario, qui ἐπερώτημα pactum interpretatur, volunt seorsum esse, *quod baptismus saluos nos facit, non quatenus lauat corpus, sed quatenus obsignat pactū, quod habet anima cum Deo, aū fide accipit promissiones eius*. Hęc sunt Lutheri verba; quibus Caluini quoque similis expositio, quãuis vocē Græcã non pactum, sed responsionem reddat. Esto, sit ἐπερώτημα pactum vel testimonium, nō ait Petrus baptismo pactum, vel testimoniū obsignari, sed nos saluari, siue iustificari: vnde illud oritur bonæ consciētiæ testimonium: quemadmodū qui erant in arca Noe, nō sunt saluati per aquas, testificãdo, aut obsignãdo promissiones, sed re ipsa in sublime aquis arcam eleuando. Lege Bellarminum[b].

b 2. de Sacra. cap. 17.

Argumentatur porrò Augustinus[c] hinc ex loco non esse ad salutē satis, vt quis credat; alioquin à Petro manifeste dictum videri de bonæ cõscientiæ interrogatione: *siquidem & habentes*, inquit, *pessimas conscientias omnium flagitiorum, & scelerũ plenas, nec eorum malorum pœnitentia mutatas, tamē baptisma saluos facit*, propter fundamentum (nempe fidei) quod in eo baptismate ponitur. Fauet nihilominus etiam alicubi primæ illi opinioni de interrogatione baptizando fieri solita ante baptismum. Infert Prosper[d] solo baptismo non posse consequi salutem eũ, qui adultus est, si desit interna dispositio. Citat & sequitur eum Algerus[e].

c de Fide, & operib. ca. 15. Credere ad salutem non sufficit.

d lib. senten. August.

e 3. de Eucha. cap. 7. Prædestinati soli non sunt in Ecclesia.

Sequitur præterea, hæreticos abuti similitudine Arcæ Noë, in qua qui fuerunt, salui facti sunt a diluuio, vt probent intra Ecclesiam tãtum esse Prædestinatos. Valet comparatio dumtaxat in hoc, quod extra Ecclesiam non est salus: intra illam verò iis, qui non solo numero, sed merito quoque fuerint, habentes dictam conscientiæ bonæ interrogationem in Deum, & charitatē gratiamve. Congruit proposito, quod qui nomen gerit Augustini Auctor libri de substantia dilectionis[f], dicit eum, qui non credens æterna, sola quæ transeunt appetit, absque naue, vel arca trahere secum impetus aquæ decurrentis: qui credit æterna, sed transitoria diligit, iuxta nauem, vel arcam naufragium facere: qui etiam diligit æterna, in naui, vel arca securum pertransire.

f c. 7. tom. 4.

Per resurrectionem Iesu Christi.] Addunt aliqui (a mortuis.) Qui baptismo renascitur, simul quodammodo resurgit, mortuus, & veluti sepultus, & suffocatus in peccatis, quæ ei remittuntur, ita vt Christi resurrectio, sit veluti forma nostræ iustificationis. Idcirco *mortuus dicitur propter delicta nostra, resurrexisse propter iustificationem nostram*[g].

Resurrectio Christi nostræ iustificationis forma.

g Rom. 4. 25.

Indicant sensum istũ Glossa Interlinearis, Hugo, Thomas, Primasius. Beda verò, Lyranus, Arias, quia ius acquiritur ad resurrectionem per baptismum, Carthusianus; quoniam requiritur potissimùm a baptizando fides de resurrectionis articulo, qui est ex difficilioribus, sed ita, vt sit fides formata, & viua. Caietanus addit spem de illa. Oecumenius: quia Christus post suam resurrectionem promulgauit præceptum Baptismi[h]. Titelmanus, quoniam baptismus saluat per virtutem resurrectionis Christi. Cui similis expositio Hesselij, quam nec Estius approbat.

h Mar. vlt. 19. Mat. vlt. 16.

Prima optima expositio, cui fauet Basilius[i]: addens definiri Euangelium posse, formam vitæ, quæ est ex resurrectione. Probat item, ab aqua simplici non esse virtutem baptismi, sed à præsentia Spiritus sancti; præsentiam autem confirmat ex prioribus verbis, quæ continent effectum Spiritus sancti. *Conscientia bona interrogatio in Deũ.*

i de Spiritu sanct. cap. 15. Euangelium quid sit.

Hæreticis non prodest hic locus, vt probent iustificationis per se causam fidem esse. nam non dicit Petrus baptisma saluare per fidem resurrectionis: &, si sic eum interpretaremur, deberemus intelligere de viua, vt Carthusianum intellexisse retulimus: sed per resurrectionem, hoc est, vt prima expositio habet, quoniam baptizatus repræsentat Christi resurrectionem, ex aquis emergendo; & quia baptismus facit iustificando nos, *vt in nouitate vitæ ambulemus; quemodo Christus per resurrectionem nouam vitam viuere cœpit*[k]. Sic respōdet Kemnicio Bellarminus[l]. In pueris quidem non præcedit fides, cum tamen consequantur baptismi effectum, suoque tempore cùm adoleuerint, propter gratiam prius acceptam, cum auxilio gratiæ, possunt actum fidei elicere.

k Rom. 6. 4.

l l. 2. de effe. Sacram. c. 9.

Vers. 22.] Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur, profectus in cœlum, subiectis sibi Angelis; & potestatibus, & virtutibus.

ET hi sunt alij fructus passionis Christi, ad ipsũ quidem pertinentes, & quos meruit sibi, sed in nostrã quoque redundantes vtilitatē. nã *conresuscitauit, & consedere nos fecit Deus in Christo Iesu*[m].

m Ephes. 2. 6.

Qui est in dextera Dei.] Ruffinus[n] addit: *Sedens in cœlis*. Quid sibi velit hæc dextera, & Christi sessio ad dexteram Patris, vel Dei, copiosè satis docui in Commentario historiæ Apostolicæ[o], & an magis honorificum sit sedere ad dexteram[p], præter eos, qui sunt ibi citati à me, legendus etiam Tiraquellus[q], qui differit etiam de prærogatiua loci medij[r].

n in symbol.

o cap. 1.

p cap. 7.

q de iure primoge. in præfat num. 15. & seq.

r ibidem nu. 116. & 117.

Deglutiens mortem, vt vitæ æternæ heredes efficeremur.] Nec Græca, nec editio Syra habet hæc, licet Catharinus dicat esse in Græcis libris nouæ editionis, quos non reperi adhuc. Legunt verò Latini omnes expositores, prætereáque Fulgentius[s]. Aliqui codices, vt notat Thomas Anglicus, legunt, *vt vos efficeremini*, &c. Quo pacto possessio vitæ æternæ dicatur hæreditas, quæ simul vocatur merces, sors, gratia, &c. aliàs notatum est. Filius adoptione, traditur hæreditas; sed adoptio est ex gratia. Gratia; quia datur sine merito, sors quædam videtur: & quia exigitur ab eo, qui gratiam consecutus est, vt collaboret cum ipsa; labori respōdens beatitudo, merces appellatur.

s de fide ad Petrum c. 2.

Beatitudo cur hæreditas, & merces, sors & gratia dicatur.

Mortem deglutiuit Christus, momordit[t] infernum, vel *morsus inferni ipse fuit, & illã ipsum mortem morte affecit*[u], *præcipitauitque in sempiternum*[x]: *absorbuit in victoria*[y], *ita vt insultari possit ei: vbi est stimulus*

t Osee 13. 14.

u ibidem

x Esa. 25. 8.

y 1. Cor. 15. 54.

stimulus tuus, vbi victoria tua[a]? *Per mortem destruxit eũ, qui mortis habebat imperium*, id est, diabolum; & liberauit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti[b]: Imperium diabolus mortis habebat, quia persuadens peccatum[c], inuexit in genus humanum mortem, & hac intentione illud persuasit, & peccatores accusat ante conspectum Dei[d] vt moriãtur, & sub eius omnes mortui forent potestate, nisi liberasset Christus. Adam causa mortis quidem fuit: *per vnum enim hominem mors*[e], *& in Adam omnes moriuntur*[f]; at nec mortem nostram intendit, nec nos accusat, nec eius potestati mortui sunt subiecti. Morimur, verùm spes immortalitatis metum tollit, & angorẽ mortis, qualem solet perpetuò ferè experiri seruus sub domino. *Mortale hoc induet immortalitatem*[g], *& de manu mortis liberabimur*[h], Hebraicè שאול *seol*, Græcè ᾅδου inferni, vt nempe mortuorum animæ non detineantur perpetuo à morte, & ab inferno. Ponitur apud Paulum[i] Græcè infernus pro morte: *vbi est mors victoria tua?* ποῦ σου ᾅδου τὸ νῖκος, vel secundùm LXX. apud Oseam, *vbi est causa tua?* ποῦ δίκη σου, quasi diceret, ea cecidisti, nec ius amplius habes, aut pronunciare sententiam potes contrà homines: nec durioris pœnæ retines rationem: siquidem hęc omnia importat δίκη. Sed quod apud Esaiam[k] est: *Præcipitauit mortem in sempiternum*. Chaldaice est, *oblivioni tradent*. יתנשון *iabneschun*: Hebræo verbo בלע *balhal*, & Græco κατέπιεν, significat deuorauit, vel absorbuit, κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας, *mors præualens*. Paolus autem rectè interpretatus Hebræum idiotismum, vsurpandi pręteritum actiuum pro passiuo, vt notauit Ribera[l], vertit, κατεπόθη ὁ θάνατος, *Absorpta est mors*[m]. Ait præterea in actiua significatione sensũ esse posse, quòd mors illa insignis, nẽpe Christi, absorbuit pręualẽs, quia prævaluit morti per Adã introductæ, consumpsitque in victoria, vel in victoriam, quatenus illa penitus deuicta est, quod Hebraicè dicitur in Esaia לנצח *lan'tsa-h*, *in finem* aut *victoriam*, & noster interpres reddidit *in sempiternum*. possetque etiam exponi *per sanguinem*. Denotat verbum deglutiẽdi plenam destructionem mortis: quàm auidè Christus mortuus sit: quàm citò Christi mors transierit: quàm fuerit amata. Hugo primam rationem dat, (quę etiam est Glossæ) & secundam: loco tertiæ hanc aliam; quia licet maneat mors, vt ita dicamus in substantia, qualitas eius mutata est, id est, prior efficacia: & nutrit nos purgando, & puniendo, vt amara potio solet.

Profectus in cœlum.] Dictum quoq; satis cap. 1. Actuũ Apostolicorum de ascẽsione Christi super omnes cœlos. Syriacè, euectus est אתעלי *ethhhalu*.

Subiectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus.] Subiectio ista simul Humanitas ad vnionem hypostaticam assumpta est, ẽ[x]egit: vnde & ministrabãt ei boni Angeli[n]: mali vel inuiti eum prędicabant, & illi parebant[o]: & dicitur *caput omnis principatus & Potestatis*[p]: sed propter conditionem mortalem, cui Christus se subiecit, & cõfortationem eorum quandam admittere voluit[q], inferior fuit ex parte: in resurrectione autem, & ascensione prorsus perfectè subiecit omnes sibi. Omne genu flexit se coram Christo, postquam exaltatus est finita humiliatione propria, etiam cœlestium[r]. Verùm hæc cœlestia, siue Angeli sancti sponte id faciunt, ac vt primùm introduxit Pater vnigenitum suum in orbem terrarum, iubẽti, ipsi vt adorarent eum omnes Angeli[s], boni libenter paruerunt. Innotuit tamen id magis post triumphum de Morte, & de Inferno.

Posset cum Titelmano, & Aria Petrus intelligi de subiectione vtràque, tum spontanea bonorum, tum coacta Angelorum malorum, de qua Paulus ad Colossenses[t]. Sed videtur potiùs de prima loqui voluisse, cùm faciat mentionem de profectione in cœlum, atque de sessione Christi ad dexterã Patris, siue ad supremũ dignitatis in cœlo locum, infra quem sine dubio sunt omnes Angeli sancti. Loquitur eodẽ pacto idem Paulus ad Ephesios[u]. Perfecta omnino subiectio erit post diem Iudicij: interim necdũ videmus omnia subiecta Christo. Non subiecit verò Angelis Deus orbem terrę futurum[x]: *cùm fuerint Christo subiecta omnia, tunc & ipse Christus subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus*[y]. Idacius[z] obiiciẽti subiectum dici Christum Deo, hunc opponit locum, quo dicitur Angelos, Potestates, Virtutes sibi subiecisse. Probat hinc quoque Athanasius[a] diuinitatem Christi, quia Petrus eum appellat dominũ Angelorum, & Potestatum.

Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus.] Generali nomine substantiæ creaturæ, spirituales, perfectę, Angeli vocantur. De etymologia, & aliis nominibus aliàs[b] dixi. Absolutè positũ sæpius accipitur pro bonis. Tamen interdum quoque pro malis, vt ibi: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus*[c]? Immò vt etiam alibi[d] ostendi, aliquando qui malus est, vocatur Angelus Domini. Ceterùm putãt expositores Latini, & Clemẽs Alexandrinus, per Angelos hoc loco designatam infimam Hierarchiã totam: per potestates secundam: per virtutes tertiã.

Hugo, ac Thomas Anglicus ex[e] Dionysio notant, vocem virtutis quãdoque omnibus Angelis tribui, quoniam reperitur in omnibus virtus, & operatio, & in Hymno trium puerorum[f] verba illa omnes Angelos, inquit Thomas, denotãt: *Benedicite omnes virtutes Domini Domino*. nihilominus hîc sumi pro tertia Hierarchia, quia virtus est nomen bonitatis, & excellentiæ: Angeli autẽ primæ Hierarchiæ diuinam bonitatem excellẽtius recipiunt. At virtus hîc non significãt bonitatem Reperio apud Cyrillum[g] Alexandrinum supremarum potestatum nomine Seraphim appellata, & apud Chrysostomũ[h] Virtutũ, itémq; apud Hieronymum[i]. Dionysij antẽ locus, in quo hoc dicit, est in libr. de cœlesti Hierarchia[k], notat id etiam Florus, Magister in expositione Missę. In dicto autem hymno per virtutes Domini placuit aliis accipere Angelos motores cœlorũ, atq; de illis intelligẽda verba Præfationis Missæ: *Cœli, cœlorumq; virtutes*: quidam cœlorum, ac siderum virtutes designari volunt. Pererius in Cõmentario eius loci, omnes virtutes rerum naturalium, quæ sunt principia mirabilium effectuum: qualis est virtus magnetis, piscis remoræ, & aliæ in metallis, lapidibus, herbis, animalibus. Cogit distincta quæ hîc fit mẽtio, de Angelis, Potestatibus, Virtutibus, atque subiectio sub Christo tamquam rerũ eximiarum, vt certum quemdam ordinem substantiarũ intelligentium accipiamus, cum alioqui crebrò in Psalmis Virtutes pro exercitibus, seu ordinib. omnibus Angelorum sumãtur, vel iis saltem, qui Deum quodammodo stipãt, nec ita ordinariè mittuntur: & quò nobiliores, hoc pluies putãtur.

Carthusianus hinc argumentatur, virtutes nõ pertinere ad infimam Hierarchiam, prout Gregorius[l], & Bernardus[m] voluerunt qui sic disposuerunt cuiutq; Hierarchiæ Choros: in prima Seraphim, Cherubim, Thronos: in secũda Dominatio-

Marginal notes: a ibidem 55. — b Heb. 2. 14. 15. — c Gen. 3. 1. & seq. Sap. 2. 24. Rom. 5. 12. *Diabolus mortis habebat imperium.* — d Apoc. 12. 10. — e Rom 5. 12. — f ibidem. — g 1. Cor 15. 54. — h Osee 13. 14. — i 1. Cor. 15. 54. — k cap. 25. 8. — l Osee 13. n. 29. — m 1. Cor. 15. 14. — *Mors Christi nostra præualens.* — *Quid significat deglutire.* — *Christus in instanti vnionis hypostaticæ angelos sibi bonos malosque subiecit.* — n Matt. 4. 11. & sæpè in Euangelio. — o — p Coloss. 2. 10. — q Luc. 22. 43. — r Philip. 2. 10. — *Angeli boni Christum in orbem terrarum introductum sponte adorarunt.* — s Heb. 1. 6. — t cap. 2. 15. — u cap. 1. 21. — x Heb. 2. 5. 8. — y 1. Cor. 15. 28. — z cont. Varim. — a epist. de sent. Dionys. Alex. *Christi diuinitas probatur.* — b Disp. de Angelis & alibi. — c 1. Cor. 6. 3. — d Act. 12. 23. — e de cœlest. Hier. — f Dan. 3. 61. *Virtutes omnes Angeli dicuntur, sed propriè tertia Hierarchia sic dicitur.* — g in c. 6. Elaiæ. — h ibid. & hom. 3. cont. Anom. sep. de visio. Esa. ad Damasum, & in c. 10. Ezech. — k cap. 5. — l Hom. 34. in Euang. — m 5. de consid. cap. 3. *Tres Angelorum Hierarchiæ quomodo diuidantur.*

nes: Principatus, Potestates: in tertia Virtutes, Archangelos, Angelos. Isidorus [a] inchoando ab Angelis, enumerat Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubim, Seraphim. Idem Carthusianus exponens Dionysium [b], refert se legisse quoddā Opusculū Bernardi, in quo se dolere scribat, quod hac in re discessisset à Dionysio. Et quidem dispositionem Dionysij sequuntur passim omnes, vt sint, dignitatis seriem sequendo, primi tres Chori Seraphim, Cherubim, Throni: secūdi Virtutes, Dominationes, Potestates: tertij, Principatus, Archangeli, Angeli.

Quamuis autem B. Thomas [c] velit Dionysium in secunda primo loco collocasse Dominationes, tum Virtutes; denique Potestates, sicque Abbatis Vercellensis, qui B. Antonij de Padua præceptor fuit [d], versio habeat: ceteri tamen, qui eundem Dionysium sunt interpretati, illo quem dixi modo reddiderunt: quamuis etiam Carthusianus asserat, non exactè traditum ordinem à Dionysio, sicut nec apud Paulum [e] semper idem reperitur, optimúmque esse, qui assertur à S. Thoma. Atqui Damascenus [f] recitans Dionysium, primo ponit loco Κυριότητας, secundo Δυνάμεις, tertio Ἐξουσίας, hoc est, vt de B. Thoma retuli, Dominationes, Virtutes, Potestates.

Dionysius porrò, quem simpliciter sequendum duco in enumerādo singulos ordines, principium sumit ab infirmioribus, atque sic Hierarchiam secundam dicit esse, τῶν Ἐξουσιῶν, καὶ Κυριοτήτων, καὶ Δυνάμεων, id est, *Potestatum, Dominationum, Virtutum*, & ordine inuerso Virtutum, Dominationum, Potestatum. Prætermissa tractatione de aliis, Dionysius [g] exponit Potestates, de illis Angelis dici, qui inseparabili constantia intenti sunt in diuinum obsequium, illúdque ordinatissimè suscipiunt, & ad id etiam ea, quæ post se sunt Angelorum agmina promouens. Virtutes, qui inconcussa velut mascula quadam fortitudine prompti, atque expediti sunt ad idem obsequium, atque ad id præterea opem largiuntur aliis Angelis inferioribus.

Communis item opinio est, pertinere ad Potestates, cohibere, alligare, arcere Dæmonas: ad Virtutes, miraculis inseruire quę faciunt ad commune bonum Ecclesiæ, Fideique confirmationem: sicut ad Dominationes præsidere, ac statuere quæ sunt executioni mandanda.

Iam verò quia modus ille loquendi, quo Petrus vtitur, dicēs quod Christus subiecit sibi Angelos &c. indicat aliquid aliud, quàm solam diuinæ naturæ præstantiam, nempe Christum ipsum hominem hoc fecisse, quamuis ratione dignitatis ex vnione hypostatica, videri posset hinc sequi, fuisse causam gratiæ, & gloriæ Angelorū: id autem præcipuè innotuisse, quando ascēdit in cœlum, & superiorem ibi locum obtinuit, infra se relinquens omnes. Paulus [h] dicit *eum constitutum supra omnem principatum & potestatem*; vocárque corporis totius Ecclesiæ, quæ conflatur videlicet ex Angelis, non solùm ex hominibus, caput. Vnde probat B. Thomas [i] vnum componi mysticum corpus ex hominibus, & Angelis, quia vtriq; per gratiam, quam ab influxu eiusdem Christi tāquam capitis acceperunt, ordinantur ad eundem finē vitæ æternæ. Confirmat adhuc tum ex ministerio, quod Angeli exhibuerunt Christo [k] ex aliis verbis Pauli [l] *Constituit eum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnē principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius.* Affert noster Turrianus [m] multa, vt ostendat vnam esse Ecclesiā ex hominibus, & Angelis, &, vt Canon Cōcilij Niceni loquitur, quem citat, in cœlis, & in terra. Accedit quod omnes *Angeli sunt administratorij Spiritus, propter eos qui hereditatem capiunt salutis* [n]: hæc igitur in re parēt Christo, qui salutis illius auctor est hominibus: atq; de hoc ipso ministerio iudicādos docet Angelos S. Thomas [o]. Docet prætereà [p] Dionysius Angelos a Christo illuminari. Ex aliis Patribus magis disertè hoc videntur asserere de Christo etiam quatenus homo est, Gregorius [q], Rupertus [r], Laurentius [s] Iustinianus, vt alios omittam tum Scholasticos, tum Theologos recentiores, quos citat, & sequitur noster Suarez [t].

Ratio quoque suadet, quia cùm præuisa sint Christi merita, & prædestinatus fuerit priusquam præuisa sit gratia, & gloria Angelorum, & antequā hi prædestinarentur, *est enim primogenitus omnis creaturæ* [u], *& initium viarū Dei* [x]. Credibile est ordinasse etiam Deum eiusdem Christi merita ad hunc effectum, ad quem sine dubio ipsa cōdignitatem valoris habebant, vt pote infinita: & id ad honorē illius pertinebat; & sic seruabatur maior quædam ratio iustitiæ, atque misericordiæ respectu Angelorum, vt scilicet ipsis cōferretur gratia, & gloria propter merita Christi, hoc item modo maior futura erat cōiunctio, & amor inter nos & Angelos: prętereà decet quoad fieri potest, omnia vnius generis, qualis est gratia hominū & Angelorum, reuocari ad vnā causam in illo genere: adhæc quia multo verisimilius, ac penè certum est, Angelos in via fidē habuisse de Christo, cuius & modò vident mysteria in verbo: ergo propositus est ipsis tamquam caput, cui subiicerētur, & à quo bona cuncta ipsorum supernaturalia penderēt: ita vt malorum Angelorum peccatū in hoc aliqui [y] velint consistere, quod eiusdem subiectionem detrectauerint. Quocirca subiecti sūt omnes Angeli pedibus etiam Christi, vt loquitur Hieronymus [z]: non quidē propriè vt redemptori, quia mali numquam à peccato resurgent: boni numquam peccauerunt, nec peccabūt, (etsi Hieronymus [a] ex Origenis opinione quædā circa hoc habet de salute Dæmonum.) Sed quia malorū inobedientiam punit & potentiam cohibet: bonis præter gratiam, quam dedit quoque malis in via, contulit donum perseuerantiæ, & gloriam. Vnde non est Angelis data gratia ex præuisione Christi meritorū, quatenus erant fundata in morte ipsius, sed absolutè.

Quidquid verò sit, an fuerit incarnādus Christus, si peccatū Adæ non fuisset, & vt non passibilis ac mortalis. licet hoc si negemus, intelligere possumus meruisse Angelis per alios actus, quàm per mortem: vel eosdem actus etiam passionis & mortis ab eodem extensos esse ad merendum pro Angelis, quamuis non ad moriendum, & satisfaciēdum pro illis: quemadmodum ipse sibi aliquid meruit, nec tamē pro seipso mortuus est; aut sacrificiū obtulit, vt definitur in Concilio Ephesino [b]. Plura citatus Suarez [c], atque etiam Valentia [d].

Christus gratiæ & gloriæ Angelorū causa fuit.

Christus caput Angelorum est.

Gratia & gloria collata est Angelis propter Christum.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

ARGVMENTVM.

Argumentum capitis 4

Totum ferè in hoc est caput istud, vt Christi redemptis morte persuadeatur deuitare peccata praterita: orationi vacare, ac mutua dilectioni: omnia referre in Dei gloriam: gaudere, si pati propter Christum necesse sit.

1 CHRISTO igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis.
2 Vt iam nō desideriis hominū, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis.
3 Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam his, qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolētiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.
4 In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes.
5 Qui reddēt rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos.
6 Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est: vt iudicentur quidem secundū homines in carne, viuant autem secūdùm Deum in Spiritu.
7 Omnium autem finis appropinquauit. Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.
8 Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatē cōtinuā habentes: quia charitas operit multitudinē peccatorum.
9 Hospitales inuicem sine murmuratione.
10 Vnusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.
11 Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum: cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.
12 Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat.
13 Sed communicātes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.
14 Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniā quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit.
15 Nemo autem vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.
16 Si autem vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.
17 Quoniam tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?
18 Et si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt?
19 Itaque & hi, qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

Vers. 1.] Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis.

Vers. 2.] Vt iam non desideriis hominum, sed voluntati Dei quod reliquum est in carne viuat temporis.

VRGET iam priore Capite positum argumentum ab exemplo Christi, ne quisquam impatienter ferat molestias, calamitates, persecutiones, quantumuis videatur innocens, nam Christū totius exemplar innocentiæ, passum pro nobis,

Et hoc pertinet etiam ad argumentum huius capitis.

contra potiùs efficiendum, vt maiore studio colamus innocentiam, ac in posterum nosmet ad Dei voluntatem, quod patiendo videlicet Christus fecit, totos accommodemus; hominum iudicia de nobis negligamus, praua desideria fugiamus: quibus vt satisfaciant, Christi doctrinam, & sectatores insectantur ac vexant.

Christo igitur passo in carne.] Illatio respicit sermonem paulo remotiorem capitis prioris [a], quando dictum est, *quod Christus semel pro peccatis nostris mortuus est*, &c. Addit Græca, & Syra editio (*pro nobis*.) Passus dicitur Christus in carne, qua etiam præpositione Syrus interpres vtitur בבסר, *bab'besar*, vel carne, vt est in textu Græco σαρκὶ, legitq; correctior codex Roberti Stephani, & Latini, Hieronymus [b], vt & illud *pro nobis*, atq; Gelasius [c]: Augustinus [d] verò *per carnem*, quoniam causa sensibilis passionis est à carne, licet sensatio fiat animæ opera, & Christus ipse professus sit animæ suę tristitiã [e]: vel pati in carne, & carne significat passum Christũ duntaxat, dum in hac vita vixit mortali: nihil autem neque tunc diuinitatem ipsius, neque animam quando à corpore separata est: quamuis dum viueret, pars animæ quoq; superior suos habuerit dolores, salua tamen visione beatifica, in qua etiam coniuncta fuerit consequés in parte superiore, licet non redundaret in inferiorem, delectatio. Qua in re Melchiorem Canum [f] id de delectatione negãtem non probo, scilicet saltem in cruce impeditam, salua vera beatitudinis ratione. Meritò tamen confutat Caietanum cùm negat, in voluntate Christi actum, quo nollet mortem, & cùm testis voluntas dicitur, sumi voluntatem pro appetitu sensitiuo.

Illam Cani sententiam Henricus [g] censet Fidei contrariam: Suarez [h] falsam, & temerariam, atque contra omnes Theologos, & cõfirmat verbis Cãtici [i]: *Egredimini & videte filia Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitia cordis eius*, vt nẽpe intelligatur locus de spinea corona. Sed & alia profert Scripturarum, & Patrum testimonia.

Notãt Patres, data opera sic locutum Petrum, vt innueret in Christo aliam naturam, nẽpe diuinam passionis incapacem, & ratione cuius re ipsa in se nullo modo passus est: alioqui nil opus fuisse illud adiicere, sed simpliciter dicere, *Christo passo*. Ea notatio extat apud Clemẽtem Alexandrinũ [k]: contra quem Nestorius isto, similibusq; abutebatur locis, vt ostenderet carnem Christi, corpúsve fuisse dũtaxat seu templum Diuinitatis, nec posse prædicari per idiomatum etiam communicationem, Deum passum, mortuum, natum, &c [l].

Explicat fuse idem Cyrillus eandem veritatem, afferens in exemplum passerculum sanguine quidem tinctum, sed viuum dimissum [m]. Deni quę actiones, & passiones nõ sunt naturarũ, sed personarum. Ideirco Christus Deus passus, & mortuus est. Fatetur enim Paulus *Dominum gloriæ crucifixum* [o], sed secundum formam serui, nõ secundum formam Dei, secũdum carnem siue naturam humanam, non secundum Deitatem, *si (Petrus) fateretur*, inquit Fulgentius [p], *Christi diuinitatem fuisse passibilem, sufficeret ei dicere, (Christo igitur passo) nec addidisset in carne, sed quoniam naturas in vno, eodémque Christo, & passibilem, ante mortem, fuisse naturam, & impassibilem semper diuinam manere substantiam; propterea Christum fatetur passum in carne, cuius Diuinitatem nouerat pro suo impassibilem permanere.* Asserit etiam Athanasius, quod verbum quod [q] olim fieri dicebatur ad Prophetas, non item dicebatur caro fieri, quando nascebantur, vel pati, quando patiebantur: sed cum assumpsit carnem de Maria, & passus est Christus, pronunciari de Verbo vtrumque potest: secundum autem confirmat præsenti testimonio. Rursus docet [r], eundem dici debere, qui passus est, & qui non est passus: nõ enim alium esse præter ipsum Dei verbum, quod passionem, & mortem recepit: sed idem illud impassibile, & incorporeum carnis generationem tolerauisse, & his omnibus perfunctum esse, vt haberet quod afferret pro nobis.

Gelasius Papa [s] vrget eundem istum locum, vt probet duas naturas in Christo cum vnica persona diu na: & vtitur similitudine, qua & citatus Cyrillus sumpta ex anima nostra, quę iisdem afficitur quibus caro, atq; compatitur, non tamen ipsa in substãtia sua vllo vulnere sauciatur, vel quibuslibet plagis, vexationibúsq; cõtingitur: animã enim nemo potest occidere [t]. *Beatum*, inquit, *Petrũ audiamus dicentem: Christo igitur carne passo, omnes eadem fide armamini. Carne passum dixit, non Deitate, cum tamen ipsa Deitas totum faciat, quidquid caro perpessa est, sicut & Filius hominis suum habet totum, quidquid est, Dei, & sub vna persona meritò vnus atque idem dicitur pati, quidquid vt Deus homo patitur, non infirmitate, & conditione passibili, sed dignitate suam faciens passionis iniuriam: adunatione patiens, sed sine passibilitate compatiens: sicut vnus, idémque virtutes operatur, quidquid vt homo Deus operatur.* Paulo fusius Patrum retuli verba, pręter morem meum, quia mysteriũ tantũ, tanti refert propriis verbis explicare: & hi, quos attuli, ex professo, disputabant cum Hæreticis.

Augustinus [u] ad idem adhibet exẽplum Martyrum occisorũ in carne, & corpore, quod portabãt sine interfectione, vel morte animæ. Multa in hanc sententiam alij afferunt, vt Irenæus [x], Theodoretus [y], Eusebius [z], Concilium Hispalense [a] secũdum, Elias [b] Cretẽsis. Vim quoque facit Theodoretus in eodem exemplo Martyrum. Eiusdem verò non possum, quin ad hoc afferam de pręsenti hoc loco iudiciũ. *Diuus Petrus*, inquit, *in sua Catholica Christum carne passum esse dicit. Qui autẽ Christum audit, non incorporeum Deum verbum intelligit, sed incarnatum. Christi ergo nomen vtramque naturam significat. Illud autem, carne adiectum passioni non vtrãque, sed alterutram passam esse designat. Qui enim audit, Christum carne esse passum, eum rursus vt Deum impassibilem intelligit, soli autem carni passionem tribuit, &c.* Eusebius impatibilitatẽ istam Verbi in carne illustrat solis radiorum exemplo, qui nihil patiũtur sordidis, & mortuis corporibus, quæ attingũt. Affert etiam allatũ de Anima; nec non de eo, qui lyram pulsãs, aut neruos conuellẽs, nil ipse patitur.

Arnobius [c] cõtra Gentiles obiicit: *Si plena Apolline Sibylla ab impiis esset cæsa, atque interfecta latronibus, non dicturos illos in ea occisum Apollinẽ: eodémque modo, si vates Helenus, si Marius, si alij ariolãtes.* Damascenus [d] præter similitudinẽ luminis nihil patientis, adhibet ferrum candens, cui iniecta aqua, ignem extinguit, salua ferri substantia. Rectè verò admonet, in exemplis non requiri exactam similitudinis rationem. Argumentantur & Patres Hispalensis Concilij ex isto loco: *Ergo* aiũnt illi, *si Christus in carne passus est, non secundum Deum, sed secundum hominem crucifixus est.* Legantur in eodẽ Concilio multi alij prolati Patres Græci, & Latini, tum Ambrosius [e].

Necessariũ autẽ non duco monere de extrema alia Caluini blasphemia, non sola Christũ carne

passum

a vers. 18.
b tom. 2 com. lovin. c lib. cont. Eutyche. & Nestorium.
d lib. de Fide & operibus ca. 20.
e Matt. 26. 38. Cur dicatur Christus in carne passus.
f lib. 12. de locis Theolog. cap. 14. sub finem.
g quodlib. 8 q. 7.
h 3. par. tom. 2. disp. 38. d. 3.
i cap. 3. 11.
In Christo duæ naturæ, diuina & humana, ex quibus diuina fuit passionis incapax.
k de Fide ad Reginas.
l in Concil. Ephes. tom. 1 ca. 13. ep. Nestorij. m in oration. in cod. Conc. Ephes. tom. 4. c. 26.
Passiones nõ sunt naturarum, sed personarum.
n Leuit. 14. 6. 7.
o 1. Cor. 2. 8.
p 3. ad Trasim. c. 9. lege etiam cap. 10.
q serm. 4. cont. Arian.
r ser. de incarn. qui incipit Moses pij. Christus passus est, & non est passus.
s lib. de duab. natu. cont. Eutyc. & Nestor.
t Matt. 10. 28.
u de Agone Christiano c. 21.
x lib. 3. c. 20. & 21.
y dial. 3.
z 4. de demõs. c. 13.
a in act. 4. seu 2. de Filio, quo est Nazianzen.
Christi nomen vtramque naturam significat.
c 1. cont. Gent.
d lib. 3. de Fide cap. 26.
e 2. de Fide, ca. 3. lib. de incarnat.
Horrendus Caluini error.

passum, hoc est, dum viueret mortalis homo, suos quoque in anima ipsa sentiens dolores, verum etiam anima separata à corpore, quæ damnatorum pœnas tolerauerit, vt pote etiam desperans in cruce. Meminimus ante, ac horrescit animus vel cogitate. Lege dialogos Feuardentij, & nostrum Suarez [a].

Et vos eâdem cogitatione armamini.] Hieronymus [b]: *Eâ-em conuersatione*: Fulgentius [c], *eâdem sententia*, Gelasius [d] *eadem fide*: sed fortassis per accommodationem, vel interpretationem sic loquuntur. Nam ἔννοια est meditatio רעיון *rehbiana, mens ac voluntas*. Armandi verbum admonet nos pugnæ, ac militiæ nostræ, quam vita nostra profitetur, ita vt ipsamet denominetur tota militia [e]. Relege quæ diximus capite secundo [f]. Validè armamur meditatione passionis Christi: & si hæc *nobiscum recogitauerimus, nō defatigabimur, nec deficiemus, aut dissoluetur animus noster* [g]. Vult Paulus nos huiusmodi cogitationem suscipere non obiter, aut per ludum, sed seriò ac sedulò. Id sibi vult *ἀναλογίσασθε, reputate, expendite, considerate*, atq; æstimate analogiam, & proportionem, quæ est in tali illa contradictione, quam Christus passus est aduersos se, & in ea, quam patimini, quanta quota illa sit, persecutione: *nondum enim vsque ad sanguinem, quem fudit Christus prò vobis, restitistis aduersus peccatum repugnantes, ἀνταγωνιζόμενοι*. Hæc panoplia nostra: ita vt meritò Paulus [h] *indicaret nihil se scire nisi Iesum Christum crucifixum*: non quod non alia sciret mysteria, & prædicaret, vt resurrectionem, &c. Sed quia, vt obseruat Augustinus [i], in Christo crucifixo multa homines discunt, maximè *vt crucifigantur mundo, & mundus ipsis* [k]. Armaturam fortium, cuius in Canticis mentio [*], Gregorius [l] accipit de exemplis sanctorum: validissima quæ ab exemplo sancti sanctorum. Maiores animos concipimus viso tam forti duce, quàm conceperunt Machabæi equite Angelo conspecto in veste candida armis aureis, hasta vibrata [m].

Nouum, & inauditum pugnæ genus, *nonnique bella, quæ elegit Dominus* [n], in quibus compugnantes vnà cadunt, vnà quodammodo vincunt: crucifigatur mundus, crucifigamur & nos. Ibi intelligitur, ait idem Augustinus, omnis coërcitio malarum concupiscentiarum. Plus potuit conformatio brachiorum Mosis in crucis morem cõtra Amalech, quàm arma externa [o]. *Si aduersarius Amalech-a*, loquit idem Doctor [p], *ver includere, atque impedire conabitur, perseuerantissima extensione brachiorum eiusdem crucis indicio superetur* [q]. Venit in mentem Ciceronianum illud ad Trebatium [r]: *vsque quaque sapere, solum acerrimum esse*, scilicet, vt dias, *Paulus non aliud se indicabat scire, nisi Iesum crucifixum* [s]. Quid si Petrus, qui vnus hac vtitur dicendi forma, vt nos armari iubeat cogitatione passionis Christi, respectum habuit ad gladium, quo armatus percussit seruum pontificis [t], quando rapiebatur Christus indignè ad mortẽ? Quod ipse tunc, si mysterium attendisset, Christo sic compassus esset, vt Patris, qui talem calicem Filio dabat, se voluntati magis accommodaret. Potest accommodatè huc transferri, quod est in Threnis [u]: *Dabo eis scutum cordis laborem tuum*, vt exponit Pintus.

Hugo notat verbo armandi significari, cogitationem passionis non suscipi ad oblectãdum animum, sed ad impugnãdum vitia: & quia non omnibus conceditur pati, vt simus saltem parati. Sacramentum Confirmationis, quo creamur Christi milites, à crucis consignatione potissimum in fronte, vocatur signaculum à Cornelio Papa [x], & Ambrosio [y]. Id Iulianus Apostata signũ, vt Christianam eiuraret militiam, victimarũ voluit eluere sanguine, vt meminit Nazianzenus [z], Glycas [a], (Prudentius [b] ritum exponit,) & Ethnici detracta eradere cute frontis posse se putauerunt, vt Glyceriæ apud Surium [c], & Armogasti apud Victorem [d]. Chrysostomus [e], & Cyrillus in [f] frõte crucem potissimum firmari scribunt, vt Christi miles arma obiiciat. De aliis causis Gretserus [g]. Thomas Anglicus acutè obseruauit Christum in cruce armatum fuisse spinis pro galea: carne pro lorica: clauis pro lancea, vel gladio: crucem equi loco tenuisse.

Nec me verò latet, armorum vocabulo quæuis instrumenta intelligi apud bonos Auctores, ac proinde armare esse apparare, vel instruere, quæ vsui sunt ad aliquid. *Cerealia* vocat *arma* Virgilius [h] Agricolarum, quibus sub nomine durorum agrestium tribuit quoque illa [i], ligones, aratra, plaustra, &c. Sicut nautarum arma dicuntur vela, rudentes, antennæ: cocorum veru, cochlearia, ollæ, &c. studiosorum calami, libri. Sic idem Poëta armari classem dicit [k]. Græci eôdem pacto vsurpant ὅπλα & ὁπλίζειν, vt obseruauit Eustathius [l], *Ἀντὶ τοῦ τάξειν ἢ αὐτὸ τὸ ἐπιμάζειν, & παρασκευάζειν*.

Quia qui passus est in carne, desiit à peccatis.) Cogitatio, qua nos armari vult, includit cum passionis Christi meditatione firmum animi propositum ad imitandum in eo Christum, vt quemadmodum semel secundum carnem Christus passus; mortuúsque immortalis euasit: sic nos *vbi carnem cum vitiis, & concupiscentiis* [m], *quoad licet per conditionem humanam gratia quoque diuina adiutam crucifixerimus, & peccatis mortui* [n] *fuerimus*, Deo tantùm, eiúsque obsequio viuamus, ac seruiamus, libẽter ferendo res aduersas, perinde fere ac si effecti essemus impassibiles. Et ita, vt quamuis caro tolerret, animos de sede rationis non deturbetur, ipséque pati non censeatur, quia non cedit. Tota oratio habet homonymiam, quam vidit Carthusianus, vt vel de Christo, vel de imitatore Christi possit intelligi. Sed primo modo, qui Titelmano placet, atque Salmeroni, quem idem iure postponit secundo, traditúrque passim à ceteris non solùm expositoribus, verùm etiam Hieronymo [o], & Augustino [p], & in editione Syra: nun desiit Christus à peccatis, quasi peccauerit vmquam, sed quia semper abstinuit: vel potiùs quoniam desiit pro nobis *peccatum esse* [q], *ac dici*, hoc est, hostia pro peccato cruenta, & *quod mortuum est peccato, mortuum est semel* [r]. Omnis quidem corporis mors typus est passionum nostrarum: sed maximè quæ crucifixione perficitur, siquidem affixis membris demitur potestas mouendi se. Ideo Paulus *Christo se confixum cruci* dicebat: *iam non se viuere* [s], *sed in se Christum*.

Demonstrat egregiè Cassianus [t], abrenunciationem nil aliud esse, quàm imitationem, & imaginem crucifixi. Similis huic in epistola ad Romanos [u] habetur sententia: *vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra iam non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato*, id est, liberatus veluti à iugo, & necessitate quadam peccandi, sicut qui corpore crucifixus est, liber est ab operibus vitæ.

Desiit à peccatis.] Augustinus [x] *desiit peccare* Hieronymus [y]: *Quieuit à peccatis, πέπαυται ἁμαρτίας*.

Marginal notes (left): a 3. p. Tom. 3. disp. 33. — b in con. Iou. c 3. ad Trasi. c. 9. — d lib. de duab. natur. — e Iob. 7. 1. — f vers. 11. *Christi passionis meditatione vadè armamur.* — g Hebr. 12. 3. & 4. — h 1. Cor. 2. 2. — i de fide & operib. c. 10. — k Gal. 6. 14. * Cant. 4. 4. — l ibid. — m 2. Mach. 11. 8. *Nouum pugnæ genus in nouis bellis.* — n Iud. 5. 8. — o Exod. 17. 11. — p hom. 10. ex lib. 50. hom. — q Iud. 17. 13. & seq. — r lib. 7. epist. in 16. — s 1. Cor. 2. 2. — t Mat. 26. 51. — u cap. 3. 65. — *Confirmationis sacramentum crux in eo armatur diabolus.*

Marginal notes (right): x apud Euseb. 6. hist. c. 35. — y 1. de sacr. c. 1. lib. 6. c. 2. — z orat. 1. contr. Iulian. — a par. 4. Ann. — b Peri Steph. Hymno 10. — c 10. Maij. — d 1. de persecu. Vandal. — e Chrys. hom. 55. in Matt. — f Catec. 4. — g 4. de cruce. c. 51. — h 1 Aeneid. i 1. Georg. — k 4 Aeneid. — l Iliad. 2. — m Gal. 5. 24. — n Rom. 6. 1. & alibi. — o 1. cont. Iou. p de fide & oper. ib. cap. 10. hom 50. ex li. 50. hom. — q 2. Cor. 5. 21. — r Rom. 6. 10. *Crucifixionis mors passionum nostrarum more figuratur.* — s Gal. 2. 19. 20. — t 4. instit. c. 34. & 35. — u c. 6. 6. 7. — x supra. y supra.

Peccatorum absolute positũ mortale significat.

Peccatorũ nomine absolute posito grauia intelliguntur, quæ vocamus mortalia. Nam desinere, atque quiescere à leuibus, & venialibus, eximiũ priuilegium est, præterque Deiparam desinire non possumus, an alij vlli concessum. Salmeron perpendit singularis numeri *ἁμαρτίας*, atq; sensum esse, vt cesset baptizatus à peccato, desinendo facere fomitem siue concupiscentiam, quæ est in carne, ne amplius regnet [a], atq; ne viuat secundũ desideria hominum, nempe peccatorum, & carnalium: quod fit, dum non consentit illi, sed voluntati Dei. Nimis angusta expositio apud Hugonem de solis carnalibus peccatis.

a Rom. 6. 12.

Vt iam non desideriis hominum.] Hieronymus [b] *in desideriis*. Ambiguum an sit casus dandi, an auferendi. Augustinus [c] videtur in posteriore legisse, quoniam quod sequitur nomẽ, legit in eôdem *voluntate*: Hieronymus item addita præpositione. Viuere desideriis, & volũtati videtur idem, quod in voluntate, atque desideriis, siue ad volũtatem, ac desideria: viuere voluntate, ac desideriis, adhibere velut normam viuendi desideria, & voluntatem alicuius, & illis quodam modo agi, ducique non solùm referre actiones suas ad illa: quamuis hæc omnia valde connexa sint. *Qui hominibus placent, confunduntur, & Deus spernit eos* [d]: nec *Christi seruus esse quis potest, simulq; hominibus placere* [e]: & eurandum quidẽ, *vt hominibus placeamus sed in bonũ* [f]: sicut faciebat Paulus [g], exemplo Christi [h].

b supra.
c supra.
d Psal. 52. 6.
e Gal. 1. 10. 1. Thess. 2. 4.
f Rom. 15. 2.
g ibidem 1. & 1 Cor. 10. 33.
h Rom. 15. 3.

Homo simpliciter sumptus in deteriorem sumitur partem, & carnalem significat: vnde secundum hominem ambulare, & carnalem esse idem est [i]: *nasci quoque ex sanguinibus*, & quod idem est, *ex voluntate carnis, & viri, atque ex Deo nasci*, opponuntur [k]: nec non mandata Dei & hominum, vel traditiones, ac doctrinæ [l]: *& sapere quæ Dei sunt, & quæ hominum* [m].

Secundum hominem ambulare quid sit.
i 1. Cor. 3. 3.
k Ioan 1. 13.
l Matt. 15. 9. Coloss. 2. 8. Tit. 1. 14.
m Mat 16. 23.
n in c. 1. epist. ad Galatas.

Augustinus [n] egregiè docet, quo pacto simul Deo, simul hominibus placere valeamus, & debeamus. Homo non placet vtiliter, nisi cùm propter Deum placet, id est, vt Deus placeat, & glorificetur, cum dona eius attenduntur in homine, aut per ministerium hominis accipiuntur. Cùm autem sic homo placet, non iam homo, sed Deus placet.

Quod reliquum est in carne, viuat temporis.] Non displicet, vt dicatur allusio esse, quod Catharinus notauit, & Salmeron post eum, ad quadraginta, quibus Christus post resurrectionem, ante ascensionem hic vixit dies, quo spatio totum significetur vitæ nostræ tempus, quod à Baptismo viuere nobis datur in terris: & tum demum legitimè patet cœlum. Augustinus [o] legit: *voluntate Domini Dei reliquum in carne viuat*. Hieronymus [p], *in voluntate Dei reliquum in carne tempus exigat. Perdis, quod viuis*, ait idem Augustinus [q] Deum alloquẽs, *qui te Deum non diligit. Qui curat viuere non propter te, Domine, nihil est, & pro nihilo est. Qui tibi viuere recusat, mortuus est.*

o de fide, & operib. c. 10. & lib. 50 homil. 40.
p 1. cont. Iou.
q Manuali, c. 4.
Perdit, quod viuit, qui Deum non diligit.

Versic. 3] **Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam his, qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolẽtiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.**

Renouatos Baptismo, & qui veterem hominem exuerunt, decet in nouitate vitæ ambulare [r], & qui sese antea ad voluntatem hominum peccatorum accommodauerunt, eorum deinceps mala opera nec imitari, nec sectari. Horum operum nonnulla paulò magis externa, crassaque recensentur, quibus à toto genere Gentiles erant obnoxij, tametsi potuerint inter illos esse, ac re ipsa fuerint aliqui a talibus abhorrentes. Generalis quoque iuuat reprehensio, vt caueant diligentiùs, qui cauerunt, & quod cauerint, gratias agant Deo, cuius gratiæ, atque misericordiæ *deputare quisque debet* cum Augustino [s], *quæcumque non fecit mala*, ita vt non fecisse, sit nobis Deum condonasse.

r Rom. 6. 4.
Cur maximè Petrus ad abstinendum ab his vitiis moneat.
s 2. Conf. c. 7. soliloqu. c. 15.

Sufficit præteritum tempus.] Additur Græcè *βίου*, vitæ. Sed ex Latinis nullus addit, nec Syrus interpres. Item Græce *ἀρκετὸς γὰρ ὑμῖν*. Sed correctius *ἡμῖν* nobis *ὁ παρεληλυθὼς χρόνος*: *sufficiens vobis*, &c. Quare rectè Vatablus vertit in prima persona quod patrauerimus: & ait Caietanus Petrum se aliis annumerare, quamuis talia non fuerit, vt admonitio faciliùs admittatur.

Quod ait *sufficit*, non approbat præteritam vitam, sed reprobat potiùs, vt Lyranus notat. Sic vsurpatur idem verbum alibi, vt [t], *suffecerat errasse eos*, &c. Tale illud: *Iam noli peccare* [u]: & *sufficiant vobis domus Israel omnia scelera vestra* [x]: & *sufficiant vobis principes Israel: iniquitatem, & rapinas intermittite* [y], &c.

t Sap. 14. 22.
u Ioan. 5. 14. & 8. 11.
x Eze. 44. 6.
y ibid. c. 45. 9.

Ad voluntatem Gentium consummandam.] *Τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι*. Augustinus [z] *Voluntates Gentium consummasse*. Voluntas, aut voluntates Gentium idem important, quod priore versu desideria hominum. Solent autem inter homines maiore ex parte deteriores esse Gentiles, vt pote destituti vera Dei notitia, & imbuti falsa religione. Porrò quia Petrus alloquitur eos, qui ex eiusmodi superstitione sunt conuersi, bene in præfatione sumus argumentati, scriptam esse hanc epistolam non propriè ad solos eos, qui de Iudaismo transierant ad Christianismum, quibus conuenire potast, quod capite primo [a] dicitur de redẽptione à vana conuersatione paternæ traditionis, verùm etiam ad illos, qui immediatè de Gentilitio ritu. Quamquam video responderi posse, omnes, qui se in ea vitia dent, quæ hîc enumerantur, censeri viuere ad voluntatem Gentium, quæ, vt dixi, magis illa frequentant. Quem sensum insinuat Lyranus, & Latini ceteri, ac Oecumenius: Caietanus etiam confirmat ex eo, quòd sententiam exprimi putat in textu Græco in prima persona plurali, séq; Petrum ea includere, cùm loquitur de peccatis nationis suæ Iudaicæ. Sed prior sensus magis obuius, & facilis videtur.

z lib. 50. hom. in 20.
a vers. 18.

His qui ambulauerunt in luxuriis.] Ambulandi verbo designatur varia in malis progressio. Per luxurias, quas libidines Augustinus [b] reddit, Hugo, & Lyranus externos actus intemperantiæ circa venerea intelligunt, sicut per desideria internos actus, quando facultas deest externorum. Per *ἀσελγείαις* omnes lasciuiæ significantur in verbis, gestu, veste, aliis rebus, etiam cum violentia, proteruia, petulãtia, & alterius iniuria. Vertit interpres idem vocabulũ locis aliis impudicitias [c]. Eôdem verò modo quo hîc, iterum in epistola Petri secunda [d], & Pauli ad Galatas [e].

b lib. 50. hom. in 20.
c Mar. 7. 22. Rom. 13. 13. 2. Cor. 12. 21. Ephes. 4. 19. 2. Pet 2. 2.
d c. 2. 7.
e c. 5 19.

De multiplici Gentilium luxuria variè idem Paulus ad Romanos [f] scribit, & ad Corinthios [g]. At verò cum Thessalonicensibus [h] agens, ait; *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra: vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore*,

f Rom. 1. 24 & seq.
g 1. epist. c. 6. 9. & seq.
h 1. ep. c. 4. 3. 4. & 5.

non in passione desiderij, μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, sicut & Gentes quæ ignorãt Deum. Plena omnia fere scripta Gentilium, maximè poetarum, lasciuiis, & nostri quoque meminerunt, qui pro religione Christiana condiderunt apologias. Geminus huic, Pauli ex epistola, quam dixi ad Romanos, locus, cùm diuino consilio in eum incidisset Augustinus, parum antea distans à Gentilibus, quia Manichæus, illi occasio fuit orthodoxæ religionis amplectendæ [a], permotus est ad meliorem frugem.

a 8. Conf. cap. vlt.

Desiderijs.] ἐπιθυμίαις. Vetita sunt etiam interna desideria: cautum *ne concupiscamus* [b], quia *qui videt mulierem ad concupiscendum eam, mœchus esse censetur* [c]: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum* [d]. Generale nomen est ἐπιθυμίας, & verbum ἐπιθυμεῖν, quod apud Epiphanium [e] ait Methodius. *Οὐχὶ ἐπὶ τῶν παρόντων, καὶ κειμένων ἐν ἐξουσίᾳ κεῖσθαι, ἀλλ' ἐπὶ τῶν παρόντων μὲν, μὴ ὄντων δ' ἐξουσίᾳ. Non in præsentia, & quæ in nostra sint potestate, quadrare, sed in præsentia quidem, vt quæ non subsint nostræ potestati.*

b Exo. 20.17. Deut. 5.21. Rom. 7.7. & 13.9.
c Mat. 5.28.
d Iaco. 1.15.
e hæres. 64.

Est per se mala, cui consentitur interius concupiscentia, quia repugnãs rationi. Sed quia post Adæ peccatum, in statu naturæ abundabat genus humanum peccatis, ægrè admodum deprehēdebat, & concupiscentiæ morbum agnoscebat: Immò & multi quędam peccata, etiam externa propter obscuratum intellectum, pro peccatis non ducebant: & quæ talia esse iudicabant, nõ vt contra Deum, sed tantùm contra rationem, neque propositas à Deo pœnas sciebãt. Hoc sensu dixit Paulus [f] *se peccatum non cognouisse, nisi per legem, neque concupiscentiam, nisi lex diceret: Non concupisces* [g]: licet simul, quia quæ prohibentur, magis appetuntur, lex autem, ac status legis scriptæ, ipse per se sufficiens remedium non dabat mali, quod indicabat: *passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti* [h].

Concupiscentia cui interius consentitur, per se mala est.

f Rom. 7.7.
g Exo. 20.17. Deut. 5.19.
h Rom. 7.5.

Atqui cauẽdus error hæreticorum huius temporis in altero extremo, ipsammet concupiscentiam, cuiúsq; motus omnes peccata esse. Iacobus [i] *à concupiscẽtia*, id est, à potentia concupiscendi docet nos abstrahi, & illici per suggestionem, & delectationem; cùm concepit per aliquem imperfectum consensum, *tunc parere peccatum: si autem peccatum consummatum fuerit per plenum cõsensum, generare mortẽ*, vt passim cum Beda tradũt expositores alij [k], atque Gregorius [l]. Lege Bellarminum [m]. Concilium Tridentinum [n] damnat primum errorem, cum præcipit vt confiteamur de peccatis mortalibus etiam occultissimis, ac aduersus duo tantùm vltima Decalogi præcepta commissis, quæ nonnunquam animum grauius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittũtur. Augustinus [o] crebrò testatur, concupiscentiã quamtumlibet ferueat, ebulliat, tumultuetur in carne, non esse peccatum coram Deo, donec accesserit voluntatis consensus: dici tamẽ peccatum, quoniam ex originali peccato est, & ad peccandum inclinat: præcepto autem *non concupisces*, prohiberi prauum voluntatis consensum.

Concupiscentia quomodo sit peccatum.
i Iac. 1.15.
k ibid
l homil. 16. in euang. & apud Bedã 2. lib. c. 27.
m li. 1. de gra. & statu pecc. c. 7.
n sess. 14. c. 5. & Can. 7.
o 6. con. Iul. c. 5. & 7. lib. 1. de Nupt. & conc. c. 23. 25. 26. li. 1. con. duas ep. Pelag. c. 13. & alibi.
Concupiscentia non est peccatũ, nisi accesserit voluntatis consensus.

Vinolentiis.] Οἰνοφλυγίαις. Quare mendosè legũt aliqui, (vt meminit Thomas Anglicus,) violentiis. Sunt propriè ebullitiones, & eructationes, ac veluti existentes pustulę, tuberculi, tumores. Oecumenius explicat, *τὰς ἀπὸ τῶν οἴνων ἀκρατεῖς ὁρμάς*, ex vino. De immoderato vini vsu aliàs [p]. Testis Bacchi, qui & Ianus, cultus, adeo frequentatus à Gentilibus, quàm essent vino deditι. Aptè luxuriis, ac desideriis libidinosis subiectæ vinolentiæ sunt, & postea comessationes, atque potationes. Sunt hæc illarum fomenta. *Qui nihil rei* (ait Seneca [q],) *nisi vino, & libidini vacant, turpissimè occupati sunt. Ceteri etsi vana gloria imagine teneantur, speciosè tamen errant, licet auaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel bellatores, omnes isti virilius peccant. In venerem, ac libidinem proiectorum inhonesta labes est.*

p Eccl. 2. 3. & Act. 2.15.
q de breuit. vitæ c. 6.
Aduersus ebrietatem.

Multa declamant Patres in ebrietatem, Basilius maximè. Illud proposito accommodatum, quod ebrios appellat [r] *idola Gentium, quia oculos habent, nec vident, aures, & non audiunt, manus paralysi affectas, pedes infirmos, ac facilè offendentes* [s]. Idem Petrus epistola prima ad Clementem legẽdus, quæque de Clerico vinolento collegit Espensæus [t].

r hom. 14. de ebrieta.
s Ps. 113. 5. 6. 7.
t in 1. ad Tim. lib. 2. digress. c. 14.

Comessationibus.] Κώμοις Est comessatio, vel commessatio, siue commissatio propriè cibus, ac potus post cœnam, ex luxu sumptus. Latior tamen est vsus huius vocabuli, vt & commissatoris, & commissandi pro epulis, & cõpotationibus, tum illis, quæ ex collatione, symbolisque comparantur. De his Cœlius Rhodiginus [u], Auctórque cõuiuialium antiquitatum. Græcum nomen, ex quo videri possit deriuata cum simplici m, scripta comessatio. Latius item patet, ac magis quidẽ, quàm apud Latinos. Primaria notio indicat immodicã cibi, potúsve sumptionem, quæ κῶμα conciliet, id est, somnum profundum, qui & marcor dicitur, veternus, lethargus. Isidorus Pelusiota [x] describit κῶμον, id est, comessationem esse tibię cantum, qui cum largiore vino ad voluptatem, & libidinem extimulat, ac conuiuium in fœdum, & obscœnum theatrum mutat, atque per cymbala quædam, & instrumenta ad fraudes accommodata conuiuas mulcet, ac delinit.

Comessatio quid sit.
u lib. 28. c. 2.
x lib. 1. ep. in 416.

Postea κῶμον vsurparunt pro conuiuio luxurioso, & omni amatoria lasciuia, proteruia, nequitia, præsertim vino calentium. Vnde & apud Gẽtiles huiusmodi comessationum præses Deus Κῶμος, de quo Philostratus [y], & quorumdam sententia, Κωμῳδοὶ, quasi cantantes inter comessandum, vel ἐν καιρῷ Κώμου. (Est forsan quam Itali vocant *la mattinata, ò serenata*,) quamuis alij malint ἀπὸ τῶν κωμῶν à pagis, & vicis, per quos dispersi genio indulgentes iocosas, & dicaces cantilenas cantitarent.

Comus Deus quis fuerit.
y in Imagine 1.

Sunt qui comessationem indidem deriuent, nempe à vicis: prius enim in illis habitabant, & alij alios inuitabant. Malunt quidam omnino Latinam vocem esse, & a comesse, vel à comitate deductam. Mitto præcipuas edendi formas, vel tẽpora Græcis ἀκράτισμα, ἄριστον, ἀκρατισμα, δεῖπνον, δόρπον, Latinis ientaculum, prandium, merendã, cœnã. De his disputat in horis subcisiuis Biciola noster; sed omissa comessatione, quam præterea non nemo [z] vocat comesationem, deducens à comi, & hanc vocem à communis.

z Lambinus in Horat. 4. Carm. Od. 1.

Potationibus.] Πότοις. Augustinus [a], *potatione* in numero singulari. Paulus [b] μέθαις, & κώμοις coniungit *ebrietates & comessationes*: quemadmodum etiam Plutarchus [c]. Et Suidas Κῶμον exponit esse μέθην. Addunt hoc loco aliqui *ebrietatibus*, Græcè non est. Syrus Interpres superiora omnia sic enumerat: *In crapula & ebrietate & proteruia, & cantu.* Potationes additæ sunt præter vinolentias, quia non vino tantùm, sed aliis quoque rebus ebrietas inducitur, vt Lyranus annotat: Adde, citra periculum etiam ebrietatis, reprehensione dignas esse crebriores absque necessitate potationes. Quamquam ex genere suo intemperantia circa ista non sit mortale peccatũ, sed ob damna,

a lib. 50. hom. in 20.
b Rom. 13. 13. Gal. 5. 21.
c in Politicis.
Non vino tantũ sed & aliis rebus ebrietas inducitur.

quæ inde possunt proficisci. Talis fuit in Augustini matre adhuc puella primò, deinde in grandiore culpa leuis, largius bibendi merum.

Illicitis idolorum cultibus.] Augustinus, *Nefandis idolorum seruitutibus.* Ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις. De vanitate, ac turpitudine idololatriæ nonnihil egimus declarando librum Sapientiæ. Ibi inter alia scribitur, quod infandorum idolorum cultura omnis mali causa est, & initium, & finis. Docuimus eo libro, infinitum quemdam numerum deorum apud Ethnicos fuisse, qui rebus quibusque, vnde vtilitatem caperent, diuinitatis honorem, cultúmque reddebant. Id præterea Prodicum Chium testatur Sixtus empiricus dixisse, ac verbi gratia, veteres existimasse, panē esse Cererem, vinum Bacchum, aquam Neptunū, ignem Vulcanum, &c. De Deo Como paulo ante diximus. Ridet Arnobius Gentiles, quod colerent Vnxiam, quæ superesset procurantem vnctioni: Cinxiam cingulorū replicationi, & quod ad rem propius facit, Victuam, & Potuam, quod victui, potuique procurarent. *O egregia*, inquit, *numinum, & singularis interpretatio potestatum! Nisi postes virorum adipali unguine oblinirentur ab sponsis, nisi originali a vincula iam feruentes dissoluerent, atque imminentes maritinisi potarent & manderent homines; Dij nomina non haberent.* Multa alij de eodem argumento, præcipuè Augustinus in opere de ciuitate Dei. Nominatim recenset Educam, siue Edulinam, Edusam, Eduam, quæ Escam; atque Potinā deam, siue Poticam, & Potnam, quæ potionem ministret. Citāt de his Varronem, Donatum, Probum, Nonium Ludouicus Viues, & Lilius Giraldus. Sed videntur velle genitales deos fuisse, ac præfuisse infantibus, iuxta illud;

Nec Deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Vers. 4.] In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes.

QVia professio Christiana reprehēsa hic horret vitia, hisque similia, quibus oblectantur Gentiles, soléntque qui moribus dissident, ac studiis, alios infectari, occurrit Petrus, ne fideles commoueantur, si degentes in medio nationis prauæ, illorum contra se obtrectationes, conuitia, maledicta percipiant. *Mundus quod suum est, diligit; & odit, qui de ipso non sunt.* Inutiles arbitratur ac noxios sibi viros innocentes, nec aspectum etiam eorum vultúmque, qui tacitus reprehensor est, censorque, ferre possunt, sicut aliàs docui, exemplo Thraseæ à Nerone interfecti.

In quo.] Ἐν ᾧ. Alij *In quibus*, Syriacè והא השא *vehà hascha, & ecce nūc.* In quo, id est, in qua re tota priùs exposita. In quibus, id est, pluribus enumeratis. Hugo item explicat: *In quo*, propter quod; quia nimirum Christiani carnem crucifigerent, &c. Fauet Oecumenius.

Admirantur.] Alij: *In quibus nunc obstupescunt*, vt Thomas Anglicus. Aliqui, *Peregrinantur.* Sed Hugo legens *in quo admirantur*, illa alia refert ad præcedentem versum, & legit, *In quibus nunc obstupescunt*, nempe conuersi ad fidem, *recogitantes quem fructū habuerunt in eis, in quibus nunc erubescūt.* Græcum verbum ξενίζονται, inquit Oecumenius ἀντὶ τοῦ θαυμάζουσι, *pro mirātur iacet*, nam propriè significat, peregrinantur: solent autem peregrini res alienæ regionis mirari. Eôdem verbo Græco vtitur paulò infra Petrus. Vulgo dicimus *mi pare strano*, quod est, demiror, stupeo, absurdū etiam reor, rei nouitate turbor. Affert Budæus ex Polybio huius acceptionis exempla, vt ἐξενιζόμενοι τοῖς ἰδίοις ἔργοις... & ἐξενίζοντο τὸ συμβεβηκὸς εἶναι περὶ τὴν προστασίαν. Potest adijci Basilius: Ἤδη, ὅτι ξενίσει τὴν ἀκοὴν ... ἔγκλημα τοῦ Ἀπολλιναρίου. Nec desunt alia.

Christiani apud Gentiles videbantur vt portenta quædam, monstráque hominum, & qui humanam exuissent naturam, atq; quod de se dicebat Iob, *vt prouerbium, exemplum, canticúmque*, Hebraicè thopheth, quasi dicas tympanum (id significat toph) ludibrium: quod Dauid, *vt parabola, & prodigium*: quod comminatus est Deus improbis, vt prouerbium, & fabula, vel vt *derisio, & exemplū*: vel *vt opprobrium, blasphemia, exemplum, stupor*: quod de Ioanne dicebant Iudæi, *vt habentes dæmonium*: quod de ipso, & ceteris Christianis Paulus, *vt spectaculum, & peripsema*: quod item de se Ieremias, vt Psalmus, quæ apud Iob, pro cantico, dicitur cithara Græcè à L X X. Et meminit Paulus Iurisconsultus Psalterij pro cantico in alterius infamiam composito, publicéque cantato. Denique prædixit Christus fore, *vt odio essent omnibus gentibus propter nomen ipsius*: & apud Esaiam, *ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.*

Quod fuerit Gentilium de veris Christianis iudicium (nam turpissimo quosdam hæreticos Basilidianos, Carpocrationes, Gnosticos, Iudæos etiam, quorum nomine comprehendebantur Christiāni) testantur historiæ Ecclesiasticæ, & Ecclesiasticorum auctorum scripta, nempe quod attinet ad id, de quo agimus, quàm essent alieni a luxuria, & turpitudine. Plinius quoque testis idoneus, dum Traiano scribit, & Philo Iudæus, dum de Essenis, quorum intelligi videtur nomine Christiani. Purgans Athenagoras obiectum crimē Christianis incestorum cōcubituum, inter alia dicit, etiam *esiudem impura cogitatione in quinamum ex communi ipsorum opinione censeri alienare a vita æterna: multos item in vtroque sexu inuenire, qui in cælibatu consenescant, quòd in hoc statu Dei coniunctiores se futuros sperent.*

Quid? quod lenonibus interdum castissimas tradebant fœminas impurissimi Gentiles, cū scirent id eis acerbius quovis alio tormentum esse, ipsáque mortis pœna crudelius. Proditur id a Tertulliano: & adolescentem Hieronymus memorat nudo corpore adstrictum meretricis libidinibus obiectum. Respondet idem Tertullianus, accusantibus infructuosos in negotiis esse, de hac sterilitate conqueri lenones, perductores, aquariolos, &c. Sed his infructuosos esse, magnum fructum esse. Similia cognosces apud Minutium, Origenem, & alios, qui demonstrant quàm fuerint apud Gentiles impuri etiam seueriores philosophiæ, etiam sacrorū procuratores. Confirmat id mirifice narratio Nysseni de Gregorio Thaumaturgo adhuc adolescente, philosophiæ operam dante Alexandriæ. *Cum libidinosi vt aliquam haberent excusationem*, ait ille, *si ipsi non soli tales esse viderentur, calumniam struxerunt opera meretriculæ*, quę se cum ipso rem habuisse affirmaret. Similem strophan Ariani struxerunt in Athanasium, subornata fœmina, quæ se ab eo vitiatam mentiretur. Experti sunt priusquàm amplecterentur Christianam religionem carnis mo-

lestias

a epist.2 c.8. Conf. c.11.
b Gen.8.21.

lestias Cyprianus [a], & Augustinus [b], videlicet quos absque Christi gratia proni ad malum sensus experiuntur omnes.

Non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem.]Habent emphasim verba omnia, συντρεχόντων, sicut cùm quorumdam dicuntur *pedes ad malum currere* [c]: ἀσωτίας, quasi dicas, *perditionis sui ipsius*, cùm quis, vt ait Philosophus [d], vocans quoque ἄσωτον, est ἀκρατὴς καὶ εἰς ἀκολασίαν δαπανηρός, *incontinens, & in luxum expendens*, καὶ δι' αὐτὸν ἀπολλύμενος, *& per se ipse se perdens*, qui præterea dici potest luxu, & ganeæ studio perditus [e], & nequam, nihili, neque rei, neque frugis bonæ [f]. Clemens [g] Alexandrinus ἀσώτους ait dici, quasi ἀσώστους *à salute alienos*, qui corpus, animam, facultates perdant. Cicero quandoque retinet Latinè vocem Græcam [h]: interdum luxuriosum reddit. Martialis [i], ludens in nomine proprio:

c Prou.1.16.
d 4.Ethic.c.1.
e Cicer.2.de finib.
f Gel. lib.7.c.11.
g 2.Pædag.c.1.& 2.
h supra.
i 4.epigram. in 9.

Sota filia Clinici Labulla
Deserto sequitur Clitum marito,
Et donat, & amat, ἔχει ἀσώτως.

Sota parcum sonat: tamē Labulla erat asota, prodiga, nequam, perdita, libidinosa, adultero magis, quam marito delectata. Vtitur ἀσωτίᾳ Paulus [k], agens *de vino, in quo est luxuria.*

k Ephes.5.18.

Postremo nomen ἀνάχυσιν significat quidem refusionem, quo pacto verti Vatablus, Erasmus, Clarius, & denotaretur quòd Christiani non refundunt, id est, non respondent illecebris, atque prouocationibus & sollicitationibus inhonestis: vel innueretur æstus libidinis, ac feruor, vt contingit mari exundanti, ac effundenti aquas vltra alueum: tamen est etiam idem quod σύγχυσις, hoc est, confusio, vt docent non modò Oecumenius, sed etiam Hesychius, ac Suidas, addentes illi synonyma βλακείας, καὶ ἐκλύσεως, *mollitiem, & animi, virtúmque dissolutionem.*

Quid sit confusio hoc loco.

Porrò confusio non tam fortassis hoc loco designat erubescentiam, quæ de turpibus nasci rebus potest, (vt eve, vt exponūt ferè omnes, etiam Oecumenius, prout Paulus dixit [l]: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* quam perturbationem, & conturbationem cum quadam commixtione, quando nimirum res diuersi generis veluti commiscentur inter se sine ordine. Talem vsum habere videtur alibi [m] participiū συγκεχυμένος, & verbum συγχύνω [n], & συγχέω [o], tandem hoc idem verbale nomē σύγχυσις [p].

l Rom.6.21.
m 3.Reg. 21.4. Act.2.6.c. 19. 31.
o Act.9.22.
o Act.21 27.
p Act.19.29.

Putat Salmeron concurrēdi verbo simul cum his quæ præcesserunt, maximè de illicitis, seu nefandis idolorum cultibus innui festum solemne, locúmque, quo præter crimen idololatriæ vacaretur impunè cuiuis libidini: qualem dixi fuisse postea licentiam Gnosticorum, & aliorum hæreticorum: qualis vsurpabatur apud Ethnicos in orgiis Bacchi, & festis Bonæ deæ, de quibus cum aliis, tum Liuius [q]. Syrus Interpres exposuit integram sententiam: *Et ecce nunc admirantur, vésque maledictis proscindunt, eo quod libidine non pruritis cum eis in illa priore ingluuie.*

q lib. 9. decadis 4.

Blasphemantes.]De vi vocabuli aliàs dictū. Solent lędere famam, & obloqui de aliis, eorúmque doctrina, moribus, religione, qui ab illis in his ipsis rebus dissident, & quæ ignorant, quæq; fieri putant non posse blasphemant [r]. Quod ad rem facit, luxuriæ dediti, vt exēplo Thaumaturgi aduersariorum docuimus, non ferunt secus de viris honestis existimari, sed eòdem confingunt infectos cœno, vel honestatis speciē, omnémque mentiri. Possunt eiusdem calūniæ proferri testes omnes ferè nostri temporis hæretici, ac præterea patum casti Catholici arbitrātes, dictitāntesque, aut impossibilem continentiam hominibus, aut minime ab iis custodiri, qui profiteantur eam. Metiuntur scilicet alios ex suamet libidine. Ad hūc modum refert Suetonius [s] ex nonnullis se comperisse, Neronem contaminatum omnibus penè membris omni genere impudicitiæ, persuasissimum habuisse, neminem hominem pudicum, aut vlla corporis parte purum esse: verùm plerosque dissimulare vitium, & callidè obtegere.

r Iud.vers.10.

Hæretici & parum casti catholici existimant castum esse neminem posse.

s in Nerone. c.29.

Vers.5.] Qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos.

ERit quando de blasphemis, ac irrisoribus repetat pœnas Deus, nec amplius sileat, taceat, compescatur [t]: sed *reddat, & retribuat in sinum eorum iniquitates.* Paratus autē dicitur, vel quia improuiso iudicabit [u]: vel quia ei omnes perspectæ satis iudicij omniū causæ: vel quia ipsi vni cognitus dies iudicij [x]: vel quia latet adhuc sententia: nam qua *hora non putamus, veniet* [y]: &, *Dies eius sicut fur* [z]: *Ecce iudex ante ianuam assistit* [a]. Huius oculis omnia nuda, & aperta [b], atque tamquam ex libro recitabit quæcumque gesta sunt, dicta, cogitata ab omnibus [c]: & adducet in iudicium siue bona sint, siue mala [d]. Ipse *solus de die illa & hora scit, non item Angeli in cælo, neque Filius nisi solus Pater* [e], quoniam, vt aliàs [f] docui, per quamdā attributionem posuit Pater in sua potestate tempora, & momenta [g]. Viuos quoque ac mortuos qui sunt iudicandi, quo pacto debeamus intelligere, cum alio loco dixerim [h], hic non repeto. Atias quidem non placet, dum viuos interpretatur adhuc in carne illa Adami, mortuos in Christo. Præmonet nos hic iudex paratus, vt & ipsi parati simus [i]: *disponamus domui nostræ* [k], *& sermones nostros in iudicio* [l].

t Psa.34.22. Psa.35 13. Psa 49 21. Isa 62.1.
u Esa.65 6.
x Mat.24.36.
Zach.14.7.
y Mat.24.44. 50.
z 1.Thess.5.2. 2.Pe.3.10. Apoc.3.3.
a Iac.5.9.
b Heb.4.13.
c Apoc. vlt.12.
d Eccl.12.14. 2.Cor.5.10.
e Mar.14.32. Mat.13.32.
f Act.1.7.
g ibid.
h Act.10.42.
i Mat.25.10.
k Esa 38 1.
l Psal.111.6.

Vers.6.] Propter hoc enim & mortuis euāgelizatum est: vt iudicentur quidem secundùm homines in carne, viuant autem secundùm Deum in Spiritu.

INdē cognoscitur, & comprobatur verum esse, quod modò dicebatur de futuro iudicio; quoniam Christus propter hanc ipsam causam, videlicet, vt ea veritas tanti mysterij magis innotesceret, ac stabiliretur, voluit ad inferos descendere, ibique seipsum manifestare, tamquā cui sit commissa iudicandi potestas, quam sibi patiendo, moriendóque meruit: & qua suo tempore palā vsurus est, quando resument omnes corpora sua in generali resurrectione, quę meritis eiusdem concedetur: atq; iustis resuscitatis tribuetur vita immortalis, quæ iam nō animalis, & carnalis iuxta pristinam conditionem, sed spiritualis censebitur [m]. Hic ergo locus descēsum animæ Christi ad inferos liquido probat, ea ferè ratione, qua alius capitis [n] prioris diligēter à nobis tractatus, vt nō sit necesse repetere Patrū ibi citatorū testimonia.

Cur Christus ad inferos descendere voluerit.

m 1.Cor.15. 44.

Sed qua ratione hinc etiā Purgatoriū probetur, ac eductas inde iustorū animas omnes vt asserit Feuardētius, nō equidē assequor. Illud potius deduci cōcedam de mutua spirituali collocutione notitiáque animarum separatarum; quam idē Auctor confirmat exemplo Epulonis, & Abrahæ [o], & Samuelis, ac Saulis cum Pythonissa [p], item testimonio Irenæi [q], Tertulliani [r], Hieron. [s]

n vers.19. 20.
o Luc. 16. 23. & seq.
p 1 Reg.28.7. & seq.
q lib 2. c 63.
r de Mon. g. c.10
Animæ separatæ se cognoscere, & colloquuntur inter se.
s p. 2. ad Theod.

Augustini[a]; quibus adde Cyprianum[b], & Fulgentium[c].

a serm. 6. de diuers. c. 6. & ep. 6. ad Italicam.
b ep. 56 & lib. de mortalitate.
c ep. 2. ad Gallam.

Hunc porrò locum sic etiam apertè declarat Oecumenius, & Caietanus, vt modò dixi, solùm differt, quòd prior membrum secundum interpretatur, his, qui erant apud inferos, & secundum carnem, humanóque prius more vixerant, Christum aduenisse ad iudicium: illis, qui secundum spiritum, ad gloriam, & salutem: nos viuere secundum spiritum, explicuimus de spirituali quodam statu corporis resuscitati: cùm tamen præcedente capite dixerimus, prædicationem Christi pertinuisse ad exprobrandum improbis, nominatim qui diluuio perierāt[d]. Oecumenium sequitur Clarius, Feuardentius, Salmeron, Catharinus, qui se fatetur tamen huius ignorare veriorem expositionem loci.

d Gen. 8. 1. & seq.

Videtur & alium tradere dicendi modum idem Oecumenius[e]: causam, cur descenderit ad inferos Christus, fuisse, vt innotesceret prædicatio salutis, & resurrectionis, ac sciretur fore iudicium in corpore, cum illo autem, qui collocati erunt ad dexteram, victuros in spiritu, quia gloriosa erit resurrectio ipsorum, & animarum beatitudo. Hæc expositio de solis iustis, beatis, & electis est, sicut & prima de iniustis tantùm.

e Proœm. in hanc epist.

Tertium sensum refert Salmeron, & Pererius[f], probari, quòd Christus mortuus sit iudicaturus, quoniam iis euangelizatum est, qui sunt iam mortui ante Christi iudicium: & quamuis morti addicti fuerint, propter euāgelium tamen quod fide cum viuerent receperunt, viuant in spiritu, nempe apud Deum, à quo recipient carnem suam, iuxta id[g]: *Si mortui non resurgunt, ergo qui dormierunt in Christo, perierunt.* Parum distat à priore.

f lib. 9. in Genes. disp. 30. n. 91.
g 1. Cor. 15. 15. 18.

Quartus apud eosdem, mortuos pro morituris accipiens, vt alibi sic vsurpantur, verbi gratia, cùm Paulus ait[h] *se fuisse in mortibus frequenter*, & *quotidie mori*[i]: cùm filiam Iairi Matthæus[k] *mortuam tradit*: Marcus[l], *quod erat in extremis*: Lucas[m], *quòd iam moriebatur*: Ex eo autem, quod & his prędicatur, efficere Petrum iudicandos esse mortuos, quemadmodum Paulus ratiocinatur ex moribundorum Baptismo resurrectionem futurā[n]; *alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?*

h 2. Cor. 11. 23.
i 1. Cor. 15. 31.
k c. 9. 24.
l c. 5. 23.
m c. 8. 42.
n 1. Cor. 15. 29.

Quintus Augustini[o], qui sumit figuratè mortuus pro infidelibus mortuis in anima, viuos pro fidelibus, & credentibus in Christum: & in hac vita euangelizatum esse primis, vt cùm crederēt, iudicarentur secundum homines in carne, id est, condemnarentur ab hominibus odio habentibus conuersionem ipsorum, fidémque, & afficerentur variis tribulationibus, atque ipsa morte carnis: viuerent autem secūdum Deum in spiritu: id est, vt qui in ipso fuerant mortificati, quando detinebantur morte infidelitatis, ac impietatis, per illas tribulationes vitam spiritus consequerentur. Augustinum multi secuti sunt vnà cum Beda: sed non eodem prorsus modo. Quare

o epist. 99.

Sextus sensus est Vatabli per mortuos accipientis eos, quibus nondum erat euangelizatum, ita vt antea haberentur velut mortui, postea tamquam spiritu viuentes, quia charitate præditi, & abstinentes à peccatis.

Septimus Ariæ Montani: mortuis in Christo, nempe spiritualiter, lętum allatum nūcium fore, vt quamquā ceteris hominibus similes existimarentur, quod ad externam speciē attinet: in spiritu autem Dei filium Iesum Christum referrent, qui *habitu inuentus vt homo*[p], tamen homo Dei filius erat, *tētatus per omnia pro similitudine absq; peccato*[q].

p Philip. 2. 7.
q Heb. 4. 15.

Octauus Carthusiani: prędicatam legem Christi à discipulis eius, vnde factum sit, sumendo (vt) concomitanter, non causaliter, vt iam conuersi iudicentur secundum homines, id est, à se ipsis damnentur ab improbis secundum peruersa hominum seculi huius iudicia, tamen viuant secundum Deum in spiritu, præditi charitate, atque obseruantes Dei præcepta.

Nonus Hugonis: vt mortui spiritualiter audita prædicatione iudicentur secundum homines, id est, à seipsis damnentur, ob ea, quæ, vt homines & carnaliter commiserunt, vel secundum homines, id est, rationabiliter discutiendo seipsos: viuant autem hoc pacto conuersi in spiritu, atque vita spirituali.

Decimus Paiuæ[r]: Prædicatum similiter mortuis, id est, qui iamdudum mortui erant: quia noua hæc doctrina non est, vt iudicarentur secundum homines in carne, pronuntiando sentēriam contra scelera, quæ in ipsa hominis carne hærent, & extremo digna esse supplicio profitendo, qua solent persuasione animi deterreri, vt sese Dei Spiritui excolendos sponte subiiciāt. Pręter istos, quos post eum, qui est Augustini, retuli sensus potius figuratos, quam literales.

r in def. Trid. Syn. lib. 2.

Vndecimum innuit Suarez[s], Valentia[t], Bellarminus[u], prædicatum mortuis à Christo iis, quos extinxerat sub Noe diluuium, vt ex illis quidam intelligerēt se iudicatos more hominum dumtaxat, qui *scilicet eo pus possunt interficere, & non animam*[x], dum puniebantur in carne, sed beneficio eiusdē Christi viuere in Spiritu, vtpote quòd cum pœnitentia, & iustitia decessissent, atque gloriæ consequendæ ius haberent.

s 3. p. Tom. 2. disp. 43. sect. 3.
t 3. p. disp. 2. q. 4. punct. 2.
u lib. 4. de Anima Christi c. 13.
x Mat. 10. 28.

Volui & hic tot afferre aliorum expositiones, vt plurium collatione nostra magis approbetur, quam vocabulorum quoque subiecta enucleatio adhuc probabiliorem efficiet. Quanquam assentior Catharino, ignorantiam suam in huius loci intelligentia ingenuè profitenti.

Propter hoc.] Εἰς τοῦτο *in hoc*, quasi dicat Εἰς τοῦτο τέλος, *in hunc finem.*

Mortuis.] Νεκροῖς. Propriè mortuos intelligere debemus, sicut proximis antè verbis: *iudicare viuos & mortuos, ζῶντας, καὶ νεκρούς.* Nam cùm dicitur Christus iudex viuorum, & mortuorū[y], intelligimus ad literam, qui verè, ac propriè mortui sunt, vt ipsemet Augustinus[z] docet, qui tamen vult hîc spiritualiter, ac figuratè intelligi. Nec verò qui mortuos accipiunt pro morituris, vt ante vidimus, satis accōmodatè loquuntur. Denominantur porrò mortui hi, qui prius viuebant, postquā animæ separatæ sunt, solæq; animę ipsorum supersunt. Et tamen argumentatus est aliquando Christus[a] cōtra Sadducæos pro resurrectione dici Deum, *Deum Abraham, Isaac, Iacob, non mortuorum, sed viuentium*[b], quia, posita animæ immortalitate, sequebatur iuxta mētem Sadducæorum resurrectio, qui æquè negabant vtrumque, & illud de anima propter resurrectionem.

Mortui hîc qui nam intelligantur.
y Act. 10. 42. & alibi.
z Ench. c. 55.
a Mat. 22. 32.
b Exo. 3. 6. Act. 3. 13.

Euangelizatum est.] Quamuis boni nuntij sit verbum, latius accipitur pro prædicatione, quæ fieri potest etiam damnatis eo modo, quem capite priore diximus, vbi erat verbum prædicandi, ἐκήρυξεν.

Vt iudicentur quidem secundum homines in carne.]

Cum

Cùm hoc, & ſequens aliud verbum ſint futuri temporis, non video, qua ratione alij, quos retulimus, explicent de præterito, videlicet de illis, qui iam fuerint iudicati, id eſt, puniti ſecundum carnem, &c. Interpres porrò addens præpoſitionē (in) quam Græcus textus non habet, ſatis intellexiſſe videtur non de vita carnaliter acta, ſed de iudicio exercendo ſecundum homines, id eſt, vt quemadmodum exigit natura hominum compoſita etiam ex carne, iudicentur publicè, ac palàm cùm reſumpſerint carnem ſuam in anaſtaſi generali. Quare iudicandi verbum etſi nonnumquam fateat idem eſſe, quod damnare, atque punire, non iudico eam iſti loco notionem neceſſariam, vel congruentem.

Viuant autem ſecundum Deum in ſpiritu.] Viuant vitam quodammodo ſpiritualem, ſpiritualizata, vt ita loquar, ipſa carne, & diuinum quemdam ſtatum adepta, præter omnino ſpiritualem, atque multò magis ordinis diuini gloriam animæ. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale, illud de terra, terrenum, hoc de cælo cæleſte* [a], quod ſuo quodam modo locum habebit in corpore damnati, ablata perfectione, quam dos tribuet corpori beato: & de cœlo, ſignificare poreſt Chriſtum qui de cœlo venit, & meruit omnibus reſurrectionem talem. Quemadmodum dicitur aliquando animus carnalis ob affectus quoſdam carnis, quibus ſe trahi ſinit: terrenus, quia deſideriis terrenis ducitur: ita corpus ſpirituale, & cœleſte propter qualitates, quibus conuenit cum puro ſpiritu, & corpore cœleſti.

a 1. Cor. 15. 44. 47.

Peculiariter Pauli citata verba de dote ſubtilitatis interpretari videntur Chryſoſtomus, ac Theophylactus, & præterea Damaſcenus [b]. Anaſtaſius verò Antiochenus [c] eo modo quem dixi, vniuerſaliore; Auguſtinus [d]: quia poſt reſurrectionem corpus inſeparabiliter animæ copulatum erit, nō quia euadat in ſpiritum, quod ſuſpicatos ex dictis verbis iidem notant: vel aëreum, æthereúmve futurum ſit abſque organis, & figura. Errorum contrariorum confutationem leges apud B. Thomam [e], Gregorium [f], Auguſtinum [g], Hieronymum [h], Nicephorum [i], qui refert hac de re quintæ Synodi decretum contra Origeniſtas, qui per ludibrium Orthodoxos nominabant, vt Hieronymus meminit, Piloſiotas, quod cum pilis etiam reſurrecturos crederent, & luteos, animales, carnales, iumenta, & quibus eſſent neceſſarij tonſores, placentę, medici, ſutores, &c. Refellitur error idem à Baſilio [k], Cyrillo [l] Alexandrino, & aliis.

b lib. 4. de fide, c. 28.
c lib. 5. de reſurrect.
d ep. 146.
e 4. con. Gentes c. 84.
f 24. Mor. ca. 29 ſo. 31.
g 1. retract. c. 4. 2. 4. Ench. cap. 84. 22. de Ciu. c. 23.
h ep. 17. 61. 65. 117. hiſt. c. 19.
k hom. 3. hex.
l ep. ad Mon. in Phun.

Verſ. 7.] Omnium autem finis appropinquauit. Eſtote itaque prudentes, & vigilare in orationibus.

NOua ratio ad perſuadendam in aduerſis patientiam, & in perſecutionibus conſtātiam, perſeuerantiámque, quòd non diu duraturæ ſint, atque ingruat extremus vitæ finis: ad quem nos paratos oportet eſſe, adhibendo omnem prudentiam, & ſedulum orandi ſtudium. Hac ſe ſancti viri muniunt cogitatione, vt omnes moleſtias leuius ferant, & mundi quantamcumque gloriam magis deſpiciant. Dixi non ſemel aliis locis hac de re, déque opinione, quę viguit iā inde ab exordio Eccleſiæ, inſtare iudicij diem. Laudatum Catharinæ Virginis Senenſis celebratur apophthegma, diem vt quiſque quemlibet ſibi diluxiſſe ſupremum putet, quo finis ærumnis imponatur.

Symbola præterea, quibus in triūphis, vel honorum, dignitatúmque inaugurationibus placuit eorum repræſentari vanitatē, breuitatémque. De Romanis Tertullianus [m], & ex variis Auctoribus aliis Panuinus [n], præſertim ex Zonara [o]. Adiice quod Philippum Ælianus [p] ad comprimendum ex rebus ſecundis faſtum feciſſe commemorat. Vidimus nō ſemel, audiuimúsq; admonuiſſe cœremoniarum Miniſtrū, ſtuppæ ignem corā recens creato Pontifice, térque altè pronunciauiſſe ſpectante illo, & audiente: Pater Sancte, ſic tranſit gloria mundi [q]. Petrus Damianus [r] teſtis eſt, vt primum Græcorū Imperator ornamenta capeſſit, & inſignia Imperij præſto eſſe, qui altera manu ſtuppam flāma coniunctam, altera vaſculum geſtet oſſibus ac puluetibus mortuorum plenum; vt in altero, inquit Damianus, debeat cōſiderare quod eſt, in altero libeat videre quod habet.

Symbola quibus in triumphis & aliis vanitas eorum ostenta repræsentabatur.
m Apol. c. 33.
n lib. 5. faſto.
o 1. hiſtoriæ.
p 8. variæ hiſt. c. 16.
q lib. 1. cerem. Rom. Eccl. c. 4.
r epiſt. lib. 1. in 15. ad Alex. II.

Bene obſeruauit Hugo, homines ante aduentū Chriſti mortem refugiſſe, ac vitam optaſſe, quia mortui carebant Dei viſione, ſimul priuabantur occaſione accumulandi merita: nunc Iuſtos cupere diſſolui, quia *ſtatim eſſe cum Chriſto poſſunt* [s]. Sed non ita videtur prioris membri apta probatio, nec adeo verum, veteres illos quia metuebāt mortem, ſolitos illud vſurpare: *Viuit Dominus* [t]: & idcirco acclamauiſſe Iudæos ſuo regi: *Viuat rex* [u]: & optauiſſe quibus bene precabantur, *vt viderent filios, ac filios filiorum vſque ad tertiam, & quartam generationem* [x].

s Phil. 1. 23.
t 4. Reg. 2. 6. & alibi paſſim.
u 3. Reg. 1. 40.
x Tob. 9. 11.

Appropinquauit.] Melius, quàm, vt alij, *appropinquabit*: Græcum quoque verbum præteriti temporis eſt Ἤγγικε. Syrus interpres præſenti vſus eſt. Sic ſanè quod certò erit, perinde cenſetur, ac ſi eſſet, fuiſſétve: *Et quod*, inquit, *iam ex parte præteriiſſe, ac eſſe exiſtimatur.* Hoc vel de morte, vel de iudicio tum particulari, tum generali verum eſt.

Eſtote prudentes.] Σωφρονήσατε. Exponūt alij: *Eſtote modeſti, ſiue temperātes, ac ſobrij*, vt Eraſmus, Caietanus, Vatablus, Clarius, Gagneius, Salmeron, necnon Turrianus [y]. Syriacè: *eſtote caſti*: אתנכפו *ethnachephu*, vnde nomē נכפותא *nechphutha ſobrietas, temperantia, caſtitas.* Etſi orationi magis conuenire videatur ſobrietas, quàm prudentia: & Chriſtus iubet [z], *attendamus, ne grauentur corda in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, ne ſuperueniat in nos repentina dies illa*; tamen nō debet poſtponi noſter Interpres [a], nam & attendendi verbum in citata Chriſti ſententia προσέχετε, prudētiam denotat: & omnis cautio, quæ aliarum fiat ope virtutū, prudentiæ opem exigit: qua Sapiens vult nos non leuiter præditos, ſed affluentes [b]: & quidam Philoſophus omnes virtutes [c] affirmauit eſſe prudentias. Et Antonium refert Athanaſius prudentiæ inter virtutes primatum tamquam moderatrici detuliſſe. Denique Interpres noſter alibi nonnūquā vertit σωφρονοῦντα *ſana mētis* [d]: & σωφρονίζειν *prudentiam docere* [e], & σώφρονα *prudentem* [f]. Profani ſcriptores voces has, ſimiléſque accipiūt perſæpe in iſta ſignificatione, ac opponūt quoque τῇ μανίᾳ inſaniæ. Iuxta etymon Ariſtotelis [g] σωφροσύνη dicitur quaſi σώζουσα τὴν φρόνησιν, *ſeruans prudētiam*: cōfert namque plurimum ad id temperantia. Breuior, & ſimplicior notatio, quia σώζει τὴν φρένα, *ſanat mentem*: quod maximè facit prudentia.

y lib. 2. de Dogma. charactr.
z Luc. 21. 34.
a vt Salmeron facit.
b Prou. 3. 13.
c Socrates apud Ariſt. in Ethicis.
d Mar. 5. 15.
e Tit. 2. 4.
f 1. Tim. 3. 2. Tit. 2. 1. 5.
g Ethic. c. 5.

Tot in bona oratione conditiones requiruntur, vt meritò ad eam prudentia exigatur. *Petunt namque multi, & non accipiunt, eo quod malè petant* [h]. Egemus rhetorica diuina, vt perſuadeamus Deo,

Conditiones bonæ orationis multæ ſunt.
h Iaco. 4. 3.

de

de qua Gulielmus Parisiensis librum composuit. Quidam etiam dicitur *spiritus precum*, quem pollicetur Deus apud [a] Zachariam: & Paulus docet *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quia quid oremus, nescimus* [b]. & discipuli petierunt à Christo, vt doceret eos orare [c].

a cap. 12. 10.
b Rom. 8. 26.
c Luc. 11. 1.

Vigilate in orationibus.] Νήψατε εἰς τὰς προσευχάς. Cum νήφειν vigilare [d] sit, & sobrium esse, acquiescamus Interpreti, non præferamus alium verbi vsum, vt Turrianus [e], & Erasmus faciunt. Syrum verbum אתתעירו *ethibchhirn*, propriè respondet nostro verbo vigilandi. Idem Turrianus indicat per orationes intelligi perceptionem Eucharistiæ, propter quam sit abstinendum à coniugali commercio. Non congruit hoc cum vigilandi verbo, & magis generale præceptum videtur: & τὸ εἰς τὰς προσευχὰς denotat non solùm perseuerantiam nocturnæ orationis, sed etiam data opera vigilandum tali tempore, vtpote magis apto ad orationes. Hoc alibi [f] probauimus. Lege contra vigiliarum damnatorem Vigilantium, Dormitantium potiùs, & alios Nyctiagas, Vvicleffistas, & hæreticos nostri temporis, quæ scribit Ioannes Stephanus [g] Durantus.

d 1. Thess. 5. 6. 1. Pet. 1. 13. cap. 5. 8.
e supra.
f Act. 16. 25.
g lib. 3. de ritib. Eccl. c. 4.

Potest præterea per vigiliã, & quidem in orationibus numero multitudinis accipi sedulũ studium orandi non noctu tantùm, sed etiam interdiu: & magis tropologicè cum Vitriaco [h], ne quis in somno peccati mortalis oret: néve negligẽter: sed clamet eò magis quo turba passionum increpat importunius vt taceat [i]: aues: ac muscas abigat inanium, ac malarum cogitationum [k], quæ exterminant odorem vnguenti, & victimas contaminant [l]: clamore velut dormientem Deum ipsum excitet [m].

h serm. 2. in Dom. post 4. Pent.
i Luc. 18. 39.
k Gen. 15. 11.
l Eccl. 10. 1.
m Psal. 43. 23. 34. 23. 96. Psal. 77. 65.

Meminerat fortisan Petrus, cùm hoc præcipiebat, se, condiscipulósque, qua Christus nocte captus est, nec, ille quidem semel, iterum, tertiò ad vigilãdum in oratione adhortante [n], id fecisse: quod si fecissent, non adeo timidè Magistrum deseruissent, nec Petrus etiam negauisset [o]: sed quo pacto debeat oratio perpetua esse contra Euchitas, qui hoc sine vlla moderatione docebant, alio loco admonui [p].

n Matt. 26. 40. 43. 41.
o ibid. 70. & seq.
p Act. 1. 14.

Vers. 8.] Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.

EGregium inter alia hoc de charitate fraterna præceptum, quæ charitas ad condonãda peccata plurimùm momenti habet. Est verò res adeo comperta, charitatem virtutibus omnibus aliis excellere, vt sola hæc sufficere debeat singularum sententiæ partium expositio.

Ante omnia.] Πρὸ πάντων. Hæc est *excellentior via, & melius charisma*, sine quo cetera *nihil prosunt: sine quo nihil sumus*, vt Paulus loquitur [q]: qui & his ipsissimis verbis hortatur, vt *super omnes alias virtutes*, quas enumerauerat, *charitatem habeamus, quæ est vinculum perfectionis* [r], id est, vinculum perfectum, & quam nemo sine ceteris habere potest virtutibus, quamuis aliquas possit sine illa. Cùm autem agat Petrus de charitate fraterna, hanc ante omnia commendat, quæ distinguuntur à charitate, vel quibus inter nos aliquem respectũ habemus: nam esse cum aliis charitas non potest, nisi multò magis cum Deo sit, propter quem diligendi sunt alij, ipse verò supra alios, supra nos, supra omnia. Immò & charitatis ordo inchoatur à nobis ipsis, vt licet alios diligere debeamus, sicut nos ipsos, non tamen prius quàm nobis ipsis, nec æquè ceteris paribus, ac nobis ipsis benè illis velle nos oporteat eas ipsas res, circa quas versatur charitas. Inculcatur sæpius dilectio aliorũ, quàm Dei, & de illa Christus dixit *esse præceptum suum* [s]: quia hinc pronior est natura nostra ad amorem Dei: hinc *Qui non diligit fratrem quem videt, conuincitur non diligere Deum, quem non videt* [t]: denique quoniam familiarior est inter nos amor, si propter Deum sit, magis quoque sæpe Deus amabitur. Plura in Commentario primæ Ioannis epistolæ.

q 1. Cor. 12. 31. c. 13. 2. 3.
r Coloss. 3. 14. Cur ea super omnes virtutes habenda.
Deus supra omnes diligendus.
Cur caritas proximo potius inculcetur, quàm in Deum.
s Ioan. 15. 12.
t 1. Ioan. 4. 20.

Illud adiicio de mystico igne charitatis, prout exponit Ambrosius [u], sub nomine Spiritus sancti, eum, quem Hebræi abeuntes Babylonem, ceteris neglectis diligentissimè, ac religiosissimè conseruauerunt [x]. Quanquam negari non potest, cùm quis quamquam aliam virtutem laudãdam suscipit, & commendandam, eâdem vti dicendi formula, vt ante omnia, & præ omnibus illã dicat prosequendam; aut si de vitio agit, cauendum. Exempla suppetunt in scripturis, vt apud Iacobum [y]: *Ante omnia nolite iurare.*

u 3. offic. c. 14.
x 2. Machab. 1. 18. & seq.
y cap. 5. 12.

Mutuam.] Τὴν εἰς ἑαυτοὺς. Charitas, vt est amicitia, propriè nõ est ad seipsum, sed ad aliũ, sicq; debet Gregorius [z] intelligi. Alioquin, vt modo dicebam, ordine charitas, post Deum, incipit à seipso. Extenditur autem non ad eos, qui nos mutuò, ac vicissim redamant ex charitate, iustíque sunt, sed ad improbos quoque, & inimicos.

Caritas ad seipsum propriè non est.
z hom. 17. in Euang.

In vobismetipsis.] Magis exprimit Interpres illas easdem voces εἰς ἑαυτούς. Tamẽ Hugo, & Thomas Anglicus arbitrãtur indicari charitatem intimam, & ex corde, atque propter id, quod in nobis est internum, hoc est, propter imaginem Dei, & alia dona spiritualia, non propter temporalia; denique vt quiuis alium diligat sicut seipsum. Alij legunt *in vosmetipsos.*

Continuam.] Ἐκτενῆ. Ne vmquam excidat [a]: *necum aqua multæ extinguant* [b], *vel obruant flumina* [c]: *vt sit fortis vt mors* [d], *dura sicut infernus* [e]: non in aduersis minùs, quàm in prosperis consistat. *Nam omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur* [f]: *Charitas non irritatur* [g]: sed *benigna, ac patiens est* [h]: parcit septuagies septies, id est, infinities [i]. Non est verus amicus, *qui dumtaxat secundum tempus, nec permanet in tempore tribulationis* [k]: vel *socius mensæ, non permanẽs in die necessitatis* [l]. *Amicus si permanserit, fixus erit tibi, quasi coæqualis* [m]. Orare, vigilare, atque his similia nemo potest sẽper, amorem nulla res impedit; propterea nemo se, quòd non amet, potest excusare. Qui nequit re subleuare aliorum miseriam, animo commiseratur, bene velit, qui non benefacit, & sufficit. Hortatur Hebræos [n] Paulus: *Charitas fraternitatis maneat in vobis*, ἡ φιλαδελφία μενέτω. Compositio nominis, inquit Theodoretus, intensam charitatem significat: ex φίλος enim, & ἀδελφὸς, id est, ex amico, & fratre nomẽ composuit. Et Syrus Interpres in præsenti Petri sententia reddit חריפא *charipha*, quod Latinus translator vertit, *vehemens*: potuisset autem etiam intentam, prolixam, celerem.

a 1. Cor. 13. 8.
b Cant. 8. 7.
c ibid.
d ibid. 6.
e ibid.
f Prou. 17. 17.
g 1. Cor. 13. 5.
h ibid. 4.
i Matt. 18. 22.
k Eccli. 6. 8.
l ibidem.
m ibid. 11.
Orare nemo semper potest, amare sic.
n Heb. 13. 1.

Quia charitas operit multitudinem peccatorum.] Vtrouis modo charitas spectetur, siue vt nostram respicit iustificationem, siue alienam, præclara & suauis Chrysologi sententia est: *Tenera militia delicati conflictus est, amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam.* Numquam sine aliquo sumus

n ser. 94. Amore de cunctis vitiorum reportamus.

pecca

peccato, & quamdiu viuimus, nunquam deest, quod ab alijs feramus. Vtrumque charitatis fraternæ beneficio côsequimur, vt & mutuas remittamus, ac perpetua obliuione tegamus, sepeliamúsque iniurias; *& Deus ipse nobis dimittat debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris* [a], nec non & pœnas condonet, quas fortè pro peccatis remissis debebamus.

Caritas operit multitudinem peccatorum.]Quia remittuntur per actū illius dispositiuè, & per habitum, si non differt à gratia, formaliter [b]; restituēdo quasi detractum eiusdem gratiæ vestimentū, quo peccatum spoliauerat. Operimentū prætere a istud innuit in generali iudicio peccata iustorum, non discooperienda ad ignominiam [c]; licet scientur ad gloriam Dei: nec erunt prorsus alijs incognita, vt alio loco docui contra nonnullos [d]. Lege Anselmum [e]. Denique operiri peccata, est non puniri [f], sicut discooperiri dicuntur, quando puniuntur [g].

Igitur tria significantur operiri per charitatē, propria peccata, & pœnæ, atque ea, quæ peccant alij in nos: immò quod adijci quarto potest loco, pœnæ quas exigere ab ijs possemus. De primis duobus videtur communior Expositio Enarratorū: præter Tertulliani [h], Ambrosij [i], Augustini [k], Clementis [l] Alexandrini, Ephrem [m], Bernardi [n], Chrysologi [o], Prosperi [p], Petri [q] Blesensis. Sed Tertullianus præsertim amplectitur expressè peccata, pœnásque nostras, quia de summa charitate Martyrij loquitur: *propriè enim*, ait ipse, *Martyribus nihil iā reputari potest, quibus in lauacro vita ipsa deponitur. Sic dilectio operit multitudinem delictorum*, &c. Clemens videtur intelligere non de nostra charitate, sed Christi: siquidem scribit *beatitudinē, vt nō imputet nobis Dominus peccatum* [r], *factam super Electos a Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. Operit enim*, inquit, *charitas multitudinem peccatorū*, &c. Augustinus [s] probat contra Donatistas, non baptizandos illos, qui transirent ab ipsis ad Catholicos, quia cùm iam essent apud eos baptizati, non deerant alij modi, quibus mundari possent, vt sacrificio contriti cordis [t], verbo Dei [u], eleemosynis [x], postremò charitate, *quæ vna si adsit*, inquit, *omnia illa rectè fiunt: si autem desit illa, omnia frustra fiunt* [y].

Alibi [z] loquitur de leuioribus peccatis, & quotidianis: vnde probari posset per actū amoris diuini posse deleri peccata venialia extra Sacramentum: cuius oppositum quidam docent, arbitrantes necessarium esse actum contritionis, qui directè ac expressè versetur circa peccata eiusmodi delenda. Illud certò cum eodem Augustino admitti debet, per eximium hoc opus misericordiæ in condonandis alienis peccatis, qui est alter sensus, obtineri à Deo peccatorum propriorum remissionem. Etenim qui conuerti fecerit peccatorem, &c [a]. nempe suorum, vt addit Syrus, & aliqui exponunt, indicátque Gregorius [b].

Iam de charitate, qua cooperiamus, dissimulemus, excusemus, condonemus aliena peccata, quæ sunt videlicet contra nos, vel extenuemus aliorum defectus, ac imperfectiones; locum istum interpretatus est Chrysostomus [c], Bernardus [d]. *Charitas*, ait prior, *multitudinem peccatorum tegit: inimicitia autem etiam ea quæ non sunt, suspicātur.* Confirmatur sententia illa Salomonis: vnde transcripta hæc videntur. *Odium suscitat rixas: & vniuersa delicta operit charitas* [e]. Aliter tamē veterū LXX. Πάντας δὲ τοὺς μὴ φιλονεικοῦντας καλύπτει φιλία: *Omnes autem non contendentes operiet amicitia.*

Inde porrò consequi potest vt charitas, qua prosequimur alios, operiat peccata eorum hoc modo, vt prouocatus officioso amore nostro cōuertatur, ac reclamet, iuxta illud [f]: *Si esurierit inimicus tuus, &c.* Videtur sic præsentem quoque locum vsurpasse Concilium Ilerdense [g], scilicet de charitate, ad quam redire debeat is, qui litigans, cum alio iurauit pacem cum eo nō habere. Alioqui contrà charitatem potest esse tegere aliena peccata, quæ vt Anselmus [h] docet, nunquam detegenda sunt, nisi ob vtilitatem peccantium, vel aliorum. Ad hanc vtilem detectionem refertur correctio fraterna. De iisdem alienis peccatis, vel erroribus leuibus excusandis vsurpat Augustinus [i] præsentem locum, excusans ipse Cypriani sententiam de rebaptizandis Hæreticis.

Sed obserua, tum contra nostri æui Hæreticos, fidem non sufficere ad peccata remittenda; tum postquam hæc remissa sont, pœnæ temporalis remanere reatum posse, vt quidem citati priore loco Patres volont, & Concilium Tridentinum [k] definit: tum charitate peccata remitti, si actualis sit tanquam vltima dispositione; si habitualis, vel formaliter, posito non differre à gratia item habituali: vel concomitāter principaliter, quia post gratiam est nobilissimum donum.

Rationi, & Cōcilio Tridētino [l] magis consentaneum, vt iustificationis causa vnica formalis sit iustitia, qua renouamur, i. gratia habitualis, non autē etiā actus amoris diuini supernaturalis, sed hic habeat dūtaxat, vt diximus, rationē præcipuæ dispositionis. In hoc sensu intelligimus Mariæ Magdalenæ *remissa peccata multa, quia dilexit multū* [m], & similia alia de dilectionis actu testimonia.

Præterea sequitur necessitate medij non esse necessarium ad iustificationem, vt quis explicitè, ac formaliter eliciat actum pœnitentię siue contritionis, sed sufficere, si is virtute contineatur in actu dilectionis Dei super omnia, etiam quando recordatur quis peccatorum, nec enim loquimur de tempore, quo obligat præceptum pœnitētiæ: *Deus diligentes se diligit* [n].

Contraria opinio est Maioris [o], & Soti [p]. Ceteri consentiunt in eo quod dixi, fauéntque Origenes [q], Cyrillus Alexandrinus [r], Ambrosius [s], alijque. Lege Gregorium de Valentia [t], & Franciscum Suarez [u], & Petrum Soto [x], Vltimus ait esse de fide, omnem qui habeat charitatis actum, si peccator erat, statim iustificari.

Indicat Ambrosius [y] tertium modum, quo charitas operiat multitudinē peccatorū, sc. impediēdo ne cōmittātur. *Vide quanta operiat*, inquit, *quāta corrigat: Charitas* [z] *patiens est, benigna est*, &c. Ergo si *lex immaculatum facit* [a], *rectè charitas operit multitudinem peccatorum, quia plenitudo legis charitas est* [b].

Ex his expositionibus iudico secundam proposito maximè cōgruere, videlicet de charitate, vt respicit alios, & aliorum facilè peccata cōdonat, nā proximè ante Petrus de Charitate mutua egerat, ac subitò rationem reddit, quia *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Hanc vestem Paulus iubet nos induere [c] sub nominē *viscerū misericordiæ, benignitatis, humilitatis, modestiæ, patientiæ: item lorica fidei & charitatis* [d].

Operit.]Καλύψει, *operiet.* Eadem phrasiē, vt monui, habent in capite decimo Prouerbiorū [e], & epistolæ Iacobi capite quinto [f]: præterea in Psalmo trigesimo primo, & cap. quarto ad Romanos dicuntur tegi peccata [g], sed in dicto sensu, episto-

a Matt. 6. 12.

b Orig. ho. 2. in Leu. Ambr. ser. 16. in Psal. 118. Cyrill. 2. in Leuit.

c Hieron. in Psal. 31.

d Magist. 4. d. 43.

e de similitu. c. 60.

f Beda, hoc loco.

g Thren. 4. 22.

b in Scorpiaco. c. 6.

i de Fuga seculi. c. 3. & in Psal. 118. serm. 16. ep. 13. & 44.

k 3. cont. Crescon. c. 13. & tract. 1. & 5. in ep. Ioan.

l 2. Strom. c. 6.

m de Poenit.

n serm. 4. de Dedica.

o serm. 94.

p ad Demetriadem.

q lib. de Confess. Sacram.

r Psal. 31. 2. Rom. 4. 7.

s 2. cont. Donatist. c. 16.

t Psal. 50. 19.

u Ioan. 15. 3.

x Luc. 11. 41.

y 2. Cor. 13.

z 1. tract. 1. in epist. Ioan.

a Iacob. 5. 20.

b 10. Moral. c. 24. vel 16.

c Hom. 4. in Actus Apost.

d epist. 7.

e Prou. 10. 12.

f Prou. 25. 21. Rom. 12. 20.

g can. 7. & habetur 22. q. 4. c. qui Sacramento.

h lib. de Beatitudinibus.

i 1. de Baptis. c. 17.

k sess. 6. can. 30.

l sess. 6. c. 7.

m Luc. 7. 48.

n Prou. 8. 17.

o 4. dist. 14. q. 2.

p dist. 19. q. 2. & 2. de Natu. & Gra. cap. 16.

q Hom. 2. in Leuit.

r Hom. 2. in Leuit.

s in Psal. 118. serm. 16.

t 3. par. disp. 7. q. 4. punct. 4.

u 3. part. tom. 4 disp. 4. q. 2. assert. 1.

y Lect. 4. & 5 de Poenit. y in Psal. 118. serm. 16.

z 1. Cor. 13. 4.

a Psal. 18. 8.

b Rom. 13. 10.

c Coloss. 3. 12.

d 1. Thess. 5. 8.

e vers. 12. iuxta Heb. & Latin.

f vers. vlt.

g vers. 7.

lá que ad Romanos [a] sermo est de Deo tegente peccata nostra. In aliis locis, atque in hoc nostro, iuxta sensum, quem mihi magis placete diai de illo, qui charitate præditus, tegit aliorum peccata. *Homo versutus celat* scientiam [b], & vt eodē lib. capite decimo [c] Prouerbiorum habetur: *Os impiorum operit iniquitatem: & absconduut odium labia mendacia.* Hoc integumētum vltimum malū est, quāuis efficienter dispositiuè possit peccator bene tegere concurrendo ad iustificationem suā per pœnitentiam, &c. Et iustus ad relaxationem pœnarum temporalium, vel remissionem venialiū peccatorum. Deus tegit aliquando solùm non puniēdo manifestis pœnis temporalibus: *Operuisti omnia peccata eorum* [d], *mitigasti omnem iram tuā* [e]: quēadmodum è contrario, cùm punit, discooperit, & pœnam inferēdo, manifestat culpam. *Visitauit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua* [f]. Sic exposuit Augustinus locum psalmi trigesimi primi. Lyranus hunc locum, ne videātur peccata tanquam diuino iudicio punienda: qui remittum si penitus nō punit, cùm sit iustus, omnino delet: & cum omnia, quæ sunt, *nuda sint & aperta oculis eius* [g]: quod ipsi tegitur, prorsus euanescit, & non est.

Auctor operis de cōflictu virtutū & vitiorum [h] de vitiis exponit aliens, quæ caritas operiat, & excuset. Bernardus [i] de Dei caritate operientis, non imputantis, remittētis, delētis electorum seu prædestinatorū peccata, vt in his videlicet nō obsint. Intelligit Theodulphus, Aurelianus & Chrysologus de propriis cuiusque charitate præditi.

Origenes [k], Ambrosius [l], Gregorius [m], tecta peccata dicūt, ab eo, qui prius peccauerat, quādo post remissionem bonis operibus emendat vitam, ac veluti supponit illa malis, facitque, vt ait Petrus Damianus [n], assumēdo honestæ vitæ tegmen, vt præteritorū criminū ante Dei oculos turpitudo celetur. Hieronymus [o], & Magister [p] sentētiarū, quia deleta per pœnitentiā non erunt in iudicio generali manifesta, sed id passim reiicitur. Naziāzenus [q]: cùm supersunt à remissione peccatorū, aliquæ ipsorū reliquiæ, vt pronitas ad malū, prauæ cogitationes, peruersi habitus. Theodoret [r], Basilius [s] contrà, quando nec vestigia remanent. Nonnulli apud Ambrosium [t], & Remigius [u], ac ipsemet tandem Ambrosius [x], & Hieronymus [y] de peccatis post baptismum per pœnitētiam deletis, ita vt baptismus peculiari modo remittere censeatur, & magis gratiosè charitas regere: licèt si charitas multa sit, ei nonnūquam id tribuatur, vt accidit in Magdalena [z]. Ad extremum tegūtur peccata, quando abiecta per remissionem turpi veluti eorum veste, induitur peccatoris anima vestem elegantem ceu primam stolam [a], & nuptialem [b], gratiæ, charitatis, & aliorum habituū, immò & Christum ipsum, vt Paulus [c] præcipit, quibus nudata fuerat simul cum aduentu vestia illius maculosæ, ac sordidæ, quatū typus ille Iesu Sacerdotis qui pulchras, exutis illis, indutus est [d].

Quocirca *nō sic tecta sunt, & cooperta peccata, quasi ibi sint, & viuāt*, inquit Augustinus [e], cuius videtur hæc vltima expositio esse [f], quæ mirificè aduersatur Hæreticis, abutētib. illo psalmi loco, vt doceāt in remissione, ac iustificatione non tolli peccata, sed manere, quāuis tecta, quæ non imputentur, aut puniantur, nec animā intrinsecè renouari. Ostēdit, probátq; variis Toletus [g] dicendi formulis ex Scriptura desumptis contrariā, & allatas psalmi explicationes affert, vltimam secutus, quā & ipse libentius amplector. Lege Canonem vndecimum sextæ sessionis Tridentinæ synodi.

Alter alij [h] tegi peccata sumūt de solis venialibus, idq; per opera charitatis, ne amplius a Deo videantur per pœnā, vel quia *Charitatis velut humor radicalis adhuc integer perdurans, sanat incidentes infirmitates*, vt Stapletonus loquitur [i]. Sed placet quod extremo loco proxime dixi, & in genere operiri, tegive peccata, interpretor idē esse, quod remitti, ac in totū deleri. Vnde David petit [k], *vt auertat Deus faciē suā a peccatis eius, & omnes iniquitates deleat*: Esdras [l], *ne operiat iniquitatem quorundā, & peccatum eorum corā facie ipsius non deleatur.* Iterū Psalmographus de Deo prædicat [m]: *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.* Tegit Deus peccata, sicut tegit medicus emplastro vulnus quod curat, vt docent Augustinus [n], Gregorius [o] Papa, & Nazianzenus [p]. Adde exemplum luti super cæcum natū [q], cataplasma super Ezechiam [r], collyrium super oculos [s].

Valent ista pro ea sentētia, quæ locū præsentem refert ad charitatem, qua vel peccata operiantur eius qui fratrē diligit, vel fratris, qui inde prouocatus resipiscit. Quamquam si de iam iusto loquamur, siue hoc, siue illo, qui sola egeat remissione venialium peccatorū, pluribus videtur eam nō fieri absque alicuius gratiæ infusione ac incremento etiam extra sacramētum. Qua ratione dicerentur quoque tegi venialia peccata, ad eum, qui dictus est modum. De dicta venialium remissione Suarez [t] disputat, & alij. Acumen magis habet, quàm soliditatem, quod ait Hugo, *peccata operiri ac tegi in charitate, quoniam hac cessante redeunt peccata, saltem quoad ingratitudinem.* Redeunt sanè hoc modo, at non idcirco dicuntur tegi, sed ob allatam vltimam causam de præclaro veluti, ornatóque habitu, seu veste, qua iusti anima circumamicitur. Vel potius quia charitate præditus eleuat & excusat aliorum errores: sicut & se quisque ipsum factáque sua: & est suū cuiuis pulchrū, quia charum. Videtur Cæsarius [u] Arelatensis in verbo tegendi agnoscere facilitatem diligendi: nil enim facilius quàm seipsum tegere veste, quā quis habeat, nec potest quis causari se non posse diligere, sed conuincitur nolle, si non diligat. Lege commentarium nostrum in Psalmum 31.

Multitudinem peccatorum.] Multitudo vniuersitatem significat, multa vniuersa. Sic enim in Prouerbiis [x] est, vnde propius hic locus, *vniuersa delicta operit charitas.* Sūt horū dicendi formulæ alibi exēpla non pauca. *Per inobedientiam vnius hominis peccatores constitutos multos* Paulus [y] dicit, qui dixerat *omnes in eo peccauisse* [z]: *patrem multarum gentium Abraham* [a] *vocat* post Auctorem Genesis [b], & Ecclesiastici [c], simúlque *patrem omnium nostrū* [d]. Daniel [e] scribit, *quòd multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt.* Subdit tamē partitionem, qua comprehenduntur ōmnes [f], *alij in vitam æternā, & alij in opprobrium, vt videant semper* [g]. Christus ait *multos vocatos, & sanguinem suum pro multis effusū* [h]: cum Ioannes dicat Christum *propitiationem esse pro peccatis totius mundi*, nec dubitari possit cuiuis exhiberi vocationis gratiā sufficientē, quia *vult omnes Deus saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire* [i], & Christus venit *vocare peccatores ad pœnitentiā* [k].

Notarūt Augustinus, ac Theophylactus multos poni nonnunquā pro omnibus: & idē est de enūtiationibus indefinitis habentibus vniuersalium significationē: sicut etiam certum est, propositiones vniuersali nota insignitas, capi debere pro in

defini-

a ibidem.
b Prou. 12. 23.
c vers. 18.
Quomodo Deus tegat peccata.
d Psal. 84. 3.
e ibid. 4.
f Thren. 4. 22.
g Heb. 4. 13.
h cap. 7.
i serm. 13. in cant.
k in cap. 4. ep. ad Rom.
Peccata quomodo tecta dicantur.
l 2. de Pœn. cap. 5.
m 31. Moral. c. 9. & Homil. n serm. 9. de S. Georg.
o in Psal. 31.
p 4. sent.
q orat. de Baptismo.
r in Psal. 31.
s ibidem.
t apolog. Dauid. c. 9.
u in Psal. 31.
x supra
y in Psal. 31.
z Luc. 7. 47.
a Luc. 15. 22.
b Matth. 22. 11.
c Rom. 13. 14.
d Zach. 3. 4.
e in Psal. 31.
f quæst. in Exod. c. 103. *Hæreticorum expositio de peccatis tectis.*
g in Psal. 31. serm. 3.
h Salmeron in ep. ad Romanos, disp. 32.
i 12. de iustif. cat. c. *Quod sit peccata tegi.*
k Psal. 50. 11.
l lib. 2. 4. 5.
m Psal. 84.
n concio 2. in Psal. 31.
o in Psal. 3. pœnitent.
p orat. de Baptis.
q Ioan. 9. 6.
r 4. Reg. 20. 7.
s Apoc. 3. 18.
t 3. part. tom. 4. disput. 11. sect. 2.
Quomodo peccata remissa redeant.
u Hom. 9. de eleemosyna.
x cap. 10. 12.
y Rom. 5. 19.
z ibi. 12.
Multi pro omnibus in Scriptura frequens.
a Rom. 4. 17.
b cap. 17. 4.
c c. 44. 20.
d Rom. 4. 16.
e cap. 12. 2.
f ibidem.
g Matt. 19. 30. cap. 20. 16.
h Matth. 26. 28.
i 1. Tim. 2. 4.
k Matth. 9. 13.

definitis, & incertis. Præcipit de istis rectè Salmeron [a]. Fieri autem potest, vt multitudo peccatorum potius dicatur, quàm omnia, quia cũ charitate possunt aliqua leuia superesse, vt ante dictũ est, ac difficile admodum est absque vllo veniali peccato diu viuere, quamlibet sit intẽta, vel feruens charitas. Porro lapsu memoriæ Innocentius III [b]. locũ præsentẽ citans, attribuit Iacobo.

Vers. 9.] **Hospitales inuicem sine murmuratione.**

HIc mutuæ charitatis insignior effectus erga ignotos, & externos, vt libenter, ac liberaliter excipiãtur. Queri qui excipit, facile potest, atque obloqui vel de mora hospitum, expensisq; quas faciunt: vel de moribus eorum, præsertim de ingratitudine. Fuit initio, præsertim Ecclesiæ, necessaria hospitalitas, quando Christiani erant infidelibus exosi, sæpéque huc, illúcque iis demigrandum: & hac de causa, & præterea ad latius propagandũ Euangelium. Existimat Hugo, posse murmurationẽ referri ad eos etiã, qui excipiũtur, vt sint appositis cõtenti, & erga suscipiẽtes grati. Satis hac de re multa dixi Cõmentario in Actus Apostolorum: ob eã quã dixi causam cõmendauit hospitalitatem postea Paulus [c], & Ioannes [d].

Illa porrò cautio, vt sine murmuratione hospitalitas exerceatur, debet extendi ad cetera charitatis opera, quæ deinceps indicantur. In genere quidem Paulus præcepit [e], vt omnia faceremus sine murmurationibus, & hæsitationibus, χωρὶς ὀργῆς, καὶ διαλογισμῶν, *sine ira, & disceptationibus: sed in dando vult nos hilares* [f]. Christus iussit interrogare Apostolos quis esset dignus, ad quẽ diuerterent [g]: quod etsi Hieronymus [h] exponit, *Quis dignus vt exciperet ipsos, reciperétque tale beneficium, & magis idoneus esset ad recipiendam prædicationem, tamẽ aly* [illegible] *eo, qui magis hospitalis*. Feruntur Tauri, ac Pontici fuisse inhospitales. Arnobius, seu potius Minutius [i]. Idcirco forsitã de industria Petrus commendat hospitalitatem: quam quia forsassis, vt Christiani cœperant exercere, tamen pro naturali vitio inuiti, & submurmurantes id faciebant.

Sine murmuratione.] Gregorius [k], *sine murmurationibus*, quo pacto Græcè legitur, ἄνευ γογγυσμῶν.

Vers. 10.] **Vnusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.**

CHaritatis mutuæ munia plura sunt, quàm hospitalitatis exercitatio: complectiturque officia omnia alia, quibus quis prodesse aliis possit, & secundum corpus, & secundum animũ præcipuè. Ad hoc maximè confert, animũ vt prolixe aliis benefaciamus, si cõsideremus res nõ nostras absoluto possessas dominio communicare, sed quas accepimus à Deo hac veluti lege, vt eas communicemus tanquam dispẽsatores, & administratores Dei, cum aliis. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum* [l]: *Habemus donationes secundum gratiã donationis Christi differentes* [m]: *Datur vnicuique gratia secundum mensuram donationis Christi* [n], *vnusquisque proprium donum habet ex Deo* [o]: *Diuisiones gratiarum sunt, sed vnus Deus* [p]: *Diuidens singulis prout vult* [q]: *Ipse dat, ipse aufert: Nihil habemus quod non accepimus, neque gloriari possumus, quasi non acceperimus* [r]: *Ministri Dei sumus, & dispensatores mysteriorum Dei* [s]:

a tom. 1. proleg. 1. Quinquag. 3. can. 42.
b c. maiores. de baptismo.
Hospitalitas initio Ecclesiæ fuit necessaria.
c Rom. 12. 13. Heb. 13. 2. 1. Tim. 3. 2. c. 5. 10. Tit. 1. 8.
d ep. 3. vers. 5.
e Philip. 2. 14.
f 2. Cor. 9. 7.
g Matt. 10. 11.
h ibidem.
i 8. cont. Gẽt. vel in Octauio.
k Hom. 7. in Ezechiel.
Munia charitatis plura sunt donorũ.
l Iacob. 1. 17.
m Rom. 12. 6. *Omnia quæ habemus bona, Dei dona sunt*
n Ephes. 4. 7.
o 1. Cor. 7. 7.
p ibid. c. 12. 4. 11.
q Iob 1. 21
r 1. Cor. 4. 7.
s ibidem 4.

œconomi, ac villici eius [t]: *negotiatores, gestorésve negotiorum ipsius* [u]: *beneficium datum, aut negatum vni de minoribus, minimisque, Christus sibi ipsi negatum, datum vel putat* [x]. *Et otiosum, pigrúmque seruum, qui nullum retulit lucrum, damnat* [y]: *Exigit à fideli, prudentique seruo, vt det familiæ suæ tritici mensuram* [z]: *& cui plus dat, plus ab eo requirit* [a].

Etsi verò plurimæ ex his sententiæ de donis gratis datis intelligãtur, déque muneribus spiritualibus, possunt etiã ad externa, & corporalia extendi, & ad ea misericordiæ opera, quæ pertinẽt ad corpus, de quibus nominatim pronunciabitur in Iudicio generali sentẽtia [b]. Sic quidẽ Carthusianus explicat, & Oecumenius præterea Patet.us [c].

Dispensatio ista, & administratio externorum bonorum, non impedit rationem veri dominij: sicut nec quia sine Deo nihil operantur causæ secundæ, propterea desinunt esse veræ causæ. Attamen aliqui nõnunquam Patres [d], vt impellãt ad aliis bene [illegible] faciendum, ni faciãt, iniquos alienarum retentores rerum, nominant fures, ac direptores: cùm posito eo quod dixi vero, iustóque dominio, peccare in charitatem dumtaxat, censendi sint, non contra iustitiam.

Si de bonis agitur spiritualibus, hi, quibus ex officio incumbit, iniustitiæ culpã possunt incurrere, si officij partes non exequantur. Sic Paulus [e] *si non euangelizaret, væ sibi dicebat esse, quia necessitas ei incumbebat, & dispensatio credita.*

Magis autem propria iniustitiæ ratio cernitur, quando non solum quis iussionem diuinã hac in re non exequitur, sicut Paulus de se loquitur, sed quod ipse minimè volebat, cùm propriũ pro tali munere stipendium recipit. Tractat Gregorius [f] egregie hunc locum, confirmatque alio Pauli: *Per charitatem seruite inuicẽ* [g]: & trita illa similitudine, qua idem vtitur corporis, mẽbrorúmque [h]. *Tunc bene multiformis*, inquit, *Dei gratia dispensatur, quando acceptum donum & eius, qui hoc non habet, creditur: quando propter eum, cui impenditur, sibi datum putatur, &c. tunc nos charitas à iugo culpæ liberos reddit* (loquitur de officio charitatis, non de debito iustitiæ, cùm tamẽ etiam & illius quoddã debitum nominet idem Paulus [i]) *cùm vicissim nos nostro per amorem seruitio subiicimus, & aliena bona nostra credimus, nostra aliis quasi sua offerentes exhibemus* [k]. Rursus sic interpretatur pennas animalis mysticè tectas ad alterum animal, quando nõ ad propriam solam vtilitatem reflectuntur. Eiusdem Gregorij est quod recitat Gulielmus Peraldus [l], differens de auaritia scientiæ, iísque qui abscondunt talentum. *Qui scientia & virtute præditi, secessum speculationis appetunt, ea* [illegible] *rei sunt quot animabus in publicum prodeundo prodesse potuerunt*. Talis & Augustini [m] sententia. *Si fueris frigidus, marcidus, ad te solum spectans, & quasi tibi sufficiens, & dicens in corde tuo, Quid mihi est curare aliena peccata? sufficit mihi anima mea, ipsam integram seruire Deo. Eia non tibi venit in mentem seruus ille, qui abscondit talentum, & noluit erogare? Nũquid enim accusatus est, quia perdidit, & non quia sine lucro seruauit?*

Sicut accepit.] Syrus Interpres omisit similitudinis notam (*quod accepit*.) Est verò nota indicatur inter alia, vt sicut *gratis accepimus*, *ita gratis demus* [n]: & intelligamus in eum nobis finem Deum dedisse, vt aliis daremus. *In hoc*, ait Hilarius [o] *ex primis perfectum à nobis Dei similitudinem, qui scilicet gratis dat, nullius egens* [p].

Gratiam] Χάρισμα, Syriacè מוהבתא *mauhabtha* donũ. Generaliter quiduis liberaliter datum

t Lucæ 16. 1.
u Matt. 25. 14. & seqq. infra 19. 1 . & seqq.
x Matt. 25. 40. 41.
y ibidem 26. Lucæ 19. 22. & seqq.
z Matt. 24. 45. Lucæ 12. 42.
a ibid. 48.
b Matt. 25. 35. & seqq.
c lib. 2. expos. ex operibus. Gregorij in ep. 1 Petri, c. 5.
Dispensatio bonorum suorum non impedit verum dominium.
d Basil. rat. cont. diuites auaros.
e 1. Cor. 9. 16.
f 18. Moral. c. 6. vel 11.
Quando dispensator verbo diuino peccat contra iustitiam.
g Gal. 5. 13.
h 1. Cor. 12. 12. & seqq. Rom. 12. 4. & seq.
i Rom. 13. 8.
k Hom. 7. in Ezech.
l in summa vitior.
m tract. 9. in Ioan.
n Matt. 10. 8.
o ibidem.
p Psal. 15. 2.

ea voce Græca significatur etiam hoc loco, non sola quæ proprie vocantur gratiæ dona, sicut antè monui. Interpres Latinus semel retinuit idem nomen [a]. Sed aliás pro eo reddidit gratiam, quæ significat potestatem Ordinis, vel simul etiã miraculorum, & eiusmodi dona gratis data [b], sæpius gratiam ponit, vbi est χάρισμα, significans munus pertinens ad gratiam sanctificantem [c]: interdum nomen doni [d], & donationis [e].

a 1 Cor. 12. 31. b 2. Tim. 4. 14. 1. epist. 1. 6. c Rom. 1. 11. cap. 6. 23. 1. Cor. 1. 4. d Rom 5. 15. c. 11. 29. e Rom. 12. 6.

Boni dispensatores.] Καλοὶ οἰκονόμοι. Bonitatem constituti super familiã Christus [f] consistere docuit in fidelitate, & prudentia: & primam in primis virtutem exigit etiam Paulus [g]. Verum charitas præ omnibus necessaria est, quamuis quod attinet ad externam administrationem, virtutes illæ duæ maximè spectentur, ac expectentur, & desiderẽtur, quibus præsentibus homines de charitate interna, quæ valet ad meritum corã Deo, non adeo laborẽt. Atqui Petrus hoc locũ de charitate loquitur, quam cùm ei Christus, ouiũ traderet curam, ter exegit ab ipso [h]. Porrò cùm Petrus hortatur vnumquemque dispensare, quam accepit gratiam, sicut bonum dispensatorẽ decet, sequitur à malo dispensatore haberi gratiã posse, nempe gratis datam, Ordinis, Iurisdictionis, &c.

Virtutes boni dispensatoris. f Matt. 24. 45. Luc. 12. 42. g 1. Cor. 4. 2. h Ioan. 21. 15. 16. 17.

Multiformis gratia Dei.] Ποικίλης χάριτος Θεοῦ. Syriace דטיבותא מפרשתא *deiaibutha mepharsetha, bonitatis diuersa, seu distincta.* Hieronymus [i] interpretatur multiplicem, & significantius variam gratiam. Gratiæ autem nomen potest hîc æquè latè patère, atque χαρίσματος. Vel si propriè sumitur, indicatur, cetera tandem referri ad finem gratiæ, tãquam media iustificationis, & prædestinationis. Hæ sunt *murenulæ aureæ vermiculatæ argẽto* [k], seu punctis, notisve suppunctæ argẽteis: vestis polymita [l]; vel deaurata cum ornamento varietatis [m]. Maxima, & suauissima replet voluptate consideratio ingeniosæ, atque artificiosæ redemptionis, & iustificationis nostræ, nullo etiã modo conferendæ cum tanta rerum naturalium, & artificialium, & moralium pulchra varietate.

i epist. 50. ad Pammach. *Gratia gratis data bonis dispensatoris.* k Cant. 1. 11. l Gen. 37. 4. m Psal. 44. 10.

Negat Augustinus [n] ipso initio, ac primis diebus, baptismi sui satiari potuisse se dulcedine mirabili, dum consideraret altitudinem consilij diuini super salutem generis humani. Affert quoque [o] ad idem ex medicina variã similitudinem, vt ostendat quam Deus aptè, sed variis tamẽ modis, curet animas nostras. Has adinuentiones Domini notas fieri Dauid [p] in populis volebat, *ipse autem meditabatur in omnibus operibus eius sed in adinuentionibus exercebatur* [q] בעלילות *baliloth in studiis, operibus, consiliis præclare excogitatis*, nempe *per multiformem*, vt ait Paulus [r], *sapientiam Dei*. Multiplicitas præterea, varietásve formarum gratiæ, denotat plures habitus, & multos eiusdem etiam vnius effectus, vsúsque iuxta applicationem animi ad id, quod quisque desiderat, vt Glossa Interlin. & ceteri exponunt; cui rei seruit exemplum manna [s]. Lege quæ dixi ad Psalmum 44.

n 9. Conf. cap. 6. *Dulcedo mirabilis ex consideratione redemptionis nostræ.* o 1. de Doctrina c. 14. p 1. Par. 16. 8. q Psal. 76. 13. r Ephes. 3. 10. s Sap. 16. 20. Exod. 16. 34. & alibi.

Vers. 11] Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum: cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

CVncta charitatis opera rediguntur ad duo veluti præcipua capita, hoc est, ad doctrinam diuinam, & ad administrationẽ Sacramentorum, & rerum quoque ad tolerandam vitam necessariarũ. In vtroque rerum genere Deus respiciendus, vt & intelligatur illius negotium agi, & ab eo quid doceatur, quidve tribuatur, suppeditari, & ad illum dirigi, quæ dicantur, dentur, fiant; vt in ipsius tandem cedant honorem, cuius est decus, dominiúmque sempiternum.

Charitatis opera ad duo rediguntur, ad doctrinam diuinam & Sacramentorum administrationem.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei.] Nempe loquatur, vt expressit editio Syra. Hoc videlicet est *in Deo laudare verbum & sermones suos* [t], idest Deo digna, atque laudabilia loqui. Lege commentarios nostros Psalmorum. Plurimi refert diuina diuinè, ac, vt ait Paulus [u], *rectè tractare verbum veritatis, ὀρθοτομεῖν rectè secare*, vel distribuere, & quẽadmodum scribit Ieremias, loqui sermonem Dei verè, non miscendo paleam tritico, vel vinum aqua: non vertendo argentum in scoriam [x]: non *adulterando verbũ Dei* [y], vel admixtione superflua profanæ doctrinæ: vel turpi, ac Simoniaco quæstu: vel discordante ab his quæ docentur vita: vel inani & arroganti venditatione sui ipsius: vel dissentientibus ab Ecclesia, cuius est de orthodoxa iudicare doctrina, opinionibus.

t Ps. 55. 5. 11. u 2. Tim. 2. 15. *Rectè tractare verbum veritatis plurimum refert.* x Esa. 1. 22. y 2. Cor. 2. 17. cap. 4. 2.

Solemne Prophetis fuit (quod profani quoque legislatores factitauerunt) sermones suos tãquam ex ore Dei proferre, & sic, aut sic os ipsum Dei locutum protestari [z]: Deum etiam ipsum inducere dicentem *se dare verba in ore ipsorum* [a]: *Aperire Deum* præterea dicunt *os* [b] *ipsis: & se ex ore eius loqui, ac audire* [c]: *esséque ipsummet os eius* [d]: denique cuncti præfantur verbum Domini factum ad se. Contrà verò reprehendunt eos, qui non loquebãtur de ore Domini, *sed visionem cordis sui* [e]. Christus & Martyres armauit hac spe, *vt meminissent in articulo periculi, non ipsos, sed Spiritum Patris in ipsis loqui* [f]: & prædicatoribus pollicitus est fore, vt *Spiritus veritatis doceret eos omnem veritatẽ* [g], *& suggereret* [h]. qui autem *eos vel non audirent vel sperneret*, perinde iudicaturum, ac si semetipsum aut sperneret, aut non audiret [i].

Prophetæ quæ dixerunt solis à Deo dicta esse protestati sunt. z Esa. 1. 20. c. 40. 5. c. 58. 14. Ezech. 3. 10. a Psal. 51. 16. c. 59. 21. Ierem. 1. 9. c. 5. 14. b Ezech. 3. 27. c ibid. 22. cap. 33. 7. d Ierem. 15. 19. e ibid. 23. 16. f Matt. 10. 20. g Ioan. 16. 13. h Ioan. 14. 26. i Luc. 10. 16.

Comprobata sunt ista diuinis visis interdum, vt insusurrantis in aurem tum scribentis, tum concionantis, tunc Angeli, nunc columbæ: insidentis etiam flaminæ, aut alterius super tales signi, vt contigit in Pentecoste, delabentibus linguis igneis [k]. Hac nos alibi de re plura [l]. Gregorius [m], qui vnus est ex iis, qui proferri potest in exemplum propter signum columbæ (quod ipsæmet eius picturæ nobis exhibẽt) ad hunc modum exponit istam Petri sententiam, ac si diceret: *Humiliter impendite bonum proximis, quia scitis vobis nõ a vobis esse quod habetis.* Item admonẽs Doctores [n], ne à virtute dicendi, viuendi qualitate discordẽt, ne loquendo aliud, & ostendendo aliud prædicẽt, iubet audire verba Petri: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Quia ergo verba quæ proferunt*, infert ipse, *ex propriis non habent: cur quasi de propriis tument?* Adhibet alios locos ad idem probandum, ex quibus optimus Epistolæ ad Corinthios secundæ [o]. *Nõ enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur. Ex Deo*, inquit Gregorius, *coram Deo loquitur, qui prædicationis verbum, & quia à Deo accepit, intelligit, & placere per illud Deo non hominibus, quærit.* Illud *in Christo* denotat se illo fretum, cuius gloriæ inseruiret, & ad cuius voluntatem accõmodaret suam, locutum.

k Act. 2. 3. l ibidem. m Hom 7. in Ezech. n 3. part. curæ pastor. c. 25. o cap. 2. 17.

Ibi Hieronymus [p] ait Trinitatem significari, vt *sit ex Deo*, id est, ex Spiritu sancto, qui loquitur

p ep. 150. q. 11. *S. Trinitas quomodo S. Paulus designauerit.*

in iustis[a]; *corã Deo* Patre, quem semper habemus præsentem[b]: *in Christo*, quoniam legatione eius fungitur[c] euangelicus prædicator. Idem verò Paulus testatus est in se locutum Christum[d], & Spiritum Dei in his quæ loqueretur, se habere[e].

Prosper[f] ex hoc eodem loco valde confirmat vim, necessitatémque gratiæ, ac retundit elationem animi de virtutis operibus. Eodẽ facere potest, quod negat idem Paulus *posse aliquẽ dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto*[g], *immò cogitare aliquid ex se tãquam ex se, sed omnem sufficiẽtiam ex Deo esse*[h]. Hortatur præterea[i] *ne sermo malus ex ore nostro procedat; sed si quis bonus est, ad ædificationẽ fidei*: &, *vt*[k] *cogitemus* (ac videlicet loquamur) *quæcũque sunt vera, quæcũque pudica, quæcumque iusta, quæcũque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bona famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ*, & *vt sermo noster semper in gratia sit sale conditus*[l], *sicut is qui fert aromata, etiãsi nolit, ex odore proditur: ita*, inquit Climacus[m], *& qui spiritum Dei habet, ex verbis suis agnoscitur*. Celebris in Prato[n] spirituali Dauid anachoreta, qui cum ei loquẽdi vsus ab Angelo tollendus esset simili de causa, ob quã patri Ioãnis Baptistæ[o], impetrauit, vt de rebus diuinis loqui liceret. Notus quoque Machetes experrectus ad sermones de Deo, indormiẽs ad alios[p]. Denique constat perutilem ipsi loquenti talẽ sermonem esse, vt de se Thomas apud Cassianũ refert[q], & de quodam narrat Auctor Vitæ Patrũ, qui in itinere, quo redibat ad sęculũ, ab obuiis monachis inuitatus, post sermonẽ quem habuit, rediit ad priora consilia meliora. Cæterùm sermones Dei possunt hîc intelligi vel de Deo, rebúsq; diuinis: vel Dei tanquam, qui sit auctor, détque verbũ euangelizanti virtute multa[r]: vel eiusdem Dei vt loquentis, quíve sit locutus, ita vt nil quis proferat, quod non congruat Dei verbo aut scripto aut tradito: vel Dei, hoc est, quasi præsente ipso & audiente, vt reuerenter sanctéque id fiat, efficiendo vt auditores æstiment se id quod verè est verbum Dei excipere. Sic os iusti meditatur sapientiam, loquitúrque lingua eius iudicium[s]. Vbi Ambrosium lege, nostrúmque commentarium.

Si quis ministrat.] Εἴτις διακονεῖ. Minister, Diaconúsque generaliter amplectuntur tum sacrarum, tum laicarum administros rerum, vt monuimus in Actuum Apostolicorum Commẽtario[t]. Sed dicti sunt qui res tractabant sacras, magis arcta notione Diaconi hi, qui suberant principantibus, siue superintendentibus, quales Episcopi: tandem adhuc magis angustè hi, qui proximè sunt in hierarchia inferiores Presbyteris. Glossa Interlinearis, & Carthusianus explicant: Si quis vel eleemosynã, vel aliquod bonum opus impendat: Lyranus egentibus temporalia bona: Hugo tum hæc, Sacramẽta, tum verbum Dei: denique quidlibet aliud: Thomas Anglicus & temporalia, & spiritualia. *Quid est Apollo? quid Paulus? ministri eius, cui credidistis*[u]. &, *data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, &c. quoniam cum essetis ministri eius*[x], &c. In epistola ad Romanos[y] *ministerium* in ministrãdo, διακονίαν ἐν τῇ διακονίᾳ, cõplectitur ministeria corporalia, quale erat ministerium mensarum[z]; licet etiam de spiritualibus alibi dicatur, vt notatum est, verbi gratia de prædicatione[a].

Tanquam ex virtute, quam administrat Deus.] Ὡς ἐξ ἰσχύος, ἧς (in Complutensibus, & Regiis Bibliis ὡς mẽdosè legitur) χορηγεῖ ὁ Θεός. vbi virtus, vt aliàs sæpè, significat vim, robur, potentiam: & administrare, non vt ministri solent, quod non conuenit Deo (licet Christus hîc se ministrasse dixerit[b], & in beatitudine ministraturum[c],) sed suppeditare, & simpliciter dare: quod etiam valet Syrum: יהב *iabeu*. Eadem ratio sententiæ Pauli[d]: *Qui autem administrat semen seminanti*, &c. ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν. Debet autem hîc suppleri, *Tãquam ex virtute, quam administrat Deus, si quis ministrat, ministret.*

Vt in omnibus honorificetur Deus.] Δοξάζηται משתבח *mesthabbach glorificetur*. Id fit, cum quia quę habet, aliis cõmunicat. sic enim memor se à Deo illa habere, ipsum laudat: quod etiam facit, qui accipit; & postremò etiam infidelis; qui præterea inde argumentatur, non aduersari prouidentiæ diuinæ, vt quidam egeant, aliqui abundent. Omne opus virtutis cedit in honorem Dei: sed quod ex charitate fit, hanc habet magis directam, atq; formalem rationem. Eundem in omni negotio finem Paulus exigit[e], *vt id faciamus in gloriam Dei, & in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri, per ipsum*[f]. Christus hoc fecit ipse, non quærens gloriam suam, sed Patris, eum honorificando[g], & voluit sic lucere operũ nostrorum lucem coram hominibus, vt hi glorificarent Patrem[h]. Permittit omnia nobis Deus, vnam sibi gloriam reseruat[i]. Ecclesia crebro, multísque modis Deo canit gloriam, quam in templo cœlesti omnes illi dicunt[k], maximè quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores[l].

Per Iesum Christum.] Deo, ac Patri omnis per Christum mediatorem defertur gloria, gratiæque[m], ac preces offeruntur, vt Præfatio Missæ, aliáque aliqua in eiusdem canone, & orationes omnes testantur. Immò & in eàdem Præfatione dicuntur per eundem Angeli, ceterique ordines, laudare, adorare, tremere, concelebrare Dei maiestatem; quia ipse est totius caput ciuitatis Ierusalem, vnus Rex, vnus Imperator, vt docet Florus[n] Magister. Et laudatus Deus Pater per Filium suum ab omni cœlesti creatura, & glorificatur ob datæ gloriæ beneficium, & illius confirmationis, vt ait Stephanus Eduensis[o]. Similis loquendi modus de gloria, & honore, qui Deo fit per Christũ, habetur extrema epistola ad Romanos, & vltimis verbis capitis tertij ad Ephesios. Vocatur non solùm Deus & Pater gloriæ[p], sed etiã Rex, nempe Christus[q]. *est enim in gloria Dei Patris*[r], *& spes gloriæ*[s]; & ipsi gloria, & imperium tribuitur sequentibus verbis, & Deo Patri est gloria *per ipsum, in ipso, cum ipso.*

Cui gloria, & imperium.] Christo, de quo proxima præcessit mentio: etsi referri quoque possent hæc ad Deum, qui honorificari dictus est per Iesum Christum, eadem gloria Filij quæ Patris: quemadmodum & Spiritus sancti: vt ea de causa decretum sit à Damaso, proponente Hieronymo, omnibus psalmis laudationem illam apponi. *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, sicut erat*, &c. de qua Ioannes Stephanus Durantus[t]. Theodoretus exponens Paulum[u] scribentem, quod Christus resurrexit per gloriam Patris, vult id ita dici, quia per virtutem suam diuinam, quæ est eadem cum virtute Patris, etsi aliter alij, & forsan aptius *per*, quod est Græcè διὰ, ponitur loco *propter*, vt obseruauit Toletus[x]: sicut alibi: *Nomen Dei per vos blasphematur inter Gentes*[y], id est, propter vos. Idem Paulus[z] gloriam habere se dixit in Christo ad Deum: eidem quoque gloriam dat in secula seculorum[a], appellans *splendorem gloriæ*

Margin notes (left): a Matth.20. b Psal.15.8. c 2.Cor.5.20. d 2.Cor.13.3. e 1.Cor.7.40. f ep. ad Demetriadem. *Gratiæ necessitas hinc ostenditur.* g 1.Cor.12.3. h 2.Cor.3.5. i Ephes.4.29. k Philip.4.8. l Coloss.4.6. m Gradu.26. n cap.1.43. o Lucæ 1.20. p Cassian. 5. instit.c.29. q Collat.21. cap.1. r Psal.67.12. s Psal.36.30. *Diaconus quis sit.* t c.6.3.& seq. u 1.Cor.3.4.5. x Sap.6.4.5. y cap.12.7. z Act.6.3. a ibidem.

Margin notes (right): b Matt.20.28. c Lucæ 12.37. d 2.Cor.9.10. *Omne opus virtutis cedit in honorem Dei, sed magis quod fit ex charitate.* e 1.Cor.10.31. f Coloss.3.17. g Ioan.8.49. 15. & alibi. h Matt.5.16. i Esa.42.8. k Psal.28.9. l Apoc.4.& seq. passim. *Per Christum mediatorem defertur gloria Patri.* m Gal.3.19. 20.1.Tim.2.5. Heb.8.6.c.9. 15.c.12.24. n in expos. Missæ Tom.6. Biblioth. Patrum. o lib. de sacr. alta.c.13. p Ephes.1.17. Act.7.2. q 1.Cor.8.8. r Philip.2.11. s Col.1.27. *Eadem est gloria Patris quæ Filij.* t lib.5. de Rit. Eccl. c.15. u Rom.6.4. x Ibid. Anno. 4. y Rom.2.24. Esa.52.5. z Rom.15.17. a 2.Cor.4.18.

a Heb. 1.3.
b Apoc. 1.6.
c 1. Cor. 2. 8.
d c. 2. 1.
e ibidem.
Christus est Dominus gloriæ.
f 11. Thesau. c. 13. & lib. 6. de Trinit.
g Psal. 23. 8. 9. 10.
h Esa. 42. 8.
Christi diuinitas probatur.
i Heb. 1. 3.

Dei [a]: & Ioannes [b] tribuit gloriā, & imperiū. Tandem vt prius notaui, nominat Christum regē gloriæ Paulus [c]: cui adde Iacobum [d], vt exponit Beda [e], & Cyrillus Alexandrinus [f], qui vocat *Dominū gloriæ*, sicut & ceteri passim intelligūt de Christo sermonē esse in psalmo [g], vbi *Dominus fortis, & potēs, ac dominus virtutū ipse rex gloriæ canitur.* Argumentatur vltimus inde pro diuinitate Christi, quia Deus negauit *se alteri gloriam dare* [h], vt etiam dictum est. Beda *splendorem gloriæ* [i] *Dei* Christum docet dici, quoniam gloriam Patris, quam ipsemet habet, prius ignotā, credētibus manifestauit tanquam lumen de lumine, & sempiterna gloria remunerat, quidquid pro eius amore pauperibus datur. Lege quæ diximus capite septimo Actuum Apostolorum, cur Deus gloriæ nominetur [k].

k vers. 2.

Gloria, & imperium.] Ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος. Syriacè תשבוחתא ואיקרא *thesbuchta vikara, Gloria, & honor.* Hispani olim hymno Gloria Patris, &c. addebāt *& honor*, vt videre est in Missa Leandri, siue Mozarabum, qua vsa est Hispania vsque ad Alphonsum regem sextum, & in Cōcilio Toletano IV [l]. in quo redditur causa, quoniam habetur in psalmo [m]: *Afferte Domino gloriam, & honorem:* & in Apocalypsi [n]: *audiuit vocem Ioannes cælestis exercitus dicentem: Honor & gloria Deo nostro sedenti in throno.* Quare vt ita etiam dicatur, proposita excōmunicationis pœna, Patres dicti Concilij præcipiūt Si habēda ratio fuit vocis illius ex Apocalypsi, non video cur non potuerit addi: *benedictio. & potestas.* Sed vt id obiter admoneam, Hispani illi solùm hoc recitabant: *Gloria, & honor Patri, & Spiritui sancto, in secula seculorum, Amen:* Græci omittentes vocem *honor*, vt & ceteri omittebant, adiiciebant dumtaxat, vt quidem meminit Strabo [o], *& nunc, & semper, & in secula seculorum;* prætereuntes istam clausulam, *sicut erat in principio, qua nos* (inquit) *Latini agnoscimus, & confitemur sempiternitatē Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Nihilominus proditur in Concilio [p] Vasensi secundo, quod antiquius est Toletano citato, decretū, vt in vniuersis Ecclesiis dicatur, quia nō solùm in sede Apostolica, (id est, Romæ) sed etiā per totum Orientem & totā Africam dicitur, propter hæreticorum astutiam, qui Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemant. Porrò τὸ κράτος hoc loco rectè per imperium expositum est, sicut & in Apocalypsi [q], quamuis robur quoque significet. Lege cap. sequenti versu vndecimo.

l can. 12. & 14. & habetur c. de hymnis de consecr. d. 1.
m Psal. 28. 2.
n cap. 5. 13.
Gloria Patri diuersis modis dictum.
o de Rebus Eccles. c. 25.
p cap. 5.
q cap. 1. 6.

In secula seculorum.] Vim habent ad exaggerandum maiorem duo nomina ista, licet reipsa idem valeat *in secula* quod *in secula seculorum.* Sed hac de re alibi [r], & capite sequenti versu vndecimo.

Amē.] Et de hac aliàs [s] egimus. solēt enim in vetere Testamento LXX. reddere, γένοιτο, γένοιτο, *fiat, fiat.* Aquila, Symmachus, Theodotio πεπιστωμένως, aut πεπιστευμένως, *verè, fideliter.* Legendi Pagninus in lexico, Ioannes Stephanus Durantus in opere de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ [t], Blasius Viegas [u], & Franciscus Ribera [x], Ioannes Maldonatus in Matthæū [y], Franciscus Toletus [z] in Ioanné, Barradius in Concordia, Benedictus [a] Papa XI.

r Eccl. 1. 4. Act. 3. 21. c. 15. 18.
s 1. Io. 5. 20. & Act. 10. 34.
t lib. 2. c. 17.
u in Apoc. c. 1. Comment. 1. sect. 15.
x ibid. nu. 59. & 60.
y in Matth. c. 25. vers. 18.
z c. 3. ann. 4.
a lib. 7. in Matth. c. 24.

Vers. 12.] Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat.

DEinceps adhortatur fideles ad patientiam, docens ne noui, ac veluti peregrini sint in tribulationib. quas ferre contingat ab iis, quibuscum versantur, vel Iudæis, vel Gentilibus. Certè nouū non potest esse, quod adeo sæpe in scripturis prædictum [b]: quod piis omnibus vsitatū [c]: & Christo capiti [d]: quod quasi insitum in natura & vita nostra, quæ *tota tentatio* [e] *est, tamque ad laborem comparata quam ad volatum auis* [f]: quod necessariū, vt ipsi nostrā imbecillitatē meliùs cognoscamus; in virtute magis confirmemur; coronam legitime certantibus [g] promissam adipiscamur. vt gratiæ vis, Deique virtus [h] clarius innotescat in nobis, Deique hostes confundantur, & aliis de causis, de quibus alias [i] dixi. *Erras*, ait Hieronymus [k], *si putas vnquā Christianū persecutionem nō pati: Nūquam deest, si nunquam desit obseruātia pietatis*, inquit Leo [l]. *Iuuat tela prauidisse, vt minus feriant, & præscientiæ clypeo contra mala, quæ adueniūt muniri esse*, vt Gregorius [m] docet. *Vos ergo videte*, ait Christus [n], multa de his vaticinatus: *Ecce prædixi vobis omnia.* Clemens [o] Alexandrinus respondet obiicienti, cur patiantur Christiani, si eorum Deus curam gerit; nolle, vt in casus incidant (nempe per se, & directè.) Sed prædixisse quæ essent euentura, fore scilicet vt propter nomen eius paterentur; sic etiam exercendo ipsos ad patientiam.

b Psal. 33. 18. & seq. Psalm. 36. 12. & seq. Psal. 43. 2. Matt. 10. 17. & seq. Luce 21. 12. & seq. Ioan. 15. 20. 2. Tim. 3. 11. 12. Act. 14. 21.
c Act. 14. 21. 2. Tim. 3. 12.
d Rom. 8. 35. & seq. 1. Cor. 1. 8.
e Iob 7. 1.
f ibid. c. 5. 7.
Tribulatio quā sit necessaria.
g 2. Tim. 2. 5.
h 2. Cor. 12. 9.
i in Euang. de tent. Christi. Matth. 4.
k epist. 1.
l Serm. 9. de Quadrag.
m hom. 35. in Euang.
n Mat. 24. 25.
o 4. Strom. c. 5.

Charissimi.] Ἀγαπητοὶ positiuo nomine. Lege quæ notata sunt in epistolas [p] Ioānis. *Ex ipso nomine significat*, inquit Oecumenius, *non quia ad eo habeantur, sed quia valde cari sint, amorum Deo, vehementérque amentur, afflictationes ipsis contingere.*

p 1. Ioan. 2. 7. c. 3. 2. 21. c. 4. 1. 7. 11. 3. ep. 1. 2. 11.

Nolite peregrinari in feruore.] Ξενίζεσθε ἐν πυρώσει. De verbo Græco iam egimus versu quarto, vbi Latinus Interpres posuit admirādi verbū. Et Beda testis est, in quibusdā codicibus fuisse: (*Nolite peregrinari*) legens ipse *mirari.* Hugo de vtráque lectione mentionem facit. Syriacè לא תתהכרון *lo thethdammerū*, Tertullianus [q]: *Dilecti, ne expauescatis vstionem.* Cyprianus [r]: (*Charissimi, nolite mirari ardorē accidentem vobis*, &c.) Fulgētius [s]: *Charissimi, nolite expauescere in feruorē* (fortassis in feruore) Hieronymus [t]: *Charissimi nolite mirari in ardore.* Horū, & Oecumenij, Caietani, Gagnej, Vatabli, Clarij, Catharini, Salmeronis, Sà, Feuardentij, Bedæ etiā, quatenus legit *mirari*, vera expositio est, ne videatur ignis, & cōflagratio tribulationis res insolēs, inopinata, extranea, (vulgò *non vi paia cosa strana, no os parezca estraño, qu'il ne vous semble pas estrange*) aliena à statu, & cōditione nostra, néve huiusmodi re perturbentur vt ad rem inusam, horridam, &c. *Filij potius alieni, & adulteri censendi*, opinione Pauli [u], *qui sunt extra disciplinā istam*, & legimus ex sanctis aliquos, qui cùm ramitteret tribulatio, discutiebāt seipsos, verentes ne Pater eos propter admissam culpā deseruisset. Idem Paulus cùm rescisset cōmotos nonnihil Thessalonicenses, quòd eum tribulationibus vexatum accepissent, Timotheum, qui renuntiaret, misit, vt nemo moueretur, cùm nosset, quod in hoc positus esset, & apud ipsos agens, prædixisset passurum se tribulationes; atque ita, sicut & ipsi sciebant, euenisset [x]. Et ideo, cùm in hoc positos nos esse (colligit inde Saluianus [y]) Apostolus dicat, vt ærumnas, vt miserias, vt tristitias perferamus: *quid mirum est, si mala cuncta perferimus, qui ad tolerāda vniuersa militamus?* Sed & cum prohiberetur tendere Ierosolymā idem Apostolus, ob prædictionē de suis vinculis, lacrymas aliquas de hac re suimet afflictionem cordis nominauit: quòd id minimè sibi nouum duceret, paratus mortem ipsam pati [z].

q in Scorp. c. 12.
r ep. 56. & de exhort. mart. c. 9.
s 3. ad Trasimund. c. 30.
t in cap. 4. Amos.
Tribulatio videri non debet res insolens & inopinata.
u Heb. 12. 8
x Thess. 3. 3. 4
y li. 3. de Iud. & Prouid.
z Act. 21. 13. 13. 14.

Obseruat Hugo, quod verū est, nonnullos dum adhuc degerent in vita seculari, vel etiā in statu peccati, nec de fide, nec de rebus huiusmodi aliis

Qui degunt in vita seculari, nō tentantur, qui si transeant ad vitam religiosam tentabuntur.

capet

expertos tentationes: vbi aggressi fuerint viā pœnitentiæ, tunc experiri, & de hoc mirari. Sed non esse, cur mirentur: priùs namque radicem tentationis fuisse; diabolum tamen nō curasse, vt prodiret in actum: quia illos pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit. Talis exēpli causa Hugo Gratianopolitanus apud Surium [a].

[a] Mense Aprili.

Præter allatū istum genuinū sensum, secundus est Bedæ, Hugonis, Carthusiani, Ioannis Benedicti, Primaticcij, Thomæ Anglici, ne quis quia tētationib. pulsetur, existimet se propterea exulem à membris Christi, siue à Christo ipso, quasi ab eo derelictus sit: vt quemadmodum peregrinatur à Domino secundum præsentem statum, & vitā [b], ita secundum amorem ipsius erga se. Tertius Lyrani, & iterum Hugonis, Carthusiani, atque Thomæ Anglici, ne se alienent à fide, & amore eiusdem. Quartus, quem vocat magis litteralē Lyranus, ne timore mortis recedant, fugiántque, nisi eum ex fuga maius apparet bonum Ecclesiæ.

[b] 2. Cor. 5. 6.

Quintus Petri Aureoli [c], ne leuiter discurrāt, abrepti feruore quodam volūtatis, imaginātes se noui aliquid reperturos: Sextus Turriani [d] nostri, ne mittentur in incēdio tentationis libidinis, & si se vri sentiāt, πυροῦσθαι, vt loquitur quoq; Paulus [e]. Septimus Hugonis, ne, dū quis est in feruore deuotionis, nimis multa proponat, & promittat ardua, atque difficilia, quæ postea præstare non valeat, aut non velit: Octauus Marsi exercitoris [*] de voluntate carnis, qui est motus corporis naturalis, cum subsequēte citra rationem feruore: quæ quidem à somno, & à membrorum remissione vires accipiunt. Hæc ego retuli, vt eorum collatione omnes intelligant, meritò primam expositionem cæteris præferri, quā cetera quæ sequuntur, magis adhuc illustrant.

[c] in compēd. Sacr. script.
[d] de Dogma. charact.
[e] 1. Cor. 7. 9.
[*] disp. cum seculari causidico.

In feruore.] Ἐν τῇ ὑμῖν πυρώσει. Iam retuli Tertullianum legisse *vstionem*. Cyprianum *ardorem*: Vatablus vertit, *Dum per ignem exploramini*. Clarius, *in examinatione*. Oecumenius exponit, Per δοκιμασίαν, qui in ipso textu dicitur postea πειρασμόν. Hesychius eandem tradit significationem, etsi propria sit coctio ad ignem.

Tritū est ignis vocabulo tribulationē denotari, sicut & fornacis, quæ vasa & metalla probat. Lege quę diximus in librū Sapiētiæ [f], & antea in caput primum huius epistolæ [g]: vnde Plautus [h],

Quam magis id repeto, tam magis vror. Item [i]:

Vritur cor mihi.

Da illi cantharum, extingue ignem,

Si cor vritur, caput ne ardescat.

& Terentius [k]:

Vro hominem:

id est, vexo, & crucio.

& Horatius [l].

Cui non conueniat sua res, vt calceus olim,

Si pede maior erit, subuertet; si minor, vret.

Alia quoque notio pro cruciatu, quo conficiuntur amantes, vt cum ait Paulus [m], *melius esse nubere, quam vri*. Tale & illud Virgilij [n]:

Daphnis me malus vrit, ego hanc in Daphnide laurū.

Theocritus [o]:

Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν, ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν αἴθω.

vbi ἀνίασεν Latinus poëta dixit, *vro*. Turnebus [p] id obseruat, citátque Ouidium [q].

[f] cap. 1. 4.
[g] vers. 7.
[h] in Bacch.
[i] in Persa Act. 5. sce. 2.
[k] in Panu. Act. 2. sce. 2.
[l] lib. 1. ep. 10.
[m] 1. Cor. 7. 9.
[n] Eclo. 8.
[o] Idyllio 2.
[p] lib. 19. c. 27.
[q] 7. Metamo.

Syrus interpres nihil de igne dixit, contentus posuisse tentationes בנסינא דהוין לכון *benesiune dehauen lechun*, *In tentationibus quæ sunt vobis*. Hoc est quod sequitur loquendo de feruore.

Qui ad tentationem vobis fit.] Error est in codicibus Regiis, Complutensibus, & aliis, in quibus habetur *fit*. Nam Græcè etiam est γινομένῃ. Tertullianus reddit, *vstionem quæ agitur in vobis ad tentationē*. Cyprianus, *Ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit*. Deus tentat non ignarus, sed vt nos nobis, & aliis notiores reddat, quēadmodum pluribus alibi ostendimus. Ad malum sollicitando non tentat Deus *intentator malorum* [r], sed is qui absolutè *Tētator* [s], *seu is qui tentat, nominatur diabolus* [t], & cōcupiscentia propria sua [u]. Alia est seductionis, alia probationis tētatio, vt distinguit Augustinus [x], & Eucherius [y], qui etiam priorem tentationis modum vocat deiectionem [z].

[r] Iaco. 1. 13.
[s] Matt. 4. 3.
[t] Thess. 4. 1.
[u] Iaco. 1. 14.
Deus non tentat nos ad malum sollicitando.
[x] de consen. Euang. c. 30. ser. 11. de verb. Domin. Serm. 72. de temp. q. 17. in Gen. ep. 140. 4. de ciui. c. 13.
[y] lib. 2. in Genes. c. 17.
[z] de qu. noui Testa. in epist. Iacobi.

Permittit Deus tētationes, & induci nos, perducique ad peccandum iusto iudicio suo, vt idem Augustinus [a], & Gregorius [b] annotāt: ideóque rogatur ne hoc permittat [c], id est, consensum peccati. Sumitur verò tunc, sicut & aliàs tentatio per Metonymiā pro effectu, nempe pro peccato, vel etiam pro ea re, per quam quis tētatur, vt pro aduersitate, voluptate &c. quamuis in ea notione, frequentior vsus est tentationis pro aduersitate.

Permittit Deus tentationes iusto suo iudicio.
[a] 19. de ciui. c. 9. de serm. Dom. in mon. c. 14.
[b] 5. Mor. c. 3.
[c] Matt. 6. 13.

Potest itē sensus petitionis in oratione dominica esse, ne permittat Deus tentationes ipsas, quas videlicet veremur, ne nos sternāt. Quo pacto Christus volebat *suos vigilare, & orare, vt non intrarent in tentationē* [d]. Ita vt induci, & intrare, sit duci & adduci ad tentationē, eam proponi, tentari, licet non succumbas, & petamus non tentari vehementius, id est, vt Paulus loquitur, *supra modum, & supra virtutē tentatione grauari* [e]. Fauēt Græci exponentes Orationē Dominicam Nyssenus, Chrysostomus, Auctor Operis Imperfecti in Matthæum, Euthymius, Theophylactus: & ex Latinis Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, quos citat, sequitúrq; Maldonatus. Et tamen verū est, *numquā nos tentari supra id, quod possumus* [f], *quamuis tentatione vincamur. Nouit figmētū nostrum Deus* [g]: *& potum dat in mensura, calicémque* [h]. Nouit quod imponat pōdus, quantū intendat pro vasis fornacem homo: quanto magis Deus, vt egregiè ratiocinatur Ephrem [i], qui totus est sapiētia plenus, nouit quantis tentationibus, probationibúsque indigeant animæ ipsi placere volentes.

Explicatio petitionis orationis dominicæ, ne nos inducas in tentationem.
[d] Matt. 26. 41.
[e] 2. Cor. 1. 8.
[f] 1. Cor. 10. 13.
[g] Psal. 102. 14.
[h] Psal. 72. 6.
[i] Ser. de Patientia.

Tentationem humanam à Paulo [k] appellari, quando ei non consentitur, existimare Gregorius [l] videtur; cùm consentitur, dæmoniacam, per quam regnat peccatum [m]. Quod autem scribit supra modum grauatum se, supráque virtutem [n], intelligit supra vires humanas, non supra diuinas; quibus adiutus vicit, & quiuis vinceret, si oblatas a Deo reciperet, eísque responderet, atque cooperaretur. Est porrò hic quædam paronomasia inter πύρωσιν & πειρασμόν.

Tentatio humana quæ sit.
[k] 1. Cor. 10. 13.
[l] 3. par. Pastor. cap. 32. & 33. Moral. c. 3.
[m] Rom. 9. 12.
[n] 2. Cor. 1. 8.

Quasi noui aliquid vobis contingat.] Ὡς ξένου ὑμῖν συμβαίνοντος, *Quasi peregrinum* &c. Vnde cognoscitur quid sibi voluerit præcedens verbum peregrinari. Addit Cyprianus [o]: *nec excidatis, tamquam nouum vobis contingat*: per *excidatis* intelligens id, quod Paulus, cùm ait [p]: *siue mente excidimus*, Deo vt Pamello placet [q]. Atqui legendum ibi *excedimus*, ἐξέστημεν, & significat mentis alienationem, stuporem, ecstasim, vehemētem admirationem: quæ omnia proposito congruunt: quo pacto Fulgentius [r] adiiciens quoque legit; *Nolite pauere tamquam noui aliquid*, &c. Iam inde ab Abel iusti omnes persecutionem passi sunt [s]. *Beati estis*, ait Christus [t], *cùm maledixerint vobis*, &c. *gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis:*

[o] epist. 58.
[p] 2. Cor. 5. 13.
[q] in Cyprian.
[r] 3. ad Trasimund. c. 30.
[s] Gen. 4. 8. & Matth. 23. 35. 1. Ioan. 3. 12. Iud. 1. 11.
[t] Mat. 5. 11. 12.

Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

Vers. 13.] Sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.

Magnum ad patientiam incitamẽtum duci Christo tam multa pro nobis passo esse similem, quãuis nulla proueniret alia vtilitas. Accedit participatio regni eiusdem iis, qui *cum ipso permanserint in tentationibus, vt cum ipso edant, & bibant* [a]: *vt commoriantur, & conregnent* [b] *vt vbi est ipse, illi sint* [c]: *vt socij sint consolationis qui fuerint passionis* [d]. Gloria magna sequi Dominum [e]: stigmata eius portare, & insignia in corpore [f]: semper mortificationẽ Iesu in corpore nostro circumferre, vt & vita ipsius manifestetur in corporibus nostris [g]. Eidem configi cruci [h], etuelingi re ipsa velle, vt voluit Andreas [i], quia magister crucifixus est: quod videmus eũ facere, patiq̃ue, imitati, vt milites Abimelech [k], & Gedeon [l]. Irruit armiger Saul super gladium, cùm irruisse viderat regem Saul super suũ [m]: & Othonis Imperatoris milites cũ cognouissent eũ occidisse se, iuxta rogũ ipsius interfecerunt seipsos, non noxa, neque ob metũ, sed æmulatione decoris, & charitate Principis [n].

Sed communicantes.] Ἀλλὰ καθὸ κοινωνεῖτε. *Sed sicut*, vel, *iuxta quod*, vel, *eo quod communicatis*. Tertullianus [o], *Et nunc secundum quod communicatis*, &c. Cyprianus [p]: *Sed quo iescamque communicatis*, &c. Fulgẽtius [q]: *Sed vt communicantes*, &c. Quid si perceptio Eucharistiæ institutæ in memoriã passionis Christi, hac quoque de causa nominetur κοινωνία, communio, non solùm propter coniunctionem charitatis? Sed modos leges apud Carthusianũ, quibus cõmunicare possimus Christi passionibus. Thomas Anglicus cõmunicare sumit pro, partẽ veluti capere, quia non possumus Christum perfectè imitari, & tanta pati, quanta passus est.

Passionibus Christi.] Τοῖς τοῦ Χριστοῦ παθήμασι. *His, quæ passus est*; non autem quas Philosophi vocant animi perturbationes, tales enim in Christo nõn fuerunt; sed propassiones, vt Hieronymus [r] docet. Multitudinis numero significatur multa passum Christum, & multis notabilem circumstantiis fuisse passionem, ac mortem ipsius, vt notauit Hugo, & Thomas Anglicus.

Gaudete.] Cyprianus [s]: *Per omnia gaudete.* Nullus alius aut Bibliorum codex, aut scriptoris alterius habet *per omnia*. Patienter tolerare, laudabile; libenter, melius; optimũ hilariter: de hoc in Apostolorum egimur historia, cùm narratur gauisos post flagellationem Apostolos [t]: Agatha, iuxta nomen, bona, lætissimè, glor ãterque ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata, agonem suum Domino precibus cõmendabat. Marcus, & Marcellianus fratres confixi ad stipitem, negabant se tam iucunde vnquam epulatos, quàm libenter Christi causa ferrent, in cuius tunc amore fixi esse cœpissent. Tyburtius in prunis velut in rosis incedere se protestabatur. Hoc est omne, i. perfectum gaudiũ, vt Iacobus [u] asserit, & Paulus, cùm nos spe gaudentes esse vult, subdit, *in tribulatione patientes* [x]. Ideirco hic iubemur gaudere vt speremus, nempe ob spem futuri gaudij.

Vt & in reuelatione gloriæ gaudeatis exultãtes.] Cyprianus [y]: *vt & in reuelatione facta claritatis eius gaudentes exultetis.* Claritatis nomen nostet etiã interpres reddit aliquando pro gloria: & clarificandi verbum vice glorificãdi, vbi est δόξα, & δοξάζειν non sunt contemplãda temporalia, sed æterna [z], longiúsque prospiciendum. Acutè Hugo monet nos prius filios esse debere Mariæ, ac fratres Christi ex parte illius, quam filios Dei, fratrẽsque ex parte Dei, quia Maria inter alia significat amarã: nec ante filium Dei licet esse, ac Deo frui, quàm sentiamus amaritiem pœnitentiæ. Præterea dicit hoc aduersari Christo, qui patrẽ habuit sine matre, sempérq; sic esse potuit, si voluisset, nasci tamen de matre voluisse, vt nos, qui sine dolorib. esse non possumus, hanc libenter amplecteremur matrẽ, non quærẽtes gaudia, vbi non est nisi tristitia, contra illud Ieremiæ [a]: *Et tu quæris tibi gaudia? noli quærere*. quãuis emendati libri legant *grãdia*, גדלות *guedoloth*. Denique mysticè huc accõmodat verba Christi: *Ecce mater tua* [b]: quosdam verò nolentes talem matrem recipere, dicere: *ostende nobis Patrem, & sufficit nobis* [c], item introducere fabulam Mineruæ in Ecclesiam, vt nata illa fuerit de cerebro Iouis absque matre.

Gaudium, & exultatio denotare possunt animi, corporísque voluptatem, qua complebitur Beati recuperato corpore. Thomas Anglicus enumerat octo veluti obiecta gaudij spiritualis, etiã in præsenti vita, Puritatem conscientiæ [d]; Virtutis adeptionem [e]; Operationem bonam [f]; Tribulationum pro Christo perpessionem [g]; Cõfortationem auxilij diuini [h]; Mercedis æternæ promissionem [i]; Cõuersionem peccatorum [k]; tam conuersorum profectum, & vtilitatem [l]. Sed loquitur Petrus de gaudio, & consolatione sequentis vitæ.

Vers. 14.] Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniã quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit.

Inter ea, quæ solent hominibus etiã iustis maiorem afferre molestiã, probra sunt, dedecora, conuitia. Idcirco nominatim ad horum tolerantiam Petrus excitat certa spe, quod horum vice honor, gloria, potentia Dei, Deúsque ipse talia tolerantes ornaturus, ac inhabitaturus sit. Testes veterum apologiæ Patrum, quam turpia & dictu, atque cogitatu fœda, & nefanda Christianis Gẽtiles impingerẽt, vt supra quodam iam loco meminimus. Habuit Petrus ad Christi verba respectum, quibus prædicauit [m] beatos, contra quos maledicta iacerẽtur, omnéque malum diceretur propter ipsum, sed eum mendacio; illis gaudendum, & exultãdum, quoniam merces eorum copiosa esset in cœlis. Merces ista magna nimis [n] comprehendit omnia quæ hic recensentur, & his plura. Turpe est profanos homines, vt exprobrat Tertullianus [o], confecisse se gladio, animo suo ductos, i. sponte, vt consulerent gloriæ, famamve colligerent, Christianos oblatam patiendi honestissimam, sanctissimámque causam detrectare, grauius ferre, non audè arripere. Profert, præter alia exempla illud quoque de Lacedæmonum sacrificio, cui nomen διαμαστίγωσις, i. flagellatio. In eo ante aram nobiles quosque narrat adolescentes flagellis affligi, astantibus parentibus, & propinquis, & vti perseuerent, adhortantibus; ornamentum enim, & gloriam deputari maiore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis (hoc est, per mortem flagellis illatam excesserit) quàm corpus, (nempe non ferendo.)

Si exprobramini.] Ὀνειδίζεσθε. Tertullianus [p]; *Si dedecoramini*. Cyprianus [q], *Si improperatur vobis*. Probra non hominum tantùm, sed etiã infamium

Margin notes (left): Tribulationum communia sit vtilitas. — [a] Luc. 22. 28. [b] 2. Tim. 2. 11. [c] Ioan. 17. 24. [d] 2. Cor. 1. 7. [e] Eccles. 23. 38. [f] Gal. 6. 17. — [g] 2. Cor. 4. 10. [h] Gal. 2. 19. — [i] in vita. — [k] Iud. 9. 48. [l] Iud. 7. 17. — [m] 1. Reg. 31. 5. — [n] Tacit. 2. histor. — [o] in Scorpiac. c. 12. [p] ep. 56. & exhort. ad mart. c. 9. [q] 1. ad Trasim. c. 30. — Passiones Christi quales fuerunt. — [r] in cap. 26. — [s] supra. — Patienter tolerare, adiutio laudabile, libenter melius, hilariter optimum. [t] cap. 5. 41. — [u] Iacobi 1. — [x] Rom. 12. 12. — [y] supra. — [z] 2. Cor. 4. 18.

Margin notes (right): Maria filij prius esse debemus, quam Christi. — [a] cap. 45. 5. — [b] Ioan. 19. 27. — [c] Ioan. 14. 8. — Gaudij spiritualis obiecta octo. [d] Prou. 15. 15. [e] Eccl. 11. 2. & seq. [f] Prou. 21. 3. & seq. [g] Act. 5. 41. [h] Habac. 3. 13. & seq. [i] Matt. 5. 12. [k] Thess. 4. 9. [l] 1 ep. Ioan. vers. 4. — [m] Matt. 5. 11. 12. In tribulationibus gaudendum Christus docuit. — [n] Gen. 15. 1. — [o] exhort. ad mart. c. 4. — Lacedæmonum flagellatio sacrificialis. — [p] in Scorpiac. c. 12. [q] ep. 56. & de exhort. mart. cap. 9.

supplicio tum pati cogebantur Christiani, vt fœminæ lenonem pro leone teste Tertulliano [a], & quod priùs ex Hieronymo [b] retulimus, adolescentes meretricios tactus: dicebâtur quoq; asinum adorare, & genitalia antistitis, vt meminit Minutius [c]. Patiûtur & Religiosi à malis Christianis cõuitia, exẽpli causa, quod Ephrem [d] testatus, vt appellẽtur hypocritæ, & hac ratione pudore suffusi efficiãtur impudentes, & abhorreant à secta sententia. Solatur tales Ephrem præscoti loco.

a Apolog. c. 7. *Probra Christianis quæ obiecta.*
b in Paulo Eremita.
c Octauio.
d Tom. 2. Paræneſi 41.

In nomine Christi.] Syriacè, (*Pro nomine Christi*) על אפי שמה דמשיחא *bhal appai semeh damsicha*, *Pro nomine Messiæ*, *vel quia pertineatis ad Christum*, tanquam de familia eius: vel quia nomine mini Christiani. Tanto fuerũt Christiani omnibus hominibus odio propter nomen Christi, vt ipsemet prædixerat [e], vt solũ Christianũ nomẽ vocaretur in ius, & id omnes auersarentur. Testes qui pro Christianis apologias scripserunt, Iustinus, Athenagoras, Tertullianus [f], Tatianus, Minutius, Arnobius, Lactãtius, Cyprianus, Eusebius, Clemẽs [g] Alexandrinus. *Atqui nomina*, inquit Athenagoras, *digna odio non sunt, sed scelus ipsum pœnã, & supplicium meretur.* Edictis Adrianus, Pius, & Marcus cauerũt sanctionibus, & ante hos rescripsit Traianus Plinio, ne Christianis, nominis tãtùm causa negotiũ fieret. Cũ ex tabella soleret recitari sentẽtia, vnũ illud audiebatur, inquit Tertullianus: *Talis, quia Christianus damnatur, & nũquam quòd fur esset, adulter, vel homicida.* Idẽ declamat in persequentes nomen solũ, vtpote in quo nullus per se possit reatus esse: quod æquè facit Iustinus martyr, & alij.

e Matt. 24. 9. Lucæ 21. 16. 17. Ioan. 15. 20. 21. *Christiani pro solo Christi nomine multa passi sunt.*
f Apolog. c. 2.
g 4. Strom. c. 5.

Satis constat hoc à Nerone latum edictum in Christianos anno eius decimoquarto, Christi autem septuagesimo: *Quisquis Christianum se esse confitetur, is tanquã generis humani conuictus hostis, sine vlteriore sui defensione capite plectitor.* Meminit agẽs de Apollonio Hieronym. [h] Prodit de se Minutius [i], cùm quæstionem adhuc Gẽtilis exerceret aduersus Christianos, si quis infirmior malo pressus, & victus, Christianũ se negasset, fauisse ei, quasi eierató nomine iam omnia facta sua illa negatione purgasset: cùm sit ratio, nõ instigatio Dæmonis, iudicaret arguẽdi magis, non vt diffiterẽtur se Christianos, sed vt de incestis, stupris, de impietatis sacris, de infantibus immolatis faterentur. Exẽpla narrantur ab Eusebio [k] in Polycarpo, Ptolemæo, Attalo, ab alijs in aliis. Quin etiam è contrario Iustinus [l], quia per ludibrium, & antiphrasim Chrestianos vocabant pro Christianis: (quod videre præterea est apud Tertullianũ [m], Lactãtiũ [n], Orosium [o], Tacitũ [p], Suetoniũ [q], Plinium [r]) quasi minimè χρηστοὺς, hoc est, commodos, vtilésque, hãc vocem vltro captans respondit, esse χρηστοτάτους, attamen non postulare vt ea ipsis prodesset appellatio, nisi extra culpam esse se probarent.

h de Eccles. scripto.
i in Octauio.
Christianum nomen quàm infame fuerit gentilibus.
k 4. hist. c. 15. & 17. li. 5. c. 1.
l Apolog. 2.
m Apolog. c. 3.
n lib. 4. c. 7.
o lib. 7. c. 6.
p lib. 15.
q in Claudio c. 25.
r epist. 109.

Ludit autẽ in paronomasia Theophilus ad Autolycũ [s] inter voces χριστὸν & ἄχρηστον, allatis exẽplis, quib. probat vnctionẽ ad res multas vtilem esse, docet Tertullianus [t] nullã videri causam cur debeat hoc nomẽ (Christianus) odiũ in se cõcitare; quia nec barbarum est, cũ sit Græcũ: nec infaustum, aliquidve in se continens mali ominis: nec maledicũ, nec impudicum, siue per iota scribatur orthographicè, quo modo præ se fert vnctionem suauẽ, siue per ita, qua ratione benignũ, & vtilem denotat; *quod est*, inquit, *odisse in hominib. innocuis etiã nomẽ innocuũ.* Martialis odiosa solitus adhibere in grauiorib. carpẽdis flagitiis nomina, vel peregrina, quia nil odiosius erat nomine Christiano, Christillã, Christinam, Chrestum etiam exagitat.

s lib. 1.
t Apolog. c. 3.

In nomine Christi.] Quòd cognominemini à Christo Christiani, vt antè dixi, quod pertineatis ad eius familiã: quod posteri, ac veluti soboles ipsius sitis, per quos nomẽ Christi ad alios permanet, permaneátq; apud illos. Hoc est quod paulo post subiungitur [u]: *Si autem Christianus, nõ erubescat, glorificet autem Deũ in isto nomine*: Sicut Apostoli post flagellationem fecerunt, *gaudentes quoniam digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati* [x], videlicet tanquam Christi hæredes, prolésque.

u vers. 16.
x Act. 5. 41.

Beati eritis.] Interpres addidit *eritis* respiciẽs ad futuram beatitudinem: itam & beatitudo in spe præsẽtis vitę est, ob quã Christus affirmauit: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines*, &c. [y] Μακάριοι ἐστε. At hoc solũ loco est μακάριοι, sicut & Syriacè. Tertullianus [z], & Cyprianus [a] legunt, *Beati estis.*

y Matth. 5.
z in Scorpiaco c. 12.
a epist. 56. & de exhortat. Marty. c. 9.

Quoniam quod est honoris gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit.] Plures codices Græci, ex quibus etiam Cõplutenses, Regíque, sic habent, Ὅτι τὸ τῆς δόξης, καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ Πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπέπαυται. *Quoniam quod est gloriæ, & quod est Dei Spiritus, vel (Qui est gloriæ, & qui est Dei Spiritus,) super vos requieuit.* Alij vltimum verbũ exprimũt in tempore præsenti ἀναπαύεται *requiescit.* Quidã post δόξης addunt καὶ δυνάμεως, & virtutis, seu potentiæ. Syra editio: Quoniã spiritus gloriosus, aut glorificatus super vos requiescẽs.) דרוחא משבחתא דאלהא מתתניחא עליכון *deruha mesabbachtha dalaha methniha ha bhalaichun.*

Tertullianus [b]: *Quoniã gloriæ & Dei Spiritus requiescit in vobis.* Cyprianus [c]. Quia maiestatis, & virtutis Domini nomẽ in vobis requiescit. Suspicatur Pamelius Cyprianũ pro Πνεῦμα legisse ὄνομα. Quod maiestatẽ posuerit, nõ refert, quoniã sic interdũ nomen δόξα vertitur. Desiderãtur pluribus in libris Græcis duæ voces *honoris & virtutis*, in nõnullis prima tãtùm. Interpres aut vtrãque repetiit in aliis, aut saltem vnam addidit de suo, vt indicaret robur, virésq; suppeditari à Deo, ad probra, & ceteras calamitates fortiter tolerandum.

b supra.
c supra.

Etsi autẽ reddere potuit, *Qui est honoris, gloriæ, & virtutis spiritus*, maluit *quod est*, &c. & addere: *Et qui est eius Spiritus*, vt intelligeremus non tantùm communicari honorem, gloriam, & virtutẽ Dei, hoc est, vt quis honore, & gloria diuina afficiatur, ac honoretur propter Deum: prætereà vt recipiat virtutẽ, & in ea corroboretur magis magisque. Sed etiam vt ipsemet Spiritus Dei peculiari modo inhabitet, atq; requiescat velut in propria sede. Itẽ, vt sciremus, Spiritum Dei Deúmve esse indiuisibilem, licet diuisibili modo participetur per dona sua, maluit dicere, *quod est honoris*, &c. indicãdo veluti partitionem quandam horum donorum, &c. *Qui est eius Spiritus*, &c. significando eorum auctorem non diuidi in partes.

Spiritus Dei Deus verus est indiuisibilis.

Quamquã & emphasim vidẽtur habere τὸ τῆς δόξης, *quod est honoris*, &c. quasi diceret, id quod eximium est in honore, &c. *immò & qui eius Spiritus*, &c. id est, Deus ipse super vos requiescit, vulgo diceremus: *Quello che c'è d'honore, & c. il bello, & il buono, il meglio dell' honore*, &c. Lyranus honorem accipit de opere virtutis: gloriam de testimonio bonæ conscientiæ [d]: virtutem de triũpho ex diabolo: quibus in futura vita respondebit, vt ait Hugo, sessio ad dexterã Dei, exaltatio, & vocatio ad regnum: liberatio ab omni occupatione, atque miseria. Id sibi quoque Pauli [e] volunt verba: *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.*

d 2. Cor. 1. 12.
e Rom. 2. 10.

Est porrò veluti quædam descriptio Spiritus

Descriptio Spiritus diuini.

diuini, ac simul secũ affert honorem, gloriam, virtutem, siue vim, roburque, pati proora, & similia, quibus exercetur humilitas, & patientia. Sensus præterea est, quẽ vidit Carthusianus, quod reputet Deus honorabile quid, gloriosum, virtuosũ, siue triumphale inuictam patientiam in aduersis: id autem in talibus, qui pro nomine Christi exprobrantur, requiescere, id est reperiri, quia hac ipsa re delectatur. Qui hunc *non habet Spiritũ Christi, hic non est eius* [a], sed animalis, ac spiritu ductus primi Adam terreni, quærentis delicias, honores mundanos, opes, &c.

Apparet, ac enitescit maximè gloria Dei Spiritúsque ipsius, cùm quis forti, & læto animo res perfert aduersas, & hac ratione magnificatur Dominus in corpore illius (hoc est, habetur, celebratúrque magnus) siue per vitam (si eum Deus ex variis eripiat periculis) siue per mortem [b] (mortísve discrimina) quæ pro ipsius nomine adita, dignissimum testificantur Deum, pro quo quidlibet patiamur. Munus est optimi serui, suũ honorem, gloriam, virtutem, quidquid valet, quidquid est, referre ad Deum, vt Deus tutò conquiescere quodammodo censeatur posse in ipso.

Spiritus eius.] Vel Dei, de quo proxime antè, vel Christi, de quo paulo superius, & sic Glossa Interlinearis, ac Hugo exponit, indéque colligit Lyranus, & Carthusianus Spiritũ sanctũ à Filio quoque procedere: Hugo ait vocari Spiritũ Christi, quia non est ei, sicut nobis, datus ad partem, sed ad plenitudinẽ [c], & quia semper in ipso mãsit [d], nos nati sumus filij iræ [e]. Clemens Alexandrinus accepit, vel pro donu Spiritus sancti, quo exornamur, vel pro Angelo, qui gloria Dei dici potest, & per quẽ glorificatur, cũ eius opera proficimus. Spiritus Christi est lenitatis, & mititatis [f], cuius instinctu negauit discipulos loqui petẽtes ignem de cœlo in Samaritanos inhospitales mitti [g].

Requiescit.] Alludit Petrus ad Esaiam dicentem super Christũ *requieturũ fuisse Spiritum Domini* [h]. Quare quod Hugo, & alij quidam notant super Christum descendentem in forma colũbæ mansisse [i], quasi non maneat super alios, verum est de mansione propter maiorem tum copiam, tum (vt ita dicam) inseparabilitatem. Requies importat regimẽ Spiritus sancti, vt in quibus est, agãtur [k] ab illo, vt equum regit sessor: vel, vt innuit Carthusianus, significat qualitatem inhærentem, quę formaliter iustificet, atque corroboret. Sed Hugo legit in futuro *requiescet*, vt etiam in multis Gręcis codicib. monui esse ἀναπέπαυται. & super aliquos ex quo tẽpore cœpit Spiritus sanctus inhabitare, manet semper. In genere præterea discrimẽ aliud in Christo est notatum à Gregorio [l], quoniã non modò requieuit, & mansit spiritus sanctus secundum dona gratiæ sanctificantis, sed etiam gratis datæ; & in cũctis semper, cõtinuèque habuit præsentem, & per substantiam in illo mãsit ad cũcta.

Vers. 15.] **Nemo autem vestrũm patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.**

IN textu Græco ante ista, hæc alia priorib. verbis attexuntur: Κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται. *Secundũ vel iuxta illos quidẽ*, i. ab illis, operáq; illorũ, *sine per eos blasphematur Deus & Christus*, at per vos glorificatur. Cyprianus [m], qui legerat vltima præcedentis versus verba: *Domini nomẽ in vobis requiescit*, de nomine Gręca dicta alia intellexit: *quod quidem secundum illos blasphematur, secundum nos* (legit ὑμᾶς) *autem honoratur.* Sed quoniam nec Tertullianus, nec alij, nec, quod refert editio nostra recipit hoc membrum, satis fuerit de hoc additamento monuisse; omissis iis, quæ facere possent ad id illustrandum.

In præsenti sententia hortatur Petrus fugam omnis maleficij, pro quo meritæ debẽtur legibus pœnæ: Attamẽ videri nonnulli persecutores voluerunt Christianis, non quod Christiani nominarentur, essémque, sed propter conficta scelera, pœnas, ac mortẽ irrogare, simul cauẽtes, ne sæui, & iniusti haberentur ipsi, simul ne laudẽ, & celebritatem Christiani consequerentur apud suos, titulúmque gloriosũ martyrij, quẽ tãti faciebãt. Hoc tempore Catholicos Angli hæretici seditionis, ac perduellionis nomine plectunt: olimq́ue Christianos Pagani prætexendo eadẽ, & dira, turpiáq; crimina [n]. Vetuit quoque Iulianus Apostata ne vlla Christianæ professionis, ob quã tenebantur carcerib. Martyres, mẽtio fieret, vt Chrysostomus prodidit [o], & indicat Theodoretus [p].

Nec ideo tamẽ debitas illatas pœnas ferẽti, sua deest laus, præmiúmque, vt probat Hugo exemplo latronis, qui dexter Christo fuit in cruce [q], qua de re prius actum est, ac definitũ non ita proprie martyrem cẽseri posse: quãuis Augustinus [r] ita eum vocet ex Cypriani quoque sententia. Ex singulari quodam priuilegio lauream ei martyrij concessam videntur asserere Patres isti: Cyprianus certè non semel [s] ait sanguine suo baptizatũ esse, & corde contrito pœnam ipsi mutatam in martyrium. Hieronymus [t] ait *Christum latroni fecisse homicidij pœnam martyriũ.* Loquitur ad eũdem modũ Emissenus. Martyriũ quoddã fuit de innocentia Christi testificatio, at non propter eam interfectus est [u]: nisi fortè, quod diuinare nequeo, exauditus est talia loquens blasphemo sodali, & idcirco tandem occisus, confractis cruribus.

Quasi homicida.] Enumerat Petrus ea crimina, quibus læduntur alij, & idcirco animaduerti, puniríque maxime solent. Primũ iustitiæ peccatum fuit homicidium à Cain perpetratum in fratrem Abel [x]: Desperauit ille: hocque præ ceteris vindictam scelus clamat [y]: & Lamech vexatus admodum est simili de causa [z]: Abigail autem gratulabatur Dauid, quod manus abstinuisset à sanguine [a], quasi, quod & illa, & Lamech indicant, is ipse qui alium eodem semetipsum vulnere cõfodiat. Receptum est, agitari hominem furiis vel internis, vel externis etiam per tristia spectra. Docet Plato [b], & exempla proferuntur a Marsilio Ficino [c]: præter quæ haud desunt alia [d].

Infanticidij crimen, humanarúmque carnium euiscerationis cũ cœnis Thyesteis, obiectũ Christianis meminit Minutius [e], Tertullianus [f], Iustinus [g], Athenagoras [h], Theophilus Antiochenus [i] Ecclesiæ Viennensis, & Lugdunensis [k]. Tam verò procul Christiani aberant ab homicidio, vt ne animalium quidem sanguinẽ gustasse respondeat Minutius [l], ac Tertullianus [m], dictæq; Ecclesiæ, vt & nos in Actibus Apostolicis docuimus [n].

Aut fur.] Et Christus cũ latronibus crucifixus est, & nonnulli aliquando Martyres cum hoc infami hominum genere supplicium extremũ pati compulsi sunt, vt Nemesius primo priùs iudicio à furti absolutus calũnia. De hoc meminerũt Martyrologia [o], & Eusebius [p] ex epistola Dionysij Episcopi Alexandrini. *Sed ignorabat iudex*, inquit Dionysius, *quod crudelitate sua optimo Martyri Saluatoris similitudinẽ detulit, qui pro salute humani gene-*

rie

a Rom. 8. 9.

Gloria Dei maximè apparet, cum quis res aduersas fortiter patitur.

b Philip. 1. 20.

Spiritus S. à filio procedit.

c Ioan. 3. 35. Esa. 11. 2.
d Ioan. 1. 32.
e Ephes. 2. 3.

f Matt. 12. 19. Gal. 6. 1.
g Luca 9. 55.

h cap. 11. 2.

i Ioan. 1. 32.

k Rom. 8. 14.

l 2. Moral. cap. vlt.

m ep. 56. & exhort. Mart.

n de Symphoriano. Surius 22. Aug.

o Orat. de SS. Iuuentin. & Maxi.
p 3. hist. c. 10.
q Luca 23. 40. & seq.
r lib. 1. de Anima, & eius orig. c. 9. lib. 3. c. 9.
Latro cum Christo passus fuerit ne martyr.
s ep. 73. & ser. de cœna, & ser. de pass.
t ep 58. & refertur de pœnit. dist. 1. cap. impunitas.

u hom. de latrone.

x Gen. 4. 8. 1. Ioan. 3. 12.
y ibid. 13. Apoc. 6. 10.
z Gen. 4. 23.
a 1. Reg. 25. 26.
Homicidæ furiis internis & externis agitantur.

b 1. de legib.
c 16. de immort. animæ
d de Pausania Plutar. in Cimone. de Caligula Sueto. de Theodorico alij de Rufino Claudia.
e in Octauio.
f Apolog. c. 9.
g Orat. ad Antonin. Pium.
h Apolog. pro Christia
i lib. 3. ad Antolycum.
k Eusebius 5. hist. c. 1.
l supra.
m supra.
n cap. 15. 29.
o 19. Decemb.
p 6. hist. c. 31.

re vnà cum latronibus pertulit crucem. Monet Eusebius [a] de Alex. quodã hæretico, ne quis fallatur, non quia Christianus, sed quia latro interfectum à Proconsule.

Porrò indicat Petrus iustam esse mortis pœnã, quæ furibus decernitur. Quamuis autem B. Thomas [b] innuere videatur tantam pœnam suo tempore in vsu non fuisse, & Scotus [c] illicitam arbitretur; tamen communis viget hac de pœna consuetudo, maximè post Baldum, qui primus dicitur censuisse id expedire. Apud Athenienses capite luebant fures Draconis lege, & apud Romanos lege XII. Tabularum. Hac de re Iacobus Menochius [d] Gellium [e], Crinitum [f], Rhodiginum [g], Antonium [h] Augustinum, Alexandrum [i] ab Alexandro, Plinium [k], Lampridium [l], Plutarchũ [m], Couarruuiam [n] citat, qui præterea meminerunt apud quos impunè furari liceret.

Collegit variarum gentium circa hos mores Petrus Gregorius [o], testimonia nonnullorum ex dictis proferens, aliáque nonnulla.

Furtum autẽ, & fur seu à furuo dicatur, id est, nigro, quia clam hæc mala exercetur ars, ac plerumque nocte: seu à fraude, seu à ferendo, i. auferendo, seu à φὼρ, quod nomen est à φέρειν, (de quibus notationibus Gellius [p],) & alij. Cauẽdus Alciatus [q], dum negat furtum à natura prohibitũ esse, eo quòd vetetur in Decalogo; & quia sicut olim Ægyptiis, & laudi fuit Lacedæmoniis, cum non deprehendebantur. In Decalogo ius naturæ continetur. Si aliud argumentum valet, idem fit de adulterio, quoniam Garamantici, & Æthiopes communes vxores habent [r], Libyæ superiores populi [s], Arabes [t], Persæ [u]. Fornicationem simplicem plurimi malam esse negant.

Aut maledicus.] Κακοποιὸς, *Maleficus*, vt etiam vertit Tertullianus [x], & Cyprianus [y], & editio Syra, & in margine textus Glossæ habetur *facinorosus*, sed Gregorius [z] nostrã lectionem sequitur, aitque vt maledicũ pati, qui passionis suæ tẽpore in sui saltẽ iniuriã persecutoris effrenatur, quod Iob nõ fecit, sed *benedixit* [a]. Trãscripsit hoc Glossa Interlinearis. De maledicentia egimus alias [b]. Si maleficus sit pro mago, cõstat Christianis obiectum crimen istud: vt & pridem diximus.

Aut alienorum appetitor.] Ἀλλοτριοεπίσκοπος, *Alienorum inspector.* Tertullianus [c], *Alieni speculator.* Cyprianus [d], & Augustinus [e], *Curas alienas agens:* Budæus [f], *Alienam procurationem sibi sumens.* Syrus Interpres penitus omisit. Quare appetitio alienorum significat studium curiosum res aliorum cognoscẽndi. Vnde nasci solet, vt cõcupiscantur. Solent expositores de ipsamet interna cõcupiscentia, quæ cauetur in Decalogo [g], interpretari, ac præterea Petrus [h] Damianus, probans hinc ex professo graue peccatum esse, licet reipsa non inferat quis damnũ. Rationem quoque Caietanus commodam assignat, quia inspectio nõ est in culpa, nisi ratione appetitus. Vnde Christus [i], *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum eam*, &c.

De curiosa scrutatione eorum, quæ scire nostra nihil interest, sed pertinẽt ad alios, déq; Sycophãtis, Corycæis, quadruplatoribus, & id genus alienæ vitæ inuestigatoribus, vt illos deferant, & calumniã iis struãt, quos [k] Oecumenius putat hic denotari, disseruimus in Ecclesiastici Cõmentario. Vocat ille talem τὸν ἀλλότρια ἀκριβῶς ἐξετάζοντα ἵνα ἀφορμὴν κατηγορίας ἔχῃ. Ait præterea hoc esse μιαρᾶς καὶ πανούργου, καὶ ῥᾳδίας, καὶ πρὸς πᾶν ἑτοίμου κακὸν ψυχῆς: *Animæ versutæ, & maleficæ, & ad omne malũ paratæ.*

a 5 hist. c. 9.
Mortis pœna furibus cur debeatur.
b 2. 2. q. 66. a. 6. ad 2.
c 4. dist. 15. q. 3.
d li. 2. de Arb. iud. Centu. 4. casu 295.
e lib. 11. c. vlt.
f li. 3. de Hon. discipl. c. 13.
g lib. 10. c. 6.
h 4. de emend. cap. 4.
i lib. 6. c. 10.
k lib. 24. hist. c. 3.
l in Seuero. *Furtum vnde dicatur.*
m Probl. 168.
n 2. Varia. c. 9. num. 7.
o 37. Syntag. c. 2. vsque ad finem libri.
p lib. 1. c. 18.
q in tit. o comment. de verb. signi. & in legem 205.
r Plin. lib. 5. cap. 8. Mela. lib. 1. Solinus c. 39. vel 43.
s Aristot. 2. Polit. cap. 2.
t Diodo. li. 3.
u Agathias 4. de Bello Got.
x in Scorp. c. 12.
y 3 Test. c. 37.
z 3. Moral. c. 10. vel 16.
a Iob 1. 20. & seq.
b in Eccles. 10. 21.
c in Scorp. c. 12.
d supra
e lib. expos. ep. ad Rom. inchoata.
f Com. ling. Græc.
g Exo. 20. 17. & alibi.
h ep. 1. Tom. 3. Biblioth. Patru.
i Matt. 5. 28.
k c. 10. 20.

Sunt præterea qui sumãt pro alienorũ peccatorũ nimis anxio cẽsore. Sed eodẽ res redit. Iosephus [l] Herodianos refert alienorum exploratores fuisse, vt occasionem calumniandi haberent.

Vers. 16.] Si autẽ vt Christianus, non erubescat: glorificet autẽ Deũ in isto nomine.

De sententia dictũ satis antea hoc ipso capite. De nomine Christiani in Actib. Apostolorum [m], vbi bis occurrit, & in nouo Testamẽto semel præterea dũtaxat hoc loco, item in eiusdem libri Cõmentario, quàm sit gloriosum pro Christi siue Iesu nomine contumeliã pati [n]. Sed & illud in expositione Ioãnis epistolæ primæ docuimus, indignos hæreticos esse, qui Christiani propriè nominẽtur. Attulimus de hoc testimonia Patrũ, ex quib. id apertè tradunt Tertullianus [o], Cyprianus [p], Augustinus [q], Athanasius [r]. Equidem Christiani adeo illustre nomẽ minimè merentur, qui religionis Christianæ fundamentũ Fidẽ abiecerunt. [illegible]auerunt Athenienses Harmodij, & Aristogitonis nominib. insigniri seruos vllos, quòd nefas ducerent nomina libertati patriæ deuota (siquidem Hippiã illi tyrannum occiderant) pollui cõtagio seruili [s]. Romani patriciorum quorundã de Republica male meritorũ, ob eámque causam capite dãnatorum prænomina, cum eiusdẽ gentis patricio nomine iudi vetuerunt [t]. Cùm Manlius Capitolinus prænomine Marcus, ob affectati regni suspicionem, de Saxo Tarpeio præcipitatus fuisset, domus diruta, bona publicata, mutauit eius Gentilitas, ne quis postea ex Manliis Marcus diceretur [u]. Domitianus (is cuius mortui nomẽ Senatus erasit, ne illius memoriã anni consequẽtes exciperent [x]) Metium Pomposianũ supplicio affecit, quod nomina Magonis, & Annibalis seruis imposuisset, tãquam clarissimorum virorũ nomina seruili pariter cõtagio polluisset [y]. Alexander ignauum pati militem nõ potuit, vt Alexãdri vocabulo appellaretur, nisi strenuum se, ac fortem fore reciperet [z]: Herodes Atticus dolori sibi, ægritudinique dicebat esse, quòd animalia spurca, atque probrosa nomen vsurparent sanctissimum philosophiæ, ac in hominibus deterrimis vox illustrissima sordesceret [a]. Ergo tam speciosũ, diuinóq; hæretici nomine indigni, quod vix Orthodoxis, Catholicísq; iure tribuatur, Christi amore, atque obedientia destitutis. Hoc alibi de hæreticis probaui, apertéque scribunt Athanasius [b], Tertullianus [c], Cyprianus [d], Augustinus [e], alij.

In isto nomine.] Ἐν τῷ μέρει τούτῳ, *in hac parte*, videlicet, quòd Christianus nominetur, & propter id nomen patiatur. Eodem pacto Syrus interpres quo noster נא [illegible] *bebana forma.*

Vers. 17.] Quoniam tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autẽ primùm à nobis quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?

Vers. 18.] Et si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt?

Vltima ratio ad persuadendã in aduersis patientiam, quia in præsenti vita domesticos suos exercet Deus, ac purgat: & eorum simul virtutem illustriorẽ aliis reddit, magísque perfectã, nec non quãti fiat ipse, ac vera religio ab iis, qui non dubitẽt ea de causa tam multa perferre. Sed acerbior manet incredulos pœna, qui veritatis luce priuati, prolabuntur in grauiora peccata: etsi ad exitũ felicitatis adeo difficili via perueniunt

l 15. Ant. c. 11.
m cap. 11. 26. cap. 26. 28.
n cap. 5. 41. *Indigni sunt hæretici, qui Christiani censeantur.*
o li. de Carne Christi c. 2. de Præscrip. c. 16.
p de Vnit. Eccles. & ep. 52.
q Enchirid. cap. 5.
r Orat. 2. cont. Arian.
s Gel. lib. 9. cap. 2.
t idem ibid.
u Plut. de Viris illustrib. *Nomina nobilia vilibus personis non communicanda.*
x Aur. Victor in vita.
y Suet. in vita cap. 10.
z Q. Curtius.
a Gellius supra.
b orat. 2. contra Arianos.
c de carne Christi c. 2.
d epist. 73.
e Enchir. c. 5.
Cur tandem iusti ex hac vita supplicio afficiantur.

iusti, vt vix peruenire posse videatur, tot vexationibus veluti a cursu distractus: quid iis erit, qui præcipites in interitum eutrunt, & quo consistant loco ante conspectum summi iudicis.

Tempus est, vt incipiat iudicium a domo Dei.] Augustinus [a] legit: *Tempus est inchoationis iudicij ex domo Domini.* Petrus Aureolus [b]: *Tempus est incipere iudicium à domo Dei.* Tempus, καιρὸς hic dicitur quasi commodũ, & opportunum tempus, & accommodatum præsenti vitæ: iudicium τὸ κρίμα denotat tribulationem, quia nõ fit temerè, sed cũ iudicio, ac definito quodam modo, sioe mẽsura, numero, pondere, vt ait Augostinus [c], ideóque etiam calix appellatur, in quo potionem temperat medicus, & ad multiplicem bonũ finem, præsertim ne cũ hoc mũdo damnemur [d]: *Incipere* ἄρξασθαι circa domum Dei, hoc est, domesticos Dei Iustos, aut etiã Electos significat tales primo veluti loco, maximéque à Deo in hac vita exerceri & probari, *vt pote qui quos diligit, soleat castigare*, flagellare, corripere, arguere [e], nec non acerbiùs ferre, ac magis indignari ob peccata, quę sibi familiariores committãt, vt cum Basilio annotat hic Oecumenius, & disertè Iustinus [f] tradit, respõdens cur pius rex Iosias adeò sit infelicem exitum sortitus [g]: præterea innuitur quamuis condonetur æterna pœna, cruciatus tamen quosdam interim tolerãdos esse, ipsámque mortem, vt ratiocinatur Augustinus [h], & inde coniecturam fieri, quanta reprobos maneant supplicia. Illustrari potest hoc exemplis eorũ, quos diu Deus morte instulit propter peccata non admodum grauia. De his memini in historia de Anania & Saphira [i], & confirmat istam sententiam Illa, quæ nomine profertur Dei, postquam consumpsit igne Nadab & Abiu ob oblatum ignem alienum: *Sãctificabor in iis qui appropinquãt mihi*, (id est, in domesticis sacerdotib [k] meis) *& in cõspectu omnis populi glorificabor*: (reputat enim populus Principem iustum, qui à domo sua iudicium ad punitionem incipit, indéque concipit maiorem reuerentiam, & metum)

Paulus cùm de persecutionibus & tribulationibus meminisset, quas sustinerent Thessalonicenses, dixit id accidere in exemplum iusti iudicij Dei, *vt ipsi quidem digni habeantur, in regno Dei, pro quo & patiebantur, ac requiem eis retribueret Deus in reuelatione Domini Iesu de cælo cum Angelis virtutis eius, & cum Apostolo ipse: retribueret verò retributionem iis qui ipsos tribulabant, in flamma ignis, dantis vindictam iis qui non nouissent Deum, & qui non obedirent Euangelio* [l]. Tam inter se Petrus ac Paulus etiam verbis conueniunt, vt constet eundem Spiritum, eandem vtrique dictasse sententiam. Expendit ad hoc propositum Gregorius [m] hæc duo loca; & de isto idem non semel obseruat [n].

Disseruit nõ vno loco de tentationis, & tribulationis varia vtilitate, tum in Sapientiæ [o] librũ, vbi est *Deum hac ratione iustos inuenire, tentando, dignos se. Acceptũ Deo esse tentatione probari* Raphael [p] dixit; Multa de hoc argumento Barradius noster [q].

Sed quod hîc dicitur de domo Dei, vt nempe qui ad eam pertinẽt, potissimùm puniãtur (quod citatus antea Aureolus cõmunem expositionem intellexit, prodire ex domo ac velut ex throno Dei iudicium in homines) confirmari potest verbis Amos [r]: *Tantũmodo vos cognoui ex omnib. cognationibus terræ; idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras*: & apud Esaiã [s]: *Væ Ariel Ariel*, i. altari (sic vocat etiam Ezechiel [t] altare) & sic dicitur quasi leo Dei, tum veluti vorans victimas; tum quia inde prouenieb at robur diuinum pro populo, ita vt, quando hic euasit idololatra, dixerit Ieremias [u]; *Dereliquit Dominus quasi leo vmbraculum suum*: item aliis apud eundem Ezechielem [x]: *A sanctuario meo incipite*: præterea Machabæorũ celebris sententia [y], *visiones adhibere magni beneficij esse iudicium esse, ne in die iudicij puniat in plenitudine peccatorum.* Quamquam, quod in Ezechiele dicitur iuxta communiorem expositionem, intelligitur, qui cum viderentur, & esse deberent sancti, atque aliis prælucere exemplo, ac intercessione apud Deum prodesse, deteriores erant, & in terra sanctorum iniqua gerebant [z]: & qui dilecti censebantur Dei ac beneficiis afficiebantur maioribus, *in domo eius faciebant scelera multa* [a]. Vtitur præsenti loco Petri, & dicto Ezechielis Hieronymus, exponens Malachiæ [b] locum: *Purgabit filios Leui.* Tunc argumentatur: Si autem sacerdotes purgandi sunt & colendi, vt purum aurum remaneat, & argentum; quid de cæteris est dicendum?

Accedat Ieremiæ [c] testimonium: *Quia ecce in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum, ego incipiã affligere, & vos quasi innocentes immunes eritis? non eritis immunes*, &c. Rursus eodem spectat illud Ezechielis [d]: *Pro eo autem, quod occidi in te*, populo meo, *iustum* (etiam iustum) *& impium*, idcirco egredietur gladius meus *de vagina sua ad omnem carnem*, ad cæteros hostes meos, tuósque. Adhuc ex Ieremia [e]: *Ecce quibus non erat iudicium* (id est, causa tanta) *vt biberent calicem, bibentes bibent, & tu quasi innocens relinqueris? non eris innocens, sed bibens bibes.* Est & Esaię [f] iterùm luculentus locus, saltem per accommodationem: *super humum populi mei spinæ, & vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudij ciuitatis exultantis?*

In eodem illo sensu videtur adhuc idem Hieronymus [g] accipere præsentem locũ Petri de Ecclesiasticis, qui maiore sint digni supplicio, quàm Gẽtiles, & hæretici (Ecclesiasticos sumit pro Orthodoxis) citátque ex Luca [h]: *seruus sciens voluntatem domini, & non faciens, vapulabit multis.* & ex libro Sapientiæ [i], (vbi nos hac ipsa de re) *Potentes potenter tormenta patientur*: & ex Ezechiele iam citata verba: *a sanctuario meo incipite, seu à sanctis meis*, vt ipse legit. In eo autem eiusdem Ezechielis prophetæ loco [k], quem tractat, maiora Hebræorum Deus ait esse peccata, quàm Sodomæ, & Samariæ. Ad eũdem modum sensu saltem accõmodationis Basilius [l] locum istum de Iudæis accipit.

Sed existimo Petrum loqui de tribulationibus, quibus afficiuntur à Deo iusti: siquidem infert sequentibus mox verbis: *Si iustus vix saluabitur*, &c. vbi agitur de eo, qui reuera talis sit, non tantùm qui videatur, vel qui à iustitia exciderit, vel eam non sectetur, quam deberet. Alioqui non esset idonea consecutio, quia potius maiore supplicio dignus est, quàm impius, & peccator, qui tantam de Deo notitiam, beneficiáque tam multa nõ est consecutus, & tamen etiam Hugo exponit de eo, qui ab hominibus credatur iustus, cùm non sit. Piget autem referre, quod idem ait, *Iustum vix saluari, quia in Cruce, quæ exprimitur littera X. vel per quinque plagas, & per Iesum Christum, eo quòd in dictione vix prima littera V. est nota quinarij: secunda I. Iesu: tertia X. Christi.*

Sic quoque Petrum Augustinus interpretatus est, non citato solum antea loco, sed alibi etiã [m], appellans hoc vinum compunctionis, vel stimulationis, non ad perimendum, sed ad medendum:

item

[a] in Psal. 93. [b] in compen. Sac. scripturæ. [c] in Psal. 61. & 90. [d] 1. Cor. 11. 32. [e] Pro. 3. 11. 12. Hebr. 12. 6. Apoc. 3. 19. *Deus magis indignatur ob peccata, quæ sibi familiariores committunt, quam ob alia.* [f] quæst. 79 ad Orthodoxos. [g] 4. Reg. 23. 29. [h] lib. exposit. epist. ad Rom. inchoatæ. [i] Act. 5. 1. & seq. [k] Leuit. 10. 1. 2. 3. [l] 2. Thess. 1. 4. 5. 6. 7. 8. [m] 5. Moral. c. 8. vel 9. & 14. [n] cap. 5. 5. 6. [o] ibid. & lib. 5 c. 45. vel 43. lib. 26. cap. 17. vel 18. [p] Tob. 12. 13. [q] Tom. 2. Concord. lib. 1. c. 8. 9. 10. 11. [r] cap. 3. 2. [s] cap. 29. 1. *Ariel idem est quod altare Dei.* [t] c. 43. 15. 16.

[u] cap. 25. 38. [x] cap. 9. 6. [y] Machab. 6. 13. [z] Esa. 26. 10. [a] Ierem. 11. 15. [b] cap. 3. 3. [c] cap. 25. 29. [d] cap. 21. 4. [e] cap. 49. 12. [f] cap. 32. 13. [g] in c. 16. Ezechiel. *Ecclesiastici maiore sunt digni supplicio, quam gentiles & hæretici.* [h] cap. 12. 47. [i] cap. 6. 7. [k] cap. 16. 47. & seq. [l] in c. 3. Esa. [m] in Ps. 59. *Vinum compunctionis & stimulationis quid sit.*

a ibidem 6.
b 22. cōt. Fauſt. cap 14. & 20.
c Rom. 8. 32.

item significationem, quam *Deus dat metuentibus se, vt fugiant à facie arcus* [a], & ab ira ignis sẽpiterni. Affert adhuc [b] ipsummet filium Dei, *cui nec pepercit Pater, sed pro bonis tradidit eum* [c], aitq; loqui Petrum de magnis tribulationibus sanctorum, & interfectionibus. Vtitur aliquot etiã locis Noui Testamenti antea prolatis vt Fausto respondeat, minantem Deum in vetere reprehendenti, venturũ se esse cum gladio, quo non parceret nec iusto, nec peccatori. Concludit autem, non parci impiis tamquam sarmentis pręcisis ad combustionẽ quando Iustis non parcitur propter perficiendam purgationẽ. Quasi alluderet ad verba Christi [d]. *Omnem palmitem in me ferentem fructum, Pater purgabit eum, vt fructum plus afferat: non ferens excidetur, & in ignem mittetur: Si in viridi ligno*, ait Christus [e], *hæc faciunt, in arido quid fiet?*

d Ioan. 15. 2. 6.
e Luc. 23. 31.
f 2. cont. Pelag. quem vide etiã in c. 22. Marci.

Probat insuper ea hoc loco Hieronymus [f], *Iustum esse, qui in die iudicij vix saluatur: saluaretur autẽ facilè, si nihil in se haberet maculæ: ac proinde colligis, quod iustus est quis in eo, quia floret multis virtutibus, & vix saluari in eo, quod in quibusdam, Dei indiget misericordia; & quod ideò Ecclesia dicitur repleri Spiritu timoris Domini* [g]. Bernardus [h] pariter ponit sermonem hic esse de iusto via saluando in ipso Iudicij die: Ambrosius [i] quoque & Gregorius [k], qui vehementer illud inculcat, *Electorum esse hic conteri vt ad præmia æternæ hereditatis erudiantur: Reprobos temporalia flagella non sentire, quoniam æterna eos supplicia expectant.* Eadem mens Bedæ ac aliorum, & Beda pariter notat per difficultatem istam consequendæ salutis, quæ non respectu Dei, cui nil difficile, sed penes nos spectatur, colligi contra Pelagianos gratiam Dei esse necessariam, & originali peccato naturam nostram vitiatam. Conueniunt postremò Didymus, Oecumenius ceteriq; expositores agi nũc sub nomine domus Dei de iustis: licet nõ æquè cõcordent, an de prædestinatis quæ superest expendenda quæstio. Sed prius obserua cum Gregorio [l], nunc & hic inchoare iram Iudicij diuini a correptione Iustorum, vt in Reproborum damnatione conquiescat. Augustinus [m] alibi videtur intelligere de peccatore, qui conuerti velit, & in eo difficultatem patiatur.

g Esa. 11. 2.
h de inceſſu. domo.
Quomodo in iudicio Iustus vix saluabitur.
i Apolo. 2. Dauid. cap. 3. & in Psal. 41.
k 26. Moral. c. 27. vel 18.
l ibidem.
m in Psal. 6.

Et si Iustus vix saluabitur, Impius & peccator vbi parebunt? Augustinus legit [n]: *Et si iustus quidem vix saluus sit, peccator & impius vbi parebunt?* De Iusto prædestinato Didymus, Oecumenius, & alij fere interpretantur, vt antè diai. Hunc via saluari etiã in ipso Iudicio, ait Didym. quia licet nullius peccati sibi sit cõscius, æstuat quo modo eius iudiciũ transigatur; qua etiã ratione memini Basilium loqui de timore Abraham in eodem Iudicio. Sed hæc, iisque similia per exaggerationem dicuntur, sicut & de Angelis sanctis [o]. nec dubium, quin iam prolata cuique particularis in morte sententia, certum reddat, & in perpetuo statu cõstituat.

n ibid.
Iustus in iudicio quo modo vix saluabitur.
o Aug. ser. 170. de Temp. & alijs.

Ergo vix saluari Iustum in Iudicio; si de vniuersali loquamur, est tantam præcessisse difficultatem, quę palàm omnibus tunc innotescet, vt quẽadmodum Christus dixit [p], *quòd in errorem inducerentur (si fieri posset) etiam Electi*, propter vim persecutionis, parùm abfuerit, quin salutis iacturam facerent. Placet hæc per hyperbolem expositio Carthusiano. Simile videri posset illud Pauli [q]: *Ne, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar:* quod diu antè alibi examinauimus.

p Matt. 24. 24.
q 1. Cor. 9. 27.

Rationes difficultatis in consequẽda salute notissimæ sunt. Attingit hic septem Thomas Anglicus [r]. *Quod non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam: caro* [s] *spiritusq; pugnent inter se* [t]: *eadem caro sua corruptione aggrauet animam* [u]: *Nec nisi violenti rapiant cœlum* [x]: *Arcta sit via ducens ad vitam* [y]: *Virtutum ardua, duráque opera* [z]: *Incertum an iusti simus: Seuerum iudicium Dei* [a]. Possunt ista pluribus amplificari, & alia præterea proferri. Sed Augustinus [b] vrgere illud solet, vt intelligeremus gratiæ necessitatẽ, & hanc sedulò imploraremus, & illi voluntatis nostræ conatu magno, quamuis libero, cooperaremur, & humilitatẽ studiosè retineremus; nec si facilitatem in omnibus assequeremur, nostrum putaremus esse, quod Dei est: *qui error*, inquit, *multum est religioni, pietatique contrarius*, Iusti qui saluantur, vocãtur electi, & pauci [c]. & cũ paucis comparantur, vt cum octo animabus intra arcam [d], quod antè vidimus: cum duobos ingressis terram promissam [e]: cum torre rapto ab incẽdio [f], Lõgius ergo abest, vt vel diuina nobis fide nos esse iustos, vt Hæretici volunt, persuadere debeamus: vel omnem, vt Catharinus, ex animo remouere dubitationem. Sanctissimum quemque legimus diuino simul timore correptum: *væ*, dixit Augustin. [g] *vitę etiam laudabili, si remota misericordia Deus discutiat eam.* Legendus præ ceteris de diuini timore iudicij, quem habent Iusti, Gregorius [h].

Difficultates quæ occurrunt, ad nos saluandos.
r Rom. 8. 18.
s Gal. 5. 17.
t Sap. 9. 15.
u Matth. 11. 12.
x Mat. 7. 13. 14.
y Psal. 118. 12.
z Eccl. 9. 2. 1.
a Psal. 118. 137. Psal. 142. 2.
b 2. de peccato. mer. c. 19. 4. c. 6. Iulian. c. 1. longè post med. de Natur. & Grat. cap. 27. & 28.
c Matt. 20. 16. & alibi.
d 1. Pet. 3. 20. Gen. 6. 4.
e Num. 14. 38.
f Amos 4. 11. Zac. 3. 2.
g 9. Confess. c. 13.
h 24. Moral. c. 27. & 18.

Videtur porrò Petrus ex Prouerbiis [i] mutuatus istam sententiam, vbi est: *si iustus in terra recipit, quanto magis impius & peccator?* Sed L X X. sic reddiderunt, Si iustus quidem vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? εἰ ὁ μὲν δίκαιος μόλις σώζεται (saluatur) ὁ ἀσεβὴς, καὶ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται; ex Hebræo ad verbum: הן צדיק בארץ ישלם אף כי רשע וחוטא *hen tsaddich baarets iesullam aph chi rasahh vechote, en iustò in terra reddetur: etiam quia impio & peccanti.* Quod intelligi potest vel de receptione bonorum, quam Iustus meretur, ita vt perficiatur, & pacẽ consequatur (hęc enim omnia Hebręum verbũ habet) vel malorum propter aliqua peccata, aliásve causas. Posteriorẽ sensum secutus est Petrus, & congruit magis quoniam alioqui in eâdem sententia verbum idem recipiendi non intelligeretur de simili receptione, nec haberet efficaciam argumentum à minori. quod ibi fit, vt scilicet magis videatur æquum reddi mercedem iniustitiæ impio, & peccatori, quã Iusto iustitiæ. Recipere debemus omnino sensum istũ, quem assignauit Petrus, & Septuaginta, nõ primũ qui traditur à Rab. Abraham, & Rab. Leui [k], necnon à Paraphraste Chaldæo. qui sic exponit: הן צדיקא בארעא מתחסן *hen tsaddicha bearha mithchasen. Ecce Iustus in terra roboratur* ורשעים *vereshahim, & impij, &c. Impij autem, & peccatores de terra consumentur.* Vbi non fit ex comparatione minorum, & maiorum argumentatio, quemadmodum in textu Hebræo per dictiones אף כי *aph chi*, quanto magis: nec הן *hen* vim habet conditionis, sicut habere potest, habétque in editione Hebraica, & in Græca voce εἰ, saltem quę inuoluat comparationem, sed demonstrationis. Quamquam si verbum dictæ paraphrasis מתחסן *mithchasen* interpretemur cũ aliis *vim patiens est*, seu *vim patitur*, cõstabit idẽ ille prior sensus, & particula ו *ve* significabit *etiam, sed*, aut quid simile, eritque integra sententia: Certè Iustus in terra vim patitur, sed impij, & peccatores consumentur, seu delebuntur de terra. Sic quidem Rodulphus Baynus [l], & de sensu aliarum editionum etiam Iansenius [m].

i cap. 11. 31.
k vt Auctor Thesaur. Hebr.
l in c. 11. Prou.
m ibidem.

Augustinus [n] monet, à Petro prolatum hic ex Prouerbiis dictum locum. Confirmat autem ex Psalmo [o]: *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis?* &

n in Psal. 93.
o Psal. 93. 20.

legit: *Tempus est inchoationis iudicij ex domo Domini.* Id est, inquit, *tempus est, vt modo iudicentur qui pertinent ad domum Domini. Si flagellantur filij quid debent sperare serui nequissimi, &c. Quomodo ergo erunt iccum iniqui, quando nec suis fidelibus parcit, vt exerceat, & erudiat eos?*

Impius, & peccator.] ὁ ἀσεβὴς, καὶ ἁμαρτωλὸς, Hebraicè חוטא ורשע *chote verasahh*, de quorũ nominum propria notione alibi disserui. Synonyma possunt esse, licet primũ peccare dicant in Deum, secundum in proximum: primum esse infidelem omnémque qui fide careat. secundum malum Christianum.

Vbi parebunt?] Vbi apparebunt, vbi comparebunt? quo loco erunt, qua fronte, vel fiducia, se aut in hac vita euadere diuina supplicia, aut certè in futura sperabunt? Mallēt *montibus collibúsq; obrui & operiri* [a], *certè cùm in viridi ligno, hæc est*, in iusto tã fuit hic seuerus Deus: *multo fore seueriorẽ in arido* [b].

Argumẽtum hinc ducitur pro futuro generali iudicio, & pro resurrectione, ac remuneratione alterius vitæ: nam cùm sæpius contingat impios in hac vita bonis affluere, vexari malos, pertinet ad iustam prouidentiam Dei, vt pro meritis vtrisque quandoq; reddat tum præmia, tum supplicia.

Facile est ipsum comprobare permultis aliis & rationibus, & testimoniis. Hoc aliqua ex parte egimus tractantes Ecclesiastis locũ [c]: *Peccator ex eo quod centies facis malum, & per patientiã sustentatur, ego cognoui, quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius.* Dauid hoc sentire, ac dubitare de scientia Dei, ait esse *nationem filiorum Dei reprobare*, & inanem laborem suscipere, cùm *donec introëatur in sanctuarium Dei* non satis perspici possit profunda ratio diuinæ prouidentiæ [d].

Cùm autẽ quærit Petrus, vbi parebũt impius, & peccator, perinde est, ac si negaret verbis illis Psalmi [e]: *Non resurgẽt impij in iudicio, neque peccatores in concilio Iustorum*, tales tũc minimè fretos cõscientia bonorum operum, quæ nõ habebunt, cõstanter, & alacriter cõparituros. Sistentur & hi diuino Iudicio, & omnino omnes [f]: tamen dicũtur quidam iam iudicati, *qui nempe non crediderũt in Filium Dei* [g], quoniã veluti sententiã ipsa sermonis, quem non credunt, damnati sunt, atq; damnationis aliquando ferendæ iam in se causam habent, carentes ipso fundamento iustitiæ, ac meritorum, ita vt propter maiorem quodãmodo certitudinẽ, vt ait Augustinus [h], qui sunt quoque iudicandi, iam dicãtur iudicati. Lege Commentariũ nostrũ ad cap. 10. Actuum Apostolorum [i]. Ecclesia in officio de Defunctis vsurpat sententiam istam. Potest autem aliquo modo Purgatorij veritas hinc approbari. Quia enim etiam iustus non saluatur, nisi per Dei seuerẽ punientis purgantísque peccata iudicium: qui minùs purgatus fuerit in hac vita, subire oportebit illud post mortem, vt iustitiæ diuinæ satisfaciat.

Vers. 19.] Itaque & hi, qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendẽt animas suas in benefactis.

APta capitis clausula, vt in tribulationib. Deo sine cuius permissu nihil fit, & qui creauit nos, idẽ tuetur, atq; cõseruat fideliter, iuxta promissum suum, legémque, quam sibimet imposuit, animas nostras commendemus, quarum habẽda ratio potior, quàm corporum interim benefaciendo, tum cuiusuis alterius generis opera; tum illud, quod persecutores, ac vexatores nostros nobis magis demereamur, & eo impensiùs commẽdare debemus animas nostras, quod vt dictum est, *Iustus vix saluatur.*

Qui patiuntur secundum voluntatem Dei.] Ambigi potest, an loquatur de iis, qui sese in patiendo cõformet ad voluntatem Dei quæ est *sanctificatio nostra* [k]: an quod ipsa quæ patiũtur mala, pẽdeant à Dei voluntate, prout capite tertio [l] dixerat, *(si volũtas Dei velit)* vbi significaui tertium sensum esse posse, qui & proposito quadrare quoq; potest, patiẽtiam esse donũ Dei. Primus melior, quẽ Glossa sequitur Ordinaria; (quamuis pati dicat in benefactis, non propter peccata) & Thomas Anglicus, quasi præter voluntatem Dei (quæ fertur per se in bonum) esset: si cum culpa paterentur.

Vult etiam Petrus, vt hi, qui sunt iusti, & hoc nomine patiũtur, memores, quàm sit difficile, etiã iustis saluari, ob adeo multa pericula, vt, & inter patiendũ elationis ac superbiç; pendeãt à Deo toti semper, quemadmodum res naturales ab illo pẽdent secundum ipsum esse, quod acceperunt. Est illud tamen solatiũ fidelibus, magnũ de quo prius egimus, nil aduersi cõtingere sine Deo, qui moderatur cuncta, *ne supra id quod possumus, tentemur* [m]: & quãlibet expetat Satanas (ἐξαιτεῖσθαι est deposcere, vt solet gladiator, vel hostis aliquem à Rege, aut duce: vt singulare cum eo certamen ineat) cribrare nos sicut triticum [n], non sinitur id facere, ac ne porcos quidem lædere nisi permissus potuit [o]: non solum Iob [p], & similes.

Vtrumque de porcis, & de Iob ad hoc propositum simul obseruant Gregorius [q], Augustinus [r], Beda [s], Tertullianus [t]. In illo autem cribrãdi verbo, quo vtitur Christus, latet ratio non diabolicç, quæ est dumtaxat, vt vexet, sed diuinæ voluntatis, quæ ex vãno tentationis purgationẽ intendit, ad hoc *tenẽs manu sua ventilabrũ* [u]. Hoc deprehenderunt Ambrosius [x], Prosper [y], Tertullianus [z], *Nõ cum voluerit Tyrannus*, ait Eusebius [a], *cruciamur*, sed cùm probauerit Deus corripimur. Narrauerat Aurelianum Imperatorẽ dictatis iam litteris, & scriptis cõtra Christianos, cum superesset sola subscriptio, subita morte sublatum. Valentẽ quoque simili ratione prohibuit De⁹ à subscriptione proscriptionis Magni Basilij, & huiusce in suos prouidentiæ Dei alia extant exempla nõn pauca.

Dei semper vt fiat voluntas, optandum etiã in aduersis, exẽplo Christi [b]. *Hæc vox capitis*, inquit Leo [c], *salus est totius corporis; hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes Martyres coronauit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus patiens Patri diceret. Fiat voluntas tua?* Discant igitur hãc vocẽ omnes Ecclesiæ filij magno pretio redẽpti, gratis iustificati: & cũ aduersitas violẽtæ alicui⁹ territationis incubuerit, prçsidio potẽtissimo rationis vtantur; vt superato timore formidinis, accipiãt tolerantiam passionis.

Fideli Creatori commendent animas suas.] Syriacè per indicandi modũ hæc exponuntur: *commendant &c.* מגעלין *naghbalun*, & latinè sic aliquos legere meminit Hugo Sic Christus ipse [d], sic eius fecit exemplo Stephanus [e], sic alij vsurpantes Psalmi sententiam [f]: *In manus tuas commẽdo spiritum meũ*, vt Nicolaus moriens, Basilius, Ludouicus rex Sãctus. Christus Patrẽ appellauit, Stephanus Dominũ Iesum. Petrus iubet nos appellare Creatorẽ. Etenim licet Patrẽ possimus Deũ nominare, qui adoptione Pater noster est; tamen Petrus fortassis voluit, vt agnosceremus filiationis nostrç dis-

crimen

Marginalia (left): a Lucæ 23.30. Apoc. 6.16. Isa. 2.19. Osee 10.8. — b Luc. 23.31. *Generale iudicium & resurrectio mortuorum hoc probatur.* — c cap. 8.12. — d Ps. 72.25.17. — e Psal. 1.5. — *Omnes omnino diuino iudicio sistentur.* — f 2. Cor. 5.10. — g Ioan. 3.18. — h de Agone Christ. c. 17. — i Vers. 48.

Marginalia (right): k 1. Thes. 4.3. — l vers. 17. — *Nihil aduersi nobis contingit sine Deo.* — m 1. Cor. 10.13. — n Lucæ 22.31. — o Matt. 8.32. — p Iob cap. 1. & cap. 2. — q 2 Moral. c. ... lib. 32. c. 19. — r in ep. Ioan. Tract. 6. — s in Lucã ca. 8. — t ... — u Matt. 3.12. — x in ps. ... — y lib. contra Collatorem. — z de vocation. Gen. c. ... — a 7 Hist. c. ... *Aurelianus Imperator subita morte sublatus.* — b Matt. 26.42. — c Serm. 7. de Pass. — d Lucæ 23.46. — e Act. 7.58. — f Psal. 30.6. *Deo qualiter morientes animas commendare debeamus.*

crimen ab ea quæ Christo conuenit: & nomen Creatoris innuit magis perpetuam necessariã dependentiã, quam habet creatura vt conseruetur, à causa sua creante. Qua de causa quidã volunt generationem Filij in diuinis, dici creationem: cum semper verum sit illud [a]: *Ego hodie genui te*, hoc est, semper communico eandem essentiam meam.

a Psal. 2. 7.

Epithetum Fidelis certos nos facit nunquam nos deserendos à Deo, qui toties, ac tam prolixè pollicitus est auxilium in tribulatione. Eodem eãdem ad rem Paulus vtitur, dicens [b], *quòd Fidelis Deus non patietur nos tentari supra id quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione prouentum* (ἔκβασιν exitum, euasionem, seu euadendi facultatem, sed simul cum prouentu & fructu) *vt possimus sustinere*. Lege quæ diximus in expositione dictorum verborum Stephani.

b 1. Cor. 10. 13.

Cõmendanda Deo anima sub mortem quidem præsertim, sed & in omni vita velut depositum tum ipsa, tum res omnes nostræ, quod faciebat diligenter Paulus *sciens cui crederet, atque certus Deum potentem esse depositum* (παραθήκην) *seruare in illum diem* [c], nempe mortis suæ, ac Iudicij generalis: depositum autem vel quod ipse credebat Deo, vel quod ipsi crediderat, & commiserat Deus, nempe gratiæ ac prędicationis, & qui opera eius cõuersi, conuertendive erant. Sic in Historia Ecclesiastica Ioannem locutum habetur de adolescente quem alteri commẽdauerat. Ex Psalmo trigesimo vsurpauit Christus verba: (*In manus tuas commendo Spiritum meum* [d]) assumens nomen Patris, & omitiẽs alia: (*redemisti me*,) ipse namque redemptor erat. Illa verò (Deus veritatis,) idem valent, quòd hoc loco *fidelis*.

c 2. Tim. 1. 12. *Depositum quid significet.*

d vers. 6.

Bonus Creator Deus omnes à se conditas res amat bonas [e], eásque tuetur, conseruat, fouet, at maximè quas peculiari prosequitur amore animas [f], capaces donorum cœlestium, atque diuinorum. Hilarius [g], & Cyrillus [h] per istum Creatorem fidelem volunt intelligi Christum, indéq; confirmant diuinitatem ipsius. Christus absque dubio creator est, vt Deus, *& fidelis in omnibus verbis suis*, atque *custodiens pactum* [i] *suum, ita vt impossibile sit eum mentiri* [k]. At non video, cur de Christo præsentem cogamur locũ accipere, cùm absolutè positum nomen Dei non supponat pro Christo.

Bonus Deus res omnes bonas amat.
e Gen. 1. 31.
f Sap. 11. vers. vlt.
g 12. de Trinit.
h 9. Thesaur. cap. 2.
i Psal. 144. 13. Deut. 7. 9.
k Heb. 6. 18.

Animas suas.) Commendatio animarum arguit non esse materiales, nec ex seminis traduce: commendantur enim Creatori, à quo solo creatę sunt, & ad quem redeunt. Sequitur etiam nõ esse mortales, quippe cùm commendatæ sint perpetuæ Creatoris custodię tanquam deposita. Præterea inde fit vt sint redituræ ad corpora, quia deponũtur ad tempus, & commendantur tam fido depositario.

Animæ à Deo solo creatæ sunt & immortales.

Quod quidam notant Christum dixisse: *Commẽdo Spiritum meũ*, quia reuera erat ipsius anima, quatenus Deus, qui dicit [l]: *omnes animæ meæ sunt*, verum dicũt: at nescio quàm aptè, cùm & nos eãdem formula vti hoc loco iubeamur, & Stephanus [m] orauit: *Suscipe spiritum meum*. Commendari corpora quoque possunt; sed minor de his cura, quia bene illis erit, si bene animabus: & præsertim patientibus persecutiones non erat mentio alia, quàm de animabus facienda, cùm potius Christus moneat, ne timeant occidentes illa [n].

l Ezec. 18. 4.
m Act. 7. 58. *Cur morientes non commendamus corpora, sicut animas.*
n Mat. 10. 28.

In benefactis.] ἐν ἀγαθοποιΐᾳ. Syriacè, *in operibus bonis*, בעבדא שפירא *bahbhadé saphire*. Est autem ἀγαθοποιΐα propriè *beneficentia*, qua beneficio alios afficimus, non verò generalis exercitatio operum studiosorum; vt intellexit tamen Carthusianus, & alij, necnõ Oecumenius nominatim docens intelligere de humilitate, vt qui patiens est, simul eam conseruet; inutilem se seruum censens [o], ac assiduè cõmendans se Deo, sic tamen vt simul nõ desit ei cura bonorum operum. Agebat Petrus cum illis, qui persecutionem patiebãtur: hos vult nõ solùm patientes, verùm etiam beneficos erga persecutores, iuxta Domini præceptum [p]: *Diligite inimicos vestros; Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: Benefac te his qui oderunt* [q]: *Benedicite maledicentibus vobis*. Hoc modo cõmendat quis tutò animam suam Deo Patri, quem videlicet imitatur, cuique pergratam rem facit, vt poté *cùm solem suum hic oriri faciat super bonos, & malos, & pluat super iustos & iniustos* [r]. *Mandauit cuique Deus de Proximo suo* [s], scilicet in pluribus Decalogi præceptis [t]. Igitur Deo se, animámque commendare, qua fronte audet is; qui proximum negligit, odítque, licet aduersarium, inimicúmve? Priùs pro crucifixoribus suis orauit Christus [u], & Stephanus [x] pro lapidatoribus, quàm commẽdarent Spiritum suum. Sic docuerũt hoc veluti depositum à Deo suscipi libenter, & absque cunctatione, quãdo viderit magni à nobis fieri, quos commendauit nobis. Quocirca & in vniuersali iudicio pronuntiabitur sententia de misericordiæ operibus [y], quibus homines in vita declarauerint, quanti commendationẽ Dei fecerint, qua alteris alteros commendauit.

o Luc. 17. 10.
p Mat. 5. 44.
q Luc. 6. 27. 28. Rom. 12. 14.
r Matt. 45.
Proximus prius est agnoscendus quàm Deo anima commendanda.
s Eccl. 17. 12.
t Exo. 20. 13. & seqq alibi.
u Luc. 23. 34.
x Act. 7. 59.
y Matt. 25. 35. & seqq.

Nihilominus ἀγαθοποιεῖν interdum ampliorem illum vsum habet pro cuiusuis operis boni exercitio, vt capite secũdo vidimus [z]; *Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudẽtium hominum ignorantiam*: vbi est participium Grecum ἀγαθοποιοῦντας; quod tamen etiam secundum propriam posset notionem sumi; quemadmodum & in epistola Ioãnis tertia [a], vbi agitur de hospitalitate: *Qui benefacit, ex Deo est*. Ὁ ἀγαθοποιῶν. Abundamus exemplis eorum, qui ipsosmet tortores suos prosecuti sunt signis beneuolẽtiæ atque beneficentiæ. Cyprianus aureos viginti speculatori dari præcepit [b]. Polycarpus occurrẽs satellitibus, blandè collocutus est, mensam apposuit, sponte cum ipsis perrexit ad mortem [c]. Ignatius milites, à quibus Romam perducebatur, beneficiis afficere nõ cessabat, quamuis deteriores inde fierent [d]: Paulus martyr in Palæstina preces fudit pro iudice, qui ipsum damnauerat, & pro carnifice, à quo feriendus erat [e], omnibus alta orãrem voce exaudientibus, nec lacrymas tenere cùm tantam animaduerterent animi lenitatem, & tolerantiam valẽtibus [f]. Iacobus Ioannis frater accusatori osculum dedit ad mortem tẽdens, sieque mortis eiusdem socium habuit [g]. E cõtrario, qui noluit Nicephorum Sapritius, etiam cùm ad mortem velut martyr duceretur, in gratiam, quam ille obnixè per Christũ deprecabatur recipere, martyrij palma carens, abnegatóq; Christo, mori tamen coactus est. Nicephorus tamquam victoriam referẽs, palmam ipse occumbens vt martyr, adeptus [h].

z vers. 15.
a vers. 11.
Persecutoribus atque tortoribus, qui bene fecerunt.
b Pontius in Vita.
c Euseb. 4. Histo. c. 14.
d Ignat. epist. ad Roman.
e Martyrolog. Rom. 25. Iulij.
f Euseb 8 Hist. cap 13.
g Euseb. lib. 2. Histor. cap. *Sapritius quia noluit cum inimico reconciliari in morte, fidem negauit.*
h Metaphrast. apud Surium. tom. 1. 9. Feb.

CAPVT QVINTVM.

ARGVMENTVM.

Argum. cap. V.

Intermissam repetit varij status, ac ætatis hominũ institutionem. Nam seniores, id est, Ecclesiæ præpositos orat, vt Dei pascant greges, tum verbo, tum exemplo: à subditis, quos nominat iuniores, exigit, vt illis obediant: in omnibus requirit, vt inuicem humilitatem obseruent: Deo sese cum omni demissione subiiciant: ipsi, ac prouidentiæ ipsius totos se permittant: Diabolo per fidei, sobrietatisq́; studium strenuè resistant. Tandem fausta imprecatione, & salutatione claudit epistolam.

1 SENIORES ergo, qui in vobis sũt, obsecro, consenior & testis Christi passionum: qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator.

2 Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè.

3 Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

4 Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

5 Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem inuicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

6 Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.

7 Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipse cura est de vobis.

8 Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.

9 Cui resistite fortes in fide: scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.

10 Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.

11 Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

12 Per Siluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter scripsi: obsecrans & contestans hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.

13 Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta, & Marcus filius meus.

14 Salutate inuicem in osculo sancto: Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu. Amen.

Vers. 1.] Seniores ergo qui in vobis sunt obsecro consenior, & testis Christi passionum: qui & eius quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator.

NVLLA ad persuadendum afferri efficacior oratio potest, nihil quod permouere pastores magis valeat, vt suo diligenter vacent ouium pascendarum tam graui, necessarioque officio. Meminerat satis Petrus quam sibi Christus enixè commendauerat, oues iam glorioso præditus corpore, nec aliud inculcans sæpius, quàm *vt amorem, quo se prosequeretur, pascendis declararet ouibus, agnisq́;* [a]. Pro istis passus cùm sit Christus, & iisdem gloriam tantam promiserit, non potest hæc meditans Pastor, & quo modo *Pastorũ princeps animam dederit pro ouibus* [b], non vehemẽter incitari ad procurandam eorum salutem, pro quibus adeo magnum Dei Filius pretium soluerit sanguinis, vitæque propriæ, & quibus tam ingens præmium parauerit.

a Ioan. vlt. 15. & seq.

b Ioan. 10. 16.

Seniores] Πρεσβυτέρους non ætate grandiores, sed Ecclesiastica dignitate, qua cæteris præcellent, spiritualiter intelligit, vt fusiùs demonstrauimus in Commentariis tum Actuum Apostolorum [c] tum Ioannis epistolarum [d], docentes etsi plerumque id nomen designaret, vt nunc passim ordinem sacerdotalem inferiorem gradu Episcopali, tamen vsurpatum aliquãdo pro Episcopo, immò

Seniores sunt presbyteri.

c cap. 4. 5. & cap. 20. 17.

d epist. 2. & 3.

& pro Pontifice Maximo. Requiri verò etiam in Episcopo certam ætatem iuxta veterem traditionem, & Canones. Hieronymus [a] legit: *Presbyteros & Compresbyter*, intelligitque de Episcopis. Iisdem locis docui medij seculi Latinos scriptores, seniorem vsurpauisse pro domino etiam temporali. Præter allata ibi exempla, possumus & Robertum Francorum Regem producere, qui sanctum Anianum Aurelianensem Episcopum trito iam Francis idiomate Seniorem suum pio studio nominare solebat, id est, Dominum, sicut & hoc tempore Franci, Gallique omnes non absque senioris pronomine, vulgo *seigneur*, aut *monsieur* sanctos quoslibet vsurpant. Vocatum item [b] Ditmarus à Polonis ducem suum Meisco Seniorem scribit, quem vxor Dabraua, seu Dobbera Christianum reddiderat.

In Syriaca editione prænotatus ad caput hoc titulus est, recitari Dominica XIIII. post Pentecosten, & in electione, aut ordinatione Episcoporum. Persuadetur idem verbo pascendi quod est sequenti versu, ac participio Ἐπισκοποῦντες, quod ab Episcopo deriuatur, & ab Interprete Syro exponitur de cura spirituali: & ita etiam sumpsit Cyrillus Alexandrinus [c].

Ergo.] Syriacè *autem* ܗܟܝܠ *ana*. Desideratur Græcè ista particula. Fortassis illationem Interpres apposuit ob proximè præcedentem admonitionem, vt quisque commendaret animam suam fideli Creatori. Nam *fideles seruos ac prudentes constituit pro se super familiam* [d], *eámque iis commendauit*. Illud remotius in eodem priore capite [e]: *Vnusquisque prout accepit gratiam in alterutrum illam administrantes*, &c. quasi eo hic respectum habeat Petrus. Aptior nectendi ratio, vt postquam alios instituit de officio, in vltimum locum se seruasse significet quæ pertinent ad Pastores, vtpote qui dignitate sunt superiores, & paucioribus egere videantur. Vnde subtiliter notauit Hugo, bis agnos, oues vna tantùm vice commendasse Christum Petro [f]. Quamuis Græcè legamus tantùm semel ἀρνία *agnos*, bis πρόβατα *oues*.

Qui in vobis sunt.] Τοὺς ἐν ὑμῖν. Verum est humilitati studere debere Prælatum, vt obseruat Hugo: sed non ideo Petrus hac loquendi formula est vsus, non autem *super vos*. Trita Græcis phrasis denotans eos, qui versantur inter alios: quemadmodum versu sequenti: *Pascite qui in vobis est gregem* τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον. Sic legimus in titulis sanctorum, τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς, quod simpliciter verti solet *sancti patris*, ad verbum *in sanctis*, id est, inter sanctos patres.

Obsecro.] Παρακαλῶ. Vel etiam, *Hortor*, Hieronymus *precor*. De hac Petri modestia, & benignitate priùs egimus capite secundo [g], monuimúsque in Latino verbo non esse attendendum, quasi adiurationem importet per sacra, vt notat tamen Hugo, & Thomas Anglicus.

Conuenit quidem benignè lenitérque tractari subditos à summo etiam Pastore; at multò magis ascitos in partem sollicitudinis curæque pastoralis, præsertim apud eosdem subditos, ne illos hi contemnant. Vetuit Paulus [h] *aduersus Presbyterum accusationem recipi nisi sub duobus, aut tribus testibus*: ne autem damnetur, multò plures requiruntur in Canonibus [i], vt meminit quoque B. Thomas [k], rationem assignans, tum quia tales censentur in Ecclesia institui, quorum sanctitati plus credatur, quàm multis testibus: tum quia alios iudicaturi, multos habēt aduersarios: tum quia minus malum videtur peccantem tolerari, nisi valde publicus, & scandalosus sit, quàm periclitari dignitatis Ecclesiasticæ opinionem, & auctoritatem. Verenda quoque senectus, vt non increpet etiam Episcopus Seniorem. quod idem Paulus [l] monet, sed *obsecret vt Patrem*, metuens videlicet, ne indignè ferens obiurgationem, veluti *parua verbera* (in responsando) *lingua* [m] rependat. Ipsemet Dominus inducitur in Apocalypsi [n] non imperans, sed suadens. Hieronymus [o] expendens Pauli [p] verba: *Fratres obsecro vos*, & addens similia ex secunda ad Corinthios [q], & prima ad Timotheum [r], & tandem hæc adferens, inquit: *Quæ quidem & nos ad humilitatem prouocāt, & supercilium decutiūt Episcoporum, qui velut in aliqua sublimi specula constituti, vix dignantur videre mortales, & alloqui conseruos suos.*

Cōsenior.] Συμπρεσβύτερος. Syriacè ego presbyter socius vester. Hieronymus *compresbyter* אנא קשישא חברכון *ana chasisa chaurechun*. Ætate quidem, sed potissimùm dignitate socius. Solēt Pontifices in epistolis, & decretis Episcopos appellare fratres, & coëpiscopos: & lego quoque ab Irenæo vocatum presbyterum, summum Pontificem*, ac multa extāt in multis huius argumenta modestiæ, tum verò in titulo serui seruorum, de quo aliàs dixi. Egregiam præsefert Leo I. humilitatem in primo, & secundo sermone de Anniuersario die assumptionis suæ, & inter alia nominat consacerdotes suos.

Testis Christi passionum.] Quia passioni Christi interfuerat, pro Christo carceres [s], & flagella [t] pertulerat, quæ viderat, scribebat. Addit Salmeron indicare Petrum, se spectatorem fuisse tribulationum, quas alij pro Christo passi essent, & propter sympathiam capitis & membrorum suas iudicabat. Idonei testes, qui ab initio fuerant cum Christo [u], & quamuis resurrectionē potissimùm testificari deberent, vt vidimus in Actibus Apostolicis [x], ea tamen ad præcedentem mortem, passionémque importabat relationem, cuius illa veluti præmium erat, & vnde pendebat salus nostra. Paulus quidem in hac stultitia prædicationis glorians liberè profitebatur *se prædicare Christum, & hunc crucifixum* [y] *nec aliud iudicabat se scire* [z], *sed vt & ipse testis esse posset Christi passionum*, Christum, quem fortassis adhuc inter mortalea agentem non viderat, postquam hinc abiit, vidit [a]; scilicet etiam cum plagis, quas retinuit [b], & *ipsa eius stigmata in corpore suo portabat* [c], adeo multa, támque sæpe pro eódem passus [d], ostendente ipsomet Christo, *quanta oporteret illum pati* [e]. Cyprianus [f], Cornelio de seipso sub tertia persona modestè scribens, quantáque pro Christo passus esset, enumerans, id se facere præfatur cum dolore, prouocatum, & compulsum. Vocat autem se dominicæ dignationis testimonio honoratum, quòd scilicet *pati datum ei fuisset* [g]. Magnum reliquis pastoribus incitamentum ad patientiam, audire quid primus Pastor sit passus. Quam fuisse causam dixi, cur Paulus in concione ad Asianos Episcopos, *aliósue presbyteros exponeret quanta tulisset a Iudæis* [h].

Cùm Christus prædixit discipulis, quæ coram regibus, ac præsidibus passuri essent, addidit id fore *in testimonium illis, & Gentibus* [i]. Etenim grauissimum hoc testimonium, tanta constantia perferre grauia quæque tormenta pro religione, nulla hic oblata spe remunerationis temporalis. Ab hoc testimonio κατ' ἐξοχὴν martyres nominantur

[a] epist. 85. ad Euagrium.
Robertus Francorū Rex S. Anianum suum seniorē vocauit, id est, Dominum.
[b] lib. 4. Chron.
[c] lib. 1. in Isaiam. 3.
[d] Matt. 24. 45. vers. 10.
Cur postremo loco admonitionē ad pastores adiecerit.
[f] Ioan. vlt. 15. 16. 17.
[g] vers. 12.
Subditi sunt à summo etiā pastore leniter tractandi.
[h] 1. Tim. 5. 19.
[i] 2. qu. 7. tota. & 4. q. 3. tota. & 4. c. Præsul. & seq. & 2. q. 6. tota de hæc. in 6. c. 5.
[k] 2. 2. q. 70. a. 2 ad 3.
[l] 1. ad Tim. 5. 1
[m] Horat. lib. 3. Carm. in 12.
[n] cap. 3. 18.
[o] in c. 4. ep. ad Gal. 12.
[p] ibid.
[q] c. 5. 20.
[r] cap. 2. 2.
Summus Pontifex in loquendo & scribēdo, modestia singularis.
* Euf. 5. hist. c. 24.
[s] Act. 12. 3. & seq.
[t] Act. 5. 41.
[u] Ioan. 15. 27.
[x] c. 18. 22. & c. 10. 41.
[y] 1 Cor. 1. 23.
[z] ibid. c. 2. 2.
Paulus non vidit Christum in carne.
[a] ibid. c. 9. 1. c. 15. 8.
[b] Ioan. 20. 2.
[c] Gal. 6. 17.
[d] Act. 14. 18. c. 16. 19 & seq. c. 18. 13. & seq. 2. 19 26. c. 21. 27. c. 22. & 23. & 24. & 25. & 26. & 27. & 28. 2. Cor. 11 & 12. & alibi.
[e] Act. 9. 16.
[f] ep. 55.
[g] Philip. 1. 29.
Paulus quam multa sit passus pro Christo.
[h] Act. 20. 19.
[i] Matt. 10. 18. Mar. 13. 9. Luc. 21. 13.

siue testes [a], qui testificando pro Christo, & religione moriuntur: & iidem aduersus *persecutores ferent in iudicio testimonium cum magna constantia* [b].

Qui passionem Christi habet præ oculis, & eidē animo compatitur, vel etiam corpore, illud aut sponte vexādo, aut aduenientes vndecunque dolores libenter tolerando, ad eiusdem Christi amorem alios facilius pertrahit. Testantur id scripta Patrum, nec non gesta tum martyrum, tū aliorum, qui quo patiebantur plura, & crucem redemptoris magis obiiciebant animis suis, hoc actius qua verbo, quā scripto multorum procurabant salutem.

Huc spectare posset antiquus ritus consignandi se cruce concionantis Episcopi, alternatiue, & Diaconi recitantis Euangelium, & aliorum qui audiebant, de quo Gretserus [c] noster. Denique quoties non modò sacrificat Pastor, id in memoriam Christi passionis facere [d] debet: sed vix vmquam in omni sermone mentionem de illa prætermittere. Vt autem eius commemoratione compunctionem ab aliis eliciat, compūgi oportet ipsum, ac se factis testem exhibere passionum Christi, & qui alios flere vult, illi flendum est priùs. Hoc velut cauculo, seu carbone adusta labia, vt Esaiæ [e], vel phlebotomo, vt Equitij [f], continere se, quin de Christo, & hoc crucifixo, loquantur, non possunt. Ioannes Apostolus antequam instituat septem Ecclesiarum Asiæ Episcopos, præfatur se *fratrem ipsorum, participem in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu* [g]. Solemus enim, ait Aretas, fidem faciliùs illis habere, qui nobiscum in iisdem laboribus eādem de caussa susceptis communicant, cum aliqua ad eorumdem laborum perpessionem, & speratam mercedem spectantia commemorant.

Qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator.] Communicator, non qui alteri, sed qui communicet ipse, ac particeps fit, & consors, significat; Græcè κοινωνὸς Syriacè שותפא *saphthapha*. Vatablus vertit (particeps) & ante illum Hieronymus [h]. Clarius *consors*. Id accidit vel in transfiguratione Christi [i], cui cum Iacobo, & Ioanne interfuit, & typus quidam fuit futuræ gloriæ: vel in resurrectione, atque ascensione, quas cum pluribus alus vidit, & beatitudinem similiter futuram referebant: vel indicat certam spem æternæ felicitatis consequendæ, quam ipsam spe iam præceperit. Quartus modus esset, si communicator actiuè sumeretur, pro eo, qui prædicando futuram gloriam, aliis hoc modo communicabat.

Primæ duæ expositiones sunt Glossæ Interlinearis, Thomæ Anglici, Hugonis, Carthusiani, Primaticij, Feuardentij: primam sequuntur Lyranus, Caietanus, Sà. Sed primus in tali forma venturum Christum ad iudicium: secundus eam a Petro visam, vt postea reuelaret mundo. Aliæ placet secunda de sola resurrectione: tertiam Oecumenius innuit, & Titelmanus atque Caietanus rursum, quasi dicat, ipse postremus, se definitō à Deo consorte reuelādæ gloriæ cœlestis, quod est scire se esse prædestinatum. Approbat vtrumque adhuc Feuardentius vel de spe, vel de reuelatione mortis, atque gloriæ, prout sequenti Petrus scribit epistola [k]: *Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus reuelauit mihi*. Consentit in vltimo Salmeron; & quòd sciret *qua morte clarificaturus esset Christum* [l]: & non defecturam fidem suam [m]. Affert denuo Lyranus & Carthusianus vltimum: sed non congruit cum Græco vocabolo τῷ κοινωνὸς, vt dixi.

Ex aliis dicendi modis primum censeo magis ad mentem Petri, nato proprium sibi aliquid voluit dicere: resurrectio, & ascēsio à pluribus conspecta fuerat, siue suscitatus, & ascendens Christus [n]. Sermo de futura sua felicitate non ita videbatur accommodatus adhortationi aliorum ad pascendum gregem, sed ex eo prægustu felicitatis, quem iam habuerat, & quodammodo glorificatus fuerat (quod non bene Catharinus negat, refellens hanc expositionem) vult & ipsos argumentari fore, quod paulo post subdit [o]: *vt cùm apparuerit princeps pastorum, percipiant immarcescibilem gloriæ coronam*.

Quocirca non hic disputo quæstionem illam, possitne aliquis scire se esse in gratia, vel de numero Electorum. Egimus hac de re non in scholasticis modò, sed in Ecclesiastis etiam Commentario [p]. Si sciuit Petrus, per reuelationem accepit, vt respondet Marcus de la Camara [q], prætermis loci secutus expositionem, quæ tertio loco allata est. Quemadmodum Petrus hoc loco, sic Ioannes in exordio epistolæ primæ, atque non semel in suis Paulus, quò persuadeant meliùs, in medium ea proferunt, quæ ipsis auctoritatem conciliare valeant, vt quòd *viderint, audierint, manibus tractauerint* [r]: quòd *spiritum Dei habeant* [s]: *loquatur in eis Christus* [t]: *nihil minus sint ab aliis magnis Apostolis* [u]: *nihil eos à charitate Dei separare possit* [x]: *reuelationes, & visiones habeant* [y], &c.

Obseruat autem Oecumenius, auctoritatis ac dignitatis suæ mentionem Petrum facere, qui se proximè ante modestè conseniorem nominauerat, vt ad humilitatem ipsos quibus scribit, magis inducat, seniores, siue presbyteros, & Episcopos, ac si ita diceret: si ego, qui talium miraculorum spectator fui, atque eorum vobis præceptor sum, non dedignor compresbyterum, & socium me ipsum vocare: neque vos supra illos efferri, qui sub vobis sunt debetis: quippe cùm etiam Christus dixerit [z]: *Si ego laui pedes vestros Dominus & magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes*.

Ceterùm non potest, qui diuinæ felicitatis gustum percipit, continere sese, quin foris prodat lætitiam, & ad eiusdem participationem plures venire velit Pastorem verò, & procuratorem salutis animarum sicut compati decet Christo, & sic esse testem passionum eius, ita *conuersationem habere in cœlis* [a], totóque desiderio in cœlestem patriam inhiare, vt mentes suorum ad cœlestia desideria erigat.

Vers. 2.] Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè.

HÆc obsecratio Petri, siue adhortatio, & παράκλησις, & qui pascendi præceptum acceperat [b], idem inferioribus imponit pastoribus ad eum ipsum modum, quem ab illo exegerat Christus, videlicet ob amorem Dei.

Pascite.] Hieronymus [c], *regite*, quomodo & Interpres reddit aliquando [d]. Adeò multa dixi de potestate huius, & verbi, & officij externi, quatenus ad ciuilem, ac Ecclesiasticam transfertur magistratū, dum expoerem Apostolicam historiā [e], vt cogar eò lectorem reiicere, ne semel tractata satis accuratè, retractem, atque libros nouos ve-

a Act. 22. 20. Apoc. 17. 6.
b Sap. 5. 1.
Qui passionem Christi præ oculis habent, per-trahunt alios ad eius amorem.
c 4. de cruce, c. 23.
d Lucæ 22. 19. 1. Cor. 11. 24.
e Esa. 6. 6. 7.
f Gregor. 1. Dial. c. 4.
g Apoc. 1. 19.
Communicator gloriæ cur Apostolus dicatur.
h epist. 85.
i Matt. 17.
k c. 1. 14. & seq.
l Ioan. 21. 19.
m Luc. 22. 32.
n Luc. vlt. Act. 1. 1. Cor. 15.
o vers. 4.
p c. 9. 1.
q Quæstion. Concilia. loco. script. q. 10.
r 1. Ioan. 1. 1.
s 1. Cor. 7. 40.
t 2. Cor. 13. 3.
u 2 Cor. 11. 5.
x Rom. 8. 35.
y 2. Cor. 12. 1.
Petrus adhortationem quomodo inducat.
z Ioan. 13. 14.
a Philip. 3. 20.
b Ioan. vlt. 15. & seq.
c ep. 85.
d Psal. 22. 2. Psal. 2. 9.
De verbo Pascere & gubernatione ciuili & Ecclesiastica.
e c. 7. 40. c. 20. 28.

terum repetitione eudere videar. Vsum ibi vidimus Paulum in simili adhortatione ad Episcopos, gregis regendi phrasi: Christum in vetere, nouaque scriptura nominatum pastorem, & quidem magnum: Mosem [a], & alios ex pastoritio officio ad hominum gobernationem euocatos, velut ex quodam præludio, & vmbra, & gymnasio ad rem magis seriam, grauémque: tā distare oportere à subditis Prælatum, quam a pecore pastorem, licet, quia non pecora, sed homines sunt, humane tractare illos debeat, nisi degenerent.

a Exod. 3. 1. & seq.

Porrò pascendi munus Pastori spirituali adeò arctè iniunctum est, vt hanc Petri sententiam Gregorius Nazianzenus [b] non dubitet legem suam, quia pastor erat, à legislatore, Petro nimirum, cui Christus etiam dederat præceptum [c], affirmare. Etsi autem spiritualis potissimum, ac per se pastio requiritur: tamen pascenda quoque bono Pastori corpora egentium, quorum propria quadam ratione pater est; huncque ad vsum prouentus Ecclesiastici à fidelibus tam liberaliter attributi sunt. Docuerunt id exemplo suo Paulus, Barnabásque adeo diligenter collectas, quas vocabant, corrogando, & ad fratres peregrè deferendo [d]: de quibus copiosè in Commentariis nostris ad Actus Apostolorum [e], necnon de hospitalitate [f].

b Greg. in Apol. pro fuga sua.
c Ioan. 21. 15. 16. 17.
Pastori bono etiam corpora egentium pascenda sunt.
d 1. Cor. 16. 1. & seq.
e c. 11. 29.
f c. 10. 6.

Cassiodorus [g] iniens præfecturam prætorij, per literas poposcit pro bono regimine Ioannis Papæ preces. In iis literis ita scribit: *Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem; tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere. Nam sicut homo constat ex dualitate, ita bonus pater est vtraque reficere.* Exemplum extat in Christo [h], qui famescentem plebem bis edito etiam panis miraculo, iussitque vt Apostoli escas ministrarent. Gregorius [i] hunc ipsum locum accepit quoque de subditorum curandis necessitatibus externis, atque eorum prædicationem plerumque despici, qui dum delinquentium facta corripiunt, eis necessaria vitæ præsentis non tribuunt. Alibi diximus, quàm essent hac in parte Romani Pontifices solliciti, vt exteros etiam omnes omni externo subsidio subleuarent.

g lib. 11. variar. ep. 17.
h Mat. 14. 16. c. 15. 32.
i p. 2. Pastor. c. 7.

Qui in vobis est, gregem Dei.] Τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον. Syriace *traditum vobis* דמשלמא לכון *demaslema lechun*, nempe, ab Spiritu sancto, qui posuit pastores in illo, vt loquitur Paulus [k], non significat τὸ ἐν ὑμῖν, vt quidam [l] volunt, & notatur ad marginem textus, quo Glossa vtitur, *Quantum in vobis est, quoad potestis*, &c. Licet hunc quoque phrasis ista habeat vsum: sed refertur ad ποίμνιον ad gregem, qui apud Pastores, & eorum curæ commissus erat, quemadmodum priore versu, *seniores qui in vobis sunt*, qui versabantur apud eos, quibus scribebat Petrus, vt ibidem notauimus, & quibuscum familiariter agere debebant, vt eiusdem naturalis conditionis, iuxta illud [m]: *Rectorem te posuerunt? noli extollere, esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Similis dicendi formula apud Oseam [n]: *eius, qui in te est, misereberis pupilli*, hoc est, qui tuę derelictus est curæ. Sic etiam idem Petrus in actibus [o], *Deus in nobis elegit.* Cæterùm vt grex dicitur esse in pastore, ita & pastorem esse in grege Paulus [p] dixit; & auctor Ecclesiastici [q] rectorem esse in subditis, ob arctissimam coniunctionem pastoris & gregis.

k Act. 20. 28.
l Feuarden. Erasmus, Vatablus, Clarius, Caietanus.
Phrasis qui in vobis est quid denotet.
m Eccl. 32. 1.
n c. 14. 4.
o Act. 15. 7.
p Act. 20. 28.
q c. 32. 1.

Nec placet Arias, dum *in vobis* interpretatur ita vt significet *intra vos ipsos, quia in singulis hominibus grex sit Dei, seu quod pertineant singuli ad hunc gregem.* Diœceses, ac parœcias, & oues proprias particularis pastor habet, solus Petri successor omnes pascit cum primaria potestate: Apostolis ex priuilegio Christi, salua tamen ea prærogatiua Petri, nulli limites in orbe præscripti sunt: qua in re ceteri post illos Episcopi non succedunt ipsis: sicut nec Episcopos alios constituūt, vt iidem faciebant Apostoli, sed eiusdem successor Petri, assignans cuilibet quas vult oues, & qualem, quantamque iudicat iurisdictionis amplitudinem, omnium ipse pastorum pastor. Turrianus [r] arbitratur hoc indicatum hic à Petro illis verbis: *Qui in vobis est gregem Dei.*

Petri successor omnes pascit cū primaria potestate.
r 2. pro episc. Pont. c. 9.

Nihilominùs propter concordiam particularium Ecclesiarum in eamdem vnam Catholicā, qui particularibus præsunt, quia prosunt etiam reliquis, vel regendo, vel quoque scribendo, dicuntur interdum vniuersalem Episcopatum sibi commissum habere, ac vniuersalem Ecclesiam. Ad hunc modum Clemens Romanus [s] inducit Apostolos omnes, Petrúmque ipsum loquentes: ita scribit præterea Eleutherius [t] Papa: id voluit Cyprianus [u], dicens *vnum Episcopatum esse, cuius à singulis in solidum pars tenetur*: hunc habet sensum, quod Nazianzenus [x] Athanasium ait, cum præfuit Alexandriæ, perinde fuisse, ac si vniuersis, quia fides, quam defendebat, spectabat ad omnes: quo item pacto loquitur de Cypriano [y] Episcopo Carthaginis, quoniam celebraretur vbique: tandem non aliter idem Clemens [z] intelligendus, cum vocat Iacobum Episcopum Episcoporum, ac regentem omnes Ecclesias. Cyprianus [a] ipse agnoscit ascriptam singulis pastoribus portionem gregis (de seruandis limitibus diœceseon extant Canones Concilij Niceni [b], & Constantinopolitani [c].) Quod ergo in solidum dixit possideri vnius Episcopatus partē, innuit potiùs eamdem simul ab alio possideri, iuxta vim eiusmodi formulæ loquendi; non quidem à particulari alio, sed à summo Pastore, qui Petro succedit. Eadem autem phrasi simul significauit illo tempore parem singulis Episcopis in diœcesibus suis potestatem fuisse, nondum limitata, restricta, reseruata circa particulares conscientię casus iurisdictione; cuius primatum tamen semper gerebat Pontifex, eámque pro arbitrio limitare, restringere, reseruare poterat. *Potest*, inquit Bernardus [d], *Romana Ecclesia nouos ordinare Episcopatus, vbi hactenus non fuerunt: potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit, ita vt de Episcopo Archiepiscopos creare liceat, & è conuerso, si necesse visum fuerit.*

s 6. const. c. 14.
t ep. ad Episc. Gallicanos.
u de vnita. Eccl.
x orat. in Ath.
y orat. in Cyprianum.
z epist. 1.
a epist. 55.
b Can. 6.
c Can. 2.
Quomodo in solidum vnius Episcopatus portem a singulis possideri Episcopus Cyprianus dixerit.
d epist. 131.

Ob intolerandam Constantinopolitani Episcopi superbiam, qui se Patriarcham vniuersalem, & primum omnium Episcoporum nominabat, Pelagius, & Gregorius I. cauerunt, ne eum sibi titulum arrogaret: cúmque frangere obstinationem nequiuissent, Phocas Imperator lege sanciendum putauit, Romanam Ecclesiam omnium caput Ecclesiarum; Episcopum Constantinopolitanum non œcumenicum & vniuersalem, sed particularem, subiectúmque Romano. Meminerunt de hoc Paulus Diaconus [e], Ado [f], Beda [g].

Constantinopolitanus Patriarcha qui se vniuersalem esse diceret, arguitur.

Porrò Gregorius modestiæ causa recusauit vniuersalis Episcopi titulum [h], ad comprimendum fastum Episcoporum Constantinopolitanorum: tum etiam quia non est cuiuslibet particularis Ecclesiæ proprius, & immediatus Episcopus: alioqui non sub se tantùm alios haberet, sed eorum cessaret auctoritas. Non ero longior in re tam diligenter ab aliis tractata. Constat ἀντονομα-

e lib. 18. de reb. Rom.
f in Chron.
g de sex ætatib. mundi.
h epistola 32. dist. c. Nullus, c. ecce in dist. 99. & apud Greg. lib. 4 ep. 32. lib. 7. ep. 30.

cum, summum Pontificem ab Athanasio[a] Episcopi nomine (appellat Episcopum Episcoporum Tertullianus[b],) & Romanam absolute appellatam Ecclesiam, & sedem tamen in vrbe peculiarem sibi constituit Petrus diuino, vt quidam putant iussu, eiúsque propriè nominatur Episcopus. Sic Deum iussisse, & saltem vt eo veniret Petrus, docet Marcellus[c] Papa, & Leo[d]; item Athanasius[e], Ambrosius[f], Maximus[g]. Hoc autem fuit vrbis Romanæ Episcopatum ad summum orbis terræ pontificatum euchere, atque certo in loco, qui ad orbem commodiùs regendum aptior esset, habitare, non autem maiori minorem Episcopatum adiungere.

Quapropter ineptum heretici colligunt argumentum, vt Caluinus[h], quia Petrus alios hortetur, vt pascant, non ad ipsum pertinere vt omnes pascat: nam inferiores sub se hortatur, vt si Rex iubeat inferioribus magistratibus regere prudenter sibi commissas ciuitates, non significabit profectò sibi regendi potestate esse pares.

Gregem Dei.] Omnia Dei sunt. Sed peculium eius in hominibus colentibus eum. Qui spirituales filios gignunt, Deo tamquam viro, non sibi gignunt. Phrasis vsitata scripturis, vt parere dicatur mulier alteri, id est, viro. De B. Virgine absolutè dictum, *quòd pareret*[i], ac sine addito, quia nulli viro, nec viri opera, sed soli Deo, eiusdemque opera.

Prouidentes.] Ἐπισκοποῦντες. Inde nomen Episcoporum à nobis alibi declaratum[k]. Ex quo colligitur, seniores, quorum prius facta mentio, non ætatis, sed Ecclesiasticæ dignitatis ratione appellatos. Omnem pastoralem curam important voces τοῦ ἐπισκοπεῖν, καὶ τοῦ ἐπισκέπτειν. Syriace hoc loco *curam agite spiritualiter* סעודו רוחנאית *sebhoru ruchanaith*, Episcopum superinspectorem interpretatur Ambrosius[l], & ἐπισκοπεῖν Augustinus[m] superintendere: soléntque Episcopi editiore loco sedere in Ecclesia, & sic cunctos respicere, atque à cunctis respici. Martinus[n] Polonus Clementem tradit statuisse, vt Cathedra Episcopalis in eminentiori loco statueretur, in qua residens Episcopus, possit & omnes circumspicere, & ab omnibus circumspici. Hieronymus[o] legit *inspicite*, & ait ἐπισκοποῦντες *esse superintendentes*. Oculus debet esse in baculo pastorali, quia Dei fungitur Episcopus vice, quem Ægyptij tali Symbolo designabant, Cyrillo etiam Alexandrino teste, quæ dici quoque potest *virga vigilans*[q], & *oculi ante, & retro*[r]. Cum dormiunt oculi, totum dormit corpus. Vni Petro dixit Christus[s] in horto: *Simon*, (quasi oblitus esset se Petrum, id est, *pastorem*) dormis? Præcipit Paulus Timotheo[t], vt vigilet, & peruigilare præpositos, idem docet[u]. Videtur Agatho[x] Papa legisse *exhortantes pro, prouidentes secundum Deum*, inquit, citans hunc locum, *exhortantes*.

Non coactè, sed spontaneè.] Referri possunt hæc, vel ad pastores, quemadmodum Paulus[y] de se scribit: *Si volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est*: vel ad gregē, ouésque, vt non iis eiusmodi dentur imperia, itáque regantur, vt nolentes, & coacti videātur illa exequi, sed libenter, ac alacriter.

Vtrumque verum, primum melius, & à Beda intelligitur, aliísque, ne propter temporalium rerum penuriam pastor ac vt se ipsum pascat, inducitur ad alios pascendum. Ex primo tamen etiam, de quo primo Augustinus[z] Paulum intelligit, sequitur secundum, atque in vtrísque libera requiritur voluntas, & prompta, sicut in constructione tabernaculi, & filij Israel mente deuota primitias Domino, muneráque, & ipsi artifices sponte se offerebant[a], vt post Bedam Glossa quoque ordinaria obseruat. Nazianzenus[b] secundum secutus videtur sensum, inde confirmans, non per vim subditos cohibendos, verùm persuasione alliciendos.

Nam quod vi, ac necessitate exprimitur, inquit, *præterquam quòd tyrannicum est, miniméque laudandum, ne firmum quidem, & stabile est: solet enim id, cum vis adhibita est, non secus ac planta per vim manibus inflexa, simul vt dimissa fuerit, ad se rursum redire: quod autem a libera voluntate proficiscitur, æquissimum simul, ac firmissimum esse solet, vtpote beneuolentiæ vinculis astrictum, atque conseruatum.* Deinceps præsentem citans locum, subdit: *Ac proinde, vel maximè id lex nostra, & legislator noster* (Petrum vide quàm honorificè appellet) sanxit, *vt grex non coactè, sed spontaneè, ac libenti animo pascatur*: Scholiastes Nazianzeni Elias Cretensis, etsi primùm docet loqui de Christo Nazianzenum sub nomine legislatoris, quod articulo notatum est; concedit tamen etiam de Petro posse intelligi, quia pastoralem curam, & præfecturam primus à vero Pastore accepit. Affert præterea ex Euangelio, *quod præcepit Christus, ne more regum dominentur Apostoli*[c] (κατακυριεύειν dominium tyrannicum indicat) Item vt *in quamcumque domum intrauerint, ante omnia bene precentur pacem*: quod si non recipiantur, exeant, excusso etiam de pedibus puluere[d]; ne quid videlicet coactè facere videantur. Tandem occurrit, cum iniunxit Christus compellere ad cœnam intrare[e], demonstrasse quanta sit vis Euangelicæ prædicationis, & potentia miraculorum ad hoc, vt quis ad fidem traducatur, quamuis liberè, ac sponte.

Quod attinet ad primum sensum, uolo enim de secundo plura, quē arbitror minus congruentem Petri proposito, & contextui eius, Ambrosius[f] exponens Psalmi verba[g]: *Voluntaria oris mei comproba (beneplacita fac) Domine*; egregie ac multis ostendit, plurimùm referre, vtrum ex voluntate quid facias, an ex necessitate, quod placeat Deo. Vtitur testimonio illo Pauli[h] de quo diximus, ita illud accipiens, vt Augustinus: prætereà, quod is Philemoni[i] noluerit imperare, cum posset, sed eius consilium, ac voluntatem requirere. Vocat hoc sacrificium laudis[k]. Adhibet exemplum Esaiæ, quem expectauit Deus vt se offerret vltro[l]: ac Ieremiæ, cui detrectanti persuadere rationibus voluit[m]. Addere Mosem potuit, inductum quoque diuina persuasione, vt populum liberaret, & Pharaonem adiret[n]: Ionam præterea tergiuersantem[o]. Denique concludit, expectare Dominum voluntarios ministros, & integræ huius deuotionis pleniorem esse mercedem; ideóque de Esaia dixisse Paulum[p]: *Esaias audet, & dicit, quoniam dixerat*[q]: *Ecce ego, mitte me, & quasi voluntarium organum vberiore spiritus gratia esse impletum.*

Origenem[r] scio Mosem Esaiæ hac in parte præferre, illúmque suæ veluti temeritatis pœnas luisse, quòd inoptabilia, quæque nollet prædicere, & à maledictionibus incipere iuberetur. At sapientior Gregorius Papa[s], qui rationes profert, quibus æquum de ambobus feratur iudiciū, sicut & Nazianzenus[t]. Certe prius Esaiæ labia mundata fuerant, & sibi quod tacuisset, væ esse

pronun

a Apolog. 2.
b de pudicit. c. 1.
Romanus Pontifex absolute Episcopus, vel Episcopus Episcoporum dictus.
c ep. ad Antioche.
d serm. de Petro, & Paulo.
e Apolog. pro fuga.
f ora. con. Auxent.
g ser. 1. de Petro, & Paulo.
h 4. inst. c. 7.
i Virgo cur pareret absolute dicta sit. Isa. 7. 14. Matth. 1. 23. Luc. 2. 11.
k Act. 1. 20. in fra. 20. Psa. 108. 8.
l de dignit. sacerd. c. 6. Episcopi nomen quid importet.
m 19. de ciuit. c. 19.
n in Chronic.
o epist. 85.
p 9. con. Iul.
q Ier. 1. 11. 12.
r Apoc. 4. 6.
s Mat. 26. 37.
t 2. Tim. 4.
u Act. 20. 31. Heb. 13. 17.
x ep. vniuca.
y 1. Cor. 9. 16.
z 3. de serm. Dom. in mon. c. 16. & 1. con. Parm. c. 11.

a Exod. 35. 21. 26. 29. cap. 36. 2.
b in Apolog.
Subditi nō sunt per vim cohibendi, sed persuadendi.
c Luc. 22. 25.
d Luc. 9. 5.
e Luc. 14. 23.
f in Psa. 118. Octon. 14.
g Psa. 118. 108.
h 1. Cor. 9. 17.
i ad Philem. 8. & seq.
k Psa. 49. 14.
l Esa. 6. 8.
m Iere. 1. 6. 7. & c. 20. 9.
n Exod. 3. 10. & seq.
o Ionæ 1. 3. & seq.
Dominus voluntarios ministros expectat.
p Rom. 10. 20.
q Esa. 6. 8.
r hom. 1. in c. 6. Esa.
s 1. p. past. c. 7.
t in Apolog.

pronunciauerat Ionam verò detrectantem Deus ipse reprehendit[a].

Offerret hic se quæstio, quid melius, desiderare Episcopatum, & se huic oneri offerre, an detrectare, & se subducere. Integrum de hoc edidit Espencæus librum tertium ex iis, quos Digressionum nominauit ad priorem Pauli epistolam ad Timotheum, in cuius epistolæ capite tertio[b] scribit Paulus: *Si quis Episcopatum desiderat* (ὀρέγεται obiter) *bonum opus desiderat* (*concupiscit* ἐπιθυμεῖ) vt annotat Augustinus[c]. Communis sententia, desiderium bonum esse, propter opus laboriosum charitatis, & propter vitæ sanctitatem, atque códitiones eas, quas ibidem Apostolus subiicit, & exigit. In vita S. Nicetij Treuirensis Episcopi narrat Gregorius Turonensis, cùm Cathedræ impositus lectionum seriem auscultaret, bis, térque manu remouere à ceruice tentauisse, quo se premi sentiebat pondus: nempe admodum graue pondus esse, cùm imponuntur homines super capita[d]. Legatur B. Thomas[e].

Proculdubio longè salubrius tutiúsque consilium, humeris tremendum angelicis[f] onus, artiúmque artem[g] deprecari: nec, vt plurimùm, dignus est, nisi qui fuerit ordinatus inuitus[h]. Docent nos id sanctissimorum, & sapientissimorum virorum exempla satis vulgo nota, & ab eodem Espencæo recensita. Animum obfirmare, cùm quis à Deo vocatur tamquam Aaron[i], ac munus deuitare, præsertim si vrget necessitas, non caret reprehensione, vt ipsum sibi refugienti respondisse Petrum scribit Clemens[k], & de seipso Mosem, ac de fratre Iosephus[l], quando se apud inuidos purgabant, Coritas: qua eadem de re Chrysostomus[m] prolixè disserit, Nazianzenus[n], Basilius[o], Athanasius[p], Gregorius[q] etiam Papa, Prosper[r], Augustinus[s], Thomas[t]. Hic ait, meliorem esse intentionem prælationem fugiéntium secundum proprium desiderium, modo ne ex parte hoc onus imponétis adsit necessitas. Quod docuit exemplo factóque confirmauit, cùm Neapolis Episcopatum Pontifex illi offerret, vt produnt Annales ordinis Prædicatorum[u]. In quibus est quoque lectu dignissima Vmberti Generalis V. epistola[x], qua nititur Alberto Magno persuadere, ne Ratisbonensem oblatum Episcopatum admittat. Inter alias rationes illam vrget, quod inuitis onus tantum Pontifices imponere non soleant. Non nego compulsum Albertum Pontificis imperio, & alios. At Gregorius antiquæ suæ deliberationis intentionem professus est esse, ad suscipienda pastoralis curæ onera pro nullius vmquam misceri persona[y]: nec aliquem vmquam ad acceptandum Episcopatum cogere voluit[z].

Ad rem nostram facit dumtaxat vt cui iam incumbit officij, munerísque necessitas, id exequatur volens, libénsque animo liberali, hilari, alacri. Quin autem sit laudabile voto se astringere ad non admittendum Ecclesiasticos magistratus, nisi qui potest imperet, dubitari nequit. Id nostræ societatis professi faciunt, cuius à sede Apostolica institutum approbatum est. Exemplum eius, qui mortuus respondit, se, si fuisset de numero Episcoporum, futurum fuisse de numero damnatorum. Recitatur in regula Monachorum apud Hieronymum[a].

Secundum Deum.] Gregorius[b] videtur hoc referre ad moderationem in cura corporali, & externa: ne propter illam Prælatus, cùm subiectorum inopiam nimis ratiat, se mucrone ambitionis occidat: sed *velut sacerdotes*, quos apud Ezechielem[c] Deus alloquitur, *tondens se attonsus, non radat, vel comam nutriat*, cogitationes carnis de vita subditorum nec à se funditus amputando, nec rursum ad crescendum nimis relaxando. Itaque pascere etiam corpus, sed propter spiritum, erit pascere secundum Deum.

Ceteri exponunt de recta intentione, qua Deus vnus in primis quæratur, quocumque modo pascat quis alios, vel corporaliter, vel spiritualiter: simul etiam vt potissimùm pastus procuretur diuinus, ac spiritualis, neque se ipsum quærat pastor, *aut prædicet, sed Iesum Christum Dominum nostrum, se autem seruum aliorum per Iesum*[d]. Desiderantur in textu Græco, & editione Syra duæ illæ voces *secundum Deum.* pro quibus ponit *spiritualiter.* Tamen in VII. Synodo[e] extant, quæ Græcè scripta est: citátque Typographus Parisiensis[f] quatuor codices, in quibus est κατὰ Θεόν: vt omittam citatum Gregorium, ac præterea Hieronymum[g], & Ephrem[h] Syrum.

Neque turpis lucri gratia.] In Diaconis Paulus[i] cauet *sectatorem turpis lucri*: præterea in Episcopo[k] *cupiditatem eius*: necnon in iis, qui de Circumcisione conuersi docebant *quæ non oportebat turpis lucri gratia*[l]. Hoc argumentum tractaui alibi, exponens Pauli sermonem ad maiores natu Ephesinos[m], necnon disputans de Simonis[n] Magi peccato, quod Simonia nominatur: legique Espencæus[o] potest: septima Synodus[p] hunc vsurpat locum ad idem propositum; vnà cum illo alio Pauli, de quo nunc dixi.

Fictos negotiatores vocare possumus cum eodem Petro nostro epistola sequenti[q], qui lucra seculi in Christi quærũt militia, vt loquitur Hieronymus[r], plusque habent, quàm quando Clerici esse cœperunt, & *suspirat eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos*, denique quibus dici possit, *Cleri eorum non proderunt eis*[s]. In mercenarios istos pastores dici adhuc plura possent, allatis testimoniis Michææ[t], Ieremiæ[u], Esaiæ[x], & aliorum. nec deesset auaritiæ istius exempla permulta in Hæresiarchis, de quibus meminerunt Ignatius[y], Irenæus[z], Augustinus[a], Optatus[b], Eusebius[c], vt æui nostri omittam hæreticos. Sed & reprehensionem prætereo Episcoporum, si quos nunc tales habet Ecclesia, quales Cyprianus[d] reprehendit negotiationis quæstuosæ nundinas aucupantes: esurientibus fratribus, habere argentum largiter volentes: fundos insidiosis fraudibus rapientes: vsuris multiplicantibus fœnus augentes. Haud minores Bernardi[e] querimoniæ, dum expendit sponsæ[f] querimoniam de custodibus ciuitatis, à quibus percussa, & vulnerata est, atque de custodibus murorum, qui tulerunt pallium ipsius. *Quem dabis*, inquit, *mihi de numero præpositorũ, qui non plus inuigilet subditorum vacuandis marsupiis, quam vitiis extirpandis?* &c. Legẽdus item Hilarius[g], & Basilius[h]. Hic Libanio scribenti, *omnem Episcopum rem esse lucro valde intentam*, respondet, *sophistarum genus, in quo erat ille, artis loco ducere, quæstum facere: Episcopos tenui, arctáque facultate obualtari: ex verbis lucrum non aucupari, vel discipulos mercenarios constituere, quod faciebant sophistæ, lucrum sectantes ex verbis: quemadmodum placentas ij, qui melle delectantur.*

Sed voluntariè.] Προθύμως, promptè, propenso animo, Syriace, *ex corde vestro* מִנכֻלֵה לִבְכוֹן *men chulleh leuechun*. Paulus a subditis exigit obedientiam,

a Ionæ 4. & 1. 3.
b vers. 1. *Qui sit melius Episcopatum desiderare, vel fugere.*
c epist. 104.
d Psal. 65. 12.
e in 1. ad Tim. 3. & 2. 2. q. 185. art. 1.
f Gregor. 1. p. past. in princ.
g idem ibidem & Nazianz. in Apolog.
Vt plurimum dignus non est Episcopatu, nisi qui inuitus ordinatur.
h leg. si quemquam. C. de Episcopis.
i Heb. 5. 4. & Exod. 28. 1. 2. Paral. 26. 18.
k ep. 1.
l 4. antiq. c. 2.
m hom. 7. in ep. ad Heb.
n in Apolog.
o in Moral. b. defin. 70.
p ep. ad Drac.
q 1. p. past. c. 6. & 7.
r de vita contempla. c. 28.
s ep. 81. & 104.
t supra, & quodlib. 5. art. 22. ad
u 1. p. lib. 1. cap. 46.
y lib. 2. epist. in 29.
z lib. 4. ep. 1.
Laudabile est se voto adstringere ad nõ suscipiendum Episcopatum.
a Tom. 9. c. 15.
b 2. p. pastor. c. 7.
c cap. 44. 20.
d 2. Cor. 4. 5.
e Can. 4.
f in nouo Testam.
g ep. 2.
h Tom. 2. parænes. 47.
Turpis lucri cupiditas in clericis damnatur.
i 1. Tim. 3. 8.
k Tit. 1. 7.
l ibid. 11.
m Act. 20. 33.
n Act. 8. 19. & seq.
o lib. 2. digr. c. 16. ad 1. epi. ad Tim.
p 2. 4. & refertur 16. q. 1. cap. prædicator.
q c. 2. 3.
r ep. 2. & 3.
s Ier. 12. 13. secundum LXX.
t c. 3. 5.
u c. 6. 13.
x 56. 11.
y ep. 1.
z lib. 1. 2. 1. & 9.
a 1. con. ar. Paulia. cap. 24. 1. con. Cresc. ca. 43.
b con. Parm.
c 5. hist. c. 18. & 7. c. 20.
d ser. 5. de lapsis & de singularita. Cler.
e serm. 77. in Cant.
f Cant. 5. 7.
Prælati mali arguuntur.
g in Psal. 52.
h Ep. 115.

uam, & subiectionem, *vt præpositi qui peruigilant quasi rationem pro animabus eorum reddituri, cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedire* [a] *vobis:* addere potuit, nec præpositis ipsis. Expedit quidem Prælatis, vt gemant pro inobedientia, & peccatis subditorum, vt Samuel pro Saul: [b] Ieremias *pro interfectis filiæ populi sui* [c]: idem Paulus *pro inimicis crucis Christi* [d], & iis, *quos iterũ parturiebat* [e]. Ambrosius, Hugo Gratianopolitanus, Eligius, Dominicus, Eustathius Abbas pro pœnitentibus, quorum dum audiebant peccata, flebant ipsi, vt alias retuli [f]: tamen remittere nihil de cura debent, & de feruore charitatis, certi cumulatiorem inde in Domino lætitiam prouocaturam, vt Basilius [g] docet.

Vers. 3.] Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

Qvi lucra quærit, facile ambit honores, & abuti potestate vult: idcirco rectè post prohibitum lucrorum studium, subditur mentio de cauenda ambitione, vt ex animo, ac serio præeat modestiæ exẽplo, qui præest dignitate, & auctoritate.

Dominantes in cleris.] Κατακυριεύοντες τῶν κλήρων. Significat participium dominium violẽtum cum auctoritate & potẽtia [h]: quali vti solitos reges Gẽtium ait Christus, in cuius sententia habetur eadem Græca vox apud Matthæum [i], & Marcum [k], licet apud Lucam [l] simplex verbum κυριεύειν. Dominium politicũ, & paternú gubernationi Ecclesiasticæ necessarium est, nec obscure iisdem locis indicatum à Christo, cùm dixit: *Vos autem non sic*, videlicet *dominabimini, sed lenius, & facilius*; *quemadmodum ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* [m], *vester tamen dominus, & magister* [n], vt hac ipsa Petri Hieronymus [o] monet sententia, nulẽs quidem absolutè vocari dominos (multò minùs reges,) sed sacerdotes, nec negans tamen esse, ac rite vocari posse, vt exẽplis hic docet Cathusianus, & per se satis constat. Non debet Episcopus dominari si lei subditorum, sed se adiutorem profiteri cum Paulo [p], & seruum per Iesum ministrum, & *dispensatorem* [q]. Acute Bernardus [r] Eugenium Papam his ipsis admonens Petri verbis, iubẽsque vt Petri hæres, Petrum audiat: illud quoque addit, ne vocet Ecclesiam Sarai, sed Sara, hoc est, non Dominam meam, sed Sara [s], id est, absolutè, & simpliciter Dominam, nihil suum absolutè vendicans, nimirum absoluto dominio.

Hoc est, quod prius vidimus [t], *pascere gregem non suum, sed Dei.* Hoc eximiæ in se dilectiqnis diuinus ille, ac summus Pontifex Christus argumentum capit, inquit Dionysius [u], si oues eius modestissima gubernatione pascamus. Perlege epistolam ad Demophilum, & de Carpo narrationem. Christus idem, qui obedientiam imperauit erga magistratus, eos tamen reprehendit, *qui alligãt onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum* [x].

Nulla re, vel signo præpositum indicare dominium illud importunum debere putant Hugo, Thomásque Anglicus indicari per illam particulam vt. Diligi præstat, quàm metui, vt M. Tullius [y] docet, illud damnans:

Oderint, dum metuant.

Nec aliâ magis laude celebrati Moses [z] ac Dauid [a], quã mansuetudinis, vt annotat Ambros. [b]. Huius loci auctoritate Hieronymus [c] pessimæ cõsuetudinis esse probat in quibusdam Ecclesiis, tacere presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut inuideant, aut non dignentur audire. VII. Synodus [d] hunc infert nihil Episcopum exigere à subditis sibi Clericis, aut Monachis debere. Simile quid habetur in Concilio Bracarensi [e]: *Vt nullus Episcoporum per suas diœceses ambulans præter honorem cathedræ suæ, id est, duos solidos aliquid aliud per Ecclesias tollat*: Sed nec parochiales Clerici seruili more in aliquibus operibus Episcopo seruire cogantur [f]. Gratianus colligit Episcopum per flagella non timeri velle oportere, sed vitia corrigere, ac in illis ipsis modum adhibere ne percussor censeatur [g]. Concilium Cabilonense [h] argumentatur multò minùs Archidiaconos super presbyteros damnationem exercere, atque censum exigere posse. *Hortamur, & monemus*, ait Cyprianus [i], *vt peccasse se potius intelligant, & satisfaciat*, &c. *magis enim optamus, & cupimus contumelias singulorum clementi patientia vincere, quàm sacerdotali licentia vendicare.* Leo I. [k] *licet nonnunquam* inquit *accidant in sacerdotalibus reprehendenda personis, plus tamen in corrigendos agat beneuolentia, quã seueritas, cohortatio, quàm commotio, charitas quàm potestas. Sed ab his, qui quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi* [l], *facile ab hac lege disceditur: & dum dominari magis, quàm consulere subditis quærunt, placet honor, inflat superbia, & quod prouisum est ad concordiam, tendit ad noxam.*

Facile & hic esset hæresiarcharum intolerandum fastum commemorare. Idem cõsuli Auctores possunt, quos de auaritia eorumdem produximus. Eusebius [m] certè recitat Antiocheni Concilij de Paulo Samosateno grauissimum testimonium, ad summas diuitias ex pauperrimo peruenisse sacrilegiis fraudibúsque, concurriendo fratres, vendendo patrocinia, *existimantem quæstum esse pietatem* [n]: superbia tanta fuisse, vt ducenarius videri, quàm Episcopus mallet, ac procedens conquireret multitudinem, & præeuntium, & insequentium: tribunal in Ecclesia solito altius erigeret: dicendo plausum quæreret, negantem verò iniuria afficeret; Angelus dici vellet, ac de se ipsu Psalmos cantari, submotis iis, qui erant de Christo, præciperet, &c. Vide quid etiam dicat Lactantius [o] de studio hæreticorum in augendis opibus, & honoribus, de affectatione maximi sacerdotij. Eamdem aliquoties repetit Augustinus [p], & Epiphanius [q].

In cleris.] Hieronymus, Bernardus, Petrus Blesensis, VII. Synodus, quorum postea iuissus proferam testimonia, legunt Clerum numero singulari, necnon Ephrem [r]. Clarior constru ctio fuisset *in cleros*, Κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, vt ostendatur obiectum dominij, non autem gradus, intra quem exerceatur dominium, vel quod est idem, non esse de Clero dominus istos, (etsi de illo debeant esse, si Clerus ordinem distinctum à laicali dicit, qua de re mox) sed ad Clerum pertinere illos, in quos dominium exercetur. Atque in hoc passim conueniunt omnes.

Illud non ita prorsus certum, per Cleros an designetur certus in Ecclesia gradus is, qui Clericalis appellatur, ac iuxta Etymon, de quo diximus in Actibus Apostolorum [s], spectat ad fortem peculiarem Dei, cui proprio quodam titulo dicatus est, quo non ceteri quos laicos quasi populares nominamus: an vniuersus Christi grex, quotque Ecclesiæ sinu comprehenduntur, Clerorum voce intelligi debeant. Oecumenius, omnésque nullo dempto loci huius antiquiores enarratores angustiorem illam Clerorum hic acceptionem, (quæ toties legitur in Canonibus Apo-

stolo

Obedientiæ subditorum erga prælatos qualis esse debeat. a Heb.13.17. b 1.Reg.15.& 16. c Ier.9.1. d Philip 3.18. e Gal.4.19. f Act.20.19 g hom. de gratiar. actio.

h Eze.34. 4. i Mat.20.25. k Mar.10.42. l Luc.22.25. Dominium politicum & paternum gubernationi Ecclesiasticæ necessarium est. m ibid. 27. n Ioan.13.14. o ep. 2. p 2 Cor.1.23. q 1.Cor. 4.1. r epist.237. s Gen.17.15. t vers.2. u epist.8 x Mat.23.4. Diligi præstat quàm metui. y Philip.1. z Num.12.3. a Psal.131.1. b 2.offic.c.7. c ep.2. Presbyteros tacere præsentibus Episcopis non audaces.

d cã. 4. e cã. 2. f dist.45. cap. duæ sunt. g 1.Tim.3.3. Tit.1.7. h c.15. Archidiaconi in presbyteros quomodo gerere se debeant. i lib. 3. epist. 9. k ep.84.c.1. l Philip.2.21. Hæresiarcharum fastus & superbia. m 7.hist. c. 26. n 1.Tim. 6.5. o [illegible] p de [illegible] q hære Arii. r Serm. 2. Paræ. s c.1.20. Cleros an sit certus in Ecclesia gradus.

stolorum, & constitutionibus a Clemente scriptis, & in Conciliis, maximè in Niceno, ac Patribus agnoscunt, & maioribus pastoribus, qui & ipsi continentur in ordine Clericali, præcipi dicunt, vt se modestè cum minoribus gerat. Hieronymus [a] præterea, Bernardus [b], Petrus Blesensis [c], VII. [d] Synodus, Ephrem [e]. Ex recentioribus Caietanus disertè notat se per Cleros non intelligere eos, quos appellamus *Clericos*, sed Christianos omnes ad diuinam sortem asscitos. Vatablus quoque sumit pro gregibus, qui velut sorte, gubernandi obtigerunt, id est, Christianos, qui Deo velut sorte obuenerunt. Non displicet id Emmanueli Sa. Innuunt etiam, qui explicant in genere sortem senioribus illis creditam, vt Titelmanus: hæreditatem Domini, vt Gagneius fauet. Eodémque sensit modo Iansenius explanans Psalmi 67. [f] verba, *si dormiatis inter medios cleros*, & in commentario præsentis loci Estius, qui post nos prodiit, & nostri quandoque meminit; citat verò pro hac sententia Erasmum. Sine dubio in Syrorum versione nomen מרעיתא *marhhitha*, gregem significans, & quod ibidem subiicitur, intelligendo de hoc eodem grege: *sed vt sitis illis bonum exemplar*, videlicet subditis omnibus. Vnde ratio quoque peti potest: cùm enim causam Petrus affert, vt *fiat forma gregis non dominando in Cleris*, hæc accepisse tamquam Synonyma videtur. Cyrillus [g] profectò Alexandrinus amplexus est sensum istum: nam scribit vocatis ad Episcopatum, & ascitis ad functionem docendi eos ratione præditas, Petrum scripsisse, vt non dominarentur Cleto, id est, in quit, *populo, qui sors Domini est*.

Potest omnis populus Christianus Clerus Dei, atque Christi, & vicarij eius dici, quemadmodum & sors *pars*, *ac hæreditas*: sicut & capite secundo [h] dicebatur *populus acquisitionis*, imò *& regale sacerdotium*: tamen peculiari quadam ratione id, & nomen quo significatur, conuenit illis, qui sunt peculiariter diuino cultui mancipati, & quorum vicissim Deus peculiariter est sors, pars, hæreditas, vt, cum initiantur, profiteri solent illis Psalmi [i] verbis: *Dominus pars hæreditatis meæ*, &c. notátque Hieronymus [k]. Hæretici, vt sunt ipsi inordinatissimi, sic omnem in Ecclesiis ordinem oderunt, nomenque ipsum Clericorum exsecrantur, vt Lutherus [l], atque Caluinus [m] dicentes *impiâ traductione, praua affectione, imperitia, ac errore factum esse, vt ea Ecclesiasticis ministris appellatio tribueretur, atque optandum, numquam Patribus venisse in mentem, vt hac voce vterentur*. Sed eum ne tem quidem ipsam omnino negent, aut negare etiam possint, de ministrorum aliqua distinctione, & ordine, (licet nolint fateri ad sacramentum pertinere) aliqui timere hiatum terræ deberent, quo simili de causa Dathan, & Abiron absorpti sunt [n], quod contra Dei ministros dixissent [o]. *Omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: cur eleuamini super populum Domini?* quid contendunt de voce, quæ tanto consensu, atque tam diu recepta est? Porrò paucis recentioribus, vel editioni Syriacæ, vel etiam Cyrillo in præsentis loci declaratione, plurium communis præualere sententia debet, atque ne vel hac etiam in re faueamus hæreticis, & Auctori quoque Thesauri linguæ Græcæ hæretico, qui sic Petrum hoc loco interpretantur abstinere nos oportet à priore interpretatione.

Facilius erat, vt inferiores Ecclesiastici ministri, vtpote magis subiecti, malè tractarentur à Prælatis, quàm laici, propterea Prælatos Petrus hortatur ad moderationem erga illos. Inde autem fit, vt forma sint Prælati gregis, simúlque inferiores ministri, quoniam laici promptiores se ad parendum vtrisque exhibent, quando aptè conueni‑re inter illos vident. Exemplum præterea sumunt politici regiminis bene administrandi. Quę vna optima ratio est, tum eius & Ecclesiasticos ditionem, iurisdictionémque temporalem habere aliquam voluerit Deus: & Pontificem in vrbe peculiarem Episcopatus sui sedem, vt minores Episcopi in regendis diœcesibus, & domini temporales in gubernatione politica sibi proponant, quos imitentur. Alibi [p] demonstraui quantùm Principes seculares iudiciis Episcoporum detulerint in causis quoque ciuilibus, ita vt nullam ab iis appellationem, prouocationémve permitterent, nempe propter opinionem summæ æquitatis, non solùm propter reuerentiam dignitatis. Probus prætorij præfectus cum Ambrosium ad gubernandum mitteret Insubriam, Liguriam, Æmiliam, ei dixit, non sine quodam, etsi nimimè sibi perspecto vaticinio: *Vade, age, non vt iudex, sed vt Episcopus* [q]: nimirum optabat vt cum iustitia æquitatem, clementiámque coniungeret, more, ac ritu Episcoporum. Audiant postremò Tertullianum [r] hæretici scriptorum Latinorum qui extent, antiquissimum: *Cum extollimur, & inflamur, aduersus Clerum* (id hæretici faciunt) *tunc vnũ omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo, & Patri fecit* [s]: *Nulla* (inquit Lutherus [t],) *in populo Christiano differentia personarum, nullus Clericus, nullus laicus, nullus vnctus, nullus rasus, nullus monachus esse debet cum ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis prouocamur, deponimus infulas, & impares sumus*. Probabile est Petrum in Clerorum vocabulo alludere voluisse ad Leuitas Testamenti veteris, *qui dicuntur esse de sorte Domini* [u], *& Dominus vicissim sors, ac hæreditas illorum, quoniam donauit illis quodammodo partem suam*, nempe decimas, & oblationes filiorum Israel: quamuis interdum populus [x] totus appelletur hæreditas Domini, quòd eum ex Ægypto liberauerit, & veluti redemerit. Nimis angustè Suidas [y] κλῆρον accepit pro cœtu presbyterorum, & Diaconorum: nisi per Diaconos voluit intelligere omnes inferiores ministros Lege Bellarminum [z], Valentiam [a], Ioannem [b] Ferdinandum.

Sed forma facti gregis ex animo.] Ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τῷ ποιμνίῳ *formæ, vel typi, & exemplaria*. Bonum exemplar Syrus vertit: דמותא שפירתא *demutha sapphyrta*. Omisit *ex animo* sicut & textus Græcus, & Ephrem [c], VII. Synodus [d], & Bernardus [e]. Quidam codices Latini legunt plurali numero *formæ*, & illi alij, quos modò dixi, dempto Bernardo. Hieronymus [f] legit *ex animo*, & Idacrus [g]. Paulus [h] exigit à Timotheo, vt sit *exemplũ* τῶν *fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate*: & à Tito [i], *vt in omnibus seipsum præbeat exemplum* τύπον *bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate*, ipsemet prouocat Philippenses [k] vt ipsum imitentur, & alios iuxta *formam, ỹ*(?) *nos quam in ipso habebant*. Scribit quoque Thessalonicensibus [l] seipsos illis dedisse formam τύπον ad imitandum: laudat etiam [m], quod imitati ipsũ, & Dominum, *facti fuerant forma*, τύποι *forma* in plurali *omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia*. Bernardus [n] canticum quoddam suum Eugenio Papæ tecitat minus quidem suaue, sed salutare.

Monstruosa res gradus summus, & animus infimus,

Sedes

a cp. 2 & To. 9. ep. 13. Per cleros quidã omnes Christianos intelligunt. b epist. 237 & a. de consid. c. 5. c Opusc. de Pœnit. inuoegenda. d Can. 4. e supra. f vers. 14. g lib. 1. in Eli. orat. 4. Christianus omnis clerus dici potest. h vers. 9. i Psal. 15. 5. k ep. 2. Hæretici odiũt nomen clericorũ. l lib. de abro. Missæ priuatæ. m 4. insti. c. 4 §. 9. & in Com. huius loci. n Num. 16. 30. 31. o Ibid. 3. Per cleros hic & clesia monstra(?) sunt intelligibi.

p in Actibus Apost. Probus ad Ambrosium dictum quasi vaticiniũ. q Paul. in vita. r de Monog. c. 7. s Apoc. 1. 6. & c. 5. t in c. 1(?). t de Capt. Petrus clero vocationis ad Leu. itas allusit. u Num. 18. 20. Deut. 18. 2. x Psal. 105. 40. & aliis. y verbo κλῆρος. z lib. 1. de clericis c. 1. a Tom. 4. disp. 9. q. 1 pun. 4. b in Thes. Eccl. c. 101. c supra. d supra. e ep. 237. f ep. 2. g con. Varim. h 1. Tim. 4. 12. i c. 2. 7. k Philip. 3. 17. l 2. ep. 3. 9. m 1. ep. 1. 6. 7. n 2. de consi. c. 7. Bernardi carmen minus suaue sed salutare.

Sedes prima, & vita ima:
Lingua magniloqua, & vita otiosa:
Sermo multus, & fructus nullus:
Vultus grauis, & actus leuis.
Ingens auctoritas, & nutans stabilitas.

Idem de Romano loquens Clero, scribit ad eumdem Eugenium [a], *Clerum illum ordinatissimum esse debere ex quo præcipuè in omnem Ecclesiam Cleri forma processit.* Ambrosius [b] quidem profitetur se Romanæ Ecclesię in omnibus typum sequi & formam, simul tamen confitens se nonnullos secutum quos non illa.

Eryngion pusillam herbam si vna capra in os sumat, illa, omnisque grex consistit, quousque caprarius eximat ex ore: sic, Plutarchus [c] ait, *si quis infundat virtutem magistratui, multis profuturum per vnum, & ab incepto cursu reuocaturum.* Quando miles vulnerauit Annibalis iussu auriculam elephanti, & nando fugit, elephantus illum persecutus est, & hunc alij consecuti: qui omnes ante traiicere flumen noluerant.

Vidimus iampridem quale Christus ediderit exemplum omnibus quidem commune, sed pastoribus certè maximè proprium. *Ecclesiarum principes*, ait Origenes [d], *imitari debent Christum accessibilem, & mulieribus [e] loquentem, & pueris manus imponentem [f], & discipulis pedes lauantem [g], vt ipsi similiter faciant fratribus.* Nos autem tales sumus, vt etiam Principum mundi excedere videamur superbiam, vel non intelligentes, vel contemnentes mandatum Christi; & quærimus sicut reges acies præcedentes; & terribiles nos, & accessu difficiles maximè pauperibus exhibemus. Hæc ille vitium damnans, non ea, quæ ad tuendam dignitatem gradus, etiam exterius rectè adhibentur, vt alibi docui.

Nihil est turpius, ait Saluianus [h], Episcoporum, vt eum vocat Gennadius [i], magister, quam excellentem esse quemlibet culmine, & despicabilem vilitate. Appellat etiam Principatum sine meritis, honoris titulum sine honore, dignitatem in indigno, ornamentum in luto. Ab humero sursum, ac multò magis eminere super populum debere, rectorem spiritualem, Gregorius [k], & Chrysostomus [l] docent, quàm Saül regem [m]. Nimis absurdum esse scribit Athalaricus Felici quæstori apud Cassiodorum [n], portare nomen alienum, & aliud dici, quàm possit in moribus inueniri. Tritum quoque illud in formula consulatus: Nomen tuum actionibus proba.

Basilius [o] tradit requiri antè omnia in Prælato, iuxta citatũ locum Pauli, vt se præbeat exemplum bonorum operum euidentissimum, ne subditis vel occasionem det contemnendi præcepta Domini, vel arbitrandi eiusmodi esse, quæ nemo assequi possit. Commẽdat verò potissimùm Christi [p] exemplo, & Pauli [q], eximiam humilitatem, ac mansuetudinem. Talem Isidorus Pelusiota [r] ait loqui ad cor Ierusalem [s], foliis doctrinæ abũdare, & virtutum fructibus contra calumniatores, & hæreticos [t].

Comparat item [u] cum literis aptissimè à scriba formatis, ac tironi ad discendum propositis, aut cum elegantissima imagine. Nyssenus [x] adhibet etiam exemplum pictoris, cui pingenda iniungatur iis, qui procul habitant, imago regis, & quod pinxerit deformem, pulchritudo ipsa regis vituperetur inter ignaros. Huc possumus reuocare optimi pastoris Iacob factum, varij coloris virgas in canalibus ponentis ante parituras oues [y].

a lib. 4. c. 8.
b 3. de sacram. c. 1.
Eryngium herbam capra comedente & illa & omnis grex consistit.
c Opus. Quod philosophus debeat cum princip. sermocinari.
d Tract. 12. in Matth.
e Ioan. 4. 5. & seq.
f Mat. 19. 13.
g Ioan. 13. 5. 13. 14.
h l. 2. ad Eccl. *Saluianus Episcoporum magister*
i in Catalog.
k in 1. Reg. c. 9.
l ibid. c. 10. 24.
m 3. de sacerdotio.
n l. 8. Varia. c. 18.
o regula 43. ex fusis.
p Matt. 11. 29.
q 2. Cor. 10. 1.
r lib. 2. ep. 1. & li. 3. ep. 238.
s Isa. 40.
t lib. 2. ep. 235.
u lib. 3. ep. 239.
x Tract. de nomine, & prof. Christ.

Multa sunt in Christi parabola de Pastore [z], quæ huc aptari possunt: illud præsertim, quod præcipit, vt educat oues, ac ante eas vadat regendo tamquam homines, non sicut bestias, & præeundo exemplo, non sequendo, faciendo prius, quàm sequendo, inquit Euthymius [a]. Lex, & regula animata Princeps est. Matrem se vocat Augustinus [b] subditorum suorum, ac prouisorem tum medicamentorum, tum ornamentorum.

Vers. 4.] Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

MAius hoc præmium, quàm Iacob tam diu laborantis in gregibus soceri Laban [c]. Si sic laborat, & vigilat, qui pauit oues Laban, ait Gregorius [d], quanto labori, quantisque vigiliis debet intendere, qui pascit oues Dei? *Qui erudierint alios ad iustitiam, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates [e]: intrabunt in gaudium Domini [f], & super omnia bona ipsius constituentur, fideles serui, prudentésque, qui familiæ hic dominicæ curam fideliter gesserunt [g]*: reddetur illis corona qui eam in re fidem seruauerint [h]: ipsæmet bene rectæ oues *spes sunt, gaudium, & corona gloriæ ante Dominum Iesum Christum in aduentu [i] eius.*

De corona glorię immarcescibili ἀμαράντινον dixi capite primo [k], vbi hæreditas eodem epitheto, & altero ἀμιάντου cognominabatur. In VII. Synodo [l] exponitur hæc gloriæ corona, quæ nec corrumpi nec marcescere possit.

De vocabulo Pastoris, prout de Christo dicitur, egi capite secundo [m]. Princeps pastorum est, inquit Arias, iure, munere, exemplo, qui dedit animam suam pro ouibus [n]. Ex isto nomine, quod etiam de Patre dicitur alibi [o], etsi Latinè in vulgata est Dominus, & de Spiritu sancto profert Idacius [q], Filium Deum esse. Ephrem [r] legit: *Cum apparuerit princeps pastorum Christus*: hic est quem vocat Deus [s] κατ᾽ ἐξοχὴν, *pastorem vnum, & nomine Dauid appellat, qui de post fœtantes ad pascendum Iacob accersitus est [t]*.

Hugo, & Thomas Anglicus coronam aureolam interpretantur, quæ Doctoribus attribuitur. Sunt quidem apud Paulum [u] iidem pastores, & Doctores, vt placet Hieronymo [x], & Augustino [y], quia oportet *Episcopum esse Doctorem, [z] & potentem exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere [a]*, ac tales Deus pollicetur pastores iuxta cor suum, *qui pascant scientia, & doctrina [b]*, ita vt pastores dici possint rudium, Doctores eruditorum, *quia sunt debitores sapientibus, & insipientibus [c]*. Verùm non arbitror cuiuis docenti, ac etiam prædicanti aureolam decerni, sed qui in eo genere, vel scripto, vel verbo Ecclesiam insigniter illustrarunt, & de diabolo victoriam egregiam reportarunt, eum de cordibus, ac mentibus aliorum, quod in se fuit, ostensa veritate, detectisque fraudibus, & erroribus pellendo, *vt sic legitimè tantùm certans coronetur [d]*. Quemadmodum propter perfectam victoriam mundi, hoc est, principum persecutorum, quam tolerata quis morte consequitur, martyrij aureola coronatur: virgo etiam ob superatam perfectissimo modo carnem. Sicut autem designabatur vtraque martyris aureola per coronam, qua coronabatur altare thymiamatis [e] (errant aliqui vocan-

y Gen. 30. 40.
z Ioan. 10. & seq.
Lex & regula animata Princeps est.
a ibid.
b lib. 50. hom. in 26.
c Gen. 29. 18. & seq.
d lib. 7. ep. in 48.
e Dan. 12. 3.
f Mat. 25. 21. 23.
g Mat. 24. 45.
h 2. ad Tim. 4. 8.
i 1. Thess. 2. 19. 20.
k vers. 4.
l Can. 4.
Christus princeps pastorum est.
m vers. 25.
n Ioan. 10. 11. & seq.
o Iudic. 8. 23.
p Psa. 50. 14.
q con. Varim. l. 1.
r Tom. 2. Paræne. 47.
s Ezech. 34. 23.
t Psa. 77. 70. 1. Reg. 16. 11.
u Eph. 4. 11.
x ibid.
y ep. 59. q. 4.
z 1. Tim. 3. 2.
a Tit. 1. 9.
b Ierem. 3. 15.
c Rom. 1. 14.
Pastores sunt rudium & Doctores eruditorum boni Episcopi.
d 2. Tim. 2. 5.
Tres aureolæ quomodo designata.
e Exo. 30. 3. & 37. 27.

tes

tes holocausti) virginis qua arca: sic doctoris per eam, qua panes propositionis: doctrina enim panis est.

Aureolæ, quam vocant alij Lauteolam, fit mentio a Glossa in Exodo, vbi sermo est de corona aureola: sub nomine autem etiam ferri legimus in epistola, quæ apud Augustinum est ducentesima quinta, est accidentale gaudium ob certas circumstantias, quæ sunt in illustrioribus illis dictis victoriis; & insigni aliqua nota in ipso corpore declararur; qualis aut corona in capite, aut in manu palma, aut quod attinet ad doctores, in fronte, ceu radiantia Mosis cornua, aut in morem stellarum scintillantes splendores, vt indicat Daniel: aut in ore, sicut vitta coccinea. Legantur Scholasticis, & B. Thomas.

Vers. 5. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem inuicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Existimant plures ex Interpretibus institui nunc ætatem minorem quorumlibet, vt subsit ætate grandioribus, vt sicut nomen senior præfectum significat, licet sit ætate minor, ita nomen iunior, aut adolescens, omnem subditum, tametsi ætate maior sit, qua de re satis videor dixisse Commentario in librum Sapientiæ. Probabilis est aliorum sententia, nomine νεώτεροι iuniorum intelligi ordines inferiores, qui dicti sunt paulo ante cleri, in quibus seniores siue Presbyteri, hoc est, Episcopi, dominari non debebent. Istam sententiam innuit Beda, Hugo, Thomas Anglicus, Carthusianus, Titelmanus, dum dicunt sermonem esse de subditis, cum comparatione ad seniores, quorum præcessit mentio: apertè autem tenet Caietanus, volens vocari Presbyteros hoc etiam loco: Arias appellans νεωτέρους, correlatiuum Presbyterorum, & ordinem, non ætatem significare dicens. Salmeron asserens pariter eo nomine νεωτέρους designati simplices Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, &c. Hierarchia tum cœlestis, tum Ecclesiastica constat ordine, & vnum de Sacramentis Ordo dicitur, & religiosi cœtus Ordines appellantur. *Est autẽ Ordo, inferiorum, ac superiorum apta dispositio*, vel finitore Augustino, *parium, dispariumque rerum sua cuique tribuens loca dispositio.* Vetus in hac acceptione Ordinis nomen est. Nam Tertullianus ait quod differentiam inter Ordinem, & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis concessum sanctificatus est à Deo Græci τάξιν Ordinem etiam hunc, de quo loquimur, vocant. Vnde rectè hoc loco vsurpat Petrus verbum ὑποτάγητε, quod Interpres reddit, (subditi estote, licet postea extendatur ad omnes. Ordinem Hierarchicum innuunt vltima verba capitis decimiquarti prioris ad Corinthios epistolæ: *Omnia autem honestè, & secundum ordinem fiant in vobis:* nam ibi sermo est de docendo in Ecclesia: Πάντα εὐσχημόνως (inquit) καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω.

Obstat nonnihil adolescentiũ nomen, quod ætatem per se denotat, ita vt exemplum aliud assignari non videatur posse, in quo inferiores Ordines significet, sicut potest de seniorum, seu Presbyterorum vocabulo. Nihilominus propter adductã, significationem huiusmodi pati videtur posse Græca dictio, quemadmodum Interpres apud Lucam vertit νεώτερον minoré: ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, γινέσθω ὡς ὁ νεώτερος: *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor.* Immo M. Tullium refert Auctor Thesauri Græci, quod Plato dixit ἄρχειν τὸν πρεσβύτερον, τὸν δὲ νεώτερον interpretatum *minores parere maioribus.*

Ceterùm de Latina voce adolescẽtis, quia non occurrit exemplum, ideirco dubito Interpretem ætatis rationem nõ ordinis habuisse. Quamquam credibile videtur minores ætate, ordines quoque minores iussos olim exercere; & in historia Iudicum fit mẽtio de adolescente Leuita. Cùm Paulus præcipit Timotheo, ne seniorẽ (πρεσβύτερον) increpet, sed obsecret vt patrem, Epiphanius argumentatur aduersus Aërium, Episcopum Præsbytero maioré esse. Id si verum esset; nam de ætate cæteri exponunt, quod ibidem subdit iuuenes obsecrandos vt fratres, possemus accipere de minoribus Ordinibus post Presbyterum. Atque ita ex adiunctis per iuuenes, & adolescentes licebit intelligere minores Ordines, qui etiam ætati minori conferri solent.

Porrò vel nomen solum Ordinis per se satis demonstrat, quantam oporteat esse inferiorum ordinum ὑποταγὴν *subiectionẽ* sub maioribus. Lege, si placet, quæ de Diaconis dixi, exponens Actus Apostolicos, quàm sæpè cohibendi, & coërcẽdi fuerint, cùm se cõtra Presbyteros efferrent, immò & Episcopos, quoniam temporalium rerum gerebant curam. Sed nec Leo Papa ferendum censuit, vt Dorus Beneuentatus episcopus aduersus regulas Patrum ausus esset recens ordinatos super alios ante ascitos Presbyteros collocare, nominatimque laudat Paulũ presbyterum de hac re apud se conquestum. Eiusdem generis possent alia proferri exempla, scilicet de Ordine in sedendo, subscribendo, & similibus. Quippe *castrorum acies ordinata Ecclesia est*; & *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*; & *omnia secũdum ordinem.* Paulus *sum præcipit in nobis.* Ignatius in Epistolis crebrò & maiorem in modum commendat istam cleri subordinationem, & subiectionem. Tarsensibus potissimùm ita scribit: *Presbyteri subiecti estote (ὑποτάσσεσθε) Episcopo. Diaconi Presbyteris: populus Presbyteris, & Diaconis. Qui hoc Ordinis decorum seruauerint, pro eorum animabus ego libens meam commutauero (ἀντίψυχος ἐγὼ) & Dominus sit cum ipsis perpetuò.*

Ad Smyrnenses: *Omnia igitur vestra decenti ordine (μετ' εὐταξίας) perficiantur: Laici Diaconis subiiciantur: Diaconi Presbyteris: Presbyteri Episcopo: Episcopus Christo, vt ipse Patri.* Heroni diacono iniungit, vt Episcopo sit subditus. Nepotianum quoque Clericum Hieronymus vult esse subiectum Pontifici suo, & quasi animæ parentem suscipere.

Omnes autem inuicem humilitatẽ insinuate.] Πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι. Alij, ὑποτασσόμενοι τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε (pro quo legitur in Bibliis Regiis, non autem in Complutẽsibus ὑποτασσόμενοι *omnes autem inuicem subordinati, siue subiecti, aut subiicimini, humilitatem vobis infixam habete, vel arctè seu nodis illigatam tenete*, vt exponit Erasmus, & Vatablus, ac priore quoq; modo Clarius: Arias: (*Intra sinum vestrum fouete.*) videlicet non fictam, sed intus habitantem, indéque sese opportunè proferentem. Emmanuel Sà *exhibete* Syriacè, *Induti*, vel circumamicti estote mansuetudine animi vnus erga alium, לבשו ... verbibbattephu ebusaith. Oecumenius τὸ ἐγκομβώσασθαι ait esse ἀντὶ τοῦ ἐνειλήσασθε, ἢ ἐνδύσασθε. Hesychius item is-

κομβώσατο

a Exod. 25. 27. 2 b ibid. 25. 29. 30.
c Exod. 25.
Aureola quid sit.
d Exod. 34. 30.
e cap. 12. 3.
f Cant. 4. 3. g 4. dist. 49. h ibidem, & Quodlib. 5. quæst. 12.
Quis sit hic adolescentes quis insinuatur.
i cap. 4.
Ordo quid sit.
k 19 de Ciuit. cap. 13.
l de exhort. ad castit. c. 5.
Adolescens hic ordinem minorem designat.
m cap. 22. 26.
n cap. 17. 7. & cap. 18. 3. o 1. Tim. 5. p Hæresi 75.
Inferiores ordinis habentes quantum superioribus ordinibus deferre debeant.
q c. 6. 3. & seq.
r epist. 5.
s Cant. 6. 3. t Rom. 13. 1. u 1. Cor. 14. vlt.
x epist. 7. *Inferiorum ordinum ad superiores subiectio commendatur.*
y epist. 10.
z ep. 13.
a epist. 2.
b in Lexico.

κομβωθεὶς exponit *δεθεὶς*, & *ἐγκεκόμβωται* pro *ἐνείλωται*, quæ significât *illigationem, inuolutionem, circũdationem per modum cinctus, aut indumenti.* Vnde & vestimenti genus Polluci [a] est *ἐγκόμβωμα*, quod ait *ἐπιρρεῖσθαι τῇ τῶν δούλων ἐξωμίδι, καὶ ἱμάτιον τι λευκὸν εἶναι*, & nominari quoque *ἐμβάλλεμα*, hoc est, *adiacere seruorum tunicæ, quæ breuior est, substricta citra humeros desistens*, de qua Gellius [b], *& palliolum quoddam album esse.* Suidas de simplicibus *κόμβος*, & *κόμβωμα*, idem ferè scribit esse certum genus amictus, & ornamenti, & *σύνδεσμα*.

Suspicor Petrum bene memorem illius *ἀρχιποιμένος* & pastorum principis demississimæ humilitatis, cùm linteo præcinctus tamquam seruulus abiecit se ad lauandos Discipulorum pedes, quod adeò tunc ipse cohorruit, & enixè recusauit [c], eò nunc respexisse, atque illud in memoriam reuocare voluisse Christi eiusdem salubre monitum [d]. (*Et vos debetis alter alterius lauare pedes*) ne summos quidem Principes, & Prælatos excipiens. Paulò antè fuerat altercatio de primatu inter Discipulos [e] idcirco tali pharmaco curanda fuit: & à Petro inchoandum, quia Vicarius Christi potissimum docendus humilitatem: & cùm detrectaret, Diabolo forsan tam vtile documentum impedire volente: & quia si loti non fuissent Petro [f] pedes, alij recusassent, indignatus, & comminatus est Christus, nisi lauari se sineret. Id si res quidem ferat, sæpius fieri debebit; at fit ritu solemni feria quinta Cœnæ Domini etiam à Pontifice, ab Imperatore, ab aliis, qui ciuiliter, & Ecclesiasticè super ceteros eminent. Meminit de Imperatore Curopalata [g]. De mandato lotionis pedum egregie Rupertus [h]: *Dum ergo*, inquit, *Prælati subditis suis hac die pedes lauant, dum cibum reuerenter porrigunt, petuntq; misceant, perit auctoritas dominandi, totumque, regum Gentium [i], & eorum, qui potestatem habentes benefici vocari affectant, deprimitur in ipsis supercilium.* Legendus præterea Albinus [k], Amalarius [l], Iuo Carnotensis [m], & Pontificale Romanum, & Cæremoniale Episcoporum, atque Missale.

Itaque Petrus optat, vt omnes insinuent humilitatem, hoc est, iuxta modò traditum sensum, sinum, ac se totos illa veluti cingant, & circumuestiant. Simili dicendi forma Sacerdotes indui iustitiam [n] legimus, alios virtute [o], armis lucis [p], Christo ipso [q], visceribus misericordiæ, benignitate, humilitate, modestia, patientia [r], Christum variis virtutibus [s]. Quæ omnia denotant coniunctionem, ornamentum, exemplum ab huiusmodi qualitatibus, quas habituum quoq; nomine appellant.

Inuicem humilitatem insinuare, erit etiam ipso exemplo, atq; officiis humilitatis prouocare se ad similes actiones humilitatis, ac veluti alteri vestem humilitatis inicere, aut in sinum alterius indere; aut omnem captare occasionem primas alteri partes deferendi, atque, vt solent, qui diffidunt causæ, difficilémve suscipiunt non simplici, sed insinuationis exordio vti, certare cum alio humilitate pia quadam arte, & fraude. Non mala coniectura interpretem nostrum legisse *ἐγκολπώσασθε* à *κόλπος*, qui est sinus. Testatur ita se legisse scholiastes Ephrem, Geraldus Vossius [t]. Significat id verbum propriè insinuare.

Quocirca nimis angusta expositio Glossæ interlinearia, *insinuate*, id est, *in sinu habete*; nisi addamus cum Hugone, denotari, promptam, ac paratã esse debere, vt quæ habemus in sinu, ex charitatis calore prodeuntẽ, vt sunt calida, quæ intra sinũ gestãtur: ex intima sui met ipsius cognitione manantẽ, vt extracta de sino Mosis man⁹ leprosa fuit [u]. Adde ex intimo cordis affectu, & non fictè, atque adeò manifestè, ac efficaciter, vt alterius animi sinum subeat, & penetret, & inuito etiã ingeratur.

Per humilitatem.] Paulus [x] admonet, *vt omnes inuicem alios sibi superiores arbitrentur.* nam qui præstat dignitate, piè, ac tutò existimare potest subditos virtute, atque gratia superiores esse. In quibus verbis notat Gregorius [y], *ne dum se alij alter humiliat, humiliatio trat alteri in elationem, bene vtramque partem admonuisse, vt in cogitationibus cordis & ego mihi illum præferam, & vicissim ille me sibi: vt cum ab vtraque parte cor inferius premitur, nullus ex impenso honore subleuetur.*

Verus quidem humilis non requirit humilitatis in alio aduersus se signa: difficile tamen, vbi non respondet alter, adducitur alius vt se humiliter cum illo gerat, etiam si alter ille dignitate antecellat. Quo pertinet illud, quod Hieronymus [z] affert ex Domitio oratore, vt persuadeat ab Episcopis Clericos honorari debere quasi Clericos, vt & ipsis à Clericis quasi Episcopis honor deferatur: *Cur ego te habeam vt Principem, cum tu me non habeas, vt senatorem?*

Legendi de mutua ista humilitate, ac præsertim erga illos, qui videntur inferiores, Nouatus [a], Dorotheus [b], Gregorius [c], Hieronymus [d], Augustinus [e], Chrysostomus [f]. Hi simul docent cuiq; de alio, quàm de seipso melius sentiẽdum, quamuis in aliis rebus externis præstet ipse; qua de re præterea Cassianus [g]. *Charitas quidem operit multitudinem peccatorum* [h], etiam alienorum, vt ante vidimus: at excellit in hoc humilitas quodammodo, quòd ne illa quidem videat. Charitas facit, vt amem proximum, sicut meipsum, & excusem illum, vt me soleo: humilitas vt superiorem me alium putem, & meliorem. Hac de re sermonem alias proprium instituimus.

Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.] Eandem sententiam Iacobus [i] recitat, sumptáque videtur ex libro Prouerbiorum [k], vbi noster Interpres Latinè scripsit: *Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.* Quæ lectio congruit cum textu Hebræo, & Chaldæo, sicut præsens editioni LXX. Interpretum. Superbi sunt iidem illusores, ac derisores, quia & rectè monentes rident, & quoslibet alios præ se contemnunt: humiles quoque mansueti solent esse.

Affinis item Psalmi sententia [l]: *Populum humilem saluum facies; & oculos superborum humiliabis:* & Iudith [m]: *Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed superborum, & humilium semper tibi placuit deprecatio:* (posteriori membro simile illud ex alio Psalmo [n]: *Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum:*) & Christiparæ [o]: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles:* (de qua sententia à superbo Principe irrisa, & abradi iussa, perinde ac si falsa, nec in se locum habere posse, iucundam simul flebilémque narrat Antoninus [p] historiam) & Ecclesiastici [q]: *Sedes ducum superborum euertit, & sedere fecit mites pro eis:* & Christi [r], *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

De hac quoq; sententia refert Petrus Damianus [s] exemplum terribile Clerici, qui, dum in Missa legeretur, irrisit, fastúque plenus, & nimia bellicæ facultatis fiducia, in ipso conflictu periit. Infinitis aliis vtriusque generis exem-

plis,

a lib. 4. c. 18.
b lib. 7. c. 12.
Petrus ad lotionem pedum per Christum facta ludit.
c Ioan. 13. 4. & seq.
d ibid. 14.
e Lucæ 22. 24. & seq.
f Ioan. 13. 6. 7.
Lotio pedum in cœna Domini à præcipuis viris, si ritu solitam Ecclesiasticâ quam peculiaribus.
g lib. de Offic. aulæ Palatij Constantin. pag. 1. 2.
h 5. de diuin. Offic. cap. 20. 21. 22.
i Lucæ 22. 25.
k de diuin. Offic. c. de cœna Domini.
l lib. 1. de Eccl. offic. c. 12.
m ser. de cœna Domini.
n Psal. 131. 9.
o Luc. 24. 49.
p Rom. 13. 12.
q ibid. 14.
r Coloss. 3. 8.
s Isaiæ 59. 17.
Humilitatẽ insinuare quid sit.
t tom. 2. Ephr. Paræn. 55.
u Exod. 4. 6. 7.
x Philip. 2. 3.
Quomodo superior humilitate subditos præferre possit.
y 34. Moral. c. 16. vel 17.
z ep. 2.
a de humilit. tom. 2. Bibl. vet. Patrum.
b Doct. 2. & 6.
c 34. Moral. c. 17. & hom. 34. in Euang.
d in Regula Monacho.
e in Regula.
f Hom. 58. ad popul. & hom. de Dauid. & Saul. & homil. 5. in ep. ad Philip.
g 5. instit. c. 30. & Col. at. 2. cap. 13.
Humilitas quodammodo excedit caritatem.
h cap. 4. huius epist. vers. 8. Prou. 10. 12.
i cap. 4. 6.
k cap. 3. 34.
l Psal. 17. 28.
m cap. 9. 16.
n Psal. 101. 18.
o Luc. 1. 52.
p 3. par. summ. Theolo. Tit. 4. cap. 3. fol. 136. col. 4.
q cap. 10. 17.
Exempla humilium, quos Deus extulit, & superborum quos deprêssit vbi habentur.
r Lucæ 14. 11. cap. 18. 14. Matt. 23. 12.
s ep. 14. c. p. 6. tom. 2. Bibliot. Patrum.

plia,& humilium,quibus gratiam dedit Deus, & superborum,quibus restitit, confirmare sententiam istam possumus, depromptis ea omni historia sacra,Ecclesiastica,profana,ciuili, nec res alia pluribus comprobata Patrum testimoniis.

Notandum cum Chrysostomo [a], quod non simpliciter dictum est: *Deus superbos dimittit, & in peccatis deserit, suóque nudat auxilio, sed resistit, & aduersatur* ἀντιτάσσεται, quasi in oppositum bene disposita acie,) *non quod instructa acie*, inquit, *aut pugna Deo sit opus, cum superbo nihil sit infirmius, vtpote quia oculis orbatus est, quibus videat Deum, & omnium expositus iniuriæ*:Deo autem quamlibet superbus validus,ac potens esset voluntas, sufficiat ad inuertenda omnia.Resistit ergo, vt vehemens odium declararet erga superbum.

Gregorius [b] de sapientibus, & prudentibus propria opinione accipit locum istum, à quibus abscondat Deus mysteria sua [c]. Ambrosius [d] obseruat Paulum [e] exaggerare grauitatem superbiæ, qua preditus est Hæreticus propter grauia peccata,quæ oriuntur inde,nimirum inuidias, contentiones,blasphemias,suspiciones malas, conflictationes. Cùm attulisset etiam nostrum ex Diaboli superbia delictum natum superbiæ, subdit: *Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod à Deo capit iniuriam? Ideoque Scriptura dicit: Dominus superbis resistit. Tanquam sua contumelia propulsator, veluti quoddam suscepit aduersus superbiam speciale certamen.* Tanquam dicat:Meus iste aduersarius est,qui me lacessit:mihi debetur ista congressio. Ad hunc ille modum. *Summos fulgura feriunt montes* [f] *: duras res frangunt fulmina : humilibus ac mollibus non nocent.* Rubus igni non absumebatur [g]: at symbolum erat delendos Ægyptios: quemadmodum & ignẽ super Discipulos Christi linguæ [h], præsagiebant incendium Ierosolymorum,cùm & visio Mosem, & linguæ recrearent eosdem Discipulos. *Excelsus Dominus humilia respicit, & alta à longè cognoscit* [i]; cúmque *ascẽdit homo ad cor altum,exaltatur Deus* [k], *arrogantiam & superbiam detestans* [l]. Superbum Luciferum, inito Deus per Michaelem prœlio, deiecit de cœlo [m]: paradisi aditum armato prohibuit primis parentibus Cherubim [n]. Quid referam superbos Gigantes, quid Pharaones,quid Nabuchodonosores? sed exemplis parcere velle dixi: nec vllum afferam de humilibus gratiam consecutis.

Nemo restitit Deo, (quod superbus facit) *& pacem habuit* [o]: sed *nec eius iræ, quisquam resistere potest* [p] *aut valeat* [q]. Loquitur per se tamen Petrus de subditis qui non obtemperant superioribus. vt obseruauit etiam Ignatius [r] citans de his locum istum.

Superbis.] Ὑπερηφάνοις. Iam monui pro superbis in libro Prouerbiorum [s] illusores poni seu derisores לצים *letsim. Ipse deludet illusores* יליץ *ialits*, Chaldæe propellet נִסְחוּף *nischuph. Illudere*, resistere est ac propellere: nihil enim adeo displicet superbo,quàm illudi. Frementes gentes, populos meditantes inania,reges ac Principes conspirantes contra Deum & Christum habitãs ipse in cœlis irridet,& subsannat [t],facillimè puniendo atq; veluti per iocum & hominibus irridẽdos proponens, vt in bestiæ euadens formam Nabuchodonosor documentũ fuit [u],& is,de quo dixi scribere Antoninũ [x]. *Væ qui prædaris*,inquit Esaias [y],*nónne & ipse prædaberis? & qui spernis,nónne & ipse sperneris? cùm consummaueris deprædationem, deprædaberis: cùm fatigatus desieris contemnere,contemnêris.*

a homil. 3. de verb. Esaiæ. b in 1.Reg.c.9. c Matt.11. 25. d in Psal.118. octon.7. e 1.Tim.6.4.5. f Horat.libr. 2. Carm. ode 10. g Exod.3.2.3. h Act.2.3. i Psal.137.6. k Psal.63.8. l Prou.8.13. m Apoc. 12.7. & seq. Esaiæ 14.12. & seqq. Ezech. 28. 16. & seq. n Gen.3.24. o Iob.9.4. p ibidem 13. q cap.41.2. r epist. 14. ad Ephes. s cap.3.34. *Illudere est resistere, ac propellere.* t Psal.2.4. u Dan. 4.30. x 1.part. summæ Theolog. Tit.3.c.2 pag. 3.c.2.pag.136. col.4. y cap.33.1.

Nomen Hebræum ליץ *lets* significat superbum, quique nullius acquiescit monitis,&ta ideo deprauatum,vt pestilentia videatur. Sic in Psalmo primo [a] cathedra pestilentiæ λοιμῶν, Hebraicè לצים *letsim*, vt etiam notauimus ad caput XXIV [a]. historiæ Apostolicæ,vbi Paulus homo pestifer appellatur, ἀνὴρ λοιμὸς, vt & alij in historia Machabæa [b]. Rectè annotauit Ribera [b] noster,Interpretes LXX. eandem illam dictionem, quod multiplicem contineat malitiam,reddere variis modis, nunc ἀκόλαστον [d],nunc κακὸν [e],nunc ὑπερήφανον [f], nunc λοιμὸν [g],& sunt sanè superbi ad plurima vitia proni,sicut & superbia omnis initium peccati est [h].Vnde in Psalmo [i] reperimus peccatores oppositos mansuetis. *Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram.* Nihilo minus de proprio superbię peccato Petrus locum istum videtur protulisse,humilibus opponens superbos.

Humilibus.] Ταπεινοῖς. Citato loco prouerbiorum [k],vnde hic sumptus est locus,Hebraica vox est ענוים *hhanauim*,cui similis Chaldæa ענוני *hhinuane*,significántque mansuetos mites,& humiles. Credit autem Ribera [l] paulò ante citatus, ex hac vna magna virtute humilitatis ceteras omnes intelligi, vt præterea cum Sophonias [m] scribit: *Quærite Dominum omnes mansueti terræ*: & Psalmographus,tum allato prius psalmo,tum in alio [n]. *Diriges mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas*, & Esaias [o]: *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ*, quibus locis sunt dicta nomina Græcũ,& Hebręum: & humiles, mitis, mansueti videntur designarę omni exultos virtute,peccatoribus, vt diximus. oppositos.Colligit idem Auctor contra Erasmum (adde Maldonatum,Toletum,Sà,Vatablum,Ianseuium, Caietanum, Clarium, Theophylactum, Euthymium [p],Catenam Gręcam adiũctam Psalmis Theodoreti, Bernardum [q], nonnullósque alios(in Cantico [r] Mariæ humilitatem Gręcè ταπείνωσιν) sumi pro virtute humilitatis, quemadmodum cùm Christus dixit [s]: *Quicumque humiliauerit se(ταπεινώσῃ ἑαυτὸν,sicut paruulus iste*, &c. de virtute intellexit. Vult præterea tertiam beatitudinem [t],*Beati* mites,esse de humilibus:primam [u]. *Beati pauperes spiritu*, de iis, qui sunt sponte pauperes. Quidquid sit de beatitudinibus,in quibus modò non dissentio, dubitari nequit, per ταπείνωσιν,ταπεινὸν, ταπεινοῦν, denotari veram submissionem animi,quæ nomine recepto humilitas appellatur,non solum per ταπεινοφροσύνην,vt multis docẽre possum exemplis, præcipuè Noui Testamẽti.Quamuis & ταπεινοφροσύνην Hieronymus [x] pro vitio interdum sumi notat. Certè cum Christus se ταπεινὸν τῇ καρδίᾳ nominauit [y], *humilem corde*,de perfecta humilitatis virtute locutus est; vt & de mansuetudine, quando se quoque πρᾶον appellauit *mitem* [z].

Placet mihi penitus acceptio virtutis humilitatis in hoc loco:nec in cãtico Mariæ non placet cum pluribus, quos citaot, sequuntúrque Canisius [a],Barradius [b],Vegas [c],Salmeron [d],præsertim,ne relinquatur Hæreticis ansa vilem, abiectámque illam ex sua ipsius confessione appellandi [e].Nec verò sic de sua humilitate gloriatur Virgo in se,sed in Domino [f],quem scitet ad reliquorum donorum molem imponendam hoc iacere humilitatis fundamentum voluisse. Non caruit Paulus humilitate, quando se Spiritum Domini habere [g],nec separari à Dei caritate posse [h] scripsit. Dauid [i] etiam suam Deo exposuit mansue-

z vers.1. a vers.5. b 1.Machab.10. 61 c p.15.3.31. c 10 c.7 Oseæ. cum 7 & 8. d Prou 20.1. e Prou 9.7. *Superbi ad plurima vitia proni sunt.* f Prou.3.34. g Psal 1.1. Oseæ 7.10. h Eccl.10.15. i Psal.146 6. k cap.3.34. l Sophon. 2. m cap.2.3. n Psal.24.9. o cap.11.19. p in Lucam c.1. q serm. in Id, signum magnum Apoc.12.1. r Luc.1.48. s Matt.18.4. t Matt.5.5. u ibidem 3. x epist. ad Algasiam.q.10. y Matt.11.29. z ibidem. 2. *Virgo verè se humilem fassa est.* a 4.de Maria. cap 7. b concord. Euang. Tom. 1. lib. 7.ca.13. c Apoca.12. Comment. 2. sect. 13. d Tom. 3.tract. 12. e Luc.1.48. f 2.Cor.10. 17. g 1.Cor.7 40. h Rom.8. 35. 39. i Psal.131.1.

tudinem, iustitiam, ac innocentiam [a], vt omittam Ezechiam [b], & rursus alias Paulus laudes affert [c]. Denique quando respectam à Deo humilitatem suam cecinit Maria, vt nempe mater Dei esset, iam gratia plena erat, & post Deum nihil vniuersitas rerum sublimius habebat. Itaque respexisse significat Deum ad humilitatem, qua se ipsam demittebat, quod verbale nomen *ταπείνωσιν* indicat, importans humiliationem, actum humilitatis, quam de B. Virgine Origenes [d] explicans, ait à Philosophis vocari *ἀτυφίαν, καὶ μετριότητα*. Addit quoque, humilitatis vocabulo illam comprehendere voluisse iustitiam, temperantiam, fortitudinem, sapientiam, demùm alias virtutes.

Dat gratiam] Subiectum maximè capax formæ est id, quod omni nudatū est, ac in pota, vt dicunt, potentia: ibi requiescit spiritus domini [e]: *valles abundant frumento* [f]: *emittit fontes in conuallibus* [g]: *humilia Deus respicit* [h]. Gratia nullibi nomē suum tuetur magis, quàm in humili, cum is, quidquid detur, vt datum gratis accipit [i], agitque gratias. Infinitam capacitatem humilis & insatiabilem nil explere potest, nisi Deus: ac si dici fas est, nec Deus quidem, quoniam suam humilis semper ad humilitatem, atque vacuitatem descendit. Euadit tamen humilis celsissimus, ac potentissimus, quia nulli nisi Deo subiicit sese, vel propter Deum, quem vnum constituit gloriam, & potentiam suam, vt annotat Gerson [k]: & quia nil superius Deo, qui proximè subiectus est ei, humilitate ipsa exaltatur, vt Augustinus [l] docet, dicens è contrario dum extollitur superbus, deiici, ipsúmque extolli, esse deiici, iuxta illud [m]: *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* Idem dicit Gregorius [n] ex illis Iob verbis [o]: *Qui ponit humiles in sublimi.*

Dat gratiam Deus humili, tum eam, quæ sicut habitus inhabitat, tum qua diligit, & gratum habet. Miratur quodam modo pulchritudinem gressuum in hisce calceamentis Sponsæ [p] sponsus, & rapiunt sandalia ista oculos ipsius [q]: *glorificantes se glorificat Deus* [r]: atqui cùm magna sit potentia Dei solius, *à solis humilibus honoratur* [s]: *Humiliare Deo*, ait Ecclesiastici [t] Auctor, *& expecta manum eius*, id est, dona, & munera, quæ plena dabit manu. *Respexit Deus in orationem humilium, & non spreuit precem eorum* [u]: immò *Humiliantis se oratio nubes penetrabit* [x]: *& qui quo maior est, humiliat se in omnibus, coram Deo inuenit gratiam* [y]. Quantò *humilius Magdalena sedebat*, inquit Augustinus [z], *tantò amplius capiebat: & Centurio quantò humilior* [a], *tantò capacior, tantò plenior* [b]. Ditescit omnium virtutibus, qui virtutes in aliis, non in seipso agnoscit, vt ille Bernardi monachus, qui triginta notauerat in Monachis, nullam in seipso [c]. Eundem legas de hoc loco toto disserentē [d], & Augustinum [e], Cassianum [f], Clementem Alexandrinum [g], Basilium [h].

Ad extremum, in hoc videtur occupari Deus, quemadmodum Chiloni suscitanti, quid Iuppiter faceret? Æsopus respondit, *vt excelsa deprimat, extollat humilia.* Christus *vnus humiliauit semetipsum* [i], quia nullus humiliare ipsum potuit: non habebat in se causam humiliationis, id est, defectum illum post tantam gloriam, famámque doctrinæ, ac miraculorum tanta passus est, quæ prouidit, & voluit: & eo maior humiliatio, quò ex altiore statu. Solus Christus fuit humilis corde, id est, non iudicio, quia non iudicabat id necessarium, seu in se caussam esse, vt obseruat Bernardus [k].

a Psal. 7. 9. b Esa. 38. 3. c 2. Cor. 11. 21. & seq. 2. Tim. 4. 7. 8. d Hom. 8. in Lucam. e Esa. 11. 2. f Psal. 64. 14. g Psal. 103. 10. h Psal. 137. 6. i Matth. 10. 8. & alibi. *Infinitam capacitatem humilis gratiae Deum nil explere potest.* k Ser. in Cena Dom. part. 2. consid. 1. l in Ps. 112. ... in Ps. 58. m Psal. 72. 18. n 6. Moral. c. 8. o cap. 5. 11. p Cant. 7. 1. q ... r 1. Reg. 2. 30. s Eccl. 3. 21. t cap. 2. 9. u Psal. 101. 18. x Eccl. 35. 21. y Eccl. 3. 20. z Serm. 27. de verb. Dom. a Matt. 8. 8. b Aug. ser. 74. de tempore. c Bernard. ser. ... d epist. 40. e ser. ... de tempore. f 12. de instit. cap. 6. g ... h Homil. de Humil. *Christus vnus humiliauit semetipsum.* i Philip. 2. 8. *Solus Christus fuit humilis corde.* k Serm. 42. in Cantica.

Vers. 6.] Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.

Magna sponte humiliantis se etiam sub hominibus, aut ab his, cùm humiliatur patiēter ferentis securitas, magnum præmiū. Nam potens est Deus, vt sua illū erigat manu, & extollat, suóque tempore pro diebus, quibus humiliauit eum, lætitia afficiat [l], quoniā *Humilem spiritus suscipiet gloria* [m]: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos, ipse saluabitur* [n]: *Humiles spiritu saluabit Deus* [o]. Penè gemina huic Iacobi sententia [p]: *Humiliamini in conspectu domini, & exaltabit vos.* In conspectu Domini dicit, non nequiter, & plenis interioribus dolo [q]: *multi enim humilitatis speciem habent: veritatem pauci sequuntur*, inquit Hieronymus [r]. Eadem illa potentia Dei persuadet, vt sponte, ac libenter Deo subiiciamus nos non solùm propter præmium exaltationis, & quia de manu omniū qui oderunt [s], & persequuntur nos, manus eius omnipotens liberare nos valet, nec est qui de manu ipsius, ac de velamento manus eius [t] protegentis possit nos eruere: sed quoniam effugi nequit vis potentiæ eius, ac velis, nolis, subdi oportet Deo. *Vsquequo non vis subiici mihi?* (ענות *lhanoth* humiliari) dixit Pharaoni Deus [u], tot plagis exercito. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* inquit Dauid [x] agēs de persecutionib. suis, & Michæas [y] post enumerata Dei beneficia: *Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo excelso.* Id omnes necessariū facturos, pronuntiauit Dei verbis Esaias [z]: *In memetipso iuraui, &c. quia mihi curuabitur omne genu.* Salubre consilium Sapientis [a]: *Deprime cor tuum, & sustine.*

Humiliamini.] Scilicet spōte, vt dixi, humiliate vos, humiliate animas vestras. Quos dicendi modos cùm non rarò de aliis vsurpatos legamus, non arbitror vim faciendam, quando Paulus [b] asserit de Christo, *quòd humiliauit semetipsum*, quasi ceteris id nequeat conuenire. Vnus quidē Christus quia Deus nō habuit, à quo subiici, atq; humiliari posset, hácq; de causa solus humiliauit semetipsū [c]: omnis puta creatura nihilo subiecta, vnde Deus illā excitauit, subiicitur Deo, qui posset in nihilū redigere. Homo præterea propter peccatū, quod est infra nihil, & ob adeo multas calamitates, quibus subiicitur, plurimas, & grauissimas humilitatis causas habet. Christus abiecit seipsum vt homo fieret, atque similitudinem *carnis peccati* [d], *formam serui* [e], peccati, & peccatoris appellationem, pœnásque susciperet. Hæc Christi humiliatio, annihilatio vocatur ibi, & exinanitio *ταπείνωσις, καὶ κένωσις*: præterea egestas [f], vt scilicet essemus, exaltaremur, repleremur, ditaremur. Vnde sicut minuitur Luna, inquit Ambrosius [g], vt elementa repleat, & exinaniuit eam Deus, vt repleat: ita se exinaniuit, vt omnes repleret, exinaniuit se, vt descenderet nobis: descendit nobis, vt adscenderet omnibus.

Sub potenti manu Dei.] Manus per seipsam significat aliquando potentiam, præter alia non nulla, de quibus aliàs [h] diximus. Manum verò potentem dicit, aut veluti extentam, paratámque ad percutiendum, vt Thomæ placet Anglico: aut ad fouēdum. Hugo vtramque ponit causam, nam inde causa, cur humiliari debeamus est, *quia superbis resistit, qui resistunt dexteræ ipsius* [i], & *à fortitudine manus huius defecimus in increpationibus* [k], dum aggrauatur super nos [l]: hinc quoniā super

l Psal. 89. 15. m Prou. 29. 23. n Iob. 22. 29. o Psal. 33. 19. p cap. 4. 10. q Eccl. 19. 23. *Humilitatis speciem multi habent, pauci veritatem.* r epist. ad Celantiam. s Luc. 1. 74. t Psal. 60. 4. Psal. 16. 8. u Exo. 10. 3. x Psal. 61. 2. y cap. 6. 6. z cap. 45. 23. Rom. 14. 11. a Eccl. 2. 2. b Philip. 2. 8. c Philip. 2. 8. *Omnes creaturæ subiiciuntur Deo, qui posset illam in nihilum redigere.* d Rom. 8. 3. e Philip. 2. 8. f 2. Cor. 8. 9. g 4. Hexa. c. 8. h Act. 4. 28. *Manus cur potens dicatur.* i Psal. 16. k Psal. 38. 11. l Psal. 31. 4.

humiles

humiles est, *mittit manum suam de alto* [a], *& sub umbra manus suæ protegit vos.*

a Psal. 143. 7.
b Esa. 49. 2.

Pendet ex primo sæpe secundum, nec non ex eo, quòd persecutores nostros Deus comprimat. Respexit Petrus tamé præcipuè humilitatis præmium, & exaltationem, de qua statim. Iacobus Vitriaeus [c] post Eucherium, addit manum summi pro Filio Dei, cuius etiam affixæ manus mundum debellauerunt, nósque tanto exemplo ad humilitatem inuitant. Æque mysticum, quod affert de populi Iudæi reprobatione, qué leprosa designauerit manus Mosis [d], & cuius reprobatio timorem incutit, ac humilitatis ansam præbet. Idem est de manu pro legalibus obseruantiis eiusdem populi, quas tam seuerè Deus exigebat, puniebátque. Symbolum auctoritatis, ac potestatis augures interpretati sunt Vespasiano humanam manum subter mensam in triclinio repertã [e], & Galli regum suorum in imaginibus, virgam imponût manui cum manu in Virgæ fastigio.

c sermon. 2. in Dom. 3. post Pentecosten.
d Exo. 4. 6. 7.
Humana manus Symbolum auctoritatis.
e Pitseus li. 33.

Vt vos exaltet.] Ipsamet humilitas exaltatio est, quemadmodum priùs diximus, Christus crucem suam nominauit exaltationem [f], non modò quia ibi altè de terra elatus est, *significans qua morte esset moriturus.* Sed quoniam per crucem exaltationem nominis sui super alia omnia nomina consecutus est [g], nósq; per eam tamquã per cœlestem machinam extulit, ac omnia traxit ad seipsum [h]. Scalam vocat Augustinus [i], & Hieronymus [k], scilicet mysticam illam Iacob [l], & Tertullianus [m] cum ligno, quo Elisæus attraxit ferrum aquis demersum [n] comparat. Vnde Petro Christus idem genus mortis significans, non vsus est exaltatione, sed cinctu [o]. Illud etiam de Petro affert Augustinus [p], & Irenæus [q].

Christi crux cur exaltatio dicta sit.
f Ioan. 3. 14. & c. 12. 32. & 34.
g Philip. 2. 9. & seq.
h Ioan. 12. 32.
i de Cataclys. mon. c. 6. & ser. 70 de temp.
k in Psal. 98.
l Gen. 28. 12. & seq.
m cont. Iudæ. cap. 13.
n 4. Reg. 6. 5. & seq.
o Ioan. 21. 18.
p serm. 194. & 192. de temp. & lib. 50. hom. in 37.
q lib. 5.

Non debemus in humilitate proponere nobis pro fine primario exaltationem. Hæc tamen cum illa nexum habet, potéstque quis præmij spe excitari primum sibi proponendo finem Deum solum. M. Ciceroni consulatum petenti Q. Cicero [r] suggerebat, vt propè quotidie ad forum descendens hoc meditaretur; *Nouus sum: consulatum peto: Roma est.* Quantò nobis meditandum magis, ac tibi dicere quoque oportet: (Nouus es, bum, non de cœlo natus, vel in Paradiso) Gloriam æternam petis (pretij rem, honorisque infiniti *cui non nulla condigna passiones* [s]:) *Cælum est, quod vim patitur, nec nisi a violentis rapitur* [t].

r de Petit. Consula. apud Ciceron.
s Rom. 8. 17.
t Matt. 11. 12.

In tempore visitationis.] Addit interpres de suo, *visitationis*: potéstque visitatio & de præsenti tempore intelligi, & de futuro, præsertim autem de isto. In præsenti quãdoque humiles exaltat Deus, aut multò sæpius, ac magis in futuro. Lege caput secundum [u]. Græcè est. Ἐν καιρῷ, quod Syrus aptè reddidit בזבנא זדוק *bezauna dezadik.* *In tẽpore cõgruo*, id enim valet καιρὸς, vt alibi notatum est [x]. Sic est magis indefinita temporis ratio, non ad futurum dumtaxat, sed etiam ad præsens, & iubemur exaltationis nostræ, atque liberationis ab omni calamitate, vel ærumna permittere tempus Deo, qui posuit in sua potestate tempora, & momenta [y], atque, quod mox subiicitur, *omnem sollicitudinem proiicere in eum, quoniam ipsi est cura de nobis.* Vsurpanda crebro Heli summi sacerdotis sententia [z], *Dominus est, quod bonum est* (ἀρεστὸν placitũ) *in oculis suis faciat*: illud item magni ducis Machabæi Iudæ apopthegma [a]: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat*: & aliud alterius ducis Ioab [b]: *Dominus autem faciet, quod bonum est in conspectu suo.* Pudet à militibus hac in parte victum Oziam pontificem,

u vers. 12.
x Act. 1. 7.
In manu Dei omnia nostra debemus ponere, y modum.
z 1 Reg 3. 18.
a 1. Mach. b. 3. 3. 60.
b 2 Reg 10. 12.

immo à fœmina, quæ, cùm ille quinque præscripsisset ad auxilium Deo dies [c], grauiter corripuit, appellans [d] hanc tentationem Domini, ac sermonem nõ qui misericordiam prouocaret, sed potiùs qui iram excitaret; idcirco ne tempus miserationis Domini ponerent, nec in arbitrium proprium diem constituerent ei; sed humiliantes animas, & in spiritu constituti humiliato, seruientésque illi, dicerent flentes, vt secundum voluntatem suam sic faceret cũ ipsis misericordiã suam. Iussit tamen vt orarent [e], vt sicut dixerant, in diebus quinque respiceret Dominus populum suum Israel, ac intra breuius interuallum rediit Holoferne obtruncato.

c Iudith. 7. 23. 24. 25.
d ibidem c. 8. 10. & seq.
e ibid. vers. 31.

Permittere nos debemus voluntati diuinæ, sicut præcepit Christus [f] nos orare, & fecit ipse sub mortem [g]: & de quodam Patrum proditur eiusmodi oratio: *Fili Dei sicut vis, & sicut scis, miserere mei* [h]. *Adiutor Deus in opportunitatibus, in tribulatione* [i], *ἐν εὐκαιρίαις, ἐν θλίψει* לעתות בצרה *lehibittoth batsarah.* *In manibus tuis sortes nostra* [k] עתותי *bhittothai, tempora mea*, quo pacto extat etiam in Romano psalterio. Chaldaicè זמני פרקני *zemanne purkanach, Tempora redemptionis meæ*: ac fieri potest vt loco καιροὶ legerint LXX. κλῆροι, vt suspicatur quoq; Genebrardus. Tandem, ne desint externa, profanáq; testimonia, nemo ignorat, quemadmodum orari præcipiat Deum Plato [l], nempe, vt ab eo quod bonum est dumtaxat petatur: id quia cuiusmodi sit, in rebus fluxis, caducisque non intelligimus eius iudicio sinamus, Poëtam secuti, qui sic Latine loquitur verbis Thomæ Mori martyris Angli.

f Mat. 6. 10.
g infra 16. 39. Lucæ 24. 42.
h Raban. lec. S. Iudith. & Glossa ordin.
i Psal. 9. 10.
k Psal. 30. 16.
l In Alcibiad. 2.
Quomodo orandus Deus iuxta Platonem.

Da bona, siue rogere Deus, seu nulla rogere.
Et mala a sine petare, nega, seu nulla petare.
Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ, καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις,
Ἄμμι δίδε, τὰ δὲ δεινὰ (vel λυγρὰ) καὶ εὐχομένων ἀπαλέξειν κελεύει,
vel *εὐχομένων ἀπερύκοις,* (vel *ἀπαλέξοις.*)

Consule de hoc Chrysostomum [m], qui Deum cum citharœdo perito comparat, instrumẽti neruos tempestiuè laxante, & intendẽte. Sed diuinæ curæ, ac prouidentiæ respondendum, faciendo quod in nobis. Narrat, ac reprehendit Augustinus [n] monasterij sui fratré, qui correptus ab aliis cur quædam non facienda faceret, & facienda nõ faceret, respondebat: *Qualiscunque nũc sum, talis ero, qualem me Deus futurum esse præsciuit.* Verum docet Augustinus dixisse; sed hoc vero non profecisse in bono, sed vsq; adeo in malo, vt deserta monasterij societate, *periret canis* [o] *reuersus ad suũ vomitum*: licet adhuc qualis futurus sit, incertum sit.

m hom. 4. ad populum.
n de bono perseuerãt. c. 15.
Fratris cuiusdã dictũ, verũ quidem, sed nõ profectum.
o Prou. 26. 11. 2. Pet. 2. 22.

Meritò humilitati exaltatio tribuitur in beatitudine, quia humilitas non tantùm de propriè sic dicta virtute intelligitur, sed comprehendit eam quoque humiliationem quæ fidei necessaria est, patientiæ, & obseruationi mandatorum Dei: qui autem sponte noluerit his modis humiliari, cogetus cum damnatis infimum locum tenere, credere contremiscendo, pati grauissima tormenta, diuinam volũtatem in illis implere quæ minimè vellet, quoniam non potest effugere potentem manum Dei.

Vers. 7.] Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

CONfirmatur hæc sententia his, quæ proximè à nobis notata sunt. Eadem penè in psal-

mo[a] verba sunt. *Iacta super dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Quasi dicat iactandam aduersus fluctuantem animi nauem sollicitudinis fluctibus anchoram spei in Deum tutam & firmam[b], *qui gubernator est, ac auriga*, inquit Theodoretus[c]. Vetatur sollicitudo nimia de victu & vestitu[d], quia Gentilium est, *quia præstantior anima, quàm corpus*, & hoc quàm externa bona, & æterna, quam pe̲ritura illa: quia prospicit Deus sensu ac ratione carentibus rebus: quare multò magis nobis, quia idem est Pater noster, probe conscius necessitatis nostræ, cuius proinde tacita reprehensio fit, nimis circa hæc esse. Rem adeo difficilem, sed maximè necessariam tot oportuit argumentis probari: sicut quando passionem Christi Petrus impedire nitebatur, tam multas ipse rationes adhibuit, quibus ostenderet eius necessitatem[e].

Paulus[f] monet, coniugum sollicitudinẽ tantam esse, atque *τὸν μεμέρισται*, vt iuxta nominis etymon (quod est *μερίζειν τὸν νοῦν*) mentem diuidat. Christus[g] asseruit *sollicitudine huius seculi suffocari verbũ, & sine effectu effici.* Sed nec approbauit Marthæ circa plurima sollicitudinem; tametsi occuparetur in eo excipiendo, atque tractando[h], quoniam vnum necessarium esset: hoc est, paucis natura contenta, satiùsque foret auditioni vacare diuini verbi. Iactandæ sollicitudines istæ in Deũ, vt eas rescecet, atque corrigat, & iactus ipse denotat vel quod citò, & cum quadam execratione, & vehementi motu longius remouere illas oporteat, vt solet onere pressus, & sarcina réuersa la attactus, aut quæ ipsum lædat: vel quod tanquam in destinatum scopum, dirigere Deum.

Dominus sollicitus est nostri[i], seu vt legit Augustinus[k], *curam habet nostri. Qui habuit tui curam*, inquit, *antequam esses, quomodo non habebit curam, cum iam es, quod voluit vt esses?* Et post multa suauissimè, & piissimè in hanc sententiam dictam concludit: *Nusquam tibi deest: tu illi noli deesse: tu tibi noli deesse.* Quo pacto autem de singulis peculiarem curam suscipiat, non minus, quàm de omnibus, docet idẽ aliquot locis lectu sanè dignis[l].

Quocirca pendere nos oportet à Deo in omni sollicitudine, etiam illa, quæ honesta est, quamque exigunt à nobis diuinæ litteræ, *vt sollicitè ambulemus cum Deo nostro*[m], *& custodiamus sollicitè animas nostras*[n], *& cuncta quæ sunt in lege*[o]: *vt solliciti seruemus vnitatẽ spiritus in vinculo pacis*[p]: *vt qui præest, id faciat in sollicitudine*[q], *& sollicitudinem geras Ecclesiarum*[r]: *vt sollicitudine simus nõ pigri*[s] *circa quoduis opus bonum*: vt ostentemus sollicitudinem ad expletionem spei vsque in finem, nec segnes efficiamur, verùm imitatores eorum, qui fide, & patientia hæreditabunt promissiones[t]: vt de peccatis secundum Deum cõcepta tristitia *operetur in nobis (magnam) sollicitudinem, sed & defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desideriũ, sed æmulationẽ, sed vindictam*[u]. Qui sunt bonæ sollicitudinis effectus, quæ pariter est secundum Deum.

Præcipit Paolos[x], *vt nihil solliciti simus*, verùm hac lege, *vt petitiones nostræ innotescant apud Deum*, qui scilicet vt diximus, nostri sollicitus est, sed ita, quod Augustinus[y] dicebat, vt nec illi desimus, nec ipsi nobis. Addit effectum consequentem Apostolus[z]: *vt pax, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda nostra & intelligentias nostras*, ne desiderando vagentur, ne cogitando errent, denique ne *μερίμνας* patiantur, anxias, & distrahentes curas: ne satagamus veluti *ἀνασπώμενοι* hinc, indéque tracti, ac discerpti, quod verbum, de satagente Martha vsurpatur[a].

Mons Moria sic denominatus est, postquàm pro Isaac arietem subiecit Deus, cùm dixisset priùs Abraham filio: *Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi*[b]. Inde ad Hebræos, Hieronymo[c] teste, manauit prouerbium: In Monte Dominus videbit, cùm quis affligeretur: nempe significare volebant affore prouidentiam diuinam ad eum modum, quo succurrerat Abraham, & Isaac, piè, ac obedienter afflictis: vel quasi, vt prædictio Abrahami impleta est illa ratione, quam diximus, etsi forsan ille ignoraret implendã, ita sperandum sit affuturam opem Dei, quamuis tempus, modúmve nescias. Alij ad futurum templũ, & Messiæ aduentum id referunt. Lege Villalpandum[d] de nomine Moria. *In manibus suis descripsit nos Deus, & muri etiam nostri in oculis eius semper*[e]: nihil autem præsentius nobis quàm manus nostræ, nihil visibilius quàm muri.

Si qui alij, multo magis alienę addicti pro Deo curæ ex vitæ instituto, sollicitudinem omnem exuere, proiicere, iactare debent, vt præcipiunt Ephrem[f], Basilius[g], Bernardus[h], cauentes quoque curam ægri corporis, procurationem medicamentorum; quoniam, ait Ephrem, *qui curat morbos animæ Deus, etiam corporis curabit.* Qua de re prudentem adhibet huius Scholiastes Vossius cautionem, allatis nonnullis aliis exemplis. Feriarum appellatio diebus à Sylvestro indita, Clericos monet à sollicitudine vacare secularium curarum, *vt non implicent se negotiis secularibus*[i]: quoniam illorum sors, pars, hæreditas Deus.

Rursum Bernardus[k] alloquens Monachos modum excedentes, ac instar adolescentularum diligentes nimis[l], id est, minus discreta vehementia, & intemperantia obstinata: *Qui vestri curam*, inquit, *semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos intromittitis?* Illud omnibus æquè conuenit præscriptum à Chrysostomo[m]: *Ne cures tua, sed ea Deo permitte: nam si satagis, tanquam homo satages: si verò dimittas, Deus prouidebit &c. Vt igitur eorum magnam gerat prouidentiam, ipsi soli omnia committe. Si verò & ipse spiritualibus omissis, ea tractaueris, nõ multam eorum ipse curam geret. Vt igitur & hæc tibi bene disponantur, & omni cura* (nempe immoderata, quamuis priore loco iis propriè loquatur, quos ad vitam hortatur monasticam) *liberis spiritualia tene, contemne secularia: sic enim & cum cælis terram habebis, & futura consequêris bona.*

Denique Basilius aliquandiu vexatus molesta cogitatione de fato, & fortuna, ob negatas sibi res nonnullas, quas expetierat, & exquisierat, claudit epistolam scriptam Eustathio philosopho[n]: *Nam omninò prouidentia sua* (Deus) *res nostras multò dispensat meliùs, quàm nos optare poterimus: Constanter Deo crede*, ait Augustinus[o]: *téque te totum committe quantùm potes. Noli esse velle quasi proprius, & in tua potestate: sed eius clementissimi, & vtilissimi Domini te seruum esse profitere. Ita enim te ad se subleuare non desinet, nihilque tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* Ambrosius[p] his habet similia, agens in id psalmi: *sicut oculi seruorum*, &c. iterum Basilius[q]. *Sicut rerum grauium pondera appendendo, libra momentis discernimus, vtque de auro purúmne sit & excoctum, an secus, experimur affrictu lapidis: sic memoria repetẽtes mensuram, modúmque rerum omniũ, nobis à diuina voluntate, & prouidentia præscriptum, iuxta illam omnia mensurãtes, numquam ab animi moderatione, & quiete excidere poterimus, quidquid demũ in*

aduersi

Margin notes (left column): Psal. 54. 23. — b Heb. 6. 19. — in ps. 54. — d Matt. 6. 25. — e Matt. 16. 22. & 23. 4. 16. 31. 33. 34. — f 1. Cor. 7. 32. sollicitudo coniugum quanta sit. — g Matt. 13. 22. — h Luce 10. 41. — i Psal. 39. 18. — k ibidem. Sollicitudo Dei erga nos quæ. — l confess. ca. 11. Soliloq. c. 14. meditat. c. 18. — m Mich. 6. 8. — n Deut. 4. 9. 15. — o Iosue 11. 6. — p Ephes. 4. 3. — q Rom. 12. 8. — r 2. Cor. 11. 28. — s Rom. 12. 11. — t Heb. 6. 11. 12. — u 2. Cor. 7. 11. — x Philip. 4. 6. — y supra. — z Philip. 4. 7.

Margin notes (right column): a Luce 10. 41. — b Gen. 22. 8. 13. 14. — c de Trad. Heb. Prouerbium Hebræorum In monte Dominus videbit, vnde ortũ sit. — d In apparatu Vrbis Par. lib. 1. c. 8. — e Esa. 49. 16. — f Tom. 1. de Fide. — g Regu. fusis. — h epist. 321. & ser. 10. in cant. Qui Deo se addixere, medicamenta corporum curam debent abiicere. — i 2. Tim. 2. 4. — k serm. 19. in cant. — l cant. 1. — m hom. 6. ad popu. & hom. 69. in Matt. — n epist. 163. Deo prouidentia melius nostra disponit quàm nos optare poteramus. — o Soliloq. lib. 1. cap. vlt. — p Psal. 122. — q ho. de gratiar. actione.

aduersi nobis accidere videatur.

Verumtamen prouida de temporalibus quoque rebus cura, cautio item in periculis vitandis, non solùm non vetatur, sed præcipitur potiùs, & laude digna est: dummodo non tam labori, & industriæ nostræ nitatur, quàm prouidentiæ diuinæ. Qua ipsa de re, si optas; relege à nobis notata capite vndecimo Apostolicæ historiæ [a], vbi de sollicitudine tam quæ vnum quemlibet pro seipso attingit, egimus, quàm quę alteri pro altero imposita est. Vno verbo Hieronymus [b]: *A cura non penitus liberamur, (quæ solet airuđ, id est, honestum studium appellari) sed præcipitur, ne solliciti simus.* (hæc potiùs vocatur μέριμνα, vt antè dictum est) labor exercendus (animi corporísque) *quia in sudore vultus tui vesceris pane tuo* [c] (tum spiritualis, tum corporalis) sollicitudo tollenda. Legendus item Augustinus [d], qui, cùm *præcipimur quærere primum regnum Dei* [e], docet indicari corporis etiam bona quærenda, sed post bona animi [f].

Vt autem tacita reprehensio est eius, cui de nobis incumbit cura, anxia de nostris rebus propria cura nostra, quasi vel nesciat, vel nolit, vel non possit. Sic qui vetat ne talem suscipiamus curam, commendat propensiorem in nos amorem, alacriorem prouidendi voluntatem, exactiorem scientiam. *Hoc est pueros imitari, solùm Deum patrem agnoscendo, curis de victu depositis, Patri soli adhærendo,* inquit Clemens Alexandrinus [g]. Non aliud suis Franciscus, pendens totus à Dei prouidentia, cùm illos peregrè dimittebat, viaticum dabat, quam illud: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet* [h]: cuius quidam vim experti aliquãdo sunt, quando à ceteris humano præsidio destituti, patiúmque accepti à Magistro præcepti memores, Angelus in tempore succurrit, sed priùs exprobrans obliuionem tam pretiosi illius viatici, quod Magister dederat [i]. *Sit homo, qui esse debet,* ait Hieronymus [k], *& mox addentur ei omnia* [l], *propter quem facta sunt omnia. Sint mores sine auaritia,* inquit Paulus [m], hoc est, sine sollicitudine, *contenti præsentibus.* Ipse enim dixit [n]: *Non te deseram, neque derelinquam,* ita vt confidenter dicamus [o]: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Infinita sunt huius generis exempla. Nam quod Catharinæ Senensi dictum aliquando est, omnes sibi dictum debent putare: Cogita de me, & ego cogitabo de te.

Subtiliter obseruauit Tertullianus [p], in benedictione Iacob [q], rorem cœli priore loco positum, deinde pinguedinem terræ: secus in benedictione Esau [r], quoniam improbi ordine inuerso procurant in primis caduca bona, iusti æterna, à cœlo isti, Deóque pendent toti, & quidquid petant, Patrem inuocant in cœlis [s], illuc oculos leuant [t]. Erubuisse se dixit Esdras [u] petere à rege auxilium, & equites, qui defenderent populum ab inimico in via, quia dixerat Regi: *Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate* [x]: *& imperium eius, & fortitudo eius, & furor super omnes qui derelinquunt eum. Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrum per hoc, & euenit nobis prosperè.*

Hic ad extremum notandum puto, locum istũ totum à Turriano [y] nostro, sicut pridem capite primo vidimus, accipi de sacerdotibus ministris Eucharistiæ, quibus non simpliciter tantùm sollicitudo, sed omnis proiicienda, præcipiatur in Deum, eo quòd vel vxoribus carere, vel earum habere vsum non debeant. Sed nos, vt ibidem fecimus, plurium sectamur hac in re de generaliore propositione sententiam.

Non hic profanas colligam hac de re sententias, quibus immodicas reprehendunt, ac nimis anxias curas. Apto, licet nouo, & à se confictо vocabulo Seneca [z] his deditos curis, ac sibimet molestos, qui suum antecedaɩor malum nominauit satageos. Exemplo forsan Iurisconsultorum, qui abigeos vsurpant, nomen illud innouauit: qui dici abactores ab aliis solent, & abigunt abducúntque è pascuis, ac stabulis armentum, pecúsve.

Omnem sollicitudinem.] Μέριμναν. Dixi nomen hoc Græcum denotare nimis anxiã, & vitiosam curam, qua νοῦς μερίζεται, *mens diuiditur.* Tamen in bonam quoque partem sumitur à Paulo [a]: *Qui sine vxore est, sollicitus est (μεριμνᾷ) quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Sed sæpius bonam sollicitudinem vocat σπουδὴν. In psalmum L IV. [b] est μέριμνα; *Iacta super Dominum curam tuam,* ἐπίρριψον ἐπὶ κύριον τὴν μέριμνάν σου. Hieronymus: *Proiice super Dominum caritatem tuam.* Psalterium Romanum, & Ambrosianum: *Iacta in Deum cogitatum tuum.* Vatablus, & Felix: *Reiice in Dominum sarcinam tuam, siue pondus,* id est, molestiam, & id, quod te male habet. Pagninus: *Proiice super Dominum donum tuum;* quod alij reddunt *dare tuum,* id est, quod dedit tibi, quod expetis dari tibi, id quod habes opus, quod viui est tibi: Chaldæa paraphrasis posuit *spem tuam* סיברך *sibrach*, etsi alij legentes סברך *sobarecha, vertant onus.* Hebraicè est יהבך *iehabecha*: quam vocem Rab. Dauid Kimhi [a] ait ignoratam fuisse ab iis, qui pondus reddiderunt, cum ea notio non Hebraica, sed Arabica sit, vel Syra. Suspicor Hieronymum aliud vocabulum legisse. nam יאב *iaab*, & אבה *abah*, & תאב *thaab*, est desiderare, appetere, velle, &c. sicut & אוה *auah*, seu יאוה *iauah*, calamitates grauiores oneris nomine vocari solent à Prophetis. Vita ipsa onus est, ob tam multa, quibus eget. In Christo requies est animabus [d] inter onera carnis, & propter iniquitatem, quæ est *vt talentum plumbi* [e]: *& sicut onus graue grauat* [f]. Christus autem illam tollit. Iob sibi ipsi onus erat [g]: Moses populum sibi commissum grauem sibi dicebat esse, & pondus, quod portare non posset [h].

Proiicientes.] In citato psalmo השלך *haslech.* Omninò proiicere, & ἐπιρρίπτειν propriè significat, quemadmodum & in Ecclesiaste [i], *Tempus spargendi lapides,* & alibi sæpe. Non significat contemptum Dei, sed quemdam veluti horrorem nimiæ, anxiæque curæ cum certa tutáque fiducia in Deum, sicut ante diximus: *In te proiectus sum ex vtero,* ait Dauid [k]; & aliis verbis: *Tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ: De ventre matris meæ, Deus meus es tu,* significat: (*In te proiectus sum,* ἐπὶ σὲ super te, id est, in tuam fidem, ac tutelam. Metaphora fortassis, vt notat Genebrardus, ab obstetricibus super manus tuas prodiens ex vtero eiectus sum: vel à pueris proiectitiis, & expositiтiis, vt apud Plautum [l].

Ego proieci eam, alia mulier sustulit.

Denique proiectus sum in te ex vtero, id est, per te, ac tua eductus virtute.

Ergo proiicienda in Deum cura, tamquam quem gestamus animi fœtus, vt educat Deus, educet, perficiat.

Quoniam ipsi est cura de vobis.] In psalmo: *Ipse te enutriet,* διαθρέψει עלכלך *iecalcelecha, feret te, sustentabit,* alet secundum mensuram, & veluti demensum tuum, vt solebat præpositus famulis da-

Cura moderata rerum temporalium est necessaria.

a vers. 29.

b in c. 6. Matt.

c Gen. 3. 19.

d lib. de opere Monacho. c. 1. & 2. & lib. cont. Adimant. c. 14.

e Matth. 6. 33.

f 3. de serm. Dom. in mon. c. 24. & 25.

g 1. Pædago. cap. 5.

h Psal. 54. 23.

i Chronol. S. Francisci.

k supra.

l Matth. 6. 33. Sit homo qui esse debet, & nihil ei deerit.

m Heb. 13. 5. 6.

n Iosue 1. 5. Esa. 41. 9. & seq.

o Psal. 117. 6.

p 3. cont. Marcion. c. 24.

q Gen. 27. 28.

r ibid. 39.

s Matth. 6. 9.

t Psal. 120. 1.

u 1. Esdr. 8. 22. 23.

x ibid. 8. 22.

y 2. de dogm. charact.

z epist. 98.

a 1. Cor. 7. 32.

b vers. 23.

a in libro Radicum.

Onus à prophetis calamitates grauiores appellantur.

d Matt. 11. 29. Vita est onus.

e Zachariæ 5. 7. & seq.

f Psal. 37. 5.

g cap. 7. 20.

h Num. 11. 11. 12. 13. 14.

i cap. 3. 5.

k Psal. 21. 10. 11.

l in Cistellaria.

te *trusci mensuram* [a] (*σιτομέτριον*) *cibũmve* (*σῖτον*) *in tẽpore* [b]. Quaternos modios refert Donatus [c] famulos accipere solitos in singulos menses; idque demensum vocatum. Generaliter significat quiduis gerere ad certam mensuram, modumque, quod aliter dicimus disponere, vt in psalmo [d]: *Disponet sermones suos in iudicio* יְכַלְכֵּל דְּבָרָיו *iechalchel deuarau*. Itaque rectè Petrus omnia necessaria cõprehendens vsurpauit curã: *ipsi est cura de vobis.*

In amore materno præfert se Deus erga nos [e], & nutritium se nominat [f]: *non est ei de bobus cura*, vt ait Paulus [g]; *non de culicibus, cimicibus, pulicibus, muscis, piscibus, non de irrationabilibus omnibus*, vt ait Hieronymus [h] (Augustinus [i] piè, subtilitérque considerat Dei prouidentiam in culicibus, & pulicibus,) si comparatio fiat cum prouidentia, curáque, quam de rationabilibus habet: *nõ enim pluris sumus nos* [k]: *etiam capillos capitis nostri numeras*, curátque.

In capite sexto [l] libri Sapientiæ dixi aliquid in hanc sententiam, exponẽdo illa verba: *Æqualiter illi est cura de omnibus.* Bernardus [m] autem quodam sermone complura disserit sanè quàm appositè, perpendens cum admiratione sponsæ verba [n]: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Postquam notauit quod modò retuli dixisse Hieronymum de prouidentia maiore circa hominem, quàm res alias: ait videri Petrum præcepisse: *intendite illi, quia ipse intendit vobis, nec scripsisse, (vt sit ipsi cura de vobis. Se d quia ipsi cura est de vobis.)* Nempe quia nõ solùm dilecti, sed prius etiam sumus dilecti. Cõfirmat ex psalmis curam Dei, *Dominus sollicitus est mei* [o]: *Dominus retribuet pro me* [p]. Ex oue humeris reportata [q]: ex memoria Dei plusquam matris [r]. Rursus in alio perpendit, quanti referat locare spem in Deo [s].

Vers. 8.] Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.

Sic nos abiicere sollicitudinem vult Deus, & nos illius curæ committere, vt interim aduersarium Diabolum caueamus, odio nos prosequẽtem, diráque omnia minantem, ac inferentem, vel hoc nomine, quòd sciat nos Deo curæ esse. Et sicut Deus sollicitus est nostri, & ipsi cura est de nobis: sic ille (Diabolus) inquit Bernardus [t], sollicitus est, vt nos mactet, & perdat, & vna ei cura, ne fortè qui auersus est reuertatur. Idcirco temperantiæ studendum, cuius primum vulnus humano generi à vaferrimo serpente inflictum est [u]. De gula quoque Christum Tentator sollicitauit [x]. Vigilandum quoque, ne intercipiamur eiusdem insidiis, omnes nocendi vias sagaciter quærentis, & auidissimè ad prædam nostram inhiantis.

Quocirca nũ pertinet hic ad Episcopos solos, & sacerdotes Eucharistiæ ministros locus, vt aliquoties annotaui, licet cum Turriano [y], ita quoque sentiat Valentia [z]. Nec refert, quòd absolutè sobrietatem exigat nunc Petrus: capite præcedente [a] ad Orationes, quasi semper seruari debeat ab istis continentia, ab aliis ad tempus, & orationis causa: nam æquè generalis hic, & ibi sermo. Cyprianus [b] egregiè declarans istam sententiam, ostendit quo pacto aduersarius iste, hostisve nos tamquam clausos obsidens, muros exploret, an sit pars aliqua minùs stabilis, & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Inductione facta per oculos, aures, linguam, manus, per lucra, honores, & similia, subiicit, cùm latenter non potest fallere; exertè, atque apertè minari; terrorem turbidæ persecutionis intentando: denique ad debellandos Dei seruos inquietum semper, & semper infestum esse: in pace subdolum, in persecutione violentum. Haud abludit a Cypriano Gregorius [c], dum tropologicè ait ductori, & omnibus nobis, exemplo Saul [d] pugnandum per circuitum cõtra inimicos, qui omnibus sensibus nostris insidiantur à dextris, per læta, à sinistris per aduersa: retro per memoriam præteritorum oblectamentorum: ante, obiiciendo districtam conuersationem, & longitudinem vitæ. Subdit quoque modum pugnæ, victoriæque per circuitum obtinendæ.

Magna sobrietati affinitas cum vigilantia, non ea modò, quæ somnũ corporis cohibet, sed multò magis, quæ oscitantiam animi. Magnum in militibus excubiarum est momentum, nec facilè vigilant, qui somni conciliatricibus escis se replent. *Opus cum diuina gratia*, inquit Cyrillus [e] Ierosolymitanus, *sobria mente, & vigilantibus oculis, vt Zizania ne emamus pro tritico, pro oue lupum, Diabolum pro Angelo bono.* Pseudoprophetas instruit leo hic, vt ab iis deceptos nos interimat [f]: quod innuit Bachiarius [g]. Augustinus [h] de persecutione manifesta contra Martyres, occulta per draconem, qui hæreticos incitauit in Ecclesiam: ita vt apertè sæuiens leo quæreret quem deuoraret: draco quomodo insidiaretur. Dicit præterea [i], quòd eiecit draco Adam de Paradiso [k]: idem ipse leo persequitur Ecclesiam.

Verùm plures extẽdunt sententiam ad quemlibet nocendi modum, siue tectè, & clam, siue palam, apertéque: sicut, præter alios etiam Hieronymus [l], Origenes [m], Chrysostomus [n], Bernardus [o], Gregorius [p]. Quamuis leonis ingenium à vafricie alienum est, agítque potiùs corporis robore, ac manifesta vi; tamen insidiatur quandoque etiam in spelunca sua [q], ac Epiphanio [r] teste, sua vestigia cauda obtegit, ne capiatur à venatoribus illis insistentibus. Meminit quoque Ælianus [s], & Plutarchus [t], Isidorus [u], & addunt contortis ingredi pedibus ac tamquam vagina conditis intus vnguibus. Etsi sunt, qui hyberno potissimum tempore id facere asserant, quando facilius est in niue relictis vestigiis deprehendi. Extat eiusdem ingenij mentio apud Areopagitam [x], & Glycam [y], qui cum Epiphanio ad Christum accommodat tectum Humanitate. Sed Nazianzenus aptè ad rem nostram explanat [z].

——— πολλάκι δ' αὖτε
Ἔδαῦ τ' ἰδὲ κακοῖο δ' ἰάκειον ἰχθρὸς ἄμερσε
Ὡς θὴρ καρδαλέος πσὶν ἴχνεσιν ἴχνια βάλλων
Ὡς κεν θηρητῆρα τόδ' ἂν πάξειε δόλοισιν.
Sæpe mihi rursus delectum subdolus hostis
Virtutis, vtilique adimens mea lumina fallit,
Vt fera signa pedum qua signis callida turbat,
Hac venatorem virtutis ludat vt arte.

Huc referri potest illud Horatij [a]:
——— quia me vestigia terrent,
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Quacumque tandem id ratione faciat, resisti ei potest, ac debet voluntatis liberæ conatu, alioqui frustra moneremur ad resistendum, frustra quæreret Diabolus, quos perderet, vt rectè Faustus [b] colligit, probans nullos esse iam diabolo deputatos absque respectu ad libera mala opera,

ſed adiuuante illo, prope quem poſiti, cuiuſlibet contra nos non timemus pugnantis manum [a], & ſi noſtra ſit Deus ſalus, illuminatio [b], protectio, nec integra quidem (leonum) caſtra verebimur: denique *ſi Deus pro nobis, quis contra nos* [c]? hoc eſt, contemptibilis, & nihili efficitur omnis aduerſarius, vt idem Origenes [d] monet: non plus poteſt, quàm permittat Deus, quemadmodum leo prophetam ſuffocare potuit [e], cadauer illius ei tangere, vel aſinum non licuit: *olim circuibat, nunc cum dracone conculcatur*, ait Athanaſius [f], intelligés circuire, ſed non adeo liberè, & deſpicatui modò eſſe, vt etiam ipſemet loquitur, ad cũ ferè modũ, quo ludũt pueri cum vrſis & leonibus, qui circũferũtur ligati, ſed longè à rictu, faucibúſq; ipſorũ.

Sobrij eſtote.] Νήψατε. Significat hoc verbũ Græcum etiam vigilare, vt antea notauimus [g], & hoc loco vertit Syrus Interpres אתתעירו *ethth:bhiru.* Sobrietatem ſæpe numero inculcant Apoſtoli, & quidẽ omni gradui, ſexui, ætati, vt legere eſt, præſertim apud Paulũ, qui eam exigit ab Epiſcopis [h]: à fœminis matrimonio iũctis [i]: à Diaconibus [k]: à ſenibus [l]: à fœminis vetulis [m]: à viris iuuenibus [n], poſtremò vult omnes vigilare, & ſobrios eſſe [o].

Eſt σωφροσύνα Platoni [p], σωτηρία φρονήσεως: prudentiæ verò, ac ſcientiæ parentes per intemperãtiam nobis iacturam pepererunt. Sed ſobrius in ſobrietate volo eſſe, nec enim dici pauca poſſũt, ſi qua dici debeant. Ariſtoteles laudat Hecubam Euripidis interpretanté vocabulum ἀφροδίτη, quæ eſt Venus, quod ſit θεὰ ἀφροσύνης, Dea inſaniæ.

Vitriacus [q] aſſerit hìc ſumi ſobrietatem largè pro temperantia à guſtu, & coitu illicito: ſicut in epiſtola ad Titum [r]: vbi admonemur *ſobriè, iuſtè, piè viuere*, vbi primum Græcè eſt σωφρόνως, etſi Syriacè cũ caſtitate בנכפותא *benachputha.* De laude ieiunij conſule, quæ fuse diſputaui exponés Euãgelium de tentationibus, & ieiunio Chriſti, de remediis incontinentiæ, quæ in explicatione hiſtoriæ de Samaritana. Nec improbabile ſobrietatem hoc etiam loco denotare modum in prudẽtia curáve tranſigendæ vitæ, de qua præceſſit proximè mentio, ſimúlque in credendo, ne curioſiùs velimur, quæ ſimpliciter proponuntur credẽda, ſcrutari ſtatet, quod paulò poſt admouemur aduerſario diabolo reſiſtere in fide, quæ vel ſimplicẽ aſſenſum denotare, vel fiduciam poteſt. Præterea, quoniam Paulus [s] præcipit, *ne ſapiat quis pluſquam oportet, ſed ad ſobrietatem*, εἰς τὸ σωφρονεῖν, quod Irenæus [t] reddit *ad prudentiam*, Hieronymus [u] *ad prudentiam*, Auguſtinus [x] ad temperantiam. Hęc temperantia modus eſt, ſeſe intra terminos continendi, ne, quod etiam Irenæus dicit, *ſuperfluam quæramus Fides myſteriorum cognitionẽ.* Baſilius [y] expoũit, *ne nos ingeramus in ea, quæ ad nos non ſpectant*, & cõſentit Ambroſius [z]. Id cenſeri poteſt velle idem Apoſtolus [a] dicens: *ſiue enim mente excedimus, Deo, ſiue ſobrij ſumus, vobis.* Id eſt, ſi nos accommodamus & attemperamus ad captum veſtrum.

Et vigilate.] Γρηγορήσατε abſq; coniũgente particula, Quia verò γρηγορεῖν propriè vigilare eſt, prioris verbi νήψατε alteram notionem interpres poſuit *ſobrij eſtote*, alibi aliam de vigilantia, ſicut iã prius notauimus. Syriaca editio habet עירו *bhahadu, mementote.* Vigilia animi, attentio eſt, ad quã neceſſariò quoque ſæpe corpore vigilare: atque ita ſe ſaltem ante neceſſarium ſomnum comparare, vt ſi dormiamus, cor tamen vigilet [b]. Idcirco iubet nos Eccleſia in vltima hora officij diuini, quod appellatur Cõpletoriũ, quo abſoluto ſomnus capitur, iſtam recitare ſententiam: *Fratres, ſobrij eſtote, & vigilate*, &c. *vt hoſtis nocte comprimatur, & ſic oculi ſomnũ capiant, vt cor ad Deum ſemper vigilet.* Oramus prætereà, vt *omnis inimici Deus inſidias à nobis longè repellat. Nocte os meum perforatur doloribus*, inquit Iob [c], *& qui me comedunt, non dormiunt.* Inimicus homo, dũ dormiũt homines, ſuperſeminat zizania [d]. Quod autem dormire dicitur in locis humentibus [e], eſt quia prouocat dormiẽtes ad luxuriã, & dormit leo, ſed in media quoq; via, & apertis oculis, ac intrepidus mouens ſimul caudã [f], & vbi primum naſcitur, cernit, vt dici λέοντα velint παρὰ τοῦ λάω, τὸ θεωρῶ. (Sic etiam aliqui de λαγὼς ſentiunt, qui eſt cuniculus, & clauſis vigilare palpebris dicitur, ſymbolúmque vigilantiæ apud Ægyptios teſte Plutarcho [g], & Xenophonte [h], ac terror animalium omnium etiam tunc eſt [i], ideóque ſymbolum vigiliæ leo [k], pingi ſolitus in valuis templorum.

Diſſimulat interdum, & remittere videtur diabolus: verùm vt incautos occupet. Sicyonij Sõno ſimulacrum ſtatuerunt, quẽ cognominabant epidoten, & appellabant Sopientẽ leones, id eſt, ſæuos dolores [l]. Non ſopitur leo noſter, ſed excitatur tunc magis ad nocendum: quemadmodum tenebris aduentantibus, & facta nocte *pertranſeunt omnes beſtiæ ſyluæ, catulique leonum rugientes vt rapiãt, & quærant à Deo* (qui permittit) *eſcam ſibi* [m].

Imperauit Chriſtus [n] vigilias, & orationes, ne intremus in tentationem. *Inſidiatur in occulto leo hic in ſpelunca ſua, inſidiatur vt rapiat pauperem* [o], & *tu frondoſa arboris tectus vmbraculo*, inquit Hieronymus [p] *molles ſomnos, futurus præda, capis.* In myſticis animalibus nec labor ſufficit bouis, nec leonis robur, nec volatus aquilę, nec hominis ratio: oculia opus eſt antè, retróque [q], vt ſedulò aduigiletur contra pericula, & pes vituli quem habebant, deſignat diſcretam prudentiam, quia vngulam pes illius animalis habet diſcretam. Illud de oculis ad hoc notauit propoſitum Turrecremata [r].

De Vigilantiæ vtilitate, vſúque multa Ioannes Stephanus [s] Durantus, & nos alibi [t] nonnulla. Cõmendemus certè noſtri cuſtodiam dormitum abituri cuſtodi Angelo, qui & ipſe miniſter eius, qui præcipuus eſt cuſtos noſter, nec dormit, nec dormitat [u], ſemper vigil eſt, ac ſic quidẽ à Daniele [x] nominatus, Hebraicè עיר *hhir*, vt obſeruauit Hieronymus [y], addẽs nos crebris pernoctationibus imitari Angelorum officia. Gildas Sapiens in exhortatione, quam habuit ſub mortem, protulit hunc locum iſto modo: *eſtote quoque ſobrij, & vigilantes in orationibus ſemper* [z], &c. Sed prætermiſit (*rugiens*) leonis epithetum, & forſan è duobus locis conflauit ſententiam vnam: capite namque priore [a] legimus: *& vigilate in orationibus.*

Generalis admonitio Petri attingit maximè viros Eccleſiaſticos, & ſacros. Refert Seruius [b] explanans Virgilium:

—*vigilaſne Deûm gens Ænea? vigila.*

certo die Veſtales Regem monere ſacrorum ſolitas his verbis: *Vigilas ne Rex? vigila.* Paulus Timotheo ſuo præcipit [c]: *Tu verò vigila.* Homerus dixit, *non decere Principem dormire ſolidam noctem.* Et Epiſcopo Eccleſiæ Sardis dicitur [d]: *eſto vigilans, & confirma cætera*, & vigilantibus paſtoribus euangelizata eſt Chriſti natiuitas [e].

Aduerſarius veſter diabolus.] ὁ ἀντίδικος ὑμῶν διάβολος. De nominibus diaboli, & ſatanæ, quo Syrus hìc vtitur, &c. *aduerſarium* ſignificat, ſicut *diabolus accuſatorem*, nolo repetere, quæ ſatis accuratè diſ-

ſeroi

Marginal notes (left column): a Iob. 7. 3. — b Pſal. 26. 1. — c Rom. 8. 31. — d ſupra. — e 3. Re. 13. 24. — f Ora. de Paſſ. & Cruce. — g c. 1. verſ. 13. *Sobrietatem maximè cõmendat Apoſt.* — h 1. Tim. 3. 2. 2. ep. cap. 3. 11. c. 4. 5. Tit. 2. 8. — i 1. Ti. 2. 9. 15. Tit. 1. 6. — k 1. Tim. 3. 8. — l Tit. 2. 2. — m ibid. 3. — n ibid. 6. — o 1. Theſ. 5. 6. 8. Tit. 2. 12. Rom. 13. 11. 12. — p in Cratylo. — q ſerm. 2. de Dom. 3. poſt Pentecoſt. — r cap. 2. 12. — s Rom. 12. 3. — t lib. 5. c. 20. — u 1. contr. Iouin. — x epiſ. 47. — y Regu. 235. & 264. Aſ. breui. — z in c. 2. ep. ad Rom. — a 2. Cor. 5. 13. — *Vigilia autem eſt attentio, ad quam ſæpe neceſſe eſt corpore vigilare.* — b Cant. 5. 2.

Marginal notes (right column): c cap. 30. 17. — d Matt. 13. 25. 38. — e Iob. 40. 16. — f Epipha. ad Phyſiol. cap. 2. & alij. *Leo vnde dicatur.* — g 4. Sympoſ. q. 5. — h in Cyneget. — i Athanaſ. q. 103. ad Antiochum. — k Eſa. 21. 8. 11. — l Pauſanias in Corinthiacis lib. 2. — m Pſal. 103. 20. 21. — n Mar. 14. 38. *Chriſtus imperauit vigilias, & orationes.* — o Pſal. 9. 9. — p epiſt. 2. ad Heliodo. — q Ezech. Apoc. 4. — r in Regu. S. Benedicti c. 4. Tract. 17. & c. 8. Tract. 63. — s lib. 3. de Ritib. Eccl. c. 4. — t Act. 22. 13. & c. 6. 25. — u Pſal. 120. 4. — x cap. 4. 10. — y ibidem. — z in vita, c. 18. — a verſ. 7. — b Æneid. 10. — c 2. Tim. 4. 5. — d Apoc. 3. 2. — e Lucæ 2. 8.

letus explicās Actus Apostolicos[a]. Nec etymologia est, deorsum fluens, nec duo boli, quos in nobis quærat, corpus & anima, vt hoc loco Thomas Anglicus ait. Catharinus, & Salmeron reprehendunt hic eos, qui negant diabolos esse: quæ diabolorum deceptio maxima est, vt ita minus caueantur. Nos alibi [b] plura.

Diabolus.] Calūniæ ac *διαβολῆς* ab Apelle pictū effictā, vt se de calūniatore Antiphilo vlciscetur Lucianus [c] describit, diabolo aptissimè congruētem. Ad dextram considebat quispiam auribus prælongis insignis vt Midæ, manū porrigens procul accedēti Calūniæ: circumstabant muliercule duæ, Ignorantia, ac Suspicio: aderat quasi aliunde properè veniens *διαβολὴ* eximiè compta, vultu gestúque corporis efferam rabiem, & iram æstuanti conceptam pectore præ se ferēs, sinistra facē tenens flāmiuomam, dextra secum adolescētem rapiens capillis prehensum, manus ad superos tendentem, obtestantémque immortaliū fidē: anteibat vir pallidus, in speciem impurus, acie oculorū minimè hebeti, sontico contabescētibus morbo similis, qui erat Liuor: sequebantur Calūniam mulierculæ hortatrices dominę suæ, instructrices, cōptrices, videlicet Insidiæ, & Fallacia: a tergo, lugubri habitu, pullata, laceráque Pœnitētia, quæ capite in tergum deflexo, cum lacrymis ac pudore procul venientem veritatem excipiebat. Testis præterea apud Diogenianum Theophrastus ipsi Calumniæ Athenis aram positam.

Tanquam leo rugiens.] Eadem res boni, malíque secundum varias rationes Christi, & diaboli symbolum potest esse, vt multis cōstat aliis exemplis. Christus quidem nominatur leo de tribu Iuda [d] (quæ tribus in suo vexillo viridi depictum leonē gerebat, vt Hebræi tradunt [e].) *Christus leo*, ait Augustinus [f], tradens dictum canonem, *propter fortitudinem, diabolus propter feritatem: ille leo, a vincendum, iste leo ad nocendum*: Idem habet Gregorius [g], Epiphanius [h] cum aliis Patribus, huius animalis bonas proprietates adaptāt Christo: & notum est vni ex Euangelistis assignari mysticè leonem vel ob regnum, vel ob resurrectionē, in qua potentiam suam Christus maximè declarauit, & vicisse dicitur [i]: & sicut leo, vt primum editur, fertur dormire tribus diebus, ac noctibus, tū patris rugitu suscitari [k]. Crucifigebāt leones Afri, vt cæteri metu pœnæ similis abstinerentur à nocendo [l], Christus leo crucifixus ad omnem noxam diaboli leonis remedium fuit, sicut cum serpente [m] comparatus, quem exaltauit Moses in deserto, saluti est contra morsus diabolici serpentis. Lege Viegas [n], & Ribera [o], & Pradum [p].

Leonis rugitus nunc terrorem designat, sicut & alibi sæpè. *Leo rugiet*, ait Amos [q], *quis non timebit?* nam solo hoc sonitu attonita, velutique icta, quæ per celeritatē possent, impetum leonis euadete, deficiunt animalia, vt Ambrosius [r] docet, atque Basilius [s]. Rugit autem, & antequam capiat prædam, quemadmodum hoc loco scribitur, & in psalmo [t]: *Catuli leonū rugientes vt rapiant, & quærāt a Deo escā sibi*: & cū capit, *sicut leo rapiēs* [u], & rugiēs [x]: &, *A rugientibus* [y] *praeparatis ad escam*, & postquam ceperint [z]: *Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam*: &, *Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?* &, *Num quid rugiet* [a] *leo in saltu, nisi habuerit prædam?* nempe tuo q; aduocant absentes seniores maximè hi, qui sunt iuniores, vt prodit Plutarchus [b].

Sed famescentis, quærentísque prædam leonis rugitus maior videtur, ac periculosior. Sic Iob [b] declarās vehementiā famis suæ, ait, *Antequā comedā, suspiro, & tamquam inundātes aqua, sic rugitus meus*: Inter edendum, cúmque esurit, sæuius rugit leo, vt Physiologi tradunt Aristoteles [c], Plinius [d], Ælianus [e], pactus miscetur diabolus, quò plus prędatur, & cibo electo [f] vescitur, eò iterudescit acerbius.

Porrò nomine leonis interdum significatur varium genus bestiarum ferociorum: nam alicubi eamdem Hebræam dictionem interpretatā legimus aspidem, pantherā, vitulū, myrmicoleonē, vt notauit noster Pineda. Nec refert rugiēdi [h] verbū, liquidè de quovis horrifico sono dicitur: sicut & mugiēdi, vt vidimus capite XVII. [h] Sapientiæ. vbi est idem, quod hic verbū *ὠρύεσθαι*. Dicitur præterea leo a Nicandro [i] vastissimus, ac maculis notatus fuluis, insignique capite. Constat verò dæmonem varias animaliū formas induere, atq; variis eorū designari nominibus in scriptura. Quia verò rugitus manifestam prodit sæuitiā, præstat vt apertiores dæmonis opera persecutiones intelligam [k], vel certè vehemens nocendi desiderium, quo id cumque arte perficiat. Ambrosius [k] hunc locū citans, legit: *leo rapiens, & rugiēs*, rapiēs, id est, qui rapere solet; nec enim dum rapit, quærit, sed quæsiuit, nisi quam rapuit, nondum sufficiens prędā sit. Rugit quærendo, sed ferire nō potest, nisi eundas bestia rationis expers tam pusillanimis, vt solo timore cedas, *quemadmodum qui ante conflictum sit telis, sed tuba prosternitur*, inquit Bernardus [l]. Dæmonē Eusebius [m] ait Græcè dici, quasi *δαήμονα*, quod est timere, videlicet, *quia terrificet*. Placet magis tamē cōmunis, quā retulit, opinio, vt dicatur veluti *δαήμων* hoc est *sciens*. Petet Eugubinus [n], ab Hebręo שדים *saddim*, plurali remota prima littera, & vel a שדי *saddai*, singulari quod vnum Dei nomen est, significans sibi sufficientē; vel a verbo שדד *sadad*, quod est destruere, vt aliàs notauimus [o].

Circuit quærens.] Apud Hieronymum [p] legitur aliquando, *circumiens quærit*. Sensus idem, Græce *περιπατεῖ ζητῶν*. Propriū Satanæ circuire, vt ex hoc Petrus Blesensis exponēs Iob *quia se circumiuisse terrā, Deo dixit* [q], *& perambulasse* confirmat; & quoniam *in circuitu impij ambulant* [r]: adduce Cain *vagū profugumque* [s], *& immundum spiritum ambulantem per loca arida, & inquirentem requiem, nec inuenientē* [t]. Eosdem hos Bernardus [u] locos tractat ad idē propositum: & circuitione vti diabolū in seipso, circumuectione ad nos, & illam esse, quia numquam proficit, ac propriè inheret volūtati: hanc quoniā nunc ascendit, nunc descendit, variasque fallendi artes struit. Circularis modus infinitū propemodum indicat odium, ac studium nocendi, & omnē circumcirca captare ad nocendum occasionē: & celerem admodum in nocendo esse, & inextricabilibus insidiarum spiris vti. Circūuenire dicitur Latinè, qui decipit, omnia scrutādo, & perlustrādo, & quasi circumspiciendo *cum oculis emissitiis*, vt ait ille de odiosa vetula [x]. Hanc vim habet apud Iob [y], & alias [z] verbum Hebræum שוט *sut*.

Hiantem Diaboli ad prædam nostri famē possumus vtcúque illustrare hostium Dauid exēplo, quos in eum Saul immisit, de quibus ita cecinit [a]: *Conuertentur ad vesperam, & famē patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem ipsi dispergentur ad manducādū*. Tale & illud: *Inimici mei* [b] *animam meam circūdederunt*: quæ phrasis crebrò repetitur in psalmis, maximè in CXVII. Fulgentius [c] vocat hunc indefessum circuitum. Itē circuitus hic indicat liberam quamdam, & audacem inambulationem, perinde

ac

a cap. 1.1.
Diaboli deceptio maxima est diabolos negare.
b in dispu. de Angelis.
c dial. de non temere credendo calumniæ.
d Apoc. 5.5.
e in c. 2. Nu.
f serm. 46 de diuers. ca. 3. Christus leo propter fortitudinem, diabolus propter feritatem etiam leo dicitur.
g 5. Moral. c. 9.
h lib. ad Physiologum.
i Apoc. 5.5.
k Epipha. Physiolo., Orig. ho. 17. in Gen., & Rupertus, & Be. nedict. Parisien. l. Plin. lib. 8. c. 16.
m Ioan. 3.14.
n Apos. 4. com. 5. sect. 12. & 5.
o Apoc. 5.5.
p in Ezech. 1. Visio. prior. sect. 10. q cap. 3.8.
r Hex. 9. Hexa.
s Hom. 9. Hexa.
t Psal. 103. 21.
u Psal. 21. 14. Ezech. 22. 25.
x Eccl. 31. 4.
y Ezec. 22. 4.
z Amos 3.4.
b de solor. animal.
b cap. 3.24.
c de hist. animal. cap. 44.
d lib. 8. ca. 16.
e l. 2. de animal.
Diabolus qui plus prædatur eo increduscit acerbius.
f Habac. 1.16.
g Iob 4. vers. 10. num. 3.
h vers. 18.
i in Theriac.
Rugitus leonis quid designet.
k in c. 22. Luc.
l in psal. 90. serm. 13.
m 4. de Præp. c. 5.
n de Perenni philoso. c. 19.
o Act. 27. 18.
p to. c. 15. Esa.
q cap. 1.7.
r Psal. 11.9.
s Gen. 4. 12.
t Luc. 11. 24.
u serm. 32. in cant.
De duobus circuitionis in seipso vetitus, circumuectionis ad nos.
x Plautus in Euclio.
y cap. 1.7.
z Za. 4. 10. Reg. 16. 9.
a Psal. 58. 15.
b Psal. 16. 9.
c 2. ad Trasimund. cap. 5.

ac si diabolos, quod de seipso iactauit mendaciter, *omnium esset dominus regnorum* [a], *& inambulatione terræ*, vt iura præscribunt, latentis acquirere possessionem thesauri.

Circuitum, ambitúmque istū ex disciplina castrensi rectè Cyprianus [c] explicat, quē pridē citaui. Vult Vitriacus [d] circuitu denotari, non audere diabolum intrare, sed *iuxta iter scandalum ponere* [e]. Intestinus hostis caro, nostráque praua concupiscētia, volūtas, habitus &c. hæc diabolus explorat circumeundo: non intrat, nec illabitur: non persuadet nisi admissus. Si steterimus in via, nil nocebit. Quod peius est, circumeunt, quærúntque aliqui peccandi occasiones; & in dæmonem conijciunt causam, quem nihilominus alibi [f] docui non omnis peccati primum suasorem esse. Ad extremum, Auctor quæstionum vtriusque Testamenti [g] apud Augustinum probat hinc, Diabolum non esse naturâ malum, sed mala electione: Isidorus [h], monasterium diligenter claudendum.

Quem deuoret.] Τίνα καταπίῃ, *Quem absorbeat, vel glutiat*, quo secundo verbo reddit interpres alibi illud verbū Græcum [i]. Nil refert seu legas *quem*, seu vt apud Cyprianum, & Hieronymum extat *aliquem*, quamuis Græco τίνα cum accentu in penultima congruit melius *quem*, quàm *aliquem* relicto verbo modi subiunctiui καταπίῃ. Si autem cum aliis legas καταπιεῖν, leges quoque τινὰ cum accentu in vltima, significabitque *aliquem*. *Circum quærens*, inquit Chrysostomus [k], *non quem mordeat, vel frangat, sed quem deuoret.* Inter animalia, leo præsertim prædam dentibus validissimè comminuit, non statim deuorat, deglutitve. Vnde Ignatius [l]. *Dentibus bestiarum molar.* Non raro inde sumitur exaggeratio cladis extremæ [m]. *Quasi leo, sic contriuit omnia ossa mea.* Et [n], *Ne quando rapiat vt leo animam meam.* יִטְרֹף *itteroph*, *ἁρπάσῃ dilaceret.* Per leonem Paulus [o], de cuius ore se liberatum scribit, intelligit sæuissimum Neronem: ita enim etiam describitur Princeps impius [p], Rex iracundus [q]; & quos diuites egentes, ac esurientes legimus in psalmo [r], vocantur Hebraicè, & in interpretatione Hieronymi, *leones*, Hebraicè כְּפִירִים *chephirim*: Chaldaicè בְּנֵי אַרְיָא *bene arieua*, *filij leonum, & crebrò tyranni.* Sic describuntur ab Ezechiele: Denique vt exprimatur damnum peccati, dicuntur *dentes eius, vt dentes leonis, & molares eius, vt catuli leonis* [s]. Inobedientes prophetæ, leonis ictu perierunt [t], & alij à vero cultu Dei deficientes [u]. Hominibus leones nocent, præsertim tempore suæ senectutis, quando per corporis imbecillitatem, & dentium defectum venari nequeūt, eáque de causa vrbes adeunt, vt Aristoteles [x] memorat, indicátque Plinius [y]. Fortassis ad veteranum hostem diabolum allusit Petrus, cùm deuorare velle dixit. Quamquam voraces auidiores sunt: potéstque vorandi cupiditas ingens illud odium diaboli, quod recens semper est, augescentibus potiùs ei ab experientia viribus, quàm deficientibus connotare. Sed caninos dentes leonibus perire negat idem Aristoteles [z], nempe duos inferiores, totidémque superiores, & solos prodit hos mutari. Ait [a] præterea, cibo incontinenter admodum vti, multáque deuorare solida sine vllo dissectu: post saturitatem triduo inediam pati. Nullo satiatur diabolus cibo, & quod de leone ferunt [b], nonnisi rapto viuere, seu venatione, ac præda, ita vt non attingat cadauer, nisi quod viuum ceperit; aptè conuenit diabolico leoni, cuius *cibus electus* [c], vt obseruant Hieronymus [d], & Gregorius [e], *melioribus magis insidians*, vt etiam docet Auctor Quæstionum vtriusque Testamēti [f], quin etiam *sicut leo in spelunca sua insidiatur* [g], ita Diabolus etiam cùm videtur abesse. Illud verò potissimùm leo facit iunior, & imbecillior, captando ea insidiis minores animantes propè trāseuntes, dum venationi grandiores leones, ac robustiores vacant. Ad eundem ferè modum satanæ regnum consistit, non diuiditur, & suę cuique pro viribus nocendi partes attribuuntur ordine quodam. In leonibus ordinem tantum nominibus ipsis diuersis Hebræi designauerunt potissimùm iuxta ætatis gradus. Nomina sunt, vt notat Rabbi Dauid Kimhi, גור כפיר אריה לביא ליש *gur, chephur, arieh, labi, lais.* Est autem præterea commune nomen huius animalis שחל *schachal.* Scio ab Hebræis per Ariel [h] altare intelligi, eo quod ignis descendens de cœlo ibi excubaret, sicut leo; aut quia victimarum sanguine semper maderet, non aliter quàm discerpens prædam leo; aut quoniam qui colitur in illo Deus, leonis in morem prostratis, humilibúsque parcat, in elatos ac superbos sæuiat, ita vt creditum sit intellectū peruenire ad leonem precum [i].

Liceat & nouam proposito excogitare rationem, videlicet vel tunc maximè grassari dæmonem cum rei diuiniori vacatur: tunc veluti magis insultare, cum sauciatur magis, quemadmodum de leone Poëta [k] cecinit:

> *--- Pœnorum qualis in aruis*
> *Saucius ille graui venantum vulnere pectus,*
> *Tum demum mouet arma leo, gaudétque comantes*
> *Excutiens ceruice toros, fixúmque latronis*
> *Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.*

Refert Cassianus [l], Quadragesimâ dæmonem acriùs tentare, possumúsque id de Religiosis aliis temporibus ostēdere. Sed & in genere scribit ex Iustino Oecumenius, acriùs quam olim diabolum nunc insidiari, quia magis agnoscit vim sui supplicij. Videntur idem etiam Irenæus [m], Epiphanius [n], Cyrillus [o] Alexandrinus tradere. Quamuis ex alia parte sit verum, quod Beda hîc docet, repressam illius tyrannidem; quod *per electionem principis huius mundi foras* innuit Christus, *& per fortiorem, qui fortem armatum vicit*, ita vt non teneat captiuos ad suam voluntatem, non ita operetur in hominibus opera sua, non cribret sicut triticū, non tam facilè superseminet zizaniam: sed melius cognoscantur vincantúrque cogitationes, ac insidiæ ipsius: non adeo admittat Deus accusationes contra nos, non tam liberè venire audeat inter filios Dei, vtpote calcatus, & cōtritus pedibus fidelium; atque in exorcismis frequentiùs exsufflatus. Hæc ipsa tamen simul causa est, cur maiore inflammetur ira, sciens quia modicum tēpus habet, vidénsque tantam sibi crebrò prædam eripi.

Quæri posset, an diaboli nomen sit proprium primi, & is an singulos tentet. Neutrū est vt alias demonstraui [p]: nec singuli singulos dumtaxat, vel de vno genere peccati sollicitant.

Quæstio item alia satis trita, cur conditi spiritus, quos malos futuros præuidit Deus, curque sint, vt nos tentent. Vocat Chrysostomus [q] hæc ingratitudinis summæ verba. Eximiam verò inde nobis vtilitatem prouenire, Deóque gloriam. Idem ait Athanasius [r], ac alij, vt itē alibi vidimus. Oremus *vt saluet nos Deus de ore leonis* [s], vbi longè magis, quàm intra ceti ventrem periculum [t]. *Deuorat diabolus, & veluti sibi per mortalem culpam peccatorem incorporat*, inquit Lyranus. E contrario Iu-

stus

a Lucæ 4. 6. b l. 3. digest. de acqu. possess. c de zelo, & liuore. d ser. 1. in Do. 3. post Pentec. Circuitus diaboli quid denotet. e Psal. 139. 6. f Alibi 5. 8. g quæ. 2. To. 4. h Regu. Monac. cap. 1. i Eccl. 25. 22. k Hom. 22. ad populum. l ep. ad Rom. m Esa. 38. 13. n Psal. 7. 3. o 2. Tim. 4. 17. p Prou. 28. 15. q Prou. 19. 12. r Psal. 33. 11. s Eccli. 21. 3. t 3 Re. 13. 24. cap. 20. 36. u 4. Reg. 17. 25. x 9. de histo. animal. c. 44. y lib. 8. c. 16. z 6. de histor. animal. c. 31. a 8. de histor. animal. cap. 5. Nullo satiatur diabolus cibo. b Ælia. lib. 2. de animal. c. 3 Philostra. lib. 8 de vita Apollo. cap. 10. c Habac. 1. 16. d epist. 22.

e lib. 1. Reg. c. 9. f Quæ. Tom. 4. operum S. Augustini. g Psal. 9. 30. Leonis nomina secundum Hebræos. h Esa. 29. 1. i Plin. lib. 8. cap. 16. k Virg. 12. Aeneid. l colla. 21. c. 28. m lib. 5. n hær. 30. o 6. contra Iul. Diaboli nomen an sit proprium primi. p in Euange. D. 1. Quæst. q hom. 22. in Genesim. r quæst. 7. ad Antiochum. s Psal. 21. 22. t Ionæ 2. 1. & seq.

stus Christi cibus est, quemadmodum & Ignatius panem se Christi nominabat [a].

Vers. 9.]Cui resistite fortes in fide: scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.

EN aduersus tāti aduersarij periculū fides pro remedio; nec non adeo multorum per orbem dispersorū fratrū exemplū, qui talia patiebantur. Cum resistitur diabolo, fugit [b], & fortibus qui leo erat, euadit myrmicoleo, vt docet Gregorius [c]. Ac vt à primo ordiamur, *fides victoria est, quæ vincit mundum* [d], mundique principem: hoc scuto *ignea nequissimi tela omnia extinguuntur* [e]. Antonius pugnacissimus diaboli antagonista hoc armorum genus, & maximè tractabat ipse, & plurimùm commendabat [f].

Ante fidem Christi, aduentúmque ipsius latissimè dominabatur dæmō per idololatriam, audiebatur, videbatur in supposita forma: hoc tempore scribūt ad nos Indici agricultores spirituales, quibus in locis non est illata, recepta, retenta Euangelij lux, veneficiis plena esse omnia: de regionibus, quas peruasit hæresis pestilentia, vel in Fide languidiorem morum corruptela, quantum superstitio magica inualuerit, quis ignorat? Idipsum alio loco annotaui de Hæresiarchis [g], & Catalogū contexuit Delrius noster breuē in Proloquio Disquisitionum suarum magicarum, ac Feuardentius in epistolam Iudæ. Tertullianus [h] magiam appellat hæreticarū opinionū auctricem.

Putat Oecumenius Iustinum citans, diabolum post aduentum Christi multò diligētiùs & acrius tentare: quia quod antea obscurius cognouerat, apertiùs intellexit, *paratum ignem sibi, & Angelis suis* [i], vt plures habeat in pœna socios. Quidquid sit de notitia illa maiore, & cùm dubitari nequeat vexatos etiam dæmonas antequam veniret Christus igne, quamuis non omnes adhuc detineantur inferno: certum quoque videtur, latiùs antea dominatum eorum se extendisse, compressósque admodum fuisse a Christo: vnde tamen simul cō sequens est, maiore odio nunc exardescere, plúsque conari aduersus illos, qui plus ei resistunt in lege gratiæ. Lege Cassianum [k].

Igneæ leonē esse naturæ produnt Physiologi, & omnis corporis eius cōstitutio, moréque satis eā produnt, ita vt etiam ex ossibus concussis ignis velut è silice elidatur: attamen ignem præcipue reformidare, testis Aristoteles [l], citās Homerum:

Καιόμεναί τε δεταί, τάς τε τρεῖ ἐσσύμενός περ,
Ardentésque faces, quas quamuis sauus horret.

Proditur idem à Plinio [m]:

Ignea diabolo fides, fiduciáque terror, longè magis est. aperit enim omnes artes eius fides, & suppeditat firmissima è diuinis sentētiis monita. Timere gallum leo etiam fertur, seu videat, seu audiat, præsertim album, nec hunc tamen solùm, vt velle Albertus [n] videtur. De omni gallo in genere asserunt Lucretius [o], Plinius [p], Solinus [q], Ælianus [r], Proclus [s]: de albo maximè Ambrosius [t], quāuis de crista duntaxat meminerit Plinius, Lucretiúsque de aspectu, Solinus de cantu. Antipathia non ex eo est, quod sit gallus animal solare, sicut Proclus tradit, est enim & leo: nec quòd, quia gallus magis, & quodammodo maiore diuinitate præditus, eum leo religiosè vereatur, vt respondet idem apud Pierium [u], quis id credat? Lucretius dat causam:

Nimirum, quia sunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ cum sunt oculis immissa leonum,
Pupillas interfodiunt, acrémque dolorem
Præbent, vt nequeant contra durare feroces.

Causa hæc locum habet dūtaxat in visione, nō in cucurritu galli. Certe difficilè acquiescit animus in certorū effectuum reddendis causis, vt cur etiā terreatur leo, quod dixi prius, ignibus, ac præterea rotarum orbibus circumactis, quæ Plinius [x] quoque prodidit: apud quē adhoc exrat [y] a leonibus, & pantheris homines non attingi, qui iure galli perunctii fuerint, maxime si ei allium admisceatur. Fatetur Ælianus [z] causam sibi incompertam, quare leoni gallus terrori sit, eósque qui exquirant, ait non assequi.

Similis antipathia quędam asinorum, & equorum. Nam ruditu eorum stridore Scytharum equos pugnam contra Persas detrectauisse memorat Herodotus [a]. Tale illud quod prodit Germanicus Cæsar, Gigantes à Libero, Vulcano, Satyris, asinorum, quibus insidebant, præsidio victos, ac in fugam versos immenso ruditu [b]: idcirco cū præsepi in cancri signo gratos Deos locauisse. Porci grūnitum Elephanto æquè aduersum scribunt Zoroaster [c], Ælianus [d], Plutarchus [e], Suidas [f]: hoc stratagemate à Romanis Pyrrhum victum, à Megarensibus Antipatrum, periculum quod elephanto ingruebat appensa è turre sue remotum cùm grunniret. Solent elephantorum magistri pullis eorum sues associare, vt grunnitum horrere dediscant.

Ego verò vt eum, qui conceditur ab omnibus, vndecumque proueniat, timorem leonis, ad rem præsentem moraliter referam, dico diabolo resisti cantu, vel crista galli: nam *qui laudans inuocat Dominum, ab inimicis suis saluus* [g]: & valet plurimum ad reiiciendos ictus eorū galea spes salutis [h]: quæ spes nomine fidei nonnumquam intelligitur [i]. Oculos habet grandiores leo, palpebras minores, quibus integi toti nō possunt, vt idcirco dormire apertis videatur oculis. Nil mirū, si splēdor acrior ignis officiat. *Credit dæmon, & contremiscit* [k]. Fidelis conniuet, & oculos humiliter claudit, contentus reuelantis auctoritate. Hæc ipsa fides incutit dæmoni terrorem: vel humilitate, ac simplicitate assensus, vel fraudum eius detectione vel propositione omnis generis remediorū aduersus ipsum; vel, vt ita dicam, fortificatione, quę fit virtutibus, donisve aliis, quibus radices fides in nobis agit. Hæc sunt in intellectu dona scientiæ, intellectus, sapientiæ, in affectu charitas, in qua cùm radicati, & fundati sumus, habitat Christus per fidem firmiùs in cordibus nostris [l]; præterea patientia, & longanimitas, quæ mirificè confortant [m].

Verùm ipsimet fidei secundùm se meritò resistentia tribuitur, sicut & scuti ratio, vt vidimus, quod item possumus appellare scutum veritatis, quo circumdati *non timens a timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano* [n]. Oculum dextrum rectè dixeris fidem, quia videt naturalia & supernaturalia, cum ratio, velut oculus sinister, iudicet solùm de naturalibus, vt ait Bonauentura [o]. Vellet fidei dextrum oculum eruere diabolus, vt quondam Naas voluit eruere viris Iabes [p]. Significat verò Naas serpentem, proindéque diabolum. Amisso oculo dextro pugnari nequit, quia scutum operit sinister oculus.

Torpescit vt leo in oculos nimis perspicaces, obiecto quasi sago [q] velóque fidei nostræ. Cùm sic resistitur diabolo, fugit [r] aut etiam capitur.

Marginal notes:
a ep. ad Rom.
Diabolus cui resistitur imbecillus est.
b Iacob. 4. 7.
c Moral. cap. 16. & 16.
d Ioan. 5. 4.
e Ephes. 6. 16.
f Athanas. in Vita.
g Act. 8. 24.
h de Præsc. cap. 37. *Magia hæreticarum opinionum auctrix.*
i Matth. 25. 41.
Dæmonum dominatus latius se expandit quā nunc.
k collat. 7. cap. 27. collat. 8. cap. 18.
l 9. de hist. animal. c. 44.
m lib. 2. c. 6. *Ignea fides & fiducia est terror diabolo.*
n li. 22 & 23. de animal.
o 4. de natura rerum.
p lib. 8. ca. 16. lib. 10 c. 21.
q in Polyhist.
r li. 6. de animalib. c. 22. & lib. 8. cap. 28.
s lib. de sacrificiis.
t 6 Hexamer.
u lib. 2.
x lib. 8. c. 16.
y lib. 2 .. c. 4.
z li. 2. de animal. cap. 28. *Cur leoni gallus sit terrori incompertum.*
a lib. 4.
b in Arati phęnom. in cancro.
c li. 1. Geopon.
d lib. 8. de animal. c. 36.
e in Sympos.
f verbo κεραός.
Galli cantu leones terrentur moraliter.
g Psal. 17. 4.
h Isa. 59. 17. Ephes. 6. 17.
i 1. Thess. 5. 8.
k Iacobi 2. 19.
l Ephes. 3. 17.
m Colos. 1. 11.
n Psa. 90. 6. *Fides oculus dexter est.*
o de Dieta salu. cap. 26.
p 1. Reg. 11. 2.
q Plin. lib. 8. cap. 16.
r Iacob. 4. 7.

a Eph. 4. 27. Leo timetur ab incredulis, à fortibus in fide contemnitur. b serm. 41. de verb. Dom. c li. 3. de summo Bon. c. 4. d in cap. 5. Matthæi. e Matth. 5. 39.

Ratio etiam resistendi, est locum Diabolo non dare [a], sed contemnere, vt monet Augustinus [b]. *Ab incredulis vt leo timetur*, inquit Isidorus [c], *à fortibus in fide, vt vermis contemnitur*, atque ad momentũ ostensus repellitur.

Patientia item resistitur, ait Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius [d]: *ita vt cùm canetur, ne resistamus malo* [e] (τῷ πονηρῷ, i. diabolo) sensus sit, ne illi per ministros suos percutienti, vel iniurias inferenti, similibus iniuriis, resistamus, quoniam non ignis igne, sed aqua extinguitur. Quanquam illud Christi præceptum potius pertinet ad iniuriam, quam infert alius homo, & malum pro iniuria sumitur, vel pro homine malo. Illud σοφὸν τὸ χρῆμα, & ingeniosum ranarum Ægyptiarum, quod Ælianus [f] narrat, opus, potest non ineptè huc secundum quandam tropologiam transferri, si in hydrum inciderint, frustum demordens arundinis obliquum, ore mordicus tenet: ita hydrus illas nequit cum arũdine vorare. Fidem hîc tenaciter retentam, & obiectam Diabolo sumere possumus.

f 1. de Varia Hist. c. 3.

Tria Euãgelicæ perfectionis præcepta hîc continentur.

Porrò notatu dignum in hoc, atque priore versu cum sequenti tria contineri præcepta, quibus perfectionis Euangelicæ summa comprehenditur, nempe abstinentiam à malo, quàm denotat sobrietas: iustitiæ opera, quæ per vigilantiam, ac resistentiam contra Diabolum significantur: spem vitæ æternæ, de qua posteriore præsentis membro versus, & versu sequenti. In capite primo [g] mentio de iisdem tribus facta, cùm de succinctis lumbis & sobrietate. *Cum de filiis obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ desideriis, & vt in omni conuersatione sancti essent*: cùm vt speraremus perfectè in eam, *quæ offertur gratiam, in reuelatione Iesu Christi*. De his tribus disserebat Paulus coram Felice [h], hoc est, *de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro*, vt notauit Augustinus [i]; quemadmodum & eadem inesse in Christi præcepto [k] *de lumbis præcingendis, de lucernis ardentibus, de expectando Domino*.

g vers. 13.

h Act. 24. 25. i serm. 39. de verb. Dom. k Lucæ 12. 35.

Obseruat præterea Thomas Anglicus, quemadmodum in Diabolo peruersitas designatur per nomen aduersarij; robur per nomen Leonis; crudelitas, cùm rugiens dicitur; sollicitudo, cùm circumeundo quærere: sic a nobis exigi contra primum, vt resistamus: contra secundum, vt simus fortes: contra tertium, vt fidei mansuetudinem habeamus: contra vltimum, vt vigilemus.

Cui resistite.] Hieronymus [l]: *Aduersum quem resistite*. Syriacè *insurgite* קומו: *Kumu* ἀντίστητε.

l in c. 55. Esa.

Fortes in fide.] Στερεοὶ τῇ πίστει. Syriacè *obfirmati*. משררין *mesarerin*. Hieronymus [m], *Confortati fide*. Priùs dixi, fidei vocabulo intelligi posse etiam fiduciam siue spem, quæ vocatur galea salutis [n], & anchora [o]; quæ duo multùm valent ad resistendum. Interpres Latinus Oecumenij solidum, ac firmum animi propositum exponit: & hoc quidem confert plurimùm. Sed nihil Oecumenius Græcè de illo. Vnde autem fidei fortitudo sit, antea docuimus.

m ibidem.

n Esa. 59. 17. Ephes. 6. 17. 1. Thess. 5. 8. o Heb. 6. 19.

Scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestra fraternitati fieri.] Hæc altera solatij causa, similes, & pares habere tribulationum participes, sociósque, vt sociarum ista veluti manuum admotio in subleuando, quemadmodum notat Oecumenius, pondere multùm conferat, non solùm quod antea proposuit, ducem sequi Christũ adeo pro nobis multa passum. Per sympathiam, *si patitur vnum membrum, compatiuntur* omnia alia membra [p]: *Si quis infirmatur, & nos infirmamur* [q]: *vinctorum, tanquam si simul vincti essemus, & laborantium tanquam & ipsi in corpore commorantes, memores sumus*, & vnà patimur [r]: *atque super contritione Ioseph conterimur* [s]: *flemus cum flentibus* [t]: *socij taliter conuersantium efficimur, vinctisque compatimur* [u]. Pudeat solos non posse pati, inquit Beda. Hoc suffusus pudore Augustinus [x], tandem diuinæ se tradidit disciplinæ, cùm scilicet apud se recogitaret continentiæ irrisionem exhortatoriam: *Tu non poteris quod isti, & istæ? & erubescebam nimis*, inquit, *quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, & cunctabundus pendebam*. Hoc est emolumentum cœnobiticæ vitæ, vt alteri ex alteris rectè viuendi rationem edisceant, vt Hieronymus [y] Rusticum admonet, pluresque Publius apud Theodoretum [z]. Qua de re plura ex aliis, Platus [a] noster, nec non de vtilitate bonorum exemplorum [b].

p 1. Cor. 12. 26. q 2. Cor. 11. 29. r Heb. 13. 3. s Amos 6. 6. t Rom. 12. 15. u Heb. 10. 33. 34. x 8. Confe. 11. Pudeat nos solos esse qui pati non possimus.

y epist. 4. z in Histo. Theoph. a 1. de Bono status Relig. cap. 39. b ibid. c. 26.

Nescio quo modo propter φιλαυτίαν fit, vt suas ærumnas quisque maximas putet, nec se alienarum, quæ sine dubio grauiores sæpè sunt, æstimatione solari possit. Sic fit è contrario, vt sua nemo sorte contentus, aliorum arbitretur meliorem. Talibus Paulus dicit *non restitisse vsque ad sanguinem* [c]: *nec tẽtationem nisi humanam eos apprehẽdisse* [d]. Talia scribendo non deiiciunt Apostoli, sed erigunt animos nostros, & promptiores ac fortiores faciunt, persuadéntque Deo familiarissimos fieri, inquit Chrysostomus [e]. *Quoniam qui immanere sibi cernit inimicum, maiore ad illum currit desiderio, quo se tueri possit, quemadmodum infantes pueri cùm quid horrendum viderint, ad matrum sinus protinus fugiunt, illarúmque pendentes vestibus, eis se tuentur ac protegunt; extra quod tempus, ne blanditiis quidem trahi se interdum patiuntur.*

Propter philautiam quisque suas ærumnas maximas putat.

c Heb. 12. 4. d 1. Cor. 10. 13.

e lib. 2. ad Stagyr.

Eandem passionem.] τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων. *Eadem passionum, easdẽ passiones*: quo item plurali numero Syrus vertit.

Et quæ in mundo est.] Quasi post hanc vitam futura non sit passio, sed in hoc mundo tantùm exerceatur, atque in eodem absoluatur, inquit Arias. Simplicior sensus est, vt fraternitas, i. fratres toto sparsi mundo significentur afflictionibus vexati.

Vestra fraternitati.] Τῇ ἐν κόσμῳ ὑμῶν ἀδελφότητι. Græca tollunt amphibologiam, ne quis existimet, *vestra fraternitati* illos ipsos denotare, quibus scribitur, & his pati similia, quæ passim patiantur alij quicumque in mundo degentes homines. Loquitur Petrus de fratribus eorum, ad quos scribit, eósque ait nihil dissimile pati ab illis, qui latè disseminati per mundum paterentur à persecutoribus nominis Christiani. *Et scitote*, inquit Editio Syriaca, *quod & fratribus vestris* על אחיכון *bhal achachun, super fratres vestros, qui in mundo sunt*, hæ passiones obueniunt. De fraternitatis vocabulo pridem dictum.

Fieri.] Ἐπιτελεῖσθαι. Gagneius, *Apparari, & exhiberi*, Catharinus, & Salmeron *perfici*. *& fine consummari*, iuxta illud Apostoli [f]: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia*. Caietanus *perfici*. Sed alio sensu, nempe quod passiones illæ non noceant, verùm ad perfectionem conducant: vt ideo qui se tentari à Diabolo sentiũt, pusillanimes fieri non debeant. Arias etiam *perfici*, prout est idem, quod absolui & finiri, nimirum in hac vita, fauéntque Vatablus, & Clarius vertentes, *consummari*. Melior primus sensus, quem Syrus quoque participio מערען *bharitsin, obuenientes* expressit, scilicet passiones חשא *hasse*.

f Coloss. 1. 24.

tudinem, iustitiam, ac innocentiam [a], vt omittam Ezechiam [b], & rursus alias Paulus laudas afferr [c]. Denique quando respectam à Deo humilitatem suam cecinit Maria, vt nempe mater Dei esset, iam gratia plena erat, & post Deum nihil vniuersitas rerum sublimius habebat. Itaque respexisse significat Deum ad humilitatem, qua se ipsam demittebat, quod verbale nomen *ταπείνωσιν* indicat, importans humiliationem, actum humilitatis, quam de B. Virgine Origenes [d] explicans, ait a Philosophis vocati *ἀτυφίαν, καὶ μετριότητα*. Addit quoque, humilitatis vocabulo illam comprehendere voluisse iustitiam, temperantiam, fortitudinem, sapientiam, demùm alias virtutes.

a Psal.7.9. b Esa.38.3. c 2.Cor.11. 21. & seq. 2.Tim.4.7.8.
d Hom.8. in Lucam.

Dat gratiam] Subiectum maximè capax formæ est id, quod omni nudatū est, ac in pura, vt dicunt, potentia: ibi requiescit spiritus domini [e]: *valles abundant frumenta* [f]: *emittit fontes in conuallibus* [g]: *humilia Deus respicit* [h]. Gratia nullibi nomē suum tuetur magis, quàm in humili, nam is, quidquid detur, vt datum gratis accipit [i], agitque gratias. Infinitam capacitatem humilis & insatiabilem nil explere potest, nisi Deus, ac si dici fas est, nec Deus quidem, quoniam suam humilis semper ad humilitatem, atque vacuitatem descendit. Euadit tamen humilis celsissimus, ac potentissimus, quia nulli nisi Deo subiicit sese, vel propter Deum, quem vnum constituit gloriam, & potentiam suam, vt annotat Gerson [k]: & quia nil superius Deo, qui proximè subiectus est ei, humilitate ipsa exaltatur, vt Augustinus [l] docet, dicens è contrario dum extollitur superbus, deiici, ipsúmque extolli, esse deiici, iuxta illud [m]: *Deiecisti eos, dum alleuarentur*. Idem dicit Gregorius [n] ex illis Iob verbis [o]: *Qui ponis humiles in sublimi*.

e Esa. vlt. 2. f Psal.64 14. g Psal.103 10. h Psal.137.6.
i Matt.10 8. & alibi. *Infinitam capacitatem humilis praeter Deum nil explere potest.*
k ser. in Cœna Dom. part. 2 consi 1.2. l 14. de Ciuit. c. 13. & in Ps. 50. m Psal.72. 18.
n 6. Moral. c. 8. o cap. 5. 11.

Dat gratiam Deus humili, tum eam, quæ sicut habitus inhabitat, tum qua diligit, & gratum habet. Miratur quodammodo pulchritudinem gressuum in hisce calceamentis Sponsæ [p] sponsus, & rapiunt sandalia ista oculos ipsius [q]: *glorificantem glorificat Deus* [r]: atqui cùm magna sit potentia Dei solius, *à solis humilibus honoratur* [s]: *Humiliare Deo*, ait Ecclesiastici [t] Auctor, *& expecta manum eius*, id est, dona, & munera, quæ plena dabit manu. *Respicit Deus in orationem humilium, & non spreuit precem eorum* [u]: immò *Humiliantis se oratia nubes penetrabit* [x]: *& qui quo maior est, humiliat se in omnibus, coram Deo inuenit gratiam* [y]. Quantò *humilius Magdalena sedebat*, inquit Augustinus [z], *tanto amplius capiebat: & Centurio quanto humilior* [a], *tantò capacior, tantò plenior* [b]. Ditescit omnium virtutibus, qui virtutes in aliis, non in seipso agnoscit, vt ille Bernardi monachus, qui triginta notauerat in Monachis, nullam in seipso [c]. Eundem legas de hoc loco toto disserentē [d], & Augustinum [e], Cassianum [f], Clementem Alexandrinum [g], Basilium [h].

p Cant.7.1. q Iud th.16.11. r 1.Reg.2.30. s Eccl.3.21. t cap. 3.9.
u Psal. 101. 18. x Eccl.35. 21. y Eccl.3.20. z serm. 27. de verb.Dom. a Matt.8.8. b Aug. ser. 74. de tempore. c Bernard. ser. 2. de aliis ud. & bassi ad. cord. d epist.42. e serm. 213. de tempore. f 12. de instit. cap.6. g 4. Strom. h Homil. de Humil'ita.

Ad extremum, in hoc videtur occupari Deus, quemadmodum Chiloni sciscitanti, quid Iuppiter faceret? Æsopus respondit, *vt excelsa deprimat, extollat humilia*. Christus *vnus humiliauit semetipsum* [i], quia nullus humiliare ipsum potuit: non habebat in se causam humiliationis, id est, defectum illum post tantam gloriam, famámque doctrinæ, ac miraculorum tanta passus est, quæ præuidit, & voluit: & eo maior humiliatio, quò ex altiore statu. Solus Christus fuit humilis corde, id est, non iudicio, quia non iudicabat id necessarium, seu in se caussam esse, vt obseruat Bernardus [k].

Christus vnus humiliauit semetipsum & cur. i Philip.2.8.
Solus Christus fuit humilis corde.
k serm. 42. in Cantica.

Vers. 6.] Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.

MAgna sponte humiliantis se etiam sub hominibus, aut ab his, cùm humiliatur patiēter ferentis securitas, magnum præmiū. Nam potens est Deus, vt sua illū erigat manu, & extollat, suóque tempore pro diebus, quibus humiliauit eum, lætitia afficiat [l], quoniā *Humilem spiritu suscipiet gloria* [m]: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos, ipse saluabitur* [n]: *Humiles spiritu saluabit Deus* [o]. Penè gemina huic Iacobi sententia [p]: *Humiliamini in conspectu domini, & exaltabit vos*. In conspectu Domini dicit, non nequiter, & plenis interioribus dolo [q]: *multi enim humilitatis speciem habent: veritatem pauci sequuntur*, inquit Hieronymus [r]. Eadem illa potentia Dei persuadet, vt sponte, ac libenter Deo subiiciamus nos non solum propter præmium exaltationis, & quia de manu omniū qui oderunt [s], & persequuntur nos, manus eius omnipotens liberare nos valet, nec est qui de manu ipsius, ac de velamento manus eius [t] protegentis possit nos eruere: sed quoniam effugi nequit vis potentiæ eius, ac velis, nolis, subdi oportet Deo. *Vsquequa non vis subiici mihi?* (ענות *hhanoth* humiliari) dixit Pharaoni Deus [u], tot plagis exercito. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* inquit Dauid [x] agēs de persecutionib. suis, & Michæas [y] post enumerata Dei beneficia: *Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo excelso*. Id omnes necessariò facturos, pronuntiauit Dei verbis Esaias [z]: *In memetipso iuraui, &c. quia mihi curuabitur omne genu*. Salubre consilium Sapientia [a]: *Deprime cor tuum, & sustine*.

l Psal. 89. 15. m Prou.29.23. n Iob.22.29. o Psal.33.19. p cap.4.10.
q Eccl.19.23. *Humilitatis speciem multi habent, pauci veritatem.* r epist. ad Celantiam.
s Lucæ 1.74. t Psal.60.4. Psal.62.9.
u Exo.10 3. x Psal.61 1. y cap.6.6.
z cap 45. 23. Rom.14.11. a Eccl.2.2.

Humiliamini.] Scilicet spōte, vt dixi, humiliate vos, humiliate animas vestras. Quos dicendi modos cùm non rarò de aliis vsurpatos legamus, non arbitror vim faciendam, quando Paulus [b] asserit de Christo, *quod humiliauit semetipsum*, quasi ceteris id nequeat conuenire. Vnus quidē Christus quia Deus nō habuit, à quo subiici, atq; humiliari posset, hácq; de causa solus humiliauit semetipsū [c]: omnis pura creatura nihilo subiecta, vnde Deus illā excitauit, subiicitur Deo, qui posset in nihilū redigere. Homo præterea propter peccatū, quod est infra nihil, & ob adeo multas calamitates, quibus subiicitur, plurimas, & grauissimas humilitatis causas habet. Christus abiecit seipsum, vt homo fieret, atque similitudinem *carnis peccati* [d], *formam serui* [e], peccati, & peccatoris appellationem, pœnásque susciperet. Hæc Christi humiliatio, annihilatio vocatur ibi, & exinanitio *ταπείνωσις, καὶ κένωσις*: præterea egestas [f], vt scilicet essemus, exaltaremur, repleremur, ditaremur. Vnde sicut minuitur Luna, inquit Ambrosius [g], vt elementa repleat, & exinaniuit eam Deus, vt repleat: ita se exinaniuit, vt omnes repleret, exinaniuit se, vt descenderet nobis: descendit nobis, vt adscenderet omnibus.

b Philip.2.8. c Philip.2.8. *Omnis creatura subiicitur Deo, qui posset illam in nihilum redigere.*
d Rom 8.3. e Philip.2.8. f 2.Cor.8.9. g 4. Hexa. c. 8.

Sub potenti manu Dei.] Manus per seipsam significat aliquando potentiam, præter alia non nulla, de quibus aliàs [h] diximus. Manum verò potentem dicit, aut veluti extentam, paratámque ad percutiendum, vt Thomæ placet Anglico: aut ad fouēdum. Hugo vtramque ponit causam, nam inde causa, cur humiliari debeamus est, *quia superbis resistit*, *qui resistunt dexteræ ipsius* [i], & *à fortitudine manus huius defecimus in increpationibus* [k], dum aggrauatur super nos [l]: hinc quoniā super

h Act.4 28. *Manus cur potens dicatur.*
i Psal.16. k Psal. 38. 12. l Psal 31.4.

a Psal. 143. 7.
b Esa. 49. 2.

humiles est, *mittit manum suam de alto* [a], *& sub umbra manus suæ protegit vos*.

Pendet ex primo sæpe secundum, nec non ex eo, quòd persecutores vestros Deus comprimat. Respexit Petrus tamē præcipue humilitatis præmium, & exaltationem, de qua statim. Iacobus Vitriacus [c] post Eucherium, addit manum sumi pro Filio Dei, cuius etiam affixæ manus mundum debellauerunt, nósque tanto exemplo ad humilitatem inuitant. Æque mysticum, quod affert de populi Iudæi reprobatione, quē leprosa designauerit manus Moisis [d], & cuius reprobatio timorem incutit, ac humilitatis ansam præbet. Idem est de manu pro legalibus obseruantiis eiusdem populi, quas tam seuerè Deus exigebat, puniebátque. Symbolum auctoritatis, ac potestatis augures interpretati sunt Vespasiano humanam manum subter mensam in triclinio repertā [e], & Galli regum suorum in imaginibus, virgam imponūt manui cum manu in Virgæ fastigio.

c sermon. 1. in Dom. 3. post Pentecosten.
d Exo. 4. 6. 7.
Humana manus Symbolum auctoritatis
e Pierius li. 35.

Vt vos exaltet.] Ipsamet humilitas exaltatio est, quemadmodum priùs diximus, Christus crucem suam nominauit exaltationem [f], non modò quia ibi altè de terra elatus est, *significans qua morte esset moriturus*. Sed quoniam per crucem exaltationem nominis sui super alia omnia nomina consecutus est [g], nósq; per eam tamquā per cœlestem machinam extulit, ac omnia traxit ad seipsum [h]. Scalam vocat Augustinus [i], & Hieronymus [k], scilicet mysticam illam Iacob [l], & Tertullianus [m] cum ligno, quo Elisæus attraxit ferrum aquis demersum [n] comparat. Vnde Petro Christus idem genus mortis significans, non vsus est exaltatione, sed cinctu [o]. Illud etiam de ferro affert Augustinus [p], & Irenæus [q].

Christi crux cur exaltatio dicta sit.
f Ioan. 3. 14. & 8. 28. 12. & 34.
g Philip. 2. 9. & seq.
h Ioannes 12.
i de Cataclys. mo. c. 6. & ser. 99 de temp.
k in Psal. 98.
l Gen. 28. 12. & seq.
m con. Iudæ. cap. 13.
n 4. Reg. 6. 5. & seq.
o Ioan. 21. 18.
p serm. 191. & 100. de temp. & lib. 10. hom. 10 27.
q lib. 5.

Non debemus in humilitate proponere nobis pro fine primario exaltationem. Hæc tamen cum illa nexum habet, potéstque quis præmij spe excitari primum sibi proponendo finem Deum solum. M. Ciceroni consulatum petenti Q. Cicero [r] suggerebat, vt propè quotidie ad forum descendens hoc meditaretur; *Nouus sum: consulatum peto: Roma est.* Quantò nobis meditandum magis, ac sibi dicere quoque oportet: (Nouus es, homo, non de cœlo natus, vel in Paradiso) Gloriam æternam petis (pretij rem, honorísque infiniti *non nulla condigna passiones* [s]:) *Cælum est, quod vim patitur, nec nisi à violentis rapitur* [t].

r de Petit. Consula. apud Cicero.
s Rom. 8. 17.
t Matt. 11. 12.

In tempore visitationis.] Addit interpres de suo, *visitationis*: potéstque visitatio & de præsenti tempore intelligi, & de futuro, præsertim autem de isto. In præsenti quādoque humiles exaltat Deus, aut multò sæpius, ac magis in futuro. Lege caput secundum [u]. Græcè est. Ἐν καιρῷ, quod Syrus aptè reddidit בזבנא דזדק *bezauna dezadik*. *In tēpore cōgruo*, id enim valet καιρὸς, vt alibi notatum est [x]. Sic est magis indefinita temporis ratio, non ad futurum dumtaxat, sed etiam ad præsens, & iubemur exaltationis nostræ, atque liberationis ab omni calamitate, vel ærumna permittere tempus Deo, qui posuit in sua potestate tempora, & momenta [y], atque, quod mox subiicitur, *omnem sollicitudinem proiicere in eum, quoniam ipsi est cura de nobis*. Vsurpanda crebro Heli summi sacerdotis sententia [z], *Dominus est, quod bonum est* (ἀρεστὸν placitū) *in oculis suis faciat*: illud item magni ducis Machabæi Iudæ apopthegma [a]: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat*: & aliud alterius ducis Ioab [b]: *Dominus autem faciet, quod bonum est in conspectu suo.* Pudet à militibus hac in parte victum Oziam pontificem,

u vers. 12.
x Act. 1. 7.
In manu Dei omnia nostra debemus ponere.
y ibidem.
z 1 Reg. 3. 18.
a 1. Machab. 3. 3. 60.
b 2. Reg. 10. 12.

immo à fœmina, quæ, cùm ille quinque præscripsisset ad auxilium Deo dies [c], grauiter coarguit, appellans [d] hanc tentationem Domini, ac sermonem nō qui misericordiam prouocaret, sed potiùs qui iram excitaret; idcirco ne tempus miserationis Domini ponerent, nec in arbitrium proprium diem constituerent ei; sed humiliantes animas, & in spiritu constituti humiliato, seruientésque illi, dicerent flentes, vt secundum voluntatem suam sic faceret cū ipsis misericordiā suam. Iussit tamen vt orarent [e], vt sicut dixerant, in diebus quinque respiceret Dominus populum suum Israel, ac intra breuius interuallum rediit Holoferne obtruncato.

c Iudith. 7. 23. 24. 25.
d ibidem c. 8. 10. & seq.
e ibid. vers. 32.

Permittere nos debemus voluntati diuinæ, sicut præcepit Christus [f] nos orare, & fecit ipse sub mortem [g]: & de quodam Patrum proditur eiusmodi oratio: *Fili Dei sicut vis, & sicut scis, miserere mei* [h]. *Adiutor Deus in opportunitatibus, in tribulatione* [i], ἐν εὐκαιρίαις, ἐν θλίψεσιν לעתות בצרה *lebhittoth batsarah*. *In manibus tuis sortes nostræ* [k] עתותי *hbittothai, tempora mea*, quo pacto extat etiam in Romano psalterio. Chaldaicè זמני פורקני *zemarne purkanach, Tempora redemptionis meæ*: ac fieri potest vt loco καιροὶ legerint LXX. κλῆροι, vt suspicatur quoq; Genebrardus. Tandem, ne desint externa, profanáq; testimonia, nemo ignorat, quemadmodum orari præcipiat Deum Plato [l], nempe, vt ab eo quod bonum est dumtaxat petatur: id quia cuiusmodi sit, in rebus fluxis, caducísque non intelligimus eius iudicio sinamus, Poëtam secuti, qui sic Latinè loquitur verbis Thomæ Mori martyris Angli.

f Mat. 6. 10.
g infra 26. 39. Luc. 22. 42.
h Ruban. in c. 8. Iudith. & Glossa medio.
i Psal. 9. 10.
k Psal. 30. 16.
l in Alcibiad. 2.
Quomodo orandus Deus iuxta Platonem.

Da bona, siue rogere Deus, seu nulla rogere.
Et mala à sine petare, nega, seu nulla petare.
Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ, καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις,
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ (vel λυγρὰ) καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν κελεύω,
vel εὐχομένων ἀπερύκοις, (vel ἀπαλέξοις.)

Consule de hoc Chrysostomum [m], qui Deum cum citharœdo perito comparat, instrumēti neruos tempestiuè laxante, & intendēte. Sed diuinæ curæ, ac prouidentiæ respondendum, faciendo quod in nobis. Narrat, ac reprehendit Augustinus [n] monasterij sui fratrē, qui correptus ab aliis cur quædam non facienda faceret, & facienda nō faceret, respondebat: *Qualiscunque nūc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præsciuit.* Verum docet Augustinus dixisse; sed hoc vero non profecisse in bono, sed vsq; adeo in malo, vt deserta monasterij societate, *fieret canis* [o] *reuersus ad suū vomitum*: licet adhuc qualis futurus sit, incertum sit.

m hom. 4. ad populum.
n de bono perseuerant. c. 15.
Fratris cuiusdā dictū, verū quidem, sed nō profectum.
o Prou. 26. 11. 2. Pet. 2. 22.

Meritò humilitati exaltatio tribuitur in beatitudine, quia humilitas non tantùm de propriè sic dicta virtute intelligitur, sed comprehendit eam quoque humiliationem quæ fidei necessaria est, patientiæ, & obseruationi mandatorum Dei: qui autem sponte noluerit his modis humiliari, cogetur cum damnatis infimum locum tenere, credere contremiscendo, pati grauissima tormenta, diuinam volūtatem in illis implere quæ minime vellet, quoniam non potest effugere potentem manum Dei.

Vers. 7.] Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

Confirmatur hæc sententia his, quæ proxime à nobis notata sunt. Eadem pene in psal-

mo[a] verba sunt. *Iacta super dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in aeternum fluctuationem iusto.* Quasi dicat iactandam aduersus fluctuationem animi nauem sollicitudinis fluctibus anchoram spei in Deum tutam & firmam [b], *qui gubernator est, ac auriga*, inquit Theodoretus [c]. Vetatur sollicitudo nimia de victu & vestitu [d], quia Gentilium est, *qua praestantior anima, quàm corpus*, & hoc quàm externa bona, & aeterna, quàm peritura illa: quia prospicit Deus sensu ac ratione carentibus rebus: quare multò magis nobis, quia idem est Pater noster, probe conscius necessitatis nostrae, cuius proinde tacita reprehensio fit, nimis circa haec esse. Rem adeo difficilem, sed maximè necessariam tot oportuit argumentis probari: sicut quando passionem Christi Petrus impedire nitebatur, tam multas ipse rationes adhibuit, quibus ostenderet eius necessitatem [e].

Paulus [f] monet, coniugum sollicitudinē tantam esse, atque *τὸν μέριμναν*, vt iuxta nominis etymon (quod est *μερίζειν τὸν νοῦν*) mentem diuidat. Christus [g] asserit *sollicitudine huius seculi suffocari verbū, & sine effectu effici*. Sed non approbauit Marthae circa plurima sollicitudinem; tametsi occuparetur in eo excipiendo, atque tractando [h], quoniam vnum necessarium esset: hoc est, paucis natura contenta, fatuisque foret auditioni vacare diuini verbi, faciendae sollicitudines istae in Deū, vt eas resecet, atque corrigat, & iactos ipse deuotat vel quod citò, & cum quadam execratione, & vehementi motu longius remoueat. illas oporteat, vt solet onere pressus, & sarcina réve fœ la attactus, aut quae ipsum laedat: vel quod tanquam in destinatum scopum, dirigere Deum.

Dominus sollicitus est nostri [l], seu vt legit Augustinus [k], *curam habet nostri. Qui habuit tui curam*, inquit, *antequam esses, quomodo non habebit curam, cum iam es, quod voluit vt esses?* Et post multa suauissimè, & piissimè in hanc sententiam dictam concludit: *Nunquam tibi deest: tu illi noli deesse: ou tibi noli deesse.* Quo pacto autem de singulis peculiarem curam suscipiat, non minus, quàm de omnibus, docet idē aliquot locis lectu sanè dignis [l].

Quocirca pendere nos oportet à Deo in omni sollicitudine, etiam illa, quae honesta est, quamque exigunt à nobis diuinae litterae, vt *sollicite ambulemus cum Deo nostro* [m], *& custodiamus sollicite animas nostras* [n], *& cuncta quae sunt in lege* [o]: *vt sollicite seruemus vnitatē spiritus in vinculo pacis* [p]: *vt qui praeest, id faciat in sollicitudine* [q], *& sollicitudinem gerat Ecclesiarum* [r]: *vt sollicitudine simus nō pigri* [s] *circa quod vis opus bonum*: vt ostentemus sollicitudinem ad expletionem spei vsque in finem, nec segnes efficiamur, verùm imitatores eorum, qui fide, & patientia haereditabunt promissiones [t]: vt de peccatis secundum Deum cōcepta tristitia *operetur in nobis* (*magnam*) *sollicitudinem, sed & defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desideriū, sed aemulationē, sed vindictam* [u]. Qui sunt bonae sollicitudinis effectus, quae paritet est secundum Deum.

Praecipit Paulus [x], *vt nihil solliciti simus*, verùm hac lege, *vt petitiones nostrae innotescant apud Deum*, qui scilicet vt diximus, nostri sollicitus est, sed ita, quod Augustinus [y] dicebat, vt nec illi desimus, nec ipsi nobis. Addit effectum consequentem Apostolus [z]: *vt pax, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras*, ne desiderando vagentur, ne cogitando errent, denique ne *μερίμνας* patiantur, anxias, & distrahentes curas: ne satagamus veluti *περισπώμενοι* hinc, indéque tracti, ac discerpti, quod verbum de satagente Martha vsurpatur [a].

Mons Moria sic denominatus est, postquàm pro Isaac arietem subiecit Deus, cùm dimisset priùs Abraham filio: *Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi* [b]. Inde ad Hebraeos, Hieronymo [c] teste, manauit prouerbium: In Monte Dominus videbit, cùm quis afflictatetur: nempe significare volebant afflore prouidentiam diuinam ad eum modum, quo succurrerat Abraham, & Isaac, piè, ac obedienter afflictis: vel quasi, vt praedicto Abraham impleta est illa ratione, quam diximus, etsi forsan ille ignoraret implendā, ita spetandum sit affuturam opem Dei, quamuis tempus, modumve nesciat. Alij ad futurum templū, & Messiae aduentum id referunt Lege Villalpandum [d] de nomine Moria. *In manibus fuis descripsit nos Deus, & muri etiam nostri in oculis eius semper* [e]: nihil autem praesentius nobis quàm manus nostrae, nihil visibilius quàm muri.

Si qui alij, multo magis alienę addicti pro Deo curae ex vitae instituto, sollicitudinem omnem exuere, proiicere, iactare debent, vt praecipiunt Ephrem [f], Basilius [g], Bernardus [h], cauentes quoque curam aegri corporis, procurationem medicamentorum; quoniam, ait Ephrem, *qui curat morbos animae Deus, etiam corporis curabit*. Qua de re prudentem adhibet huius Scholiastes Vossius cautionem, allatis nonnullis aliis exemplis. Feriarum appellatio diebus à Syluestro indita, Clericos monet à sollicitudine vacare secularium curarum, *vt non implicent se negotiis secularibus* [i]: quoniam illorum sors, pars, haereditas Deus.

Rursum Bernardus [k] alloquens Monachos modum excedentes, ac instar adolescentulorum diligentes nimis [l], id est, minus discreta vehementia, & intemperantia obstinata: *Qui vestri curam*, inquit, *semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos intromittitis?* Illud omnibus aequè conuenit praescriptum à Chrysostomo [m]: *Ne cures tua, sed ea Deo permitte: nam si satagis, tanquam homo satagis: si verò dimittas, Deus prouidebit &c. Vt igitur eorum maiorem gerat prouidentiam, ipsi soli omnia committe. Si vero & ipse spiritualibus om sis, ea tractaueris, nō multam eorum ipse curam geret. Vt igitur & hec tibi bene dispensentur, & omni cura* (nempe immoderata, quamuis priore loco is propriè loquatur, quos ad vitam hortatur monasticam) *liberis spiritualia tene, contemne secularia: sic enim & cum caelis terram habebis, & futura consequēris bona.*

Denique Basilius aliquandiu vexatus molesta cogitatione de fato, & fortuna, ob negatas sibi res nonnullas, quas expetierat, & exquisierat, claudit epistolam scriptam Eustathio philosopho [n]: *Nam omnino prouidentia sua* (Deus) *res nostras multò dispensat melius, quàm nos optare poteramus. Constanter Deo crede*, ait Augustinus [o]: *visque te totum committe quantum potes. Noli esse velle quasi proprius, & in tua potestate: sed eius clementissimi, & vtilissimi Domini te seruum esse profitere. Ita enim te ad se sublenare non desinet, nihilque tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* Ambrosius [p] his habet similia, agens in id psalmi: *sicut oculi seruorum*, &c. iterum Basilius [q]. *Sicut rerum grauium pondera appendendo, libra mentis discrimine, vtque de auro pendente fit & excusserim, an secus, experimur affectu lapidis: sic memoria repetētes mensurarum, modumque rerum omnium, nobis à diuina voluntate, & prouidentia praescriptum, sit illam omnia mensurātes, nunquam ab animi moderatione, & quiete excedere poterimus, quidquid demū nobis* adiersi

Marginal notes: a Psal. 54. 23. b Heb. 6. 19. c in ps. 54. d Matt. 6. 25. e Mat 16. 21. 23. c. 16. 52. 53. 54. Sollicitudo coniugū quanta sit. f 1. Cor. 7. 32. g Matt. 13. 22. h Luce 10. 41. I Psal 39. 18. k ibidem. Sollicitudo Dei erga nos quanta. l confess. ca. 11. Solilog. c. 14. medit. c. 19. m Micha 6. 8. n Deut. 4. 9. 15. o Iosue 23. 6. p Ephes. 4. 3. q Rom. 12. 8. r 2. Cor. 11. 28. s Rom. 12. 11. t Heb. 6. 11. 12. u 2. Cor. 7. 11. x Philip. 4. 6. y supra. z Philip. 4. 7. a Luce 10. 40. b Gen. 22. 8. 14. c de Trad. Heb. Prouerbium Hebraeorū In monte Dominus videbit, vnde natū sit. d in apparatu Vrbis Par. lib. 1. c. 8. e Esa. 49. 16. f Tom. 1. for. de Fide. g Reg. fus. 15. h epist. 321. & ser. 30. in cant. Quae Deo se addixere, multo magis curare non debent aduersa. i 2. Tim. 2. 4. k serm. 19. in cant. l Cant. 1. 2. m hom. 56. ad popu. & hom. 69. in Matt. n epist. 165. De prouidentia Deus nostra disponit quàm nos optare possemus. o Soliloq. lib. 1. cap. vlt. p Psal. 122. q hom. de Gratiarum actione.

aduersi nobis accidere videatur.

Cura moderata rerum temporalium est necessaria.

Verumtamen prouida de temporalibus quoque rebus cura, cautio item in periculis vitandis, non solùm non vetatur, sed præcipitur potiùs, & laude digna est: dummodo non tam labori, & industriæ nostræ nitatur, quàm prouidentiæ diuinæ. Qua ipsa de re, si optas; relege à nobis notata capite vndecimo Apostolicæ historiæ [a], vbi de sollicitudine tam quæ vnum quemlibet pro seipso attingit, egimus, quàm quę alteri pro altero imposita est. Vno verbo Hieronymus [b]: *A cura non penitus liberamur, (quæ soles σπουδὴ, id est, bonorum studium appellari) sed præcipitur, ne solliciti simus.* (hæc potiùs vocatur μέριμνα, vt antè dictum est) labor exercendus (animi corporísque) *quia in sudore vultus tui vesceris pane tuo* [c] (cum spirituali, tum corporali) sollicitudo tollenda. Legendus item Augustinus [d], qui, cùm *præcipimur quærere primum regnum Dei* [e], docet indicari corporis etiam bona quærenda, sed post bona animi [f].

Vt autem tacita reprehensio est eius, cui de nobis incumbit cura, anxia de nostris rebus propria cura nostra, quasi vel nesciat, vel nolit, vel non possit. Sic qui vetat ne talem suscipiamus curam, commendat propensiorem in nos amorem, alacriorem prouidendi voluntatem, exactiorem scientiam. *Hoc est puellas imitari, solum Deum patrem agnoscendo, cura de victu deposita, Patri soli adhærendo,* loquit Clemens Alexandrinus [g]. Non aliud suis Franciscus, pendens totus à Dei prouidentia, cùm illos peregrè dimittebat, viaticum dabat, quam illud: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet* [h]: cuius quidam vim experti aliquádo sunt, quando à ceteris humano præsidio destituti, pariimque accepti à Magistro præcepti memores, Angelus in tempore succurrit, sed prius exprobrans obliuionem tam pretiosi illius viatici, quod Magister dederat [i]. *Sit homo, qui esse debet,* ait Hieronymus [k], *& mox addentur ei omnia* [l], *propter quem facta sunt omnia. Sint mores sine auaritia,* inquit Paulus [m], hoc est, sine sollicitudine, *contenti præsentibus.* Ipse enim dixit [n]: *Non te deseram, neque derelinquam*, ita vt confidenter dicamus [o]: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Infinita sunt huius generis exempla. Nam quod Catharinæ Senensi dictum aliquando est, omnes sibi dictum debent putare: Cogita de me, & ego cogitabo de te.

Subtiliter obseruauit Tertullianus [p], in benedictione Iacob [q], rorem cœli priore loco positum, deinde pinguedinem terræ: secus in benedictione Esau [r], quoniam improbi ordine inuerso procurant in primis caduca bona, iusti æterna; à cœlo isti, Deóque pendent toti, & quidquid petunt, Patrem inuocant in cœlis [s], illuc oculos leuant [t]. Erubuisse se dixit Esdras [u] petere à rege auxilium, & equites, qui defenderent populum ab inimico in via, quia dixerat Regi: *Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate* [x]: *& imperium eius, & fortitudo eius, & furor super omnes qui derelinquunt eum. Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrum per hoc, & euenit nobis prosperè.*

Hic ad extremum notandum puto, locum istũ totum à Torriano [y] nostro, sicut pridem capite primo vidimus, accipi de sacerdotibus ministris Eucharistiæ, quibus non simpliciter tantùm sollicitudo, sed omnis proiicienda præcipiatur in Deum, eo quòd vel vxoribus carere, vel earum habere vsum non debeant. Sed nos, vt ibidem fecimus, plurium sectamur hac in re de generaliore propositione sententiam.

[a] verf. 29.
[b] in c. 6. Mat.
[c] Gen. 3. 19.
[d] lib. de opere Monacho. c. 1. & 2. & lib. cont. Adiman. c. 24.
[e] Matth. 6. 33.
[f] 2. de serm. Dom. in mon. c. 24. & 25.
[g] 1. Pædago. cap. 5.
[h] Psal. 54. 23.
[i] Chronol. 5. Francisci.
[k] supra.
[l] Matth. 6. 33. *Sit homo qui esse debet, & nihil ei deerit.*
[m] Heb 13. 5. 6.
[n] Iosue 1. 5. Esa. 41. 9. & seq.
[o] Psal. 117. 6.
[p] 3 cont. Marcio. c. 34.
[q] Gen. 27. 28.
[r] ibid. 39.
[s] Matth. 6. 9.
[t] Psal. 120. 1.
[u] 1. Esdr. 8. 22. 23.
[x] Sap. 1. 4.
[y] 2. de dogm. charact.

Non hic profanas colligam hac de re sententias, quibus immodicas reprehendunt, ac nimis anxias curas. Apto, licet nouo, & à se confecto vocabulo Seneca [z] his deditos curis, ac sibimet molestos, qui suum antecedant malum nominauit sarageos. Exemplo forsan Iurisconsultorum, qui abigeos vsurpant, nomen illud innouauit: qui dici abactores ab aliis solent, & abigunt abducúntque è pascuis, ac stabulis armentum, pecúsve.

Omnem sollicitudinem.] Μέριμναν. Dixi nomen hoc Græcum denotare nimis anxiã, & vitiosam curam, qua τὸν μερίζεται, mens diuiditur. Tamen in bonam quoque partem sumitur à Paulo [a]: *Qui sine vxore est, sollicitus est (μεριμνᾷ) quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Sed sæpius bonam sollicitudinem vocat σπουδὴν. In psalmum LIV. [b] est μέριμνα; *Iacta super Dominum curam tuam,* ἐπίῤῥιψον ἐπὶ κύριον τὴν μέριμνάν σου. Hieronymus: *Proiice super Dominum caritatem tuam.* Psalterium Romanum, & Ambrosianum: *Iacta in Deum cogitatum tuum.* Vatablus, & Felix: *Reiice in Dominum sarcinam tuam, siue pondus,* id est, molestiam, & id, quod te malè habet. Pagninus: *Proiice super Dominum donum tuum;* quod alij reddunt *dare tuum,* id est, quod dedit tibi, quod expetis dari tibi, id quod habes opus, quod vsui est tibi: Chaldæa paraphrasis posuit *spem tuam* סיברך *sibrach*, etsi alij legentes סברך *sobarecha*, vertant *onus.* Hebraicè est יהבך *iehauecha*: quam vocem Rab. Dauid Kimhi [c] ait ignoratam fuisse ab iis, qui pondus reddiderunt, cum ea nomo non Hebraica, sed Arabica sit, vel Syra. Suspicor Hieronymum aliud vocabulum legisse. nam יאב *iaau*, & אבה *auah*, & תאב *thaau*, est desiderare, appetere, velle, &c. sicut & אוה *auah*, seu אוה *auah*, calamitates grauiores oneris nomine vocari solent à Prophetis. Vita ipsa onus est, ob tam multa, quibus eget. In Christo requies est animabus [d] inter onera carnis, & propter iniquitatem, quæ est *vt talentum plumbi* [e]: *& sicut onus graue grauat* [f]. Christus autem illam tollit. Iob sibi ipsi onus erat [g]: Moses populum sibi commissum grauem sibi dicebat esse; & pondus, quod portare non posset [h].

Proiicientes.] In citato psalmo השלך *haslech.* Omninò proiicere, & ῥιπτεῖν propriè significat, quemadmodum & in Ecclesiaste [i], *Tempus spargendi lapides*, & alibi sæpe. Non significat contemptum Dei, sed quemdam veluti horrorem nimiæ, anxiæque curæ cum certa tutáque fiducia in Deum, sicut ante diximus: *In te proiectus sum ex vtero,* ait Dauid [k]; & aliis verbis: *Tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ: De ventre matris meæ, Deus meus es tu*, significat: (*In te proiectus sum*) *in* et super te, id est, in tuam fidem, ac tutelam. Metaphora fortassis, vt notat Genebrardus, ab obstetricibus super manus tuas prodiens ex vtero eiectus sum: vel à pueris proiectitiis, & expositiitiis, vt apud Plautum [l].

Ego proieci eam, alia mulier sustulit.

Denique proiectus sum in te ex vtero, id est, per te, ac tua eductus virtute.

Ergo proiicienda in Deum cura, tamquam quem geramus animi fœtus, vt educat Deus, educet, perficiat.

Quoniam ipsi est cura de vobis.] In psalmo: *Ipse te enutriet,* διαθρέψει יכלכלך *iechalcheleccha, feret te, sustentabit,* alet secundum mensuram, & veluti demensum tuum, vt solebat præpositus famulis da-

[z] epist. 58.
[a] 1. Cor. 7. 32.
[b] verf. 23.
[c] in libro Radicum.
Onus à prophetis calamitates grauiores appellantur.
[d] Matt. 11. 29. *Vita est onus.*
[e] Zachariæ 5. 7. & seq.
[f] Psal. 37. 5.
[g] cap. 7. 20.
[h] Num. 11. 11. 12. 13. 14.
[i] cap. 3. 5.
[k] Psal. 21. 10. 11.
[l] in Cistellaria.

re tritici mensuram [a] (σιτομέτριον) cibiariumue (σῖτον) in tempore [b]. Quaternos modios refert Donatus [c] famulos accipere solitos in singulos menses; idque demensum vocatum. Generaliter significat quiduis gerere ad certam mensuram, modúmque, quod aliter dicimus disponere, vt in psalmo [d]: *Disponet sermones suos in iudicio* יְכַלְכֵּל דְּבָרָיו *iechalchel debaraü*. Itaque rectè Petrus omnia necessaria cōprehendens vsurpauit curā: *ipsi est cura de vobis.*

In amore materno præfert se Deus erga nos [e], & nutritium se nominat [f]: *non est ei de bobus cura*, vt ait Paulus [g]; *non de culicibus, cimicibus, pulicibus, muscis, piscibus, non de irrationabilibus omnibus*, vt ait Hieronymus [h] (Augustinus [i] piè, subtilitérque considerat Dei prouidentiam in culicibus, & pulicibus,) si comparatio fiat cum prouidentia, curáque, quam de rationabilibus habet: *multò enim pluris sumus nos* [k]: *etiam capillos capitis nostri numerat*, curátque.

In capite sexto [l] libri Sapientiæ dixi aliquid in hanc sententiam, exponēdo illa verba: *Æqualiter illi est cura de omnibus.* Bernardus [m] autem quodam sermone complura disserit sanè quàm appositè, perpendens cum admiratione sponsæ verba [n]: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Postquam notauit quod modò retuli dixisse Hieronymum de prouidentia maiore circa hominem, quàm res alias: ait videri Petrum præcepisse: *intendite illi, quia ipse intendit vobis, nec scripsisse, (vt sit ipsi cura de vobis. Sed quia ipsi cura est de vobis.)* Nempe quia nō solùm dilecti, sed prius etiam sumus dilecti. Cōfirmat ex psalmis curam Dei, *Dominus solicitus est mei* [o]: *Dominus retribuet pro me* [p]. Ex oue humeris reportata [q]: ex memoria Dei plusquam matris [r]. Rursus in alio perpendit, quanti referat locare spem in Deo [s].

Vers. 8.] Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.

SIc nos abiicere sollicitudinem vult Deus, & nos illius curæ committere, vt interim aduersarium Diabolum caueamus, odio nos prosequētem, diráque omnia minantem, ac inferentem, vel hoc nomine, quòd sciat nos Deo curæ esse. Et sicut Deus sollicitus est nostri, & ipsi cura est de nobis: sic ille (Diabolus) inquit Bernardus [r], sollicitus est, vt nos mactet, & perdat, & vna ei cura, [*] ne fortè qui auersus est reuertatur. Idcirco temperantiæ studendum, cuius primum vulnus humano generi à vaferrimo serpente inflictum est [*]. De gula quoque Christum Tentator sollicitauit [x]. Vigilandum quoque, ne intercipiamur eiusdem insidiis, omnes nocendi vias sagaciter quærentis, & auidissimè ad prædam nostram inhiantis.

Quocirca nō pertinet hic ad Episcopos solus, & sacerdotes Eucharistiæ ministros locus, vt aliquoties annotaui, licet cum Turriano [y], ita quoque sentiat Valentia [z]. Nec refert, quòd absolutè sobrietatem exigat nunc Petrus: capite præcedente [a] ad Orationes, quasi semper seruari debeat ab istis continentia, ab aliis ad tempus, & orationis causa: nam æquè generalis hic, & ibi sermo. Cyprianus [b] egregiè declarans istam sententiam, ostendit quo pacto aduersarius iste, hostisve nos tamquam clausos obsidens, muros exploret, an sit pars aliqua minùs stabilis, & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Inductione facta per oculos, aures, linguam, manus, per lucra, honores, & similia, subiicit, cùm latenter non potest fallere; exertè, atque apertè minari; terrorem turbidæ persecutionis intentando: denique ad debellandos Dei seruos inquietum semper, & semper infestum esse in pace subdolum, in persecutione violentum. Haud abludit a Cypriano Gregorius [c], dum tropologicè ait doctori, & omnibus nobis, exemplo Saul [d] pugnandum per circuitum cōtra inimicos, qui omnibus sensibus nostris insidiantur à dextris, per læta, a sinistris per aduersa: retro per memoriam præteritorum oblectamentorum: ante, obiiciendo districtam conuersationem, & longitudinem vitæ. Subdit quoque modum pugnæ, victoriæque per circuitum obtinendæ.

Magna sobrietati affinitas cum vigilantia, non ea modò, quæ somnū corporis cohibet, sed multò magis, quæ oscitantiam animi. Magnum in militibus excubiarum est momentum, nec facilè vigilant, qui somni conciliatricibus escis se replent. *Opus cum diuina gratia*, inquit Cyrillus [e] Ierosolymitanus, *sobria mente, & vigilantibus oculis, vt Zizaniam vitemus pro tritico, pro oue lupum, Diabolum pro Angelo bono.* Pseudoprophetas instruit leo hic, vt ab iis deceptos nos interimat [f]: quod innuit Bachiarius [g]. Augustinus [h] de persecutione manifesta contra Martyres, occulta per draconem, qui hæreticos incitauit in Ecclesiam: ita vt apertè sæuiens leo quæreret quem deuoraret: draco quomodo insidiaretur. Dicit præterea [i], quòd eiecit draco Adam de Paradiso [k]: idem ipse leo persequitur Ecclesiam.

Verùm plures extēdunt sententiam ad quemlibet nocendi modum, siue tectè, & clam, siue palam, apertéque: sicut, præter alios etiam Hieronymus [l], Origenes [m], Chrysostomus [n], Bernardus [o], Gregorius [p]. Quamuis leonis ingenium à vafricie alienum est, agítque potiùs corporis robore, ac manifesta vi; tamen insidiatur quandoque etiam in spelunca sua [q], ac Epiphanio [r] teste, sua vestigia cauda obtegit, ne capiatur à venatoribus illis insistentibus. Meminit quoque Ælianus [s], & Plutarchus [t], Isidorus [u], & addunt contortis ingredi pedibus ac tamquam vagina conditis intus vnguibus. Etsi sunt, qui hyberno potissimum tempore id facere asserant, quando facilius est in niue relictis vestigiis deprehendi. Extat eiusdem ingenij mentio apud Areopagitam [x], & Glycam [y], qui cum Epiphanio ad Christum accommodat tectum Humanitate. Sed Nazianzenus aptè ad rem nostram explanat [z].

——— πολλάκι δ' αὖτε
Ἔδλυ τ' ἤδη κακοῖο διαίκειον ἐχθρὸς ἄμορφον
Ὡς θὴρ καρδάλεος τις ὑπ' ἴχνεσιν ἴχνια βάλλων
Ὡς κεν θηρητῆρα κακῷ πλάζοιτο δόλοισι.
Sæpe mihi rursus delectum subdolus hostis
Virtutis, vtilisque adimens mea lumina fallit,
Vt fera signa pedum, quæ signis callida turbat,
Hac venatorem vernutis ludat vt arte.

Huc referri potest illud Horatij [a]:

——— *quia me vestigia terrent,*
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Quacumque tandem id ratione faciat, resisti ei potest, ac debet voluntatis liberæ conatu, alioqui frustra moneremur ad resistendum, frustra quæreret Diabolus, quos perderet, vt rectè Faustus [b] colligit, probans nullos esse iam diabolo deputatos absque respectu ad libera mala opera,

sed

a Lucæ 12. 14. Matt. 24. 45. Demensum quod ſit. in Terentij Phormione. b ... d Psal. 111. 5.

e Esa. 49. 15. Baruch 4. 8. Oseæ 11. 3. f ... g 1. Cor. 9. 9. h in cap. 1. Abac. i Aug. in psal. 148.

k Lucæ 12. 7. Matth. 10. 31.

l Mat. 10. 30.

m serm. 68. in cant. vide etiā ser. 69. & 70.

n cant. 2. 17.

o Psal. 39. 18. p Psal. 137. 8. q Lucæ 15. 5. r Esa. 49. 15. s Serm. in ps. 90.

Diaboli cura est nos mactare & perdere. r serm. 11. in psal. 90.

u Gen. 3. 1. & seq. x Matth. 4. 3.

Non pertinet hic locus ad solos presbyteros & sacerdotes. y de dogmat. charact. z tom. 4. disp. 9. q. punc. 3. § 1. a vers. 7.

b de zelo, & liuore.

c in 1. Reg. c. 14. d ibidem 47.

Sobrietati cum vigilantia magna est affinitas.

e Catech. 4.

f 3. Reg. 22. 24. g ep. ad Ianu. Tom. 5. Bibl. Patrum. h in Psal. 90. Concio. 2. Tract. 10. in Ioan.

i Tract. 10. in Ioan. k Gen. 3. & seq.

l ep. 8. & 22. & Tom. 4. ep. 3 1 Demetria. & lib. 3 in ep. ad Ephes. & in c. 32. Ezech. Leonis ingenium à vafricie alienum est, tamen ... n in c. 5. cap. 2. ... o hom. 33. ad populum. p ... q Ps. 10 p ... r ... s lib. ... de Anim. cap. 10. t Opusc. de animantium comparat. u lib. 12. Etymol. cap. 2. x Cœle. Hier. cap. 2. y in Annal. z Carm. de Virtut.

a lib. 1. epist. ep. 1.

b lib. 1. de lib. arb. cap. 10. Tom. 4. Bibl. Patrum.

sed adiuuante illo, prope quem positi, cuiuslibet contra nos non timemus pugnantis manum [a], & si nostra sit Deus salus, illuminatio [b], protectio, nec integra quidem (leonum) castra verebimur: denique *si Deus pro nobis, quis contra nos* [c]? hoc est, contemptibilis, & nihili efficitur omnis aduersarius, vt idem Origenes [d] monet: non plus potest, quàm permittat Deus, quemadmodum leo prophetam suffocare potuit [e], cadauer illius ei tangere, vel asinum non licuit: *olim circumbat, nunc cum dracone conculcatur*, ait Athanasius [f], intelligés circuire, sed non adeo liberè, & despicatui modò esse, vt etiam ipsemet loquitur, ad eũ ferè modũ, quo ludũt pueri cum vrsis & leonibus, qui circũferũtur ligati, sed longè à rictu, faucibúsq; ipsorũ.

a Iob.7.5. b Psal.26.1. c Rom.8.31. d supra. e 3.Re.13.24. f Ora. de Pass. & Cruce.

Sobrij estote.] Νήψατε. Significat hoc verbũ Græcum etiam vigilare, vt antea notauimus [g], & hoc loco vertit Syrus Interpres אתחעירו *ethih:hhiru.* Sobrietatem sæpe numero inculcant Apostoli, & quidẽ omni gradui, sexui, ætati, vt legere est, præsertim apud Paulũ, qui eam exigit ab Episcopis [h]; à fœminis matrimonio iũctis [i]: à Diaconibus [k]: à senibus [l]: à fœminis vetulis [m]: à viris iuuenibus [n], postremò vult omnes vigilare, & sobrios esse [o].

g c.1. vers. 13. *Sobrietatem maximè cõmendat Apost.* h 1.Tim.3.2. 2.ep.cap.3.11. & 4.5. Tit.1.8. i 1.Ti.2. 9.15. Tit.2.5. k 1.Tim.3.8. l Tit 2. 2. m ibid.3. n ibid.6. o 1.Thes. c.6.8. Tit.2.12. Rom.13.12.13. p in Cratylo.

Est σωφροσύνη Platoni [p], σωτηρία φρονήσεως: prudentiæ verò, ac scientiæ parentes per intemperãtiam nobis iacturam pepererunt. Sed sobrius in sobrietate volo esse, nec enim diei pauca possũt, si qua dici debeant. Aristoteles laudat Hecubam Euripidis interpretantẽ vocabulum ἀφροδίτη, quæ est Venus, quod sit θεὰ ἀφροσύνης, Dea insaniæ.

Vitriacus [q] asserit hic sumi sobrietatem largè pro temperantia à gustu, & coitu illicito: sicut in epistola ad Titum [r]: vbi admonemur *sobriè, iustè, & piè viuere*, vbi primum Græcè est σωφρόνως, etsi Syriace cũ castitate בנכפותא *benachputha.* De laude ieiunij consule, quæ fusè disputaui exponés Euãgelium de tentationibus, & ieiunio Christi. de remediis incontinentiæ, quæ in explicatione historiæ de Samaritana. Nec improbabile sobrietatem hoc etiam loco denotare modum in prudẽtia curãve transigendæ vitæ, de qua præcessit proximè mentio, simúlque in credendo, ne curiosiùs velimus, quæ simpliciter proponuntur credẽda, scrutari. Facit, quod paulò post admonemur aduersario diabolo resistere in fide, quæ vel simplicẽ assensum denotare, vel fiduciam potest. Præterea, quoniam Paulus [s] præcipit, *ne sapiat quis plusquam oportet, sed ad sobrietatem, εἰς τὸ σωφρονεῖν*, quod Irenæus [t] reddit *ad prudentiam*, Hieronymus [u] *ad prudentiam*, Augustinus [x] ad temperantiam. Hæc temperantia modus est, sese intra terminos continendi, ne, quod etiam Irenæus dicit, *superfluam quæramus Fidei mysteriorum cognitionẽ.* Basilius [y] exponit, *ne nos ingeramus in ea, quæ ad nos non spectant*, & cõsentit Ambrosius [z]. Id censeri potest velle idem Apostolus [a] dicens: *siue enim mente excedimus, Deo, siue sobrij sumus, vobis.* Id est, si nos accommodamus & attemperamus ad captum vestrum.

q serm. 1. de Dom. 3. post Pentecost. r cap.2.12. s Rom.12.3. t lib.3.c.20. u 1.contr. Iouin. x epist.47. y Regu 235. & 264. ex breui. z in c.2. ep. ad Rom. a 2.Cor. 5.13.

Et vigilate.] Γρηγορήσατε absq; coniũgente particula, Quia verò γρηγορεῖν propriè vigilare est, prioris verbi νήψατε alteram notionem interpres posuit *sobrij estote*, alibi aliam de vigilantia, sicut iã prius notauimus. Syriaca editio habet עירו *hhahadu, mementote.* Vigilia animi, attentio est, ad quã necessariam quoque sæpe corpore vigilare: atque ita se saltem ante necessarium somnum comparare, vt si dormiamus, cor tamen vigilet [b]. Idcirco iubet nos Ecclesia in vltima hora officij diuini, quod appellatur Cõpletoriũ, quo absoluto somnus capitur, illam recitare sententiam: *Fratres, sobrij estote, & vigilate, &c. vt hostis noctu comprimatur, & sic oculi somnũ capiant, vt cor ad Deum semper vigilet.* Oramus præterea, vt *omnis inimici Deus insidias à nobis longè repellas. Nocte os meum perforatur doloribus*, inquit Iob [c], *& qui me comedunt, non dormiunt.* Inimicus homo, dũ dormiũt homines, superseminat zizania [d]. Quod autem dormire dicitur in locis humentibus [e], est quia prouocat dormiẽtes ad luxuriã, & dormit leo, sed in media quoq; via, & apertis oculis, ac intrepidus mouens simul caudã [f], & vbi primum nascitur, cernit, vt diei λέοντα velint παρὰ τοῦ λάω, τὸ θεωρῶ. (Sic etiam aliqui de λαγὼς sentiunt, qui est cuniculus, & clausis vigilare palpebris dicitur, symbolúmque vigilantiæ apud Ægyptios teste Plutarcho [g], & Xenophonte [h], ac terror animalium omnium etiam tunc est [i], ideóque symbolum vigiliæ leo [k], pingi solitus in valuis templorum.

Vigilia animi est attentio, ad quam sæpe necesse est corpore vigilare. b cant. 5.2. c cap.30.17. d Matt.13.25. 38. e Iob.40.16. f Epipha. ad Physiol. cap. 2. & alij. *Leo vnde dicatur.* g 4. Sympos. q 8. h in Cyneget. i Athanas. q. 103. ad Antiochum. k Esa.2.8.11.

Dissimulat interdum, & remittere videtur diabolus: verùm vt incautos occupet. Sicyonij Sõno simulacrum statuerunt, quẽ cognominabant epidoten, & appellabant Sopientẽ leones, id est, sæuos dolores [l]. Non sopitur leo noster, sed excitatur tunc magis ad nocendum: quemadmodum tenebris aduentantibus, & facta nocte *pertranseunt omnes bestiæ syluæ, catulique leonum rugientes vt rapiãt, & quærant à Deo* (qui permittit) *escam sibi* [m].

l Pausanias in Corinthiacis lib. 2. m Psa.103.20. 21.

Imperauit Christus [n] vigilias, & orationes, ne intremus in tentationem. *Insidiatur in occulto leo hic in spelunca sua, insidiatur vt rapiat pauperem* [o], & *in frondosa arboris tellus vmbraculo*, inquit Hieronymus [p] *molles somnos, futurus præda, capis.* In mysticis animalibus nec labor sufficit bouis, nec leonis robur, nec volatus aquilæ, nec hominis ratio: oculis opus est antè, retróque [q], vt sedulò aduigiletur contra pericula, & pes vituli quem habebant, designat discretam prudentiam, quia vngulam pes illius animalis habet discretam. Illud de oculis ad hoc notauit propositum Turrecremata [r].

n Mat. 14. 38. *Christus imperauit vigilias, & orationes.* o Psal.9.9. p epist. 1. ad Heliodo. q Ezecha. Apoc.4. r In. Regul. Benedict. c. 4. Tract.17 & c. 8. Tract.45

De Vigilantiæ vtilitate, vsúque multa Ioannes Stephanus [s] Durantus, & nos alibi [t] nonnulla. Cõmendemus certè nostri custodiam dormitum abituri custodi Angelo, qui & ipse minister eius, qui præcipuus est custos noster, nec dormit, nec dormitat [u], semper vigil est, ac sic quidẽ à Daniele [x] nominatus, Hebraicè עיר *hhir*, vt obseruauit Hieronymus [y], addẽs nos crebris pernoctationibus imitari Angelorum officia. Gildas Sapiens in exhortatione, quam habuit sub mortem, protulit hunc locum isto modo: *estote quoque sobrij, & vigilantes in orationibus semper* [z], &c. Sed prætermisit (*rugiens*) leonis epithetum, & forsan è duobus locis conflauit sententiam vnam: capite namque priore [a] legimus: *& vigilate in orationibus.*

s lib. 3. 11 Rit. lib Eccl. c. 4. t Act.12.12. & c.6.25. u Psa.120 4. x cap.4.10. y ibidem. z in vita, c.18. a vers.7.

Generalis admonitio Petri attingit maximè viros Ecclesiasticos, & sacros. Refert Seruius [b] explanans Virgilium:

—vigilasne Deûm gens Ænea? vigila.

certo die Vestales Regem monere sacrorum solitas his verbis: *Vigilas ne Rex? vigila.* Paulus Timotheo suo præcipit [c]: *Tu verò vigila.* Homerus dixit, *non decere Principem dormire solidam noctem.* Et Episcopo Ecclesiæ Sardis dicitur [d]: *esto vigilans, & confirma cætera*, & vigilantibus pastoribus euangelizata est Christi natiuitas [e].

b Æneid.10. c 2.Tim. 4.5. d Apoc.3. 2. e Luc. 2. 8.

Aduersarius vester diabolus.] ὁ ἀντίδικος ὑμῶν διάβολος. De nominibus diaboli, & satanæ, quo Syrus hîc vtitur, & *aduersarium* significat, sicut *diabolus accusatorem*, nolo repetere, quæ satis accuratè dis-

serui

lerui explicâs Actus Apostolicos[a]. Nec etymologia est, deorsum fluens, nec duo boli, quos in nobis quærat, corpus & anima, vt hoc loco Thomas Anglicus ait. Catharinus, & Salmeron reprehendunt hic eos, qui negant diabolos esse: quæ diabolorum deceptio maxima est, vt ita minus caueantur. Nos alibi [b] plura.

Diabolus.] Calũniç ac *διαβολῆς* ab Apelle picturã effictã, vt se de calũniatore Antiphilo vlcisceretur Lucianus [c] describit, diabolo aptissimè congruẽtem. Ad dextram considebat quispiam auribus prælongis insignis vt Midæ, manũ porrigens procul accedẽti Calũniæ: circumstabant mulierculæ duæ, Ignorantia, ac Suspicio: aderat quasi aliunde properè veniens *διαβολὴ* eximie compta, vultu gestúque corporis efferam rabiem, & iram æstuanti conceptam pectore præ se ferẽs, sinistra facẽ tenens flãmiuomam, dextra secum adolescẽtem rapiens capillis prehensum, manus ad superos tendentem, obtestantémque immortaliũ fidẽ: anteibat vir pallidus, in speciem impurus, acie oculorũ minimè hebeti, sontico contabescẽtibus morbo similis, qui erat Liuor: sequebantur Calũniam mulierculæ hortatrices dominç suæ, instructrices, cõptrices, videlicet Insidiæ, & Fallacia: à tergo, lugubri habitu, pullata, laceráque Pœnitẽtia, quæ capite in tergum deflexo, cum lacrymis ac pudore procul venientem veritatem excipiebat. Testis præterea apud Diogenianum Theophrastus ipsi Calumniæ Athenis aram positam.

Tanquam leo rugiens.] Eadem res boni, malíque secundum varias rationes Christi, & diaboli symbolum potest esse, vt multis cõstat aliis exemplis. Christus quidem nominatur leo de tribu Iuda [d] (quæ tribus in suo vexillo viridi depictum leonẽ gerebat, vt Hebræi tradunt [e].) *Christus leo*, ait Augustinus [f], tradens dictum canonem, *propter fortitudinem, diabolus propter feritatem: ille leo, ad vincendum, iste leo ad nocendum*: Idem habet Gregorius [g], Epiphanius [h] cum aliis Patribus, huius animalis bonas proprietates adaptãt Christo: & notum est vni ex Euangelistis assignari mystice leonem vel ob regnum, vel ob resurrectionẽ, in qua potentiam suam Christus maximè declarauit, & vicisse dicitur [i]: & sicut leo, vt primum editur, fertur dormire tribus diebus, ac noctibus, tũ patris rugitu suscitari [k]. Crucifigebant leones Afri, vt cæteri metu pœnæ similis absterrerentur à nocendo [l], Christus leo crucifixus ad omnem noxam diaboli leonis remedium fuit, sicut cum serpente [m] comparatus, quem exaltauit Moses in deserto, saluti est contra morsus diabolici serpentis. Lege Viegas [n], & Ribera [o], & Pradum [p].

Leonis rugitus nunc terrorem designat, sicut & alibi sæpè. *Leo rugiet*, ait Amos [q], *quis non timebit?* nam solo hoc sonitu attonita, velutíque icta, quæ per celeritatẽ possent, impetum leonis euadere, deficiunt animalia, vt Ambrosius [r] docet, atque Basilius [s]. Rugit autem, & antequam capiat prædam, quemadmodum hoc loco scribitur, & in psalmo [t]: *Catuli leonũ rugientes vt rapiant, & quærãt à Deo escã sibi*: & cũ capit, *sicut leo rapiẽs*, & rugiẽs [u]: &, *A rugientibus* [x] *præparatis ad escam*, & postquam ceperint [y]: *Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam*; &, *Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?* &, *Numquid rugiet* [z] *leo in saltu, nisi habuerit prædam?* nempe tunc aduocant absentes seniores maximè hi, qui sunt iuniores, vt prodit Plutarchus [a].

Sed famescentis, quærentísque prædam leonis rugitus maior videtur, ac periculosior. Sic Iob [b] declarãs vehementiã famis suæ, ait, *Antequã comedã, suspiro, & tamquã inundãtes aquæ, sic rugitus meus*: Inter edendum, cúmque esurit, sęuius rugit leo, vt Physiologi tradunt Aristoteles [c], Plinius [d], Ælianus [e]. partus mitescit diabolus, quò plus prędatur, & cibo electo [f] vescitur, eò incrudescit acerbiùs.

Porrò nomine leonis interdum significatur variũm genus bestiarum ferociorum: nam alicubi eamdem Hebræam dictionem interpretatã legimus aspidem, pantherã, vitulũ, myrmicoleonẽ, vt notauit noster Pineda. Nec refert rugiẽdi [g] verbũ, siquidẽ de quovis horrifico sono dicitur: sicut & mugiẽdi, vt vidimus capite XVII. [h] Sapientiæ vbi est idem, quod hic verbũ *ὠρύειν*. Dicitur præterea leo a Nicandro [i] vastissimus, ac maculis notatus fuluis, insigníque capite. Constat verò dæmonem varias animaliũ formas induere, atq; variis eorũ designari nominibus in scriptura. Quia verò rugitus manifestam prodit sæuitiã, præstat vt apertiores dæmonis opera persecutiones intelligam [a], vel certè vehemens nocendi desiderium, qua id cumque arte perficiat. Ambrosius [k] hunc locũ citans, legit: *leo rapiens, & rugiẽs*, rapiẽs, id est, qui rapere solet; nec enim dum rapit, quærit, sed quæsiuit, nisi quam rapuit, nondum sufficiens pręda sit. Rugit quærendo, sed ferire nõ potest, nisi euadas bestia rationis expers tam pusillanimis, vt solo timore cedas, *quemadmodum qui ante conflictum terga dederit, sed tuba prosternitur*, inquit Bernardus [l]. Dęmonẽ Eusebius [m] ait Græcè dici, quasi *παρὰ τὸ δειμαίνειν* quod est timere, videlicet, *quia terrefacit*. Placet magis tamẽ cõmunis, quã recitat, opinio, vt dicatur veluti *δαήμων* hoc est *sciens*. Peior Eugubini [n], ab Hebræo שדים *saddim*, plurali remota prima littera, & vel a שדי *saddai*, singulari quod vnum Dei nomen est, significans sibi sufficientẽ; vel à verbo שדד *sadad*, quod est destruere, vt alias notauimus [o].

Circuit quærens.] Apud Hieronymum [p] legitur aliquando, *circumiens quærit.* Sensus idem, Græce *περιπατεῖ ζητῶν*. Propriũ Satanæ circuire, vt ex hoc Petrus Blesensis exponẽs Iob *qui se circuisse terrã*, Deo dixit [q], *& perambulasse* confirmat; & quoniam *impij quoque in circuitu ambulãt* [r]: adducit Cain *vagũ, profugumque* [s], *& immundum spiritum ambulãtem per loca arida, & inaquosa quærentẽ requiẽ, nec inuenientẽ* [t]. Eosdem hos Bernardus [u] locos tractat ad idẽ propositum: & circuitione vti diabolũ in seipso, circumuẽtione ad nos, & illam esse, quia numquam proficit, ac propriæ inhęret volũtati: hanc quoniã nunc ascendit, nunc descendit, variásque fallendi artes struit. Circularis modus infinitũ propemodum indicat odium, ac studium nocendi, & omnẽ circumcirca captare ad nocendum occasionẽ: & celerem admodum in nocendo esse, & inextricabilibus insidiarum spiris vti. Circũuenire dicitur Latinè, qui decipit, omnia scrutãdo, & perlustrãdo, & quasi circumspiciendo *cum oculis emissitiis*, vt ait ille de odiosa vetula [x]. Hanc vim habet apud Iob [y], & alias [a] verbum Hebræum שוט *sut*.

Hiantem Diaboli ad prædam nostrã famẽ possumus vtcũque illustrare hostium Dauid exẽplo, quos in eum Saul immisit, de quibus ita cecinit [a]: *Conuertentur ad vesperam, & famẽ patientur vt canes, & circuibunt ciuitatẽ: ipsi dispergentur ad manducãdũ.* Tale & illud: *Inimici mei* [b] *animam meam circũdederunt*: quæ phrasis crebrò repetitur in psalmis, maxime in CXVII. Fulgentius [c] vocat hunc indefessum circuitum. Itẽ circuitus hic indicat liberam quamdam, & audacem inambulationem, perinde

a cap. 5.5.
Diaboli deceptio maxima est diabolos negare.
b in disput. de Angelis.
c dial. de non temere cre. calumniæ.
d Apoc. 5.5.
e inc. 1. Nu.
f serm. 44 de diuer. cap. 2.
Christus leo propter fortitudinem, diabolus propter feritatem.
g 5. Moral. c. 17.
h in Physiologum.
i Apoc. 5.5.
k Epiphan. in Physiolog.
l Plin. lib. 8. c. 16.
m Ioan. 3. 14.
n Apoc. 4. com.
o Apoc. 5.
p in Ezech.
q cap. 3. 8.
r 6. Hexa. c. 3.
s Ho. 9. Hexa.
t Psal. 103. 21.
u Psal. 16. 14.
x Ezech. 19. 3.
y Esa. 31. 4.
z Amos 3. 4.
a de solert. animal.
b cap. 3. 24.
c de hist. anima. cap. 44.
d lib. 8. ca. 16.
e lib. 2. de animal.
Diabolus quò plus prædatur eò incrudescit acerbiùs.
f Habac. 1. 16.
g Iob 4. vers. 10.
h vers. 18.
i In Theriac.
Rugitus leonis quid designet.
k in c. 12. Luc.
l In psal. 90. serm. 13.
m 4. de Præp. c. 5.
n de Perenni philos. c. 19.
o Act. 19. 13. p in c. 13. Esa.
q cap. 1. 7.
r Psal. 11. 9.
s Gen. 4. 12.
t Luc. 11. 24.
u serm. 12. in Cant.
Diabolus circuitione in seipso vtitur, circumuentione ad nos.
x Plautus in Euclio.
y cap. 1. 7.
z Za. 1. 10.
a Reg. 16. 9.
b 4. S.
a Psal. 58. 15.
b Psal. 16. 9.
c 1. ad Trasimund. cap. 5.

ac si diabolus, quod de seipso iactauit mendaciter, *omnium esset dominus regnorum* [a], & *inambulatione terra*, vt iura præscribunt, latentis acquirere possessionem thesauri.

Circuitum, ambitúmque istũ ex disciplina castrensi rectè Cyprianus [c] explicat, quẽ pridẽ citaui. Vult Vitriacus [d] circuitu denotari, non audere diabolum intrare, sed *iuxta iter scandalum ponere* [e]. Intestinus hostis catu, nostráque praua concupiscẽtia, volũtas, habitus &c. hæc diabolus explorat circumeundo: non intrat, nec illabitur: non persuadet nisi admissus. Si steterimus in via, nil nocebit. Quod peius est, circumeunt, quærúntque aliqui peccandi occasiones; & in dæmonem conticiunt causam, quem nihilominus alibi [f] docui non omnis peccati primum suasorem esse. Ad extremum, Auctor quæstionum vtriusque Testamenti [g] apud Augustinum probat hinc, Diabolum non esse naturâ malum, sed mala electione: Isidorus [h], monasterium diligenter claudendum.

Quem deuoret.] Τίνα καταπίῃ, *Quem absorbeat, vel glutiat*, quo secundo verbo reddit interpres alibi illud verbũ Græcum [i]. Nil refert seu legas *quem*, seu vt apud Cyprianum, & Hieronymum extat *aliquem*, quamuis Græco τίνα cum accentu in penultima congruit melius *quem*, quàm *aliquem* relicto verbo modi subiunctiui καταπίῃ. Si autem cum aliis legas καταπιεῖν, leges quoque τινὰ cum accentu in vltima, significabítque *aliquem*. *Circuit quærens*, inquit Chrysostomus [k], *non quem mordeat, vel frangat, sed quem deuoret.* Inter animalia, leo præsertim prædam dentibus validissimè comminuit, non statim deuorat, deglutítve. Vnde Ignatius [l]. *Dentibus bestiarum molar.* Non rarò inde sumitur exaggeratio cladis extremæ [m]. *Quasi leo, sic contriuit omnia ossa mea* Et [n], *Ne quando rapiat vt leo animam meam.* יטרף *ijtroph*, δάρδον *dilaceret.* Per leonem Paulus [o], de cuius ore se liberatum scribit, intelligit sæuissimum Neronem: ita enim etiam describitur Princeps impius [p], Rex iracundus [q]; & quos diuites egentes, ac esurientes legimus in psalmo [r], vocantur Hebraicè, & in interpretatione Hieronymi, *leones*, Hebraicè כפירים *chephirim*: Chaldaicè בני אריא *bene arieua*, *filij leonum, & crebrò tyranni.* Sic describuntur ab Ezechiele. Denique vt exprimatur damnum peccati, dicuntur *dentes eius, vt dentes leonis, & molares eius, vt catuli leonis* [s]. Inobedientes prophetæ, leonis ictu perierunt [t], & alij à vero cultu Dei deficientes [u]. Hominibus leones nocent, præsertim tempore suæ senectutis, quando per corporis imbecillitatem, & dentium defectum venari nequeũt, eáque de causa vrbes adeunt, vt Aristoteles [x] memorat, indicátque Plinius [y]. Fortassis ad veteranum hostem diabolum allusit Petrus, cùm deuorare velle dixit. Quamquam voraces auidiores sunt: potéstque vorandi cupiditas ingens illud odium diaboli, quod recens semper est, augescentibus potiùs ei ab experientia viribus, quàm deficientibus connotare. Sed caninos dentes leonibus perire negat idem Aristoteles [z], nempe duos inferiores, totidémque superiores, & solos prodit hos mutari. Ait [a] præterea, cibo incontinenter admodum vti, multáque deuorare solida sine vllo dissectu: post saturitatem triduo inediam pati. Nullo satiatur diabolus cibo, & quod de leone ferunt [b], nonnisi raptu viuere, seu venatione, ac præda, ita vt non attingat cadauer, nisi quod viuum cepetit; aptè conuenit diabolico leoni, cuius *cibus electus* [c], vt obseruant Hieronymus [d], & Gregorius [e], *melioribus magis insidians*, vt etiam docet Auctor Quæstionum vtriusque Testamẽti [f], quin etiam *sicut leo in spelunca sua insidiatur* [g], ita Diabolus etiam cùm videtur abesse. Illud verò potissimùm leo facit iunior, & imbecillior, captando ex insidiis minores animantes propè trãseuntes, dum venationi grandiores leones, ac robustiores vacant. Ad eundem ferè modum satanæ regnum consistit, non diuiditur, & suę cuique pro viribus nocendi partes attribuuntur ordine quodam. In leonibus ordinem tantum nominibus ipsis diuersis Hebræi designauerunt potissimùm iuxta ætatis gradus. Nomina sunt, vt notat Rabbi Dauid Kimhi, גור כפיר אריה לביא ליש *gur, chephir, arieh, labi, lais.* Est autem prætereа commune nomen huius animalis שחל *schachal.* Scio ab Hebræis per Ariel [h] altare intelligi, eo quod ignis descendens de cœlo ibi excubaret, sicut leo; aut quia victimarum sanguine semper maderet, non aliter quàm discerpens prædam leo; aut quoniam qui colitur in illo Deus, leonis in morem prostratis, humilibúsque parcat, in elatos ac superbos sæuiat, ita vt creditum sit intellectũ peruenire ad leonem precum [i].

Liceat & nouam proposito excogitare rationem, videlicet vel tunc maximè grassari dæmonem cum rei diuinitus vacatur: tunc veluti magis insultare, cum sauciatur magis, quemadmodum de leone Poëta [k] cecinit:

-- Pœnorum qualis in aruis
Saucius ille graui venantum vulnere pectus,
Tum demum mouet arma leo, gaudétque comantes
Excutiens ceruice toros, fixúmque latronis
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.

Refert Cassianus [l], Quadragesimâ dæmonem acriùs tentare, possumúsque id de Religiosis aliis temporibus ostẽdere. Sed & in genere scribit ex Iustino Oecumenius, acriùs quam olim diabolum nunc insidiari, quia magis agnoscit vim sui supplicij. Videntur id etiam Irenæus [m], Epiphanius [n], Cyrillus [o] Alexandrinus tradere. Quamuis ex alia parte sit verum, quod Beda hîc docet, repressam illius tyrannidem; quod *per electionem principis huius mundi foras* innuit Christus, & *per fortiorem, qui fortem armatum vicit*, ita vt non teneat captiuos ad suam voluntatem, non ita operetur in hominibus opera sua, non cribret sicut triticũ, non tam facilè superseminet zizaniam: sed melius cognoscantur vincantúrque cogitationes, ac insidiæ ipsius: non adeo admittat Deus accusationes contra nos, non tam liberè venire audeat inter filios Dei, vtpote calcatus, & cõtritus pedibus fidelium; atque in exorcismis frequentiùs exsufflatus. Hæc ipsa tamen simul causa est, cur maiore inflammetur ira, sciens quia modicum tẽpus habet, vidénsque tantam sibi crebrò prædam eripi.

Quæri posset, an diaboli nomen sit proprium primi, & is an singulos tentet. Neutrũ est vt alias demonstraui [p]: nec singuli singulos dumtaxat, vel de vno genere peccati sollicitant.

Quæstio item alia satis trita, cur condiri spiritus, quos malos futuros præuidit Deus, cúrque sint, vt nos tentent. Vocat Chrysostomus [q] hæc ingratitudinis summæ verba. Eximiam verò inde nobis vtilitatem prouenire, Deóque gloriam. Idem ait Athanasius [r], ac alij, vt itẽ alibi vidimus. Oremus vt *saluet nos Deus de ore leonis* [s]; vbi longè magis, quàm intra ceti ventrem periculum [t]. *Deuorat diabolus, & veluti sibi per mortalem culpam peccatorem incorporat*, inquit Lyranus. E contrario Iu-

Marginalia: a Lucæ 4. 6. b l. 3. digest. de acqui. possess. c de zelo, & liuore. d ser. 2. in Do. 3. post Pentec. *Circuitus diaboli quid denotet* e Psal. 139. 6. f Act. 5. 3. g quæ. 2. To. 4. h Regu. Monac. cap. 1. i Eccl. 23. 22. k Hom. 22. ad populum. l ep. ad Rom. m Esa. 38. 13. n Psal. 7. 3. o 2. Tim. 4. 17. p Prou. 28. 15. q Prou. 19. 12. r Psal. 33. 11. s Eccli. 21. 3. t 3. Reg. 13. 24. cap. 20. 36. u 4. Reg. 17. 25. x 9. de histo. animal. c. 44. y lib. 8. c. 16. z 6. de histor. animal. c. 31. a 8. de histor. animal. cap. 5. *Nullo satiatur diabolus cibo.* b Ælia. lib. 2. de animal. c. 3. Philostra. lib. 6 de vita Apollo. cap. 12. c Habac. 1. 16. d epis. 22. e lib. 1. Reg. c. 9. f Qu. 2. Tom. 4. operum. B. Augustini. g Psal. 9. 18. *Leonis nomina secundum Hebræos.* h Esa. 29. 1. i Plin. lib. 8. cap. 16. k Virg. 12. Aeneid. l colla. 21. c. 28. m lib. 5. n hæres. 30. o 6. cont. Iul. *Diaboli nomen an sit proprium primi.* p in Euange. Do. 1. Quad. q hom. 22. in Genesim. r quæst. 7. ad Antioch. s Psal. 21. 22. t Ionæ 1. 15. c. 2. 1. & seq.

ftus Christi cibus est, quemadmodum & Ignatius panem se Christi nominabat [a].

a Ep. ad Rom.

Vers. 9.] Cui resistite fortes in fide: scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.

EN aduersus tāti aduersarij periculū fides pro remedio; nec non adeo multorum per orbem dispersorū fratrū exemplū, qui talia patiebantur. Cum resistitur diabolo, fugit [b], & fortibus qui leo erat, euadit myrmicoleo, vt docet Gregorius [c]. Ac vt à primo ordiamur, *fides victoria est, quæ vincit mundum* [d], mundique principem: hoc scuto *ignea nequissimi tela omnia extinguuntur* [e]. Antonios pugnacissimus diaboli antagonista hoc armorum genus, & maximè tractabat ipse, & plurimùm commendabat [f].

Diabolus cui resistitur imbecillis est.
b Iacob. 4. 7.
c Moral. cap. 6. & 16.
d Ioan. 5. 4.
e Ephes. 6. 15.
f Athanas. in Vita.

Ante fidem Christi, aduentúmque ipsius latissimè dominabatur dæmō per idololatriam, audiebatur, videbatur in supposita forma: hoc tempore scribūt ad nos Indici agricultores spirituales, quibus in locis non est illata, recepta, retenta Euangelij lux, veneficiis plena esse omnia: de regionibus, quas peruasit hæresis pestilentia, vel in Fide languidior e morum corruptela, quarum superstitio magica inualuerit, quis ignorat? Idipsum alio loco annotaui de Hæresiarchis [g], & Catalogū contexuit Delrius noster breuē in Proloquio Disquisitionum suarum magicarum, ac Feuardentius in epistolam Iudæ. Tertullianus [h] magiam appellat hęreticarū opinionū auctricem.

g Act. 8. 24.
h de Præs. c. cap. 57.
Magia hæreticarum opinionum auctrix.

Purat Oecumenius Iustinum citans, diabolum post aduentum Christi multò diligētiùs & acrius tentare: quia quod antea obscurius cognouerat, apertiùs intellexit, *paratum ignem sibi, & Angelis suis* [i], vt plures habeat in pœna socios. Quidquid sit de notitia illa maiore, & cùm dubitari nequeat vexatos etiam dæmonas antequam vestiret Christus igne, quamuis non omnes adhuc detineantur inferno: certum quoque videtur, latiùs antea dominatum eorum se extendisse, compressósque admodum fuisse à Christo: vnde tamen simul cō sequens est, maiore odio nunc exardescere, plúsque conari aduersus illos, qui plus ei resistunt in lege gratiæ. Lege Cassianum [k].

i Matth. 25. 41.
Dæmonum dominatus latiùs se expandit quā nunc.
k collat. 7. ca. 27. collat. 8. cap. 18.

Igneæ leonē esse naturæ produnt Physiologi, & omnis corporis eius cōstitutio, morésque satis eā produnt, ita vt etiam ex ossibus concussis ignis velut è silice elidatur: attamen ignem præcipue reformidare, testis Aristoteles [l], citās Homerum:

Καιόμεναί τε δεταί, τάς τε τρεῖ ἐσσύμενός περ,
Ardentésque faces, quas quamuis sæuus horret.

l 9. de hist. animal. c. 44.

Proditur idem à Plinio [m];

m lib. 8. c. 6.
Ignea fides & fiducia est terror diaboli.

Ignea diabolo fides, fiduciáque terror longè magis est: aperit enim omnes artes eius fides, & suppeditat firmissima è diuinis sentētiis monita. Timere gallum leo etiam fertur, seu videat, seu audiat, præsertim album, nec hunc tamen solùm, vt velle Albertus [n] videtur. De omni gallo in genere asserunt Lucretius [o], Plinius [p], Solinus [q], Ælianus [r], Proclus [s]: de albo maximè Ambrosius [t], quāuis de crista duntaxat meminerit Plinius, Lucretiúsque de aspectu, Solinus de cantu. Antipathia non ex eo est, quod sit gallus animal solare, sicut Proclus tradit, est enim & leo: nec quòd, quia gallus magis, & quodammodo maiore diuinitate præditus, eum leo religiosè vereatur, vt respondet idem apud Pierium [u], quis id credat? Lucretius dat causam:

n li. 22. & 23. de animal.
o 4. de natura rerum.
p lib. 8. ca. 16. lib. 10. c. 21.
q 1. Polyhist.
r li. 4. de animalib. c. 29. & lib. 8. cap. 28.
s lib. de sacrificiis.
t 6 Hexameron.
u lib. 1.

Nimirum, quia sunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ cum sint oculis immissa leonum,
Pupillas interfodiunt, acrémque dolorem
Præbent, vt nequeant contra durare feroces.

Causa hæc locum habet dūtaxat in visione, nō in cucurritu galli. Certe difficilè acquiescit animus in certorū effectuum reddendis causis, vt cur etiā terreatur leo, quod dixi prius, ignibus, ac pręterea rotarum orbibus circumactis, quæ Plinius [x] quoque prodidit: apud quē adhuc extat [y] à leonibus, & pantheris homines non attingi, qui iure galli peruncti fuerint, maxime si et allium admisceatur. Fatetur Ælianus [z] causam sibi incompertam, quare leoni gallus terrori sit, eosque qui exquitant, ait non assequi.

x lib. 8. c. 16.
y lib. 29. c. 4.
z li. 8. de animal. cap. 28.
Cur leoni gallus sit terrori incompertum.

Similis antipathia quędam asinorum, & equorum. Nam ruditus eorum stridore Scytharum equos pugnam contra Persas detrectauisse memorat Herodotus [a]. Tale illud quod prodit Germanicus Cæsar, Gigantes à Libero, Vulcano, Satyris, asinorum, quibus insidebant, præsidio victos, ac in fugam versos immenso ruditu [b]: idcirco cū præsepi in cancri signo gratos Deos locauisse. Porci grūnitum Elephanto æquè aduersum scribunt Zoroaster [c], Ælianus [d], Plutarchus [e], Suidas [f]: hoc stratagemate à Romanis Pyrrhum victum, à Megarensibus Antipatrum, periculūm quod elephanto ingruebat appensa è turre sue remotum cùm grunniret. Solent elephantorum magistri pullis eorum sues associare, vt grunnitum horrere dediscant.

a lib. 4.
b in Arati phænom. in cancro.
c li. 1. Geopon.
d lib. 1. de animal. c. 38.
e in sympos.
f verbo ἀπὸ ... γρῶν.

Ego verò vt eum, qui conceditur ab omnibus, vndecumque proueniat, timorem leonis, ad rem præsentem moraliter referam, dico diabolo resisti cantu, vel crista galli: nam *qui laudans inuocat Dominum, ab inimicis his saluus* [g]: & valet plurimum ad reiiciendos ictus eorū galea spes salutis [h]: quæ spes nomine fidei nonnomquam intelligitur [i]. Oculos habet grandiores leo, palpebras minores, quibus integi toti nō possunt, vt idcirco dormire apertis videatur oculis. Nil mirū, si splēdor acrior ignis officiat. *Credit dæmon, & contremiscit* [k]. Fidelis conniuet, & oculos humiliter claudit, contemnens reuelantis auctoritatē. Hæc ipsa fides incutit dæmoni terrorem: vel humilitate, ac simplicitate assensûs, vel fraudum eius detectione vel propositione omnis generis remediorū aduersus ipsum, vel, vt ita dicam, fortificatione, quę fit virtutibus, donisve aliis, quibus radices fides in nobis agit. Hæc sunt in intellectu dona scientiæ, intellectus, sapientiæ, in affectu charitas, in qua cùm radicati, & fundati sumus, habitat Christus per fidem firmiùs in cordibus nostris [l]: præterea patientia, & longanimitas, quæ mirificè confortant [m].

Gallus cur leones timeant moraliter.
g Psal. 17. 4.
h Esa. 59. 17. Ephes. 6. 17.
i 1. Thess. 5. 8.
k Iacobi 2. 19.
l Ephes. 3. 17.
m Colos. 1. 11.

Verùm ipsimet fidei secundùm se meritò resistentia tribuitur, sicut & scuti ratio, vt vidimus, quod item possumus appellare scutum veritatis, quo circumdati *non timent a timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano* [n]. Oculum dextrum rectè dixeris fidem, quia videt naturalia & supernaturalia, cum ratio, velut oculus sinister, indicet solùm de naturalibus, vt ait Bonauentura [o]. Vellet fidei dextrum oculum eruere diabolus, vt quondam Naas voluit eruere viris Iabes [p]. Significat verò Naas serpentem, proindéque diabolum. Amisso oculo dextro pugnare nequit, quia scutum operit sinister oculus.

n Psa. 90. 6.
Fides oculus dexter est.
o de Dieta salu. cap. 16.
p 1. Reg. 11. 2.

Torpescit vt leo in oculos nimis perspicaces, obiecto quasi sago [q] velóque fidei nostræ. Cùm sic resistitur diabolo, fugit [r] aut etiam capitur.

q Plin. lib. 8. cap. 16.
r Iacob. 4. 7.

Ratio etiam resistendi, est locum Diabolo non dare [a], sed contemnere, vt monet Augustinus [b]. *Ab incredulis vt leo timetur*, inquit Isidorus [c], *à fortibus in fide, vt vermis contemnitur*, atque ad momentũ ostensus repellitur.

Patientia item resistitur, ait Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius [d]: *ita vt cùm canetur, ne resistamus malo* [e] (τῷ πονηρῷ, i. diabolo) sensus sit, ne illi per ministros suos percutienti, vel iniurias inferenti, similibus iniuriis, resistamus, quoniam non ignis igne, sed aqua extinguitur. Quanquam illud Christi præceptum potius pertinet ad iniuriam, quam infert alius homo, & malum pro iniuria sumitur, vel pro homine malo. Illud σοφὸν τὸ χρῆμα, & ingeniosum ranarum Ægyptiarum, quod Ælianus [f] narrat, opus, potest non ineptè huc secundum quandam tropologiam transferri, si in hydrum inciderint, frustum demordens arundinis obliquum, ore mordicus tenet: ita hydrus illas nequit cum arũdine vorare. Fidem hic tenaciter retentam, & obiectam Diabolo sumere possumus.

Porrò notatu dignum in hoc, atque priore versu cum sequenti tria contineri præcepta, quibus perfectionis Euangelicæ summa comprehenditur, nempe abstinentiam à malo, quàm denotat sobrietas: iustitiæ opera, quæ per vigilantiam, ac resistentiam contra Diabolum significantur: spem vitæ æternæ, de qua posteriore præsentis membri versus, & versu sequenti. In capite primo [g] mentio de iisdem tribus facta, cùm de succinctis lumbis & sobrietate. *Cum de filiis obedientia, non configuratis prioribus ignorantia desideriis, & vt in omni conuersatione sancti essent*: cùm vt speraremus perfectè in eam, *quæ offeretur gratiam, in reuelatione Iesu Christi*. De his tribus disserebat Paulus coram Felice [h], hoc est, *de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro*, vt notauit Augustinus [i]; quemadmodum & eadem inesse in Christi præcepto [k] *de lumbis præcingendis, de lucernis ardentibus, de expectando Domino*.

Obseruat præterea Thomas Anglicus, quemadmodum in Diabolo peruersitas designatur per nomen aduersarii, robur per nomen Leonis; crudelitas, cùm rugiens dicitur; sollicitudo, cùm circumeundo quærere: sic a nobis exigi contra primum, vt resistamus: contra secundum, vt simus fortes: contra tertium, vt fidei mansuetudinem habeamus: contra vltimum, vt vigilemus.

Cui resistite.] Hieronymus [l]: *Aduersum quem resistite*. Syriacè *insurgite* קומו: *Kumu.* ἀντίστητε.

Fortes in fide.] Στερεοὶ τῇ πίστει. Syriacè *obfirmati*, משרין *mesarerin*. Hieronymus [m], *Confortati fide*. Prius dixi, fidei vocabulo intelligi posse etiam fiduciam siue spem, quæ vocatur galea salutis [n], & anchora [o]; quæ duo multùm valent ad resistendum. Interpres Latinus Oecumenii solidum, ac firmum animi propositum exponit: & hoc quidem confert plurimùm. Sed nihil Oecumenius Græcè de illo. Vnde autem fidei fortitudo sit, antea docuimus.

Scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestra fraternitati fieri.] Hæc altera solarii causa, similes, & pares habere, tribulationum participes, sociósque, vt sociarum ista veluti manuum admotio in subleuando, quemadmodum notat Oecumenius, pondere multùm conferat, non solùm quod antea proposuit, ducem sequi Christũ adeo pro nobis multa passum. Per sympathiam, *si patitur vnum membrum, compatiuntur* omnia alia membra [p]: *Si quis infirmatur, & nos infirmamur* [q]: *vinctorum, tanquam si simul vincti essemus, & laborantium tanquam & ipsi in corpore commorantes, memores sumus*, & vnà patimur [r]: *atque super contritione Ioseph conterimur* [s]: *flemus cum flentibus* [t]: *socii taliter conuersantium efficimur, vinctisque compatimur* [u]. Pudeat solos non posse pati, inquit Beda. Hoc suffusus pudore Augustinus [x], tandem diuinæ se tradidit disciplinæ, cùm scilicet apud se recogitaret continentiæ irrisionem exhortatoriam: *Tu non poteris quod isti, & istæ? & erubescebam nimis*, inquit, *quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, & cunctabundus pendebam.* Hoc est emolumentum cœnobiticæ vitæ, vt alteri ex alteris rectè viuendi rationem edisçant, vt Hieronymus [y] Rusticum admonet, pluresque Publius apud Theodoretum [z]. Qua de re plura ea aliis, Platus [a] noster, nec non de vtilitate bonorum exemplorum [b].

Nescio quo modo propter φιλαυτίαν fit, vt suas ærumnas quisque maximas putet, nec se alienarum, quæ sine dubio grauiores sæpè sunt, æstimatione solari possit. Sic fit è contrario, vt sua nemo sorte contentus, aliorum arbitretur meliorem. Talibus Paulus dicit *non restitisse vsque ad sanguinem* [c]: *nec tẽtationem nisi humanam eos apprehẽdisse* [d]. Talia scribendo non deiiciunt Apostoli, sed erigunt animos nostros, & promptiores ac fortiores faciunt, persuadéntque Deo familiarissimos fieri, inquit Chrysostomus [e]. *Quoniam qui imminere sibi cernit inimicum, maiore ad illum currit desiderio, quo se tueri possit, quemadmodum infantes pueri cum quid horrendum viderint, ad matrum sinus protinus fugiunt, illarumque pendentes vestibus, eis se tuentur ac protegunt: extra quod tempus, ne blanditiis quidem trahi se interdum patiuntur.*

Eandem passionem.] τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων. *Eadem passionum, easdẽ passiones*: quo item plurali numero Syrus vtitur.

Ei quæ in mundo est.] Quasi post hanc vitam futura non sit passio, sed in hoc mundo tantùm exercetur, atque in eodem absoluatur, inquit Arias. Simplicior sensus est, vt fraternitas, i. fratres toto sparsi mundo significentur afflictionibus vexati.

Vestra fraternitati.] Τῇ ἐν κόσμῳ ὑμῶν ἀδελφότητι. Græca tollunt amphibologiam, ne quis existimet, *vestra fraternitati* illos ipsos denotare, quibus scribitur, & his pati similia, quæ passim patiantur alii quicumque in mundo degentes homines. Loquitur Petrus de fratribus eorum, ad quos scribit, eósque ait nihil dissimile pati ab illis, qui latè disseminati per mundum paterentur à persecutoribus nominis Christiani. *Et scitote*, inquit Editio Syriaca, *quod & fratribus vestris* על אחיכון *hhal achachun, super fratres vestros, qui in mundo sunt*, hæ passiones obueniunt. De fraternitatis vocabulo pridem dictum.

Fieri.] Ἐπιτελεῖσθαι. Gagneius, *Apparari, & exhiberi*, Catharinus, & Salmeron *perfici, & sine consummari*, iuxta illud Apostoli [f]: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Caietanus *perfici*. Sed alio sensu, nempe quod passiones illæ non noceant, verùm ad perfectionem conducant: vt ideo qui se tentari à Diabolo sentiũt, pusillanimes fieri non debeant. Arias etiam *perfici*, prout est idem, quod absolui, & finiri, nimirum in hac vita, fauéntque Vatablus, & Clarius vertentes, *consummari*. Melior primus sensus, quem Syrus quoque participio ערצין *hharisin, obuenientes* expressit, scilicet passiones חשא *hasse*.

a Eph. 4. 27. Leo timetur ab incredulis, à fortibus in fide contemnitur.
b serm. 41. de verb. Dom.
c li. 1. de summo Bon. c. 5.
d in cap. 5. Matth.
e Matth. 5. 39.
f 1. de Varia Hist. c. 3.
Tria Euangelicæ perfectionis præcepta hoc continentur.
g vers. 13.
h Act. 24. 25.
i serm. 19. de verb. Dom.
k Luc. 12. 35.
l in c. 33. Esai.
m ibidem.
n Esa. 59. 17. Ephes. 6. 17. 1. Thess. 5. 8.
o Heb. 6. 19.
p 1. Cor. 12. 26.
q 2. Cor. 11. 29.
r Heb. 13. 3.
s Amos 6. 6.
t Rom. 12. 15.
u Heb. 10. 33. 34.
x 8. Confe. 11. Pudeat nos solos esse qui pati non possimus.
y epist. 4.
z in Hist. Theoph.
a 1. de bono status Relig. cap. 30.
b ibid. c. 26. Propter philautiam quisque suas ærumnas maximas putat.
c Heb. 12. 4.
d 1. Cor. 10. 13.
e lib. 2. ad Stagyr.
f Coloss. 1. 24.

Verſ. 10.] Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque.

NOn erit grauior afflictio propter eutam, ac vim prouidentis vobis Dei. Hic omnis perfectæ gratiæ auctor vltro vocat ad ſe, ſuam quærens gloriã, à nemine prius promeritus: propterea vires abũdè ſuppeditabit: quibus poſtquam conſtanter aduerſa tolerauerint, quę ſunt alioqui per ſe, & ad æternam comparata felicitatem, leuia, hi qui vocati ſunt, ad eiuſdem valeant adeptionem felicitatis peruenire.

Deus omnis gratiæ.] Syriacè deeſt *omnis* Perſæpe gratiam Dei ſonant epiſtolæ ſacræ. Deum gratiæ non memini vocatum alibi, ſed ſemel à Paulo [a] Spiritum gratiæ. (Deus gloriæ cur dicatur, expoſui in Actibus Apoſtolicis [b]:) quia Spiritui ſancto attribuitur gratiæ collatio. Quamuis ibidem poſſet intelligi donũ gratiæ ſanctificantis, quod, vt & alia dona Spiritus ſancti [c], Spiritus nomine quandoque appellatur: nec deſunt [d] qui velint ibi Paulum Euchariſtiam intelligere, in qua eſt non gratia Spiritus duntaxat, vt in aliis Sacramentis, ſed etiam Spiritus gratiæ, hoc eſt, ſubſtantialis gratia, ἐνυπόστατος χάρις, propter diuinitatem vnitam cũ corpore, & ſanguine. Simili formula vocatur Deus *pater miſericordiarum, & totius conſolationis* [e]; & ab Eccleſia *Maria mater miſericordiæ & gratiæ*, aut quia auctorem horum Chriſtum genuit; aut quia nobis ea impetrat: aut quia gratiã, & miſericordiã adeptorum peculiaris mater eſt: aut quia phraſi Hebræa idem valet reginam, vel matrem gratiæ ac miſericordiæ eſſe, quod gratioſam, gratámve & miſericordem. Eadem ferè ratione vocatos legimus quoſdam viros miſericordiæ [f], ſed *& viſcera miſericordiæ Dei noſtri* [g] dicũtur, quia miſericordia ſunt. Dicere quodãmodo poſſis Deum nomine Ioannis appellari, quod gratiam Dei, vel Deum gratiæ ſignificat. Caluinus per irriſionem hoſtiam conſecratam, in qua credimus Chriſtum eſſe, non ille, vocat Ioannem album.

Omnis gratia, vel idem eſt quod *omne donũ optimum, omneque datum perfectum*, tam naturale, quam ſupernaturale, *deſcendens à Patre luminum* [h]. Vel (omnis) non tam diſtribuit multa, quàm perfectionem denotat, vt ſit perinde, ac ſi diceretur, totã, & perfecta. De hac notione conſule quæ aliàs notata ſunt [i].

Sumunt expoſitores priore modo gratiam omnem pro muneribus naturalibus, acquiſitis, infuſis; pro gratia gratis data, pro habituali ſanctificante, pro actuali incipiente, concomitante, conſummãte, atque illa quæ dicitur gloria, & beatitudo, cuiuſuis alterius cõplementum. Iuxta poſteriorem modum, qui non diſplicet Hugoni, *omnis*, id eſt, perfecta gratia ſignificabit virtutes ſupernaturales, & auxilia gratiæ, quæ pertinent ad noſtram iuſtificationem. Catharinus, & eum ſequi ſolitus Salmeron integram, perfectámq; gratiam explicant. Gloſſa Interlin. de fide, ſpe, charitate. Quo generalior, hoc aptior propoſito acceptio.

Qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam.] Ambiguum an ad gloriam beatitudinis nobis conferendã, an ad hoc vt glorificaretur, laudaretúrque, qui *omnia fecit propter ſemetipſum* [k]. Vtrouis modo debet conditos à ſe Deus perficere, confirmare, ſolidare, vt ſcil. conſequi finem illum poſſint, & ipſi gloria maior proueniat. Omnibus prima placet expoſitio; mihi quoque, licet nec diſpliceat ſecũda, iuxta quam intelligitur quo modo Paulus dicere ſoleat [l], prædeſtinationem habere pro fine *oſtẽſionem diuitiarum gratiæ Dei, & laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Petro quoque prædicens Chriſtus mortis genus, *ſignificauit eam clarificandum Deum eſſe.*

Redit autem Petrus in epiſtolæ fine ad vocationis commemorationẽ; de qua meminerat initio, vt hoc ſingulare, cæterorúmque fontem beneficiorum animis Fidelium altiſſimè infigat, tũ vt gratias agant, tum vt vocationi reſpondeant, & ad quid vocati ſint, quidve tum cùm primũ vocati ſunt ſpoponderint, ſerio ac ſedulo ſecum reputent, nec ſe aliorſum longiùs reuocari ſinant.

In Chriſto Ieſu.] Et hic æquiuocatio, vtrùm pertineant hæc ad vocationem factam per Chriſtũ Ieſum, eiúſque gratiã, qui *& oſtium* ſe nominat [n] *ac viam* [o]: vel ad id quod ſequitur (modicum paſſos) ſc. pro fide ipſius, & in ipſo tanquã membra exiſtentes. Thomas Anglicus vtramque cõplexus eſt ſententiam. Gloſſa Interlinearis interpretatur *in Chriſto Ieſu*, ſicut membra in illo, nimirum patientes. Lyranus, Carthuſianus, Primaticcius pro Chriſto Ieſu, ſeu propter illum, & ſecundum doctrinam eiuſdem pauca perpeſſos. Hugo: aut in fide ipſius, aut per prædicationem eiuſdem ſcil. vocatos.

Fateor, in Domino mori [p], & pro Domino idẽ eſſe, vt alias docui, cum exponerem quid eſſet *obdormire in Domino* [q]. Nihilominus facilior ſenſus videtur, vt *in Chriſto Ieſu* iungamus cum vocatione, qua tum interior, tũ exterior facta ſit per gratiam, ac merita Chriſti. Sic ſolet Paulus vſurpare *ſanctificatos & ſanctos in Chriſto Ieſu* [r], vel *in gratia Chriſti* [s]: vel *vocatos ſorte* [t]. Denique hoc loco ſic reddidit Syrus: *Qui vocauit nos ad gloriam ſuam in æternum per Ieſum Chriſtum quem dedit nobis*, בִּיד יֵשׁוּעַ מְשִׁיחָא הַו דִּיהַב לַן *beiad ieſuahh meſchiha hau dіaheb lan, in manu Ieſu Chriſti quem dedit nobis.*

Modicũ paſſos.] Ὀλίγον παθόντας. Syriacè: *Et cùm ſuſtinueritis has oppreſſiones exiguas.* *Momentaneum & leue tribulationis* vocat Paulus [u]: qua de re dictũ ſatis aliàs. Delectatur Petrus hac voce: ſic enim & capite primo [x]: *Modicum nunc ſi oportet contriſtari*: *Ad punctum, in modico dereliqui te, ait Deus* [y], *& in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.*

Ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque.] Græcè ſunt optatiui modi mediæ vocis verba καταρτίσαι, στηρίξαι, σθενώσαι, θεμελιώσαι. *Inſtauret, fulciat, roboret, ſtabiliat*, vt Vatablus vertit, & Clarius. Syriacè: *Roboremur, & confirmemur, atque perſtemus in eo in æternũ.* Eraſmus aliam lectionem ſequitur, vt prima vox ſit eadem, ſcilic verbum optatiui modi καταρτίσαι: ſequentes ſint nomina στηρίξει, σθενώσει, θεμελιώσει, *perpetua* fultura, confirmatione, fundatione. Sed cùm eædem tres dictiones poſſint eſſe verba futuri temporis, vt ipſemet fatetur, ſatius eſt, vt ſic accipiamus, nec non quod attinet ad primam, pro καταρτίσαι, καταρτίσει. nam ita ſenſus melius conſtabit, & ab editione noſtra non recedemus: & hoc pacto tres codices Græcos refert Pariſienſis Typographus habere. Si autem eadem illa infinitiuè ſumeremus, vt ſe legiſſe meminit idem Eraſmus, nempe cum accentu circumflexo in earũ vltimorum penultima ſyllaba, commodum eliocere ſenſum nequiremus. Proſper [z], qui noſtrã ſequitur lectionem, hinc argumentatur, perſeuerantiam eſſe ex gratiæ diuinæ munere. Similia illi teſtimo-

a Hebr.10.29.
b cap.7.2.
c Rõ.8.2.
d citat Salmeron in ep ad Heb. diſp.19.
e 2.Cor.1.3.
f Eccl.44.10.
g Luc.1.78.
h Iacob.1.17.
i Eccl.12.13. Act.3.10.
k Prou.16.4.
l Rom.9.23. c.11.36. Epheſ.1.6.
m Ioa.21.19.
n Ioan.10.7.8.
o infra 14.6.
p Apoc.14.13.
q Act.7.59.
r 1.Cor.1.2.
s Gal.1.6.
t Epheſ.1.11.
u 2.Cor.4.17.
x verſ.6.
y Eſa.54.7.8.
z eodem vocat. Gen.c.14. Perſeuerantia eſt ex gratia diuina munere.

nia profert: vt [a], *Qui cœpit in vobis opus bonū, perficiet vsque in diem Christi Iesu*: & [b], *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate*; & [c], *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in inuicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis, ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate vita ante Deum, & Patrem nostrum, in aduentu Domini nostri Iesu Christi cū omnibus sanctis eius*; & [d], *Qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine*: &, *Sed in his omnibus superamus per eum*, in vulgata *propter eum, qui dilexit nos* [e]. &, *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominū Iesum Christum* [f]: &, *Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus, & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono* [g]. &, *Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo* [h].

Sunt apud eundem loci alij ex Euangelio [i], & epistola [k] Ioannis, & ex Lucæ [l] Euāgelio, atq; his plures adhuc produci possent, quib. vtitur Augustinus, cùm alibi, tū in libro, quē scripsit de Bono, siue Dono perseuerantiæ. Lege Bellarminum [m].

Porrò in hoc loco Interpres pro primo verbo καταρτίσαι, seu potius καταρτίσει posuit *perficiet*, pro aliis duobus *confirmabit*, pro vltimo *solidabit*. Primum autem reddit aliquando reficere vel cōponere; vt cùm de retibus est sermo [n]: aliàs aptare [o], vt in bono: vel corpus [p]: vel secula [q]: vel vasa [r]: interdum complere, vt *quæ desunt fidei* [s]: nonnunquā *instruere*, vt *in spiritu lenitatis* [t]: item *perficere*, vt *laudem* [u], & *perfectum esse* [x]: verbalia quoque κατάρτισιν, & καταρτισμὸν exponit *consummationem* [y].

Hæ notiones conferunt proposito, satisq; perficiendi verbo continentur, & exprimuntur: ita vt intelligatur Deus tribulationibus veluti dissutum refecturus: minus aptatum compositurus, & compacturus, & conformaturus: aliquantulum turbatum sedaturus, & ad concordiam reuocaturus: quasi luxata membra eius restituturus, & concinnaturus. Lege Budæum [z].

Vitriacus [a] *perficere* ad virtutes refert, quas addat super priores alias Deus: *Confirmare* ad exercitium pugnæ, vt constanter, & fortiter in tribulationibus persistamus: *solidare*, dum membra timore, vel errore soluta in vnitatem Ecclesiæ reducit. Idipsum dixerat Glossa Interlinearis. Hugo addit præterea perfici rationem plena cognitione, confirmari voluntatem omnimoda pace: solidari memoriam continua, & infallibili rerum retentione: vel perfici partem rationalem visione aperta Dei: confirmari concupiscibilem dilectione perfecta, integra, vera: solidari irascibilem interminabili comprehensione: Vel nos perfici cōtra Mundum: confirmari contra Carnem: solidari contra Diabolum; seu contra *concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis, superbiam vitæ* [b].

Thomas Anglicus huius vltimi ordinem immutat, assignans perfectionē, concupiscētiæ carnis: confirmationē, concupiscentiæ oculorū. Ad hæc docet perfici nos in bono, confirmari contra malū culpę, solidari cōtra malum pœnæ: vel perfici rationē cognitione veritatis, confirmari concupiscibilem in amore bonitatis, solidari irascibilē in detestatione totius peruersitatis. Lyranus declarat perfici, vbi nostra non sufficit virtus, cōfirmari fragilitatē nostram, solidari gratiā datam.

Carthusianus exponit, quòd perficiat Deus id, quod incepit in nobis, cōfirmabit in via per gratiam, solidabit in patria per gloriā. Vel perficiet intellectū rationibus credendorum, & purificatæ mentis intelligentia, confirmabit volūtatem per charitatis feruorem, vt neque mors, neque vita possit nos separare a Deo: solidabit memoriam, vt sit fixa, & stabilis in Deo, nec vndiq; euagetur.

Titelmanus perfectionem de patientia, confirmationem, solidationémque de gratia perseuerātiæ sumit. Caietanus accipiens ex textu Græco quatuor verba, de quibus dixi, vult perficiendi verbo significari, tentationes Diaboli conducere ad perfectionem: ad hanc verò spectare, vt Deus fulciat virtutibus moralibus, confirmet robore fidei, stabiliat, siue solidet assistentia sua. Primaticcius declarat nos hîc à Deo perfici dante voluntatem perficiendi: confirmari, dante voluntatem exequendi: solidari, dante robur opus consummandi: in futura vita, cum dabit perfectā cognitionem, dilectionem, retentionem. Salmeron perfectionem tribuit charitati, confirmationem spei viuæ: solidationem fidei efficaci: & Christū qui redemit, perficere, siue instaurare: Patrem qui condidit, confirmare, siue fulcire: Spiritū sanctum solidare, siue roborare donis suis.

Commodè dicuntur omnia ista, & his adhuc plura excogitari possunt, atque illustrari. Probabile tamen est, quod innuit Gagneius, rem eādem verbis multis idem ferè significātibus exaggerari, nimirum quāta sit fidei vis, ac patientiæ, seu perseuerantiæ (ὑπομονὴν vocant à μένειν, quod est manere, patientiam,) cōtra Diabolum. Deus omnis gratiæ *patientia nostra* nominatur [c], quia qui iubet, dat illam, atque dignus est, pro quo patiamur: exemplo etiam prouocans suo: *& patientia opus perfectum habet* [d], quamuis multi legant apud Iacobum, *habeat* cum Græco textu ἐχέτω, quod ad propositum nostrum perinde est. Hoc videtur etiam voluisse in præsenti loco Syrus interpres antea citatus: (*Et cum sustinuerimus has oppressiones exiguas, roboremur, & confirmemur, atque persistamus in eo* (Iesu Christo) *in æternum*. Nihilominus habēt vim magnam Græca verba præter verbum, quod ante declarauimus καταρτίσαι, nempe στηρίξαι, statuere firmiter ac fulcire, & per translationem cōfirmare quod dubium est, σθενῶσαι à σθένος, *roborare*, θεμελιῶσαι à θεμέλιον fundare, quæ omnia aptè conueniunt fidei, quæ primū in ædificio spirituali fundamentū est, & ὑπόστασις [e]: ac proinde ad illam spectare Christus dixit *fratres confirmare* (στηρίζειν) pro cuius fide rogauerat, *ne deficeret* [f], ac *super quā fundauerat Ecclesiam suam* [g]. Vitriacus nuper commemoratus viri iusti staturam palmæ assimilatam dicit, vt est in Cantico Canticorū [h], ob perseuerantiam semper in melius proficientis charitatis, quæ quò altiùs ascendit, eo dilatatur, ac roboratur magis: & quamuis cortex sit asperior tribulationis, dulcis est fructus eius.

Vers. 11.] Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

OPportuna doxologia, vt excitetur maior in omnibus inter tentationes, molestiásque fiducia. *Laus Dei frenum est, ne intereamus* [i], ac veluti præcipites ruamus: quando *laudantes inuocamus Dominum, ab inimicis saluamur* [k]: eruti de tribulatione, immò confirmati à Deo, *quem inuocamus honorificamus Deum* [l]. Id absque cessatione viginti quatuor seniores, i. sanctissimi quique faciunt, coronis ante thronum missis, dicentes: *Dignus es Dominus Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem* [m], τὴν δύναμιν potentiam.

a Philip. 1. 6.
b infra, cap. 2. 13.
c 1. Thess. 3. 12. 13.
d 1. Cor. 1. 8.
e Rom. 8. 37.
f 1. Cor. 15. 57.
g 2. Thess. 2. 15. & 16.
h infrà c. 3. 3.
i cap. 6. 71. ca. 10. 28. 29.
k 1. epist. 4. 4. & seq. c. 5. 1. & seq.
l cap. 22. 28. & seq.
m lib. 2. de Grat. & lib. arb. c. 12.
n Matth. 4. 21. Marc. 1. 19.
o Heb. 13. 22.
p Heb. 10. 5.
q Heb. 11. 3.
r Rom. 9. 22.
s 1. Thess. 3. 10.
t Gal. 6. 1.
u Matt. 21. 16.
x Lucæ 6. 40. 2. Cor. 13. 10.
y Ephes. 4. 12. 2. Cor. 13. 9.
Aptantur omnes significationes proposito.
z Com. ling. Græ. pag. 737. & 738.
a serm. 2. in Dom. 3. post octa. Pente.
b 1. Ioan. 2. 16.
c Psal. 70. 5.
d Iacob. 1. 4.
e Heb. 11. 1.
f Luc. 22. 32.
g Matt. 16. 18.
h cap. 7. 7.
Laus Dei frenum est.
i Esaiæ 48. 9.
k Psal. 17. 4.
l Psal. 49. 15.
m Apoc. 4. 8 & seqq.

Rom.11.36. [...]p.16.27. [...]al.1.5. [...]Tim.4.18. [...]eb.13.21. Ephes.3.21. Philip.4.20. 1.Tim.1.17.

Frequĕter in epiſtolis Paulus [a] clauſulam iſtam vſurpat: *Ipſi*, vel *cui gloria*, vel *cui eſt gloria in ſecula*, aut *in ſecula ſeculorum, Amen:* aut [b] *ipſi gloria in Eccleſia,& in Chriſto Ieſu in omnes generationes ſeculi ſeculorum, Amen:* aut [c], *Deo,& Patri noſtro gloria in ſecula ſeculorum, Amen:* aut [d], *ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.* Rurſum Petrus in epiſtola ſequenti [e]: *Ipſi gloria,& nunc, & in diem æternitatis, Amen:* & Iudas [f]: *ſoli Deo ſaluatori noſtro per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum gloria, & magnificentia, imperium,& poteſtas ante omne ſeculum, & nunc, & in omnia ſecula ſeculorum, Amen.* Poſtremò in Apocalypſi [g]: *Ipſi* (Chriſto) *gloria & imperium in ſecula ſeculorum*; hæc vltima formula ſimilis eſt præſenti, Græcéque eſt αὐτῷ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος, &c. ſicut & capite priore [h], vbi conſule quæ diximus.

e cap.3.18. f in ep.verſ. vlt. g cap.1.6. h verſ.11. i 1.de vocat. Gen.c.24.

Proſper [i] hunc Petri citans locum, ſic refert: cui eſt virtus,& poteſtas. Significat quoque poteſtatem τὸ κράτος, at non ita δόξα virtutẽ. *Væ tacentibus de te*, ait Auguſtinus [k], hoc eſt, de laudibus tuis, *quoniam etiam loquaces muti ſunt*, cum non tuas laudes dicunt. Duo maximi fiunt ab hominibus, Gloria ſiue fama, Claritáſque nominis, & imperium, poteſtáſve in alios. Rerum cunctarum Auctori meritò hæc aptantur, non quia deſint ipſi, ſed vt alij celebrĕt ipſum, eíque obtĕperent. Gloriam, quam damus Deo, Baſilius [l] ait eſſe *cõmemorationem mirabilium, quæ illi adſunt.* Hoc poſterius eſt, cõſequens ex intima bona opinione de Deo, ſignificat namque id propriè δόξα ἀπὸ τοῦ δοκεῖν, licet paſſim definiri ſoleat, *Clara cũ laude, vel honore notitia*, frequens de aliquo fama cũ laude. Vſurpatur præterea nomen idem pro re, quę cauſa eſt dictę celebritatis,& exiſtimationis, qualis eſt virtus [m], ac beatitudo ipſa [n]: ſic quoque vir dicitur *gloria Dei, fœmina viri* [o], *& arca gloria Domini* [p]: itẽ opera mirifica Dei, vnde prouenit ipſi gloria, gloriæ nomine appellantur [q]: nec non pompa, & apparatus externus ſiue Dei [r], ſiue aliorum [s].

k 1.cõfeſ.c.4. lib.Meditat. cap.15. *Duo ab hominibus maximi fiunt, gloria,& imperium, ſiue poteſtas.* *Gloria quam damus Deo quid ſit.* l lib. de Spiritu ſancto. cap.23. m Eccl.13.38. cap.25.8. n Pſal.149. 6. Rom. 5.2. 2. Cor.4.4. o 1.Cor.11.7. p 1.Reg. 4. 21.22. Pſalm.25.8. & alibi. q Exod.15.7. r Matt.13. 28. s 1. Machab. 3.1.

Glorificare ſimiliter aliũ eſt vel celebrare, vel dare, vnde celebrari poſſit. Vltimum propriè Dei reſpectu homo non poteſt, ſed hominis alterius: neç Deus dũ ſeipſum glorificat, aliud facit, quàm ſuam per opera excellentiam aliis manifeſtat. Dum Deum glorificamus, & ei gloriã optamus, prædicamus, & confitemur dignum eſſe tum ea opinione, quã de ſeipſo habuit ab æterno, habet, habebitque ſempiternum ex infinita eſſentia ſua, quæ meretur infinitam celebritatem, laudẽ, honorem, ſicut *& ab æterno ipſemet ſe glorificat Deus*, vt Irenæus [t] docet, & Chriſtus à Patre petiit [u] *vt ſe clarificaret claritate, ſeu glorificaret gloria, quam habuerat apud ipſum, antequam mundus fieret.* Sed gloriæ varias acceptiones alibi attigimus [x] cum Hieronymo [y], coi adde Baſilium [z], qui vocem τῆς δόξης variæ ſignificationis ait eſſe, diximúſque de doxologieis hymnis. Porrò Syra editio hic tria ponit, gloriam,& potentiam, & honorem.

Deus ab æterno ipſemet ſe glorificat. t lib.4.c.18. u Ioan.17.5. x Act.7.2.55. y in cap.1.ep. ad Gal. z in c.19.Eſai.

In ſecula ſeculorum.] De vocibus αἰὼν & עלם *hholam* vel cum עולם egi quoque alibi [a]: nec inter duas Hebræas; quod Hieronymus diſcrimen ponit, vt ſecunda ſignificet æternum, prima ſeculum, ſemper verum eſſe demonſtraui. Græcũ nomen ambiguum eſſe Damaſcenus tradit [b], & Auguſtinus [c]: & de ſeculo cõſtat apud profanos pro centum, apud ſacros Auctores pro quinquaginta ſumi, ſeu pro Iubilæo [d]: nonnũquam pro integro vitæ ſpatio [e]: pro duratione item Mundi, qui vocatur quoque ipſe nomine ſeculi [f]: denique pro quolibet lõgiore, ſed finito ſpatio, quod additione facta ſignificare poteſt infinitum: verbi gratia cùm dicitur ſeculum futurũ, & aliquid in ſecula duraturum, aut quippiam præceſſiſſe ante ſecula.

a Eccl.1.4. Act.15.18. b 2.de Fide cap.1. c in Pſal.89. d Exod.21 6. Deut. 25.3. 4. e Pſal.89.2. f Mat. vlt.20. Luc.20 34.

Cùm autem legimus in Scripturis ſeculum ſeculi, ſecula ſeculorum, ſeculum ſeculorũ, omiſſo errore, fabuláque Valentini, de qua Irenæus [g], Hieronymus [h], Epiphanius [i], ſubſtãtias quaſdam eſſe, quæ vocẽtur Æones,& ſecula, deſignantur ſimul præſentia, futuráque ſecula ſine vllo fine, vt Damaſcenus [k] notat, Origenes [l], Auguſtinus [m], & præſertim futura tanquam excellentiora, eo ferè modo, quo quę ſanctiſſima ſunt, appellantur ſancta ſanctorum, & excellentiſſimum Canticum, Canticum Canticorum, vt quibuſdã placet apud Hieronymum [n]. Legendus præterea Toletus [o].

Quid ſit ſeculum ſeculi. g Lib.1.c.1. h in cap.1. ep. ad Gal. i Hæreſi 31. k 2.de Fide, cap.1. l in c.1. epiſt. ad Rom. m 21.de Ciuit. cap.23. n ſupra. o in Pſal.31. ſerm.vlt. p verſ.11.

Amen.] Lege caput præcedens [p].

Verſ. 12.] Per Siluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter ſcripſi: obſecrans & conteſtans hanc eſſe veram gratiam Dei in qua ſtatis.

NOminat eum, cui deferendam tradidit epiſtolam, vt certiores ſint ab ſe ſcriptam: ſimul epiſtolæ ſcopum ait eſſe, vt eos in ſuſcepto confirmet inſtituto, quod ipſemet hortando, & probando demonſtrauerit tutum, ac ſalutare. De iis, quibus Apoſtoli ſuas epiſtolas perferendas committerent, ac deinceps Præſules alij, diſſeruimus in Actibus Apoſtolicis [q], nec non de Siluano [r], & num hic idem ſit cum Sila, & an dictante Petro ſcripſerit epiſtolam iſtam, non ſolùm detulerit; vbi & vniuersè de Apoſtolorũ epiſtolis idem tractatum eſt. Opinionem, quam ibi probabilem dixi, non differre à Sila,& eum eſſe, cuius in epiſtolis ad Theſſalonicenſes nomen cum ſuo, & Timothei Paulus coniungit, ſequitur Oecumenius hoc loco, nec diffitentur Carthuſianus & Salmeron. Interpres Syrus hîc, & in epiſtolis ad Theſſalonicenſes nominat סילונוס *Siluenaus* in Actibus Apoſtolorum שילא *Sila.*

q cap.15.23. r ibid.22. *Siluanus idem eſt cum Sila.*

Fidelem fratrem vobis.] Sic nectenda ſunt hæc tria ſimul vocabula, quia & Græcè hoc modo diſponuntur: Διὰ Σιλουανοῦ ὑμῖν τοῦ πιστοῦ ἀδελφοῦ, & ita paſſim omnes exponunt. Editio tamen Syra coniũgit *vobis* cum *ſcripſi* כתבת לכון *chethbeth lechun.* Fidelis cognomen omni Orthodoxo cõmune eſt: interdum tamen, præſertim additione facta, tribuitur propriè iis, qui munus ac miniſteriũ Hierarchicũ rectè exequũtur. Hoc pacto Paulus appellat *fideles diſpenſatores* [s]: Timotheum *fidelem Domino* [t]: ſeipſum, cùm diuina proponit conſilia, fidelem [u]: Tychicum *fidelem miniſtrum in Domino* [x]: Epaphram *fidelem pro Coloſſenſibus miniſtrũ Chriſti Ieſu* [y]: Oneſimum *fidelem fratrem* [z]. Exponit Lyranus pro ipſorũ ſalute ſollicitum Siluanum ſignificari. Miſit Paulus Theſſalonicẽſib. Timotheũ [a]: eũdem rogauit Epheſi remanere [b]: Titũ reliquit Cretæ [c]; item Philippenſibus miſit Epaphroditum [d]: ad Coloſſenſes Tychicũ cum Oneſimo [e].

Fidelis nomen commune, proprie bonos administros tribuitur. s 1.Cor. 4.2. t ibid.17. u cap.7.25. x Epheſ.6.21. y Coloſſ.4. 7. z ibid.c.1. 7. a 1.Theſſ.3.2. b 1.Tim. 1.3. c Tit.1. 5. d Philip.2.25. e Col.4.8.9.

Vt arbitror.] Arbitratur Caietanus hoc referri non ad priora, ſed ad ea quæ ſequuntur, *breuiter ſcripſi*, qua etiam ratione Syrus expoſuit Interpres, quaſi videlicet dicat, paucis, vt opinor, complexus ſum quæ neceſſaria erant, ad id quod volebam, docendum. Idem videtur Thomæ Anglico: *quia*, inquit, *aliquando quis loquitur, putat breue eſſe, quod alij longum iudicant.*

Ceteri putant ſpectare ad opinionem de fidelitate Siluani, quantum videlicet cognoſcere, & attẽdere in eo potuiſſet, ne dubitarent vel epiſto-

lam

lam ſuppoſitam, quemadmodum Theſſalonicenſibus circa nomine Pauli omiſſam acciderat [a]: vel eum, qui ad ipſos veniret, Pſeudo-apoſtolum eſſe, quales de quibus meminit idem Paulus [b], necnon Ioannes [c]. Olim in Eccleſia plerumque viris Eccleſiaſticis deferẽdæ tradebantur Eccleſiaſticæ epiſtolæ epiſcoporum, vt colligi videtur ex nonnullis, quas miſit Paulus, vt per Tychicum & Philemonẽ ex Ignatio [d] quoque, & Cypriano [e]: ſed ſimul fungebantur legati munere. Sed hac de re dixi Commentario Actuum Apoſtolorum.

Pertinet hic loquendi modus ad modeſtiã, & fidelitatem, ne vel quod certo ſciat penitus velit alios intelligere ab ſe ſciri: vel de quo non adeò certus ſit, quaſi certus eſſet abſque cunctatione proferat. Simili vſus modeſtia Paulus [f] dixit: *Puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam.* Sic quidã Græci, ac Latini multi explicant, vt Sedulius, &c. Auguſtinus [g] verò vult ibi aſſeuerationem contineri, hanceque tali formula ſolere exprimi ab illis, qui contra contemptores ſuos loquuntur; *velut,* inquit, *ſi indigneris ſeruo tuo, & dicas, contemnis me, conſidera, forſitan dominus tuus ſum.* Affert alia exempla de Chriſto. Verùm non video cur præſentem orationem Petri contra ipſius contẽptores pronunciari aſſerere debeamus.

Breuiter ſcripſi.] Δι' ὀλίγων. *Per pauca, ſiue paucis* הרין עזרוֹתא *balea zebhzreiatha. Hac pauca.* Pauca ſunt pro rerum, de quibus ſcripſit, magnitudine, ac dignitate. Quo modo autẽ epiſtolam breuem eſſe oporteat, & quænam ſit illa, quæ Laconica cenſeri debeat, aliàs [h] docui, nempe, vt Nazianzenus [i] definit, *non quæ paucas contineat ſyllabas, ſed de plurimis rebus paucas.* De hac epiſtola Petrus intelligit, non de alia: vnde & ſequentem appellat ſecundam epiſtolam [k].

Obſecrans.] Παρακαλῶν, *adhortans, vel deprecans,* non autem adiurans, vel per ſacra poſtulans, &c. Vt iam pridem admonuimus [l]: nec etiam multóque minus, vt explicat Syrus: *Perſuaſum habeo,* מפּים אנא *mephim ana.*

Conteſtans.] Ἐπιμαρτυρῶν, *teſtificans,* quocumque genere argumentorũ comprobans, & confirmãs tum ſcripturæ teſtimoniis, tum ſignis ac miraculis, tũ proprio quodã experimento, vſúque, quem cũ ſalutis auctore Chriſto habui. De vi alterius Græci verbi διαμαρτυρεῖν alio loco [m] diſputãs dixi ſignificare, quaſi teſtibus adhibitis cõuincere, inclamare, minari. Exiſtimare idem poſſumus de illo alio verbo, in quo vim quoque maiorem indicat in cõpoſitione præpoſitio ἐπί, ita vt niſi perſiſterent in gratia Dei, in qua iam erant, magna illos manerent ſupplicia. Obſecrat ergo bonus doctor, & prædicator, tum arguit, & increpat [n].

Hanc eſſe veram gratiam Dei.] Orthodoxam, & catholicam fidem Chriſti: veram, & ſalutarẽ doctrinam, legem gratiæ, religionem ſinceram, in qua traditur modus conſequendæ gratiæ, atque hæc ipſa copioſè communicatur ex vi propria, non per habitudinem ad aliam, cuius ſit figura & typus: denique adeo efficacem gratiam, vt hinc migrãtes perducere ſtatim poſſit ad gloriã: quod ante Chriſti aduentum minimè concedebatur, licèt ratio gratiæ iuſtificantis in quocumque ſtatu ſit eiuſdem prorſus naturæ, vt Auguſtinus [o] docet: ac in omni lege iuſtificationis ratio conſiſtit in interno dono gratiæ, & nõ in ſola quadam imputatione ante legem Euangelicam, vt alicubi docuiſſe Arias Mõtanus videtur. Itaque meritò ſolet Euangelica lex abſolutè nominari lex gratiæ, quoniam in ea eſt plenitudo gratiæ, vt loquitur idem Pater [p].

De prærogatiuis quindecim legis nouæ ſupra veterem tractat copioſè Barradius noſter [q], nóſque nõnulla diximus in expoſitione decimiquinti capitis præſertim Actuum Apoſtolorum. Vno verbo Ioannes rem decidit ſcribens [r] gratiam, & veritatem per Chriſtum factam: Paulus [s] vocans *miniſtrationem ſpiritus & iuſtitiæ; & virtutem* [t]. *Dei,* δύναμιν *ad ſalutem omni credenti.* Auguſtinus [u] dicẽs legem nouam eſſe charitatem [x]: *legem veterem datam vt gratia quæreretur: gratiam datam, vt lex impleretur.* Ambroſius [y] docens, quod non præualebat vetus teſtamentum ad iſtius mundi redẽptionem: ſed inuocabat, & quaſi ad auxilium arceſſebat nouum Teſtamentum, clamabat lex annuncians Euangelium, quia erat ſemiplena, & ideo erat neceſſarium, vt veniret, qui eam impleret: Hieronymus [z] appellans Chriſti ſanguinem clauem Paradiſi, ac propterea dixiſſe Chriſtum latroni [a]: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Poſtremò ipſimet Hebræi legem veterem vanam eſſe dixerunt, & aliã quamlibet, quæ in præſenti tempore diſceretur, reſpectu legis Meſſiæ, vt refert Paulus Burgẽſis [b], & nos alibi [c] meminimus.

In qua ſtatis.] Εἰς ἣν ἑστήκατε. Alij verò ſtetis: ita vt ſit adhortatio, & comminatio, niſi ſteterint. Eodem pacto Paulus [d]: *Sic ſtate in Domino chariſſimi: vt ſtetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei* [e]: *nunc viuimus, ſi vos ſtatis in Domino* [f]: *Fratres ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis* [g]: *ſtate, & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri* [h]. Sed vulgata editio, & Syriaca, & expoſitores omnes deſignant tempus præſens, quamuis verbum Græcum ſit præteritum, ex quo præſentis ſignificationis eſt ἕστηκα *conſtãter ſto, perſto,* vt videri poſſit Interpres legiſſe ἑστήκατε.

Stare illos Petrus dicit, indicando conſtantiam in religione, in qua eſſent, atq; patientiam in aduerſis, ad quã prius hortatus illos fuerat. Carthuſianus putat loqui de charitate, gratiáq; gratum faciẽte, ſimul cum fide Catholica: quod autem in his ſtarent, certò cognouiſſe per diuinam reuelationem, aut aliunde per euidentia ſigna ſciuiſſe, hoc multum probabiliter, vel in genere de omnibus, quamuis non ita in particulari. Nõ opinor credet quis, vel ſciuiſſe, vel etiam ſi ſciuiſſet, voluiſſe de omnibus Petrum affirmare, illos in gratia gratum faciente eſſe: quẽadmodum capite primo cùm Electos nominaret, monuimus. Reddit certos, quod intra Eccleſiam conſtituti, certam habeant rationem ſalutis adipiſcendæ.

Verſ. 13.] Salutat vos Eccleſia; quæ eſt in Babylone coelecta, & Marcus filius meus.

FOuetur inter alia mutuis charitas ſalutationibus, vel nomine proprio, vel aliorum. Hic aliorum nomine mittit Petrus ſalutationem, ſicut Paulus Romanis miſit [i], Corinthiis [k], Philippẽſibus [l], Coloſſenſibus [m], Timotheo [n], Tito [o], Philemoni [p], Hebræis [q], & Ioannes [r].

Eccleſia quæ eſt in Babylone.] Omnes quotquot legerim Interpretes Catholici Romanã intelligunt Eccleſiã, quòd vrbs Roma, vnde ſcribebat Petrus, eſſet eo tempore idololatriæ plena cõfuſione (quod eſt etymon Babylonis) & ita fideles vexaret, vt quondam Babylon Hebræos: & ſicut illa magna eſſet, & imperij ſedes, & in ea permixtio linguarũ omnium, velut in communi patria. *Communem patriam* vocat Modeſtinus [s], licet non

a 2. Theſſ. 2. 2.
b 2. Cor. 11. 13.
c Apoc. 2. 2.
Per quos olim eccleſiaſticæ litteræ mittebantur.
d ep. ad Polycarpum.
e ep. 16. & 24.
f 1. Cor. 7. 40.
g Tract. 37. in Ioan.
h Act. 15. 30. & in 1. epiſt. Ioannis in præfat.
i ep. 1.
k 2. ep. 3. 1.
l ſupra verſ. 1. & c. 1. 12.
m Act. 2. 40. c. 18. 5.
n 2. Tim. 4. 2.
Gratia iuſtificationis in quo conſiſtat.
o 1. con. duas ep. Pelag. c. 7. & in lib. 1. de peccat. mer. cap. 157.

p ep. 157.
q Tom. 1. & lib. 1. concor. Euang.
r c. 1. ſui Euã. 17.
s 2. Cor. 3. 8.
t Rom. 1. 16.
1. Cor. 1. 18.
u de ſpir. & lit. c. 17.
x de gra. Chri. c. 19.
y in Pſal. 41.
z ep. 129. ad Dardanum.
Chriſti ſanguis clauis eſt paradiſi.
a Luc. 23. 43.
b addit. 2. in ep. ad Hebr.
c Eccl. 1. 2.
d Philip. 4. 1.
e Coloſſ. 4. 12.
f 1. Theſſ. 3. 8.
g 2. Theſſ. 2. 14.
h Gal. 5. 1.
Cur Apoſtolus dicat illos ſtare.
i Rom. 16. 16. & 23.
k 1. Cor. 16. 19. 20. 2. ep. 13. 12.
l Philip. 4. 21. 22.
Romana Eccleſia hic denotatur.
m Coloſſ. 4. 10. 12. 14.
n 2. Tim. 4. 19.
o Tit. 3. 15.
p ep. ad Phile. verſ. 23.
q Heb. 13. 24.
r 2. Ioan. verſ. 14. 3. ep. v. 15.
Communis patria vrbs Roma dicitur.
ſ l. Roma ff. ad Municipales.

ob Accursij rationem, quòd Romæ possit quiuis cóuenīri, vt benè confutat Alciatus [a], sed propter communicatum ius ciuitatis, vt fusius demōstrat, & post eum alij. Vnde illud poëtæ Numantiani:

Dumque offers victis proprij consortia iuris,
Vrbem fecisti, quod prius orbis erat.

Docent hoc idem prætereà de huius loci figurata locutione Papias apud Nicephorum [b], & Eusebiū [c], Hieronymus [d], Beda [e], & de simili apud Ioannem in Apocalypsi [f], Tertullianus [g], quòd magna, regno superba, sanctorū Dei debellatrix (variam Orosius [h] inter vtramque facit etiam in rebus externis comparationem, ac nonnullā Augustinus [i],) Andreas Cæsareensis, Aretas, & alij qui Apocalypsim interpretantur, præterea Hieronymus [k], ac de vtroque loco, quos citat, sequitúrque Ribera [l], Ludouicus Viues [m], Marianus Victorius [n], Sixtus Senensis [o], Lindanus [p], Horantius [q], Bellarminus [r]. Adde Nicolaum Sanderum [s], Baronium [t], Thomam [u] Maluendam, (etsi nollet sic intelligi locum Apocalypsis) Rhodiginum [x], Sonnium [y], Vatablum [z], Pintum [a], Cantapetrensem [b], Pamelium [c], Thomam [d] Boxium; qui confirmat idem quibusdam veteris Testamenti locis, Genebrardum [e], Petrum Damianum [f], Ludouicum Legionensem [g], Dominicum Bagnesium [h], Turrianum [i], Mutium [k] Iustinopolitanum.

Ex hæreticis, qui negant Petrum Romæ vnquam fuisse, quasi pendeat inde primatus eius, nolunt Romam per Babylonem intelligi: alij hoc maximè contendunt, quò liberius de Romana Ecclesia obloquantur, eiúsque Pontificem, & ea potissimùm de caussa recipiendam Apocalypsim cēsent, in qua sub Babylonis nomine adeo multa dicuntur aduersus Romam.

Quidquid sit de Apocalypsi, vrbi Romanę Babylonis cognomen ob honestas vtique communes causas conuenire per se potest: propter malas, tunc solùm cùm hæ in illa sunt, vt nunc profectò non sunt: licèt ætate Petri, & Ioannis essent. nam & simili de causa in vetere Testamento idem populus Hebræus nunc *Dei populus* vocatur [l], *nunc Gomorrha* [m], nūc *primogenitus filius Dei* [n]; *nunc alienus* [o]: eadem ciuitas Ierusalem modo *sancta* [p], modo *meretrix* [q], & *Sodoma*, atq; *Ægyptus* [s]. Hieronymus certè, qui ad vetera tempora respiciens, aut iis similia, *meretricem purpuratam verbis Apocalypsis* Romam nominauit [t], magnis eādem in melius mutatā celebrauit encomiis, scripsitq; [a] *scriptam illam in eius fronte blasphemiam. Christi confessione delesse, & maledictionem, quam ipsi Saluator in Apocalypsi comminatus sit, posse effugere per pœnitentiam: item* [u] *ibi esse sanctam Ecclesiam, Christi veram confessionem Gentilitate calcata, in sublime se quotidie erigēs vocabulum Christianum*: præterea [x] dicit *deuotionem in Romanis maiorem esse, & simplicitatē ad credendum* [y]: *Petrum Alexandrinum, & Athanasiū persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugisse* [z]: *Romanam fidem, etiāsi Angelus aliter annunciet, Pauli* [a] *auctoritate munitam, non posse mutari: extra* [b] *hanc domum, qui agnum comedat, esse profanum: arcam* [c], *in qua regnāte diluuio qui non fuerit, peribit* [d]: *peregrinam doctrinam esse, quæ cum Pōtificis Romani doctrina non conueniat* [e]: *Romæ Petrum Simone Mago expugnato, annis viginti quinque sedisse* [f], Tertullianus crebrò Romanensem laudat *Ecclesiam tanquam Catholicā*: nominat *felicem, cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderint* Petrus, & Paulus [g].

His duobus ero contentus, qui simul Romæ fuisse Petrum docent, simul Romam longè doctrina moribúsque dissimilem à Babylone faciūt; licet Babylonis olim nomen ei cum Petro atque Ioanne tribuerint, cum perinde vt Babylon peruersa dogmata, & superstitiones amplecteretur.

Citati auctores, maximè Bellarminus, copiosè disserunt tum contra illos, qui etiam nunc vocandam Romā censent Babylonē, vt Magdeburgenses Centuriatores [h], & Lutherus, cuius hac de causa liber extat inscriptus de Babylonica captiuitate: tum contra Gulielmum Viclefi præceptorem Marsiliū Patauinum, Vdalricum Velenum, Functiū, Illyricum, Caluinum, Molinæum, Viretum, Sadeelem, Danæum, Petrum Martyrē, dictos Cēturiatores, & alios (id proprio tractatu ad Adrianum VI. multò fecit antè Cardinalis Gregorius Cortesius, quem inscripsit aduersus Persuasorem, nempe Velenum, de quo mox) qui negant, aut certè dubitant Romæ Petrum fuisse, ex Babylone verò, de qua hîc est sermo, vel in Assyria, seu in Chaldæa, vel in Ægypto scripsisse Baronij [i] coniectura (quam attulit antea Cortesius) non inuerisimilis, non vsum proprio vrbis Romæ nomine Petrum scribendo, quòd Ierosolymis fuga lapsus, nollet omnes percipere, vbi ageret, Romanósque, si literæ interciperentur, odiosos reddere: ad eum ferè modum, quo Leonis vocabulo Paulus [k] Neronem designauit. Sed eadem ratio in Ioanne habere locum deberet, Babylonis quoque vtente voce pro Roma. Probat etiam non potuisse à Petro Babylonem Chaldaicam intelligi, quoniam cùm scribebat, Iudæos Caius expulerat inde, & ex Chaldæa, vt scribit Iosephus [l]: nec Ægyptiam, quoniam (quod prior ostendit Cortesius) Ægyptia perobscurum tunc erat Castellum munitum, Strabone teste [m], vocante φρούριον ἐρυμνόν: præter huius autem nominis Babylonem nulla extitit alia.

Possumus figuratā Romæ sub Babylone nomenclaturam confirmare illorum sententia [n], qui apud Malachiam existimant dici Ierusalem, cum scribit [o]: *Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem*, ita vt Iuda populum Christianum denotet. Denique benè argumentantur omnes, nihil officere primatui Petri quāuis Romæ nunquam fuisset, cum is ex ea vrbe necessariò non pēdeat. Illud quoque Cortesius aptè colligit, etiamsi Babylonicæ Ecclesiæ nomine salutem Petrus ascriberet propriè dictæ, non tamen cōtinuò necessarium esse, eum Babyloniæ scripsisse: quemadmodum non in omnibus Ecclesiis Paulus scribebat, cum Romanis omniū Ecclesiarum salutē mittebat [p], & quando Corinthiis earum, quæ erant in Asia [q], nō simul epistolam exarabat in omnibus.

Ecclesia.] Nomen Ecclesiæ non est in textu Græco, sed tantum ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή; Syriacè tamē est עדתא *hhudtha*, multarum Ecclesiarum nomē, quod sæpe reperitur in epistolis Pauli, & in Apocalypsi, vni ex omnibus compositæ non præiudicat: quemadmodum ex pluribus cōstans libris liber vnus dicitur, vna terra, cœlúmve ex multis, vt notat Augustinus [r].

In Babylone.] Vt olim Romæ, ob idololatriam omnis generis nomen hoc rectè conueniebat, sic postea meritò sanctam & Dei ciuitatē [s], de qua *dicta gloriosa* possent, appellandam scribit Aruolphus Comes [t], ob religionis & veritatis cultum. Refert verò multitudinem incredibilem sacrorū ædificiorum & operum piorum, quę suo ibi tem-

pore

a l. dispe. ... lib. a. c. 15. b ... hist. c. 15. c in Catalog. script. Eccl. d ... Mar. & in 47. ... Roma nec Babylonis dicta. e Præf. in Mar. ... f ... lib. con. Iud. g ... h ... lib. 7. c. 2. i ... de ciu. ... k ... c. 19. & 151. ... l in c. 14. Apo. m in Aug. lib. 18. de ciu. c. 22. n in ... o Hieron. ... p 4. Panopl. ... q ... r ... de Pōt. c. ... s ... de visibili Monar. Eccl. t To. 1. Ann. u lib. 3. de Antichri. c. 16. x ... y ... lib. 3. demō. z ... a Mich. 4. ... *Vrbs Romana ob iustas caussas commune Babylonis nomen per ... sortita.* b ... c ... d 17. de notis Eccl. e in Chron. f serm. ... de 8. ... g in Abdiam h ... i ... de Eccl. & eius Pastore ... Sadeel. ... *Hieronymus de vrbe Roma encomia.* k con. Petrum Viret. ... l ... m ... n Exo. 4. ... o Psal. 17. ... p Esa. ... q ... r Apoc. ... s ... t ... u ... x ... y ... z ... a Gal. 1. 8. 9. b ... c ... d ... e ... f ... de fer. Eccl. in Petro, & in ... g ... lib. 4. de ... 4. eā. Mar. c. 7.

h Cent. 1. lib. 2. c. 4. col. 56.

i Tom. 1. Annal. *Cur Apostolus non proprio nomine Romam dixerit.*

k 1. Tim. 4. 17.

l 18. Ant. cap. 12.

m lib. 17.

n Ribera in Mala. c. 1. n. 13.

o cap. 1. 4.

p Rom. vlt. 21. & seq. q 1. Cor. 16. 9. 20. *Vna est Ecclesia quamuis multa Ecclesiæ dicantur.*

r in Psal. 149. in præf.

s ep. 86.

t apud Hieronym. ... Tom. 2. lectionum antiquarum.

pote fiebant, hoc est, anno Christo 1001. Sed sine dubio longè hac nostra ætate auctior huiusmodi rerum in vrbe numerus, teste quoque me, qui plus annis 50. coràm eas ingenti cum voluptate vidi. Ostendit quoque Rupertus [a] ex Babylone in sanctam Ierusalem, nouámque Sion Romam conuersam prædicatione, ac institutione Apostolica.

a S. de glorif. Trinit. c. 5.

Coelecta.] Consors particépsq; electionis eiusdem, συνεκλεκτή. Electæ nomen proprium, vel certæ cuiusdam fœminæ cognomen, siue epithetum Ioannes ponit in epistola secunda [b], de quo ibi egimus. Sed quia ex vrbe scribebat Petrus ad prouinciarum multarum plures Ecclesias, rectè suppleuit Interpres Latinus, & Syrus Ecclesiæ vocabulum: tum quia probabile non est Coëlectam cognomen esse priuatæ personæ, cuius mitteret salutem adeo multis diuersísque prouinciis. Idē Syrus expressit simplex nomen Electæ גביתא *ghebitha*. Electionem verò, sicut capite primo accipio pro vocatione, non pro prædestinatione. Hoc pacto valdè corroborat eorum animos Petrus, quibus scribit, dum ex orbis principe vrbe salutationem scribit fidelium consentientium in eàdem tum doctrina, tum religione, tum charitate, tum spe vocationis. Simul tacitè laudat Romanæ fidem Ecclesiæ, quam & Paulus in ea, quæ ad Romanos est, epistola [c], laudauerat, & eo quidem magis, cùm Babylonem nominat, à quo nomine nihil magis alienum videtur, quam fides orthodoxa pietásque.

b vers. 1. & vlt.

Laudat Petrus fidem Ecclesiæ Romanæ.

c cap. 1. 8.

Marianus Victorius contendit legendum *collecta*, Græcè συλλεκτὴ [d], quamuis fateatur apud Sophronium esse, quæ nunc passim legitur συνεκλεκτὴ, vel σὺν τῇ ἐκλεκτῇ, *cum electa*. Vltima lectio penitus caret sensu. Secundam vetustiores quidem Latini expositores sequuntur, sed apud Eusebium [e] Papias primam ponit, quæ in codicibus etiam Bibliorū Græcis extat, & in Latinis emendatis (coëlecta)

d Ann. in Cat. Hieronymi.

e lib. 2. hist. c. 14.

Marcum filium meum.] Nisi exposuissem in Actibus Apostolicis [f] duplicem Marcum fuisse, alterum, cuius nomen Ioannes Barnabæ, cōsobrinus, alterum, qui condidit Euangelium, & de hoc hic sermonem esse, plura nunc dicerem. Cōsulat cui libet locum illum, in quo probatam sententiam istam nostram confirmamus quoque in præsenti, omnium Enarratorum testimonio. Oecumenius refellit hoc loco sententiam, quod filius carnalis fuerit, eo argumento, quia Petrus liberatus de carcere Ierosolymitano, sese receperit in domum Marci filij Mariæ.

f cap. 12. 12.

Causa tanti amoris in Petro erga Marcū, vt eū filium appellaret, creditur esse, quia baptizauerat eum (similem causam de Petronilla, cur item Petri dicatur filia reddidimus [g]) & instituerat, & familiariùs eo vtebatur, tanquam interprete, adeo perfectus erat, vt monasticam postea vitam instituerit in Ægypto, de qua putant Philonem [h] loqui: quia Euangelium, si non ex dictante exceperat, certè dum Petrus prædicaret, memoria retinuerat: quod ipse lectum approbauit.

Marcus cur Petri filius dictus.

g Act. 12. 12.

h de supplicibus.

Hæc potissimùm Petrus Damianus tribus de Marco sermonib. persequitur. Ibi addit vulgatē, sed falsam de pollice, quē sibi Marcus absciderit, historiam: ait præterea Leuitā origine, & Iudæorum sacerdotē fuisse: Alexandrinā ideo dignitatis post Romā locū secūdum obtinuisse, quòd Marcus ei præpositus à Petro, Petri nomine appellare voluerit. Hæc nos certo refutauimus loco.

De Marco Petri discipulo.

Aliam affert amoris causam, quòd pariēs Petri modestiæ, qui de suis laudibus tacebat, & vitia exaggerabat, nec quod ipse de se dici, non æquè ferret, de carissimo magistro volens dicere, in Euangelio prætermiserit, quòd *super aquas ambulauerit* [i]: quòd *claues Christus ei dederit* [k], & *oues* [l]: *quòd pro eo orauerit ne deficeret eius fides* [m]: quòd *staterem pro illo, ac pro se simul soluerit* [n]: quòd appellauerit eum Petrus *Filium Dei* [o]: quòd beatum ob reuelationem diuinam appellauerit [p]: quòd ille auriculam Malchi amputauerit [q]: quòd *fleuerit amarè* [r], adde, quod *apparuerit illi Christus post resurrectionem separatim* [s]: quòd *se promptum monstrauerit ad condonandas iniurias vsque septies* [t]: quod *in Petri nauem Christus conscenderit* [u]: quòd summa modestia *peccatorem se dixerit, ac indignum Christi præsentia* [x]; quòd aliis dilabentibus negauerit iri ad aliū debere, *cùm verba vitæ æternæ haberet* Christus [y]: quòd *ei lauerit pedes*, cùm præ humilitate id deprecatus esset [z]: quòd ad Christi monumentum cucurrerit cum Ioanne [a]: quòd audiens adesse Christū in littore, nando ad eum venerit [b]: quòd exigi à se an Christum amaret, ægrè tulerit [c].

i Mat. 14. 30. & seq. Mar. 6. 50.
k Mat. 16. 19. Mar. 8. 27.
l Ioan. 21. 17.
m Luc. 22. 32.
n Mat. 17. 26.
o Mat. 16. 16.
p Mat. 16. 17.
q Ioan. 18. 10.
r Mat. 26. 75.
s Luc. vlt. 34.
t Mat. 18. 28. Luc. 17. 4.
u Luc. 5. 3.
x ibid. 8. 9.
y Ioan. 6. 69.
z Ioan. 13. 6.
a Ioan. 20. 3.
b infra 21. 7.
c ibid. 17.

E contrario vnus Marcus exaggerat Christum Petro comminatum, dicendo: *Vade retro me Satana* [d]: eum negauit Christū, *anathematizasse, & iurasse* [e]: adde, *vni Petro exprobrasse Christum in horto, quod dormiret* [f].

d Mar. 8. 33.
e Mar. 14. 71.
f ibid. 37.

Hinc porrò colligitur, cùm ex vrbe missa sit epistola ista, & anno Neronis octauo Marcum mortuum testetur Eusebius, scripsisse Petrum, priusquam illum Alexandriam misisset. Sic rectè ratiocinatur Beda, & vt in Præfatione monuimus, omnium quotquot extant epistolarum sacrarum videtur antiquissima, scriptáque Christi anno quadragesimoquinto.

Est & aliud annotatione dignum, Apostolos filiorum nomine quandoque appellauisse discipulos viros, nunquam fœminas filias. Ideo notat B. Thomas [g] Paulum præcipere Timotheo [h], vt iuuenculas obsecret vt sorores in omni castitate, quia amor spiritualis ad mulieres, nisi cautus sit, degenerat in carnalem: sed & propterea Papam, dum scribit eis, dicere: *Dilectis in Christo*: sed viris simpliciter: *Dilectis filiis*, adde aliquando (*dilectissimis*, vel *charissimis*, vel vtrôque simul epitheto.) Et si sint Episcopi, sæpius *fratribus*. Nihilominùs addunt Pontifices nonnunquam, *dilectissimis in Christo fratribus*. vt Felix III. [i] aut *in Christi charitate vnanimiter* connexis, vt Gelasius I. [k] Legi quoque in titulo aliquarum epistolarum ad fœminas nomen filiæ absque adiectione illa *in Christo*, vt Bonifacij V. [l] ad Edelborgam reginam, Nicolai I. [m] ad Theodoram filiam Imperatoris; & ad Eudociam Augustam [n], & ad Hirmintrudam reginā [o], & ad Teupergam item reginam [p]: Ioannis VIII. ad Engilbergam [q], & ad Angelbergam Imperatricem [r].

Apostoli filios discipulos dixerunt, nunquam filias mulieres.
g in 1. Tim. 5. lect. vlt.
h ibid. 2.

i epist. 6.
k epist. 7.

l epist. 3.
m epist. 14.

n epist. 15.
o ep. 36. & 67.
p ep. 48.
q epist. 43.
r ep. 83. 91. 92.

Martinus I. scribens Constantino Imperatori, appellat in Inscriptione *filium diligentem Deum, & Dominum nostrum Iesum Christū*, cui similis titulus epistolæ Agathonis [s]: ad Constantinum etiā, Heraclium, Tiberiū Augustos, & Leonis II. [t] item ad Constantinum quem nominat *filium dilectum Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi*: Gregorius II. [u] vocat *dilectissimos filios in Domino*: Adrianus I. [x] Imperatores Constantinum, & Irenem *filios diligendos in Deo*, & Domino nostro Iesu Christo: Carolum Regem Francorum *filium, & spiritualem compatrem* [y]. Nicolaus I. [z] Bardam Cæsarem *in*

s ep. vnica.
t epist. 1.
u epist. 1.
x epist. 1.
y epist. 2.
z epist. 12.

Christo diligendum filium. Adrianus II.[a] Basilium, Cõstantinum, Leonem Imperatores *dilectissimos, ac spirituales filios.* Ioannes VIII. Basilium, Constantinum, Alexandrum *spirituales filios*[b]: & *dilectum ac spiritualem filium* Carolum regem[c], & Michaëlem regem Bulgarorum[d]: & Carlomanum Regẽ[e], & Ludouicum Regem[f]: & *spiritualem filiam* Angelbergam Imperatricẽ[g], nec in posterioribus Pontificibus, qui ætate vixerunt B. Thomæ, ac post illum etiam video exactè, sæpiúsve obseruatum in epistolis scribendis, quod ipse annotauit. Porrò Paulus[h] etiam non solùm nomine filiorum, & quidem charissimorum, appellat generaliter discipulos suos, ac præterea filiolorum; quod vltimum facit Ioannes magis crebrò; sed peculiariter Timotheum[i], & Onesimum[k].

Vers. 14.] Salutate inuicem in osculo sancto: Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu. Amen.

ET hic adhuc parcior ero, cùm de salutationis formis Apostolicis, atque Ecclesiasticis, & de osculi sancti vsu, necnon de profani disseruerim in Actibus Apostolorum[l], & in epistolis Ioannis[m]. Pauca dumtaxat subiiciemus.

In osculo sancto.] Ἐν φιλήματι ἀγάπης, in osculo charitatis. Quidam codices habent ἁγίῳ *sancto*, & editio Syra קדישתא *kadisceiha*, & Ignatius[n] imitator Petri ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν ἁγίῳ φιλήματι. Solum sanctum, quod ex charitate fit osculum: & sancti epithetum reperimus in epistolis Pauli[o], ad distinctionem videlicet osculi ficti, ac subdoli, quale Ioab[p]; ambitiosi, quale Absalon[q]: proditorij, quale Iudæ[r]: impudici, quale mulieris adulteræ[s]: fraudulenti, quale odientis[t]: *& multi etiam inimici*, inquit Philo[u], *coacti aliqua necessitate, hanc osculi speciem exhibent.* Vocat id, quod sanctum est osculum, columbinum Augustinus[x].

De osculi periculis disputat Hilarius Arelatẽsis[y], appellans morsum diaboli, arrham peccati, & cum Cicerone partẽ adulterij, criminis ostiũ, mortis initium Basilius[z], facta tacitè mentione veteris sententiæ, de qua Laërtius[a], & Stobæus[b], nominat animalium venenatorum morsum, & venenũ quod diffundatur ab ore per omne corpus: ideo Apostolos hortari, vt salutemus inuicem in osculo sancto, hoc est, quodam quasi spiraculo osculi carnis, inquit, in Spiritus sancti purissima flagrantia inuicem sibi ista iungentes. Athenagoras[c] purgans obiectum Christianis crimen impudicitiæ, docet doceri nos ita osculum moderari, vel adorationem (ab ore namque adoratio dicta) ne si vel paululum quiddam cogitationis peruertatur, æterna vita nos excutiat.

Clemens Alexandrinus[d] viris consilium dat ne vnquam vxores suas coram famulis osculentur: alios quoscumque vult[e] adhibere osculum sanctum & mysticũ, oréque clausu (μύω est claudo) non incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans. Mysticum, & sanctum dixit, indicando id, quod Eucharistiam recepturis dabatur, de quo dictum citato loco, quasi per eam ianuam oris ingrederetur Christus, vt ait Chrysostomus[f]. Cyrillus Ierosolymitanus[g] cùm meminit veteris ritus, vt Diaconus in Missa diceret: *Complectimini, & osculemini vos inuicem*, ait non esse id osculum,

a epist. 5. b epist. 199. c ep. 221. 230. 231. 241. 246. 249. d ep. 189. 192. 287. e ep. 186. 187. f ep. 197. g ep. 16. 204. h 1. Cor. 4. 14. Gal. 4. 19. 1. Thess. 2. 7. 11. i Philip. 2. 22. 1. Tim. 1. 2. 18. 2. ep. 1. 4. k ad Phil. v. 10. l Act. 15. 23. 29. m ep. 2. & 3. n ep. ad Tars. & ep. ad Antiochenos. *Osculum sanctũ quod sit.* o Rom. 16. 16. 1. Cor. 16. 20. 1. Thess. 5. 26. 2. ep. 13. 12. p 2. Reg. 20. 9. q 2. Reg. 15. 5. r Matt. 26. 49. s Prou. 7. 13. t Prou. 27. 6. u lib. quis rerum diuina. hæres. x Tract. 6. in Ioan. *Osculum periculosum est.* y homil. in Quadrag. To. 2. Bibl. hom. z de vera Virginita. a de vitis Philoso. b serm. 63. c Apolog. *Oscula moderanda.* d 3. Pædag. c. 11. e cap. 11. *Osculum sanctũ & mysticum quale.* f hom. 30. in 2. ad Corinth. g Catech. 5.

quale in foro inter communes amicos, sed quo animæ mutuo concilientur, & omnis malorum obliuio inuicem spõdetur, siue iniuriarum. Confirmat id autem Christi præcepto[h]: *Relinque munus*, &c. ideo sanctum osculum esse, vt Paulus vocare solet, & dilectionis, vt hoc loco Petrus.

Non suppetunt Græcis, quorum alioqui lingua ditior, tot ad hanc vnam rem significandam vocabula, quot Latinis. nam auctore Donato[i], oscula officiorum sunt, basia pudicorũ affectuũ, suauia amorum, siue libidinum. Tametsi hæc vt alia vsus confuderit. Dicũt priores στόμιον (vt quidam[k] volunt, nec enim exemplum reperio) φίλημα, seu φίλησις, & καταφίλησις.

Placet id quoq; annotare, quod apud Cyprianum[l] differentem de baptizandis infantibus legi solitum recẽs editis osculum dari, quod tamen facere Fidus, cui scribit ille, horrebat. *Nam etsi*, ait Cyprianus, *adhuc infans à partu nouus est, non ita est tamen, vt quisquam illum in gratia danda, atque in pace facienda horrere debeat osculari, quando in osculo infantis vnusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modò formato, & recens nato quodammodo exosculamur, quando id quod Deus fecit, amplectimur.* Hæc retuli libens omnia, quod pertinere putauerim ad intelligendam osculi sanctitatẽ. Extat & apud Auctores profanos de infantium osculo mentio, Virgilium[m], Lucretiũ[n], Senecã[o]. Hic id vocat sanctum, & ait amantium plura oscula, & amplexus acriores, non augere amorem, sed exercere.

Gratia vobis omnibus.] Εἰρήνη שלמא *scelama, pax.* Existimat Baronius[q] Ignatium, vt Petrum imitaretur, nomen χάρις, & ἀμὴν in extremis epistolis suis posuisse: ac licet in vnica, quę est ad Ephesios, extent; videri tamen in aliis fuisse, sed excidisse, quoniam Gregorius[r] ad Anastasiũ Antiochenum scribens ait se id vtriusque exemplo fecisse. Fortasse Latinus Interpres pro pace gratiã ponere maluit, quod pacem spiritualiter acciperet, quam plerumque qui dabant, etiam Hebræi, non solum Gentiles, temporalem intelligebant, & gratiæ perfectionem precatur iis, quibus iam ante contestatus fuerat veram gratiã esse, in qua starent. In Ignatij autem Græcis epistolis editis ab H. S. repertio easdem illas voces Græcas, præterea in epistola ad Polycarpum. Quia simili formula vtitur Paulus, obseruans hîc omnes in vtroque conformitatem animorũ, & doctrinæ, quódque vterque esset minister gratiæ generalis. notat vltimum Hugo: quæ tamen ceteris Apostolis ratio conuenit, ex quibus Iudas[s], & Ioannes initio similia precantur[t].

Qui estis in Christo Iesu.] Τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Sic solent loqui alij, vt Ignatius[u] ἀσπάζομαι πάντας, καὶ πάντας τοὺς ἐν Χριστῷ, hoc est, *qui ad Christum pertinẽt, & Christiani sunt incorporati per fidem*, inquit Lyranus, *omnibus per orbem terrarũ Ecclesiis*, inquit Glossa Interlinearis: *Qui permanetis in fide, & operatione*, inquit Hugo, ac Thomas Anglicus: *Qui per fidẽ, & charitatem estis vniti*, inquit Carthusianus. Simplicior primus sensus, consentaneus Græcorum vulgari phrasi: & quod de omnibus per orbẽ Ecclesiis Glossa dicit, non respondet inscriptioni epistulæ ad eas Ecclesias, quas exprimit nominatim.

h Matt. 5. 23. i in Andriam Terentij. k Donat. Hofs. in Dict. Latinogræ. synon. l ep. 59. *Oscula recens natis infantibus dari solita.* m 2. Georg. n lib. 3. o ep. 78. p 7. de benef. c. 13. q Tom. 1. Annal. r lib. 4. ep. 44. *Petrus, & Paulus conformes in animis & doctrina.* s vers. 2. t Apoc. 1. 4. u ep. ad Tarsenses.

IN EPISTOLAM PETRI SECVNDAM.

PRÆFATIO.

PAvcis præfandum, cùm penè cõmunis isti sit primæ præfatio, quæque in exordio Cõmentarij sunt dicta de illis, quibus Petrus scripsit, nonnihil de auctoritate, simúlque de auctore dicemus, & quódnam argumentum præsentis epistolæ.

Hæc epistola veri Canonica a confessa est.

Quod attinet ad primum, eadem argumenta faciũt præsenti auctoritatem sacram, canonicámque epistolæ, quæ sunt allata pro prima ex Patrũ consensu, & Conciliorum definitione, & vsu Ecclesię solemni in diuinis officiis. Licuit aliquando vtcumque dubitare, sicut referunt esse dubitatum Eusebius [a], Nicephorus [b], Hieronymus [c]: nunc absque hæresis nota minimè licet. Non legi qui penitus reiiceret, nisi quos tacito nomine refert Gregorius [d]: dubitauerunt ex recentioribus Lutherus [e] (etsi aliquando recensuit inter Canonicas [f],) Brentius [g], Kemnitius [h], Centuriatores [i], Erasmus [k].

De Syris non æquè possum id affirmare aliquando dubitauisse, sicut affirmare Feuardentius videtur, quamuis eorum linguâ non extet: nam Ephrem præcipuus Syrorum doctor, atque Damascenus, texens quoque Catalogũ [l], interdum ex hac epistula proferunt testimonia tanquam sacra, vt videbimus. Hodie etiam epistolam istã pari cum aliis sacris libris, excipiunt honore Syri omnes, Alexãdrini, Æthiopes, Maronitæ, Rutheni, & quotquot Tridentinum Conciliũ sunt amplexi. Accedit, quòd Iudas [m], cuius epistolam Canone cõprehendi pono, alludit satis clarè ad istã, eiúsque verba, vt ab Apostolo aliquo scripta. Translatam Latinè è Syro ab Etzelio nostro noster Serarius euulgauit in suis commentariolis, vt & epistolam Iudæ, atque Ioannis secundam & tertiam. Et id Posseuinus etiam in apparatu testatur.

Stylus non facit difficultatem.

Difficultatem facit diuersitas styli. Sed respondet Hieronymus [n], eam, si qua sit, ortam ex Interpretum diuersitate, cùm non eôdem semper vteretur Petrus. Quin etiam Centuriatores asserunt vtriusque stylum non valde dissimilem esse. Denique idem ipse scriptor non sibi semper in scribendo similis est, sicut & Pauli ad Hebræos accuratior epistola est, etiamsi quidam Græcè de Syro conuersam, quo ille scripsisset idiomate, ab alio velint. Si denique stylus officit, de prima non minus epistola, quàm de hac incerti erimus.

Testis prætereà Didymus [o], præsentem epistolam olim esse falsatã, ideóque quamuis publicaretur, non tamen in Canone positam. Sed Salomon suspicatur ea in illũ Didymi librum inserta verba ab alio; cùm neque detegat in quo falsata fuerit: neque Commentarios tantus vir edidisset in epistolam apocryphã.

Probatur huius epistolæ auctor esse Petrus.

Profectò huius Auctor epistolæ vel est insignis impostor, vel vnus è tribus Apostolis, qui in transfiguratione Christi [p] præsentes fuerunt, quia interfuisse se scribit [q]: Iacobum verò, aut Ioannem nemo dixit id scripsisse. Non itẽ alius, quàm qui Apostolus esset, videtur laudãdo Paulũ, appellaturus illum *fratrem carissimũ* [r]. Tandem, si Petrus auctor non est, qua impudẽtia scriptor nominat se *Simonẽ Petrũ seruũ, & Apostolũ Iesu Christi*: quo nomine Apostoli præter Paulum nullus alius in epistolis se appellat?

Argumentatur Beda [s] ex narratione transfigurationis, de Petro, quòd epistolæ auctor sit, dubitari non posse. Idem argumentũ prior fecit Gregorius [t], cuius placet hîc mihi verba ponere, quod rarò facio, quia & magnum momentũ habent in ista causa, & illius prætereri ab aliis, quæstionem præsentẽ tractantibus, adeo locuples testimonium miratus sum.

De huius epistolæ auctore, quod Gregorius Papa scripserit.

Postquam occurrit negantibus Petrum Apostolum esse, sed aliũ, cui se Paulus [u] *in faciem scripsit restitisse, simulque Petri commendauit modestiam, qui cùm à quibusdã detrahi Pauli scriptis agnosceret, ipsum in illis prædicat admirandum,* in quibus tamẽ legerat se ab eo reprehensibilem nominari, ita vt amicus veritatis illud ipsum laudauerit; de dubitatione, de qua agimus, scribit in hunc modum: *Et fuerunt quidam qui secundam Petri epistolam, in qua epistola Pauli laudata sunt, eius dicerent nõ fuisse. Sed si eius epistolæ verba pensare voluissẽt, longè aliter pensare poterãt. In ea quippe scriptum est* [x]: *voce delapsa, &c. Legant itaque Euãgelium, & protinus cognoscẽt, quia cũ vox ista de cœlo venit, Petrus Apostolus cũ Domino stetit. Ipse ergo hanc epistolam scripsit, qui hãc vocẽ in monte de Domino audiuit* [y]. Hactenus ille.

Argumentum huius epistolæ.

Iam verò argumentum epistolæ tale est. Certior per diuinam reuelationem de vicina morte, iisdem, quibus primã mittit epistolam secundam ex vrbe vnde illa data fuerat ante annos facilè viginti tres, nẽpe anno Christi quadragesimoquinto, cùm sexagesimo octauo, qui vitæ Petri supremus fuit, posteriorem scripserit. Docet traditam à se illis fidem, religionémque veterum testimonio Prophetarum, & prædictione, ac promissione

appro

a 3.hist.c.25.
b lib.3. hist. c.46.
c de viris illustr. in Petro.
d hom.18.in Ezech.
e Prolo. huius epistolæ.
f Prol. ep. ad Heb.
g in Confess. Virtemb. c. de sacra scrip.
h in Exa. Conc. Trid. sess.4.
i Cent.1. li.2. c.4.
k Annot. in hanc ep.1.
l lib.4.c.18.
m vers.17.
n ep.150.q.11.
o Com. in hãc ep. in fine.
p Matt.17.1. & seq.
q c.1.18.
r c.3.15.
s in c.1. huius epist.
t hom.18.in Ezech.
u Gal.2.11.
x 2.Pet.1.17. Matt.17.5.
y ibid.1.

apprtobatam eſſe. Hortatur ad innocentiã vitæ, operúmque bonorum exercitationem, quibus in ſua vocatione, & electione ſeſe magis confirmẽt. Admonet vt deuitent falſos, ac fallaces prophetas, quorum deſcribit mores, quodque illos non diſſimilis à cacodæmonibus, interitus maneat, necnon ab iis, qui diluuio [a], & igni [b] perierunt: eom tamen fruſtra coneotur à iudicij. appropinquantis expectatione alios remouere, quaſi nõ perinde apud Deum annorum mille atque vnius ſolius diei ſpatium ſit. Quin potius ſuadet, vt dilationis vtantur beneficio, ad iudicij præueniendum diem, ad emendationẽ vitæ, ad meritorum cumulum, quemadmodum & pridem in epiſtolis Paulus ſuaſerat; quas quia obſcuræ ſunt, ac difficiles, in deteriorem quidam partem accipiebant, haud ſecus atque ſcripturas alias.

a Gen.7.10.
b infra 19,15. & alibi.

Putat Adamus Saſbout, idem huius, quod epiſtolæ Iudæ argumentom eſſe, atque ſcribi contra Gnoſticos. Similes epiſtolas eſſe non nego: Gnoſticos tamen nõdum viuentibus Apoſtolis exortos multi ſentiunt, cùm eorum auctorem faciunt. vel Carpocratem, vt Irenæus [c], vel Baſilidem, vt Hieronymus [d], vel Valentinum, vt alij, etſi de Nicolao Diacono Philaſtrius [e], & Auguſtinus [f] tradant. Melius idem ille auctor in Commẽtario ſcriptam docuit contra familiam Simonis. Eandem opinionem eo modo quem prius expoſui, legi apud Doctorem Aſſelium manu ſcriptũ anno 1553. cuius cum adeo ſimilia & eadem propemodum ſcripta deprehendam cum ſcriptis Adam, non ſatis queo ſtatuere vter ſit mutuatus ex altero. Paulo iunior Adamus videtur, & tandem comperi ab Adamo tranſcriptum Aſſeliũ.

c lib.1.c. 24.
d de viris illuſtrib.
e de hæreſ.
f de hæreſ.

Difficiliora huius epiſtolæ loca.

Ceterùm inter alia, & vtiliora, & difficiliora quæ leguntur in hac epiſtola, ſunt hæc: *Nos diuinæ conſortes naturæ* merito beneficióque Chriſti effici [g]: *vocationi, & electioni noſtræ neceſſaria eſſe opera noſtra* [h]: *ſe poſt obitum ſuum*, de quo per reuelationem edoctus ſit, *oraturum pro ſuperſtitibus* [i]. *Diuinarum ſcripturarum authoritatem, ac pondus, maius eſſe quàm reuelationum priuatarum, & viſionum* [k]: *ſcripturis incumbendum ſtudioſè, earúmque interpretationi, eo quòd obſcuræ ſint, ac difficiles* [l]: Angelos præuaricatores dãnatos eſſe certis pœnis [m]: notas certas eſſe, quibus dignoſcãtur hæretici [n]: poſſe aliquem de fide & iuſtitia ſemel habita excidere [o]: mundum ſub iudicij tempus conflagraturum [p].

g 2.ep.1.4.
h c.1.10.
i c.1.15.
k c.1.19.
l c.2. 19. & ſeq.
m cap.2.4.
n c.2.1.12. & ſeq.c.3.3.16.
o c.2.21.22.
p c.3.5.& ſeq.

Hac epiſtola contra hæreticos eſt ſcripta.

Obſeruant Hugo, & Carthuſianus, epiſtola priore Petrum muniuiſſe contra Tyrannos præſertim, Eccleſiã, diſſerendo de patientiã in perſecutionibus; in hac potiſſimùm aduerſus hæreticos, quorum deſcribit ingenium, & qualitates, inuitando ad ſapientiam: *quæ*, inquit Hugo, *videntur duæ alæ aquilæ magnæ datæ mulieri vt volaret in deſertum in locum ſuũ, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie ſerpentis* [q].

q Apoc. 12. 14.

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM.

Commemorandi eximia beneficia diuina, suadet, vt per varias ascendant virtutes ad regnum Dei: monet se breui moriturum: certos facit certam esse quam tradiderit doctrinam, vtpote ipsomet doctore Christo, quem Pater, dum ille transfiguratus est, audiri praeceperit, a sed & Prophetarum confirmatam testimonio.

a Matt. 17.5.

Capitis primi argumentum.

1 SIMON Petrus, seruus, & Apostolus Iesu Christi, iis, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi.

2 Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri.

3 Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pietatem donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute.

4 Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ: fugientes eius, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.

5 Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam.

6 In scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem.

7 In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

8 Hæc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.

9 Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

10 Quapropter fratres magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.

11 Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi.

12 Propter quod incipiam vos semper commonere de his: & quidem scientes & confirmatos vos in præsenti veritate.

13 Iustum autem arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione.

14 Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.

15 Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.

16 Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis.

17 Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.

18 Et hanc vocē nos audiuimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto.

19 Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.

20 Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.

21 Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

Vers. 1.] Simon Petrus, seruus & Apostolus Iesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem, in iustitia Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi.

IN epigraphe nomen suum exprimit, describit munus: conciliat sibi eos, quibus epistolam mittit, cùm pares in eâdem fidei ac iustitiæ communicatione facit, sub eôdem capite Christo.

Simon.] Græcè vel Συμεὼν vel Σίμων. Antiquũ Petri nomen ante vocationem, cuiusmodi alius [a] quoque de Apostolis habuit, ac retinuit. Vix habeo quod addam de isto nomine præter ea, quæ satis accuratè disputaui capite decimoquinto Actuum Apostolorũ [b]. Id quod ibi dixi, idem esse quod Simeon, sed contractè proferri Simon, Oecumenius quoque hoc loco docet exemplo similium nominum, vt Metras pro Metrodoro, Menas pro Menodoro, Theudas (melius dixisset Theodas) pro Theodosio. Familiare hoc ipsum Hetruscis, apud quos Pippus est Philippus, Mæus Bartholomæus, Ceccus Franciscus, Titta Baptista, &c. Idem de Hebræis Ioanna, & Iona, vt cum idem Petrus nunc Bar Iona [c], id est, *filius Iona*, nũc dicitur *Simon Ioannis* [d]. Data opera Christus Simonem non Petrum nominauit post resurrectionem [e], tum cùm oues ei committere voluit, exigendo ab eodem amorem pro præcedente negatione [f], quæ Petrum minimè decuerat, sicut & quando dormientem in horto eodem nomine appellauit [g], & prædicens futuram illam negationem [h], tum præterea vt Pastor Ecclesiæ constituendus intelligeret statum & conditionem suam, ac vilitatem naturalem.

Non arbitror exactè causam assignari posse, cur priore epistola Petrus, in hac Simon Petrus inscribatur. Tamen Hugo respondet, *quoniam illa hortationem continebat ad patientiam, constantiam que in fide, ac veluti ad firmitatem petra: hæc ad sapientiam, cui necessaria humilis obedientia, quam importat Simonis vox, & iam dicta constantia, quæ denotatur in voce Petri.* Recito talia interdum; vt qui vera putant, vel dediscant, vel intelligant qualibus oblectent sese haud admodum verisimilibus, nec tanti faciendis. Esto idem iudicium de etymologia Petri, quam affert quoque Glossa Interlinearis, & approbant citatus Hugo, Petrus Aureolus [i], Thomas Anglicus, Primaticcius, vt sic agnoscens veritatem quasi sibi velit experto credi.

Aliud etymon nominis Simon traditur ab auctore commentarij in Marcum apud Hieronymum [k], qui tristitiam ponit, quasi à שם *sciam*, & און *hon*, nec refragatur scribendi Hebræa ratio. Tamen notatio communior à שמע *scimahh*, de obediente. Malè dubitat Ioannes Drusius an Simon dici possit Hebraicum nomen. Vsitatum est hac ipsa forma Rabbinis, &c. per ס *samech*, Simeon per ש *scin*.

Non hinc manauit ritus nomẽ mutandi cum creatur Pontifex. Recentius inuectum fuit ab eo, qui *Os porci*, vel *Bucca porci* prius dicebatur, postea Sergius II. vel à Ioanne XII. qui Octauianus, ne ille turpe nomen, hic nomen superbum gereret. Patrum memoria Marcellus II. & Adrianus VI. vetus nomen retinuerunt. Platina secutus Martinum Polonum, scribit de Sergio, Onufrius de Octauiano, & Sergium hoc ipso ante Pontificatum nomine appellatum esse: cognomẽ fuisse *Os porci*. Baronius [l] autẽ docet fuisse illum Sergium cognomine Os porci non II. sed IV. nomen verò mutasse ob reuerentiam S. Petri cuius ante Pontificatum gerebat nomen. De Ioanne XII. non illa fuit causa, quam indicaui, vt quæ verisimilis videri poterat; sed ob memoriam patrui Ioannis X. aut vt in nomine saltem bonum illud omẽ audiret, inquit Baronius: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes* [m]. Vetere dignior nomine propter vsurpatum Papatum anno ætatis decimooctauo.

Seruus.] Nec idonea satis ratio Hugonis, quare nunc se, non in prima vocet epistola, seruum, quòd ibi meminerit de persecutionibus, quas nõ oporteat seruiliter ferri, cùm sint dignitates [n]: hic, vt dictum est, agat de sapientia, cui necessaria humilitas: nec patientiæ impedimento est timor filialis, sed ornamento, & adiumento, & humilitatem ornat, ac iuuat magis ille, quàm seruilis. In exordio epistolæ ad Romanos, Philippenses, Titum nominat se Paulus *seruum modo Dei* [o], *modo Iesu Christi* [p]: quis possit respondere quare non ille in aliis? cur *Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi* [q], Iudas Iesu Christi: neuter [r] Apostolus appellari voluerit?

De dignitate seruitutis diuinæ alio loco dixi [s], & quo pacto simul censeatur quis Filius Dei, ac seruus. Gloriabantur, crebróque vsurpabãt primi fideles cognomen serui Iesu Christi, vt huius ostenderent excellentiam, quem increduli fabri filium appellabant [t], impostorem, crucifixum, vt notat Theodoretus [u]. Cõgruit & illa Origenis [x] ratio, quia sancti, qui adhuc in hoc corpore detinentur, nondum sunt plenam libertatem consecuti. Ea eiusdem non recipienda de Paulo, quod ad Christianismum vxoratus vocatus sit: ita verò coniugio alligatus nominetur [y] Fuit enim virgo Paulus. Humilitatis causa fortassis dici quidam voluerunt tanquam proprio nomine Serui, aut Seruuli, aut Seruidei, quod Græcè est Theodulus, & Dulas, ac Dula. Exempla petes ex martyrologio. Religiosus autem Seruorum Ordo profitetur seruitutem Deiparæ.

Iis, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem] Τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχοῦσι πίστιν, æquè pretiosam, vel honoratam fidem. Primùm rectè Caietanus monet, nisi capite tertio significaretur, istam iisdem epistolam scribi, quibus prima scripta est, quia quod hîc dicitur, omnibus fidelibus commune est, nescituros nos, ad quos præsens propriè mitteretur. Quare mirandum cur Adamus omnibus editam dicat istam epistolam æquè ac illam Iudæ. Idem tenet Titelmanus. Multò magis, quare Aureolus [z] in ea scribat Romanos infirmari: nisi hoc velit, quia Romæ scripsit Petrus, & eam fortassis, antequam mitteret Romanis communicauit: quæ ratio primæ eiusdem epistolæ, ac nonnullis Pauli ad certos alios missis communis est.

Deinde coæqualis, & æquè pretiosa fides, quã alij sortiti sunt cum ipsis, indicat Gẽtilibus illum

[a] Matt. 10. 4. Marc. 3. Luc. 6. 15.
[b] vers. 14. Nomina propria contracta esse solita.
[c] Matt. 16. 17. Ioan. 1. 42.
[d] Ioan. 21. 15.
[e] ibid. 15. 16. 17.
[f] Ioan. 18. 17. & 27. & alij Euangelistæ.
[g] Matt. 14. 37.
[h] Luc. 22. 31.
Cur Petrus in priore epistola, in hac Simon appellatur.
[i] in compendio scripturæ.
[k] in c. 3. Hieron. in c. 26. Matth.
Nominis mutandi in initio Pontificatus mos vnde manarit.
[l] Tom. 10. Annal.
[m] Ioan. 1. 6.
Cur se seruum in hac dicat, non in altera.
[n] Act. 5. 41.
[o] Tit. 1. 1.
[p] Rom. 1. 1. Philipp. 1. 1.
[q] cap. 1. 1.
[r] vers. 1.
[s] Act. 2. 18. Fideles cur se seruos Christi appellabant.
[t] Matt. 13. Marc. 6. 3.
[u] in c. 1. ep. ad Rom.
[x] ibid.
[y] 1. Cor. 7. 21. Virgo Paulus fuit.
[z] supra.
Gentilibus conuersis hæc propria est epistola.

etiam

etiam scribere, quibus eadem gratia, & Spiritus sanctus communicatur absque acceptione personarum, vt ipsemet dixit disputans de Cornelio [a]: praeterea non aliam Iudaeorum, qui facti sunt Christiani, ne Apostolorum quidem ipsorum, nō Italiae, Romaeque, vbi scribebat, quam in aliis regionibus fidem esse, quae, vt Iudas [b] ait, *semel tradita est sanctis.*: adhaec vnius omnes moris in eadem Ecclesiae domo esse [c]: item Petrum omnibus omnia seipsum facere, quod faciebat quoque Paulus [d], propter consensionē doctrinae, & charitatis, multò magis quàm se vel Pertinax Imperator, vel Alexander Macedo, vel alij ad subditorum tam diuersorum mores accommodabant.

a Act.10.34.15.47.c.11.17.
b vers.3. epist. suae.
c Psal.67.7.
d 1.Cor.9.22.

Prosper [e], vel Ambrosius [f] in opere de vocatione Gentium de his praesentem locum videntur intelligere, ac de fide, quod sit Dei donum [g] interpretantur. Arbitror autem ego sub fide comprehendi hic cetera supernaturalia dona, & religionem totam Christianam.

e 2. de vocat. Gent.c.23.
f [illegible]
g Ephes.c.2.8.

Tertio loco rectè Lyranus notat, coaequalitati in fide; de qua Petrus loquitur, non repugnare gradnum in eadem, vt & in aliis diuinis habitibus, diuersitatem: nam & intensior, atque remissior, & magis, minúsque extensa, seu explicita, implicitàque potest fides esse, atque nonnullorū fides magna [h] dicitur, quorūdam modica [i]: aliqui adaugeri sibi petierunt [k]. Sulum voluit Apostolus docere, nullo discrimine, delectúve tum Iudaeos, tum Gentiles admitti, vocarique ad fidem. Sicut quando idem Petrus dixit [l] Cornelio, aliisque familiaribus eius Deum eādem gratiam dedisse, quam sibi, Graecè, *ἰσὴν δωρεάν*. Hic, vt vidimus, vocatur *ἰσότιμος πίστις*.

Fides maior & minor esse potest.
h Matt.15.28.
i c.6.30.c.8.26.c.14.31.c.16.8.
k Luc.17.5.
l Act.10.47.

Cauendus quartò haereticorum nostrorum paralogismus, nullum Petri primatum esse, quia ipsemet sibi ceteros faciat aequales. Non consistit primatus in internis gratiae sanctificantis donis per se, sed in potestate, seu iurisdictione. Certè non omnes Apostoli, sicut Petrus, quamuis in eadem Ecclesia, & fide, plurimi sint, omnes ad eamdem inituntur. Propriis Caluini testimoniis se uardentius probat primas defendas Petro. Lege si libet.

Primatus Petri in quo consistat.

Sortiti sunt.] Si vim in Latino verbo facere vis cum Latinis expositoribus, gratiae donum sortem appellabis, & quodam etiā modo casum, vt aliàs [m] vberius docui, quia gratis, ac veluti sorte quadam confertur nobis, quemadmodum vel possessiones, seu haereditates, vel honores, Magistratúsve sortitò nonnumquam distribuuntur: & haec distributionis olim ratio Hebraeis erat in vsu, vt etiam alibi dixi [n], cùm de electione Matthiae. Sors propriè *κλῆρος* Graecè dicitur: inde *κληρόω*, quo verbo Paulus [o] vtitur, cū scribit nos, vt Interpres noster vertit, *in Christo sorte vocatos, nec non praedestinatos* *ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν*. Nominat praeterea idem Apostolus [p] *partem sortis sanctorum* *τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων*. At Graecum praesentis loci participium est *τοῖς λαχοῦσι*, vt & alio loco verbum *τυγχάνει* reddit idem Interpres [q] *sortitus est*, & quidem loquens de Christo. Nec rarò sortiri valet simpliciter, & quomodolibet consequi, & adipisci, qua ratione in vltimo loco Syriacè ponitur verbum קבל *kabbel*. Prosper [r] citans hunc locum legit, *adepti sunt.*

m Act.16.10. Sors cur vocatio ad fidem appelletur.
n Act.1.26.
o Eph.1.11.
p Coloss.1.12.
q Hebr.8.6.
r 2. de vocat. Gent.c.23.

Augustinus [s] illud asserit quod aiebam de gratia, sortis nomen dici, quia in sorte nō est, inquit, electio (nempe nostra) sed voluntas Dei loquendo de prima gratia, postea enim & nostra voluntas exigitur) *nam vbi dicitur, iste facit, ille non facit, merita considerantur: & vbi merita considerantur, electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra inuenit, sorte voluntatis suae nos saluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus, hoc est sors.* Sic ille. Verùm non aliud opinor, voluit Petrus, quàm gratiam tributam, quod Hebraeo idiotismo explicatur per sortiendi verbum, sicut & per funiculos ac funes: vt ibi [t]: *Funes ceciderunt mihi in praeclaris, etenim haereditas mea praeclara est mihi.* Veritus est Augustinus, ne Gentiles, vel imperiti, etiam Catholici offenderentur, audientes vocabula sortis, atque sortiendi, quasi sorte, ac fortuitò munera gratiae contingerent.

s in Psal.30. Enar.1. Prima gratia cur sors dicatur.
t Psal.15.6.

In iustitia Dei nostri, &c.] Ambrosius, vel Prosper antea citati [u] legunt *per iustitiam*, itáque Vatablus vertit. & eodē modo Clarius, Catharinus, Salmeron, Sà, Caietanus, Gagneius, Adamus, Asel (ex quo mibi ille mutuatus notationes videtur.) & Feuard. declarant. Quod significetur fidem dari per iustitiam Christi, sine per merita eius, non per opera legis, aut alia quaecumque naturae viribus facta, sentit Caietanus, Cathatinus, Salmeron, Feuardentius. Asel, & Adamus hoc non approbant, quia *fides non est*, inquiunt, *ex merito Christi, sed ex praedestinatione*. Refellunt hi duo praetetea illos, qui explicant fidem in iustitia, id est, quae afferat iustitiam, quaeque vocatur à Paulo [x] *iustitia Dei per fidem*, quoniā insolens est huiusmodi phrasis. Est autem ea sententia Vatabli, Clarij, Gagneij, Sà, ita vt cum fide iustitia sequatur, nisi quid obstet, aut per eam iustificemur, scilicet velut per primam dispositionem, primúmque fundamentum, & quae solet opponi iustitiae operum per naturae solas vires, quam iustitiam Hebraei & haeretici praedicabant. Eōdem pertinebit, si, vt etiam placet Sà, iustitiam sumamus pro misericordia, & cum iustitia explicemus per misericordiam, nimirum per misericordiam Dei, & Christi.

u 2. de vocat. Gent. ca. 8. vel 23.
x Rom.3.22. Quomodo per fidem iustificemur.

Tertia expositio est Aselis, & Adami praepositionem, in, quae Hebraeis est ב *be*, non habere vim instrumenti quam habet non tarò, vt apud Esaiam [y]: *Radet Dominus in nouacula conducta*, id est, per nouaculam conductam, sed comitis, nempe cum iustitia, quemadmodum in illis verbis eiusdem Apostoli Pauli [z]: *superabundauit gratia Domini nostri cum fide & dilectione*: & in alijs Thomae in Ioannis Euangelio [a]: *Eamus & nos vt moriamur cum eo*: Hebraeus vteretur dicta praepositione *be*. Vnde sensus erit fidem dari simul cum iustitia. Indicat eumdem sensum Titelmannus, datam fidem virtutem Theologicam in iustitia Dei, &c. id est, vt non sit sola, sed veram iustitiam adiungat cotam Deo, &c.

y cap.7.20.
z 1.Tim.1.14.
a Ioan.11.16.

Primam opinionem ceteris praefero, quae est omninò Ambrosij, vel Prosperi. Tunc fidem intelligendo vt dixi de omnibus, quae nos fideles & Christianos absolutos reddunt, nimirum iustos, ac Deo gratos, dicentur fidem recipere cum iustitia Dei, &c. hi, qui beneficio Dei, & Christi consequuntur ista per iustitiam scilicet Dei, qui cùm iustus sit, & fidelis, *se ipsum negare non valens* [b] praestat quod promisit rationem omnibus consequendae salutis: vel per misericordiam (quam acceptionem iustitiae pro illa recipio, & exemplis confirmari posse scio [c]) Dei, & Christi: vel per iustitiam, quam Christus, qui Deus est simul & homo, exercuit in operibus suis, atque per illam promeruit nobis fidei, & cetera gratiae dona.

Fides de omnibus, quae nos fideles & Christianos reddunt hoc intelligenda.
b 2.Tim.2.13. Heb.6.18.
c Psal.30.2. Esa.56.1. Mat.6.2. 2.Cor.9.10. Fides cum iustitia quomodo iste intelligatur.

dona.Pottò non infolens phrafis eft, vt Auctores contendunt fententiæ terux, vt fides cum iuftitia intelligatur, non modò quæ iuftitiam comitem habeat, fed etiam, quæ illam fibi comitem faciat, ac veluti fecum trahat.

Quod verò fides non fit ex merito Chrifti, fed ex prædeftinatione, eft negare prædeftinationem noftram effe ex meritis eiufdem, faltem quantum ad media omnia, quod abfurdum eft. nam propterea vocatur Chriftus *primogenitus in multis fratribus, cui conformes debent effe prædeftinati* [a]: *& prædeftinauit nos Deus in adoptionem filiorum per illum* [b], *& in ipfo nos benedixit in omni benedictione fpirituali* [c], *& aptauit nos in omni bono per eumdem* [d], *vt faciamus eius voluntatem.* Lege Auguftinum [e], & B. Thomam [f], & ex Interpretibus huius Suarez [g], & Concilium Tridentinum [h]. Refellit ille negantes primam difpofitionem gratiæ effe ex meritis Chrifti, oftendens non inde fieri, vt non fit iuftificatio noftra ex gratia, fed ex fola iuftitia. Item illos qui dicūt idem de applicatione actuali meritorum Chrifti fcilicet non effe ex meritis eiufdem.

a Rom. 8. 29.
b Ephe. 1. 5.
c ibid. 3.
d Heb. 13. 21.
e de prædefti na. fanctor. c. 15. lib. de bono Perfeuer. c. 9. & alibi.
f 3. p. q. 19. a. 4. & q. 24. a. 3. & 4.
g 3. p. Tom. 1. difp. 41.
h feff. 6. c. 5.

Dei noftri, & Saluatoris Iefu Chrifti.] Profper, fiue Ambrofius legunt *Domini*, quod nomen de Chrifto fæpius dici folet: atque ita hæc omnia pertinerent ad eandem perfonam Chrifti, qui reuera tamen etiam Deus eft: Alioqui per Deum poteft Pater intelligi. Inde diuinitas Chrifti, hinc probatur diuinarum diftinctio perfonarum. Secundum pluribus expofitoribus placet: fed primo fauet Græcus textus omnia ifta fob vna particula comprehendens τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ Σωτῆρος, &c. vt obferuant Arias, & Feuardentius. De voce Saluatoris alias [i]. Erafmum caue poteftatem faciendis legendi disiunctim (Dei noftri, & Saluatoris Iefu Chrifti. Vnicus Græcè articulos eft: & fauet Arianis ille interdum contra diuinitatem Chrifti.

i Act. 5. 31. cap. 13. 23.

Quid fibi velit hic *iuftitia Dei noftri, & Saluatoris Iefu Chrifti* prius eft dictum, nempe quam Deus efficiat in nobis, & Chriftus nobis promeritus fuerit, quæ docuerim; quæ vera fit, Deique & Chrifti confentanea voluntati: in nobis formaliter, ac intrinfecè, non per exercitium operum legis, vel naturæ folius, nec per folam imputationem, extrinfecàmve denominationem ab ea iuftitia, quæ eft in Chrifto. Hæc innuit omnia Thomas Anglicus: quibus corruunt oppofiti errores de iuftitia noftra, quos veteres nouique fectantur hæretici, præter Iudæos, qui legalem illam fuam iuftitiam tanti faciebant. An porrò iuftitiæ nobis ratio eum Deo propriè intercedat, alibi difputandum.

Admittitur appellatio *corona iuftitiæ, quam reddat Dominus iuftus iudex* [k]. Sed quia illud, quidquid eft, etiam fundatum in infiniti pretij meritis Chrifti, à diuina pendet voluntate, ac pacto, eftque femper creaturæ, ac Dei interftitium infinitum, exacta & rigorofa iuftitiæ ratio, locum habere nequit in ifto veluti contractu: vt ideirco fatis bene idem Thomas appellet non exigentiam, fed condecentiam diuinæ bonitatis. In qua condecentia cùm latitudo fit, inde fit, vt fchola Theologorum quædam opera vocet meritoria de condigno, alia tantùm de congruo, vt alibi pluribus oftendimus [l].

k 2. Tim. 4. 6.
Qualis inter Deum & homines iuftitia intercedat.
l difp. de gra.

Verf. 2.] Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chrifti Iefu Domini noftri.

Salutifera Imprecatio vfurpari folita initio epiftolarum Apoftolicarum, de qua fatis actum in præcedente, & vniuersè difputat Auguftinus [m] agnofcens Trinitatem, & perfonas eius, Patrem quidem fub appellatione Dei: Filium fub nomine Iefu Chrifti: Spiritum fanctum fub vocabulis donorum, quæ in falutatione exprimuntur, quia de Spiritu fancto per attributionem dicitur donum.

m expof. in ep. ad Rom. Tom. 4. 5. Tractat quomodo hæc dicantur.

Adimpleatur.] πληθυνθείη, ficut capite primo [n] prioris epiftolæ, & in epiftola Iudæ [o], vbi tamen Interpres pofuit *multiplicetur*, quo pacto & Auguftinus [p] citat præfentem locum, & nonnulli codices habent. Gloffa ordinaria, & Hugo, ac Beda notant ibi dictum *multiplicetur*, quia fcribebat Petrus imperfectioribus, & incipientibus: nunc perfectioribus, & proficientibus, per fidem, donec adimpletio peruenientibus ad aliam vitam accedat. Hugo addit, hic fermonem effe cum illis, qui iam habent fidem, folúmque indigent, vt confirmetur & adimpleatur. Prætetea gratiam, pacémque (de quibus & nos in epiftola prima) impleri per operationem: fed adimpleri per perfeuerantiam.

n verf. 2.
o verf. 2.
p fupra.

Nil eft quod fufpicemur legiffe hoc loco Interpretem ἀναπληρωθείη, alioqui fic legiffet etiam in epiftola Iudæ. Vtrobique Gagneius afferit: hic Salmeron. nec arbitror adimplere, aliam habere vim, quàm implere, hæcque duo quàm multiplicare, cùm fit pro vtroque verbum idem Græcum.

In cognitione Dei, & Chrifti Iefu Domini noftri.] Auguftinus [q] & Profper [r] *in recognitione* ἐν ἐπιγνώσει. Cognitionem optat adimpleri, & adaugeri fidei, eorúmve habituum intellectus infuforum, quæ ad res eafdem fidei meliùs cognofcendas, tum practicè, tum fpeculatiuè faciant. Iam fidem datam meminerat; quare non videtur per τὴν ἐπίγνωσιν, veluti fupercognitionem intelligere, hoc eft, cognitionem fuper eam, quam Ethnici de Deo habuerunt, & fimplex dici γνῶσις, id eft, cognitio poteft, quamuis reuera ita fe habeant inter fe comparatæ cognitiones hæ, vt notauit Feuardentius.

q fupra.
r con. Coll. c. 29. & epift. ad Dem.

Poffet quoque præpofitio (in) vicem obire inftrumenti, quoniam per dictam cognitionem fieri folet acceffio magna gratiæ, pacifque, & viciffim *pax exuperans omnem fenfum, cuftodit corda, & intelligentias noftras* [s]. Sæpiffimè compofitum nomen τὴν ἐπίγνωσιν pro fimplici cognitione ponitur, & ἐπιγινώσκειν, pro en quod eft, quomodocumq; cognofcere. Superfedeo afferēdis exemplis, quæ paffim occurrent in toto nouo Teftamento, præfertim in Paulo. Oecumenius perturbatam hic orationem putans, ita euoluit. Vobis, qui in agnitione Dei, & Iefu Domini noftri, æqualem nobifcum fidem fortiti eftis per iuftitiam Dei noftri, gratia & pax multiplicetur. Prior expofitio facilior, quàm ifta, & quàm duæ aliæ, quas apud eumdem legere poteris.

s Philip. 4. 7.

Verf. 3.]

[*Vers.* 3.] Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pietatem donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute.

VEl ita se gratiam precari pacémque significat, vt ipsis adimpleatur, ac perficiatur magis magisq; (quo pacto tãta iam acceperant diuinæ potestatis munera conducentia ad vitam & pietatem) & hoc pariter per cognitionẽ, seu fidẽ illius qui vocauit. Vel sensus est, cupere, vt cognitio, de qua prius dixit, in eo potissimum versetur, vt *quæ donata sibi sunt à Deo*, quemadmodum & Paulus loquitur [a] *sciant atque perspiciant*. Vel quasi nouo facto principio, nec ista ex priore pendente sententia, cũ admiratione ac epiphonemate prorumpit in commendationem diuinorum donorũ hic & sequenti versu. Vel hinc etiam inchoãs nouum sermonem, ac extendens ad sequentem vsque inclusiue, petit, vt (quod est versu sequẽti) fugientes, nempe sint corruptionẽ concupiscentiæ mundi; quomodo (vt his ac sequentibus dicitur verbis) tanta consecuti sint dona, quibus ea videlicet ratione respondere oporteat. Non facile dixerim, quis ex his melior sensus. Secundus cum editione nostra non adeo cohæret, quia illud *quomodo* non habet significationem αἰτιολογικὴν causalem. Ex singulorum expositione totius intelligentiá sententiæ meliùs dilucescet.

Quomodo.] Ὡς, vtraque vox aut similitudinis est, aut admirationis, non autem causæ; Latina quidem, licet Græca possit esse, cuius quoque valde multiplex alius vsus. Si accipiatur simul iudinarie, supplendum putant Beda, reliquique fere Latini, *vt cognoscatis*, nempe quomodo, id est, quã liberaliter, benignè, perfectè. Gagneius, Adamus, Asel explicãt, vt gratia, & pax adimpleatur, &c. per cognitionẽ, quemadmodum seu perinde, atque diuina virtute Dei, nobis, per cognitionẽ eius; donata sunt quæcumque spectant ad vitam, & pietatem. Existimant autem postremi duo nomẽ cognitionis inculcari, ac simul cognitioni huic adeo multũ tribui, vt fideles in ea perficere studeant, in qua iam se Gnostici à cognitione sic appellati, perfectos esse iactabant.

Catharinus indicat, *quomodo* habere vim exegeticam, circa quid nimirum cognitio versetur, de qua dictum priore versu. Ariæ opinio est, ac Vatabli, de epiphonemate, quod est, inquit Arias, in Hebraico sermone vsitatissimum schema, ad gratulationem hic vsurpato. Exempla dicti schematis lege notatis in margine [b] locis, in quibus est, quomodo, vel quam Græcè ὡς vel πῶς, Hebraicè אך *ach*, seu איך *ech*, & איכה *echah*, vel מה *mah*. Salmeron expositiones tres primas allatas initio proponit, & probare præ se fert. Vltimam innuit Feuardẽtius: Ceteri conquiescũt in prima.

Omnia diuinæ virtutis suæ.] Πάντα τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ. *Omnia diuina potentia sua*, quasi effuderit in donando potẽtiam omnem suam Deus, ac veluti *faciendo potentiam in brachio suo* [c]. Certè, *qui etiã proprio Filio suo non pepercit* [d] (ἐκ ἐφείσατο) parcus nec in hoc fuit, quo nihil maius) *sed pro omnibus tradidit illum* (vt homo fieret, & communicando substantiam suam, qua re nullam potest meliorem) *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* χαρίσεται *donabit, gratificabitur*, condonando peccata, iustificando, glorificando, quæ licet valde magna sint, non tamen substantialia, sicut incarnationis donũ) Hæc iam donata sunt in noua lege, in vetere tantùm promissa, vel iustificationis donum, quod tunc etiam dabatur propter auctorem nouæ Christum, eiúsque merita dabatur. Diuinitatem Christi ex eo Pauli loco Hilarius [e] colligit, & non adoptione, sed naturâ filium Dei esse, quia probat magnitudinem dilectionis Dei, quod pro filiis adoptionis, siue vt tales efficeret, proprio non pepercit.

Quæ ad vitam, & pietatem donata sunt.] Meminit Beda, & Glossa ordinaria lectionis alterius *quæ donata est*, quo pacto legendum censent Caietanus, Vatablus, Erasmus. Suspicatur Adamus interpretẽ legisse δεδώρηται pro δεδωρημένης, vt modo est. Fortassis legit δεδωρημένα, vt etiam legi in nonnullis codicibus: aut si actiuè interpretetur cum Prospero (de quo postea) δεδώρηται, nec aliter aptam Syntaxim reperire possim, nisi numero legamus plurali *donata sunt*, vel *dedit*: Græca sic habent; Ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης. *Tamquam omnia nobis diuinæ virtutis, quæ ad vitam, & pietatem* (sunt) *data*. vbi non efficitur vllus sensus: aut si est δεδώρηται (*quomodo*, &c.) dedit nimirum Deus, siue diuina virtus dedit omnia: aut, si δεδωρημένα (quomodo &c. data sunt) scilicet à Deo, Interpres *suæ* addidit, & omnia diuinæ virtutis exposuit esse dona, non autem virtutem, quæ ipsa donaret. Si legas, *omnia diuinæ virtutis suæ quæ ad vitã & pietatem donata est*) supplẽdum erit (omnia (Deus) diuinæ virtutis suæ dedit) quæ nempe virtus ad virtutem & pietatem donata est. Prosper vtens hoc testimonio contra Collatorem [f], pro gratia, sic illud refert, *Gratia vobis & pax adimpleatur in recognitione Domini nostri Iesu Christi*, fortasse recognitionem sumpsit pro grati cognitione animi, *qui nunc* (videtur legisse ὃ νῦν, sed ὡς, quamuis addat de suo *nunc*) *omnia nobis, quæ ad vitam, & pietatem pertinent* (omisit, diuinæ virtutis suæ) *donauit*. Tunc infert: *Numquid, ait, quæ virtutum semina, quæ naturaliter habebamus inserta, operatione sua excitauit in nobis? Sed ait: Qui nunc omnia nobis, quæ ad vitam, & pietatem pertinent, donauit. Quod accensis, cuius virtutis initium in natura posuit, quod non ab eo collatum sit, qui cuncta donauit?* Affert rursus [g] idem, vel certè Ambrosius [h] eundem locum ad idem probandum, sed ita: *Gratia* (præterit, & pax) *vobis adimpleatur in recognitione Domini nostri Iesu Christi: qui nunc omnia nobis diuina virtute sua* (quasi per hanc, non hanc dederit) *quæ ad vitam, & pietatem pertinent, donauit per agnitionem suam*, &c. *Si ergo omnia*, simile faciens argumentum, inquit, *quæ ad vitam & pietatem pertinent, Deus nobis diuina sua virtute donauit: nihil magis fugiendum est, quàm appetitus huius concupiscentiæ, quæ virtutem negat diuini operis, amore propriæ dignitatis: & cùm aliæ cupiditates ea tantum bona, quibus aduersantur, commaculant, hæc dum omnia ad se trahit, simul vniuersa corrumpit.*

Hinc arbitror manasse in scholis tritum illum loquendi modum, nihil nos posse absque gratia eorum, quæ pertineant ad pietatem, & ad vitam, nimirum æternam consequendam. Et cùm vel Patres, vel Concilia, vt Arausicanum II [i], dicere videntur nos nihil posse nisi peccatum, sine gratia, volunt perinde referre quiduis aliud fiat, quamuis naturaliter, moraliterque bonum sit, ac si esset peccatum, quod attinet ad dictam pietatem, & vitam æternam, scilicet, quia sunt extra ordinem eorum, quæ per

a 1. Cor. 2. 12.
b Psal. 72. 19. Psal. 81. 2. Psal. 118. 97. 103. Sap. 5. 4. Thren. 1. 1. & alibi.
c Luc. 1. 51.
d Rom. 8. 32.
e 6. de Trin. Diuinitas Christi hinc comprobatur.
f cap. 19.
g ad Demetriadem.
h epist. 19. olim Rom. ad Demetriad.
Omnia nobis Deus donauit quæ ad vitã & pietatem pertinent.
i canon. 7.

ſe ad hæc conducunt. Quomodo *delinquens in vno*, ſententia Iacobi [a] *factus eſt omnium reus*, quoniam licet reuera reatum non habeat omnium peccatorum, & alia multa bona poſſit operari, dum verſatur in reatu, & reatus vnius mortalis peccati, ſufficit, vt gratia priuetur, & præmio vitę æternæ, qui eſt plurium reatuum idemmet effectus, quamuis in pœnis, & in reatibus, vt à maculis peccatorum diſtinguũtur, nonnullum diſcrimen ſit. Nullus melius de hac gratiæ materia, quàm Auguſtinus, & poſt illum Proſper. Illius tritum axioma; *Quiſquis enumerat Deo vera merita ſua, ille enumerare munera ipſius* [b].

Ad vitam.] Πρὸς ζωὴν. Alij [c], Πρὸς εὐσέβειαν, *ad pacem*, omnia porrò Dei munera ſpectant eò, vt vitæ æternæ conſequendæ viam ineamus, & piè colamus Deum, & hoc melius æmulemur charismata [d], non gratis data dona [e], quæ in aliorum ſunt vtilitatem, & interdum etiam in improbis [f]. Vitæ quidem vocabulo poſſumus intelligere beneficium creationis cum reliquis naturalibus: per pietatem gratiæ munera. Sed de his poſterioribus propriè loquitur Petrus, vitæque vox, vt aliàs monui, beatum ſignificat. Thomas Anglicus vitam ſpiritualem ſumit quoad noſmetipſos, pietatem quoad proximos: vel vitam obtinendam in futuro, pietatem conſeruandam in præſenti, qui eſt cultus Dei: vel vitam quo ad mores bonæ conuerſationis: pietatem quoad cultum Chriſtianæ fidei, & religionis.

Vocauit nos propria gloria & virtute.] Διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς Ambroſius, vel Proſper antea citati, *propria gloria virtute*. Motus Deus amore gloriæ ſuæ, qua *egent omnes qui peccauerunt* [g], & vtens benignitate ſua vocauit nos &c. Gloriam ſuam, ſicut & omnipotentiam parcendo maximè, & miſerando, Deus manifeſtat; ita vt hic effectus ipſe metonymicè dici gloria poſſit. Etſi verò ἀρετὴ aliud ſæpe eſt, quàm δύναμις, & hæc paulò antè in hoc eodem verſu poſita eſt; eandem nihilominus interdum vim cum illa habere, iam pridem docui [h]. Sed quoniam hîc diſtinctè vox vtraque ponitur, credo ἀρετὴν & virtutem denotare benignitatem atque miſericordiam, & eximium amorem erga nos. *Propria* interpres addidit, vel forſitan legit ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ. Satis autem bene Carthuſianus innui notat αὐτοπρόσωπον Dei filium, ac in propria gloriæ ſuæ maieſtate coniuncta cum natura noſtra humana veniſſe, vt nos redimeret, ac ad ſe vocaret.

Nimis reſtringit ſententiam Thomas Anglicus ad Apoſtolos, & quidem Petrum dumtaxat, Iacobum, & Ioannem, qui vocatione exteriore vocati ſint, vt alij, ſed propria gloria, hoc eſt, oſtenſione transfigurationis, & virtute, id eſt; operatione miraculorum, quorum nonnulla coram illis ſolis fecit. Salmerõ virtutem ſumit moralem, gloriam transfigurationis. Amplectitur tamen etiam idem Thomas generalem de omniũ vocatione ſenſum, per virtutem, efficienter, per gloriam finaliter, propriam autem Dei ipſius incarnati.

Putat Caietanus indicari Chriſtum vocaſſe *virtute* beneuiuẽdo, vt & ipſi bene viuamus: *gloria* edendo miracula, aut per gloriam corporis immortalis ſui. Clarius eodem ferè modo, *cùm vidimus*, inquit, *gloriam eius tamquam Vnigeniti à Patre* [i], & is vitam virtutibus plenam oſtẽdit, quam imitaremur, vnde & ſperare poſſemus nos eiuſdem cùm eo glorię futuros eſſe participes. Vocat idem Paulus [k] *Euangelium Dei virtutem ad ſalutem omni credenti*, & [l] *miniſtrationem Spiritus quæ eſt in gloria*. Omnia vera: quod initio dixi, aptius.

Porrò quamuis indicatum Pauli locum [m] *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*, exponat Theodoretus de gratia, quo etiam modo legit Hieronymus [n]: Anſelmus, & Oecumenius de gloria, qua, dum beneficia confert, glorificatur: quidam, quia ſic gloriam ſuam maximè Deus manifeſtat: quo pacto quidquid illã magis cõmendat, gloria vocari ſolet [o]: Chryſoſtomus & Theophylactus de vita æterna: Caietanus, atque Toletus de iuſtitia, quam qui habet, gloriari poteſt apud Deũ [p]: tamen verum eſt his omnibus modis nos egere gloria Dei, & Deum, Chriſtũmque vocauiſſe nos propter gloriam ſuam, quocumque ſumatur modo. Claritatem vertit; legitve Cyprianus [q]. Sed nihil etiam refert. Diuitias gloriæ nominat alibi Paulus [r] *miſericordiam*, & aliquando *gratiæ* [s], *& bonitatis* [t].

Verſ. 4.] Per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ: fugiẽtes eius, quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem.

DOna de quibus dixit, docet tanta, & adeo pretioſa eſſe, vt diuinæ nobis tribuant conſortium naturæ; proindéq; prorſus indignum ſit, nos in concupiſcẽtia inuolui, quæ nos efficit corruptibiles, atq; plurimum degeneres à diuina illa natura, ad quam Dei ſingulari beneficio euecti ſumus. Totius tamen ſententiæ varia expoſitio eſt, propter variam primorum verborum lectionem, vt modò dicemus.

Per quẽ.] Secutus eſt interpres codices, in quibus eſt δι' ὅν, Propter quem, vel δι' οὗ, Per quem, quam lectionem innuit Athanaſius [u], etſi ferè omnes habeant δι' ὧν, Per quæ (quo modo etiam Oecumenius) videlicet omnia illa quæ præcedẽte verſo donata dicuntur ad vitam, & pietatẽ, vt exponit Caietanus Ambroſius [x] (vel Proſper [y] & Sixtus Papa [z] III. legũt, *Per quam*) nẽpe virtutẽ, aut vt apud eoſdem quoque legitur, *propriã gloria virtutem*, in fine prioris verſus, quaſi Græci legerint δι' ἧς. Gloſſa Interlinearis agnoſcit lectiones, *Per quem, & per qua*. Per quem Chriſtum, per quæ dona, nominatim exprimens miracula. Lyranus, *Per quam virtutem diuinam Chriſti*: Beda *Per quam* cognitionem, quæ quò perfectior, tantò promiſſorum Dei magnitudo ſentitur altiùs: Carthuſianus: *Per quem* Chriſtum, *Per quam* cognitionem: Addamus; *Per quam* gloriam & virtutẽ. Titelmanus, *Per quem* Chriſtum, *Per quæ*, vel *Propter quæ*, gloriam, & virtutẽ ſuam. Hugo, ac Thomas Anglicus, *Per quem* Chriſtũ Saluatorem, *Per quæ* dona, *Per quam cognitionem*. Non licet ampliùs è pluribus, quam malumus eligere lectionem: ſed acquieſcendum in emendata, *Per quem*, quam priùs quoque magis approbauerat Gagneius.

Maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit.] Τίμια καὶ μέγιστα, *pretioſa & maxima*. Hieronymus [a] pro maximis legit *grandia*. Promiſſa iſta Gloſſa ordinaria intelligit de vita æterna, vel de conuerſione aliorum per Apoſtolos: vel de aduentu Spiritus ſancti: vel de potentia miraculorum. Ceteri aliquid ex his, aut etiam reliqua religionis noſtræ Sacramenta, & myſteria, olim in vetere lege

promiſ

a Cap. 2. 10.
b *Quiſquis ſua merita Deo numerat ſua illi munera enumerat.* 9. confeſſ. c. 13 & alibi.
c in nouo Teſtam. Robert. Steph.
d 1. Cor. 12. 31.
e Matt. 10. 8.
f Mat. 7. 22.
g Rom. 3. 23. *Deus gloriam ſuam parcendo & miſerando manifeſtat.*
h c. 2. 9 præced. Ep.
i Ioan. 1. 14.
k Rom. 1. 16.
l 2 Cor. 3. 8.
m Rom. 3. 23.
n in c. 10 Eſa.
o Exod. 20. 16. 27. cap. 40. 32. 3 Reg. 8. 11. Eſa. 35. 2. Matt. 6. 29.
p Rom. 4. 2. 2. Cor. 5. 12. 1. epiſt. c. 2. 12.
q Teſtim. cap. 12.
r Rom. 9. 23. Epheſ. 1. 18. c. 3. 16. Coloſſ. 1. 27.
s Epheſ. 1. 7. cap. 2. 7.
t Rom. 2. 4.
u orat. 2. cont. Arianos.
x epiſt. 33 ad Demetriad.
y ep. eadem ad Demetria.
z lib. de diuit. Tom. 3. Bibl. Patrum.
a 1. cont. Iouin.

promissa;tradita verò Apostolis, quos designare Petrus videtur pronomine primæ personæ (nobis) vel etiam toti Iudæorum genti primo loco, cuius videlicet sunt *promissa* [a] *, & repromissio* [b]. Sed ita, vt per Iudæos, maximè Apostolos ceteri hæc acciperent. Cùm donata dicit promissa, intelligit res promissas: nec enim promissiones dantur loquendo propriè, sed quæ promissa sunt dona. Sic quoque Paulus [c] *reportare promissiones* dixit, id est, tea promissas. Eodem pacto petitio sumitur pro re petita [d], auditio pro re audita [e].

a Rom. 9. 4.
b Act. 2. 39.
Promissa sunt res promissa.
c Heb. 10. 36.
d Ioh. 6. 8. Psalm. 36. 4. Psal. 105. 25.
e Habac. 3. 2. Nahum 3. 19.

Fortassis epithetum *pretiosa* nonnullum respectum habet ad pretium sanguinis Christi, & meritorum eius; licet verum quoque sit, nostra à nobis exigi merita, quibus ad beatitudinis maximum donum perueniamus. Quidquid ergo promisit Deus per se, pertinens ad salutem nostram, promissorum vocabulo intelligendum putamus; inter quæ primatum tenent Incarnatio, & Beatitudo. *Quæ processerunt de labiis suis, non facit Deus irrita* [f] *, verax est* [g] *, plenissiméque scire debemus, quia quæcumque promisit, potens est & facere* [h]: immobile consilium firmauit iureiurando, *& impossibile eum mentiri* [i] *, & seipsum negare* [k].

Ad beatitudinē consequendā nostra exiguntur merita.
f Psal. 88. 35.
g Rom. 3. 4.
h infra 4. 4.
i Heb. 6. 17. 18.
k 2. Tim. 2. 13.

Quamuis autem in pretio, & dignitate comparata duo dona quæ diximus, sese habere possint: vt excedens, & excessum: tamen, omnibus pensatis, vtilior cuique sua beatitudo: nobilior incarnatio, quia substantialis Dei ipsius communicatio, ex qua pendet illa, & cuncta gratiæ munera. Optimè autem congruit promissio, seu pollicitatio, cuius crebro Paulus meminit [l], tāquam de re propria legis nouæ, cum ea, quæ legis eiusdem est, gratia: quod enim promittitur, ex liberalitate promittitur, gratisque. Typus fuit, quæ vocata est terra promissionis: & *Hæc est repromissio*, inquit Ioannes [m], *quam ipse pollicitus est nobis vitam æternam.*

Quod præstet an beatitudo vel incarnatio.
l maximè in ep. ad Rom. c. 4. 9. c. 3. & 4. & 9. & 15. 2. Cor. 1. 20. Gal. 3. & 4. Ephes. 1. & 2. & 3. 2 Tim. 1. 1. Heb 6. 17. 18.
m 1. ep. 2. 25.

Vocamur etiā *filij promissionis in semine Araha* [n], *& secundum Isaac* [o]: Ismaël petitus à Deo iuxta etymologiam: Isaac vitrò promissus, *risum & alacritatem liberalis promissionis* denotat [p]. Abrahā, & Sara parentes Isaac, liberale donum decorant amplitudine nominum. Agar significat peregrinam, & timentem.

n Rom. 9. 8.
o Gal. 4. 28.
p Gen. 22.

Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Hīne primo loco probat Ambrosius [q] aduersus Arianos in Deo reperiri, déque illo propriè dici naturam, acritérque negantea redarguit, cùm iidem ingeniti vocē vsurpari à Catholicis ferre nō possent, quòd eam in scripturis non extare accusarētur. *Etsi negatur*, inquit, *natura Deus esse, ergo per gratiam est, vt homines, non solum Filius, sed Pater quoque; aut falso creditur Deus vt dæmones, quorum simulacra Dei appellatione donantur. Potuit sic Petrus dicere*, pergit ipse, *vt doceat vnam esse naturam, si aliter æstimasset, vt nos faceret diuinarum consortes naturarum, maximè tam per Filium in natura diuina consortium transfeamus.* Tandem probat, hunc ipsum Filium Deū esse, atque naturam habere diuinam, quia dona re non posset nobis consortium naturę quam non haberet.

q 3. de incarn. c. 8.
In Deo natura reperitur.
Deo filius diuinam naturam habet.

Deinde sequitur ex diuerso modo, quo dicimur nos cōsortes diuinæ naturæ, Christus autem genitus à Patre Christum, ὁμοούσιον, id est, *consubstantialem* esse, nos solam quandam participationem habere ex eius per Spiritum sanctum gratia, sine vlla diuisione substantiæ diuinæ participatæ. Sic his ferè verbis Athanasius [r] argumētatur, qui cōfirmat præterea [s] Spiritum sanctū esse Deum, quia participatio ista fit in Spiritu. Quare Seruetus impiè abusus hoc loco, docuit, diuinæ essentiæ transfusionem in nos, cùm non aliter participetur ipsamet natura diuina intrinsecè à nobis, quam per infusa dona: licet in iustificatione peculiari quodam modo dicatur dari ipsamet persona Spiritus Sancti, de quo alibi.

Christus est Patri consubstantialis.
r Orat. 2. tom. Arianos ad Episc. Ægypti.
Spiritus S. est Deus.
s epist. ad Serap. Spiritum S. non esse creaturam.

Nec minus turpiter Osiander, quem noster Bellarminus [t] confutat, errauit, nos iustificari per illam ipsam iustitiam, qua Christus, non vt homo, sed vt Deus essentialiter iustus est. Non ait Petrus nos effici diuinæ consortes naturæ per inhabitationem iustitię essentialis, sed per pretiosa, ac maxima promissa, id est, per res, ac dona promissa, quæ donauit Deus, qui ante promiserat per merita Filij sui Christi, qui ipse fuit vnum etiam, ac præcipuū donum. Potius probatur hoc loco, iustitiam nostram esse donum permanens, & internum, sicut & nomen naturæ significat, non solam externam denominationem, vel non imputationem. Inde est, quod iustificatio dicatur *regeneratio* [u], *noua creatura* [x], & huiusmodi aliis nominibus.

t lib. 2. de iustificat.
Osiandri error nos iustificari per iustitiam, qua Christus vt Deus iustus est.
u Tit. 3. 5.
x Gal. 6. 15. Iacobi 1. 18.

Adhæc participatio ista diuinæ naturæ est quidem per donum gratiæ sanctificantis, & per visionem beatificam, ratione cuius Ioannes [y] videtur dicere nos similes Deo futuros. Sed quia non pendent hæc necessariò ab incarnatione Christi, quin aliter concedi potuerint: propterea simul solent citari Patres [z], & alij attendere similitudinem in natura per incarnationem; propter quam verissimè affirmatur, homo est Deus, Deus est homo, nec amplius ironicè, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis* [a] *factus est.* Sumus item secundum naturam *genus Dei* [b], *facti ad imaginem, & similitudinem ipsius* [c]: qua ratione præsentem Ambrosius [d] intellexit locum, vocátque rationabilia naturæ donum, per quod cognationem habemus cum Deo, gratiarum maximū: sed pretiosa, & maxima promissa, per quæ diuinæ consortes efficimur naturæ, supra nudam naturam sunt: quæ tamen ob naturæ capacitatem, & quia est velut fundamentum reliquorum bonorum, maximum quoque vocari bonum potest, vel gratia, vt pote sponte data à Creatore. Idem Doctor aliàs [e] Petrum exponit de spiritali commercio adoptionis gratiæ, quod per Spiritum sanctum fiat in nobis, & quo, vt solet loqui Paulus, signamur [f].

y 1. Ioan. 3. 2.
z Athan. præterea orat. 3. contr. Arianos ad Adelphium.
a Gen. 3. 22.
b Act. 17. 28. 29.
c Gen. 1. 27.
d ep. 38.
Rationabilis naturæ donum, per quod cognationē habemus cū Deo est gratiarū maximum.
e 1. de Spiritu S. cap. 6.
f 2. Cor. 1. 22. Ephes. 1. 13.

Eòdem potest reuocari ea coniunctio, licet magis externa, quæ fit per Eucharistiæ sumptionem, de qua Cyrillus [g] Ierosolymitanus præsentem quoque locum interpretatur. Vnde Christus [h]: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Vno verbo Macarius [i] Ægyptius donum cœleste, nempe omne donū gratiæ nos accipere scribit, *ex hypostasi Diuinitatis*, itáq; fieri diuinæ consortes naturæ, est consequi animam cœlestē, Spiritúmque diuinum deducentem in omnem virtutem, quo viuere possimus vitam perpetuam, nēpe quoniam propter dictam hypostasim cum natura humana cōiunctam tot naturæ humanæ obuenerunt bona, quæ per allegoriam nominare possumus *murenulas aureas vermiculatas argento* [k], propter Diuinitatem in Humanitate tanto veluti artificio innexam.

g Cateche. 4. mystago.
h Ioan. 6. 58.
i Hom. 39. & 48.
Donum cœleste accipimus ex hypostasi diuinitatis.
k cant. 1. 11.

Hieronymus [l], quia virginitatis virtus Deo peculiari quadam ratione similes reddit, de illa locum istum accipit, sic, vt existimo, sensu accommodationis legens: *Grandia nobis, & pretiosa*

l 1. cōt. Iouin.

virginitatis promissa donauit, vt per hanc efficiamur diuinæ consortes naturæ. Ad quod eiua propositum faciunt quoque verba sequentia: *fugientes eam, quæ in mundo est concupiscentiam.* Valet id etiam ex Sapientia [a] *Incorruptio facit esse proximum Deo.*

Veruntamen consortium, societásque ista consistit, in omni genere virtutis, estque, vt rectè Origenes [b], (quem volunt alij Cyrillum esse) ostendit, nobis cum Patre, Filio, & Spiritu sancto. De Patre & Filio citat Ioannis epistolam primam [c]: *Societas nostra sit (ἡ κοινωνία) cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo.* De Spiritu sancto, Pauli ad Philippenses [d]. *Si qua societas spiritus, ἡ κοινωνία πνεύματος.* Quæ uis videtur significare vinculum spirituale, quæ dicitur etiam Communio sanctorum. *Hanc societatē*, subdit ille, *nec nō cum sanctis, & cum Angelis, de qua etiam egerat, dirumpit, & abnegat, quicumque malis actibus suis, malisque sensibus ab eorum coniunctione separatur.* Similis commonitio Leonis [e] Magni, *vt agnoscentes dignitatem hanc nostram, qua diuinæ consortes facti sumus naturæ*, (propter incarnationem, de qua disserit, & consequentem ex ea in nobis gratiæ fructum) *nolimus in veterem vilitatem* (ad quam nos originale peccatū, ac propria deinceps actualia peccata reduxerant, & propter quæ factus homo Dei Filius fuerat) *degeneri conuersatione recidere*, talis capitis, talis corporis membra. Recole Agnis Virginis ad Vrbis filij Præfectum, nuptias eius optantis, ac importunè flagitantis, responsum de pretiosis donis ornamētisque, quæ se à sponso suo Christo affirmabat accepisse [f].

Hilarius [g] tali quoque vtitur argumento, vt persuadeat de Trinitate ac Deitate scribentibus, legentibus, loquentibus, audientibus, meditantibus (possumus id ad mysteria alia diuina extendere) terrenarum rerum infirmas ac imbecillas opiniones esse abiiciēdas, & omnes imperfectę scientiæ angustias religiosa discendi expectatione laxandas, vt conscius sibi diuinæ se naturæ participem effectum fuisse, Dei naturam, non naturæ suæ legibus metiatur (indicat népe participationem istam esse supernaturalem) sed diuinas professiones secundum magnificentiam diuinæ de se protestationis expendat.

Ceterùm si placet, locum istum accipere de gratia sanctificante, possumus dicere, meritò numero multitudinis plura nominati promissa, quoniam eadem vna illa gratia virtute multiplex, ex qua veluti pullulant virtutes Theologicæ, dona Spiritus sancti; virtutes morales infusæ, si quæ sunt, &c. ac denique præmium vitæ æternæ, & cū qua omnia pariter bona proueniunt. Propter oppositam rationem dixit Dauid [h] *Ie conceptum à matre in peccatis*, quia originale radix est peccatorum ceterorum.

Postremò perperam inferebat Cælestius, Augustino teste in libro de gestis Pelagij, qui haud ita ptidem prodiit, ex isto consortio sequi posse, animam nostram esse sine peccato, queadmodum Deus est. Consortium verò illud in gratiæ donis exponitur à Dionysio [i] cùm scribit, quòd salus aliter existere non potest, nisi ij qui salutem consequuntur, dij fiāt: Deificatio autem est Dei, quoad eius fieri potest, imitatio, & eum ea commixtio, atque vt ita dicatur vnitio. Simile quid est in oratione secreta Dominicæ 17. post Pentecosten. At longè maius consortium erit in beatitudine, quādo videbitur Deus sicuti est [k].

Fugientes eā quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionē. Ἀποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς. *Aufugientes*, aut, *cum aufugeritis*, aut, *si aufugeritis eam, quæ in mundo est in concupiscentia, vel per concupiscentiam, corruptionem.* Alij habent in Genitiuo (ἐπιθυμίας φθορᾶς). Hac conditione consequetur quis illa pretiosa, & maxima dona, quibus diuinæ cōsors fiat naturæ, si aufugiat prauam concupiscentiam: siquidem præcedere debet dispositio ad gratiā in adulto, & natura prior est expulsio peccati, quàm introductio gratiæ: vel hoc ipsum, videlicet vt eam possit aufugere, dictis donis obtinebit, nimirum vt deinceps vitet peccata, & magis resistat fomiti remanenti: vel postquam tanta dignitate præditus fuerit, debet penitus ab illa aufugere, atque sanctitatem persequi, & conseruare, quæ vt ait Dionysius [l], *perfecta munditia est*, ac *immaculatum*, vt Iacobus, *se custodire ab hoc seculo* [m], nec *se illi conformare*, vt Paulus [n]: nec *diligere*, vt Ioannes [o]; Quoniam *omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscētia oculorum, & superbia vitæ, qua non est ex Patre, sed ex mundo est; & radix omnium malorum* [p]. Existimat Asel ista verbis ioni consortium diuinæ naturæ in hoc consistere, vt simus incorrupti, sicut ille est.

Porrò cum Petrus ex prima persona hic transeat ad secundam, (*Nobis donauit*, &c. *vt efficiamini*, &c. *fugientes*, &c.) quod item fecisse legimus priore epistola [q], facit Sixtus Papa [r] III. argumentum, non solùm Apostolos mundanam substantiam debuisse contemnere, sed etiam hortatos, vt ceteri idem faciant, & suo viuāt exemplo, iuxta illud [s]: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Etsi verò per concupiscentiam, quæ in mundo est, intelligi possit, vt dixi, duplex illa & oculorum (de qua sola non rectè Hugo intelligit) & carnis: de hac tamen potiùs, non minùs oculorum, seu mundi quam carnis prælia perpetua esse possunt (quæ Hugonem ratio mouit) & quāuis resistendo vincatur superbia, qua cum etiam continuum bellum: tamen vbique, & in his omnibus fugiendæ sunt peccandi occasiones. Immo verò maximè locum habet, vtinque foga in certamine concupiscentiæ carnis; nec quia effugi penitus non potest (nisi ex singulari ratóque priuilegio) idcirco fugi non debet, vel de illa præsens locus accipi non potest. *Fugere fornicationem* Paulus [t] præcipit, & *abstinere ab illa* [u], nec *nominare quidem eam*, vel *quamlibet immunditiam* [x]. Exemplo fit fuga ipsius, & in manibus impudicæ dominæ relinquēs vestimenta Ioseph [y], de quo ad hoc propositum eleganter Ambrosius [z]. Sic intellexit quoque Origenes [a] eliciendum Iudentem, immò ludendo persequentem Ismaëlem [b]. *Ab agresti, & furioso domino aufugit*, dixit Ethnicus etiam quidā [c], scortum vitans. *Nam cùm cætera vitia pugnādo vinci soleant, sola libido est, quæ fugiendo potius, quàm pugnando superatur*, inquit Augustinus [d].

Præterea nomen corruptionis, quod hoc loco est, sicut & corrumpendi verbū alibi [e], & Græcæ voces φθείρειν, & φθορά, satis indicat sermonem præsertim esse de concupiscentia carnali, de cuius vitiis ita vulgò loqui quoque solemus. Quod corrumpitur, dissoluitur, putet, ac putrescit. Luxuriæ peccato integritas corporis perit, & peccatum ipsum *ignominiæ* [f], *confusionisque* [g] nominibus appellatur: ruboremque maiorem iniicit, vt notat Gregorius [h]: tametsi priora illa vocabula corrumpendi, corruptionisque, referationem etiam clauftri virginalis, cū honestē fit, significare possint. *Incorruptio, quæ facit esse proximum Deo*, vt Sapientus

Marginalia (left): a cap. 6. 10. *Societas ista in nos consistit.* — b hom. 4. in Leuit. — c cap. 1. 3. — d cap. 2. 1. — e serm. 5. de Natiu. Dom. — f in Vita. — g lib. 1. de Trinit. — *Gratia vna virtute multiplex est.* — h Psal. 50. 7. — i Eccl. hierarc. c. 1. — k 1. Ioan. 3. 2.

Marginalia (right): *Dispositio ad gratiam præcedere debet in adulto.* — l c. 12. de Diu. nomin. — m cap. 1. 27. — n Rom. 12. 2. — o 1. Ioan. 2. 15. 16. — p 1. Tim. 6. 10. — q cap. 2. 21. — r lib. de Diuit. — s Marc. 13. 37. — *Prælia perpetua oculorum perpetua esse possunt.* — *Occasiones peccati fugiendæ.* — t 1. Cor. 6. 18. — u 1. Thess. 4. 3. — x Ephes. 5. 3. — y Gen. 39. 12. — z de Ioseph. cap. 5. — a hom. 7. in Gen. — b Gen. 21. 9. & seq. Gal. 4. 10. — c Val. Max. lib. 4. cap. 3. — d lib. de honest. mulier. c. 1. — e Gen. 6. 12. Gen. 9. 5. 1. Ind. ver. 10. Apoc. 21. 18. c. 19. 2. — f Rom. 1. 26. Philipp. 3. 19. — g 1. Pet. 4. 4. — h 33. Moral. c. 21.

pieos[a] loquitur, nósque alias exposuimus. [b] contineotia est, quò exactior, eò expressior similitudo eius. Igitur cùm dixisset Petrus nos diuinæ consortes fieri posse naturæ, adhibuit meritò hāc siue consequentem proprietatem, siue requisitam conditionem, vt aufugiamus concupiscentiæ corruptionem, id est, corruptam, siue libidinosam. *Si benè, ac recte indicas*, ait Cæsarius [c] Arelatensis, *incomparabiliter grauiorem putorem reddunt cogitationes luxuriosæ, quàm cloacæ.* Voluit id aliquando testatum Deus facere fœtidissimo exhalante odore ex iis, qui turpissimo isto vitio erant infecti, vt legere est in historia Pachonis [d], Euthymij [e], Catharinæ [f] Senensis, & aliorum, narrátque dæmonis ipsius licet mendacij patris [g], testimonium Robertus Olcot [h]. Notaro fortassis voluit Apostolus, vt obseruauit Adamus, turpissimam Simoniorum, Gnosticorum, Nicolaitarum, & similium mystagogiam per coitus, atque purgationes nefandas, & iuxta cognomen Borboritarum, siue Borborianorum, quod secundi víurpabant; planè cœnosas quas perpetrare dicebant, oportere eos, qui ad perfectionem arcanorum sacrorum peruenire vellent, & effugere vellent mundi Principes [i].

Vers. 5.] Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam.

Vers. 6.] In scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem.

Vers. 7.] In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

Exordio finito, narrationem, siue propositionem orditur vtens eleganti gradatione, quæ continet omnes præcipuas partes officij Christiani, magisque necessarias virtutes vsque ad apicem charitatis, per quas eximia illa, de quibus dixit, dona, dignitásque consortij naturæ diuinæ conseruentur, ac locupletentur, & non desimus tantæ gratiæ [k], néve *illam in vacuum recepisse videamur* [l]: vt ficut *delibatio, ita sit & massa sancta sicut radix, ita & rami* [m].

Cyrillus Alexandrinus [n] istum citans locum in epistola quadam, docet hanc vitæ rationem, quæ in eo continetur, tenere, esse *in virum perfectum occurrere, & ad mensuram ætatis plenitudinis Christi peruenire* [o].

Thomas Anglicus post Bedam, & Carthusianus comparant cum octo gradibus, quibus ascendebatur in templum [p]: ac in duobus primis, attendi ordinem ad bonum: in tribus mediis, ad malum: in duobus vltimis ad charitatem Proximi, & Deiitatem: vt fides ordinet mouendo: virtus conferat ad exequendum: scientia dirigat: per abstinentiam fugiatur culpa: pœna toleretur per patientiam: vtrumque malum pietate auertamus ab aliis, perueniamus ad perfectionem postremò duplicis charitatis. Adiicit comparationem Feuardentius cū octo beatitudinibus prædicatis à Christo [q]: octo tabulis tabernaculi [r], octo diebus, post quos Christus præbuit se gloriosum Discipulis in transfiguratione [s]: octo animabus in arca sal-

uatis [t]. Nec alia desunt, si quis requirat.

Vos autem curam omnem subinferentes.] Καὶ αὐτὸ δὲ τοῦτο σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες. *Et hoc autem ipsum* (nempe *factum*) *omne studium inferentes conferentes.* Vatablus, Caietanus, Clarius, Erasmus vertunt *in hoc ipsum.* Quidam codices habent, αὐτοί, nullus, quod sciam, præpositionem εἰς. Oecumenius legit ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τοῦτο, & explicat ἕνεκα τοῦ αὐτὸ τοῦτο, *in hoc ipsum.* Videtur similis phrasis in epistola ad Romanos [u], *& hoc scientes tempus*, &c. וזאת הודעו &c. Syriacè: ואף הדא דע *vaaph hada debhu, Et etiam hoc scitote, quod tempus iam est, & hora*, &c. Participium Græcum, quo solus, & hoc quidem vno loco videtur vsus Petrus, significans eos, qui intulerunt, vel intrò tulerunt præter aliquid aliud, qui contulerunt ad aliud, seu cum alio studium, & operam, denotat concursum, atque cooperationem liberi arbitrij nostri.

Operum ad salutem necessitatem, præter fidem cum liberi nostri conatu arbitrij colligit ex hoc loco Esaias Abbas [x] aliis allatis aliúde testimoniis litterarum sacrarum: Sixtus [y] quoque Papa III. Augustinus verò ad hunc alludens locum, postquam ex solitis precibus nostris probauit gratiæ auxilium necessarium, inquit [z]: *Nec ideo tamen ac hæc re solis votis agendum est, vt non subinferatur* (huius verbi participium hic habemus) *adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. Adiutor enim noster Deus dicitur [a], nec adiuuari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur: quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem, voluntatémque non condidit:* (hoc ferè cognitur afferere, qui physicam in voluntate nostra prædeterminationem Dei ponunt) *salutem nostram Deus operatur in nobis.*

Ministrate.] Ἐπιχορηγήσατε. Subministrate, suppeditate, exhibete, insuper præbete, sufficite, suggerite quasi additamentum, & suppeditationis corollarium. Quo verbo denotatur liberi arbitrij cooperatio, bonorum operum excitatio, ac veluti negotiatio super acceptis pretiosis ac maximis donis quasi talentis [b]: seu mnis, ut minis [c]. Et quamuis verum sit, nos in operibus præsertim gratiæ velut ministros Dei esse, & quodāmodo instrumenta, sed salua semper vera efficientia vitali, atque libera non tamen id sibi voluit Petrus hoc dicto verbo Græco: Sed solùm, quod diximus, vt ipsi cooperemur. Alioqui de Deo idem sentiremus, quoniam eadem tribuitur verbum idem versu vndecimo. Benè dixit seruus fidelis: *Domine mna tua decem mnas acquisiuit* [d], *& alter, Mna tua fecit quinque mnas* [e], quia non ille, sed, vt ait Paulus [f], *gratia Dei cum ipso.*

In fide.] Ἐν τῇ πίστει. Quidam codices [g] tollunt præpositionem, vt sit sensus, ministrate fidei. Vatablus putat, Hebraismum esse dicere, *in fide*, pro *fidem*, & sic deinceps verti debuisse: *virtutem, scientiam*, &c. sic sensus esset, ipsimet fidei ministrandum esse per sequentes virtutes, quæ hic enumerantur, ne mortua sit, manens, absque fructu. Placet hic, qui moltorum est sensus: at Græcos Doctores, qui hoc loco annotent omnia dicta nomina esse Datiui casus, nullos legi, vellem, qui pronunciauit [h] protulisset.

Requirio item exempla Hebraismi, quem notauit Vatablus, nam alterius non pauca suppetunt, vt (*in*) ponatur loco *cum*, qua etiam ratione plurimi hunc locum explicant, quæ expositio illi alteri benè congruit: *Propter hoc lugebit terra, & in-*

a Sap. 6.20. b ibid. *Interruptio quo exactior, eo expressior similitudo Dei est.*
c hom. 21.
Luxuria vitio deditis teterrimū odorem halant. d Pallad. c. 29. vel 36. e Sur. Tom. 1. f Raimundus. g Ioan. 8. 44. h in li. Sapientiæ lect. 118. vel 119.
i Nicephor. lib. 4. c. 2. 1 ex Irenæo lib. 1. c. 24. Philastr. Epiphanius & alij.
k Heb. 12. 15. l 2. Cor. 6. 1.
m Rom. 11. 16. n in Genesi. Ephes. 4. 13. *perfectionis gradus hic comparat...* o Ephes. 4. 13.
p Ezech. 40. 31.
q Matth. 5. 3. & seqq. r Exo. 26. 17. & c. 36. 30. s Luc. 9. 28.
t 1. Pet. 3. 20. Gen. 6. 14.
u cap. 13. 11.
Liberi arbitrij conatus ad opera salutis necessarius. x Orat. 21. Tom. 1. Biblio. Patrum. y Tract. de Malis doctor. & operib. fidei Tom. 5 Bibliothec. Pat. z 2. de Peccatorum meritis c. 5. a Ps. 45. 2. *Adiutor noster Deus est, non adiuuans nisi qui sponte conatur.*
Liberi arbitrij cooperatio hic verbo indicatur. b Matth. 25. 15. c Luc. 19. 13.
d ibid. 16. e ibidem 18. f 1 Cor. 15. 10. g in anno Testam. Roberti Steph.
h Philip. Diet. Tom. 1. Concionum post ferr. 5 post Dom. 4 Quadrag. In pro pœnitentiā...

firmabitur omnis qui habitat in ea, inquit Oseas[a], *in bestia agri, & in volucre cæli*: id est, cum bestia, &c. *In baculo meo trãsiui Iordanem istum*, inquit Iacob[b], id est, cum baculo meo, & vt Chaldæus vertit, *solum*; & Dauid[c], *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*; cum tamen vtrobique & Græcè, & Hebraicè sit præpositio. Plura alia exempla noster in Indice Sà profert. Illud opportunum proposito[d]: *Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis.*

Meritò autem primo loco statuitur fides, tamquam θεμέλιος[e], & fundamentum ædificij spiritualis. *Qui internam*, scribit citatus Cyrillus, *spiritalémque in Christo vitam, laude, æmulatiónéque dignam seriò inire volunt, illos fide in primis sincera, atque integra ornatos esse decet.* Ab Ecclesiastici Auctore scriptum est[f]: *Timor Dei initium dilectionis eius*: fidei autem initium agglutinandum est ei, πίστις δὲ ἀρχὴ κολλήσεως αὐτῷ, nimirum Κυρίου Domini, vel Dei, cui nempe per fidem incipiamus agglutinari, quamquam in emendata editione LXX. totus ille versus desideratur. Si velimus intelligere fidei agglutinandum initium timoris, sensus erit, fidem esse primum principium, ex quo concipiatur timor. nec enim absque lumine fidei timeri, vel amari Deus, sicut oportet, potest. *Sine fide impossibile est placere Deo*[g], & *Accedentem ad illum oportet credere*[h], nec inuocari Deus potest, nisi à credente. *Ecce qui incredulus est* עפלה *hhuppelah*, obscurus, nebulosus, lucifuga, tenebrio, &c. quod Paulus[i] LXX. sequens legit: *Si subtraxerit se* (aliique aliter, vt notat Villalpandus[k],) *non erit recta anima eius in semetipso.* Exigit ergo Petrus, vt aliam sequantur, ac seruent viuẽdi viam ab iis, qui perinde, ac si non crederent, vel oppositum crederent eius, quod se profitentur credere, viuunt, subministrant vitia omnia, quales Gnostici, contra quos scribere creditur.

Virtutem.] Τὴν ἀρετήν. Cyrillus[l], Oecumenius, & passim Latini omnes expositores moralem interpretantur virtutem, eiúsque opera, *sine quibus fides mortua est*[m]. Hieronymus[n] assignans virtutis notionem, pro miraculo, vel opere fortitudinis, siue potentiæ Dei, & pro conuersatione bona in hac explicat præsentem locum, confirmans illo alio[o]: *Si qua virtus, si qua laus*: item, vt legunt LXX. *Melior est sterilitas cum virtute*[p]. Vnus, quod sciam, Arias accepit virtutem pro potentia, & hortari Petrum, vt in ea nos exerceamus fide, de qua scriptum est[q]: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, illuc: & transibit.*

In virtute autem scientiam] Τὴν γνῶσιν, mysteriorum Christi cognitionem, absolutámque eorum intelligentiam, vt placet Cyrillo: *arcanorum Dei mysteriorum scientiam*, vt ait Oecumenius, & Clarius, quæ non cuilibet aduenit, sed ei, qui ex operibus præstantioribus per habitum exercitatos sensus sibi comparauit[r]: scientiam sacrarum scripturarum, vt Arias exponit. Glossa, ceterique cognitionem circumstantiarum, siue discretionem, & prudentiam, ne sit in virtutis opere feruor immoderatus, interpretantur. Nonnulli[s] Scholastici priorem secuti sensum, hinc Theologiam esse scientiam probant. Argumentum probabile, non necessarium, cùm constet de fidei cognitione sciendi quoque verbum aliquando dici. Vtilis, ac etiam Ecclesiæ necessaria Theologia est, non singulis: quemadmodum nec à singulis fides æquè explicita exigitur. Vnde perperam hac ex scientia colligunt hæretici, vt Beza, merum commentum ea inferorum gurgite esse de fide implicita.

a cap. 4. 3.
b Gen. 32. 10.
c Psal. 2. 11.
d Matt. 25. 16.
e Heb. 11. 1. *Fides est fundamentum spiritualis ædificij.*
f cap. 25. 16.
g Heb. 11. 6.
h ibidem.
i Heb. 10. 38. Habac. 2. 4.
k Tom. 3. in Ezech. in Appar. vrbis, Part. 2. lib. 2. cap. 7.
l Tom. 1. in Concil. Ephe. cap. 4.
m Iacob. 2. 20. 26.
n in c. 63. Esa.
o Philip. 4. 8.
p Sap. 4. 1.
q Matt. 17. 19.
r Heb. 5. 14.
s Petrus Trigosus 1. par. q. 1. a. 1. Valentia 1. par. disp. 1. q. 1. pun. 3. §. 4. *Theologiã scholasticam scientiam esse quod ...*

In scientia autem abstinentiam.] Ἐγκράτειαν, *Ne scientiæ insiet*[t]: *vt sapiamus ad sobrietatem*[u], εἰς τὸ σωφρονεῖν. Vult Caietanus, vt nomine virtutis generalem modum bene ac studiosè agendi impulsiuum: sic abstinentiæ retractiuum significari, qui consistat in singularum actionum temperatione. Illum Catharinus vocat modum, vnde decor, & pulchritudo in omni externa actione resplendet, & quem scientia indicet. Oecumenius tradit sensum primum, nec non Arias. Reliqui adiiciunt temperantiam voluptatum gustus, tactúsque, & aliarum illicitarum rerum, *ne*, inquit Clarius, *per has magnitudinem donorum afficiamus contumelia.* Adde vt comparari melius, conseruari, exerceri, augeri scientia possit, quemadmodum somnio quodam se Nazianzenus[x] edoctum narrat, & tam multi docent. Postremò innuitur quoque turpis Gnosticorum secta, qui scientiam profitebantur, vt dictum est.

In abstinentia autem patientiam.] Id est, non tantùm ἀπέχειν, sed etiam ἀνέχειν, quæ duo tantopere commendat Epictetus apud Gellium[y], vt dudum notauimus. Non potest retineri temperantia, nisi adhibeatur in aduersis tolerantia, & incidentes frangantur difficultates. *Nisi mentes abstinentium*, ait Gregorius[z], *plerumque impatientia à sinu tranquillitatis excuteret, nequaquam Petrus dum diceret: Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scientiam, in scientia autem abstinentiam, protinus vigilanter adiungeret, dicens: In abstinentia autem patientiam: deesse quippe abstinentibus patientiam prœuidit: quã eis vt adesset, admonuit.*

In libro de duplici martyrio inter opera Cypriani, sed profectò non illius, verùm non satis boni Auctoris, est etiã austeros, rigidósque monachos interdum impatiẽtiores esse iniuriarum, & appetentiores vindictæ, quàm quiuis alius sit ex media plebe, quoniam corpus magis exercuerunt, quàm animum: *exercitatio verò corporalis ad modicũ vtilis sit, pietas ad omnia valeat*[a]. Ratio quoque naturalis potest esse imbecillitas virium, & bilis prædominium in extenuato corpore. Vnde tum fœminas imbecilliores, tum ægrotas experimur ad iram proniores, sicut & pueros.

Summæ fortitudinis, ac patientiæ martyrium habet quodammodo locum in abstinentia. *Quid namque mirabilius*, vt cum Bernardo[b] loquamur, *aut quod martyrium grauius est quàm inter epulas esurire, inter vestes multas, & pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas affert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus?*

Valent ad præsens institutum, quæ de gastrimargiæ certaminibus disserit Cassianus[c]: docens inter alia[d], & suos abstinentiæ ictus esse, quibus abstinens verberet, non solùm verberetur, & verberet quidem, non aërem[e], sed in aëre malignos spiritus. Ait præterea[f], corporalem continẽtiam aptum medium esse ad spiritale ieiunium, tamen eo posse hoc sine illa reperiri. Sed & huc adolescens facit, *quem*, vt memorat Hieronymus[g], *persecutor in amœnissimos hortulos præcepit abduci, ibique inter lilia candentia, & rubentes rosas, cum leni iuxta murmure aquarum serperet riuus, & molli sibilo arborum folia ventus præstringeret, super extructum plumis lectum resupinari, & ne se inde posset excutere, blandis sericis nexibus irretitum relinqui. Quò cum, recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cæpit, delicatis strin-*

t 1. Cor. 8. 1.
u Rom. 12. 3.
x Orat. de Calamit. animæ suæ.
y lib. 17. c. 19. *Temperantia seruari non potest sine tolerantia.*
z 3. par. Pastor. admonit. 10.
a 1. Tim. 4. 8.
b serm. 1. de omnibus sanctis, quem lege etiam ser. 30. in cant. serm. in octaua Paschæ, & in seruentuos pumpas.
c lib. 5. de institu. renunciantium. *Gastrimargiæ certamina.*
d cap. 18.
e 1. Cor. 9. 27.
f supra c. 21. & 22.
g In vita Pauli eremitæ. *Adolescentis continentiæ exemplum mirabile.*

gere colla complexibus, & quod ... quoque sceleus est, manibus attrectare virilia, vt co... libidinem concitato, se victrix impudica super... quid ageret, subdit Hieronymus, *miles Christi, ... se verteret, nesciebat. Quem tormenta non vicer..., superabat voluptas:* (quippe, vt idem prius dixit, *animas cupiebat iugulare Tyrannus, non corpora.*) *tandem cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superauit.* Tota hæc Hieronymi narratio est, à me hic præter morem verbatim posita, propter elegantiam, & energiam, vt, quanta sit in abstinentia necessaria patientia, melius perspiceretur.

In patientia autem pietatem.] Τὴν εὐσέβειαν. Reddit interpres interdum pietatem, quod videri paradoxum possit hominem ἀπαθῆ, durum, rigidum, austerum, aliis minime compatientem, sed ex se, quod plura patiatur, alios metientem, ac, quæ patiuntur alij, præ his, quæ patitur ipse, minùs æstimantem. Fortassis ergo per εὐσέβειαν, ex vulgari notione voluit Petrus benignitatem, atque misericordiæ opera intelligere: licet propriè ad Deum pertineat pietas: deinde verò etiam aliquo modo ad patriam, & parentes. Patientiæ, sicut & abstinentiæ, atque præcedentium virtutum finis esse Deus debet, qui colitur pietate: tamen non satis est Christiano illatas ferre iniurias, ac tormenta, nisi pium quoque aduersus hæc inferentes, ac benignum & beneficum animum gerat. Obseruat Augustinus [a], ideo nomen τῆς εὐσεβείας, & pietatis, licet propriè conueniat Deo, etiam in operibus misericordiæ frequentari (ita vt de Deo magis distinctè debuerit dici θεοσέβεια,) quia hæc fieri præcipue Deus mandat, eáque sibi vel pro sacrificiis, vel præ sacrificiis [b] placere testatur: & ipsemet interdum dicitur pius, Latino saltem nomine, cum Græce nullo sermonis vsu dici valeat εὐσεβής. Equidem vbi Deo pij cognomen interpres dat [c], non reperio vocem εὐσεβὴς, sed aliam, nempe ἐλεήμων, vel οἰκτίρμων, vel ἅγιος. Quando Paulus [d] iubet Timotheo sectari cum aliis virtutibus pietatem, de hac compassione atque misericordia interpretantur Anselmus, & B. Thomas, sine qua iustitia, vna ex enumeratis seueritas est, immò crudelitas. Eandem intelligit iungens castitati, in quibus tranquilla agatur vita [e], nimirum inter alios: item, quam dicit *ad omnia vtilem* [f], *& magnum quæstum* [g].

In pietate autem amorem fraternitatis.] φιλαδελφίαν. Sæpius antea de hoc nomine. nec se coli Deus vult absque fratrum amore: nec fratribus potest piè succurri, nisi fiat ex intimo erga illos amore. Gnostici amores inhonestos exercebant inter se. Prodit Epiphanius [h], cum viri fœminas, hæ illos subter palmam titillando contrectarent, hoc quasi dato symbolo ad epulationem conuersos esse, benéque plenos, ad œstium transiuisse, atque virum concedendo alteri vxorem, vxori dixisse, surge, fac dilectionem cum fratre. Talibus in rebus consistebant sacratiora eorum mysteria. Ducem illorum nominat Barrabbam, quæ vox Syriacè scortationis filium significat. Refert demum exectandam gustationem fœdissimarum rerum seminis virilis, menstruique fœminei, quibus corporis & sanguinis Christi non vereantur nomina imponere. Hanc aliàs dixi causam fuisse cur Christiani omnes ob nomẽ fraternitatis malè apud Gentiles audirent.

In amore autem fraternitatis charitatem.] Vt nimirum diligantur fratres, proximique ex charitate, hoc est, propter Deum, & non inhoneste, vt antè dictum est: nec amici modo, quos magis videtur fratrum vox indicare, verum etiam inimici, vt notat Caietanus: qui & ipsi absolutè fratres sunt, & in quorum amore charitatis ratio magis enitescit, vel ob difficultatem, vel quod inimicos amare non humana, sed impellere diuina sola causa solet, Deúsque ipse dumtaxat. Amicos enim diligere, ait Tertullianus [i], omnium est; inimicos autem solorum Christianorum.

Vers. 8.] Hæc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.

Hinc ad duodecimum vsque versum rationibus persuadetur vtilitas, necessitásque virtutum, ac operum, quæ, vt in præcedente dixit, subministrare, ac adiũgere oporteat ad fidei virtutem, assensúmque, siue cognitionem, qua vna, vt toties notatum est, Gnostici gloriabantur, & contenti erant. Quod initiò admonuimus cum Augustino [k], maximè propositum esse in epistolis suis Petro, Iacobo, Ioanni, Iudæ: Petrum verò de industria monere voluisse de Paulo, cuius auctoritate abutebantur, quod visus esset fidem sine operibus commendare. Præsentis versus ratio est, quoniam per bona opera reddimur coram Deo frugiferi, neque vacui apparemus, & otiosi ante ipsum: sic etiam cognitio, quam habemus de illo, non erit inanis, inutilis, suo carens fine, cum ad opus referatur in hac vita.

Hæc enim si vobiscum adsint.] Ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα, vel vt est in aliis libris, παρόντα. Particulam conditionalem omittunt aliqui codices Latini legendo: *Sed vobis cùm adsint.* Sic mallet Gagneius, qui descriptoris vitium notat, non intelligentis particulas disiũctas (vobis) & (cùm) ideóque constantis in vnam (vobiscum.) At nihil de coniunctione (si) monet. Phrasis Græca vtrouis modo verti potuit. Illo alio legit Sixtus Papa III [l]. Eleganter Oecumenius: si horum prodest παρουσία, multo magis ἀκμή.

Et superent.] Καὶ πλεονάζοντα. Et abundantia. Ergò possunt in nobis semper gratiæ, virtutúmque incrementa esse, quod iamdudum contra nonnullos hæreticos admonuimus. Huius eiusdem rei sub abundandi, augendi, crescendíque verbis apud Paulum similia extant testimonia cuiuis satis obuia. Glossa ordinaria, & interlinearis, Beda, Hugo, Thomas Anglicus, Carthusianus, Primasius non attendentes vim vocabuli Græci, de victoria sunt vitiorum interpretati: quáuis Carthusianus exposuerit quoque inualescere, & abũdare dictas virtutes. Quod ipsum intelligi adhuc potest, non de solo interno, ac vt dici solet, intensiuo incremento, sed etiam externo, vt sese foras exerant, & in opus exeant. Vsus est interpres eodem verbo superandi in eâdem significatione, cùm dicitur *fragmenta panis superasse* [m].

Non vacuos.] Ἀργούς. *Otiosos.* Otiosus est, non tantum vacans ab opere, sed & non id exercens, cuius facultatem habet: & qui non operatur iuxta quantitatem illius. Hoc est *accipere in vano animam suam* [n]: *In vacuum gratiam Dei recipere* [o], vel *in aliquo gratiam Dei vacuam esse* [p]. *Habere opera non plena coram Deo suo* [q]; & saltem, secundum sensum accommodationis, *inueniri minus habere* [r]: *Non in-*

Patientiæ & cæterarum virtutum finis est Deus.

a 10 de ciu. cap. 1.

b Oseæ 6.6. Matth. 9.13.

c Psal. 30. 9. Eccli. 2. Apoc. 15.4.

d 1. Tim. 6.11.

Iustitia sine compassione est seueritas vel crudelitas potius.

e Ibid. c. 2. 2.

f cap. 4.8.

g cap. 6.6.

h hæret. 26.

Inimici diligendi sunt, qui & fratres censendi sunt.

i ad Scapulam cap. 1.

Amicos diligere omnium est, inimicos, Christianorum.

k de Fide, & operib. ca. 14.

l Tract. de malis Doctor. & operi. fidei. To. 5. Biblio. Patrum.

In nobis semper virtutum incrementa esse possunt.

m Mat. 15.37. Ioan. 6.13.

Otiosus quis dicatur.

n Psal. 23. 4.

o 2 Cor. 6.1.

p 1. Cor. 15.10.

q Apoc. 3.2.

r Dan. 5.27.

21 Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

Vers. 1.] Simon Petrus, seruus & Apostolus Iesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem, in iustitia Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi.

IN epigraphe nomen suum exprimit, describit munus: conciliat sibi eos, quibus epistolam mittit, cùm pares in eádem fidei ac iustitiæ communicatione facit, sub eódem capite Christo.

Simon.] Græcè vel Συμεὼν vel Σίμων. Antiquũ Petri nomen ante vocationem, cuiusmodi alius [a] quoque de Apostolis habuit, ac retinuit. Vix habeo quod addam de isto nomine præter ea, quæ satis accuratè disputaui capite decimoquinto Actuum Apostolorũ [b]. Id quod ibi dixi, idem esse quod Simeon, sed contractè proferri Simon, Oecumenius quoque hoc loco docet exemplo similium nominum, vt Metras pro Metrodoro, Menas pro Menodoro, Theudas (melius dixisset Theodas) pro Theodosio. Familiare hoc ipsum Hetruscis, apud quos Pippus est Philippus, Mæus Bartholomæus, Cecens Franciscus, Titta Baptista, &c. Idem de Hebræis Ioanna, & Iona, vt cum idem Petrus nunc Bar Iona [c], id est, *filium Ionæ*, nũc dicitur *Simon Ioannis* [d]. Data opera Christus Simonem non Petrum nominauit post resurrectionem [e], tum cùm oues ei committere voluit, exigendo ab eodem amorem pro præcedente negatione [f], quæ Petrum minimè decuerat, sicut & quando dormientem in horto eodem nomine appellauit [g], & prædicens futuram illam negationem [h], tum præterea vt Pastor Ecclesiæ constituendus intelligeret statum & conditionem suam, ac vilitatem naturalem.

Non arbitror exactè causam assignari posse, cur priore epistola Petrus, in hac Simon Petrus inscribatur. Tamen Hugo respondet, *quoniam illa hortationem continebat ad patientiam, constantiámque in fide, ac veluti ad firmitatem petræ: hæc ad sapientiam, cui necessaria humilis obedientia, quam importat Simonis vox, & tam dicta constantia, quæ denotatur in voce Petri.* Recito talia interdum, vt qui vera putant, vel dediscant, vel intelligant qualibus oblectent sese haud admodum verisimilibus, nec tanti faciendis. Esto idem iudicium de etymologia Petri, quam affert quoque Glossa Interlinearis, & approbant citatus Hugo, Petrus Aureolus [i], Thomas Anglicus, Primatiecius, vt sic agnoscens veritatem quasi sibi velit experto credi.

Aliud etymon nominis Simon traditur ab auctore commentarij in Marcum apud Hieronymum [k], qui tristitiam ponit, quasi a שם *sciam*, & עון *hhon*, nec refragatur scribendi Hebræa ratio. Tamen notatio communior à שמע *scimahh*, de obediente. Malè dubitat Ioannes Drusius an Simon dici possit Hebraicum nomen. Vsitatum est hac ipsa forma Rabbinis, &c. per ס *samech*, Simeon per ש *scin*.

Non hinc manauit ritus nomẽ mutandi eum creatur Pontifex. Recentius inuectum fuit ab eo, qui *Os porci*, vel *Bucca porci* priùs dicebatur, postea Sergius II. vel à Ioanne XII. qui Octauianus, ne ille turpe nomen, hic nomen superbum gereret. Patrum memoria Marcellus II. & Adrianus VI. vetus nomen retinuerunt. Platina secutus Martinum Polonum, scribit de Sergio, Onufrius de Octauiano, & Sergium hoc ipso ante Pontificatum nomine appellatum esse: cognomẽ fuisse *Os porci*. Baronius [l] autẽ docet fuisse illum Sergium cognomine Os porci non II. sed IV. nomen verò mutasse ob reuerentiam S. Petri, cuius ante Pontificatum gerebat nomen. De Ioanne XII. non illa fuit causa, quam indicaui, vt quæ verisimilis videri poterat; sed ob memoriam patrui Ioannis XI. aut vt in nomine saltem bonum illud omẽ audiret, inquit Baronius: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes* [m]. Vetere dignior nomine propter vsurpatum Paparum anno æratis decimooctauo.

Seruus.] Nec idonea satis ratio Hugonis, quare nunc se, non in prima vocet epistola, seruum, quòd ibi meminerit de persecutionibus, quas nõ oporteat seruiliter ferri, cùm sint dignitates [n]: hic, vt dictum est, agat de sapientia, cui necessaria humilitas: nec patientiæ impedimento est timor filialis, sed ornamento, & adiumento, & humilitatem ornat, ac iuuat magis ille, quàm seruilis. In exordio epistolæ ad Romanos, Philippenses, Titum nominat se Paulus *seruum modo Dei* [o], *modo Iesu Christi* [p]: quis possit respondere quare non ille in aliis? cur *Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi* [q], Iudas Iesu Christi tantum [r] Apostolus appellari voluerit?

De dignitate seruitutis diuinæ alio loco dixi [s], & quo pacto simul censeatur quis Filius Dei, ac seruus. Gloriabantur, crebróque vsurpabãt primi fideles cognomen serui Iesu Christi, vt huius ostenderent excellentiam, quem increduli fabri filium appellabant [t], impostorem, crucifixum, vt notat Theodoretus [u]. Cõgruit & illa Origenis [x] ratio, quia sancti, qui adhuc in hoc corpore detinentur, nondum sunt plenam libertatem consecuti. Ea eiusdem non recipienda de Paulo, quod ad Christianismum vxoratus vocatus sit: ita verò coniugio alligatus nominetur [y] Fuit enim virgo Paulus. Humilitatis causa fortassis dici quidam voluerunt tanquam proprio nomine Serui, aut Seruoli, aut Seruidei, quod Græcè est Theodulus, & Dulas, ac Dula. Exempla petes ex martyrologio. Religiosus autem Seruorum Ordo profitetur seruitutem Deiparæ.

Iis, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem.] Τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχοῦσι πίστιν, æquè pretiosam, vel honoratam fidem. Primùm rectè Caietanus monet, nisi capite tertio significaretur, istam iisdem epistolam scribi, quibus prima scripta est, quia quod hîc dicitur, omnibus fidelibus commune est, nescituros eos, ad quos præsens propriè mitteretur. Quare mirandum cur Adamus omnibus editam dicat istam epistolam æquè ac illam Iudæ. Idem tenet Titelmanus. Multò magis, quare Aureolus [z] in ea scribat Romanos infirmari: nisi hoc velit, quia Romæ scripsit Petrus, & eam fortassis, antequam mitteret Romanis communicauit: quæ ratio primæ eiusdem epistolæ, ac nonnullis Pauli ad certos alios missis communis est.

Deinde coæqualis, & æquè pretiosa fides, quã alij sortiti sint cum ipsis, indicat Gẽtilibus illum

etiam

Marginal notes: a Matt. 10. 4. ... 6. 15. — b vers. 14. Nomina propria contracte efferri ... — c Matt. 16. 17. — d Ioan. 1. 42. Ioan. 21. 15. — e ibid. 15. 16. — f Ioan. 18. 17. & 27. & alij Euangelistæ. — g Matt. 14. 37. — h Luc. 22. 34. — Cur Petrus in priore epistola, in hac Simon appellatur. — i in compendio. — k in c. 3. Hier. ... in c. 26. Matth. — Nominis mutandi ratio Pontificum vnde manauit. — l Tom. 10. & 11. Annal. — m Ioan. 1. 6. — Cur se seruum in hac dicat, non in altera. — n Act. 5. 41. — o Tit. 1. 1. — p Rom. 1. 1. Philip. 1. 1. — q cap. 1. 1. — r vers. 1. — s Act. 2. 18. Fideles cur se seruos Christi appellabant. — t Matt. 6. 3. Matt. 13. 55. — u in c. 1. ep. ad Rom. — x ibid. — y 1. Cor. 7. 21. Virgo Paulus fuit. — z super. — Gentibus conuersis hæc propria est epistola.

etiam ſcribere, quibus eadem gratia, & Spiritus ſanctus communicatur abſque acceptione perſonarum, vt ipſemet dixit diſputans de Cornelio [a]: præterea non aliam Iudæorum, qui facti ſint Chriſtiani, ne Apoſtolorum quidem ipſorum, nō Italiæ, Romæque, vbi ſcribebat, quam in aliis regionibus fidem eſſe, quæ, vt Iudas [b] ait, *ſemel tradita eſt ſanctis*: adhæc vnius omnes moris in eâdem Eccleſiæ domo eſſe [c] : item Petrum omnibus omnia ſeipſum facere, quod faciebat quoque Paulus [d], propter conſenſionē doctrinæ, & charitatis, multò magis quàm ſe vel Pertinax Imperator, vel Alexander Macedo, vel alij ad ſubditorum tam diuerſorum mores accommodabant.

a Act.10.34.35.47.c.11.17.
b verſ.3. epiſt. ſuæ.
c Pſal.67.7.
d 1.Cor.9.22.

Proſper [e], vel Ambroſius [f] in opere de vocatione Gentium de his præſentem locum videntur intelligere, ac de fide, quod ſit Dei donum [g] interpretantur. Arbitror autem ego ſub fide comprehendi hîc cetera ſupernaturalia dona, & religionem totam Chriſtianam.

e 1. de vocat. Gent.c.25.
f ibid.c.8.
g Epheſ.2.8.

Tertio loco rectè Lyranus notat, coæqualitati in fide; de qua Petrus loquitur, non repugnare graduum in eâdem, vt & in aliis diuinis habitibus, diuerſitatem: nam & intenſior, atque remiſſior, & magis, minúſque extenſa, ſeu explicita, implicitáque poteſt fides eſſe, atque nonnullorū fides magna [h] dicitur, quorūdam modica [i]: aliqui adaugeri ſibi petierunt [k]. Solum voluit Apoſtolus docere, nullo diſcrimine, delectúve tum Iudæos, tum Gentiles admitti, vocaríſque ad fidem. Sicut quando idem Petrus dixit [l] Cornelio, aliiſque familiaribus eius Deum eādem gratiam dediſſe, quam ſibi, Græcè, *ἴσην δωρεὰν*. Hîc, vt vidimus, vocatur *ἰσότιμος πίστις*.

Fides maior & minor eſſe poteſt.
h Matt.15.28.
i c.6.30.c.8.26. c.14.31.c.16.8.
k Luc.17.5.
l Act.10.17.

Cauendus quartò hæreticorum noſtrorum paralogiſmus, nullum Petri primatum eſſe, quia ipſemet ſibi ceteros faciat æquales. Non conſiſtit primatus in internis gratiæ ſanctificantis dōnis per ſe, ſed in poteſtate, ſeu iuriſdictione. Certè non omnes Apoſtoli, ſicut Petrus, quamuis in eâdem Eccleſia, & fide, plurimi ſunt, omnes ad eamdem innituntur. Propriis Caluini teſtimoniis Feuardentius probat primas deferendas Petro. Lege ſi libet.

Primatus Petri in quo conſiſtat.

Sortiti ſunt.] Si vim in Latino verbo facere vis cum Latinis expoſitoribus, gratiæ donum ſortem appellabis, & quodam etiā modo caſum, vt aliàs [m] vberius docui, quia gratis, ac veluti ſorte quadam confertur nobis, quemadmodum vel poſſeſſiones, ſeu hæreditates, vel honores, Magiſtratúſve ſortitò nonnumquam diſtribuuntur: & hæc diſtributionis olim ratio Hebræis erat in vſu, vt etiam alibi dixi [n], cùm de electione Matthiæ. Sors propriè *κλῆρος* Græcè dicitur: inde *κληρῶσαι*, quo verbo Paulus [o] vtitur, cū ſcribit nos, vt Interpres noſter vertit, *in Chriſto ſorte vocatos, nec non prædeſtinatos* *ἐν ᾧ ἐκληρώθημεν*. Nominat præterea idem Apoſtolus [p] *partem ſortis ſanctorum* *τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων*. At Græcum præſentis loci participium eſt *τοῖς λαχοῦσι*, vt & alio loco verbum *τετύχηκε* reddit idem Interpres [q] *ſortitus eſt*, & quidem loquens de Chriſto. Nec rarò ſortiri valet ſimpliciter, & quomodolibet conſequi, & adipiſci, qua ratione in vltimo loco Syriacè ponitur verbum קבל *kabbel*. Proſper [r] citans hunc locum legit, *adepti ſunt*.

m Act.1.26.
Sors cur vocatio ad fidem appellatur.
n Act.1.26.
o Eph.1.11.
p Coloſſ.1.12.
q Hebr.8.6.
r 1. de vocat. Gent.c.23.

Auguſtinus [s] illud aſſerit quod aiebam de gratia, ſortis nomen dici, quia in ſorte nō eſt, inquit, electio (nempe noſtra) ſed voluntas Dei loquendo de prima gratia, poſtea enim & noſtra voluntas exigitur) *nam vbi dicitur, iſte facit, iſte non facit, merita conſiderantur: & vbi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors. Quando autem Deus nulla merita noſtra inuenit, ſorte voluntatis ſua nos ſaluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus, hæc eſt ſors.* Sic ille. Verùm non aliud opinor, voluit Petrus, quàm gratiam tributam, quod Hebræo idiotiſmo explicatur per ſortiendi verbum, ſicut & per funiculos ac funes: vt ibi [t]: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.* Veritus eſt Auguſtinus, ne Gentiles, vel imperiti, etiam Catholici offenderentur, audientes vocabula ſortis, atque ſortiendi, quaſi ſorte, ac fortuitò munera gratiæ contingerent.

s in Pſal.30. Conc.2.
Prima gratia cur ſors dicatur.
t Pſal.15.6.

In iuſtitia Dei noſtri, &c.] Ambroſius, vel Proſper antea citati [u] legunt *per iuſtitiam*, itáque Vatablus vertit, & eodē modo Clarius, Catharinus, Salmeron, Sà, Caietanus, Gagneius, Adamus, Aſel (ex quo mihi ille mutuatus notationes videtur,) & Feuard. declarant. Quod ſignificetur fidem dari per iuſtitiam Chriſti, ſiue per merita eius, non per opera legis, aut alia quæcumque naturæ viribus facta, ſentit Caietanus, Catharinus, Salmeron, Feuardentius. Aſel, & Adamus hoc non approbant, quia *fides non eſt*, inquiunt, *ex merito Chriſti, ſed ex prædeſtinatione*. Refellunt hi duo præterea illos, qui explicant fidem in iuſtitia, id eſt, quæ afferat iuſtitiam, quæque vocatur à Paulo [x] *iuſtitia Dei per fidem*, quoniā inſolens eſt huiuſmodi phraſis. Eſt autem ea ſententia Vatabli, Clarij, Gagneij, Sà, ita vt cum fide iuſtitia ſequatur, niſi quid obſtet, aut per eam iuſtificemur, ſcilicet velut per primam diſpoſitionem, primúmque fundamentum, & quæ ſolet opponi iuſtitiæ operum per naturæ ſolas vires, quam iuſtitiam Hebræi & hæretici prædicabant. Eòdem pertinebit, ſi, vt etiam placet Sà, iuſtitiam ſumamus pro miſericordia, & cum iuſtitia explicemus per miſericordiam, nimirum per miſericordiam Dei, & Chriſti.

u 1. de vocat. Gent. ca. 8. vel 23.
x Rom.3.22.
Quomodo per fidem iuſtificemur.

Tertia expoſitio eſt Aſelis, & Adami præpoſitionem, in, quæ Hebræis eſt ב *be*, non habere vim inſtrumenti quam habet non rarò, vt apud Eſaiam [y]: *Radet Dominus in nouacula conducta*, id eſt, per nouaculam conductam, ſed comitis, nempe cum iuſtitia, quemadmodum in illis verbis eiuſdem Apoſtoli Pauli [z]: *ſuperabundauit gratia Domini noſtri cum fide & dilectione*: & in aliis Thomæ in Ioannis Euangelio [a]: *Eamus & nos vt moriamur cum eo*: Hebræus vteretur dicta præpoſitione *be*. Vnde ſenſus erit fidem dari ſimul cum iuſtitia. Indicat eumdem ſenſum Titelmanus, datam fidem virtutem Theologicam in iuſtitia Dei, &c. id eſt, vt non ſit ſola, ſed veram iuſtitiam adiungat coram Deo, &c.

y cap.7.20.
z 1.Tim.1.14.
a Ioan.11.16.

Primam opinionem ceteris præfero, quæ eſt omninò Ambroſij, vel Proſperi. Tunc fidem intelligendo vt dixi de omnibus, quæ nos fideles & Chriſtianos abſolutos reddunt, nimirum iuſtos, ac Deo gratos, dicentur fidem recipere cum iuſtitia Dei, &c. hi, qui beneficio Dei, & Chriſti conſequuntur iſta per iuſtitiam ſcilicet Dei, qui cùm iuſtus ſit, & fidelis, *ſe ipſum negare non valens* [b], præſtat quod promiſit rationem omnibus conſequendæ ſalutis: vel per miſericordiam (quam acceptionem iuſtitiæ pro illa recipio, & exemplis confirmari poſſe ſcio [c]) Dei, & Chriſti: vel per iuſtitiam, quam Chriſtus, qui Deus eſt ſimul & homo, exercuit in operibus ſuis, atque per illam promeruit nobis fidei, & cetera gratiæ

Fides de omnib. quæ nos fideles & Chriſtianos reddunt hîc intelligenda.
b 2.Tim.2.13. Heb.6.18.
c Pſal.30.2. Eſa.56.1. Mat.3.1. 2.Cor.9.10.
Fides cum iuſtitia quomodo eſſe intelligatur.

dona. Portò non insolens phrasis est, vt Auctores contendunt sententiæ teruæ, vt fides cum iustitia intelligarur, non modò quæ iustitiam comitem habeat, sed etlam, quæ illam sibi comitem faciat, ac veluti secum trahat.

Quod verò fides non sit ex merito Christi, sed ex prædestinationè, est negare prædestinationem nostram esse ex meritis eiusdem, saltem quantum ad media omnia, quod absordum est. nam propterea vocatur Christus *primogenitus in multis fratribus, cui conformes debent esse prædestinati* [a]; *& prædestinauit nos Deus in adoptionem filiorum per illum* [b], *& in ipso nos benedixit in omni benedictione spirituali* [c], *& aptauit nos in omni bono per eumdem* [d], *vt faciamus eius voluntatem.* Lege Augustinum [e], & B. Thomam [f], & ex Interpretibus huius Suarez [g], & Concillum Tndentinum [h]. Refellit ille negantes primam dispositionem gratiæ esse ex meritis Christi, ostendens non inde fieri, vt non sit iustificatio nostra ex gratia, sed ex sola iustitia. Item illos qui dicũt idem de applicatione actuali meritorum Chtisti scilicet non esse ex meritis eiusdem.

a Rom. 8. 29.
b Eph. 1. 5.
c ibid. 3.
d Heb. 13. 21.
e de prædesti na. sancto. c. 15. lib. de bono Perseuer. c. 9. & alibi.
f 3. p. q. 19. a. 4. & q. 24. a. 3. & 4.
g 3. p. Tom. 1. disp. 41.
h sess. 6. c. 5.

Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi.] Prosper, siue Ambrosius legunt *Domini*, quod nomen de Christo sæpius dici solet: atque ita hæc omnia pertinerent ad eandem personam Christi, qui reuera tamen etiam Deus est: Alioqui per Deum potest Pater intelligi. Inde diuinitas Christi, hinc probatur diuinatum distinctio personarum. Secundum pluribus exposiroribus placet: sed primo fauet Græcus textus omuia ista sob vna particula comprehendens τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ Σωτῆρος, &c. vt obseruant Arias, & Feuardentius. De voce Saluatoris alias [i]. Erasmum caue potestatem facientis legendi disiunctim (Dei nostri, & Saluatoris Ieso Christi. Vnicus Græcè atticulus est: & fauet Arianis ille interdum contra diuinitatem Christi.

i Act. 5. 31. cap. 13. 23.

Quid sibi velit hic *iustitia Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi* prius est dictum, nempe quam Deus efficiat ln nobis, & Christos nobis promeritus fuerit, atque docuerit; quæ vera sit, Deique & Christi consentanea voluntati: in nobis formaliter, ac intrinsecè. non per exercitium operum legis, vel naturæ solius, nec per solam imputationem, extrinsecámve denominationem ab ea iustitia, quæ est in Christo. Hæc innuit omnia Thomas Anglicus: quibus corruunt oppositi errores de iostitia nostra, quos veteres nouique sectantur hætetici, præter Iudæos, qui legalem illam suam iustitiam tanti faciebant. An porrò iustitiæ nobis ratio cum Deo propriè intercedat, alibi disputandum.

Admittitur appellatio *coronæ iustitiæ, quam reddat Dominus iustus iudex* [k]. Sed quia illud, quidquid est, etiam fundatum in infiniti pretij meritis Christi, à diuina pendet voluntate, ac pacto, estque semper creaturæ, ac Dei interstitium infinitum, exacta & rigorosa iustitię ratio, locum habere nequit in isto veluti contractu: vt idcirco satis bene idem Thomas appellet nnn exigentiam, sed condecentiam diuinæ bonitatis. In qua condecentia cùm latitodo sit, inde fit, vt schola Theologorum quædam opera vocet meritoria de condigno, alia tantùm de congruo, vt alibi ploribus ostendimus [l].

k Tim. 4. 6.

Qualis inter Deum & hominem iustitia intercedat.

l disp. de gra.

Vers. 2.] Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri.

SAlutifera imprecatio vsurpari solita initio epistolarum Apostolicarum, de qua satis actum in precedente, & vniuersè disputat Augustinus [m] agnoscens Trinitatem, & personas eius, Patrem quidem sub appellatione Dei: Filium sub nomine Iesu Christi: Spiritum sanctum sub vocabulis donorum, quæ in salutatione exprimuntur, quia de Spiritu sancto per attributionem dicitur donum.

m expos. incep. ad Rom. To. 4. S. Trinitas quomodo hic denotetur.

Adimpleatur.] Πληθυνθείη, sicut capite primo [n] prioris epistolæ, & in epistola Iudæ [o], vbi tamen Interpres posuit *multiplicetur*, quo pacto & Augustinus [p] citar præsentem locum, & nonnulli codices habent. Glossa ordinaria, & Hugo, ac Beda notant ibi dictum *multiplicetur*, quia scribebat Petrus imperfectioribus, & incipientibus: nunc perfectioribus, & proficientibus, per fidem, donec adimpletio peruenientibus ad aliam vitam accedat. Hugo addit, hic sermonem esse cum illis, qui iam habent fidem, solúmque indigent, vt confirmetor & adimpleatur. Præterea gratiam, pacémque (de quibus & nos in epistola prima) impleri per operationem: sed adimpleri per perseuerantiam.

n vers. 2.
o vers. 2.
p supra.

Nil est quod sospicemur legisse hoc loco Interpretem πληρωθείη, alioqui sic legisset etiam io epistola Iudæ. Vtrobique Gagneius asserit: hic Salmeron. nec arbitror adimplere, aliam habere vim, quàm implere, hæcque duo quàm multiplicare, cum sit pro vtroque verbum idem Græcum.

In cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri.] Augustinus [q] & Prosper [r] *in recognitione* ἐν ἐπιγνώσει. Cognitionem optat adimpleri, & adaugeri fidei, eorúmve habituum intellectus infusorum, quæ ad res easdem fidei meliùs cognoscendas, tum practicè, tum speculatiuè faciant. Iam fidem datam meminerat; quare non videtur per τὴν ἐπίγνωσιν, veluti supercognitionem intelligere, hoc est, cognitionem super eam, quam Ethnici de Deo habuerunt, & simplex dici γνῶσις, id est, cognitio potest, quamuis reuera ita se habeant inter se comparatæ cognitiones hæ, vt notauit Feuardentius.

q supra.
r con. Coll. c. 39. & epist. ad Dem.

Posset quoque præpositio (in) vicem obire instrumenti, quoniam per dictam cognitionem fieri solet accessio magna gratiæ, pacisque, & vicissim *pax exuperans omnem sensum, custodit corda, & intelligentias nostras* [s]. Sæpissimè compositum nomen τῆς ἐπιγνώσεως pro simplici cognitione ponitur, & ἐπιγινώσκειν, pro eo quod est, quomodocumq; cognoscere. Supersedeo afferẽdis exemplis, quæ passim occurrent in toto nouo Testamento, præsertim in Paulo. Occumenius perturbatam hîc orationem putans, ita euoluit. Vobis, qui in agnitione Dei, & Iesu Domini nostri, æqualem nobiscum fidem sortiti estis per iostitiam Dei nostri, gratia & pax moltiplicetur. Prior expositio facilior, qoàm ista, & quàm duæ aliæ, quas apud eumdem legere poteris.

s Philipp. 4. 7.

Vers. 3.] Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pietatem donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute.

VEl ita se gratiam precari pacémque significat, vt ipsis adimpleatur, ac perficiatur magis magisq; (quo pacto tāta iam acceperant diuinæ potestatis munera conducentia ad vitam & pietatem) & hoc pariter per cognitionē, seu fidē illius qui vocauit. Vel sensus est, cupere, vt cognitio, de qua prius dixit, in eo potissimum versetur, vt *quæ donata sibi sunt à Deo*, quemadmodum & Paulus loquitur [a] *sciant atque perpendant*. Vel quasi nouo facto principio, nec ista ex priore pendente sententia, cū admiratione ac epiphonemate prorumpit in commendationem diuinorum donorū hic & sequenti versu. Vel hinc etiam inchoās nouum sermonem, ac extendens ad sequentem vsque inclusiue, petit, vt (quod est versu sequēti) fugientes, nempe eius corruptionē concupiscentiæ mundi; quomodo (vt his ac sequentibus dicitur verbis) tanta consecuti sint dona, quibus ea videlicet ratione respondere oporteat. Non facile dixerim, quis ex his melior sensus. Secundus cum editione nostra non adeo cohæret, quia illud *quomodo* non habet significationem *aitiologikēs* causalem. Ex singulorum expositione totius intelligentia sententiæ meliùs dilucescet.

[a] 1. Cor. 2. 12.

Quomodo.] Ὡς, vtraque vox aut similitudinis est, aut admirationis, non autem causæ; Latina quidem, licet Græca possit esse, cuius quoque valde multiplex alius vsus. Si accipiatur similitudinarie, supplendum putant Beda, reliquique fere Latini, *vt cognoscatis*, nempe quomodo, id est, quā liberaliter, benignè, perfectè. Gagneius, Adamus, Asel explicāt, vt gratia, & pax adimpleatur, &c. per cognitionē, quemadmodum seu perinde, atque diuina virtute Dei, nobis, per cognitionē eius, donata sunt quæcumque spectant ad vitam, & pietatem. Existimant autem postremi duo nomē cognitionis inculcari, ac simul cognitioni huic adeo multū tribui, vt fideles in ea perficere studeant, in qua iam se Gnostici à cognitione sic appellati, perfectos esse iactabant.

Catharinus iudicat, *quomodo* habere vim exegeticam, circa quid nimirum cognitio versetur, de qua dictum priore versu. Ariæ opinio est, ac Vatabli, de epiphonemate, quod est, inquit Arias, in Hebraico sermone vsitatissimum schema, ad gratulationem hic vsurpato. Exempla dicti schematis lege notatis in margine [b] locis, in quibus est, quomodo, vel quam Græcè ὡς vel πῶς, Hebraicè אךְ *ach*, seu איךְ *ech*, & איכה *echah*, vel מה *mah*, Salmeron expositiones tres primas allatas initio proponit, & probare præ se fert. Vltimam inDuit Feuardētius: Ceteri conquiescūt in prima.

[b] Psal. 72. & 79. Psal. 8. 1. Psal. 118. 97. 103. Sap. 5. 5. Thren. 1. 2. & alibi.

Omnia diuinæ virtutis suæ.] Πάντα τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ. *Omnia diuinæ potentiæ suæ*, quasi effuderit in donando potētiam omnem suam Deus, ac velut *faciendo potentiam in brachio suo* [c]. Certè, *qui etiā proprio Filio suo non pepercit* [d] (οὐκ ἐφείσατο) parcus nec in hoc fuit, quo nihil maius) *sed pro omnibus nobis tradidit illum* (vt homo fieret, & communicando substantiam suam, qua re nullam potest meliorem) *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* χαρίζεται *donabit, gratificabitur*, condonando peccata, iustificando, glorificando, quæ licet valde magna sint, non tamen substantialia, sicut incarnationis donū.) Hæc iam donata sunt in noua lege, in vetere tantūm promissa, vel iustificationis donum, quod tunc etiam dabatur propter auctorem nouæ Christum, eiúsque merita dabatur. Diuinitatem Christi ex eo Pauli loco Hilarius [e] colligit, & non adoptione, sed naturā filium Dei esse, quia probat magnitudinem dilectionis Dei, quod pro filiis adoptionis, siue vt tales efficeret, proprio non pepercit.

[c] Lucæ 1. 51. [d] Rom. 8. 32.

[e] 6. de Trin. Diuinitas Christi hinc comprobatur.

Quæ ad vitam, & pietatem donata sunt.] Meminit Beda, & Glossa ordinaria lectionis alterius *quæ donata est*, quo pacto legendum censent Caietanus, Vatablus, Erasmus. Suspicatur Adamus interpretē legisse δεδώρηται pro δεδωρημένης, vt modo est. Fortassis legit δεδωρημένα, vt etiam legi in nonnullis codicibus: aut si actiuè interpretetūr cum Prospero (de quo postea) δεδώρηκε, nec aliter aptam Syntaxim reperire possum, nisi numero legamus plurali *donata sunt*, vel *dedit*; Græca sic habent; ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης. *Tamquam omnia nobis diuinæ virtutis, quæ ad vitam, & pietatem* (sunt) *data*. vbi non efficitur vllus sensus: aut si est δεδώρηται (*quomodo*, &c.) dedit nimirum Deus, siue diuina virtus dedit omnia: aut, si δεδωρημένα (quomodo &c. data sunt) scilicet à Deo, Interpres *suæ* addidit, & omnia diuinę virtutis exposuit esse dona, non autem virtutem, quæ ipsa donaret. Si legas, *omnia diuinæ virtutis suæ quæ ad vitā & pietatem donata est*) supplendum erit (omnia (Deus) diuinæ virtutis suæ dedit) quæ nempe virtus ad virtutem & pietatem donata est. Prosper vtens hoc testimonio contra Collatorem [f], pro gratia, sic illud refert, *Gratia vobis & pax adimpleatur in recognitione Domini nostri Iesu Christi*, fortasse recognitionem sumpsit pro grati cognitione animi, *qui nunc* (videtur legisse νῦν, sed ὡς, quamuis addat de suo *nunc*) *omnia nobis, quæ ad vitam, & pietatem pertinent* (omisit, diuinæ virtutis suæ) *donauit*. Tunc infert: *Numquid, ait, qui virtutum semina, quæ naturaliter habebamus inserta, opitulatione sua excitauit in nobis? Sed ait: Qui nunc omnia nobis, quæ ad vitam, & pietatem pertinent, donauit. Quod accensio, cuius virtutis insitum in natura fuerit, quod non ab eo collatum sit, qui cuncta donauit?* Affert rursus [g] idem, vel certè Ambrosius [h] eundem locum ad idem probandum, sed ita: *Gratia* (præterit, & pax) *vobis adimpleatur in recognitione Domini nostri Iesu Christi: qui nunc omnia nobis diuina virtute sua* (quasi per hanc, non hanc dederit) *quæ ad vitam, & pietatem pertinent, donauit per agnitionem suam*, &c. *Si ergo omnia*, simile faciens argumentum, inquit, *quæ ad vitam & pietatem pertinent, Deus nobis diuina sua virtute donauit: nihil magis fugiendum est, quàm appetitus huius concupiscentiæ, quæ virtutem negat diuini operis, amore propriæ dignitatis: & cùm alia cupiditates ea tantùm bona, quibus aduersantur, imminuant, hæc dum omnia ad se trahit, simul vniuersa corrumpit.*

[f] cap. 19.

[g] ad Demetriadem. [h] epist. 11. edit. Rom. ad Demetriad.

Omnia nobis Deus donauit quæ ad vitā & pietatem pertinent.

Hinc arbitror manasse in scholis tritum illum loquendi modum, nihil nos posse absque gratia eorum, quæ pertineant ad pietatem, & ad vitam, nimirum æternam consequendam. Et cùm vel Patres, vel Concilia, vt Arausicanum II [i]. dicere videntur nos nihil posse nisi peccatum, sine gratia, volunt perinde referre quiduis aliud fiat, quamuis naturaliter, moraliterque bonum fit, ac si esset peccatum, quod attinet ad dictam pietatem, & vitam æternam, scilicet, quia sunt extra ordinem eorum, quæ per

[i] canon. 7.

se ad hæc conducunt. Quomodo *delinquens in vno*, sententia Iacobi [a] *factus est omnium reus*, quoniam licet reuera reatum non habeat omnium peccatorum, & alia multa bona possit operari, dum versatur in reatu, & reatus vnius mortalis peccati, sufficit, vt gratia priuetur, & præmio vitę æternæ, qui est plurium reatuum idemmet effectus, quamuis in pœnis, & in reatibus, vt à maculis peccatorum distinguũtur, nonnullum discrimen sit. Nullus melius de hac gratiæ materia, quàm Augustinus, & post illum Prosper. Illius tritum axioma; *Quisquis enumerat Deo vera merita sua, illi enumerare munera ipsius* [b].

Ad vitam.] Πρὸς ζωὴν. Alij [c], Πρὸς εἰρήνην, *ad pacem*, omnia porrò Dei munera spectant eò, vt vitæ æternæ consequendæ viam ineamus, & piè colamus Deum, & hoc melius æmulemur charisma [d], non gratis data dona [e], quæ in aliorum sunt vtilitatem, & interdum etiam in improbis [f]. Vitæ quidem vocabulo possumus intelligere beneficium creationis cum reliquis naturalibus: per pietatem gratiæ munerã. Sed de his posterioribus propriè loquitur Petrus, vitæque vox, vt aliàs moni, beatum significat. Thomas Anglicus vitam spiritualem sumit quoad nosmetipsos, pietatem quoad proximos: vel vitam obtinendam in futuro, pietatem conseruandam in præsenti, qui est cultus Dei: vel vitam quo ad mores bonæ conuersationis: pietatem quoad cultum Christianæ fidei, & religionis.

Vocauit nos propria gloria & virtute.] Διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς Ambrosius, vel Prosper antea citati, *propriæ gloria virtute.* Motus Deus amore gloriæ suæ, qua *egent omnes qui peccauerunt* [g], & vtens benignitate sua vocauit nos &c. Gloriam suam, sicut & omnipotentiam parcendo maximè, & miserando, Deus manifestat; ita vt hic effectus ipse metonymicè dici gloria possit. Etsi verò ἀρετὴ aliud sæpe est, quàm δύναμις, & hæc paulò antè in hoc eodem versu posita est; eandem nihilominus interdum vim cum illa habere, iam pridem docui [h]. Sed quoniam hic distinctè vox vtraque ponitur, credo ἀρετὴν & virtutem denotare benignitatem atque misericordiam, & eximium amorem erga nos. *Propria* interpres addidit, vel forsitan legit ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ. Satis autem bene Carthusianus innui notat αὐτοπρόσωπον Dei filium, ac in propria gloriæ suæ maiestate coniuncta cum natura nostra humana venisse, vt nos redimeret, ac ad se vocaret.

Nimis restringit sententiam Thomas Anglicus ad Apostolos, & quidem Petrum dumtaxat, Iacobum, & Ioannem, qui vocatione exteriore vocati sint, vt alij, sed propria gloria, hoc est, ostensione transfigurationis, & virtute, id est; operatione miraculorum, quorum nonnulla coram illis solis fecit. Salmerō virtutem sumit moralem, gloriam transfigurationis. Amplectitur tamen etiam item Thomas generalem de omniũ vocatione sensum, per virtutem, efficienter, per gloriam finaliter, propriam autem Dei ipsius incarnati.

Putat Caietanus indicari Christum vocasse *virtute* benè viuendo, vt & ipsi bene viuamus: *gloria* edendo miracula, aut per gloriam corporis immortalis sui. Clarius eodem ferè modo, *cùm vidimus*, inquit, *gloriam eius tamquam Vnigeniti à Patre* [i]; & is vitam virtutibus plenam ostēdit, quam imitaremur, vnde & spetare possemus nos eiusdem cùm eo gloriæ futuros esse participes. Vocat idem Paulus [k] *Euangelium Dei virtutem ad salutem omni credenti*, & [l] *ministrationem Spiritus quæ est in gloria.* Omnia vera: quod initio dixi, aptius.

Porrò quamuis indicatum Pauli locum [m] *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*, exponat Theodoretus de gratia, quo etiam modo legit Hieronymus [n]: Anselmus, & Oecumenius de gloria, qua, dum beneficia confert, glorificatur: quidam, quia sic gloriam suam maximè Deus manifestat: quo pacto quidquid illã magis cõmendat, gloria vocari solet [o]: Chrysostomus & Theophylactus de vita æterna: Caietanus, atque Toletus de iustitia, quam qui habet, gloriari potest apud Deũ [p]: tamen verum est his omnibus modis nos egere gloria Dei, & Deum, Christúmque vocauisse nos propter gloriam suam, quocumque sumatur modo. Claritatem vertit; legitve Cyprianus [q]. Sed nihil etiam refert. Diuitias gloriæ nominat alibi Paulus [r] *misericordiam*, & aliquando *gratiæ* [s], *& bonitatis* [t].

Vers. 4.] Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ: fugiẽtes eius, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.

DOna de quibus dixit, docet tanta, & adeo pretiosa esse, vt diuinæ nobis tribuant consortium naturæ; proindéq; prorsus indignum sit, nos in concupiscẽtia inuolui, quæ nos efficit corruptibiles, atq; plurimum degenerare à diuina illa natura, ad quam Dei singulari beneficio euecti sumus. Totius tamen sententiæ varia expositio est, propter variam primorum verborum lectionem, vt modò dicemus.

Per quē.] Secutus est interpres codices, in quibus est δι' ὧν, Propter quem, vel δι' οὗ, Per quem, quam lectionem innuit Athanasius [o], etsi ferè omnes habeant δι' ὧν, Per quæ (quo modo etiam Oecumenius) videlicet omnia illa quæ præcedẽte versu donata dicuntur ad vitam, & pietatẽ, vt exponit Caietanus Ambrosius [x], vel Prosper [y] & Sixtus Papa [z] III. legũt, *Per quam*) nẽpe virtutẽ, aut vt apud eosdem quoque legitur, *propriã gloria virtutem*, in fine prioris versus, quasi Græci legerint δι' ἧς. Glossa Interlinearis agnuscit lectiones, *Per quem*, & *per quæ*. Per quem Christum, per quæ dona, nominatim exprimens miracula. Lyranus, *Per quam virtutem diuinam Christi*: Beda *Per quam* cognitionem, quæ quò perfectior, tantò promissorum Dei magnitudo sentitur altiùs: Carthusianus: *Per quem* Christum, *Per quam* cognitionem: Addamus; *Per quam* gloriam & virtutẽ. Titelmanus, *Per quem* Christum, *Per quæ*, vel *Propter quæ*, gloriam, & virtutẽ suam. Hugo, ac Thomas Anglicus, *Per quem* Christũ Saluatorem, *Per quæ* dona, *Per quam cognitionem*. Non licet ampliùs è pluribus, quam malumus eligere lectionem: sed acquiescendum in emendata, *Per quem*, quam priùs quoque magis approbauerat Gagneius.

Maxima & pretiosa nobis promissa donauit.] Τίμια καὶ μέγιστα, *pretiosa & maxima.* Hieronymus [a] pro maximis legit *grandia.* Promissa ista Glossa ordinaria intelligit de vita æterna, vel de conuersione aliorum per Apostolos: vel de aduentu Spiritus sancti: vel de potentia miraculorum. Ceteri aliquid ex his, aut etiam reliqua religionis nostræ Sacramenta, & mysteria, olim in vetere lege

promis

Marginal notes: [a] Iac. 2. 10. — *Quisquis sua merita Deo numerat sua illi munera enumerat.* — [b] ... confess. & alibi. — [c] ... nouo Testam. Robert. Steph. — [d] 1 Cor. 12. 31. — [e] Matt. 10. 8. — [f] Matt. 7. 22. — [g] Rom. 3. 23. *Deus gloriam suam parcendo & miserando manifestat.* — [h] ... c. 1. 6 pen. ad Sp. — [i] Ioan. 1. 14. — [k] Rom. 1. 16. — [l] 2 Cor. 3. 8. — [m] Rom. 3. 23. — [n] in c. 16 Isa. — [o] Exod. 24. 16. 17. cap. 40. 32. 3. Reg. 8. 11. Isa. 35. 2. Matt. 6. 29. — [p] Rom. 4. 2. 1. Cor. 1. 31. 2. epist. c. ... — [q] ... cap. 1. — [r] Rom. 9. 23. Ephes. 1. 18. c. 3. 16. Coloss. 1. 27. — [s] Ephes. 1. 7. cap. 2. 7. — [t] Rom. 2. 4. — [o] orat. 1. cont. Arianos. — [x] ep. 33. ad Demetriad. — [y] ep. eādem ad Demetria. — [z] lib. de diuit. Tom. 3. Bibl. Patrum. — [a] 1. cont. Iouin.

promissa; tradita verò Apostolis, quos designare Petrus videtur pronomine primæ personæ (nobis) vel etiam toti Iudæorum genti primo loco, cuius videlicet sunt *promissa* [a], *& repromissio* [b]. Sed ita, vt per Iudæos, maximè Apostolos ceteri hæc acciperent. Cùm donata dicit promissa, intelligit res promissas: nec enim promissiones dantur loquendo propriè, sed quæ promissa sunt dona. Sic quoque Paulus [c] *reportare promissiones* dixit, id est, res promissas. Eodem pacto petitio sumitur pro re petita [d], auditio pro re audita [e].

Fortassis epithetum *pretiosa* nonnullum respectum habet ad pretium sanguinis Christi, & meritorum eius; licet verum quoque sit, nostra à nobis exigi merita, quibus ad beatitudinis maximum donum perueniamus. Quidquid ergo promisit Deus per se, pertinens ad salutem nostram, promissorum vocabulo intelligendum putamus; inter quæ primatum tenent Incarnatio, & Beatitudo. *Quæ processerunt de labiis suis, non facit Deus irrita* [f], *verax est* [g], *plenissimeque scire debemus, quia quæcumque promisit, potens est & facere* [h]: immobile consilium firmauit iureiurando, *& impossibile eum mentiri* [i], *& seipsum negare* [k].

Quamuis autem in pretio, & dignitate comparata duo dona quæ diximus, sese habere possint: vt excedens, & excessum: tamen, omnibus pensatis, vtilior cuique sua beatitudo: nobilior incarnatio, quia substantialis Dei ipsius communicatio, ex qua pendet illa, & cuncta gratiæ munera. Optimè autem congruit promissio, seu pollicitatio, cuius crebro Paulus meminit [l], tanquam de re propria legis nouæ, cum ea, quæ legis eiusdem est, gratia: quod enim promittitur, ex liberalitate promittitur, gratisque. Typus fuit, quæ vocata est terra promissionis: & *Hæc est repromissio*, inquit Ioannes [m], *quam ipse pollicitus est nobis vitam æternam.*

Vocamur etiā *filij promissionis in semine Abrahæ* [n], *& secundum Isaac* [o]: Ismaël petitus à Deo iuxta etymologiam: Isaac vltrò promissus, *risum & alacritatem liberalis promissionis* denotat [p]. Abrahā, & Sara parentes Isaac, liberale donum denotant amplitudine nominum. Agar significat peregrinam, & timentem.

Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.] Hinc primo loco probat Ambrosius [q] aduersus Arianos in Deo reperiri, déque illo propriè dici naturam, acritérque negantes redarguit, cùm iidem ingeniti vocē vsurpari à Catholicis ferre nō possent, quòd eam in scripturis non extare accusarēt. *Etsi negatur*, inquit, *natura Deum esse, ergo per gratiam est, vt homines, non solum Filius, sed Pater quoque; aut falso creditur Deus vt dæmones, quorum simulacra Dei appellatione donantur. Potuit sic Petrus dicere*, pergit ipse, *vt doceat vnam esse naturam, si aliter æstimasset, vt nos faceret diuinarum consortes naturarum, maximè cùm per Filium in natura diuina consortium transfeamus.* Tandem probat, hunc ipsum Filium Deū esse, atque naturam habere diuinam, quia donare non posset nobis consortium naturę quam non haberet.

Deinde sequitur ex diuerso modo, quo dicimur nos cōsortes diuinæ naturæ, Christus autem genitus à Patre Christum, *ὁμοούσιον*, id est, *consubstantialem* esse, nos solam quandam participationem habere ex eius per Spiritum sanctum gratia, sine vlla diuisione substantiæ diuinæ participatæ. Sic his ferè verbis Athanasius [r] argumētatur, qui cōfirmat præterea [s] Spiritum sanctū esse Deum, quia participatio ista fit in Spiritu. Quare Seruetus impiè abusus hoc loco; docuit, diuinæ essentiæ transfusionem in nos, cùm non aliter participetur ipsamet natura diuina intrinsecè à nobis, quam per infusa dona: licet in iustificatione peculiari quodam modo dicatur dari ipsamet persona Spiritus Sancti, de quo alibi.

Nec minus turpiter Osiander, quem noster Bellarminus [t] confutat, errauit, nos iustificari per illam ipsam iustitiam, qua Christus, non vt homo, sed vt Deus essentialiter iustus est. Non ait Petrus nos effici diuinæ consortes naturæ per inhabitationem iustitię essentialis, sed per pretiosa, ac maxima promissa, id est, per res, ac dona promissa, quæ donauit Deus, qui ante promiserat per merita Filij sui Christi, qui ipse fuit vnum etiam, ac præcipuū donum. Potius probatur hoc loco, iustitiam nostram esse donum permanens, & internum, sicut & nomen naturæ significat, non solam externam denominationem, vel non imputationem. Inde est, quod iustificatio dicatur *regeneratio* [u], *noua creatura* [x], & huiusmodi aliis nominibus.

Adhæc participatio ista diuinæ naturæ est quidem per donum gratiæ sanctificantis, & per visionem beatificam, ratione cuius Ioannes [y] videtur dicere nos similes Deo futuros. Sed quia non pendent hæc necessariò ab incarnatione Christi, quin aliter concedi potuerint: propterea simul solent citati Patres [z], & alij attendere similitudinem in natura per incarnationem; propter quam verissimè affirmatur, homo est Deus, Deus est homo, nec amplius ironicè, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis* [a] *factus est.* Sumus item secundum naturam *genus Dei* [b], *facti ad imaginem, & similitudinem ipsius* [c]: qua ratione præsentem Ambrosius [d] intellexit locum, vocátque rationabilis naturæ donum, per quod cognationem habemus cum Deo, gratiarum maximū: sed pretiosa, & maxima promissa, per quæ diuinæ consortes efficimur naturæ, supra nudam naturam sunt: quæ tamen ob naturæ capacitatem, & quia est velut fundamentum reliquorum bonorum, maximum quoque vocari bonum potest, vel gratia, vt pote sponte data à Creatore. Idem Doctor aliàs [e] Petrum exponit de spiritali commercio adoptionis gratiæ, quod per Spiritum sanctum fiat in nobis, & quo, vt solet loqui Paulus, signamur [f].

Eòdem potest reuocari ea coniunctio, licet magis externa, quæ fit per Eucharistiæ sumptionem, de qua Cyrillus [g] Ierosolymitanus præsentem quoque locum interpretatur. Vnde Christus [h]: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Vno verbo Macarius [i] Ægyptius donum cœleste, nempe omne donū gratiæ nos accipere scribit, *ex hypostasi Diuinitatis*, itáq; fieri diuinæ consortes naturæ, est consequi animam cœlestē, Spiritúmque diuinum deducentem in omnem virtutem, quo viuere possimus vitam perpetuam, nēpe quoniam propter dictam hypostasim cum natura humana cōiunctam tot naturæ humanæ obuenerunt bona, quæ per allegoriam nominare possumus *murenulas aureas vermiculatas argento* [k], propter Diuinitatem in Humanitate tanto veluti artificio innexam.

Hieronymus [l], quia virginitatis virtus Deo peculiari quadam ratione similes reddit, de illa locum istum accipit, sic, vt existimo, sensu accommodationis legens: *Grandia nobis, & pretiosa*

a Rom. 9. 4. b Act. 2. 39. *Promissa sunt res promissæ.* c Heb. 10. 36. d Iob. 6. 8. Psalm. 36. 4. Psal. 105. 15. e Habac. 3. 2. Nahum 3. 19. *Ad beatitudinē consequendā nostra exiguntur merita.* f Psal. 88. 35. g Rom. 3. 4. h infra 4. 4. i Heb. 6. 17. 18. k 2. Tim. 2. 13. *Quid præstet an beatitudo vel incarnatio.* l maximè in ep. ad Rom. c. 4. & c. 9. & 15. 2. Cor. 1. 20. Gal. 3. & 4. Ephes. 2. & 3. & 19. 1. Tim. 4. 8. Heb 6. 17. 18. m 1. ep. 2. 25. n Rom 9. 8. o Gal. 4. 28. p Gen. 24. q li. de incarn. c. 8. *In Deo natura reperitur.* *Deo filius diuinam naturam habet.* *Christus est Patri consubstantialis.* r Orat. contr. Arianos ad Epist. Ægypti. Ipse ep. ad Serap. Spiritum S. non esse creaturam. s lib. 2. de iustificat. *Osiandri error nos iustificari per iustitiam, qua Christus vt Deus iustus est.* u Tit. 3. 5. x Gal. 6. 15. Iacobi 1. 18. y 1. Ioan. 3. 2. z Athan. praeterea orat. 3. contr. Arianos ad Adelphium. a Gen. 3. 22. b Act. 17. 28. 29. c Gen. 1. 27. d ep. 38. *Rationabilis naturæ donum per quod cognationem habemus cū Deo, est gratiarum maximum.* e 2. de Spiritu S. cap. 6. f 2. Cor. 1. 22. Ephes. 1. 13. g Catech. 4. mystag. h Ioan. 6. 58. i Hom. 39. & 41. *Donum cœleste accipimus ex hypostasi diuinitatis.* k cant. 1. 11. l ad Iouin.

virginitatis promissa donauit, vt per hanc efficiamur diuinæ consortes naturæ. Ad quod eius propositum faciunt quoque verba sequentia: *fugientes eam, quæ in mundo est concupiscentiam.* Valet id etiam ex Sapientia [a]: *Incorruptio facit esse proximum Deo.*

a cap 6.20.

Societas ista in ... consistit.

Verumtamen consortium, societásque ista consistit, in omni genere virtutis, estque, vt rectè Origenes [b], (quem volunt alij Cyrillum esse) ostendit, nobis cum Patre, Filio, & Spiritu sancto. De Patre & Filio citat Ioannis epistolam primam [c]: *Societas nostra sit* (ἡ κοινωνία, sicut hoc loco est nomen κοινωνοὶ) *cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo.* De Spiritu sancto, Pauli ad Philippenses [d]. *Si qua societas spiritus, ἤτις κοινωνία Πνεύματος.* Quæ vis videtur significare vinculum spirituale, quæ dicitur etiam Communio sanctorum. *Hanc societatē,* subdit ille, *nec nō cum sanctis, & cum Angelis, de qua etiam egerat, disrumpit, & abnegat, quicumque malis actibus suis, malisque sensibus ab eorum coniunctione separatur.* Similis commonitio Leonis [e] Magni, *vt agnoscentes dignitatem hanc nostram, qua diuinæ consortes facti sumus naturæ,* (propter incarnationem, de qua disserit, & consequentem ex ea in nobis gratiæ fructum) *nolimus in veterem vilitatem* (ad quam nos originale peccatū, ac propria deinceps actualia peccata reduxerant, & propter quæ factus homo Dei Filius fuerat) *degeneri conuersatione recidere,* talis capitis, talis corporis membra. Recole Agnis Virginis ad Vrbis filij Præfectum, nuptias eius optantis, ac importunè flagitantis, responsum de pretiosis donis ornamētisque, quæ se à sponso suo Christo affirmabat accepisse [f].

b hom. 4. in Leuit.

c cap. 1. 3.

d cap. 2. 1.

e serm. 1. de Natiu. Dom.

f in Vita.

Hilarius [g] tali quoque vtitur argumento, vt persuadeat de Trinitate ac Deitate scribentibus, legentibus, loquentibus, audientibus, meditantibus (possumus id ad mysteria alia diuina extendere) terrenarum rerum infirmas ac imbecillas opiniones esse abiiciēdas, & omnes imperfectę scientiæ angustias religiosa discendi expectatione laxandas, vt conscius sibi diuinæ se naturæ participem effectum fuisse, Dei naturam, non naturæ suæ legibus metiatur (indicat nēpe participationem istam esse supernaturalem) sed diuinas professiones secundum magnificentiam diuinæ de se protestationis expendat.

g lib. 1. de Trinit.

Ceterùm si placet, locum istum accipere de gratia sanctificante, possumus dicere, meritò numero multitudinis plura nominari promissa, quoniam eadem vna illa gratia virtute multiplex, ex qua veluti pullulant virtutes Theologicæ, dona Spiritus sancti; virtutes morales infusæ, si quæ sunt, &c. ac denique præmium vitæ æternæ, & cū qua omnia pariter bona proueniunt. Propter oppositam rationem dixit Dauid [h] *se conceptum a matre in peccatis,* quia originale radix est peccatorum ceterorum.

Gratia vna virtute multiplex est.

h Psal. 50. 7.

Postremò perperam inferebat Cælestius, Augustino teste in libro de gestis Pelagij, qui haud ita pridem prodiit, ex isto consortio sequi posse, animam nostram esse sine peccato, quēadmodum Deus est. Consortium verò illud in gratiæ donis exponitur à Dionysio [i] cùm scribit, quòd salus aliter existere non potest, nisi ij qui salutem consequuntur, dij fiāt: Deificatio autem est Dei, quoad eius fieri potest, imitatio, & cum ea commiatio, atque vt ita dicatur vnitio. Simile quid est in oratione secreta Dominicæ 17. post Pentecosten. At longè maius consortium erit in beatitudine, quādo videbitur Deus sicuti est [k].

i Eccl. hierarc. c. 2.

k 1. Ioan. 3. 2.

Fugientes quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionē. Ἀποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς, *Aufugientes, aut, cùm aufugeritis, aut, si aufugeritis eam, quæ in mundo est in concupiscentia, vel per concupiscentiam, corruptionem.* Alij habent in Genitiuo (ἐπιθυμίας καὶ φθορᾶς. Hac conditione consequetur quis illa pretiosa, & maxima dona, quibus diuinæ cōsors fiat naturæ, si aufugiat prauam concupiscentiam: siquidem præcedere debet dispositio ad gratiā in adulto, & natura prior est expulsio peccati, quàm introductio gratiæ: vel hoc ipsum, videlicet vt eam possit aufugere, dictis donis obtinebit, nimirum vt deinceps vitet peccata, & magis resistat fomiti remanenti: vel postquam tanta dignitate præditus fuerit, debet penitus ab illa aufugere, atque sanctitatem persequi, & conseruare, quæ vt ait Dionysius [l], *perfecta munditia est,* ac *immaculatum,* vt Iacobus, *se custodire ab hoc seculo* [m], nec *se illi conformare,* vt Paulus [n]: nec *diligere,* vt Ioannes [o]; Quoniam *omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscētia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed in mundo est, & radix omnium malorum* [p]. Existimat Asel istis verbis innui consortium diuinæ naturæ in hoc consistere, vt simus incorrupti, sicut ille est.

Dispositio ad gratiam præcedere debet in adulto.

l c. 19. de Diu. nomin.

m cap. 1. 27.

n Rom. 12. 2.

o 1. Ioan. 2. 15. 16.

p 1. Tim. 6. 10.

Porrò cum Petrus ex prima persona hìc transeat ad secundam, (*Nobis donauit,* &c. *vt efficiamini,* &c. *fugientes,* &c.) quod item fecisse legimus priore epistola [q], facit Sixtus Papa [r] III. argumentum, non solùm Apostolos mundanam substantiam debuisse contemnere, sed etiam hortatos, vt ceteri idem faciant, & suo viuāt exemplo, iuxta illud [s]: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Etsi verò per concupiscentiam, quæ in mundo est, intelligi possit, vt dixi, duplex illa & oculorum (de qua sola non rectè Hugo intelligit) & carnis: de hac tamen potiùs, non minùs oculorum, seu mundi quam carnis prælia perpetua esse possunt (quæ Hugonem ratio mouit) & quāuis resistendo vincatur superbia, qua cum etiam continuum bellum: tamen vbique, & in his omnibus fugiendæ sunt peccandi occasiones. Immo verò maximè locum habet, virumque fuga in certamine concupiscentiæ carnis; nec quia effugi penitus non potest (nisi ex singulari raróque priuilegio) idcirco fugi non debet, vel de illa præsens locus accipi non potest. *Fugere fornicationem* Paulus [t] præcipit, & *abstinere ab illa* [u], nec *nominare quidem eam,* vel *quamlibet immunditiam* [x]. Exemplo fit fuga lapsus, & in manibus impudicæ dominæ relinquēs vestimenta Ioseph [y], de quo ad hoc propositum eleganter Ambrosius [z]. Sic intellexit quoque Origenes [a] eiiciendum ludentem, immo ludendo persequentem Ismaëlem [b]. *Ab agresti, & furioso domino aufugi,* dixit Ethnicus etiam quidā [c], scortum vitans. *Nam cùm cetera vitia pugnādo vinci soleant, sola libido est, quæ fugiendo potiùs, quàm pugnando superatur,* inquit Augustinus [d].

q cap. 2. 21.

r lib. de Diuit.

s Marc. 13. 37.

Prælia carnis & oculorum perpetua esse possunt.

Occasiones peccati fugiendæ.

t 1. Cor. 6. 18.

u 1. Thess. 4. 3.

x Ephes. 5. 3.

y Gen. 39. 12.

z li. de Ioseph. cap. 5.

a hom. 7. in Gen.

b Gen. 21. 9. & seq. Gal. 4. 29.

c Val. Max. lib. 4. cap. 3.

d lib. de honest. mulier. c. 1.

Præterea nomen corruptionis, quod hoc loco est, sicut & corrumpendi verbū alibi [e], & Græcæ voces φθείρειν, καὶ φθορά, satis indicat sermonem præsertim esse de concupiscentia carnali, de cuius vitiis ita vulgo loqui quoque solemus. Quod corrumpitur, dissoluitur, putet, ac putrescit. Luxuriæ peccato integritas corporis perit, & peccatum ipsum *ignominiæ* [f], *confusionisque* [g] nominibus appellatur: ruborémque maiorem iniicit, vt notat Gregorius [h]: tametsi priora illa vocabula corrumpendi, corruptionisque, reserationem etiam claustri virginalis, cū honestè fit, significare possint. *Incorruptio, quæ facit esse proximum Deo,* vt Sa-

e Gen. 6. 1. 12. Cab. 9. 5. Iud. vers. 10. Apoc. 11. 18. c. 19. 2.

f Rom. 1. 26. Philip. 3. 19.

g 2. Pet. 4. 4. Iudæ vers. 13.

h 33. Moral. c. 21.

picus

piens[a] loquitur, nósque alias expofuimus.[b], continentia eſt, quò exactior, eò expreſſior ſimilitudo eius. Igitur cùm dixiſſet Petrus nos diuinæ conſortes fieri poſſe naturæ, adhibuit meritò hāc ſiue conſequentem proprietatem, ſiue requiſitam conditionem, vt aufugiamus concupiſcentiæ corruptionem, id eſt, corruptam, ſiue libidinoſam. *Si benè, ac rectè iudicas*, ait Cæſarius[c] Arelatenſis, *incomparabiliter grauiorem putorem reddunt cogitationes luxurioſæ, quàm cloacæ.* Voluit id aliquando teſtatum Deus facere fœtidiſſimo exhalante odore ex iis, qui turpiſſimo iſto vitio erant infecti, vt legere eſt in hiſtoria Pachonis[d], Euthymij[e], Catharinæ[f] Senenſis, & aliorum, narrátque dæmonis ipſius licet mendacij patris[g], teſtimonium Robertus Olcot[h]. Notare fortaſſis voluit Apoſtolus, vt obſeruauit Adamus, turpiſſimam Simonianorum, Gnoſticorum, Nicolaitarum, & ſimilium myſtagogiam per coitus, atque purgationes nefandas, & iuxta cognomen Borboritarum, ſiue Borborianorum, quod ſecundi vſurpabant; planè cœnoſas quas perpetrare dicebant oportere eos, qui ad perfectionem arcanorum ſacrorum peruenire vellent, & effugere vellent mundi Principea[i].

Verſ. 5.] Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam.

Verſ. 6.] In ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem.

Verſ. 7.] In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

Exordio finito, narrationem, ſiue propoſitionem orditur vtens eleganti gradatione, quæ continet omnes præcipuas partes officij Chriſtiani, magiſque neceſſarias virtutes vſque ad apicem charitatis, per quas eximia illa, de quibus dixit, dona, dignitáſque conſortij naturæ diuinæ conſeruentur, ac locupletentur, & non deſimus tantæ gratiæ[k], *néve illam in vacuum recepiſſe videamur*[l]: vt ſicut *delibatio, ita ſit & maſſa ſancta, ſicut radix, ita & rami*[m].

Cyrillus Alexandrinus[n] iſtum citans locum in epiſtola quadam, docet hanc vitæ rationem, quæ in eo continetur, tenere, eſſe *in virum perfectum occurrere, & ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti peruenire*[o].

Thomas Anglicus poſt Bedam, & Carthuſianus comparant cum octo gradibus, quibus aſcēdebatur in templum[p]: ac in duobus primis, attēdi ordinem ad bonum: in tribus mediis, ad malum: in duobus vltimis ad charitatem Proximi, & Deitita vt fides ordinet mouendo: virtus conferat ad exequendum: ſcientia dirigat: per abſtinentiam fugiatur culpa: pœna toleretur per patiētiam: vtrumque malum pietate auertamus ab aliis, perueniamus ad perfectionem poſtremò duplicis charitatis. Aducit comparationem Feuardētius cū octo beatitudinibus prædicatis à Chriſto[q]: octo tabulis tabernaculi[r], octo diebus, poſt quos Chriſtus præbuit ſe glorioſum Diſcipulis in transfiguratione[s]: octo animabus in arca ſal-

uatis[t]. Nec alia deeſſent, ſi quis ſequatur.

Vos autem curam omnem ſubinferentes.] Καὶ αὐτὸ δὲ τοῦτο σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες. *Et hoc autem ipſum* (nempe *facite*) *omne ſtudium inferentes conferentes.* Vatablus, Caietanus, Clarius, Eraſmus vertunt *in hoc ipſum.* Quidam codices habent, αὐτοί, nullus, quod ſciam, præpoſitionem εἰς. Oecumenius legit ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τοῦτο, & explicat ὅτι εἰς αὐτὸ τοῦτο *ſiue, in hoc ipſum.* Videtur ſimilis phraſis in epiſtola ad Romanos[u], *& hoc, ſcientes tempus*, &c. καὶ τοῦτο εἰδότες τὸν καιρὸν &c. Syriacè: ואף הדא דעו *vaaph hada debhu, Et etiam hoc ſcitote, quod tempus iam eſt, & hora*, &c. Participium Græcum, quo ſolus, & hoc quidem vno loco videtur vſus Petrus, ſignificans eos, qui intulerunt, vel intrò tulerunt præter aliquid aliud, qui contulerunt ad aliud, ſeu cum alio ſtudium, & operam, denotat concurſum, atque cooperationem liberi arbitrij noſtri.

Operum ad ſalutem neceſſitatem, præter fidem cum liberi noſtri conatu arbitrij colligit ex hoc loco Eſaias Abbas[x] alus allatis aliūde teſtimoniis litterarum ſacrarum: Sixtus[y] quoque Papa III. Auguſtinus verò ad hunc alludens locum, poſtquam ex ſolitis precibus noſtris probauit gratiæ auxilium neceſſarium, inquit[z]: *Nec ideo tamen ac hac re ſolis votis agendum eſt, vt non ſubinferatur* (huius verbi participium hic habemus) *adnitendo etiam noſtræ efficacia voluntatis. Adiutor enim noſter Deus dicitur[a], nec adiuuari poteſt, niſi qui etiam aliquid ſponte conatur: quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis, in quorum natura rationem, voluntatémque non condidit:* (hoc fere cogitur aſſerere, qui phyſicam in voluntate noſtra prædeterminationem Dei ponunt) *ſalutem noſtram Deus operatur in nobis.*

Miniſtrate.] Ἐπιχορηγήσατε. Subminiſtrate, ſuppeditate, exhibete, inſuper præbete, ſufficite, ſuggerite quaſi additamentum, & ſuppeditationis corollarium. Quo verbo denotatur liberi arbitrij cooperatio, bonorum operum exercitatio, ac veluti negotiatio ſuper acceptis pretioſis ac maximis donis quaſi talētis[b]: ſeu mnis, aut minis[c]. Et quamuis verum ſit, nos in operibus præſertim gratiæ velut miniſtros Dei eſſe, & quodā modo inſtrumenta, ſed ſalua ſemper vera efficientia vitali, atque libera: non tamen id ſibi voluit Petrus hoc dicto verbo Græco: Sed ſolùm, quod diximus, vt ipſi cooperemur. Alioqui de Deo idem ſentiremus, quoniam eidem tribuitur verbum idem verſu vndecimo. Benè dixit ſeruus fidelis: *Domine mna tua decem mnas acquiſiuit*[d]; *& alter, Mna tua fecit quinque mnas*[e]: qui non ille, ſed, vt ait Paulus[f] *gratia Dei cum ipſo.*

In fide.] Ἐν τῇ πίστει. Quidam codices[g] tollunt præpoſitionem, vt ſit ſenſus, miniſtrate fidei. Vatablus putat, Hebraiſmum eſſe dicere *in fide*, pro *fides*, & ſic deinceps verti debuiſſe: *virtus, ſcientia*, &c. ſic ſenſus eſſet, ipſimet fidei miniſtrandum eſſe per ſequentes virtutes, quæ hic enumerātur, ne mortua ſit, inanis, abſque fructu. Placet hic, qui multorum eſt ſenſus: at Græcos Doctores, qui hoc loco annotent omnia dicta nomina eſſe Datiui caſus, nullos legi; vellem, qui pronunciauit[h] protuliſſet.

Requiro item exempla Hebraiſmi, quem notauit Vatablus. nam alterius non pauca ſuppetunt, vt (*in*) ponatur loco *cum*, qua etiam ratione plurimi hunc locum explicant, quæ expoſitio illi alteri benè congruit: *Propter hoc lugebit terra, & in-*

a Sap. 6.20.
b Ibid. *Interruptio quo exactior, eo expreſſior ſimilitudo Dei eſt.*
c hom. 11.
Luxuria vitio deditis teterrimi odorem halant.
d Pallad. c. 19. vel 26.
e Sur. Tom. 1.
f Raimundus
g Ioan. 8. 44.
h in lib. Sapientiæ lect. 118. vel 119.
i Niceph. lib. 9. cap. 13. ex Irenæo lib. 1. c. 24. Philaſt. Epiphanius & alij.
k Hebr. 12. 15.
l 2. Cor. 6. 1.
m Roman. 11. 16.
n in Concil. Epheſ.
o Epheſ. 4. 13.
p Ezech. 40.
q Matth. 5. 3. & ſeqq.
r Exod. 26. 17. & c. 36.
s Matth. 17. 1. & ſeqq.
t Luca 9. 28.
t 1. Pet. 3. 20. Gen. 6. 14.
u cap. 13. 11.
Liberi arbitrij concurſus ad opera ſalutis neceſſarius.
x Orat. 21.
y Tract. de Malis d. Abr. & operib. fidei Tom.
a Pſal. 45. 2.
Adiutor noſter Deus eſt, non adiuuatur niſi qui ſponte conatur.
Liberi arbitrij cooperatio hoc verbo denotatur.
b Matth. 25. 15.
c Luc. 19. 13.
d Ibid. 16.
e Ibidem 18.
f 1. Cor. 15. 10.
g in nouo Teſtam. Roberti Steph.
h Philip. Diez. Tom. 1. Conc. Quadrag.

firmabitur omnis qui habitat in ea, inquit Oseas [a], *in bestia agri, & in volucre cœli*: id est, cum bestia, &c. *In baculo meo trãsiui Iordanem istum*, inquit Iacob [b], id est, cum baculo meo, & vt Chaldæus vertit, *solus*; & Dauid [c]. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*; cum tamen vtrobique & Græcè, & Hebraicè sit præpositio. Plura alia exempla noster in Indice Sà profert. Illud opportunum proposito [d]: *Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis.*

Meritò autem primo loco statuitur fides, tamquam ὑπόστασις [e], & fundamentum ædificij spiritualis. *Quæ internam*, scribit citatus Cyrillus, *spiritalémque in Christo vitam, laude, æmulatiónéque dignam seriò inire volunt, illos fide in primis sincera, atque integra ornatos esse decet.* Ab Ecclesiastici Auctore scriptum est [f]: *Timor Dei initium dilectionis eius*: fidei autem initium agglutinandum est ei, πίστις δὲ ἀρχὴ κολλήσεως αὐτῷ, initium Κυρίου Domini, vel Dei, cui nempe per fidem incipiamus agglutinari, quamquam in emendata editione LXX. totus ille versus desideratur. Si velimus intelligere fidei agglutinandum initium timoris, sensus erit, fidem esse primum principium, ex quo concipiatur timor. nec enim absque lumine fidei timeri, vel amari Deus, sicut oportet, potest. *Sine fide impossibile est placere Deo* [g], *& Accedẽtem ad illum oportet credere* [h], nec inuocari Deus potest, nisi à credente. *Ecce qui incredulus est* עפלה *hnmppelah*, obscurus, nebulosus, lucifuga, tenebrio, &c. quod Paulus [i] LXX. sequens legit: *Si subtraxerit se*, aliique aliter, vt notat Villalpandus [k], *non erit recta anima eius in semetipso.* Exigit ergo Petrus, vt aliam sequantur, ac seruent viuẽdi viam ab iis, qui perinde, ac si non crederent, vel oppositum crederent eius, quod se profitentur credere, viuunt, subministrant vitia omnia, quales Gnostici, contra quos scribere creditur.

Virtutem.] Τὴν ἀρετήν. Cyrillus [l], Oecumenius, & passim Latini omnes expositores moralem interpretantur virtutem, eiúsque opera, *sine quibus fides mortua est* [m]. Hieronymus [n] assignans virtutis notionem, pro miraculo, vel opere fortitudinis, siue potentiæ Dei. & pro conuersatione bona in hac explicat præsentem locum, confirmans illo alio [o]: *Si qua virtus, si qua laus*: item, vt legunt LXX. *Melior est sterilitas cum virtute* [p]. Vnus, quod sciam, Arias accepit virtutem pro potentia, & hortari Petrum, vt in ea nos exerceamus fide, de qua scriptum est [q]: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, illuc: & transibit.*

In virtute autem scientiam] Τὴν γνῶσιν, mysteriorum Christi cognitionem, absolutámque eorum intelligentiam. vt placet Cyrillo: *arcanorum Dei mysteriorum scientiam*, vt ait Oecumenius, & Clarius, quæ non cuilibet aduenit, sed ei, qui ex operibus præstantioribus per habitum exercitatos sensus sibi comparauit [r] scientiam sacrarum scripturarum, vt Arias exponit. Glossa, ceterique cognitionem circumstantiarum, siue discretionem, & prudentiam, ne sit in virtutis opere feruor immoderatus, interpretantur. Nonnulli [s] Scholastici priorem secuti sensum, hinc Theologiam esse scientiam probant. Argumentum probabile, non necessarium, cùm constet de fidei cognitione sciendi quoque verbum aliquando dici. Vtilis, ac etiam Ecclesiæ necessaria Theologia est, non singulis: quemadmodum nec à singulis fides æquè explicita exigitur. Vnde perperam hac ex scientia colligunt hæretici, vt Beza, merum commentum ea inferorum gurgite esse de fide implicita.

In scientia autem abstinentiam.] Ἐγκράτειαν. *Ne scientia inflet* [t]: *vt sapiamus ad sobrietatem* [u], εἰς τὸ σωφρονεῖν. Vult Caietanus, vt nomine virtutis generalem modum bene ac studiosè agendi impulsiuum: sic abstinentiæ retractiuum significari, qui consistat in singularum actionum temperatione. Illum Catharinus vocat modum, vnde decor, & pulchritudo in omni externa actione resplendet, & quem scientia indicet. Oecumenius tradit sensum primum, nec non Arias. Reliqui adiiciunt temperantiam voluptatum gustus, tactúsque, & aliarum illicitarum rerum, *ne*, inquit Clarius, *per has magna ad nos donorum afficiamus contumelia.* Adde vt comparari melius, conseruari, exerceri, augeri scientia possit, quemadmodum somnio quodam se Nazianzenus [x] edoctum narrat, & tam multi docent. Postremò innuitur quoque turpis Gnosticorum secta, qui scientiam profitebantur, vt dictum est.

In abstinentia autem patientiam.] Id est, non tantùm ἀπέχειν, sed etiam ἀνέχειν, quæ duo tantopere commendat Epictetus apud Gellium [y], vt dudum notauimus. Non potest retineri temperantia, nisi adhibeatur in aduersis tolerantia, & incidentes frangantur difficultates. *Nisi mentes abstinentium*, ait Gregorius [z], *plerumque impatientia à sinu tranquillitatis excuteret, nequaquam Petrus dum diceret: Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scientiam, in scientia autem abstinentiam, protinus vigilanter adiungeret, dicens: In abstinentia autem patientiam: deesse quippe abstinentibus patientiam prouidit: qua eis vt adesset, admonuit.*

In libro de duplici martyrio inter opera Cypriani, sed profectò non illius, verùm non satis boni Auctoris, est etiã austeros, rigidósque monachos interdum impatiẽtiores esse iniuriarum, & appetentiores vindictæ, quàm quiuis alius sit ex media plebe, quoniam corpus magis exercuerunt, quàm animum: *exercitatio verò corporalis ad modicũ vtilis sit, pietas ad omnia valeat* [a]. Ratio quoque naturalis potest esse imbecillitas virium, & bilis prædominium in extenuato corpore. Vnde tum fœminas imbecilliores, tum ægrotas experimur ad iram proniores, sicut & pueros.

Summæ fortitudinis, ac patientiæ martyrium habet quodammodo locum in abstinentia. *Quid namque mirabilius*, vt cum Bernardo [b] loquamur, *aut quod martyrium grauius est quàm inter epulas esurire, inter vestes multas, & pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas affert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus?*

Valent ad præsens institutum, quæ de gastrimargiæ certaminibus disserit Cassianus [c]: docens inter alia [d], & suos abstinentiæ ictus esse, quibus abstinens verberet, non solùm verberetur, & verberet quidem, non aërem [e], sed in aëre malignos spiritus. Ait præterea [f], corporalem continẽtiam aptum medium esse ad spiritale ieiunium; tamen posse hoc sine illa reperiri. Sed & huc adolescens facit, *quem*, vt memorat Hieronymus [g], *persecutor in amœnissimos hortulos præcepit abduci, ibique inter lilia candentia, & rubentes rosas, cum leni iuxta murmure aquarum serperet riuus, & molli sibilo arborum folia ventus præstringeret, super extructum plumis lectum resupinari, & ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quò cum, recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cœpit, delicatis strin-*

a cap. 4. 3.
b Gen. 32. 10.
c Psal. 2. 11.
d Matt. 25. 16.
e Heb. 11. 1. Fides est fundamentum spiritualis ædificij.
f cap. 25. 16.
g Heb. 11. 6.
h ibidem.
i Heb. 10. 38. Habac. 2. 3.
k Tom. 3. in Ezech. in Appar. vrbis, Par. 2. lib. 2. cap. 7.
l Tom. 1. in Concil. Ephe. cap. 1.
m Iacob. 2. 20. 26.
n in c. 63. Esa.
o Philip. 4. 8.
p Sap. 4. 1.
q Matt. 17. 19.
r Heb. 5. 14.
s Petrus Trigosus 1. par. q. 1. a. 2. Valentia 1. par. disp. 1. q. 1. pun. 3. §. 1. Theologiã scholasticam scientiam esse qui malunt.
t 1. Cor. 8. 1.
u Rom. 12. 3.
x Orat. de Calamitat. animæ suæ.
y lib. 17. c. 19. Temperantia firmari non potest sine tolerantia.
z 3. par. Pastor. admonit. 10.
a 1 Tim. 4. 8.
b serm. 1. de omnibus sanctis, quẽ etiam lege serm. 30. in cant. serm. in octaua Paschæ, & in sententiis parum.
c lib. 5. de instit. renunciantium. Gastrimargiæ certamina.
d cap. 18.
e 1. Cor. 9. 27.
f supra c. 22. & 23.
g In vita Pauli eremitæ. Adolescentis continentia exemplum mirabile.

gere colla complexibus, & quos ... *e scelus est, manibus attrectare vestiua, ut c* ... *vibrationem concertato, se victrix impudica superi* ... *id ageret,* subdit Hieronymus, *miles Christi,* ... *o se verteret, nesciebat. Quem tormenta non vice*..., *superabat voluptas:* (quippe, vt idem prius dixit, *animus cupiebat iugulare Tyrannus, non corpora.*) *tandem cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superauit.* Tota hæc Hieronymi narratio est, à me hic præter morem verbatim posita, propter elegantiam, & energiam, vt, quanta sit in abstinentia necessaria patientia, melius perspiceretur.

In patientia autem pietatem.] Τὴν εὐσέβειαν. Reddit interpres interdum pietatem, quod videri paradoxum possit hominem ἀπαθῆ, durum, rigidum, austerum, aliis minime compatientem, sed ex se, quod plura patiatur, alios metientem, ac, quæ patiuntur alij, præ his, quæ patitur ipse, minùs æstimantem. Fortassis ergo per εὐσέβειαν, ex vulgari notione voluit Petrus benignitatem, atque misericordiæ opera intelligere: licet propriè ad Deum pertineat pietas: deinde verò etiam aliquo modo ad patriam, & parentes. Patientiæ, sicut & abstinentiæ, atque præcedentium virtutum finis esse Deus debet, qui colitur pietate: tamen non satis est Christiano illatas ferre iniurias, ac tormenta, nisi pium quoque aduersus hæc inferentes, ac benignum & beneficum animum gerat. Obseruat Augustinus [a], ideo nomen τῆς εὐσεβείας, & pietatis, licet propriè conueniat Deo, etiam in operibus misericordiæ frequentari (ita vt de Deo magis distinctè debuerit dici θεοσέβεια,) quia hæc fieri præcipuè Deus mandat, eáque sibi vel pro sacrificiis, vel præ sacrificiis [b] placere testatur: & ipsemet interdum dicitur pius, Latino saltem nomine, cum Græcè nullo sermonis vsu dici valeat εὐσεβής. Equidem vbi Deo pij co gnomen interpres dat [c], non reperio vocem εὐσεβής, sed aliam, nempe ἐλεήμων, vel οἰκτίρμων, vel ἅγιος. Quando Paulus [d] iubet Timotheo sectari cum aliis virtutibus pietatem, de hac compassione atque misericordia interpretantur Anselmus, & B. Thomas, sine qua iustitia, vna ex enumeratis seueritas est, immò crudelitas. Eandem intelligit iungens castitati, in quibus tranquilla agatur vita [e], nimirum inter alios: item, quam dicit *ad omnia vtilem* [f], & *magnum quæstum* [g].

Patientiæ & cæterarum virtutum finis est Deus.

a 10 de ciu. cap. 1.

b Oseæ 6.6. Matth. 9.13.

c Paral. 30.9. Eccli. 2.13. Apoc. 15.4.

d 1. Tim. 6.11.

Iustitia sine cõpassione est seueritas vel crudelitas potius.

e Ibid. c. 2. 2.

f cap. 4.8.

g cap. 6.6.

In pietate autem amorem fraternitatis.] Φιλαδελφίαν. Sæpius antea de hoc nomine. nec se coli Deus vult absque fratrum amore: nec fratribus potest piè succurri, nisi fiat ex intimo erga illos amore. Gnostici amores inhonestos exercebant inter se. Prodit Epiphanius [h], cum viri fœminas, hæ illos subter palmam titillando contrectatẽt, hoc quasi dato symbolo ad epulationem conuersos esse, benéque plenos, ad œstium transiuisse, atque virum concedendo alteri vxorem, vxori dixisse, surge, fac dilectionem cum fratre. Talibus in rebus consistebant sacratiora eorum mysteria. Ducem illorum nominat Barrabbam, quæ vox Syriacè scortationis filium significat. Refert demum execrandam gustationem fœdissimarum rerum seminis virilis, menstruique fœminei, quibus corporis & sanguinis Christi non verecantur nomina imponere. Hanc aliàs dixi causam fuisse cur Christiani omnes ob nomẽ fraternitatis malè apud Gentiles audirent.

h hæres. 26.

In amore autem fraternitatis charitatem.] Vt nimirum diligantur fratres, proximique ex charitate, hoc est, propter Deum, & non inhoneste, vt antè dictum est: nec amici modo, quos magis videtur fratrum vox indicare, verum etiam inimici, vt notat Caietanus: qui & ipsi absolutè fratres sunt, & in quorum amore charitatis ratio magis enitescit, vel ob difficultatem, vel quod inimicos amare non humana, sed impellere diuina sola causa solet, Deúsque ipse dumtaxat. Amicos enim diligere, ait Tertullianus [i], omnium est, inimicos autem solorum Christianorum.

Inimici diligendi sunt, qui & fratres censendi sunt.

i ad Scapulam cap. 1.

Amicos diligere omnium est, inimicos, Christianorum.

Vers. 8.] Hæc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.

Hinc ad duodecimum vsque versum rationibus persuadetur vtilitas, necessitásque virtutum, ac operum, quæ, vt in præcedente dixit, subministrare, ac adiúgere oporteat ad fidei virtutem, assensúmque, siue cognitionem, qua vna, vt toties notatum est, Gnostici gloriabantur, & contenti erant. Quod initiò admonuimus cum Augustino [k], maximè propositum esse in epistolis suis Petro, Iacobo, Ioanni, Iudæ: Petrum verò de industria monere voluisse de Paulo, cuius auctoritate abutebantur, quod visus esset fidem sine operibus commendare. Præsentis versus ratio est, quoniam per bona opera reddimur coram Deo frugiferi, neque vacui apparemus, & otiosi ante ipsum: sic etiam cognitio, quam habemus de illo, non erit inanis, inutilis, suo eatenus fine, cum ad opus referatur in hac vita.

k de Fide, & operib. ca. 14.

Hæc enim si vobiscum adsint.] Ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα, vel vt est in aliis libris, παρόντα. Particulam conditionalem omittunt aliqui codices Latini legendo: *Sed vobis cum adsint.* Sic mallet Gagneius, qui descriptoris vitium notat, non intelligentis particulas disiũctas (vobis) & (cum) ideóque conflantis in vnam (vobiscum.) At nihil de coniunctione (si) monet. Phrasis Græca vtrouis modo verti potuit. Illo alio legit Sixtus Papa III [l]. Eleganter Oecumenius: si horum prodest παρουσία, multo magis οὐσία.

l Tract. de malis Doctor. & operi. fidei. To. 5. Biblioth. Patrum.

Et superent.] Καὶ πλεονάζοντα. Et abundantia. Ergò possunt in nobis semper gratiæ, virtutúmque incrementa esse, quod iamdudum contra nonnullos hæreticos admonuimus. Huius eiusdem rei sub abundandi, augendi, crescendique verbis apud Paulum similia extant testimonia cuiuis satis obuia. Glossa ordinaria, & interlinearis, Beda, Hugo, Thomas Anglicus, Carthusianus, Primasius non attendentes vim vocabuli Græci, de victoria sunt vitiorum interpretati: quáuis Carthusianus exposuerit quoque inualescere, & abũdare dictas virtutes. Quod ipsum intelligi adhuc potest, non de solo interno, ac vt dici solet, intensiuo incremento, sed etiam externo, vt sese foras exerant, & in opus exeant. Vsus est interpres eodem verbo superandi in eâdem significatione, cùm dicitur *fragmenta panis superasse* [m].

In nobis semper virtutum incrementa esse possunt.

m Mat. 8.8. Ioan. 6.12.

Non vacuos.] Ἀργοὺς. Otiosos. Otiosus est, non tantum vacans ab opere, sed & non id exercens, cuius facultatem habet: & qui non operatur iuxta quantitatem illius. Hoc est *accipere in vano animam suam* [n]: *In vacuum gratiam Dei recipere* [o], vel *in aliquo gratiam Dei vacuam esse* [p]. *Habere opera non plena coram Deo suo* [q]; & saltem, secundum sensum accommodationis, *inueniri minas habere* [r]: *Non ne-*

Otiosus quis dicatur.

n Psal. 23.4.

o 2. Cor. 6.1.

p 1. Cor. 15.10.

q Apoc. 3.2.

r Dan. 5.27.

acerius

uentes dies plenos [a]: *Menses habere vacuos* [b]: *Non habere agrum plenum cui benedixerit Dominus* [c] (efficaci gratia.) *Non esse plenum dierum* [d].

Porrò plus negando affirmat, quàm si simpliciter affirmaret: significat eum valde plenos & abundantes fore. Itaque scribit Corinthiis Paulus [e]: *Fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Nefas erat vacuum apparere coram Deo [f]: vel regem Persam, ac Parthum adire sine munere [g]: & hoc more Magos Christum adorantes ei munera dedisse obtulisse [h]: *seruum inutilem proiciendum* Christus dicit [i] in tenebras exteriores: (tametsi alia quadam ratione etiam iustus *agnoscere se seruum inutilem, ac dicere debet* [k]: cùm tamen Paulus vas in honorem & sanctificatum vocet *vtile Domino, & ad omne opus bonum paratum,*) & ipsam sterilitatem appellat Deus *retributionem malorum pro bonis* [l].

Sine fructu.] Ἀκάρπους. In editione Aldina, & Basileensi legitur Ἀργάτους, nec non in Oecumenio, Græcè edito Veronæ anno 1532. cuius lectionis non meminisse miror Robertum Stephanum. Eandem verò lectionem secutus est Erasmus, & Vatablus, vertentes *in vtriusque labo antes.* Gratiæ spiritus, ac virtutum velut plantarum opera suot fructus, vt docuit Christus, crebras ex iis ducens parabolas, aut ex seminibus [m]; nec non Ioannes Baptista [n]; & Paulus [o], & Iacobus [p]: vel per metonymiam quoque sic dicuntur propter beatitudinem, qui est omnino vltimus fructus, ac fruitio denique *bonorum laborum gloriosus fructus* [q]: cùm spes impiorum vacua sit, & labores sine fructu, & inutilia opera [r], cuius explicationem sententiæ reperies in Commentario nostro [s]. Dicuntur improbi operari iniquitatem (Hebraicè, ac Græcè arare) seminare dolores & metere [t], dum animo peccatum concipiunt: dum perficiendi quærunt rationes, illudve se ipsa. perficiunt: dum vel perficiunt, vel ex eo quòd perfecerunt, prosperantur, aut alios ad idem inducunt.

Nihil interest ad sensum vtrauis lectio: at refert, vsu probatam Ecclesiæ non abiicere, qua in re nonnihil Erasmo indulgere Adamus solet, atque Asel, quo sum vsus manuscripto, iamque monui eadem apud illos duos me reperire. Denotat etiam fructus vox rationem bonitatis, atque meriti in operibus iustorum, quæ cum Dei gratia exercentur ab ipsis libera voluntate: non est in eo similitudo cum fructu, quod vt hic ex semine aut planta, sic naturaliter, & necessariò proficiscatur à iustis opus bonum. Quamquam & similis quædam ratio est, quatenus cultura vtrobique necessaria est, quam nonnisi liberè, ac sponte adhibemus.

Vos constituent.] Καθιστῶσι, Constituunt, sine pronomine *vos*, quod rectè tamen expressum est, & præsens non rarò futuri vice ponitur. Idem est καθιστάναι quod efficere, reddere, ponere, locare, &c. Præterea coràm statuere, firmare, stabilire, roborare, fructuosum robur dare, tueri, restituere, instituere, ac veluti erudire, & docere, committere tamquam in bello, siue ad bellum, componere, ac sedare, ad bonam frugem reducere. Quæ omnia ostendunt vim bonorum operum, ac fiduciam magnam, quam ingenerant ante iudicium, & in ipso iudicio, *quando stabunt iusti in magna constantia* [u], vt alias exposuimus [x], de quo iudicio aliqui sequentia sumunt verba.

In Domini nostri Iesu Christi cognitione.] Εἰς τὴν ἐπίγνωσιν, *In cognitionem.* Qui casus Accusandi cum indicet futuram cognitionem, fauet expositioni de cognitione iudiciaria, in qua vicissim *cognoscetur Deus iudicium faciens* [y]. Placet Hugoni ea expositio, Thomæ Anglico, Glossæ Interlineari, Catharino, qui aliter nominat diem visitationis, & satis indicat Oecumenius. Explicant quoque glossa Interlinearis, Hugo, Thomas, vt fructum reportent, quia cognouerunt Christum per fidem.

Tertius sensus eiusdem Hugonis, Thomæ, Lyrani, Carthusiani, Primaticcij de visione beatifica, qui est vltimus fructus, quoniam [z] *Hæc est vita æterna, vt cognoscamus Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Caietanus vel eandem sequitur sententiam, dum ait *ista conferre ad cognitionẽ* Christi: vel intelligit de perfectiore cognitione eiusdem in hac vita. Hic est sensus quartus.

Quintus Titelmani, Aselis, Anæ, Salmeronis, Feuardentij, Adami, & meus, per opera virtutum nõ reddi nos in fide infrugiferos, seu in cognitione Christi, vt erant Gnostici, sed ex iis nos argumentari posse cognitionem illam nobis iam constare, magisque oculos nostros aperire, nec solam & nudam, ac veluti theoreticam de illo, & Deo notitiam habere, quæ *cum profiteatur nosse, factis illum neget* [a]. Qui hunc cum aliis conferet sensum, non requiret, opinor, vt pluribus probetur à nobis, cum aptissimè cohæreat epistolæ scopo, hisque, quæ adhuc dicta sunt. Christus quoque docuit apud Ioannem [b], *Quòd si quis voluerit voluntatem eius* (Dei) *facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ipse à se ipso loquatur.*

Vers. 9.] Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

QVia cognitio diuina refertur hîc ad opus, & *intelligere debemus, vt bene agamus* [c], & quoniam in iustificatione per gratiam, & virtutes, purgamur à peccatis, ne amplius illa faciamus, sed iis contraria opera bona, *sobriè, iustè piè viuenda* [d]: qui nuda contentus cognitione repetit priora mala opera, nec exercere studet bona, meritò censetur in vetere versari cæcitate, atque tanti oblitus beneficij, remissionem sibi peccatorum, & simul collatorum gratiæ munerum: ita vt ex iis quidem fides licet manere possit, sicut & spes in peccatore, careant efficacia, propter charitatis absentiam, & similium virtutum infusarum, quas peccatum expellit. Tunc verò peccat quis, quando, instante operandi necessitate, non operatur, & propter virium naturalium imbecillitatem destitutam supernaturalibus oblata occasione committit etiam id, quod nefas est.

Cui enim non præsto sunt hæc.] ᾧ γὰρ μὴ πάρεστι ταῦτα: *Cui non adsunt:* Qui non studet sibi comparare, quæ dicta sunt, & bonis vacare operibus. Potest, vt dixi, sine his fides esse, ac forsitan id Petrus innuit contra Gnosticos. nam quamuis in fide ipsa errantes, nec haberent fidem: tamen hic vnus error erat eorum, quod sola sufficeret fides & cognitio, à qua cognitione se quoque cognominabant. In eodem sunt errore vocati in Gallia Huguenoti, vel Hugonistæ (vndecumque nominis ducta ratio sit [e]) quos liceat appellare Hugnosticos [f]: & Paulus, & [g] Iacobus apertissimis verbis

y Psal. 9.17.

z Ioan. 17.3.

a ad Tit. 1.16.

b cap. 7.17.

Cognitio diuina refertur ad opus.

Quando quis peccat.

fidem

fidem separatim esse affirmandam absque charitate: sed quæ videlicet non prosit ad salutem. Id concepta hac sententia docet Augustinus[a]. *Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse.* Pluribus in re tam clara non est opus: præsertim cum iidem recentes hæretici pugnantia loquantur, modo asserentes fidem solam iustificare, atque seruare, nihilque aliud à nobis Deum requirere, quàm vt credamus: modo dicentes, fidem, qua iustificati dicimur, operari charitatem, perseuerantiam, innocentiam, &c.

Rationem reddere, cur fides ac spes manere possint in peccatore, difficile est, nec tollantur, nisi per oppositum actum. nam si tollitur gratia demeritoriè, videtur peccator hoc demereri. Si physicè, per actum peccati non tolleretur charitas, nisi per odium Dei formale. Recurri præsertim debet ad voluntatem Dei, & bonitatem, vt nolit adimere duos illos habitus fidei, & spei, sed relinquere quoddam veluti principium recuperandæ amicitiæ, & gratiæ. Illa præterea ratio adiungi potest, quia sumpta ex humanis analogia; rectè intelligimus inimicum Regis credere esse potentem, & misericordem, & atque sperare ab ipso veniam. Fides item per se perficit intellectū solùm, spes voluntatem secundum quemdā amorem concupiscentiæ: quæ duo satis bene conciipientur in aliquo manere, quamuis non sit gratus Deo. Alij habitus, qui absolutè perficiunt voluntatem, & per se denominant habentem bonum, & solent infundi cum gratia, illa ablata, tolluntur. Et licet habitus supernaturales operatiui dicantur esse velut facultates, & potentiæ respectu gratiæ, quæ se habeat tamquam essentia, nihilominus retinendo istam proportionem, manent dicti habitus & potentiæ propter allatam causam. Sed hoc scholasticè tractatur accuratiùs.

Cæcus est, & manu tentans.] Allusio est ad veteres minas Dei[b]: *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis: & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* Similes in libro[c] Iob minæ: *Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie.* Item[d], *Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.* Hoc se impij vel serò fatebuntur expersos multis apud Esaiam[e] verbis rem hanc optimè exprimentibus, nec non apud Auctorem libri[f] Sapientiæ: Cæcutientium cæcorúmque est palpare, vt Isaac fecit[g]; illique *qui errantes in plateis, polluebantur in sanguine* (quem non videbant) *cùmque non possent* (rectè incedere) *tenuerunt lacinias suas*[h] apprehendere tentauerunt lacinias videntium, vt exire possent de locis sanguine pollutis. Esaias de illis agit, qui nimis angi calamitatum suarum causam inquirebant, & in re tamen clarissima hallucinabantur, cùm causa manifestissima quare punirentur, essent ipsorum peccata.

Rectè sanè manibus tentat, palpátque, qui negligens oculos fidei indicantes operum necessitatem, vel nimir eos diligens, contentúsque ad mouere ad opus manus, detrectauit. Meritò intendens, vt ita dicam, defigénsque obturum totum in radios fidei tamquam solis, nec declinans illos, demitténsque ad operandum, cæcitate percellitur, velut reprehensus ab anu Thales impingit, dum fixos altè oculos tenens, non despicit ad ima.

Oecumenius id refert ad aduentum splendidum Christi iudicis, cum tamquam sol fulgurabit. *Tunc improbus*, inquit, *cæcitas obsidetur, quia & iusti ad tantum lumen quamdam veluti sentient (sed sine noxa) imbecillitatem.* Cum reliquis intelligo de præsenti tempore, in quo fidei practicę cognitionem negligens cœcus est, operum rectam rationem non intuens, sed, vt libet, operans, manu tentare censetur, & in interitum, quem non prospicit, præcipitare. Talem verbis Dei cœcum nominat rursus Esaias[i] illum, qui venundatus est, nempe obfirmatus in malo: qui oculos habens[k], cœcus tamen est, & ambulat, vt cœcus, quia Domino peccauit[l], nec propterea scit, aut vult se cœcum fateri[m]. Hæretici, qui gaudent in sola fidei luce, & Gnostici, seu cognoscentes, tantùm volunt esse, & se illuminatos gloriantur, vt quondam Manichæi, *cæci sunt, & duces cæcorum*[n], quos, qui sapit, & Christum audit, non audit, sed sinit[o], ac vitat. Melius forsitan dixisset Petrus cœcatum, quàm cœcum: qui enim cœcus tantùm est, *peccatum non habere eum Christus dicit*[p], scilicet cùm nulla sua propria culpa, non videt, suámque cœcitatem agnoscit, nec se iactat videre, cùm non videat. In exemplum adduci quoque possent excæcati ab Angelo in Sodomis, Elymas a Paulo, Paulus ipse à Christo, Assyrij ab Elisæo.

Solent autem Patres Grǣci γνωστικὸν fortsitan, vt pugnent contra Gnosticos appellatione illa speciosa gloriātes, pro viro perfecto accipere, in quo scientiæ virtus respondeat, & alios quoque valeat erudire. Ita quidem crebrò Clemens[q] Alexandrinus, quem Damascenus[r] citat. Idem verò Damascenus inter hæreticos annumerat omnis scientiæ aduersarios, qui propterea dicerentur Gnosimachi, cum dicerent solas à nobis exigere Deum pias, & probas actiones.

Manu tentans.] Μυωπάζων. Deducit Oecumenius hoc verbum, ἀπὸ τῶν μυῶν à muribus, qui sub terra cœci perpetuo degunt, vt sit idem μυωπάζων quod τυφλώττειν. Approbant Gagneius, & Adamus post Erasmum. Editio Aldina, & aliorum habet per ο, μυοπάζων (quasi sit ab ὀπὴ cauerna τῶν μυῶν murium.) magisque probat Asensed volens deriuari à μύω claudo (quo modo tamen deberet esse ω) quia mures illi, siue salpæ vident aliquid: & qui etiam videt aliquid homo, qualis luscìosus, ductu manuum non eget. Eadem quoque ratione vtuntur Erasmus, & Adamus: fortassis quia talpæ extra cauernas, nihil vident, sed quidquid obuium est, sequi solent, donec cauum nanciscantur, quamuis sub terra nonnihil videre dicantur. Gellius[s] μύωπα luscitiosum interpretatur, qui nempe, vt ait Festus, *ad lucernam non videt, ac interdiu parum*, (quasi dicas μείωπα à μεῖον minus,) vt Fulgentius docet, aut non nisi res ad oculos admouendo, & conniuentibus, atque limis, contractis, & semiclausis oculis, quasi dicas nocturnis, quod aliter explicant per νυκτάλωπα. Varro luscìosum vocat qui vesperi non videt, & est Græcè νυκτάλωψ. Senecæ[t] sunt luscitiosi oculi, qui reformidans lucem. Mauult ibi legi Lipsius, oculos vitiosos. Syriacè hic habetur, cæcus est, quia non videt.

De re ipsa sub nomine primo Aristoteles[u], & Alexander Aphrodiseus[x], deinde de vitio μυωπίας, siue μυωπιάσεως Paulus[y] Ægineta, & Medici alij. Auctor Thesauri Græci præfert recentiorem hæreticam versionem præsentia loci, nihil procul cernens, vel conniuens, & oculos claudēs. Meliùs dixisset (nil prorsus videns) quod manu tentans

Marginalia:
- a 15. de Trin. cap. 18. Fides sine caritate potest esse, sed non prodesse.
- Cur fides & spes maneant possint in peccatore.
- b Deut. 28. 28. 29.
- c cap. 5. 14.
- d cap. 12. 25.
- e cap. 59. 9. 10.
- f cap. 5. 6.
- g Gen. 27. 21. 22.
- h Thren. 4. 14.
- Cæci sunt, qui opera bona fidei non admouent.
- i cap. 42. 19.
- k Ibid. 43. 8.
- l Sophon. 1. 17.
- m Ioan. 9. 41. Apoc. 3. 17. Hæretici qui solo fidei lumine gaudent cæci sunt.
- n Matt. 15. 14.
- o In eisdem cap. 25. 16. 17. 19. 24. 16.
- p Ioan. 9. 41.
- Gnostici qui dicantur à Patribus Græcis.
- q 1. Pædago. c. 6. & Strom. cap. 1. &c.
- r 1. Parallel. c. 25.
- De Verbo μυωπάζων unde dicatur.
- s lib. 4. ca. 2.
- t 3. de benef. cap. 1.
- u Sect. 31. problem. x lib. 1. Problem. in 74. y lib. 3. c. 22.

tentans deootat : maximè cum Dionysius Areopagita, vt Budæus obseruauit, quem ille citat, μυωπάζων vsurpauerit pro cœcutire, & oculos aperire non posse; ac ita etiam idem Budæus Petrum, pro quo tamen Paulum nominat, interpretetur.

Hanc & nos malumus expositionem editioni Latinæ consentaneam; nec aliter ita propriè manu tentare, potest intelligi, nisi de illo, qui nihil penitus videt. Tunc Petrus ad rem magis exaggerandam, quod τυφλὸς facere solet, hoc est, manu tentare, per distinctam vocem μυωπάζων voluit exprimere, nec vitium illud peculiare oculorum dumtaxat significare, de quo diximus; quo modo decresceret potius oratio. Volui & hîc, vt soleo cum licet, interpretes quàm oculatus, ac perspicax fuerit, iudicare.

Obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.] Illustrare possumus cum Oecumenio hanc illa Iacobi [a] sententia: *Quia si quis auditor est verbi, & non factor; hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.* Sic etiam iste, inquit Oecumenius, *cum cognouerit, dum purgatus fuit sancto baptismate, se multitudine peccatorum fuisse ablutum, ac liberatum, & ex ea ablutione sanctitatem se accepisse, cum deberet sobriè agere, & dare operam, vt perpetuò sanctificationem sibi conseruaret, sine qua Deum videbit nemo* [b], *ipse obliuioni hoc mandauit.* Addit Glossa ordinaria, & rectè, illum, qui peccat, mortaliter videlicet, oblitum videri pacti, quod in baptismo cum Deo iniit.

Numquam deponenda memoria præteritorum peccatorum, quamuis remissorum, sed ea recognoscenda, *& semper contra nos* [c], id est, coram, & præ oculis habenda, *atque iugiter cogitandum pro peccato nostro* [d], & *annis recogitandis in amaritudine animæ* [e], vt verus ille pœnitens faciebat, ad renouandum dolorem; ad gratias habendas Deo pro remissione: ad compensandam bonis operibus iniuriam; ad cauendum relapsum: ad magis magisque nos veluti confirmandum, quod obtinuerimus remissionem, aut si fortè nondum obtenta sit, ad obtinendum, quoniam *Delicta quis intelligit* [f]? & *de propitiato peccato non debemus esse sine metu* [g]: ad condolendum, & compatiendum aliis peccatoribus: ad non sinistrè iudicandum de aliis, neque vllum contemnendum: ad animi fastum deprimendum: ad imminuendum gustum mundi huius. *Et recordabimini*, ait Dominus, *viarum vestrarum, quibus polluti estis in eis, & displicebitis vobis in conspectu vestro in malitiis vestris, quas fecistis, & scietis quia ego Dominus, cùm benefecero vobis propter nomen meum, & non secundum vias vestras, neque secundum scelera vestra pessima* [h]. Faciebat hoc Dauid qui dicebat [i]: *cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua. Quem facti sui pœnitet*, scribit Lactantius [k], *errorem pristinum intelligit*, quod Græci dicunt μετανοεῖν, & pœnitentiam μετάνοιαν. Hoc modo, *qui addit scientiam & laborem* [l]: non *aspicit iniquitatem in corde suo* [m], quasi placeat ei, illámve perpetrare velit, sed quam execretur semel factam, seu admissam, & fugiat, ac timeat, ne denuo committat. *Aliud est*, inquit [n] Gregorius, *videre per iudicium, (quod pœnitens facit, damnando seipsum) aliud per appetitum*, quod est peccatoris.

Nec obliuiscũtur Beati peccatorum, nec damnati suorum. Isti pœnitentiam inutilem agunt *præ angustia spiritus gementes* [o]: & eorum oculos, *quos culpa clausit, aperiet pœna*, vt idem Gregorius docet [p], atque vel inuiti dicunt: *Ergo errauimus* [q]; *ascendente nihilominus semper superbia eorum* [r]: pœnáque erit publicatio peccatorum illorum, hic ea oblitos esse, vt post Chrysostomum, quem citant, docent Gratianus [s], Magister [t] sententiarum B. Thomas.

Beati cognoscunt beneficium remissorum peccatorum, læti, certique, quòd non amplius relabentur, & nullo iam dolore de illis perculsi, vt Esaias [u] loquitur, *obliuioni hoc modo tradent angustias priores*, nec habebũt in memoria priora, quæ non ascendent super cor. Mortales maximè meminisse oportet illis de causis, quas antè dixi; sed simul obliuisci, ne repetant. Quin & in memorando cauendum, ne turpium imago præludat, & eorum non oblectatio tantùm, vt præcipiebat Pinufius [x], sed vel recordatio infestet mentis arcana. *Sed caue*, quod idem dicit, *legendum, tunc de præteritis veniam percepisse nos cognoscere, cùm nequaquam cor eorumdem vitiorum illecebris sentimus vel imaginatione perstringi, & audimus internam illam vocem* [y]. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo.* Rarum id est, nec dubium quin similibus vexentur molestiis cogitationum, quibus peccata penitus condonata sunt: licet huiusmodi, quas vocant reliquias, dimitus hæreant; quam [z] idem non ineptè vocat spinam adhuc infixam, & ignem quemdam conscientiæ, & sordium nonnullam labem, aut nubem, aut nebulam, aut funiculum.

Gregorius [a] exponens verba Iob [b]: *Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mũdum me esse non pateris?* docet, diluta culpæ reatu, siue oracula, nos interdum nolentes memoriam eius cum delectatione tolerare, & has esse cicatrices, quas, vt ipse legit [c], Dauid scribit, *computruisse, & deteriorauisse à facie insipientiæ suæ*, id est, fœtorem, ac dolorem de præterita culpa adhuc sentire. Certè tutius est, quò minùs recordetur Deus peccatorum nostrorum, vt magis memores ipsi simus. Thais pœnitens triennio, velut fasciculum fecisse se peccatorum suorum respondit Paphnucio, in quem intuens plangeret continuò, rogarétque quem de nomine appellare non audebat, quia se à magistro, vt appellaret indignũ, didicerat: *Qui plasmasti me, miserere mei.* Salubris *recogitatio annorum nostrorum in amaritudine animæ* [d], pœnitentiam huiusmodi memoria cum dolore *in salutem stabilem operatur* [e]. Petrus ipse memor flebat, quoties galli cantum audiebat, & pannum gerebat ad extergendas lacrymas, quarum fluxu detriti oculi canales veluti effecerant. Cum remittit Deus peccata, nõ amplius cognoscit, quia non sunt; neque hac ratione meminit, is qui alioqui peccata dicit *condita apud se esse, & signata in thesauris suis* [f], nec non *recensere* (tanquam scrinij Commentarios reuoluendo) *quæcumque fecerint peccatores* [g]. Immo nec remissa vnquam redeunt; sicut redeunt merita. Nihilominus meminisse, reminisci, recordari quandoque dicitur eorundem etiam remissorum, si pœnas pro illis reposcat, quas adhuc ipsi debemus. Idcirco aliquoties oratur, *ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum* [h]: *ne reminiscatur delicta nostra, vel parentum nostrorum* [i], videlicet vindictam sumẽdo. Deus quoque id sibi vult, cum pollicetur *se non recordaturum peccatorum nostrorum* [k]: immo & cum addit *se deleturum* [l], idem significare potest, vt scilicet reatum quoque pœnæ temporalia tollat. *Ego sum* [m], inquit, *ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter*

Mens tentans ... dicatur.
a Iac.1.23.24.
b Heb.12.14.
Numquam deponenda memoria præteritorum peccatorum.
c Psal.50.5.
d Psal.37.19.
e Esa.38.15.
f Psal.18.13.
g Eccli.5.5.
h Ezech.20.43.44.
i Psal.118.59.
k Lib.6.c.24.
l Eccles.1.18.
m Psal.65.18.
n 22. Moral. c.4.
Damnati frustra peccatorum obliuiscuntur, non Beati.
o Sap.5.3.
p 33. Moral. c.2.
q Sap.5.6.
r Psal.73.23.
s de pœnit. d.1.ca. quis aliquando.
t 4.dist.43.ar.5.
u c.65.16.17.
Turpium peccatorum non memoranda cogitatio.
x Cass. coll. 20.cap.5.& 7.
y Iere.31.16.
z cap.7.
a 9. Moral. c.31.
b cap.10.14.
c Psal.37.6.
d Esa.38.15. Pœnitentia quæ stabilem salutem operatur.
e 2.Cor.7.10.
f Deut.32.34.
g 2.Reg.05.2. Peccata semel remissa numquam redeunt.
h Psal.78.8.
i Tob.3.3.
k Esa.43.25. Ezech.18.22. Heb.10.17.& alibi.
l Esa.43.25.
m ibidem.

me, & peccatorum tuorum non recordabor. Sed subdit, quid exigat à nobis, vt notauit Cassianus [a]: *Reduc* [b] *me in memoriam, & iudicemur simul*: legit ipse secundum LXX. *Tu verò memento.* Qui priùs vocabatur Adam, deinde post peccatum, appellatus est Enos, id est, obliuiosus, vt exponit Eusebius [c]: quo videtur Dauid allusisse, dicendo [d]: *Quid est homo* (Enos) *quod memor es eius?* (vt nimirum beneficiis afficias) Facile in posteris Adæ obliuio ista hæret.

Inter alia multa, quæ populo suo Deus exprobrat apud Ezechielem [e], illud tamquam culmen ponit: *Et post omnes abominationes & fornicationes nō es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nudata, & confusione plena conculcata in sanguine tuo.*

Ecclesia tantæ rei vtilitatem cognoscens, iubet nos Dominicis diebus post Pentecosten in septimo Responsorio recitare: *Iniquitatem meam ego cognosco* [f]. Meritò etiam initio Missæ præmittitur confessio, & in Completorio, & ad Primā horam. De hac sententia multis differit Iulius Mazzarinus Italico sermone psalmum quinquagesimum exponens. Non obliuiscitur accusator Diabolus, sed notat diligenter omnium peccata, vt proditum est multis historiis: & tamen in iis etiā est, vel penitus oblitum, vel non permissum illa in Energumenis aliorū manifestare peccata, quæ confessi essent, vel si ante manifestauerant, profiteri se tunc mentitos esse [g].

Catharinus nullam semper non captans occasionem persuadendi, suam illam sententiam de notitia gratiæ, quam iustus habeat, hinc argumentatur: quoniam qui obliuiscitur se fuisse à peccatis purgatum, quod fit per gratiæ acceptionem, iam hoc priùs sciuit. At sufficit probabilis coniectura, quæ non sinat esse nimis anxium, vt sæpè dixi.

Purgationis veterum suorum delictorum.] Vetera intelligit priora, licet non ita pridem facta, vel etiam originale vetustissimū propter primos parētes, reliquorum actualium seminarium quoddam. Addit Hugo, quia peccata faciunt nos inueterascere, iuxta illud [h], *inueteraui inter omnes inimicos meos*: & [i], *inueterasti in terra aliena.* Sed hæc mystica potiùs quàm ad litteram. Per metonymiam peccata purgari dicuntur hîc, & in epistola ad Hebræos [k], & in Prouerbiis [l], & ab Esaia [m] dealbari, & ablui sordes, atque lauari sanguinem [n], & ab Anania ablui peccata [o], non quasi peccata ipsa purgentur, & dealbentur, & abluantur, atque dealbata, abluta, purgatáque remaneāt: Sed quia hi, in quibus erant, mundi prorsus, & puri redduntur per Iustificationem, ita vt *nihil supersit damnationis iis, qui sunt in Christo Iesu sanctificati* [p], nullum penitus propriè dicti peccati vestigium, vel vmbra.

Modus autem ille dicendi demonstrat efficaciam baptismi, & pœnitentiæ, vt si fieri posset, ipsamet peccata purgaret, ablueret, ac dealbaret. Clarius dixit Dauid [q], *deleri iniquitatem, lauari se ab iniquitate, mundari à peccato*, & Deus apud Esaiam [r], *delere se iniquitatem*, & quidem vt nubem, ac nebulam [s]: & Paulus [t] *nos ablui, sicut & sanctificari*, ac iustificari, atque *Ecclesiam mundari* [u], vel populum [x], *& exhauriri peccata* [y]: & Ioannes Baptista [z] *tolli peccata*: Ioannes Apostolus [a] *lauari nos à peccatis*: Ezechiel [b], *mundari ab inquinamentis, & ab Idolis*: Michæas [c], *deponi iniquitates nostras, & proiici in profundum maris peccata.* Rursum Psalmographus: *Quantùm distat ortus ab occidente, longè fieri à nobis iniquitates nostras* [d]. *Si quæratur peccatum, non inueniendum* [e]. Hæc, & his alia complura similia probāt non velari, aut incrustari, ac solùm per externam non imputationem, vel imputatam nobis iustitiam Christi peccata dimitti, vt loqui solent hæretici.

Valent ad confirmandum idem voces renouationis in spiritu, regenerationis, creationis, innouationis, nouæ creaturæ, nouitatis vitæ, noui hominis, resurrectionis spiritualis, diffusionis, siue infusionis gratiæ. *Dicimus* [f], ait Augustinus, *baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere.* Obiicientibus quoque Pelagianis, asserere Catholicos non verè homines nouos facere baptisma, id est, non plenam dare remissionem peccatorum, sed ex parte Filios Dei fieri, ex parte autem filios seculi, id est, Diaboli remanere: respōdet, mentiri, insidiari, tergiuersari [g]. Innumerabiles alij eiusdē proferri possent loci, & aliorum Patrum. Timeant Catholici hoc anathema [h]: *Si quis dixerit homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur* [i], *atque illis inhæreat: aut etiam gratiam qua iustificamur, esse tantùm fauorem Dei, anathema sit.* Sed & capite primo aliquid hac de re diximus in Scholis Theologicis fusè.

Possumus purgationē istam peccatorum comparare aliquo modo cum purgatis Esaiæ labiis à Seraphim [k]. Damaso scribit Hieronymus [l], quod quidam Græcorū in Scripturis apprimè eruditus, Seraphim virtutes quasdā in cœlis esse exposuit, quæ antè tribunal Dei assistentes laudent eum, & in diuersa ministeria mittantur, maximéq; ad eos, qui purgatione indigent, & ob pristina peccata aliqua ex parte suppliciis purgari merentur.

Vers. 10.] Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera vestra certam vestram vocationem, & electionem faciatis, hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.

NOn solùm bonis vacandū operibus, ne conuincamur, si hoc non fecerimus, in tenebris versari, cœcique esse, ac non satis meminisse ex quantis peccatorum tenebris per Dei gratiam reuocati fuerimus; quod prioris continetur sententia versus, sed vt præterea nosmet magis certos, ac firmos reddamus in diuina vocatione, atque electione, respondentes tantæ benignitati erga prorsus immeritos, neque committentes, vt quia nihil de re tanta cogitantes *præuenti sumus tanta benedictione dulcedinis* [m], nihil etiam nobis agendum putemus deinceps; cum potius huiusmodi beneficij ratio sedulam flagitet in rectè factis diligentiam, qua vocanti, & eligenti nos Deo aliqua ratione satisfaciamus; neque frustra sit adeo benignè vocatos, & electos esse, si eo, vnde vocauit, ac elegit, peccando reuoluamur.

Quapropter fratres magis satagite.] Inseritur Græcè *ἀδελφοὶ fratres* inter *magis*, & *satagite*, *διὸ μᾶλλον ἀδελφοὶ σπουδάσατε*, vt videatis *magis* esse non augētis, sed corrigētis, quasi dicas, potius satagite, siue studete, date operam, curate. Non impedit tamen interpositio illa, quin referri queat *μᾶλλον* ad *σπουδάσατε*, vt omnes faciūt præter Erasmū, Vatablū, sensus vtrouis modo parū discrepat. Vult Petrus, vt magis, potiúsve studeāt per bona opera sese in

[a] coll. 20. c. 6.
[b] Isaiæ 26.
[c] 11. de præpa. 12. cap. 4.
[d] Psal. 8. 5.
[e] cap. 16. 22.
[f] Psal. 50. 5. *Confessio initio Missæ cur præmittatur.*
[g] Vincent. in speculo histor. lib. 9. cap. 93. & seq. Cæsarius 3. Mir. ac. cap. 2. & 3. Sur. in Vita Nortberti, cap. 39.
[h] Psal. 6. 8.
[i] Baruc. 3. 11.
[k] cap. 1. 3.
[l] cap. 15. 27.
[m] cap. 1. 18.
[n] cap. 4. 4.
[o] Act. 22. 16. *Peccata quomodo purgentur, & dealbentur.*
[p] Rom. 8. 1.
[q] Psal. 50. 3. 4. 11.
[r] cap. 43. 25.
[s] cap. 44. 22.
[t] 1. Cor. 6. 11.
[u] Eph. 5. 26.
[x] Tit. 2. 14.
[y] Heb. 9. 28.
[z] Ioan. 1. 29.
[a] Apoc. 1. 5.
[b] cap. 36. 25.
[c] cap. 7. 19.
[d] Psal. 102. 12.
[e] Psal. 9. 15. secundum Hebræos. *Peccata non per solam non imputationem dimittuntur.*
[f] 1. cont. duas ep. Pelag. c. 13.
[g] lib. 3. cap. 3.
[h] Conc. Trid. sess. 6. cap. 11.
[i] Rom. 5. 5.
[k] Esa. 6. 7.
[l] epist. 146. *Seraphim qui & quales Angeli sint.*

vocatione,& electione stabilire, ne vmquã obliuionem capiat remissionis veterum delictorum, vt proxime ante dixit; vel vt studium bonorum operum, quibus illud ipsum consequantur, pluris faciant, quàm nudã cognitionem, quæ sola Gnosticis curæ erat.

Nec improbabiliter aliqui dicunt indicari per opera supererogationis reddi magis certam vocationem & electionem, atq; volentibus huiusmodi certitudinem sibi cõparare, opus esse, non simplici mãdatorum obseruatione contentũ esse, sed conatum altiùs dirigere, ac intendere, vt solent iaculatores vltra scopum, ne aberrẽt, à scopo sagittam dirigere. Idem verbum *satagere*, inferius capite tertio [a] eidem Græco σπουδάσατε respõdet. Vbi autem legimus quod *Martha satagebat* [b], est περιεσπᾶτο *distrahebatur, angebatur*, Syriacè [Hebrew] *bhantia*, quod etiam significauit in Christi reprehensione [c] verbum μεριμνᾶς, & aliud τυρβάζῃ. Est enim μεριμνᾶν quasi μερίζειν τὸν νοῦν.

Hoc loco requiritur diligẽs ac sedula, laudabilis cura, vt pote in re tãti momẽti. Michæas [d] exigẽs dolorẽ de peccatis ait: *Dole, & satage filia Sion, quasi parturiẽs*: licet fortassis per se loquatur de captiuitate Babylonica: sed illa typus fuit eius, quæ propter peccatum est sub diabolo, Græcè ὤδινε καὶ ἀνδρίζου, *Dole, & viriliter age*. Hebr. חולי *chuli, impremare* וגחי *vagochi & ingemisce*, quod secundũ Chaldaicè redditur [Hebrew] *zubhi, contremisce*. Verbum satagere significat angi, ac distorqueri difficultate alicuius rei perficiendæ: festinare cum cura, & sollicitudine. Sic Quintilianus [e] refert de Mallio Suta, qui multùm in agẽdo discursabat, saliebat, manus iactabat, togam deiiciebat, & reponebat, Afiũ dixisse *non agere, sed satagere*. Græcè Lipsius [f] arbitratur ἀγωνιᾶν dici, quod Latinè *satis agere*, idque Latinum verbum restituit apud Gellium [g] pro satis angerentur, aut agerentur, afferens alium eiusdẽ locum [h]: *Tum postea complorantibus nostris omnibus, atque in sentina satis agentibus*.

Vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.] Quamuis in Græco textu bona opera expressa nõ essẽt, satis causæ fuit Interpreti cur adderet, ob præcedentis contextum sententiæ, & quia satagere, ac σπουδάσαι sine operibus nõ intelliguntur. Tres citat codices Græcos Robertus Stephanus, in quib. ita legitur: Σπουδάσατε ἵνα διὰ τῶν καλῶν ἔργων βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν, καὶ ἐκλογὴν ποιῆσθε: & sic etiã legit Marcus monachus, qui vixit anno Domini trecentesimo, paulóq; amplius. Antonius [i] Melissa, Græcus quoq; antiquus auctor, etsi non legit, opera, tamen intelligit de operibus hunc locum, immediatè subiiciẽs illud Iacobi [k]: *Fides, sine operibus mortua est*.

Communis lectio nunc est: Σπουδάσατε βεβαίαν, &c. ποιῆσθαι, omissis bonis operib. Latinã sequũtur Latini omnes, iis exceptis recentioribus, qui codices Græcos quos viderunt, sequi solent, vt Erasmo cũ Hæreticis, Caietano, Vatablo, Clario, Adamo, Gagneio, &c. Hi hoc mihi nomine displicent, cùm Catholicos oporteat esse benigniores, ac æquiores erga vulgatam editionem, atq; magis abhorrentes ab Hæreticorum sensu, in iis maximè, quæ fauent erroribus ipsorum. Vnus error est sæpe superius refutatus, nõ esse necessaria bona opera, sed solã sufficere fidẽ. Lutherus tametsi epistolam istam Petri recipit, expungit illud: (*per bona opera*) quin etiam in eiusdem epistolæ Præfatione per fidem nobis monet certam reddi vocationem, quamuis Petrus reclamet.

Simili de causa Lutherus ex eo loco epistolæ Pauli ad Thessalonicenses 1. [l] *hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione*, postrema verba expũxit, scilicet nolẽs abstinere à fornicatione: & ex alio epistolę ad Ephesios [m]: *accipite armaturã Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnib. perfecti stare*, deleuit quod de perfectione præscribitur, quæ ipsi nimis grauis ac molesta visa est.

Hoc igitur primum sit, quod ex isto loco debemus colligere, necessitas operum ad salutẽ, quam necessitatem satis quoque per se probat verbum *satagere* & σπουδάζειν. nam circa fidem non est opus tãto studio: immò qui habet illam, vt voluot Hæretici, simul certus est se habere, ac se per eam solam iustum esse; & habitam semel iustitiã istam perdi non posse.

Docemur hinc preterea, iustorũ posse esse, opera verè ac propriè bona, diuinę vocationi, & electioni apta, quibus etiã, vt sequenti versu dicitur, *ministretur illis introitus in æternum regnum*. Illud quoque necessariò sequitur, in nobis esse libertatem arbitrij, aliòqui frustra satageremus, & id hortaretur Petrus, vt efficeremus: nec potest bonitatis moralis ratio meritique conuenire operibus non liberis. Adhæc, eadem Petri ista adhortatio facit, vt vocatio, ac electio si placeat pro prædestinatione sumere, pendeat ab operibus nostris bonis: quia *solis mandata seruantibus ingressus ad vitã conceditur* [n]. Sed vocat, & eligit Deus, quia vult, non propter illa opera: vt autẽ illuc perueniant vocati, electi, prædestinati, quo ipse vult, inter media, conditionesque decreuit eadem opera, quibus faciendis gratiam præbet efficacem, præsciẽs liberum, sed infallibilem concursum nostræ libertatis tali gratia cum certis circumstãtiis præsente Hoc pacto pendet prædestinatio à nostra voluntate, & est in nostra potestate: sed nõ absolutè, vt nẽpe significat primam electionem, & vocationem, cuius in nobis neque causa, neque conditio est, sed est ex mero beneplacito diuino.

Deinde, si satagendũ per bona opera, vt certam nostram vocationem & electionem faciamus; non sumus ergo certi, cũ vocamur, & eligimur, & iustificamur, tantũ abest, vt ea ipsa fide, quę nos sola iustificet, id credere debeamus [o], quod Hæretici cõtendũt. Illa porrò certitudo de vocatione, electione, iustitia nostra, quã possunt opera bona parere, non eximit, etiãsi non sit diuina, & ex fide, omnẽ prorsus dubitationẽ, vt asseuerat Catharinus. Magnam cũ probabilitate, & verisimilitudine coniecturã, vt omnes hîc expositores notant, fiduciam ingenerant opera bona ad pium timorem, & diligentem tuẽdæ salutis curam relinquunt, ac exigunt etiã. Quod si electio prædestinatio est, idem de hac affirmare Catharinus deberet, quod minimè tamen facit. Hac de re lege potissimũ Idiotã [o]: ego verò plura disputaui Tractato de Gratia, & in Cap. IX. Ecclesiastæ [p]. Quin potius cùm satagere iubemur per bona opera certam facere siue firmã βεβαίαν vocationẽ, & electionem, innuitur nobis nos à semel habita iustitia excidere posse: cui oppositum errorẽ tãto ante nostri temporis Hæreticos notauit hoc loco Carthusianus in quodã eius expositorore, dicẽte hoc ipso quod quis esset in gratia, oportere vt esset electus. Nã licet prædestinatio sit omninò certa, & immutabilis, vt nobis tamẽ inotescat, & certa fiat eo quo potest modo in hac vita secũdum ordinariã legẽ Dei, & sine peculiari reuelatione, confert multum cognitio, & moralis quædam

[Marginalia, left: Opera supererogationis certam efficere vocationem, et electionem. — [a] vers. 14. — [b] Luc. 10. 40. — [c] Ibidem 41. — [d] cap. 4. 10. — Quid sit satagere. — [e] lib. 6. cap. 4. — [f] 1. electo. c. 21. — [g] lib. 1. c. 8. — [h] lib. 19. c. 1. — Etiamsi Græci expressa nõ sint bona opera, admitte tamen interpres potuit. — [i] serm. 2. tom. 5. Biblioth. Pat. — [k] cap. 2. 16.]

[Marginalia, right: [l] 1 cap. 4. 3. — [m] cap. 6. 13. — Opera bona sunt ad salutem necessaria. — Liberum arbitrium esse in nobis. — [n] Mat. 19. 17. Prædestinatio quomodo ex operibus pendeat. — Opera bona vera certam reddunt vocationem, et electionem. — [o] lib. 5. Contempla. c. 21. — [p] vers. 1. — Prædestinatio certa, sed non est fons ex iustitia.]

quædã persuasio nos gratia iustificante præditos esse, nec si habuerimus, eã amisisse, cũ amitti possit. Item quamuis præordinatio diuina mutari nequeat, potest aliquis effectus eius, qualis est iustitia, & opera nostra, vt S. Thomas [a] docet, refellẽs tamen illos, qui superflua putabant opera ad salutem consequendam: tum quòd per orationes nostras posset mutari prædestinatio diuina. Nã prædestinatio nõ subtrahit causas secũdas, & sub illa sunt ea, quæ promouẽt salutem prędestinati, inter quæ numerantur bona opera nostra, *de quibus*, inquit, *Petrus loquitur, quæ adiuuant, nõ impediunt prædestinationem.* Quamquã probabilis est expositio præsentis loci, nõ de certitudine subiecti, sed obiecti, vel vt non tã nobis, quàm aliis, quod Oecumenius docet, Vatablus, ac Beda, ex quo Glossa Ordin. Hugo, Thomas Anglicus, Carthusianus, certam faciamus & cõpertam (id etiam significat *βεβαίαν*) vocationem, & electionem nostram per bona opera; quæ nempe alij considerãdo, bene de religione Christiana sentiant, ad quam vocati, & electi sumus, & ad eandem amplectẽdam impellantur, vt non semel priore epistola dictum est.

a 2. 2. q. 23. a. 8.

Prædestinatio nõ subtrahit causas secundas.

Catharinus negat esse sermonẽ de prædestinatis, quia nec Petrus prędestinatos sciebat, ad quos scribebat: nec, si sciebat, intererat illis id reuelare. Ergo ait loqui Petrum de vocatione, & electione per quam de multa hominũ turba eripiũtur aliqui, & eliguntur ad notitiam fidei, & Christi. Nõ displicet hoc: sed quod subdit, nostrum esse per opera bona accedere ad gratiam Prædestinatorũ, etsi non simus in eo numero. Eget hæc res vberiore sermone: iam verò passim exploditur eiusmodi sententia.

Adamus explicat, vel vt compertum habeãt se vocatos ad Fidem, electos vt capessere possint felicitatem, nec opus esse mystagogiis Simonis Magi: vel nil aduersus eum, & Gnosticos ita munire, & immotum reddere, atque vitæ bonæ studium. Tradit Asel eadem, sed pluribus verbis. Iam pridem dixi, electionem quandoq; dici etiam de non prædestinatis, cum nempe aliqui seliguntur, vt Fidei cognitione imbuãtur inter tot alios infideles, & plura habeant proposita gratiæ auxilia. Lege de hoc loco Gabrielem Vasquez [b].

Electio quandoque dicitur de nõ prædestinatis.

b 1. par. Tom. 1. disp. 92. cap. 1. & 3.

Quocumq; velimus modo præsentem locum interpretari; manere fixum debet, neminem sine operibus bonis salutem adepturum; ac Deum & prænouisse, immò & prædestinauisse hos & illos fide, & opere suos futuros. Stultus habitus ille, de quo narrant, cum Minerua victoriã pollicita fuisset, armis licet instructus esset, tamẽ iis vti noluisse, ideóq; vulneribus exceptis victum discessisse: quærenti autẽ promissi præstationem defuisse: responsum datum: *Dij facientes adiuuant: cum Minerua manum admoue.* De his Auctor Adagiorum, nõnulla similia præterea referens.

Certam.] *Βεβαίαν.* Dixi de duplici notione pro firma, & pro cõperta: & spectari potest, vel in intellectu, vel in effectu; quod vocamus firmum voluntatis propositum. Paulo post [c] reddit Interpres *βεβαιότερον firmiorem* (*λόγον*) sermonẽ; & alibi [d] *βεβαίαν firmam* (*ἐπαγγελίαν*) *promissionem*, & *spem* [e] (*ἐλπίδα*): vel *fiduciam* [f] *παῤῥησίαν*: vel *sermonẽ firmum* [g] *βέβαιον*: vel *testamentum confirmatum* [h] *διαθήκην βεβαίαν*. Eodem quoq; modo vertit verba *βεβαιοῦν*, ac *βεβαιοῦσθαι*, & nomen *βεβαίωσις*, *confirmare* [i], *& confirmari* [k]: *siue stabilire* [l], *atque confirmatio* [m]: quæ etiã apud Rhetores & Philosophos vsurpatur.

c vers. 19. d Rom. 4. 16. e 2. Cor. 1. 20. Heb. 6. 19. f Heb. 3. 6. g Heb. 2. 2. h Heb. 9. 17. i Rom. 15. 8. 1. Cor. 1. 8. 2. ep. 1. 21. Marc. vlt. 20. k 1. Cor. 1. 6. Coloss. 2. 7. Heb. 2. 3. l Heb. 13. 9. m Philip. 1. 7. Heb. 6. 16.

Ergo certitudo ac firmitas cõsistit in eo, vt quis benè agendo, magis se firmũ reddat in fide, ac spe: & præterea in proposito siue voluntate nunquam se separãdi à charitate Christi [n]. Qua de re Paulus quando se certum dicebat [o], de magna fiducia potest explicari, prout sonat τὸ πέπεισμαι (quod etiam exponit Hieronymus [p]) *confido*, nec nõ Ambrosius [q], nempe vt iuuet Deus, nec deserat.

n Rom. 8. 35. o ibidem 38. p ad Algas. q. 9. q in Commen. huius loci.

Hæc enim facientes, non peccabitis aliquãdo.] Οὐ μὴ πταίσητέ ποτε, non labemini, nõ cadetis, non offendetis, quemadmodum vertit idem verbum Interpres alibi [r].

r Rom. 11. 11. Iaco. 3. 2.

Planè certũ, nõ cadere, qui bona priùs enumerata facit opera, nec excidere à gratia diuina, licet leuiter, ac venialiter possit peccare. Et quia gratia non est otiosa, qui huiusmodi semen habet diuinum, vt ait Ioannes [s], nósque cùm illum interpretaremur, ostẽdimus, peccare non potest. Tanta vis est gratiæ, quamlibet paruæ, vt nullum patiatur peccati cõsortium mortalis, quod pati potest virtus moralis acquisita, & vt ea præditus nullo modo peccare aut debeat, aut velit, quatenus eius dictamen, impulsũve sequitur: & vt per eam resisti possit cuiuis licet magnæ tentationi, quemadmodum B. Thomas [t] docet: etiam si perseuerantiæ donum sit magis peculiare, nec omni iusto ex vi solius ordinariæ gratiæ concessum.

s 1. ep. 3. 9.

Tãta vis est gratiæ vt nullum patiatur mortale peccatum.

t 1. 2. q. 63. a. 2. ad 4. q. 70. a. 4.

Ceterùm fieri nihilominus potest, vt etiã Prædestinatus, qui sit simul iustus peccet grauiùs, & gratiã amittat aliquando, sed ante mortem recuperaturus illam. Oppositum in Ioviniano errorẽ damnatũ Romæ refert Hieron. [u] ac in Africano quodam Concilio; & lõgè post in Vvicleso damnauit Concilium Constantiense. Nos ipsi eãdem de re plura citato loco, & alibi, cõtra nostri quoq; temporis Hæreticos Aduersus omnes, extãt Concilij Tridẽtini Canones in sessione sexta, præsertim XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XXII. XXIII. XXVII. XXVIII. quibus decernitur nõ esse necessarium, vt quis certò credat sibi remissa peccata, & se esse iustificatum, aut prædestinatum, vel habiturum perseuerãtiæ donum vsq; in finẽ: vel solos Prædestinatos iustificari: vel sine speciali auxilio Dei perseuerare posse in accepta gratia: vel iustificatum non posse ampliùs peccare mortaliter, gratiàmque amittere: vel posse numquam veniale peccatum committere sine speciali priuilegio: vel solam infidelitatem esse peccatum mortale, aut certè per illam solã amitti gratiam: vel amissa gratia semper amitti fidem.

Prædestinatus gratiam amittere potest, sed eam ante mortem est recuperaturus.

u 1. contr. Iou.

Nimis angustè Adamus, & Asel præsentẽ locũ accipiunt de peccato infidelitatis, siue lapsu in errores Gnosticorũ, aut quod hi errores, ac Hæretici nõ sint iis, quibus Petrus scribit, offendiculum, petráve scandali futuri, si se in bonis operibus exercuerint, quæ videlicet qui prætermittunt, naufragium sæpe patiuntur circa fidem [x].

x 1. Tim. 1. 19.

Communis ceterorum expositio est, quam attulimus. Neque Græcũ fauet aliis verbum, quod Iacobus vsurpauit [y], loquẽs de quouis peccati genere, etiã de veniali, cùm scribit: *In multis offendimus omnes*: Πολλὰ πταίομεν ἅπαντες. Quare nõ significat tantùm offendere ac impingere cum casu, lapsu, ruina in petram. Non etiã placẽt mihi Caietanus, Catharinus, Vatablus, Salmerõ, qui malunt nos vti verbo labendi, & exponere de iactura gratiæ, vocationis, electionis: sunt hęc cũ peccato coniuncta, sed præstat, quoad fieri potest, tueri partes Interpretis nostri. Quamquam citans hunc Ambrosius [z] locum, & Idacius [a], legunt *errabitis*, vnde nonnihil innatur illa alia expositio.

y cap. 3. 2.

Quid sit offẽdere.

z 3. de Fide, cap. 6. a contra Varimadum.

Verf. 11.] Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti.

HIc fructus maximus bonorum operum, introeundi poteſtas in poſſeſſionem ſempiternæ felicitatis, per abũdantẽ & copioſam gratiam, quæ ſuppeditatur à Deo exercentibus ſe in dictis operibus, quamquam ipſimet ſibi per eadem promerentur. nam *ipſa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici,* inquit Auguſtinus [a]; perfectione illa, quę hic cuiq; cõtingit, & perfecto eius fructu beatitudinis. Beda, quod dudum ante notauimus, in præcedentibus octo veluti gradibus, virtutum, obſeruat alluſionem ad octo gradus templi apud Ezechielem [b]: & cõfirmat verbis Pſalmi [c]: *Aſcenſus in corde ſuo diſpoſuit, &c. ambulabunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion.* Sic enim ipſe legit.

Abundanter.] Πλουσίως. Opulentè, *diuiter*, ſcilicet ab illo *qui diues eſt in miſericordia* [d], *& diues in omnes qui inuocãt eum* [e]: *& ſua inopia diuites nos fecit* [f]: & *vitam voluit vt abundantius haberemus* [g]: & *Spiritum ſanctum abundè* [h], & *menſuram daturus eſt in ſinum noſtrum etiam ſupereffluentem* [i], præſtãs pro hac interim mortali ſuſtinenda quoq; vita nobis omnia abundè ad fruendum [k]. Legit recitans hunc locum Ambroſius [l] *abundantius.* Abundantiæ gratię reſpõdet copia maior beatitudinis: redundat quoque propter exemplum in alios, quo quiſque melior eſt. Abundantia item in dicto introitu poteſt deſignare firmam poſſeſſionem beatitudinis. Denique videtur Simonis errori occurri, non ſufficere Chriſtum, & ab Angelis ipſius impediri poſſe ingreſſum in cœlum. Sed & abundantia innuit acceſſionem nouę gratiæ accepta benè vtentium, *quoniam habenti datur, & abundat* [m].

Miniſtrabitur.] Ἐπιχορηγηθήσεται. Verſu quinto dixerat: *Miniſtrate in fide virtutem, &c.* ἐπιχορηγήσατε. Miniſterium reſpondet miniſterio: danti datur [n]. Tamen miniſtratio hæc in Deo non eſt, vt ſonat Latinum verbum, tamquam miniſtri, & inferioris: cùm ſit Deus princeps cauſa, voluntas autem noſtra, licet etiam ipſa vera cauſa, non inſtrumentum dumtaxat Dei reſpectu, comitãs, non ducens; pediſſequa, non præuia, vt Auguſtinus [o] loquitur. Lege quæ notata ſunt verſu quinto. Vtuntur Latini verbo miniſtrãdi pro verbo ſuppeditandi, & Deo ipſi tribuunt.

—Deus ipſe faces, animúmque miniſtrat [p].

& [q], *Iuno vires, animúmque miniſtrat.*

Hugo, ac Thomas iſto verbo putant indicari merita propria, propter quæ tamquam dominis miniſtretur beatitudo, quo modo non iis, qui nil meriti diſcedunt vt pueri. Subtilius, id eſt, quamuis & Chriſtus ipſe dixit, quod in illa beatitudine *tranſiens paterfamilias miniſtrabit* [r].

Introitus.] Ἡ εἴσοδος. Ante aduentum Chriſti nulli patuit hic introitus, ſed ſicut Paradiſi terreſtris poſt Adæ peccatum aditus clauſus erat [s], ita nulli felicitatis perceptio concedebatur. Is, *qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo* [t], & mox à baptiſmo quem accepit, vidit cœlos apertos [u]: latronem admiſit in Paradiſum [x], hoc eſt, in beatificam viſionem Dei, quæ vbicunque percipiatur, paradiſus eſt, ſed eam in Iuſtorum Limbo, ſiue in ſinu Abrahæ Iuſtis, ac latroni ipſi eo die Chriſtus exhibiturus erat, vt rectè Maldonatus docet [y], non ſatis benè à Thoma Maluenda confutatus [z]. Introitus in cœlum, vbi Chriſtus in illud aſcendit, poſtea factus eſt, eóq; Iuſtos defunctos deduxit: & deinceps illuc migrant alij iuſti defuncti, qui nil, quod luant, pœnarum habent.

Sanguis Chriſti clauis eſt Paradiſi [a]: terram viuentium, quam primus Adam perdidit, ſecundus inuenit, ac reſtituit [b]. *Nondum erat propalata ſanctorum via, adhuc primo tabernaculo ſtatum habente* [c]: flammeum gladium, atque verſatilem [d] Crux ſuſtulit, vt Coſmas Ieroſolymitanus [e] canit. Gloſſa Interlinearis introitus nomine virtutes intelligit, quarum exercitio introit quis in regnum Dei.

In æternum regnum.] Εἰς τὴν αἰώνιον βασιλείαν, & in aliis codicibus, Εἰς τὴν ἐπουράνιον *in cœleſte.* Ambroſius [f], *in æternum imperium*, nec non Idacius [g]. Synonyma ſunt imperium, regnúmque.

Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti.] Τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ambroſius: *Dei, & Domini noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti.* Idacius duntaxat *Dei.* Hic hinc probat Patrem imperare, teſtimoniis aliis allatis pro Filio, & Spiritu ſancto: Ille hoc ex loco argumentatur aduerſus Arianos, Patris, ac Filij regnum non eſſe diuiſum, ſed æquale, idémque amborum; ac proinde conſubſtantiales eſſe; cùm non poſſit Patris, quem dicunt Ariani Filio maiorem, ius regni minoris eſſe, nec Filij, ſi minor eſt ſecundum diuinitatem, regnum eſſe æquale.

Hoc regnum æternum, atque cœleſte dicitur eſſe Chriſti, quod ei diſpoſuit Pater [h], *faciens Regem regum* [i], *& conſtituens ad dexteram ſuam* [k] *in cœleſtibus ſuper omnem principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro* [l]: & *dans ei diademata multa* [m], ita vt *vigintiquatuor ſeniores*, qui ſanctiſſimos quoſuis deſignant, *mittant ante ipſum coronas ſuas* [n]: & quicunque ibi regnant, dicantur *regnare cum illo, & conſedere in cœleſtibus cum eo* [o]. Idem Chriſtus regnum idem, vt homo, ſibi comparauit, non quidem pro ſe, quatenus beatificam viſionem includit, qua numquam caruit, & quæ collata eſt animæ ipſius cum gratia ex vi vnionis hypoſtaticæ, ſed pro ceteris Beatis, ſaltem hominibus.

Angelus prædixit Mariæ hoc regnum Chriſti, cuius non eſſet finis [p]: Chriſtus licet fugerit volentes eum facere [q] regem, & reſponderit Pilato, *regnum ſuum non eſſe de hoc mundo*: tamen ſe a tributo [r] ſoluendo liberum dixit, velut regis filium [s], & Pilato faſſus eſt ſe regem eſſe [t]: nec non ſancto latroni [u], & regni ſui ad Diſcipulos mentionem fecit [x], & de regno Patris ſui [y]. Vocat Paulus *hereditatem (felicitatis) in regno Chriſti* [z], *& regnũ Filij dilectionis Dei* [a], & regnum illius abſolutè cognominando [b] cœleſte. Denique poſſeſſionem huius regni publicè dabit in die Iudicij Filius hominis rex, *ſedẽs ſuper ſedem maieſtatis ſuæ* [c], *iis, quibus paratũ eſt* [d], *videlicet à Patre: cuius etiam dixit, & non ſuum, dare ſedere ad dexteram, & ad ſiniſtram* [e], quatenus, vt aliàs [f] dixi, per attributionem Patri conuenit prædeſtinatio, prouidentia, & gubernatio, *ad quam pertinent quoque tempora, & momenta, quæ Patrem poſuiſſe dixit Chriſtus in ſua poteſtate* [g].

Gratia meretur augeri, & aucta perfici.
a epiſt. 106.
b cap. 40. 31.
c Pſal. 83. 6.
d Epheſ. 2. 4.
e Rom. 10. 12.
f 2. Cor. 8. 9.
g Ioan. 10. 10.
h Tit. 3. 6.
i Luc. 6. 38.
k 1. Tim. 6. 17.
l 3. de Fide, c. 6.
Abundantiæ gratiæ reſpondet maior copia beatitudinis.
m Matt. 25. 29.
n Luc. 6. 38.
o epiſt. 106.
p Virg. 5. Æne.
q Æneid.
r Luc. 12. 37.
Ante Chriſti aduentum clauſus fuit regni cœleſtis aditus.
s Gen. 3. 24.
t Philip. 2. 6.
u Matt. 3. 16.
x Luc. 23. 43.
y in cap. Matt. 27. 5.
z lib. de Paradiſo, cap. 91.
Sanguis Chriſti clauis eſt Paradiſi.
a Hieron. epiſt. ad Heliodo.
b idem epi. ad Dardanum.
c Hebr. 9. 8.
d Gen. 3. 24.
e Oda 1. & poſt Odam 7. apud Gretſerum to. 3. de Cruce, lib. 4.
f 3. de Fide, c. 6.
g contr. Varimadum.
Pater & Filius ſunt conſubſtantiales.
Chriſti regnum æternum atque cœleſte.
h Luc. 22. 29.
i Apoc. 19. 16.
k Pſal. 109. 1.
l Eph. 1. 20. 21.
m Apoc. 19. 12.
n Apoc. 4. 10.
2. Tim. 2. 12.
o Epheſ. 2. 6.
p Luc. 1. 33.
q Ioan. 6. 15.
r infra 18. 36.
s Matt. 17. 24. 25.
t Ioan. 18. 37.
u Luc. 23. 42.
x Matt. 16. 28.
Luc. 22. 30.
y Matt. 26. 29.
Luc. 22. 16.
z Epheſ. 5. 5.
a Coloſſ. 1. 13.
b 2. Tim. 4. 18.
c Matt. 25. 31. 34.
d ibidem.
e Matt. 20. 23.
f Act. 1. 7.
g ibidem.

Vers. 12.] **Propter quod incipiam vos semper commonere de his: & quidem scientes & confirmatos vos in præsenti veritate.**

TOt rationibus adhuc honorum operum necessitate, atque vtilitate comprobata, hortationem sollicitam, & beneuolam subiungit: numquam se ab hoc munere cessare velle dicens, etiam si non ignoret, quàm sint in huius veritatis & notitia bene versati, & in eiusdem vsu, & praxi constanter exercitati. Tanti res momenti, quantum est in bonis operibus, & consecutione regni æterni satis inculcari, & commendari non potest. Numquam deest vineæ cultori, vel pastori quid agat, & in quo occupetur. Præfectum præesse oportet in sollicitudine [a]: pane quotidiano diuini verbi opus est: *id prædicandum opportunè, importunè* [b]: *clamare absque cessatione necesse est* [c], *die, noctéq, in perpetuum non tacendum custodi animarum* aduersus perpetuos hostes [d]: attendere debet Prælatus lectioni, exhortationi, & doctrinæ [e]: & illis ipsis, *qui pleni sunt dilectione, repleti omni scientia, ita vt possint alterutrum monere*, in memoriam reducere audaciùs debet, qui gratiam accepit ministerij, sicut faciebat Paulus [f]: & cùm per se non poterat, per alios [g]: eadem quoq; scribere sibi dicebat non pigrum, quia erat aliis necessarium [h]: postremò eum omni doctrina omnem patientiam exigebat [i]: quæ patientia eò necessaria magis, quò minus ferunt libenter auditores noua semper audire prurientes eadem repeti. Istam Chrysostomus constantiam suam in iisdem crebrò monitis inculcandis testatur sæpe. Vidimus quoque in Actibus Apostolicis [k] Paulum & Barnabam confirmasse animas Discipulorum, & exhortatos esse vt permanerent in fide: Paulum cum Sila perambulando Syriam, & Ciliciam, confirmasse Ecclesias [l].

a Rom. 12, 8.
b 2. Tim. 4. 2.
c Esa. 58. 1.
d Esa. 62. 6.
e 1. Tim. 4. 13.
f Rom. 15. 14. 15.
g 1. Thess. 3. 2.
h Philip. 3. 1.
i 2. Tim. 4. 2.
k Act. 14. 22.
l Act. 15. 41.

Propter quod incipiam.] Διὸ οὐκ ἀμελήσω, *Non negligam* Alij codices apud Typographum Regium: Διὸ οὐ μελλήσω, *Non differam.* Significat occurrere se diligenter imminenti hosti Simoni, & disseminatis ab illo erroribus, ita vt de integro semper admoneat, perinde ac si tum primum inciperet. Id est, vel non omittere seu negligere, vel non differre, siue protrahere; quæ Interpres per (incipiam) expressit doctissimè. Notat in Petro Carthusianus feruorem, quasi qui cùm consummaret, tunc se crederet incipere [m]. *Quomodo*, inquit, *dicere S. Franciscus consueuerat: Fratres, incipiam Deo seruire:* Hoc de Antonio prodit Athanasius; de aliis alij. Præterea potest (incipiam, vel non negligam) positum intelligi pro incepi, non neglexi, scilicet in priore epistola.

m Ecc. 18. 6. S. Francisci dictum, Fratres incipiamus Deo seruire.

Commonere.] Ὑπομιμνήσκειν. Vertit Interpres alibi simile verbum: ἐπαναμιμνήσκων, *in memoriam reducere* [n]; *Audaciùs autem scripsi vobis fratres ex parte, tanquam in memoriam vos reducens*, ἐπαναμιμνήσκων. Ambrosius ibi reddit (*commonefaciens*:) Chrysostomus ait minui significationem quasi diceret submonefaciens, subadmonens, non docens, non reprehendens. Hoc ipsum autem verbum nostrum expositum legimus nunc per suggerere [o], nunc per commonere [p], nunc per admonere [q]: nomen autem ὑπόμνησιν per recordationem [r], & commonitionem [s]. Est apud Græcos trita satis ὑπομνήματος notio pro Commentario, & breui ad iuuandam memoriam scripto. Itali breuia monita, maximè moralia, vocant *ricordi*.

n Rom. 15. 15.
o Ioan. 14. 26.
p 2. Tim. 2. 14. epist. Iudæ vers. 5.
q Tit. 3. 1.
r 2. Tim. 1. 5.
s 2. Pet. 3. 1.
t Bud. Comment. ling. Græc. pag. 178. & 179.

De his.] Vt bonis operibus certam faciant vocationem, & electionem suam: vt virtutes antea numeratas sectentur.

Et quidem.] Καίπερ. Etiam, licet, quamuis, tametsi frequenter oportet reminisci, quod mundus iste cogit obliuisci. Nescit mens per torporem facere, quæ semper suadet per desiderium inchoare. Thomas Anglicus ex Bernardo priorem, posteriorem recitat ex Gregorio sententiam. Sic etiam ille [u],

Propterea oportet reminisci quod mundus cogit obliuisci.

Quamuis Scæua satis per te tibi consulis, & scis, &c.
Disce docendus adhuc.

u Horat. lib. 1. epist. 17.

Scientes.] Sic Paulus [x]: *scientibus legem loquor*: & Ioannes [y]: *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.* Et Iudas [z], *commonere vos volo, scientes semel omnia.* Iterum Paulus [a]: *Confidimus autem de vobis, dilectissimi meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur*, nempe paulò asperiùs. Magna conciliatio beneuolentiæ, quando seuera persona ciuilem admiscet facilitatem: nec de auditorum, vel subditorum diffidere vel scientia, vel bonitate videtur. Nec desunt similia in Patribus huius generis exempla.

x Rom. 7. 1.
y 1. epist. 2. 21.
z In ep. vers. 5.
a Heb. 6. 9.

Vos] Non librarij vitio, vt Gagneius, sed optimo Interpretis iudicio expressum puto pronomen, licet Græcè non sit; nam id omnes agnoscunt Latini.

In præsenti veritate.] De qua nunc agitur; & à qua, licet in ea confirmati, seu bene firmi, fidei firmitate sitis; excidere potestis ob grassantes contrarios errores: & quam re ipsa factisque vos exequi conuenit non contentos fide sola.

Vers. 13.] **Iustum autem arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione.**

Vers. 14.] **Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.**

ET officij sui partes exigere, cùm sit Apostolus, communisque Pastor, & breue ad viuendum spatium flagitare docet, sicut Christi reuelatione didicerat, vt ea, quæ prius posuit, moneat, ac inculcet.

Iustum.] Δίκαιον. Quasi postulet id officij ratio, tum verò pascendi oues [b], tum confirmandi fratres [c]. Petrus [d] Damianus docens optabilem cuique mortem esse, vel horribilem debere non pro varietatibus huius vitæ, sed ad hoc tantùm, si vel propriæ, vel fraternæ saluti perpendatur, mors aut vita, prodesse, confirmat præter Pauli ad Philippenses [e] exemplo etiam Petri hoc loco. *In verbis planè suis*, inquit, *bonus pastor ostendit quia non sibi, sed discipulis suis, & viuere volebat, & mori.*

b Ioan. 21. 16. & seq.
c Luc. 22. 32.
d li. 3 epist. ep. 8 ad Archiep. Bisontinum.
e c. 1. 23.

Arbitror.] Ἡγοῦμαι. Non arbitratur solum, sed sciebat hoc esse iustum, & necessarium, si suo vellet muneri satisfacere. Pertinet & hic tamen loquendi modus ad modestiam.

Quamdiu sum in hoc tabernaculo. Ἐν τούτῳ τῷ σκηνώματι. In hoc velut castrensi vel pastoritio, vel peregrino tentorio, siue papilione, in hac quasi ludicra scena, in hac extemporanea domo. Quod Ioannes [f] ait, *Verbum carnem factum habitasse in nobis*, Græcè est ἐσκήνωσε, quasi dicat, fixit tabernaculum velut *colonus, & viator* [g]. Ezechias [h] *generationem suam*, id est vitæ seriem *ablatam dicit, & conuolutam à se quasi ta-*

f cap. 1. 14.
g Ier. 14. 8.
h Esa. 38. 12.

bernacula pastorum. Paulus, *tabernaculum* simul vocat corpus nostrum [a], atque *terrestrem domum nostram huius habitationis* [b].

Quàm aptè vox tabernaculi congruat corpori, demonstrat Pineda [c] noster, nosque alibi. *Pelle, & carnibus vestisti me*, ait Iob [d], *ossibus & neruis compegisti me*. Pelle cõstat corpus aduersus iniurias cœli; neruis vt funiculis intenditur: pro malo, & aliis ligneis instrumentis ossa sunt: pedes clauorum funguntur officio: breuis in eo mora, sicut in externo tabernaculo: *peregrinantes* enim *ciuitatem futuram inquirimus* [e], & sub ista pelle militamus, pascimúsque: auelletur hoc tabernaculum, quando abibimus: pedum nutabunt claui, cutis corrugabitur, laxabuntur nerui, sed postea iterum explicabitur, erigetúrque in æternis illis tabernaculis, quando resurgemus, *nec amplius transferetur, vel auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur* [f].

Christus comparauit corpus suum, immò seipsum totum cum templo [g], cui tamen & tabernaculi quãdoque vocabulum tribuitur [h]: & Paulus ait, corpora nostra quoque, & nos esse templum Spiritus sancti, & Dei [i]. Verùm nobis id cõuenit per gratiam, & spiritualiter: Christo, quia *in ipso inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter* [k], id est, naturaliter, vt docent in cap. 2. Ioannis Theophylactus, Primasius, Cyrillus, hicque præterea libro de fide ad reginas. & Hilarius octauo de Trinitate, atque Ambrosius in Psalmum XLVII. vbi alias rationes affert.

In beatitudine non clauditur, vt ita dicam, Deus templo. Ibi negat se Ioannes [l] templum vidisse: Dominum namque Deum omnipotentem templum Ierusalem cœlestis esse, & Agnum, quod tamen etiam vocat *tabernaculum Dei cum hominibus, quoniam ibidem habitat cum eis velut eorũ Deus* [m]. Quamquam cœlum ipsum rectè tabernaculum nominatur, *quia extensum sicut pellis* [n], & propter comparationem cum Hebræorum tabernaculo, cuius adeo celebre nomen apud illos [o]: typúmque mãsionis beatæ fuisse Paulus [p] dicit, quę vocat Christus *æterna tabernacula* [q], & vt intelligamus respectu Dei amplissimum licet, & magnificentissimum locum illum, immẽsa maiestate ipsius minus esse, cùm *in manufactis non habitet* [r], vel propriè dicta domo: sed in seipso, replens omnia, & omnia excedens.

Cauendum porrò, ne ob tabernaculi, vel templi vocem labamur in Platonicorum errorem, corpus nostrum merè extrinsecam esse veluti custodiam, & sepulchrum animæ, quod corpus σῶμα dicatur, vel παρὰ τὸ σώζειν seruare & custodire, vel quasi σῆμα id est, sepulchrũ. Simili non minus periculoso errore lapsus est Apollinaris [s], Theophylacto teste, Christum animam humanam non habuisse: quia templum ambit corpora carẽs anima. Argumentari potuit non habuisse Christum carnes, & ossa, quoniam nec istis templum constat, sed lapidibus, lignisque.

Suscitare vos.] Tamquam dormitantes, vel dormiturientes, ac torpescentes. Fert huius conditio tabernaculi hoc secum periculum negligentiæ, torporisque; cui quilibet obnoxius est, quamuis sciens, & confirmatus in veritate. Nil ergo mirum si quos eo modo laudauerat, dicat se Petrus suscitare, & excitare velle. Timotheum sanctissimum virum admonebat Paulus [t], *vt resuscitaret gratiam Dei, quæ erat in ipso*: Ἀναμιμνήσκω σε, inquit, ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, ὅ ἐστιν ἐν σοί. Græcum verbum denotat ignem, vel sopitum, vel cinere obtectum, egentem ligno, aut oleo deficiẽte morientem confouere, renouare, recreare, vt legit Ambrosius: ac proinde quod aliis verbis idem Apostolus docuit, *non contristare* [u], *non extinguere spiritum* [x], sed *euigilare*. Istos omnes alloquens ait: *euigilate iusti* (alij iuxta plures codices Græcos iustè δικαίως) *& nolite peccare* [y].

In commonitione.] Ἐν ὑπομνήσει. De his nominibus dictum prius. Vel Thomas Anglicus errauit, vel qui eam edidit, legẽs (in commotione) vtẽsque verbo commouendi, in quo facilius fuit peccare, quàm in commotione.

Certus.] Εἰδὼς sciens. Sed meliùs Interpres, habens rationem ad reuelationem, quæ certitudinem fidei gignit, non verò scientiam, quamuis non ignorem, de fide ipsa scientiæ nomen dici nonnumquam.

Velox est depositio tabernaculi mei.] Omnium quidem corpus tabernaculum est, velint, nolint, vt antè diximus: at iusti hoc agnoscunt, eiusque dissolutionem cum Paulo [z] concupiscunt, & vt, quo ipse modo etiam loquitur [a], *terrestris domus huius habitationis dissoluatur*, οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, atque *non manufactam, sed æternam in cœlis consequatur*. Dimissionem, Græcè, ἀπόλυσιν dissolutionem vocauit iustus Simeõ mortem suam [b], *quasi necessitate quadam vinculorum in hac vita teneretur, non voluntate*, inquit Ambrosius [c]. Paulus [d] resolutionem ἀνάλυσιν, quæ significare potest regressionem: & Cyprianus [e] vocat assumptionem, quasi legerit ἀνάληψιν: somnum, ac dormitionem pluribus locis scriptura: & quantum sit mortis bonum, Cyprianus in opere de mortalitate, Ambrosius, de bono mortis, totque alij tum scripto, tum facto docuerunt.

Hæc omnes Petri ratio extimulare debet, vt multiplicatis corporis infirmitatibus accelerẽt [f], saltem animo, vt quò propior meta, velocior sit cursus: vt videntes magis appropinquantem diem (mortis) accendantur in prouocationem caritatis, & bonorum operum, consolantes seipsos [g]. Abraham grandis ætate curreos hospites excipiebat [h]. Tobias senior sepeliebat [i]: Martinus viuere adhuc pro populo non recusabat [k]. Est autem Patriarcharum, monita sub mortem suis dare, vt Iacob fecit [l], Moses [m], Dauid [n], Tobias [o], & Christus [p] ipse. Redolent quoque singularem charitatem, ac feruorem Pauli, quas in vinculis edidit epistolæ, & quas Ignatius iam damnatus.

Ceterùm hinc sequitur, à seniore iam Petro, nec à morte diutius remoto Romę scriptam hanc epistolam. Nam etsi cuiusque quamlibet macrobij, ac longæui sit breuis vita, veluxque tabernaculi eius depositio, tamen nisi qui se breui certo tempore moriturum intelligit, hoc pacto nõ scriberet, quo Petrus hoc loco. Cùm autem videantur in epistola Iudæ quædam contineri his similia, quæ habẽtur in ista, nec sit ita verisimile à Iuda Petrum accepisse, si velimus ab hoc illum esse mutuatum, & si scire possemus quando scripserit Iudas, & quo anno sit mortuus, colligerẽmus tẽpus de quo nunc loquitur Petrus, quantùm scilicet, abfuerit à morte, cum exploratum habeamus annum mortis Petri. Aliqui Iudam triennio ante Petrum asserunt esse mortuum in Perside, sed probare non possunt. Si multo tempore superstes Iudæ Petrus fuit, Iudam dicemus non Petri sententias imitatum scribendo, sed eumdem Spiritum sanctum easdem vtrique dictauisse.

Quot

Marginal notes (left column):
a 2. Cor. 5. 4.
b Ibid. 1.
Corpus nostrum tabernaculum dicitur.
c Iob 28. vers. 24. & c. 5. vers. 24. & c. 8. vers. 21.
d c. 10. 11.
e Heb. 13. 14.
f Esa. 33. 20.
Christi corpus templum est, & nostrum tamen corpora, sed diuersa ratione.
g Ioan. 2. 19.
h Psal. 26. 8.
i 1. Cor. 3. 16. 17. & 6. 19.
2. Cor. 6. 16.
k Col. 2. 9.
l Apoc. 21. 22.
m Ibid. 3.
Cœlum tabernaculum rectè dicitur.
n Psal. 103. 3.
o Psal. 14. 1. Psal. 41. 5. Psal. 83. 2.
p Heb. 9. 11. 24. & seq.
q Luc 16. 9.
r Act. 17. 24.
Corpus animæ sepulchrum dici non debet.
s in c. 2. Ioan.
t 2. Tim. 1. 6.

Marginal notes (right column):
u Eph. 4. 30.
x 1. Thes. 5. 19.
y 1. Cor. 15. 34.
z Phil. 1. 23.
a 2. Cor. 5. 1.
Mortem suam dissolutionem Simeon iustus vocauit.
b Luc. 2. 29.
c de bono mortis c. 2.
d 2. Tim. 4. 6.
e lib. 2. ep. 6.
f Psal. 54. Quo propior meta, velocior cursus esse debet.
g Heb. 10. 24. 25.
h Gen. 18. 6.
i Tob. 2. 20.
k Seuer. Sul. in vita.
l Gen. 49. per totum.
m Deut. 33. 29. & seq.
n 3. Reg. 2. per totum.
o Tob. 4. 14. per totum.
p 1. Ioan. 13. & 14. & 15. & 16. & 17.

Quot exactè Petrus vixerit annos nescimus. (Octogenarium Geotgius [a] Vossius facit) in Pontificatu Romano, numerantur à peritioribus Chronographis anni viginti quatuor, menses quinque, dies vndecim: quoniam iniuisse Pontificatum ponitur anno Claudij secundo: Christi quadragesimoquinto, mensis Ianuarij die decimooctauo: mortuus anno Neronis decimotertio, Christi sexagesimonono, Iunij mensis die vigesimonono. Teritur communi sermone, quod nemo videbit dies Petri. Hactenus certè vidit nemo. Nam qui diutissimè Pontificatum gessit, non excessit viginti tres annos, menses decem, septemdecim dies Adrianus I. post illum diutius vixit, qui peruenit ad vigesimum primum annum, menses vndecim, dies vigintitres Alexander III. qui ad vigesimum item primum, dies quatuor Syluester I. qui ad vigesimum, & mensex vndecim, diésque duos Leo I. qui ad vigesimum, menses quinque, dies duodecim Leo III. deinceps maximum spatium fuit annorum viginti, vt Zepherini cum diebus septem (qui tamen martyrio sublatus est) & vnius aut alterius octodecim, vt Innocentij III. Ioannis XXI. vel septemdecim, vt Vigilij vel sexdecim, quindecim, & infrà. Non pauci, ne annum quidem attigerunt, immò nec mensem. Anthetus præcisè compleuit mensem (addunt aliqui dies quatuordecim, sicut & Valentini, atque Leonis V. durauit sedes mensem vnum, dies decem) Stephanus II. dies tres (qui tamen iniustè pro legitimo Papa habitus non est:) Vrbanus VII. dies duodecim: Bonifacius VI. dies quindecim (Platina dat ei vigintisex.) Celestinus IV. dies septemdecim: Theodorus II. dies viginti: Sisinnius totidem: Marcellus II. dies vigintiduos: Damasus II. dies vigintitres: Pius III. dies vigintisex: Leo XI. dies vigintiseptem: Proposuit Alexander Papa II. Petro Damiano [b] quæstionem, cur Apostolicæ sedis Antistes numquam diutius viueret, sed intra breue temporis spatium (vtor Damiani sermone) diem claudetet extremum: adeo, vt post B. Petrum Apostolum, qui per quinque circiter annorum lustra (hoc est, ferè per vigintiquinque annos, ita vt constet lustrum quinque annis) præsedit, nemo postmodum Romanorum Pontificum hoc spatium Præsulatus æquauerit. Addit ad augendam difficultatem, quod illo seculo, quo viuebant ipse & Alexander, vix erat qui quatuor, vel quinque annos transcendetet: quod hæc breuitet viuendi necessitas in nulla alia Ecclesia reperiretur; nec apud Imperatorex, Regésque, ex quibus Augustus imperauit annix quinquagintasex, Dauid quadraginta, &c. Possumus adiicere creatos Pontifices aliquos firmæ satis valetudinis, & mediæ ætatis, qualis Leo X. fuit, & Ioannes XII. quod monstri simile fuit duodeuiginti annos vix attigerat, quando Pontificatum iniit, & vixit octo annis, vt & Leo X. Respondet, hoc iudicij cælestis ordinem dispositisse, vt humano generi metum mortis incuteret; & quàm despicienda sit téporalis vitæ gloria in ipso gloriæ principatu, ac veluti sole deliquium patiente euidenter ostenderet: præsertim cùm vnus omni mundo Papa præsideat: reges sint simul plures: nec sic soleant Papæ violenta morte occumbere, quemadmodum multis Imperatoribus (ex quibus aliquos recenset) opera suorummet contigit: vt proinde horum sicut illorum, tanto mors terrore non cóentiat. Tamen martyrio sublati sunt Pontifices vigintiseptem, aut triginta (ex quibus vigintiquatuor ab Imperatoribus occisi sunt intra primos annos Christi CCL.) sancti verò ferè septuaginta duo. Vt nesciam quo pacto in marmore incisum legatur in Ecclesia S. Sebastiani contineri cœmeterio Callisti XLVI. Pontifices Romanos martyres. Fortassis ijs sepulchra lustrarunt, cùm deprehendissent PP. putauerunt denotari Pontifices, scilicet Papas, cùm tamen eodem nomine Papæ certum sit appellatos alios Episcopos, ac inferiores quoque Clericos: & ex historiis soli ex Pontificibus Romanis in eo cœmeterio sepulti legantur decem circiter. Etsi verò diu postea inferri plures potuerunt, tot martyres tamen non fuerunt. Certè constat martyres non esse, qui breuiore tempore sederunt. Ipsum sanè per se tantum pondus, & sollicitudo omnium Ecclesiarum illis quidem qui æstiment, & in se suscipiant, vitæ cursum imminuere potest: & alia ex parte benignus Deus adeo grauatos nó sinit opprimi, sed ocyus exonerat. Denique hac ratione fieri potest, vt minus appetant homines, quam ferè certi fiot haud din duraturam dignitatem. Quid si hac etiam in re Petri dignitatis Deus, haberi rationem voluit, propter quam nec vllus in Pontificatu gereret Petri nomen post illum voluit?

Infert idem Auctor vitam Pontificis cunctis plurimum prodesse debere, cuius Deus mortem decreuit cunctorum saluti ministrare. Porrò Alexandri II. durauit Pontificatus annis vndecim, mensibus sex, diebus duobus & viginti.

Secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.] ἐδήλωσέ μοι, *manifestauit mihi*. Adamus rectè monet, idque quiuis per se facilè iudicare poterat, non respexisse Petrum ad locum, qui est capite vigesimoprimo [c] Ioannis, vt habent Concordantiæ marginales, & Glossa Interlinearis & Hugo, vbi Christus prædixit, *quod cùm senuisset, extenderet manus suas, & alius eum cingeret, & duceret quo ipse non vellet*: sed ad nouam reuelationem, vt iidem etiam Auctores admittunt, ceteri verò hanc dumtaxat, quia prædictio illa nimis remota erat, agnoscunt. Hodiéque celebre monumentum extat via Appia in loco, vbi Petro, qui fidelium cedens precibus, Neronis fugiebat persecutionem Christus apparuit, *seque Romam venire dixit iterum crucifigi*: quod de seipso Petrus interpretans, in vrbem reflexit iter, ac paulò pòst pro Christo crucem passus est. Retuli ego in Actibus Apostolorum tantæ rei testes Ægesippum [d], Ambrosium [e], Gregorium [f], Acta Processi & Martiniani: dixi quoque Origenem [g], licet ex apocryphis, simile quid narrare de Paulo. Credi potest & Paulum innuere sibi reuelatum mortis tempus, quando scribit Timotheo [i]: ex vrbe, & ex secundo carcere suo: *Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Id legimus aliis multis sanctis reuelatum. Metaphrastes [k], cùm Petrus diu versatus esset in Britannia, scribit hac ei oratione locutum Angelum: *Petre, instat tempus tuæ resolutionis, & oportet te ire Romam: in qua cùm mortem per crucem sustinueris, recipies mercedem iustitiæ.*

At nonnulla idem auctor habet de Petro parum certa, immo etiam falsa; verbi gratia, quod rediens Romam, Linū repererit iam mortuum, & pro eo Clementem substituerit, &c. cùm satis constet vixisse post Petrum, & cedatur eius acta, & mortem descripsisse. Turrianus [l] noster Magdeburgensibus obiicientibus quare non hic fa-

Marginalia:
Quot annos Petrus vixerit. a Schol. in tra. Chrysost. de princip. Apost. & in orat. eiusdem de XII. Apostolis.
Pontifices qui & quot diutissimè vixerunt, & qui breuissimè.
b apud Petrum Dam. li. 1. ep. 17.
Cur Pontifices intra breue tempus moriantur.
Pontifices Romani martyrio sublati.
c vers. 18.
Petro mors reuelata a Christo fuit.
d lib. 3. de excid. vrbis Ierosolym. c. 2.
e ep. 13.
f in Psal. 4. poenit.
g To. 2. in Ioan.
h Tom. 17. in Ioan.
i 2. Tim. 4. 6.
k apud Sur. 29. Iunij.
Metaphrastes habet parum certa de Petro.
l lib. 3. pro ep. Pont. c. 15.

cit mentionem Petrus de successore Clemente? respondet, quamuis Petrus velocem scribat futuram depositionem tabernaculi sui sibi reuelatum; non tamen quàm velox, & præcisè quo tempore, nec id illi quoque reuelatum asserit. Non hoc assererem: & melior alia solutio, nihil necesse fuisse de his scribere. Quamquam difficilem prouinciam suscipit, qui Clementis, quæ modo extant in omnibus, defendere nititur epistolas. Iudicare Leo [a] videtur, Petro priusquam Romam veniret, reuelatum tempus mortis, circiter item pe anois 18. *Nec vt dubius, ait, de prouectu operis, aut de spatio tuæ quarum ætatis, tropheum crucis Christi Romanis arcibus inferebas: quò te diuinis ordinationibus anteibant & honor potestatis, & gloria passionis.*

Quod attinet ad electionem successoris, eam vnus fecit Petrus, diuino, vt credere par est, instinctu. Cum id Bonifacius II. facere conatus esset, ne pro arbitrio Gothorum reges, vti antea fecerant, hanc sibi electionem vendicarent, retractare coactus est, & in quadam Synodo publicè rescindere. Meminit Anastasius Bibliothecarius [b]: & probro id Siluerius Vigilio dedit, qui se designari procurauerat [c] asserens id esse contra iura Canonica.

Vers. 15.] Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.

Magis communis expositorum sententia est, significare Petrum, se, quia breui sibi ex hac vita discedendum sit, curare velle, vt hoc epistolarum, & monitorum in iis tam salutarium & necessariorum relinquat monumentum, ne illis vmquam excidant de memoria, sed ipso mortuo etiam atque etiam relegant & considerent, ac *memores sint mandatorum horum, vt faciant ea* [d]: seque simul tueantur ab oppositis erroribus, & valeant alios instituere. Oecumenius tamen, qui & priorem ponit sensum, meminit nonnullos ita exposuisse: Dabo operam etiam post meum exitum, vt vos semper, & assiduè horum memoriam habeatis; *atque ostendere hunc*, inquit, *volunt sanctos viros post mortem quoque horum qui hic sunt, recordari, atque pro viuentibus intercedere.*

Chrysostomus [e] implorans Petri patrocinium, & Pauli, ac postulans, vt suas hac de re repromissiones expleant, rationem affert, inquiens: *Suclamat enim B. Petre, sic dicens: studebo post meum aduentum memoriam vestri facere.* Sed aliter Græcè legit, quàm sit in hoc textu nostro: Σπουδάσω μετὰ τὴν ἐμὴν ἄφιξιν, τὴν ὑμετέραν μνήμην ποιῆσαι. Sensum magis, quàm verba curans. Petrus [f] Damianus ita quoque hunc intellexit locum, dicitque his verbis Petrum ostendere *se non sibi, sed suis, non tantum viuere, verùm etiam mori velle.* Petrus Aureolus [g] ait, hanc vnam esse de rationibus, ob quas affirmet Petrus libenter se scribere fidelibus, *quia adhuc*, inquit, *post mortem intendis tenaciter operam dare, vt permaneant in veritate*, & hunc vocat tenorem charitatis Petri.

Approbant istam explicationem Salmeron [h], & Feuardentius, nec displicet Catharino, & Clario, & Gagneio, præterea idem sentit Ioseph Acosta [i], Franciscus Suarez [k], Gregorius de Valentia [l], Robertus Bellarminus [m] (qui fatetur hinc peti argumentum saltem probabile) Franciscus Turrianus [n], Laurentius Fauntæus [o]. Similis locus est in epistola Clementis [p] de Petro, quem refert dixisse: *Certus esto, quod necesse est te suscipere omne periculum, quia nec ego pro salute omnium ab obsecrando cessabo.* Eadem ratione alij sancti multi, vt Cyprianus Cornelio scribens polliciti sunt, se si priores hinc abirent, rogaturos Deum pro illis, qui remanerent in hac vita.

Interpres quidem noster non videtur aliom sensum, quam istum intendisse. Nam habere post obitum, si est meminisse, vel posse meminisse, quid erat opus addere (vt horum memoriam faciatis?) Præterquàm quòd proximè ante dixerat: (incipiam vos semper commonere de his ὑπομιμνήσκειν) *suggerere memoriæ vestræ*: sicque ter idem repetiuisset. Deinde sine vlla perturbatione dictionis videntur Græca efficere dictum sensum, σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι. *Studebo & semper habere vos post exitum meum* (*nempe* in memoria mea) horum (supple, ὡς vt) *memoriam, siue mentionem facere* (id est, faciatis) Erasmus ita vertit: *Quin & dabo semper operam, vt vos post exitum meum horum mentionem facere possitis.* Quare vult ἔχειν hoc loco positum pro *posse*, & referri ad ποιεῖσθαι. Vatablus eamdem penitus versionem tradit, necnon Clarius, & Caietanus, & Sà. Adamus etsi priorem sequitur expositionem tamen ita reddi mauult: *Dabo operam & frequenter posse vos post exitum meum horum mentionem facere.* Gagneius, postque ipsum Salmeron, quamuis ἔχειν significet aliquando posse, negant hunc vsum habere in infinitiuo, si alteri infinitiuo iungatur. Addit Gagneius fortassis Petrum, cùm præmisisset ἔχειν ob longum hyperbaton, iam non memorem prædicti verbi, adiecisse rursum ποιεῖσθαι: sufficere autem alterutrum. Hoc ego vltimum de obliuione Petri nullo modo dicerem, præsertim cùm nihil, cur id dicatur, cogat. De ἔχειν cum alio infinitiuo verbo, quod posse nequeat significare, dubito; licet non occurrat exemplum. Varronianum [q] porrò illud haud facè absimile Petri nostri sententiæ: *non solùm vt ipse quoad viuam, quid fieri oporteat vt te moneam, sed etiam post mortem.* Primum traditum versus sensum iuuat editio Syra, quamuis nonnihil differens à Græca, & Latina *operam date*, seu *studete*, & quidem anxiè atque sollicitè, quod etiam verè, siue constanter est vobis, vt etiam post obitum meum memoriam, seu mentionem istorum facientes sitis.

Frequenter.] Ἑκάστοτε. Interpres illum secundum, vt existimo, secutus sensum, *frequenter* maluit reddere, quàm *semper*, quasi καθ' ἡμέραν, & *quotidie*, quia pertinere putauit hoc aduerbium temporis ad Petrum, qui se post hanc vitam significet habiturum de superstitibus memoriam, quam certè memoriam ibi numquam deponere non est credibile. Iuxta primum sensum leniretur quoque, retinendo *frequenter* pro *semper* votum, vel præceptum Petri, vt semper hi, ad quos scribebat, meminissent. Sed quoniam ab obliuiosis exigi solet perpetua memoria, estque præsens vita obnoxia obliuioni, propterea vel hac de causa probabilior adhuc sit sensus primus. Quamquam & ἑκάστοτε, idem interdum valere dicitur quòd *sæpe*, seu *crebrò*, nec semper comprehendere vniuersitatem temporis. Pagninus vertit *singulatim*, quod significare posset, Petrum de singulis memoriam habiturum post mortem. At difficile est, singulos ei notos fuisse. Fortassis spectabat sibi tunc singulos à Deo manifestandos.

a Serm. 1. de Pett. & Paul.

Petrus vnus elegit suum successorem, alij non.

b in Bonif. II.
c ep. 2. ad Vigilium.

d Psal. 103. 18.

Sancti viri post mortem recordantur eorum qui hic sunt, & pro eis intercedunt.

e ora. in princip. Apost.

f lib. 3. ep. in 8.
g in compendio sacr. scr. cum de 2. ep. Petri.

Qui & quo sensu hunc de Sanctis eorum post mortem potibus exposicione

h hic, & in 1. Tim. 2. disp. 7.
i Conc. 2. in Festo Ioan. Apost.
k 3. par. Tom. 2. dis. 23. sect.
l Tom. 3. dis. 6. q. 2. pun. 9
m lib. 1. de sanct. c. 18.
n de iure ord. ministros Ecc. lib. 2.
o ... Pont. ... Theol. ...

p ep. 2.

ἔχειν pro posse an sit sumatur.

Horum.] Rectè omissum est, quòd codices aliqui habebant (omnium) in Græcis namque non est, nec ad sententiam requiritur.

Vers. 16.] Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis.

Exigit fidem, ac vt sibi tamquam testi oculato credatur, vtpote qui contéplatus fuerit (quod adhuc sequentibus versibus dicitur) maiestatem, gloriámque Christi, nec verisimile sit enm allaturum fuisse in medium, nisi res omninò veras, & certas: qualis est doctrina de bonis operibus, quam tradidit hactenus. In quodam monte sancto, inquit, conspeximus gloriosum Christum [a], *simúlque iussi sumus illum audire, ac ei obedire*: ipse autem non modo res proposuit credendas, sed agendas quoque: & secum tunc testes adhibuit Mosem atque Eliam [b] ex vetere lege, in qua sine dubio requirebantur opera bona præter fidem: ibidem collocutus est cum dictis patribus de excessu, siue de morte, quam completurus erat in Ierusalem per crucem, volens docere nos patientiam: nec aliter sperari posse in iudicio, cuius transfiguratio typus fuit, beatitudinem, nisi operando, patiendo.

a Matt. 17. 2.
b ibid. 3.

Non enim doctas fabulas.] Scripturæ diuinæ fabulis & apologis non vtuntur, multóque minus Christus, etiamsi eorum Ethnicis vsus familiaris fuerit: ne auctoritate hac diuina videantur vsu rationis prædita, bruta, plantæ, aliæve res similes; ac ne in suspicionem propterea veniant verę mysteria religionis. Narratur serpens locutus reuera, sed per diabolum [c]: & asina, verùm opera angeli [d]: apologus etiam lignorum in libro Iudicũ [e], non recitatur tamquam diuinus, sed vt humanus Ioathan filij Ierobaal. Narrãt iniqui fabulatores, sed non vt lex Dei [f]: Paulus opponit veritati fabulas [g]: & reprehendit intendentes fabulis [h], iubétque ineptas & aniles deuitari [i]: ingeniosam leuitatem & eruditam vanitatem Græci teste Hieronymo [k] appellabant.

c Gen. 3. 1. & seq.
d Num. 22. 28.
e c. 9. 8. & seq.
f Psa. 118. 85.
g 2. Tim. 4. 4.
h 2. Tim. 1. 4.
i c. 4. 7.
k in c. 3. ep. ad Gala.

Enim.] Causalis particula innuit ideirco tam sollicitum fuisse Petrum de ea doctrina, quam tradiderat, & proposuisse, vt post mortem quoque impetraret viuentibus gratiam retinendi, & exequendi, quia summi momenti est. Notant id cum Glossa Interlineari Hugo, Thomas, Carthusianus, &c. Addit Adam perinde esse, ac si dixisset: si fabulas docuissem, mors instans potuisset me commouere ad resipiscendum, ad mutandam sententiam. Sed recta sunt, quæ docui; quare non desinam inculcare. Oecumenius etiam fauet.

Doctas fabulas.] Illi ipsi Auctores, & Lyranus, ac Beda, & de recentioribus Caietanus, Titelmanus, Primasiccius, multique codices legunt (indoctas) & in Ioannem Maldonatus [l], ac passim plurimi. Quod ad rem ipsam spectat, nil refert vtro legatur modo Nam σεσοφισμένοις μύθοις possunt intelligi vel sapiẽter instructi sermones, vel captiosi; sicut & sophistæ nomen. Adamus & Asel mallent *indoctas*, quia Gnosticorum, qui se scientes profitebantur, inscitiam notari putant. At æquè id, & quidem acutiùs denotatur per *doctas*, videlicet intelligendo doctrinam iusta hominum æstimationem, & quam in Græcis Cicero [m] nominat eruditam vanitatem.

An doctas vel indoctas fabulas legendum sit.
l c. 15. 27.
m orat. pro Flacco.

Lectionem istam secutum Hieronymum Commentario in caput tertium epistolæ ad Galatas, testis Salmeron [n]; id ego, nondum lecto Hieronymo, reperire potui. Leo IX. [o] sic etiam citat. Sed facile fuit, vt pro *indoctas* reponeret quis (doctas) Plurimi hac in re facimus Pontificiam auctoritatem, qua nunc in emendatis Bibliis nos ita legere iubet. Conueniunt & in hoc Gagneius, Catharinus, Vatablus, Clarius, Salmeron, Arias, & nobis optionem relinquunt Adamus, & Asel, ac præterea Lucas Brugensis, & in paucis quibusdam codicibus extat ea lectio. Oecumenius Græcum illud participium ita quoque est interpretatus, dicens *Petrum velle dicere se minimè vsum σοφίᾳ ἀνθρωπίνῃ humana sapientia, καὶ καλλιεπημένοις λόγοις ornatis verbis*, quibus κατηγοητεύσωσιν αὐτῶν τὴν ἀκοὴν, *quasi prastigiis deceperit ipsorum auditum, siue aures.* Confirmat simili sententia Pauli ad Corinthios, negantis se venisse in sublimitate sermonis, aut sapientiæ [p], καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* [q], ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις: vt sic fides eorum non in sapientia hominum [r], *& huius seculi, vel principum huius seculi* [s]: non in doctis humanæ sapientię verbis [t], ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις. Adde etiam Paulum Colossenses [u] monere, *caueant ne quis eos decipiat in sublimitate sermonum*, μήτις παραλογίζηται (vnde paralogismus) ἐν πιθανολογίᾳ *in persuasione sermonis.* Ait prętere a Oecumenius, notatos hic Græcos, siue Gentiles, & Hæreticos, ex quibus priores fuco orationis, posteriores figmẽtis captent, ac fallant auditores. Rident in apologiis, librísque conscriptis contra Gentiles eorum deliria Patres nostri tum Græci, tum Latini, & in opere de Ciuitate Dei Augustinus: item qui contra Iudæos, & Mahometanos scripserunt, contra illos præter Patres, vt Chrysostomũ, Cyprianum, Tertullianum, Iulianum Pomerium, Rabbi Samuelem, qui duo habentur Tomo quarto Bibliothecæ Patrum, cum aliis, vt Gregentio, Hieronymo à Sancta Fide, item Paulum Burgensem, &c. Ex recentioribus Adrianus Finus, Porchettus, Petrus Galatinus: contra istos Dionysius Carthusianus, Ioannes de Turrecremata, prætérque illos, qui de rebus Turcicis scripserunt Balthasar etiam Chauassins noster in notis contra Mahumetanos, & Nouatores. Theodoretus recenset hæreses in opere, cui titulum fecit *hæreticarum fabularum compendium*: cui adiunctum antidotum veræ doctrinæ, nominauit *Epitomen diuinorum decretorum.* Priorem inscriptionem Georgius Ederus imitatus, *Mataologiam hæreticorum*, siue *summam hæreticarum fabularum* appellat. Catalogum hæresum à se confectum.

n hieg. 2 Tom. Proleg. 13.
o ep. 1 ad Micha. Const. Epis. c. 13.
p 1. Cor. 2. 1.
q vers. 4.
r vers. 5.
s vers. 6.
t vers. 13.
u c. 2. 4.

Gentiles, maximè poetæ, quàm ingeniosè confinxerint fabulas de diis suis, constat. Audiatur eorum vnus [x]:

x Pyndarus. Olymp. 1.

Ἦ θαύματα πολλά,
Καί πού τι καὶ βροτῶν φρένα,
Ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον,
Δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις,
Ἐξαπατῶντι μῦθοι
Χάρις δ' ἅπερ ἅπαντα τεύχει
Τὰ μείλιχα θνατοῖς,
Ἐπιφέροισα τιμὰν,
Καὶ ἄπιστον ἐμήσατο πιστὸν
Ἔμμεναι τὸ πολλάκις.
Ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι,
Μάρτυρες σοφώτατοι

Ἐςι

Ἔστι δ' ἀμφὶ δαιμόνων

Εἰπεῖν ἀμφὶ δαιμόνων καλά, μείων γὰρ αἰτία.

Hæc [a] Arias ita conuertit.

Referuntur multa mira,
Mortaléſque ſæpe pulchris
Magis fabulis tenentur
Veri quàm ſermonis vſu.
Sed quæ blanda cernit eſſe,
Mortalibus, fingit olim
Gratia, exhibétque honorem,
Sæpe & credidiſſe cogit
Quod te credere negabis:
Verùm poſteri dierum
Teſtes ſapientiores.
Attamen de diis honeſta
Expedit viro referre.

hoc loco.

Videtur Petrus alluſiſſe facturus mentionem de transfiguratione Chriſti [b], ad fabuloſas metamorphoſes Deorum, vt Iouis in taurum, hominis alicuius in ſidus, & ſimiles. Vel potiùs Simonis Magi, & Gnoſticorum innuere commenta voluit, ac præſtigias, de quibus hiſtoria Eccleſiaſtica, Irenæus, Iuſtinus, Epiphanius, & plures alij. Inter alia Simon, ad quam volebat ſpeciem transformabatur, & alios, quos voluiſſet, in variarum animantium formas mutabat. Oecumenius indicari putat Valentinianos, qui *βυθὸν καὶ σιγὴν* comminiſcebantur, profunda, & ſilentium: veriſimile autem eſſe eo tempore ipſos iam ſuboriri incepiſſe. Quidquid ſit de iſtorum hæreſi, Valentinus certè multò pòſt extitit, nempe Chriſti anno centeſimo quinquageſimo ætate Irenæi, qui ex profeſſo diſputat contra illum, exponens quid ſibi voluerit per duas dictas voces: quod & accuratè Tertullianus facit proprio libro, necnon aliquoties in libro de præſcriptionibus præter alios. Appellat priore loco primis verbis Valentinianorum frequentiſſimum planè collegium inter hæreticos, quia plurimùm ex Apoſtatis erat, & ad fabulas facile, & diſciplina non terrebatur.

Cur 2. Petrus transfigurationis hic mentionem fecerit.
b Mat.17.2.& ſeq.

Etſi verò doctarum fabularum nomen doctos hæreticos denotet, nec id negari de multis hæreſiarchis poſſit, quod attinet ad naturalem doctrinam, quæ philoſophica dicitur, ita vt *philoſophi Patriarchæ hæreticorum* non ineptè nominentur à Tertulliano [c], *atque hæreſes à philoſophia ſubornatæ*: & doceat Hieronymus [d] (qui dictum illud approbat Tertulliani) nullum hæreſim ſtatuere poſſe, niſi qui ardentis ingenij ſit, & habeat dona naturæ, quæ à Deo artifice ſunt creata [e], doctiſſimóſque affirmet fuiſſe Valentinum, Marcionem, Bardeſanē, nihilominus nec hoc in omnibus locum habet; & *euanuerunt omnes in cogitationibus ſuis* [f], ita vt diuina deſtituti ſapientia, gratiáq; fœdiſſimos inciderint in errores plurimùm etiam repugnantes à recta ratione, & lumine naturali, *& dicentes ſe ſapientes, & Gnoſticos*, hoc eſt, ſcientes, *ſtulti facti ſunt* [g].

Philoſophi Patriarchæ hæreticorum cur dicti.
c Apol. c. 47. con. Hermog. c.8. de præſc. c.7. 5. con. Mar. lib. de reſur. carnis.
d in Ier. libel con. Pelag.
e in Oſe.c.10.
f Rom.1.21.
g ibid.22.

Inter ſigna Eccleſiæ poſuit vnum Thomas Bozius [h] ignorantiam hæreticorũ, quam potuit pluribus exemplis demonſtrare. Illud verum, vel à Catholicis ſuffuratos; vel ſolidioribus diſciplinis minus excultos. Immo nunc apud Græcos qui tanta olim ſapientia floruerunt, non ſolùm altiſſima verſatur ignorantia, ſed cautum eſt, ne monachi, è quorum numero dumtaxat eliguntur Epiſcopi, philoſophiæ dent operam [i]. Suos quoque vetuit hactenus Moſcus Princeps, vt ferunt, literas addiſcere: meliora nos Demetrius inter Catholicos Polonos inſtitutus, vt ſe dant eius initia imperij, ſperare iubet. Fungos meritò Irenæus [k], & Epiphanius [l] Gnoſticos maximè cognominant: Tertullianus, ac Athanaſius [m] beſtias Lucifugas hæreticos quoſcumque: quamuis, ait ille [n], omnes tumeant, omnes ſcientiam pollicentur: *matrem habeant*, vt ait Hieronymus [o], *iniquitatis ſua ſuperbiam, dum ſemper ſe ſcire altiora iactitant*: denique ſe, vt aliquoties dixi, & de cunctis Epiphanius [p] pronunciat hæreticis, quaſi peritos, ſcientes, & rerum diſciplinarúmque multarum cognitores Gnoſticos appellitent. Ad extremum, quadrat optime quòd ſcribit Auguſtinus [q]. Sunt enim Hæretici, quod fatendum eſt, fabulones, id eſt, qui fabulas vanas, eaſdémque longas perplexáſque contexuerunt, & tam multis falſis dogmatibus pleni ſunt, vt ipſi quoque illa numerare nõ poſſint, aut difficillimè poſſint. *De Gnoſticis verò tradunt*, inquit [r], *dogmata fabuloſiſſimis plena figmentis*, &c. *& illos qui eis credunt, faciunt nõ multa, vt putant, ſcientia præpollere, ſed multa, vt ita dicam, fabuloſitate vaneſcere.* Dignum prurientibus auribus, & à veritate auditum auertentibus, atque ſe ad fabulas conuertentibus [s] præmium. Has Paulus [t] monet vt fabulas vitemus. Quanquam quòd attinet ad humanam doctrinam, placuit Deo parũ ab ea inſtructos prædicatores primos eligere, *vt confunderet ſapientes* [u], *& potentiam ſuam magis declararet.* Oſtendimus id alibi: & egregiè paucis illis verbis Auguſtinus [x]. *Si autem, vt verum eſt, paucis, obſcuris, minimis, indoctis eam (reſurrectionem) ſe vidiſſe dicentibus, & ſcribentibus credidit mundus, cur pauci obſtinatiſſimi, qui remanſerunt, ipſo mundo iam credente adhuc vſque non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus teſtibus multò mirabilius Diuinitas ſe ipſa perſuaſit. Eloquia namque perſuadentium quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba.* Paulo poſt ait: *Si qui non credunt facta miracula, hoc nobis vnum grande miraculum ſufficere, quod terrarum orbis ſine vllis miraculis credidit.*

h lib 11.c.12. *Ignorantia hæreticorum ſignum eſt Eccleſiæ.*
i Petrus Belonius 1.obſer. 40.
k lib. 1.c.33.
l hæreſ.26.
Hæretici ſunt fungi & beſtiæ lucifugæ.
m orat. 1. cont. Arian.
n de præſcr. c.41.
o in c.5. Oſee.
p hæreſ.31.
q li. de hæreſ. ſub finem.
Hæretici ſunt fabulones.
r cap.6.
s 2.Tim.4.3. 4.
t 1.Tim.1.4. c.4.7. Tit.1. 14.
u 1.Cor.1.27.
x 22. de ciu. c.5.
Conuerſio mundi per Apoſtolos plane mirabilis.

Omnes externas, & alienas doctrinas appellare poſſumus fabulationes [y], quas narrant (vel fodiunt iuxta verbum Hebræum כרו *charu*,) iniqui, per quas nos deijciant in foueas. nam idem nomen שיחות *ſcichoth*, cum puncto in dextro *foueas*, in ſiniſtro ſignificat *nugas, & ineptias*.

y Pſa.118. 85.

Obſeruari hic demum poteſt fabulas pro omni orationis genere ſumi poſſe, ſicut & *μῦθος*, & pro veris narrationibus, non tam arctè, quam ſumpſit Macrobius [x], quaſi à fando: quemadmodum & fabulari loqui eſt. Nec probanda fabulæ notatio, à faciendo, ac ſi dicas factibulam [z]. Vertit autem Syrus, *nequaquam enim poſt parabolas artificioſè factas, ſeu a te elaboratas, ambulamus.*

x in ſom. Scip.c.2.
z Cauſabon. 1. de Satyra.c.2.

Virtutem, & præſentiam.] *Δύναμιν καὶ παρουσίαν.* Virtus ergo hìc non eſt moralis, & non amplius legendum, vt hactenus adeo multi habebant libri, & expoſitores ipſi *præſcientiam*, ſed *præſentiam*: præſentia verò aduentum ſignificat, vt aliàs ſæpiſſimè [b] hoc ipſo nomine Græco, quod Latinè redditur aduentus. Quamquam qui notatos hîc in margine legit locos, deprehendet de ſecundo in iis aduentu ſermonem eſſe, qui vocatur etiam aliquando *ἐπιφάνεια* [c], retento Latinè eodem nomine *aduentus*: primum autem per Incarnationem aduentum reperio appellatum *ἔλευσιν* [d], & Chriſti publicam manifeſtationem, & prædicationē,

b Mat.24.3. 27.37.39. 1.Cor.15.23. 1. Theſſ.2.19. c.3.13.c.4.15. c.5.23. 2.Theſſ.2.1.8. Iac.5.7.8. 2 Pet.3.4.12. 1.Ioan.2.28.
c 1.Tim.6.14. 2.Tim.4.1.8. Tit.2.13.
d Act.7.52.

ſiue

ſiue quod iam aduentus ſit παρουσία[a], cum ſit eadem quoque Latina vox aduentus. Vatablus, Salmeron, Clarius, Gagneius, Caietanus, Eraſmus, Feuardentius, & Sa explicant de aduentu & præſentia per Incarnationem. Melchior[b] Canos virtutem, ſiue potentiam explicat, qua *Verbum caro factum eſt*[c]: præſentiam, *qua habitauit in nobis*[d]: virtutem, & præſentiam ſimul, quia *Filius hominis erat in cælo*[e], hic eſt, anima eius videbat Deum, & viuebat tamen in mortali corpore ſuper terram, iuxta illud ex Pſalmo[f]: *Beatum faciat eum in terra.*

Ego præſentiæ nomine, Oeconomiam totam Chriſti in carne comprehendo: per virtutem intelligo magis propriè miracula. Nec diſplicet, ſi per præſentiam interpretemur aduentum ſecundũ, qui erit in maieſtate, ac virtute, & cuius trãſfiguratio[g] typus quidam fuit, de qua mentio ſubiicitur. Certè paolò antè hortatos erat[h] ad opera bona: vt ſic abundanter miniſtraretur ingroitus in æternum regnum: meminerat quoque proximè de obitu ſuo: eſt autem cum morte, iudicióque cognatio Adamus potii docet παρουσίας pro οὐσίας, quæ ſignificat copiam, opulentiam, & præſtantiam. Tunc ferè ſynonymum eſſet cum δύναμις. Sed huius exemplum notionis vellem attuliſſet: equidem non inuenio.

Speculatores.] Ἐπόπται oculis noſtris conſpicientes, oculati teſtes fuerunt Apoſtoli, vt alibi Petrus[i] dixit, & [k] Ioannes, addentes *ſe vidiſſe, & contrectaſſe manibus, manducaſſe, ac bibiſſe cum illo, ita vt etiam non poſſent non loqui, ac veritati deeſſe teſtimonium.* Hi quos vocat Deus teſtes ſuos[l], & quos Iob[m] ab ipſo dicit inſtauratos, id eſt, confirmatos, nempe ab ipſo poſt ſuam reſurrectionem, & poſt aſcenſionem ſuffecto Matthia[n], miſſo Spiritu[o] ſancto. His cõgruit illud Eſaiæ[p]: *Vox ſpeculatorum tuorum: leuauerunt vocem, ſimul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit Dominus Sion.*

Solus hoc nomine Petrus, & verbo ἐποπτεύω[q] vtitur, ſæpius autem inuoluunt attentam inſpectionem cum cura, annotatione, cẽſura etiam, & ſunt aliquando ἐπόπται Budæo[r] interprete arbitri ſacrorum, dignitatéque præcedunt μύστας, hoc eſt, *initiatos ſacris*, quod antea notauerat Suidas[s]: & ille præterea ἐποπτείαν dici ait vltimam initiatorum ceremoniam; neque enim ſimul vt initiati aliqui erant, ſpectatum admiſſos eſſe. Affert de hac teſtimonia Platonis[t], Plutarchi[u], Nazianzeni[x], Syneſij[y]. Conuenit loco ſignificatio iſta, quoniam intelligit Petrus priuilegium illud ſingolare viſę transfigurationis à ſe, à Iacobo, & à Ioanne iſtius fratre. Erant iſti tres Chriſto cariores, vtpote quibos nomina commutauerit[z], vel impoſuerit noua[a]: ad filiæ Archiſynagogi ſuſcitationem[b], & in hortum oliuatum ſuprema illa nocte admiſerit[c]: liberius qooque reprehenderit[d]: & Petro Eccleſiam[e], Ioanni matrem[f] commendauit: Iacobo dedit primatum martyrij inter Apoſtolos[g].

Multas attuli cauſas cùm copiosè diſſererem de toto hoc transfigurationis myſterio, cur placuerit Chriſto tribus hiſce dumtaxat illius viſionẽ communicare. Placet nunc illa, quia agonem in horto viſuri erant, armari quodãmodo debuerant viſione gloriæ Chriſti. & vt non offenderentur ipſi, & vt deinceps cõſtitutos in tam neceſſario mortis articulo ſeipſos, alióſque animare poſſent. & alios de Chriſti diuinitate reddere certiores. Si paſſus eſt in horto Chriſtus pauorem[h], tædium, triſtitiam, mœſtitiã, occurrere poterat mẽ-

ti trium Apoſtolorum ingens transfigurati voluptas, lux, cãdor, maieſtas: pro tam ſupplici, & enixa oratione vſque ad ſudorem ſanguineum, ita vt egere videretur confortante Angelo, cohoneſtatio aſſidentium ipſi, Moſis, ac Eliæ præceſſerat, vóxque Patris Filium compellantis, atque vt audiretur ab omnibus, imperantis. Hæc ratio elicitur ex Interpretibus capitis vigeſimiſexti Matthæi, Chryſoſtomo, Theophylacto, Euthymio, Remigio, Chriſtiano Druthmaro; & in cap. XIV. Marci ex Victore Antiocheno, & iterũ ex Theophylacto. De Elia, & Moſe ſi noſſe cupis, conſule longam diſputationem noſtram quam dixi. Sed nonnihil poſtea proferemus.

Illius magnitudinis.] Τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος. Maieſtatem aliquãdo vertit Interpres[i]. Sed fere ſemper eam ponit, vbi eſt Græce δόξα, gloria, interdum vbi μεγαλωσύνη[k], ſemel præter hunc locum vtitur nomine magnitudinis[l], etiam loco μεγαλειότητος, ſtupebant autem omnes in magnitudine Dei, ἐξεπλήσσοντο δὲ πάντες ἐπὶ τῇ μεγαλειότητι τοῦ Θεοῦ. Inter transfigurationis rationes, ad rem noſtram facit quæ ab Ephrem[m] aſſignatur, & à Baſilio[n] magno, Baſilio[o] Seleucienſi, Cyrillo[p] Alexandrino, Andrea[q] Cretenſe, Anaſtaſio[r] Sinaita, Ioanne[s] Cypariſſiota, Maximo[t], Chryſoſtomo[u], Damaſceno[x]: omnibus fere Græcis Euangeliorum enarratoribus, vt ſe iudicem venturum Chriſtus declararet in poteſtate magna & maieſtate[y], Ioachim[z] quoque Abbas, Iãſenius[a], & Gagneius[b], & Catharinus[c], & Arboreus[d]. Ideo volũt Moſem, & Eliam apparuiſſe, quia ante iudicium redituri ſunt in hunc mundum. Citat Ianſenius Hilarium[e], & fauent alij, qui negant adhuc Moſem mortuum, aut certè volunt reſurrecturum eo tempore, ac denuo moriturum. Sed neutrum eſſe verum & de reditu, & quod non ſit mortuus, aut quod ſit rurſus moriturus demonſtraui citato loco: quemadmodum eadem duo de Ioanne Euangeliſta falſa cenſeo, atque de Ieremia. Maldonatus[f] minus profectò rectè oppoſitam de Moſe opinionem, quæ longe communior, & verior eſt, cenſet temerariam, & impudentem. Lege Viegam[g].

Ioannem venturum ad iudicium, ſentẽtia fuit Hippolyti[h] martyris, Dorothei[i], Metaphraſtis[k], Damaſceni[l], Georgij Trapezũtij[m], Catharini[n]: probabilem putant Theophyl.[o] & Euthymius[p]. Fauet Ambroſius[q]. Legendus quoque Suarez[r] qui pro Moſis reditu, & vita profert adhuc Ambroſium[s], Hieronymum[t], Nyſſenum[u]. Tractat idem Auctor[x] ex profeſſo rurſus eadem de re, & affert pro ſententia de Ioanne Sabellicum[y], Freculphum[z], & B. Antoninum[a], qui citat Ioannem Dominicum, & Theophilum. Poſt alios diſputat hoc idem argumentum Thomas Maluenda[b]. Affert de Moſe Clarium[c], de Ioanne Vielmium[d], Pinedam[e].

Porrò magnitudo ſiue maieſtas, & gloria Chriſti deſcribitur ab euangeliſtis[f], quod *reſplenduerit facies eius ſicut ſol, ſiue que euaſerit altera, & veſtimenta facta ſint alba ſicut nix, ſeu ſplendentia, ac refulgentia, & candida nimis, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.*

Fuit hic quidam effectus claritatis, vnius ex glorioſi corporis dotibus: quæ dotes tamen non proficiſcentor naturaliter ab animæ gloria, cùm ſint materiales, ſed tamquàm debitæ tribuentur immediate à Deo, qui ſolus vt cauſa principalis eas producat: debitæ, inquit, vel ob meritum, vel

ob

ob connaturalem proportionem inter animam, & corpus beatorum.

Corporis gloriosi dotes Christo debebantur.

Debebatur corpori Christi dotes omnes, gloriáque corporis propter hypostaticam vnionem, & animæ beatitudinem; sed vt opus redemptionis exequeretur in corpore passibili, voluit iis carere. In priore sensu Patres quidam dicere videntur, etiam ante transfigurationem illas in Christi corpore dotes fuisse, vt Nazianzenus [a], Epiphanius [b], Damascenus [a], Andreas [d] Cretensis, Anselmus [c]: nec aliter intelligendi, qui claritatem ab anima Christi beata docent effectam, B. Thomas [f], Abulensis [g], Nicolaus de Cusa [h], Augustinus [i], Caietanus [k]. Lege Franciscum Suarez [l]. Refert Pellartus [m] Paulum Orosium docuisse, Commentario in Cantica, lumen illud in vultu Christi propter debilitatem humani visus conspectum non fuisse passim ab hominibus, sicut dici solet in corpore glorioso fore inuisibile oculis mortalium, nisi noua videndi vis addatur: & ea de causa Mosem faciei suæ velum imposuisse [n]. Non credo, & propter prius dictam causam, & quia sibi ipsi gloriam corporis cómeruisse Christum, tenent omnes Theologi.

a ora. 49. b hæres. 29. c ora. de transfigu. d ibid. e in Eluci lat. f 3. p. q. 45. a. 2. g Mat. 17. q. 31. & 114. h lib. 5. excita. pag. 512. i ep 56. k in c. 17. Mat. l Tom. 2. de Incar. disp 32. sect. 3. m in Pomerio ser 1. de trans. n Exod. 34. 33. 2. Cor. 3. 13.

Candor in vestimentis vnde prouenerit.

Neque verò etiam puto, splendorem in vultu, candorémve in vestimentis eiusdem Christi, prouenisse dumtaxat extrinsecus à nube lucida, vt videtur innuere Cosmas citatus à Cyparissiota [o]. Non differebat ea lux ab illa, quam Beatorum corpora sunt habituri, nisi quo differt modo qualitas fluens à permanente: beatis autem illis corporibus communicandam intimè inhærentem lucem contra Durandum [p], æquè omnis consentit schola Theologorum, etsi nonnihil dubitet Scotus [q]. Qua de re plura Suarez [r], vósque vbi supra, necnon in disputatione de beatitudine. Quamquam probabilius ducimus in sola superficie corporis Christi fulgorem hæsisse, quoniam satis id erat ad scopum, quem intendebat Christus, frustráque in iis partibus fuisset, quas videre turpe potius fuisset, vel horrendum. Ita quidem cum B. Thoma [s], & Durando [t] idem Suarez [u].

o decade 6. c. 4. p 4. dist. 44 q. 8. q 4. dist. 49. q. 15. r Tom. 2. de Incar. disp. 48. sect. 1. s 3. dist. 16. q. 2. art. 1. ad 3. t 3. dist 6. q. 2. n. 7. u supra disp. 32. x Mat. 17 q. 47. y ora. de transfigu. z in Sym. c. 22. a 12. de ciu. c. 9.

Membra Christi in transfiguratione quænam splendida apparuerint.

Igitur qui cetera conspecta splendentia quoque præter faciem (de qua sola concedit Abulensis [x]) membra dicere videntur Ephrem [y], Ambrosius [z], Augustinus [a], Hieronymus [b], Glossa [c] (quæ præterea carnem radiasse per vestimenta docet) Origenes [d] (qui notat eo tempore Mosem non in vultu solùm, sed in toto corpore clarificatum fuisse) Auctor [e] operis de mirabilibus scripturæ, accipiendi sunt de illis, quæ cum decore, ac honestè conspici possunt, vt collum, manus, pedes.

b ep. 61. c In c. 9. Luc. d hom 12. in Num. e apud Aug. lib. 3. c. 30.

Iidem proximè citati Patres, ac insuper Tertullianus [f], Auctor [g] librorum de mirabilibus scripturæ. Alensis [h], & Albertus [i] colorem album in vestimentis aiunt ex lumine corporis Christi extitisse (quod item de nube splendente Caietanus [k] asserit) scilicet lumine absorbente natiuum colorem, si alius erat, ne tantisper appareret: non quod nouus denuo, vt Abulensis [l] credit, productus fuerit, & abeunte lumine prior redierit. Comparat idem Abulensis [m] claritatem istam Christi cum ea quam habuit Moses [n] in monte Sina, & cum illa, quam tribuebant nonnulli B. Virgini à conceptu Filij sui vsque ad partum [o].

f 4. con. Mar. c. 22. g supra. h 3. p. q. 21. i 10 Mar. 9. & 10 Luc. c. 9. k in c. 17. Mat. & 3 p. q. 45. a. 2. ad 3. l Mat. 17. q. 45. & 46. m ibid. q. 33 & 34. n Exod. 34. 29. 2. Cor. 3. 13. o supra q. 33. de qua etiam c. 1. post q. 44. in expositione.

Diuina essentia ab Apostolis visa non est.

Ad extremum, poni debet hoc loco tamquam magis certum, non esse ab Apostolis tunc visam Essentiam diuinam. Hoc præ se fert Tertullianus [p], Leo [q], Chrysostomus [r], Cyparissiota [s], Damascenus [t], Albertus [u], Nicolaus de Cusa [x]: ex quibus Tertullianus, & Chrysostomus docét, quod si vidissent, vitam amisissent: Cusanus magis credidisse voci Patris, quàm ipsimet visioni. Verùm quia inde magnum fuit Apostolis argumentum, ac veluti demonstratio quædam ad persuadendam Deitatem Christi, dicere nonnumquam Patres aliqui videntur, perceptam essentiæ diuinæ visionem ab Apostolis, aut gloriæ nomine: sient & regni, externum illud intelligunt lumen, ac decorem vultus, & vestimentorum Christi. Hoc pacto præstitum Mosi tunc promissum de gloria videnda Dei [y]: idem tradit Tertullianus [z], qui etiam comparās eum raptu Pauli in Paradisum [a], affirmat ostensam illis Apostolis effigiem Christi [b]. Similem vsurpant loquendi modum Irenæus [c], Origenes [d] (qui de Mose, ac Elia agit), Cyrillus Ierosolymitanus [e], Dionysius [f], Nazianzenus [g], Damascenus [h] quoque, & Andreas Cretensis [i]. Certè qui scholasticè controuersiam tractant de Dei visione, de Paulo solùm, Moséque dubitant: & qui de illis affirmant, non hinc argumentari solent pro Mose. Irenæus, quem citaui, visa in transfiguratione dicit Dei posteriora, prout ei promissum fuerat, hoc est humanitatem Christi.

p con. Prax. c. 15. q ser. de transfigu. r ep. 5. & ora. de transfigur. apud Cyparissiotam. s decadis 6. c. 4. t ora. de trans. u 10 c. Mat. x 5. excitationum, pag. 512. y Exod. 33. 13. z con. Prax. c. 14. & 4. cont. Mar. c. 22. a 2. Cor. 12. 4. b con. Gnosticos c. 12. c lib. 4. c. 37. d homil. 7. in Num. e Catech. 10. f c. 1. de diui. nominibus. g ora. de mod. in disp. h ora. de transf. i ibid.

Posteriora Dei quomodo Moses viderit.

Vix exponi potest Glossa ordinaris, quæ cùm declarat sententiam Christi, *quosdam non gustaturos mortem, donec viderent regnum Dei* [k], ait vidisse æternum gaudium, tametsi ad breue tempus. Interlinearis quoque in Matthæum [l] docet in ea claritate vidisse Filium Dei in trāsfiguratione, in qua erit peracto iudicio. Hoc posset commodiùs accipi de corporis æterna gloria, necnon patitur eumdem aliqua ratione sensum prior Glossa.

k Mar. 8. 39. Luc. 9. 27. l Mat. 16. 1. & seq.

Vers. 17.] Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.

Vers. 18.] Et hanc vocē nos audiuimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto.

Deus Pater Christum quanto honore sit dignatus in transfiguratione.

HÆc est expressior descriptio magnitudinis & maiestatis diuinæ, quæ se ostēdit in trāsfiguratione, continétque singularem honorem, & gloriam, quam Christo Pater exhibuit in mōte Thabor, scilicet illum ornando ingenti splendore, & comitatu Mosis, & Eliæ, & clarissimo testimonio, quo & Filium suum esse declarauit, & imperauit, vt eum audirent omnes, eíque obedirent ceu doctori, atque legislatori, & Principi. Horum se Petrus oculatum, & auritum fuisse testem dicit cum aliis condiscipulis, Iacobo nimirum, & Ioanne eiusdem fratre.

Cur transfiguratio facta sit coram Mose & Helia.

Quia verò satis pro ratione instituti de lumine ipso, déq; præsentia dixi Apostolorū, de vocis testimonio paternæ, superest dicamus & de monte. De Mose, & Elia obiter potest afferri multorū ratio, vt cognosceretur Christus omnibus, qui maximi fierent à Iudæis inter Prophetas. (Mosis cornuta ex splēdore facies fuerat, & in nube, nebula, caligine Dei gloriā viderat [m]: Elias in igne, commotione, sibilo auræ tenuis [n], curru quoq; vectus

m Exo. 34. 29. c. 34. 35. Num. 12. 8. n 3. Reg. 19. 12.

igneo [a] superior) nec legi tamē, & Prophetis contrarius, aut blasphemus vsurpatur Diuinitatis: præterea, vt futurus iudex viuorum, ex quibus Elias adhuc erat, eiúsque, & mortuorū, in quorum numero Moses, siue ad breue tunc tempus resurrexerit, siue potius in assūpto aereo corpore, quod Deus, aut Angelus formauerat, apparuerit, sicut de anima Samuelis multi dicunt, quando Sauli apparuit [b]. Postremò vterque flagrauerat amore proximi, ac multa non à tyrannis modò, sed à contribulibus etiā passi, benigni, & apud Deum deprecatores pro illis extiterant; & ambo per quadraginta dies, sicut postea Christus ieiunauerant: idcirco aptissimi diuinitatis, & futuræ passionis Christi testes, eiusdémque gloriæ spectatores. Nam quòd Moses nōdum mortuus, vel denuo resurgens venturus sit ad iudicium, improbabile mihi videri prius dixi: vt nec idcirco hæc sit recipienda causa, quare interfuerint transfigurationi Christi.

Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam.] Glorificatus est statim Christus in conceptione visione Dei: tunc etiam & in natiuitate ab Angelis [c]: ab iisdem in deserto [d]: item in natiuitate à stella, & Magis: in Baptismo Patris testimonio, & Spiritus sancti in columbæ specie [e]: in transfiguratione, de qua hic loquitur Petrus. Agnitus est etiam communis magister [f], propheta potens in opere & sermone [g], vt nunquam sic locutus esset homo [h]: in ipsa passione ac morte prodigiis editis adeo magnis & multis, ita vt percutiētes pectora faterentur filium Dei [i]: in resurrectione, & ascensione: in missione spiritus sancti: tandémque glorificabitur in iudicio vniuersali ac deinceps in secula sine vlla contradictione.

Accipiens.] Λαβὼν. Cùm accepisset, Accipiens fuit, acceperat. Nominatiuum pro Genitiuo absoluto Gagneius & Adamus agnoscūt more Græcorum: Vatablus ait idiotismū Hebræum esse, quo verbum subintelligitur posito participio solo. Hoc secundum prior notauerat Oecumenius.

A Deo Patre.] Non sumpsit sibi honorē [k], sed accepit datum: *Non rapinā arbitratus est esse se æqualem* [l] *Deo*, vt Lucifer [m]: ideóque se humiliando, ac veluti deponendo diuinitatē, minimè veritus est, ne illam amitteret: Non Angelis mediatoribus opus est, vt Simon somniabat magus. Honorē & gloriam accepit Christus externam in transfiguratione, sed quę non conueniret, nisi ei qui simul Deus esset, & de quo verè affirmare Pater posset: *hic est Filius meus*, &c. vt idcirco Paulus Christi sacerdotium probauerit *ex eo, quòd Filius erat Dei* [n], etiam Christus vt Deus accepit à Patre, quia Filius est, proinde quemadmodum sępiùs dixit ipse de se, vel de eo Ioānes Baptistā, *Omnia tradita esse ei à Patre* [o]: *omnia dedisse Patrem in manus eius* [p]: *omnia sua, esse Patris* [q]: *etiam doctrinam* [r]: *sic & Patrem Christus prōnūciauit maiorē* [s]. Qui locus etsi ab aliis intelligatur propter humanitatem: sumitur quoque tamen a non paucis ratione diuinitatis, quā accepit à Patre per generationem. Ad eū modum interpretatus est Chrysostomus, Leōtius, Theophylactus, Euthymius in Ioannē; præterea Athanasius [t], Nazianzenus [u], Cæsarius [x] frater eius, Epiphanius [y], Cyrillus [z] Alex. Damascenus [a], Hilarius [b], Basilius [c], Orig. [d] Phæbadius [e]. Hoc pacto esse maiorem Patrem est, esse origine & ordine priorem; non autem dignitate, propriè loquēdo, vt Clictouæus [f] tamen loquitur, dicens *in Patre prins pabiorem esse modum existendi, quàm in Filio, & Spiritu sancto*, qui ab eo sumunt originē: quem benè confutat Gabriel [g] Vasquez noster. Porrò hinc Irenæus [h] argumentatur eundem esse vtriusque Testamenti Deum, cum Deus Pater coram Mose, & Elia Filio testimonium præbeat.

Honorem, & gloriam.] Τιμὴν καὶ δόξαν. Alludit forsan ad Psalmum octauū [i], quo vtens quoq; Paulus [k], ait Christum, qui *modico quàm Angeli, minoratus est, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* In transfiguratione præter ornamentum lucis, prædicatus est paterna voce, celebratus est Mosis ac Eliæ præsentia, qui vnà collocuti cum Christo, eius proculdubio laudes pronunciauerunt. Collocutio cum Christo (quāuis Cyrillus [l] Ierosolymitanus asserat cum discipulis) fuit de excessu, siue morte ac passione: illóque ipso tempore tanquam illi, cuius iam certa victoria esset, honoris, & gloriæ corona imposita est. Immò crucem ipsam Christus gloriæ loco habebat, & de illa, ac in illa triumphabat. Et quemadmodum quinque diebus ante mortem triumphās ingressus est in Ierusalēm [m]: Ita non valdè diu, sed summum, sesquianno ante mortem, vt ait Abulēsis [n], transfiguratus est. Nam quod aliqui apud Glycam [o] accidisse tradunt proximè præcedente feria quarta, penitus incredibile est.

Ammonius [p] Alexandrinus, anno Christi 33. ponit, necnō B. Vincentius [q], Iansenius [r], Baronius [s], & alij contextores historiæ Euangelicæ, dempto Beauxanis, qui anno 32. Certè proximè ante transfigurationem prædixerat Christus passionem suam [t]. Euthymius [u] verò testatur apud Lucam [x], pro nomine τὸν ἔξοδον, quem excessum Interpres reddidit, alios legisse δόξαν, i. gloriam, quo pacto legit etiam Chrysostomus [y].

Voce delapsa.] Φωνῆς ἐνεχθείσης. Versu sequenti participium idem exponitur verbo afferendi *vocem de cælo allatam*, quoniam ceu ex loco superiore loquentis vox audiebatur, delapsa dicitur, sicut & de cœlo, i. de nube, ἐκ τῆς νεφέλης, vt Euangelistæ [z] scripserunt. Habet hoc auditus, sicut & nonnulli alij aliquo modo sensus, etiam præter visum, vt sonum, vnde veniat, percipiat ex loco supero, vel infero, remoto, propinquo, &c.

A magnifica gloria.] Ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης. *A nube lucida*, in qua Pater loquebatur, & sic magnificè apparebat, Filiumq; magnificabat: vt omnes passim explicant. Augustinus [a] *de magnifica potestate Vocem formauit Trinitas tota, sed illa Patrem indicabat solum*, quemadmodum & in Baptismo columbam fecerunt personæ tres quæ referebat solum Spiritum sanctum: similiter Humanitas Christi ab omnibus personis producta est: vnus autem Dei Filius eam sibi hypostaticè coniūxit. Itē Deus linguas igneas excitauit: illę Spiritū sanctum tantūmodò designauerunt. Docet hæc Augustinus [b], Fulgētius [c], S. Thomas [d]. Sed parū refert, si Angelū formatorē vocis faciamus immediatū, sicut & nubis, loquebatur enim vice Patris.

Hic est Filius meus dilectus.] Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός. De nomine τοῦ ἀγαπητοῦ egi alias: de quo etiam Hieronymus in epistolam ad Philemonem, docens plus esse, quod sit aliquis diligibilis, i. dignus qui diligatur, quàm dilectus, quoniā & inimicos ex mandato Dei diligimus [e]. Quādo Christus à Ioanne baptizatus est, eadem audita vox [f]: nisi quod Marcus [g], & Lucas referunt directam ad eundemmet Christū [h], licet Matthæus ita recitet vt nunc Petrus [i]. Credere possumus illos duos priores euangelistas, verba ipsa, Matthæum

a 4. Reg. 2. 11.
b 1. Reg. 28. 14. & seq.
c Heb. 1. Luc. 2.
d Matth. 4.
e cap. 3.
f Ioan. 3.
g Luc. vlt.
h Ioan. 7.
i Matth. 27. Luc. 23.
Hebraismus.
Christus nō sumpsit sibi honorē, sed accepit datum.
k Heb. 5. 4.
l Philip. 2. 6.
m Esa. 14. 12.
n Heb. 5. 5.
o Matth. 11. 27.
p Ioan. 3. 35.
q Ioan. 17.
r Ioan. 7. 16.
s Ioan. 14. 28.
g 1. p. disp. 122. c. 5.
h lib. 3. c. 11.
i vers. 6.
k Heb. 2. 7. 9.
Colloquium Christi cū Mose qu ale fuerit.
l catech. 12.
m Mat. 21. & seq.
n Matt. 17. q. 17
o in Annal.
Transfiguratio quo anno Christi acciderit.
p in harmo. Euang.
q ser. 2. de hoc Euang.
r concord. c. 67.
s Tom. 1. Annal.
t Mat. 16. 21.
u in c. 9. Luc. ibid.
x Luc. 9. vers. 31.
y hom. 57. in Matth.
z Matt. 17. 5. Mar. 9. 7. Luc. 9. 35.
a Tract. 35. in Ioan.
Tota Trinitas sancta bene vocem formauit.
b serm. 38. de temp. & 4. de Trinitate, cap. 21.
c lib. de Fide, cap. 9.
d 3. part. q. 39. art. 8. ad 2.
Diligibilis plus est quam dilectus.
e Matt. 5. 44.
f cap. 3. 17.
g cap. 1. 11.
h cap. 3. 22.
i cap. 3. 17.

posuisse dūtaxat sensum, quia consentaneum videtur, vt ad eum vox dirigeretur, in quem descēdebat Spiritus sanctus in baptismo. In transfiguratione autem de Filio loquens Pater, ad alios conuertebat sermonem.

In articulis vim faciūt multi, quasi diceret: Hic est Filius ille meus, ille inquam dilectus, siue carissimus, nempe naturalis, vnicus. Ἀγαπητὸν, Athanasius sumit pro vnigenito, sicq; al bi scriptura ipsa, æqualis, & cōsubstantialis, nō vt complures alij, gratia rātùm, & adoptione. Scilicet fortassis respectum habuit Pater ad Psalmi verba: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: quibus ad probandam diuinitatem Christi vtitur quoque Paulus. Immo testis est August. in nonnullis codicibus Euangeliorum se illa vltima (*Ego hodie genui te*) legisse, & ea refert Iustinus, Hilarius & Lactantius, idem Augustinus. De hoc dilecto Esaias ru quodam Cantico, & sæpè Salomon in suo.

Huius tantæ dilectionis indicium Ioannes Baptista, & Euangelista direrunt esse, quod *Filio Pater dederit omnia in manu eius. Diligit & Pater Iohannem*, ait Augustinus, (siue Baptistam intelligas, siue Apostolum) alios quoque, & supra omnes Deiparam, & *tamen non omnia dedit in manu eius. Pater diligit Filium*. Sed quomodo Pater Filium, non quomodo seruum: quomodo vnicum, non quomodo adoptatum.

In quo mihi complacui.] Εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα. Interpretes apud Euangelistas scribentes de baptismo, eodem pacto reddit εὐδόκησα, sed addit *bene*, apud Matthæum de transfiguratione. Alij autem id omninò prætermiserūt in narratione trāsfigurationis. Similiter εὐδοκίαν vertūt bonam voluntatem. Aliàs verò exponit per *placitum*, & *voluntatem*, & *propositum*, & *beneplacitum*. Rursus verbum εὐδοκεῖν, alibi quoque reddit *bene complacere*: sed interdum *complacere*, absque addito, & *placere*, & *beneplacere*, & *bonam voluntatem habere*, & *cupide velle*, & *consentire*.

Collegi dedita opera diligenter istitū vocum notiones in Nouo Testamento, quoniam Hieronymus docuit εὐδοκίαν propriè significare *beneplacitum*, quia nō statim omne quod placuit, & bene placere potest. Septuaginta verò Interpretes de Hebræo רצון *ratson*, id transtulisse, rebus nouis noua verba fingentes. Sed Budæus Lysiæ, Polybij, Diodori locos profert de vsu eorumdem in eadem significatione: quamuis fateatur Scripturam Deo dicauisse, & consecrauisse.

Omitto vetus Testamentū, in quo & illa interpretatio proposito fauet in Psalmo LXXXIV. *Benedixisti Domine terram tuam*, εὐδόκησας, id est, inquit idem Budæus, *Gratiosa apud te fuit, in gratiam cum ea rediisti*. Huius verò loci similisve apud Euāgelistas sententiam, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, vel, *Tu es, &c.* ita declarat: *In te animo meo obsecutus sum, in te opus meum probaui, in te mihi placui, & acquieuit animus meus*, quo pacto Cicero dixit vicissim senes in adolescentium caritate acquiescimus, quoniam ille ne in Humanitate quidem quidquam à diuina voluntate desciuit.

Maldonatus de Hieronymo mentionem non faciens, idem sentit quod Hieronymus, Græcum verbum à LXX. introductū, vbique id ponentibus pro רצה *ratsah*, nisi fortè in capite XLII. Esaiæ, vbi est προσδέξατο, ait etiā cūm רצה *ratsah*, & de Deo dicitur, & de hominibus, in scriptura sibi videri de solo Deo dici εὐδοκεῖν. Inter alias vero Hebræi verbi significationes illā obseruat, vt fit placari, reconciliari, in gratiam redire: cuius præter alia exempla, si quod allatū est ex Psalmo octogesimoquarto, ita vt εὐδόκησας רצית *ratsitha*, quod est Latine (benedixisti) sit *placatus es reconciliatus es*. Tādem vult nos hic exponere: (*Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*) nō vt volebat Budæus (cuius nomē præterit) & alij: *in quo valde delector*, vel, *in quo conquiesco*, sed, *In quo*, id est, *per quem placatus ac reconciliatus sum mundo, in quē cum intuear, omnem iram, & offensionem pono*, iuxta illud Esaiæ: *Ecce seruum meum suscipiam eum: electum meum, complacuit sibi in eo anima mea* רצתה נפשי *ratseshah naphsi*: quod tamē, vt dixi, Græce dicitur ibi προσδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου. Eūdem Esaiç locū, quem Matthæus quoque citat, Irenæus legit: *In quo bene sensi*, & illum alium, qui in narratione baptismo profertur: *in quo mihi bene cōplacui*. Cyprianus eum, qui de transfiguratione: *in quo bene sensi*, qui autem de baptismo: *in quo mihi bene cōplacui*. Tertullianus præsentem: *in quo bene sensi*: necnō Augustinus. Quocirca duobus modis intelexerunt: *Erga quem bene affectus sum*, & *cui bene volo*: *aut de quo bene sentio*. Chrysostomus, Euthymius exponunt, *in quo delector*. Ambrosius idem indicat, dum interpretatur in quo Patrem, quia omnia quę habet Filius, habet Pater, sicut & quæ Patris sunt Filij sunt. Theophylactus: *Super quē requiesco, & mihi placet*. Augustinus explicat: *Placuit mihi in te constitui, per te decreuis implere quod mihi placet, vt deinceps nō dicam: Pœnitet me fecisse hominem*: *per te placui hominibus*. Quo in doxologia illa Angelica: *Gloria in altissimis Deo, &c.* legunt *hominibus bona voluntas*, εὐδοκία, vt Græci expositores Theophylactus, ac Euthymius; itē Eusebius, Naziāzenus, Epiphanius, Basilius, Athanasius, Nyssenus, Andreas Ierosolymitan, Nicephorus; & qui Græcè scripsit Clemēs Romanus, Syriq; codices interpretātur: *In terra pax, hominibus bona vo ntas, i. pax quæ est bona voluntas erga illos, nempe Patris dantis Filiū; & nos sibi per eum reconciliantis, vel quiescentis in hominib. & illis placati*. Alij nec pauciores, & meliores, quos habet Maldonatus, Barradius, Toletus editionē nostrā sequendo, declarādo, vel annuntiatā pacem bona præditis voluntate, & qui libenter suscipiebant Christū: vel quos amabat, & gratos habebat Deus: vel ex diuino beneplacito, nō ex meritis hominū.

Omnes probo locoū istorum explicatos, maximè illū, quo Christus intelligitur velut placabilis, & acceptabilis, gratūq; hostia pro nobis. Fateor etiam, quod & à Theodoreto notatum est, sacras litteras bonam Dei voluntatem appellare εὐδοκίαν, amorem, ac dilectionem eius erga nos. Nego id esse perpetuum. Nam Paulus voluntatem cordis sui vocat εὐδοκίαν: verbū εὐδοκεῖν vsurpat de hominibus & de seipso, & quidem de consensu in malū. Ex vetere Testamēto teperio εὐδοκήσει ἡ γῆ τὰ σάββατα αὐτῆς: *Placebunt terræ sabbata sua*: & εὐδόκησαν οἱ δοῦλοί σου τοὺς λίθους αὐτῆς: *Placuerūt seruis tuis lapides eius*. Ac his fortasse plura qui quæret, exempla inueniet.

Ipsum audite.] Reiicit ista Caietanus. Sed quisuis in libris Gręcis non extent, omnes Latini habent. Ac licet in libris Græcis nō fuissent, meritò addi potuerunt, quoniā recitantur ab Euāgelistis. Hoc scil. est, vt notat Tertullianus, quod cùm petiit populus, ne loqueretur Deus, sed Moses, respōdit Deus ipse: *Bene omnia locuti sunt: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorū similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia*, quæ

Marginalia (left): Ioan.3.36. 1.Ioan.4.9. Psal.2.7. Act.13.33. Hebr.1.5. & 5.5. Dialog. in Trypho. Lib.4.c.15. Enchir.c.49. Ioan.3.35. Ioan.3.35. Tract.14. in Ioan. Matt.3.17. Marc.1.11. Luc.3.22. Matt.17.5. Marc.9.6. Luc.9.35. Luc.2.14. Philip.2.13. Eph.1.5. Matt.11.26. Luc.10.21. Rom.10.1. 2.Thess.1.11. Ephes.1.5. Matt.12.18. Luc.12.32. Coloss.1.19. Rom.15.27. 1.Cor.1.21. 2.Cor.12.10. Gal.1.15. 1.Thess.3.1. Heb.10.6.8.38. 1.Cor.10.5. 2.Cor.5.8. 2.Thess.2.12. 2.Pet.1.17. In Lælio. In c.3. Matt. vers.16. In c.3. Luc. vers.14.

Marginalia (right): cap.42.1. cap.12.18. lib.3.c.11. Matth. 3.17. Gen.6. Luc.2.14. Rom.10.1. 2.Thess.2. Leu.26.34. Psal.101.15. 4.con.Marcion. Deut.18.15.19.

quæ præcepero illis: qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exsistam. Nō prohibet audiri Moſem & Eliam, cum Chriſtus poſtea remiſerit Iudæos ad Moſem [a], & induxerit Abraham reſpondentem diuiti [b], *vt audirēt fratres eius hic Moſem & Prophetas*, & ereorò, confirmauerit doctrinam ſuam, necnō Diſcipuli ipſius teſtimonio eorundē. Sed vnum voluit nos agnoſcere communem Magiſtrum Chriſtū [c], illi parēre, *& ſi amici illius eſſe volumus, facere quæ præceperit nobis* [d]. Tātùm abeſt, vt hinc quod inferunt Hæretici [e], ſequatur, nullum penitus præter Chriſtū audiendum. Hoc eorum ſi conſilium ſequerentur mortales, nullum illi haberent auditorē, nullos haberemus Hæreticos, quod optandū eſt. Cùm baptizatus eſt Chriſtus nō addidit Pater hoc præceptū, quia id tunc agebatur per ſe, vt intelligeretur illum eſſe, per quem genus humanum reconciliādum erat, atque ad diuinæ munus filiationis ex adoptione promouendum. Tropologicè, quia non tam citò docendi munus imponi debet, ſed bene antea probatis & exercitatis. Colligitur porrò errare qui aſſerunt Chriſtum Ieſum a Deo hominibus datum fuiſſe vt redemptorem cui fidant, non etiā vt legiſlatorem cui obediāt. Iis anathema dicit Concilium Tridentinum [f]. Cum item dixerit Chriſtus [g]: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*, malè argumentantur qui negant Pontifices eſſe audiendos; quia hîc refertur præceptum; *Ipſum audite.*

Hanc vocem nos audiuimus.] Argumentum neceſſarium, quo demonſtrat Beda, & alij, vt etiam dudum antea monuimus, auctorem epiſtolæ Petrum eſſe, cùm nec Iacobo, nec Ioanni quis eam vnquam tribuerit, ſummæq; ſcriptor impudētiæ fuiſſet, ſi quod non audiuerat, audiuiſſe narrauiſſet [h]. Audita quidem alia vox eſt [i]: *& clarificaui, & iterum clarificabo*; & alia Angeli confortantis [k], vt notauit Oecumenius: ſed de ſola, quæ accidit in transfiguratione, intelligi hæc debet, quidquid Hugo, aliique dicant: & prima ſanè in mōte non videtur prolata, ſicut de iſta paulò pòſt aſſeritur: baptiſmo autem Chriſti non interfuerunt Diſcipuli, quos nondum habebat.

De cœlo allatam.] Auguſtinus [l] *delatam*, ἐνεχθεῖσαν. Paulo antè erat *delapſa*, pro eodem participio Græco. De cœlo intelligit, quia de aeris ſuperiore parte, ſiue de nube celſiore, prout Euangeliſtæ loquuntur; ſimiliaque ſuppetunt exempla multa: & quia diuinitus, & ab alto formata vox erat.

Cum eſſemus cum illo.] Hoc maius eſt, quàm tantùm audiuiſſe: poterat enim longiùs ad abſentes vox peruenire, vt in Pentecoſte ſonos Spiritus vehementis [m]. Quare magis adhuc ſcriptorem confirmat epiſtolæ Petrū eſſe, qui numero quoque multitudinis vtitur propter alios condiſcipulos duos [n], quemadmodum & Ioannes vnus de illis primis epiſtolæ primæ verbis.

In monte ſancto.] Montibus delectatus eſt Chriſtus: quippe ſpōſus, de quo cantatur [o], *Ecce iſte venit ſaliens in montibus tranſiliens colles*, vt Origenes [p] obſeruauit, confirmans iſto exemplo. In monte [q] tentatus dicitur: prædicaſſe [r], oraſſe [s], turbas paſciſſe [t]: cœnam myſticam celebraſſe [u]: crucifixus eſſe [x], Diſcipulis poſt reſurrectionē apparuiſſe [y]: ex monte in cœlum aſcendiſſe [z]: in montē Spiritum ſanctum miſiſſe [a]. Altitudine, ac receſſu rerum in montibus geſtarum demonſtrare voluit vel altitudinem, vel arcanum, vtque ad eas percipiendas, agendaſve vt corpore, ſic animo attollamur. Vnde etiam Idololatræ in excelſis ſacrificabāt, & altare ab altitudine dicitur. Traduntur hæ ab omnibus paſſim cauſæ.

Magis propria propoſito ratio à Tertulliano [b] tradita his verbis: *In montem ſecedit: agnoſco formam loci, nam & priſtinum populum apud montem & viſione, & voce ſua Creator initiarat* [c]. *Oportebat in eo conggeſtu conſignari nouum Teſtamentū, in quo conſcriptum vetus fuerat.* Chriſtianus Druthmarus [d] innuit & iſtam cauſam, quia in monte excelſo, vt eū Matthæus [e], Marcúſque [f] appellant, calor nō multum poteſt nocere, etiam in æſtate, quādo, inquit, trāſfiguratio ipſa celebrata eſt. De tempore poſtea.

Mons, in quo transfiguratus eſt Chriſtus, ex communi traditione creditur Thabor, vt B. Vincentius [g] docet, quamuis Euangeliſtæ nomē non exprimāt, vt Suarez [h] tamen de illis affirmat. Præter B Vincentium [i], & aliquanto poſteriores illo (recentiſſimis omiſſis) Ludolphum [k], Dionyſiū [l] Carthuſianum, Iacobum de Valentia [m], Abulenſem [n], Baptiſtam [o] Mantuanum, Ambroſium [p], Nouidium, Genebrardum [q], Folēgium [r], Sabellicum [s]. Idem traditur à Cyrillo Ieroſolymitano [t], Philone [u] Carpathio, Damaſceno [x], Euthymio [y], Hieronymo [z], Beda [a], Druthmaro [b], Alberto [c], Thoma Anglico [d], Bonauentura [e].

Quare mirum eſt, Iacobo [f] Fabro Stapulenſi, & Lucæ Brugenſi [g], venire in mentem potuiſſe, dubitare fuiſſe montem Libani, de quo Eſaias [h]: *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron: ipſi viderunt gloriam Domini & decorem Dei noſtri.* Præter veriſimilitudinem iſtius Pſalmi argumētatur, quoniam tunc erat Chriſtus in finibus Cæſareæ Philippi, quæ ciuitas ad radices montis Libani ſita eſt. Hoc vltimum gratis planè dicitur, cùm ea quo tēpore in partibus Cæſareæ Philippi Chriſtus habuerat ſermonem, abierint, minimùm, integri ſex dies. Immò cùm poſt deſcenſum de mōte, finita transfiguratione, & quibuſdam aliis, narretur Chriſtus veniſſe Capharnaum [i], argumentum eſt pro Thabor, à quo in Galilæa ciuitas illa non longe diſtabat. Locum verò illum Eſaiæ nemo alius de transfiguratione intelligit, ſicut de Thabor, quod in Pſalmo LXXXVIII [k]. dicitur, qui etiam Pſalmi ex inſtitutione Calliſti III. de qua poſtea, in Officio Trāſfigurationis recitatur.

Eſt porrò hic mons pertinēs ad tribū Iſſachar, & Zabulō, qui vocatur à Septuaginta Græco more Hebræa nomina declinantibus, vt monet Hieronymus [l], Ithabyrium, necnon à Ioſepho [m], & iuxta Etymologiam locum ſignificat, ſiue ciſternam, vel veniens lumen, vel Electio, vel Puritas, vel Syriacè contritio, & confractio, ſitus vt dixi, in Galilæa inferiore, inter Scythopolim, cāpúmque magnum, non valde à Capharnaum, Naim, Nazareth (duarum circiter horarum itinere hinc abeſt) & ſimilibus pagis, necnō à mari remotus [n], ſed ab Ieruſalē per quadraginta milliaria (leucas vocat Abulenſis [o]) mira rotunditate, altitudine, latitudine, pulchritudine, amœnitate, cōmoditate venandi præditus. Fluit ad eius radices torrēs Ciſon petens Geneſaram. Omni ex parte æqualiter ſeparatus, aulliúſque terminatur, diſtando quatuor, quinquéve millibus paſſuum ab aliis circum montibus. Altitudinem Ioſephus deſcribit triginta ſtadiorum; planitiem in vertice conſtare ſcribit ſtadiis viginti. Vt irrepſiſſe oporteat errorem in Egeſippum, qui Auctorē illum ſequi ſolet, eum addit inſuper ad planitiē alia ſtadia tria. Idem Ioſephus teſtatur ſe muro totū cinxiſſe, &

[Left margin notes:] a Ioan. 5. 45. & ſeq. — b Luc. 16. 30. — c Matt. 23. 10. — d Ioan. 15. 14. — e Caluinus in Harmonia. — *Cur hoc verbo in baptiſmo non dictum fuerit.* — f Seſſ. 6. can. 21. — g Luc. 10. — h Matt. 17. 5. — i Ioan. 12. 28. — k Luc. 22. 43. — l ſerm. 27. de verb. Apoſt. & tract. 35. in Ioan. — *Cur de cœlo delata vox dicatur.* — m Act. 2. 2. — n Matt. 17. 6. — o Cant. 2. 8. — p Hom. 3. in Cant. — q quatenus vocant. — *Chriſtus in montibus quæ ſunt operatus.* — r Matt. 5. 1. — s Matth. 14. 23. Luc. 6. 12. — t Matt. 15. 29. & ſeq. — u in Sion. — x Matt. 27. 33. — y Matt. 28. 16. — z in monte Oliueti. — a in Sion.

[Right margin notes:] b 4. con. Marcion. c. 22. — *In monte cur Chriſtus transfiguratus fuerit.* — c Exod. 19. & 20 & ſeq. — d in cap. 17. Matt. — e ibid. 1. — f cap. 9. 2. — g ſerm. 2. de Euang. Dominicæ 2. in quadrageſima. — h 3. par. to. 2. diſp. 32. ſect. 3. — i ſupra. — k 1. part. de Vita Chriſti, cap. 3. — l in Euang. & in Pſal. 88. & hic. — m in Pſal 88. — n Matt. 17. q. 18. — o in Faſtis. lib. 8. — *In monte Thabor facta eſt Chriſti transfiguratio.* — p in Faſtis. lib. 8. — q in Pſal. 88. — r ibid. — s Decad. 1. li. 5. rerū Venet. — t Catech. 12. — u in Can. lōgè poſt med. — x orat. de transfigur. — y in Pſal. 88. — z epiſt. 27. — a de locis ſanctis, c. 17. — b in cap. 17. Matt. — c in Euangel. — d hoc loco. — e in meditat. cap. 42. — f in cap. 9. Marci. — g in Matt. 17. — h cap. 35. 2. — i Matt. 17. 23. Marc. 9. 29. & ſeq. — k verſ. 13. — *Montis Thabor deſcriptio.* — l in c. 5. Oſeæ. — m 4. de bello Iudaico c. 2. — n Ioſue 19. 22. 1 Par. 6. 77. Oſeæ 5. 1. Ierem. 46. 18. Hieronym. de locis Hebr. Beda ibidem. Brocar. de locis ſan. 1. part. cap 5. & 9. Egeſip. 4. de excid. Ieroſolym. cap. 4. Ioſephus ſupra — o Matt. 5. q. 7.

muniuisse contra Romanos. Scilicet id fuit post transfigurationem plus annis quadraginta. Trāsfigurationis tempore fuisse sine ædificiis indicat, quod ibi tabernacula figere Petrus voluerit. Deinde successu temporis claris nobilitatum extructionibus vestigia demonstrabāt, de quibus Borcardus meminit, aliique topographi.

Sancto.] Celebratur in diuinis literis Thabor exercitu Barac[a], atque victoria, & vaticinio Samuelis, quòd ibi Saülem inueniret tres viri ascēdētes ad Deum in Bethel, ex quibus vnus portaret tres hœdos, alius tres tortas panis, alius lagenam vini, &c[b]. Refert Ludolphus[c] quosdam arbitrantes in montis eiusdem pede reuertenti ea regum cæde Abrahæ Melchisedec occurrisse[d]. Habet id quoque Borcardus. Suspicatur Hieronymus[e], ibidem longum illum sermonē habitū à Christo, quem solemus appellare sermonem in monte, & non, vt opinati sunt quidam, quos simpliciores vocāt fratres, in monte Oliueti. Certè in Galilæa habitus videtur sermo, vbi mons Oliueti non est, atque immediatè post descendit inde Christus Capharnaum[f], iuxta quod erat mons Thabor, vt dixi. Tamen de Oliueto sentit Chromatius[g]. Hieronymum sequuntur Bonauentura[h], Ludolphus[i], Abulēsis[k], Gagneius[l], Salmeron[m]. Sed Abulensis nescio quo pacto Cardi nominauerit pro Thabor. Id si est (non alium ab his diuersum Borcardus[n] nominat, & Adricomus[o]) aptè conuenit locus prædicationis de via ad beatitudinem loco, in quo beatitudinis quædā participatio per transfigurationem ostensa est[p].

Consentiunt quoque nominis Thabor prius allatæ notationes. nā lumine refulsit ibi Christus eximio: legē Christus sanxit Euangelicam q immaculatam[r], quæ conuertit per contritionē animas[s]: & electos perducit in cœlū. Prætereà gratulatio victori Abrahæ facta[t], comparatiúque contra hostes Dei exercitus possunt accōmodari ad excessū, & mortē, de qua colloquebatur Christus cum Mose, & Elia[u]. Eódem in loco volunt alij[x] electos Apostolos[y]: pastas paucis panibus hominum myriadas[z]: mundatum leprosum[a]: vacasse Christum nocturnæ orationi[b]: eò fugisse, cùm quæreretur ad regnum[c]. Quamquam hæc Borcardus alteri monti tribuit, nēpe illi, vbi vult Christum prolixè prædicauisse: & Genebrardus[d] miraculum panum affirmat in Hermon factum.

Nec defuēre, teste Suarez[e], qui hunc ipsum dicerēt montem esse, in quem Christi iussū conuenerint Discipuli, vt in cœlum ascendentē spectarent[f]. Sed illum constat Oliueti fuisse montem, ex quo ascendit Christus. Ille forsan est Thabor, quem Christus Discipulis constituit, vt se omnibus post resurrectionem ostenderet[g], quę est Iansenij sententia[h].

Multis aliis ergo nominib. meritò Petrus montem hunc appellauit sanctum: quem & Hieronymus[i] prodit religionis causa obitū à Fidelibus: & Beda[k] in eo ædificatas tres Ecclesias in memoriam præsentis mysterij, ac prætereà grande monasterium. Addunt Borcardus[l], & Ludolphus[m] cappellam ædificatam in basi montis occidentali contra Nazareth, vbi Christus descendens præcepit[n], *vt nemini dicerent Apostoli tres visionē, donec à mortuis resurgeret.*

Est autem Iudaica mera fabula, de qua Petrus Galatinus[o] verborum Esaiæ[p], ac Michææ[q]: *In nouissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, quod Messiæ tempore Thabor cum Carmelo coniungantur, & Ierusalem importatur eorum verticibus, ita vt tribus leucis attollatur.*

Ceterùm nō mons tantùm sanctus nominatus, & habitus est, sed ipsamet dies, qua die in monte Christi trāsfiguratio contigit, postquam Christus de sua locutus est passione, sexto exacto die, vt Matthęus[r] ac Marcus[s] loquuntur, vel ipso octauo, numerando diem, quo sermo ille habitus est, qua ratione loqui Lucas[t] videtur, transfiguratus est. Non lapsus in Euāgelistis memoriæ, aut scribæ hac in parte error fuit, vt Commentariorū in Marcū sub nomine Chrysostomi, voluit Auctor: sed cōciliari eo, quem dixi, modo debent, quémque Augustinus[u] ac Epiphanius[x], tradunt.

Quocirca non sunt anxiè causæ quærendæ præsertim mysticæ vtriusque numeri senarij, & octonarij, quod facit Damascenus[y], Andreas[z] Cretēsis, Hilarius[a], & alij. Refellit Ambrosius[b] rationē, quæ redditur ab Hilario de sex annorum myriadibus, quib. duraturus sit Mūdus: quia iam id tempus effluxerat. nondum sanè effluxerat; nec quādiu durari Mūdus debeat, sciri potest: ideóq; ratio illa non satisfacit. Disputauimus de illa duratione alibi[c], & cōsulere Sixtum[d] Senensē licet.

Diem (nam de anno prius dixi) assignat Thomas[e] Beauxamis Iunij mensis quartam, & vigesimam: Martyrologia, & Menologia sextam Augusti: necnon in suo Vandebertus, quod carmine cōposuit, Martyrologio circa Domini annū 850. Durādus[f], Ludolphus[g], Petrus de Natalibus[h], Pelbartus[i], Gallesinus[k] verùm temporis vnam aliquam, prout & eo tempore in quadragesima recitatur Romano ritu bis, Sabbato post Dominicam primam, & Dominica sequēti, præter Augusti Festum, cuius tres rationes morales afferunt idem Durandus[l], Ioannes[m] Raulinus, Iudocus[n] Clictouæus, Cornelius[o] Mussus Episcopus Bituntinus, Siluester[p].

Qui postremam sequuntur opinionem, addūt illa die Augusti cœpisse ab Apostolis euulgari transfigurationem Christi, cùm ante ipsius resurrectionem per Christū non licuisset. Nocturnum tempus asserūt fuisse Caietanus, & Stella in Lucam: Chrysostomus in Matthæū & alij qui splendore Christi solarem dicunt obscuratum, ipsam mediam diem. In re dubia hoc malo vltimum, & illud de mensis Augusti die sexta propter auctoritatem affirmantium grauiorem.

Decreuit quidem Calixtus III. maiorem huius diei celebritatem, anno 1456. (occasionem refert Pelbartus[q] insignem illā de Turca, nec sine miraculo victoriam) proprio edito officio, cū iisdem indulgentiis, quæ concessæ fuerant in festo Corporis Christi: non tamen vt præfert Platina[r], & alij, primus Festū instituit, cum vt dixi, meminerint de eo Martyrologia, Menologiáq; vetera, & prætereà Emmanuelis Imperatoris Cōstitutio apud Theodorū[s] Balsamonē, adeóq; multi Patres, quos nominauimus, in Tractatibus, Orationib. Sermonibus, Homiliis, Cómentariis, vt de festo distinctè meminerint, ex quib. multos citat Ioānes Cyparissiota[t], & adijce Petrū Blesensē[u].

Redditur idem festum celebrius vuarū recētium benedictio, quódque quibusdam saltem locis ex vino nouo vel expressis vuis conficitur sanguis Christi, quia dixerat Christus[x] sub mortē, *si non bibiturum deinceps ex genimine vitis, donec biberet illud nouum in regno Patris sui.* Transfiguratio autē, resurrectionis, ac beatitudinis imago quædam est. Annotarunt hoc iam citati Durandus, Pelbartus,

Margin notes (left): Thabor mons. — a Iud. 4. 6. c. 8. 18. — b 1. Reg. 10. 3. — c 1. par. de vita Christi, c. 72. — d Gen. 14. 18. Heb. 7. 1. 2. — e in c. 5. Matthæi. — f Luc. 7. 1. — g in c. 5. Matthæi. — h in Meditat. c. 21. — i 1. part. de Vita Christi, c. 31. — k Matt. 5. q. 7. — l in c. 5. Matt. — m to. 5. tract. 1. — n 1. part. c. 4. §. 6. — o in Tribu Nephthali, in num. 69. — p Matth. 17. 1. & seq. — q Matt. 5. 1. & seqq. per totū. — r Psal. 18. 8. — s Ibid. — t Gen. 14. 19. & seq. — Christus quot mirabilia in monte Thabor gesserit. — u Luc. 9. 31. — x Salmeron. — y Lucæ 15. — z Marc 14. 25. — a Matt. 8. 3. — b Luc. 6. 12. — c Ioan. 6. 15. — d in Psal. 88. — e 3. par. tom. 2. disp. 32. sect. 3. — f Act. 1. 12. Lucæ vlt. 50. — g Matth. vlt. 16. — h Concor. cap. pen. — Mons Thabor cur sanctus dictus. — i epist. 27. — k de locis sanct. c. 17. — l supra. — m supra. — n Matt. 17. 9. — o lib. 5. c. 2. — p cap. 2. 2. — q cap. 4. 1.

Margin notes (right): r Matt. 17. 1. — s Marc. 9. 1. — t cap. 9. 28. — u 3. de doctr. Christ. c. 35. 1. de consen. Euang. c. 56. — x hæresi 69. — y orat. de transfigur. — z orat. de transfig. — a in Matt. 9. — b in Luc. c. 9. — Mundus quādiu durare debeat nescitur. — c Act. 1. 7. — d 5 Biblioth. annot. 190. & 6 annot 73. — e hom. de hoc Euang. — Quo die anni transfiguratio sit facta. — f in rationali. lib. 7. c. 22. — g 2 par. de Vita Christi, c. 51. — h in Catalog sanct. lib. 7. c. 29. — i in Pomerio de sanctis serm. 45. — k in notis Martyrolog. — l supra, lib. 6 c. 58. — m serm 40. in quadrag. — n serm. de transfig. — o serm. de transfig. circa ordinem quadragesimalem. — p in Rosa aurea de transfig. — Institutio festi transfigurationis a quo facta. — q supra. — r in Calixto. — s in Monoc. Photij, tit. 7. cap. 1. — t Decas 5. c. 4. & seq. — u tract. de transfiguratio. — x Matt. 26. 29. — Transfiguratio resurrectionis imago quædam est.

Petrus de Natalibus, qui profert librũ manuale, atque Ludouicum Lazarellum, in Fastis [a] quos Ferdinando Regi Aragoniæ dicauit, & extát manuscripti in Bibliotheca nostra Collegij Mediolanensis. De benedictione vuarum in festo S. Sixti, in quem incidit festum Transfigurationis, meminit quoque Glossa [b]. Hæc, tametsi Commentarij transilire leges videntur, non debuerunt omitti, quòd eo ipso Transfigurationis die festo deceipat Ecclesia ex hoc loco in Missa Epistolã; & tanti dignitas mysterij vindicet nos a reprehensione τῦ παρέργυ.

a 9. Fastorũ.

b de Consec. dist. 2. cap. Omnes dicimus.

Vers. 19.] Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.

NOn modò quam tradebat ipse doctrinã, longiùs à fabulis abesse, confirmare se docet posse, quod Visione illa mirabili dignatus fuerit, de qua proximè meminit, sed quia comprobetur publico Prophetarum antiquorum testimonio firmissimo; in cuius qui studium incumbant, rectè omninò faciant, vt pote lumẽ inde accipientes in huius vitæ obscura caligine, donec perueniant ad Dei visionem claram.

Et habemus firmiorem propheticum sermonem. Καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον. Augustin[c] legit, *certiorem*, Alij legũt τῶν προφητικῶν λόγων: quo modo sensus esset, narratam visionem esse firmiorem propheticis sermonibus, totiusve scripturæ, quæ quia diuino spiritu condita ac inspirata est, prophetia vocatur [d]. Fauet illi lectioni cõparatiuum nomen, quod respectum videtur importare ad aliud, cuius iuxta Syntaxim Græcã debeat esse Genitiuus casus. Verùm oppositum alij eliciunt sensum, scil. Petrum ex Visione illa ostẽdere tanquam ex quodam experimento firmas, ac veras fuisse prædictiones Prophetarũ; non quòd, vt Oecumenius notat, propriè aliqua fuerit de voce demissa a Patre, sed quia ex voce Patris, quę de Filio testificata est, cõfirmati sumus, certóq; credidimus omnia vaticinia sine vlla controuersia, vera esse.

c serm. 27. de verb. Apost. c. 4. & serm. 74. de Diuer. c. 5. & Tract. 35. in Ioan.

d 2. Tim. 3. 16. & hic vers. 21.

Beda, postque ipsum Thomas, Hugo, Lyranus, Carthusianus, Catharinus, & ante omnes Augustinus [e] aiunt significari apud Iudæos, ac Gẽtiles videri magis authenticum testimonium Prophetarum, & minus suspectum, quippe tot ac tantorum virorum, & adeo antiquorum quorũ tanti facerent scripta non Iudæi soli, sed Gentiles quoque, apud quos Græco nomine à LXXII. Interpretibus pridem conuersæ diuinæ litteræ iussu Ptolemæi Philadelphi Ægypti regis extabant, magnámque venerationem habebant.

e serm. 27. de verb. Apost. c. 4. *Testimonium prophetarum authenticum.*

De Iudæis minùs dubiũ, quos prouocauit Christus ipse ad scrutandas Scripturas [f]; earúmque testimonio frequenter vsus est, ac ceteri Apostoli, præsertim differendo cum illis. Petrus quadam concione generaliter affirmare non dubitauit, *omnes Prophetas testimonium perhibere, remissionẽ peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in Christum* [g] *item prænuntiasse de Christo Deum per os omnium Prophetarum* [h]. Id ipsum cecinit & Zacharias Ioannis pater in Cantico [i], & B. Virgo in suo [k]. Protulit idem Petrus primo prioris Epistolæ Capite idem testimoniũ [l]; ac, vt Clemẽs [m] prodit Alexandrinus, profitebatur in sermonibus se prophetias euoluisse, in iísque omnia Christi

Iudæi quomodi conuicti Scripturæ testimonio.
f Ioan. 5. 39.

g Act. 10. 43.
h Act. 3. 18. 22.
i Lucæ 1. 70.
k ibid. 55.
l vers. 10. 11.
m 6. Strom.

mysteria reperisse, atque valde seipsum ea ratione confirmauisse in Fide. Lactantij [n] etiam celebris illa sententia; *Non solùm idcirco à nobis Deum creditum Christum quia mirabilia fecit, sed quia vidimus in eo facta esse omnia, quæ nobis annuntiata sunt vaticinio Prophetarum, quod neque Apollonio, neque Apuleio, neque cuiquam Magorum potuit, aut potest,* inquit, *aliquando cõtingere.* Denique *testimonium Iesu*, ait Ioannes [o], *est spiritus prophetiæ.* Sed hac de re alibi [p] plura.

n lib. 5. c. 3. *Cur creditus a nobis Christus Deus.*

o Apoc. 19. 10.
p Act. 2. 17. & seq. & c. 10. 43. & 1. Pet. 1. 10. & seq.

Tanti res hæc momenti erat etiam apud Gentiles, vt quominus Prophetarum lectionę cõuerterentur ad Fidem, mortis supplicium illos legentibus constitutum sit, ab Antonino Pio, non solum libros Hydaspis, aut Sybillarum: quamuis frustra, vt meminit Iustinus [q], non enim absque timore tantùm respondet ille Antonino, huiusmodi scripta legimus, verùm vobis ad inspiciendum, quæ in eis traduntur, vt videtis, offerimus, grata, acceptáque omnibus fore scientes. Atque hoc etiam si paucis persuaserimus, maximum tamen inde feremus lucrum: nam vt boni agricolæ amplam à Domino capiemus mercedẽ. Ad hunc modum sapiens Philosophus, fortísque martyr. Is in Parænesi quoque ad Gentes eas ad eandem lectionem hortatur Prophetarum, qui vno ore, vnáque lingua de Deo, de Mundi creatione, de homine cõdito, de immortalitate animæ, de futuro iudicio, déque omnibus cognitu necessariis pari consensu nos docent; idque in diuersis temporibus, locísque constituti cum hanc doctrinam traderẽt. Profitetur etiã se ista ipsa lectione ad veritatis cognitionem peruenisse [r].

q In Apologia ad Antoninum. *Prophetarum scripta gentilibus data, vt legerentur.*

r in Tryphon.

Sed vt ad institutũ reuertamur, non hîc queo me continere, quin quod facere soleo inuitus, Augustini [s] verba recitem, quibus exponit disertissimè, quo pacto certior voce Patris audita in transfiguratione sermo propheticus dicatur à Petro. *Quis enim nostrum,* ait ipse, *non miretur delata voce de cælo certiorem Propheticum sermonem ab Apostolo dictum esse? Certiorem sanè esse dixit: certiorem, non meliorem, non veriorem. Tam enim verus ille sermo de cælo, quàm sermo propheticus, tam bonus, tam vtilis. Quid est ergo, certiorem, nisi in quo magis confirmetur auditor? Quare hoc? Quoniam sunt homines infideles qui sic detrahunt Christo, vt dicant eum magicis artibus fecisse, quæ fecit. Possent ergo infideles etiam istam vocem delatam de cælo per coniecturas humanas, & illicitas curiositates ad magicas artes referri* (sic quidam de alia voce facta de Christo dixerunt tonitruum esse [t].) *Sed Prophetæ antea fuerunt, non dico anteà ante istam vocem, sed ante Christi carnem. Nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas. Quisquis eum dicit magum fuisse: si ergo magicis artibus fecit, vt coleretur & mortuus, nunquid magus erat, antequam natus? Ecce quare ait Apostolus Petrus: Habemus certiorem propheticum sermonem. Vox de cælo, qua fideles admoneantur: Propheticus sermo, quo infideles conuincantur.* Hactenus ex Augustino.

s serm. 27. de verb. Apost. c. 4. & similia habet Tract. 35. in Ioan.

t Ioan. 12. 29.

Nondum erat homo Christus, quando misit prophetas.

Accedat & à Turriano [u] citatus Vmbertus [x] Cenomanẽsis Syluæ Candidæ Episcopus, & Leonis IX. ad Cõstantinopolitanos legatus, qui simul hinc veteris probans auctoritatem testamẽti, sic scribit. *Deleto vetere Testamento, nouum euanescet & fabula omnino putabitur, neque poterit retineri absque charactere suo; quoniam neque paries stabit absque fundamento, quod ipse Dominus suis factis, & dictis supposuit, & Apostolis prædicatorib. suis inspirauit, vt narrationis suæ cursum firmaret anchora veteris Testamenti. Cuius auctoritatem primus magister Ecclesiæ profitetur,*

u de Hierarc. ordin. c. 1.
x lib. de Azymo.

Deleto vetere testamento nouum euanescet.

firmiorem esse illa voce, quã super Dominum trãsfiguratum factam audiuit. Firmiorem verò intelligamus dixisse nõ quidem simpliciter, sed ratione eorũ, qui veteri tantum Testamento credebant. Sic ille. Sed & ratione Gentilium veram Petri sententiam esse prius ostendi.

Petrus ergo ne fabulosa videretur narratio de transfiguratione, ac proinde de ceteris, quæ prædicaret, adhibuit Prophetarum testimonia, tum de aliis, tum de transfiguratione, vel voce Patris ibi audita. Certè Theophanes [a] Nicenus, quem idem citat Turrianus [b], de hoc mysterio Amos [c] interpretatur: *Ecce*, inquit Propheta, *firmans tonitru* (i. creans nubem, ex cuius collisu erũpit tonitru:) *Et creans spiritum, siue ventum* (ex cuius verberatione cum intentione significandi, sicut Physici tradunt, existit vox, de qua subiungit) *& annuncians hominibus Christum suum.*

a In symbolo ..., & vete. Testam. b lib. 2. de ... ordin. c cap. 4. iuxta L.XX.

Præter hunc sensum, & alium initio positum, iuxta aliam lectionem, Erasmus tres alios affert. Primus est, more Græcorum vsurpari pro positiuo comparatiuum. Secundus, Prophetarum sermonem factũ certiorem attestante dictis illorum voce Patris. Tertius, propheticum sermonẽ esse illam ipsam vocem Patris, qui quodammodo Filij sui propheta fuerit, ac præco, prædicẽs palam omnia sibi placitura, quæ ille dicturus, aut facturus esset: atque huiusmodi vocem firmiorem esse sermone Prophetarum: qui tamen sermo recipi debeat, sed spiritualiter intelligi. Placet Erasmo postremus maximè: Gagneius, Salmeron, Feuardentius, Sà ex iis qui modo recitati sunt, primum probant: quamuis magis illum, qui antea secũdo allatus est ex Augustino, Beda, & parte maiore interpretũ. Titelmanus secundum, nec non Clarius, recipiens tamen & dictum communiorem.

Refutat Adamus Erasmum, quia comparatur à Petro Propheticus sermo cum euangelica historia: quia non hîc agitur, vt doceatur prophetias redditas firmiores per testimonium Patris in transfiguratione: quia nec ad institutum Petri facit vt vocẽ Patris appellet sermonẽ propheticũ, præcipuè cùm laudet attendentes huic Prophetico sermoni, nempe scriptis Prophetarum.

Meminit Lyranus expositionis sextæ, vt intelligatur, Propheticum sermonẽ Petrus appellare firmiorẽ, quàm suum; *quod*, inquit, *verum est duntaxat eorum respectu, qui propheticis erant libris insueti, ad eum ferè modum, quo Philosophus* [d] *ait nonnullos fabulis, ac dictis Poëtarum magis assentiri, quàm rationibus certis Philosophorum.* Septimam quoque refert, vt sit firmior propheticus sermo Dauid, quam aliorum Prophetarum, quatenus ille cõceptis verbis scripsit [e]: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*: quæ sunt similia his, quæ protulit Pater in transfiguratione [f]: Dauid verò etiam perfectiore prædictus fuit prophetiæ genere per intellectum, sine visionib. imaginatiis, vt alij, & hoc affert etiã Hugo Cardinalis: ac in eo magis acquiescit Lyranus: nec aliud tradit Carthusianus, & Primaricius. Sed omnes addũt, Petri, & Apostolorũ doctrinam magis firmam, & authenticam secundum se esse.

d Metaphys. tex. 14.
e Psal. 2. 7.
f Matth. 17. 5.

Nec sexta placet, nec septima expositio, quoniam non de seipso Petrus agit, aut de vno Dauid testimonio; etsi fatear censeri posse Patrem, voce illa sua alludere voluisse, aut etiam Dauid de voce Patris vaticinatum esse. Negasse id Oecumenium antea vidimus. Concedunt attamen ceteri, præterque illos Lactantius [g]. Itaque profert prophetias tanquam ad persuadendũ magis idoneas. Nec improbabile, Petrũ de seipso asserere, simul cum aliis habere se, hoc est, tenere, atque existimare propheticum sermonem firmiorem, ita vt, quod rectè Clarius notauit, ἔχομεν, sit *tenemus & existimamus*. Hac vsus formula Isocrates dixit [h]: τίνας ἂν ἔχω [illegible] & Marcus [i], Ἅπαντες γὰρ εἶχον τὸν Ἰωάννην ὅτι ὄντως προφήτης ἦν, quamuis aliqui legant ᾔδεισαν. Apud Matthæum [k] eodem pacto: Πάντες γὰρ ἔχουσι τὸν Ἰωάννην ὡς προφήτην.

g lib. 4. c. 15.
h in Panathẽ.
i cap. 11. 32.
k c. 21. 26.

Difficile est explicare, quomodo magis, minúsve locum habeant in certitudine, quídve operentur in intellectu. nec negari potest certitudinẽ fidei diuinæ, visionísque beatificæ longè maiorem esse, quàm sit certitudo demonstrationis, licèt hæc sint diuersi generis. Inter diuinas quoque reuelationes, quamuis eàdem nitantur Dei auctoritate vnde certitudinem habent, aliqua secundũ quẽdam modũ dici certior & firmior potest; vt exempli causa continget ei, qui habeat euidentiam in attestante. Verùm nõ egemus ista subtiliore quæstione, cùm vt dictum est, velit solùm Petrus magis idoneas prophetias ad persuadendum Iudæis esse, hísve, qui ex eorum numero Fidem amplecterentur, necnon qui ex Gentilibus, quàm magis priuatam illam transfigurationis visionem.

Certitudo fidei diuinæ, visionísque beatificæ maior certitudine demonstrationis.

Gregorius [l] etiam illo docet modo firmiorem censeri Apostolicam prædicationẽ, quæ Prophetica sit prædictione cõfirmata, ita vt hoc mysticè sit *columnas intra tabernaculum argenteas paxillis extra illud æreis fixis, vnde religati pendeant funes tentorij.* Simile quid autem licet in Ioãnis Euangelio obseruare, qui post illa verba: *Vidimus gloriam eius*, &c. subdit: *Ioannes testimonium perhibet de ipso*, verbo incarnato, *& clamat* [m], non quod maior esset illius auctoritas, quàm Euangelistæ, sed quia pluris eũ Iudæi faciebant [n]: & illo accedente testimonio, confirmatius reddebatur testimonium.

l hom. 13. in Ezech.
m Ioan. 1. 14.
n ibidem 15.

Hoc præterea notandum, non ideo nos Petro credere, vel Ioanni, quod se vidisse, vel audisse testentur, quæ scribunt, sed quia nobis Ecclesia eorum proponit scripta tãquam canonica. nam Lucas [o] fatetur *se ab his qui viderant, Euangelium suum didicisse*: & Augustinus [p] Fausto neganti credẽdum Matthæo quædam, quæ narrat, contigisse, antequam vocatus esset, respondet: *Si nemo de Christo vera dicit, nisi qui eum præsens vidit, & audiuit, hodie de illo nemo vera dicit.* Dicit [q] præterea, *quod Euangelio non crederet, nisi Catholicæ illum Ecclesiæ commoueret auctoritas.* Quare iam reuelatio facta Petro, nobis est propheticus sermo, nec ea firmior est alius, quoniam æquè, vt quiuis alius, diuinæ rationem habet scripturæ, & publici testimonij.

Scripta Apostolorum credimus propter Ecclesiæ auctoritatem.
o cap. 1. 2.
p cont. Faust. c. 3.
q lib. cont. ep. Manichæi, quã vocant fundamentum, c. 5.

Valent nihilominus eiusmodi particulares reuelationes, ac testimonia partim ad confirmandam infidelium infirmitatem, partim ad consolationem Fidelium. Quocirca Valdensis [r], Durandus [s], & Driedo [t] non satis verè docent, primitiuam Apostolorum Ecclesiam maioris auctoritatis fuisse, quàm quæ nunc est, ad approbandas Scripturas. Regitur etiam modo Ecclesia eodem spiritu, nec minus certo de sacris libris, déq; necessariis aliis rebus iudicare potest: & constat multo tempore post Apostolos dubitatũ de nonnullis libris, ac tandem Ecclesiæ decreto iudicatos pro canonicis. Lege Stapletonum [u].

Testimonia & reuelationes particulares ad quid valeant.
r Tom. 1. lib. 2. Doct. Fidei, c. 20 & 21.
s dist. 24. q. 1.
t 4. de Eccle. scrip. & dogma. c. 4.
u lib. 9. de princ. Fidei, c. 13. & seq.

Cui benefacitis attendẽtes.] Augustinus [x], & Prosper [y] legunt *intendentes* προσέχοντες. De attẽtionis necessitate Thomas Anglicus multa disserit. Hinc reprehenditur aduersarius legis, & Prophetarũ, totiúsque veteris Testamenti, cõtra quem edidit tot Augustinus Tractatus, & nos anteà luculentũ

x serm. 74. de diuer. c. 5. & serm. 237 de temp. in psal. 31. exposit. 2. in psalm. 5. Tract. 23. in Ioan.
y lib. Dimid. temp. c. 12.

attulimus Prosperi testimonium, & ipsiusmet Petri, quod recitat Clemens Alexandrinus, immò etiam Christi, cum Apostolis, & Euangelistis: inducit Christus Abraham *iubentem audiri Mosem, & Prophetas*, qui prosint magis, quàm suscitatus mortuus[a]. Laudantur à Luca[b] ij, qui *quotidie scrutabantur scripturas, si ita se haberent, quæ ipsis prædicabantur*, quo de loco nostras consule notationes. Sed & Paulus Timotheum[c] hortatur *attendere lectioni: laudátque quod ab infantia sacras litteras nosset, quæ possent eum instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu*[d]. Iosephus[e] testis est pueros Iudæos à primis annis edoctos litteras sacras, legémque, ac ineunte die, cúmque irent cubitum, commemorata iis beneficia Dei, vt libertatis ex Ægypto, &c. Eusebius[f] scribit suo tempore viguisse consuetudinem eandem. Sed & hoc etiam tempore humanæ vitæ curriculum in partes sic distribuunt, vt quinquennē ad Biblia adaptent: decennem transferant ad textum Thalmud: tredecennem seruandis præceptis imbuant exēplo Ismaelis, qui totidem annorum circūcisus fuit[g]: quindecennem disputationibus, argutiis, subtilitatibus Rabinorum super Thalmud instituant. Tale in tenera ætate requirebat studium Hieronymus[h], docēs Lætam, quomodo docenda esset Paula, Gaudentiū, quomodo Pacatula, & Ignatius præcipit pueros doceri sacras literas[i].

a Luc.16. 29. 30.
b Act.17.11.
Christus & Apostoli probarūt vetus testamentum.
c 1.Tim.4.13. & seqq.
d 2.Tim.3.15.
e 2.cont.Appionem, & 4. antiq.c.vlt.
f 12.de præpa. c.19.
Distributio annorum, quibus Hebræi se litteris dedunt.
g Gen. 17.23. 25.
h epist.
i ep.ad Philadelph.

Ex his colligere licet, non fuisse tunc adhuc à Iudæis corruptas scripturas: immo duorum millium annorum spatio, Philo[k], quem citat Eusebius[l], testis est, nihil in iis esse immutatū: aitque idem Eusebius, maluisse Iudæos millies mori, quàm vel apicē inuertere; ac Biblia quasi Deum coluisse. Quin id postea fecerint odio Christianorum, negari vix potest, tot id Patribus affirmantibus. Lege Salmeronem[m].

A Iudæis non fuerunt corrupta sacra litteræ.
k lib.de exitu ex Aegypto.
l 8.de præpa. cap.9.
m Tom. 1. Proleg.4.

Quasi lucernæ lucenti.] Ὡς λύχνῳ φαίνοντι. *Lucernam David appellat verbum Dei*, ac lumen[n]: & *præceptū Domini lucidum, atque illuminans oculos*[o], Salomō *mandatum lucernam, & legem lucem*[p]: Aptius prophetica Scriptura vocatur lucerna, omnisq; alia Testamenti veteris; respectu autem eius lex noua, & eius scripturæ lux sunt, & eo nomine suos Christus doctores nominauit[q], ac seipsum[r], Theodoretus exponens priorem psalmū, lucernam Mosis legem, Christū lumen interpretatur, quoniam illa vix vnam illuminauit gentem, hic totum orbem, quippe *Lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*[s]. *In die ambulamus comparatione infidelium*, ait Augustinus[t]: *cōparatione verò illius diei, quando resurgēt mortui, adhuc nox sumus*. Ad hunc modum conciliat cum Paulo Petrum, quando ille dicit[u]: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit: sicut in die honestè ambulemus.* Confirmat verò sententiā Petri testimonio Pauli[x]: *Veniet Dominus, & illuminabit abscōdita tenebrarum*: quamuis ibi sermo sit de secretis peccatis. Clarius Ioannis[y] testimonium quòd ibi pro luce lucernæ, *immo & solis, ac lunæ erit claritas Dei, & Agnus, & Dominus Deus illuminabit.*

n Ps.118. 104.
o Psal.18.9.
p Prou.6.23.
Lucerna est vetus testamētum, nouum lux.
q Matt.5.14.
r Ioan.8. 12.
s Ioan.1.9.
t serm 237. de temp.
u Ro.13.12.13.
x 1.Cor.4.5.
y Apo.21. 23. & c.22.5.

Omnis huius vitæ cognitio lucernæ instar habet, luminísque testa conclusi propter Fidei obscuritatem, quam nominat Apostolus *specularē*[z], *ænigmaticam*[a], *ex parte*.

Cognitio omnis huius vitæ est instar lucernæ.
z 1.Cor.13.12.
a ibidem.

Quocirca nihil hinc habent hæretici, vt scripturas probent claras & faciles per se esse, sed tantùm si intelligantur, illuminare, iterque ad Christum ostendere, qui est *verus iustitiæ sol. Omnis enim prophetia*, inquit Augustinus[b], *vna magna ad Christum lucerna est. Declaratio sermonum diuinorum illuminat, & intellectum dat paruulis*[c], qui de se, ac de scientia sua modicè sentiunt: pauloque post dicet Auctor[d], Scripturam non percipi propria cuiusuis interpretatione: lucerna quidem est scriptura: Sed *super candelabrum*[e] *publicæ, ac infallib lis auctoritatis Ecclesiæ, non sub modio hominis priuati*, vt Ambrosius rectè obseruat[f].

b Tract.23.in Ioan.
c Psal.118. 130.
d vers.seq.
e Luc.8.16. c.11.33. Matth.5.15.
f Ambr lib.7. in Luc.,c.53.

In caliginoso loco.] Ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ. Augustinus[g], & Prosper[h] (in obscuro loco) Noctem huius seculi, ait ipse formidandam, consolatione prophetiæ, tanquam nocturni luminis, vt cauti vigilaremus, Petrus edocuit. Et quamdiu ad hanc lucernam ambulamus, necesse esse, *vt cum timore viuamus*[i]: quamdiu versamur in his nocturnis doloribus, & laboribus[k]. Propriè significat αὐχμηρὸς squalidum, obsitum, &c. & Augustinus alibi[l] legit (*in obscuro, & caliginoso loco.*)

g 1.ser.74.de Diuer.c. 5. Tract. 24.& 35. in Ioan. in Psal.51. exposit.2.
h lib. Dimid. tempor.c.12.
i in Psal. 51. expos.2.
k in Psal.89.
l ibidem.

Donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.] Augustinus[m] ac Prosper[n], & maior pars expositorum hoc interpretantur de die iudicij, atque felicitatis futuræ, vbi scil. a cordibus lux, qui Deus est, videbitur, *& apparebimus cum Christo in gloria*[o], qui nunc velut latemus in laterna, *& illuminabit ipse occulta tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis*[p], inquit Augustinus[q], *tuncq; præsenti tali die lucernæ non erunt necessaria, non legetur nobis Propheta, non aperietur codex Apostoli, non requiremus testimonium Ioannis, non ipso indigebimus Euāgelio omnes Scriptura tollentur de medio, quæ nobis in huius seculi nocte tanquam lucernæ accendebantur, ne in tenebris remaneremus.*

m citatis locis.
n lib.dimid. temp.c.12.
In die iudicij quæ nobis manifestabuntur.
o Coloss.3. 4.
p 1.Cor.4.5.
q Tract.35. in Ioan.

Hugo addit expositionem accommodatam de martyre, *qui fracta, ceu Gedeonis lagena*[r], emicat, & vincit. Præterea diem sumit in præsenti quoque vita pro dilectionis quasi feruore, Luciferū pro cognitione, quæ præire illam debet. Iuxta primum sensum vult item diem esse perfectam dilectionem futuræ vitæ: Luciferum, cognitionem hîc præcedentem, scil. quia Luciferi lux minor est. Tamen etiam Luciferum de Christo intelligit, & cum ipso Carthusianus: hic de Christo in beatitudine viso, aut etiam de lumine gloriæ: ille de eodem, prout oritur etiā hîc in corde eius, qui fidem Christi custodit, & ipsum opere imitatur. Sà diem æternitatis, & luciferum, siue auroram futuræ vitæ interpretatur: Gagneius plenam Dei cognitionem, clarámque, & non ænigmaticam. Primasius diem sumit pro beatitudine, futuróve iudicio, Luciferum pro Christo nunc in nobis oriente per gratiam, & cognitionem diuinorum. Adamus, Arias, Asel explicant, donec in hac ipsa vita crescat paulatim purior, ac sincerior cognitio fidei, & de Christo, magísque proficiant in ea: vel donec fides magis explicita reddatur Deo intus docente, iuxta illud[s]: *Ecce dies venient, dicit Dominus, &c. & non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrē suum, dicens: Cognosce Dominū: omnes enim cognoscēt me à minimo eorum vsque ad maximū; itē*[t], *& erunt omnes docibiles Dei*, seu *docti à Domino*. Hæc non auferūt ministeriū verbi, *per quod est auditus, & per hunc fides*[u]: Sed posita prædicatione, quam iuuat lectio scripturarum, facili negotio comparatur notitia eorum præcipuè, quæ sunt necessaria ad salutem. Quare Ieremiam, cuius est primus citatus locus, nō existimamus cum Theodoreto de sola futura vita loqui, vbi non egeamus mutua disciplina, sed cū Hieronymo, & aliis ad tempora Apostolorum, & primitiuam Ecclesiam pertinere, in qua, vt Ioannes[x] scripsit,

r Iudic.7.19. & seq.
Cognitio de Christo, & de Deo parata iam E-uangelio.
s Ierem. 31.31. 34.
t Esa.54.13. Ioan.6.45.
u Rom.10.17. & seq.
x 1.epist.2. 20.21.27.

nō est necesse vt aliquis doceat nos, sed vnctio ipsa Christi docet nos de omnibus. Lege Commentarium nostrum si placet. Propendeo magis in hanc expositionem, quia videtur aptiùs cohætere cùm antecedentibus, & consequentibus: sed non ita, vt in hac vita perfecta obtineri cognitio possit sine vlla obscuritate, vt hoc abutēs loco Gaspar Suēckfeldius, Hosio ª teste, dicebat omnes respuēs scripturas, vt modo dicam. Dixi prius de vtili scripturarum studio. Et mirum sanè est, repertos, qui prorsus inutile, vanúmq; censerent. Talis Otho Brunselphius ex Carthusiano Apostata, qui Euāgelium ipsum pro re penitus cabal stica, & ficti tia habebat: & Gaspar Suenchfeldius, de quo dixi, qui laborem inanem asserebat, quòd scriptura sit creatura, nec deceat nimis esse addictum creaturæ: Sed voces de cœlo diuinas expectare debemus, *vt erudiamur à Deo, & de lege ipsius ab ipsomet doceamur* ᵇ, & *Vnctio* ᶜ *doceat nos, & simus docti à Deo*, θεοδίδακτοι ᵈ, vel à Christo, *qui vnus est magister noster* ᵉ. Sufficiunt quæ adhuc sunt dicta contra tam fœdum errorem, in quo etiam fuit Thomas Muntzerus. Quadrat in eos exprobratio apud Esaiam ᶠ: *& cùm dixerint ad vos* (puetos meos.) *Quærite à pythonibus, & à diuinis, qui strident in incantationibus suis: Nunquid nō populus à Deo suo requiret pro viuis à mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium.* Appellauit etiam Hermannus Risuich fatuam scripturam, ficta Biblia, delictum Euangelium. Libertini præterea scripturas fabulas nominaunt, auctore quodam Quintino. *Se enim literæ obnoxios non esse, sed sequi Spiritum viuificantem.* Consule Prateolum. Huc reuocandi qui vocātur cœlestes Prophetæ, aut illuminati, & antiquiores Gnosimachi, de quibus Damascenus ᵍ, *vanum laborem esse circa scientiam scripturarum: solas Deum exigere bonas actiones.* Vniuersè omnem eiusmodi errorem bene refellit Salmeron ʰ.

Elucescat.] Διαυγάσῃ. Thomas Anglicus, *Illucescat*, id est, inquit, *intus luceat*, & vsque ad intimum animæ. Ex mendo commodum retulit.

Lucifer.] φωσφόρος nutum sydus prodromon Solis, cùm dię absolutè dixerit, potest adiectione Luciferi crescere oratio. Vt primùm namque diluxit, dici dies potest: Lucifétque perseuerat aliquamdiu ante Solis exortum, ac nonnihil postea. Indicatur huius vitæ imperfectior cognitio, quæ quāta quanta sit, sumere incrementa possit. *Iustorum enim semita quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem* ⁱ, consequentis vitæ. Interim *lucendum in medio nationis prauæ & peruersæ* ᵏ, inter errores, & peccatorum scandala. Proficit ipsamet Ecclesia, quæ subinde per Concilia, & Pontifices obscura declarat, & proponit eredenda, Spiritu sancto, sicut promisérat Christus ˡ non omnia simul putate, & capere valentibus, *docente, ac suggerente omnia*, quæ pro circumstantiis ducit esse necessaria, sed ait idem Christus id facturum Spiritum sanctum, ita vt simul eadē ipsemet dicat, & doceat.

Colligit proinde Cyrillus Alexandrinus ᵐ, Deū esse Christum, quòd nominet eum Petrus diem, *diéique irradiationē*, & *Luciferum, & illuminationem, qua fit in spiritu per ipsum.* Vbi videtur fauere sententiæ nostræ de clariore præsentis vitæ notitia rerum diuinarum per Christum, & de Christo. nam adhibet similem locum Pauli ⁿ: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ in lucem.* Vltima duo verba sic nectit, quæ pertinent ad præcedentem eiusdem loci sententiam. Tunc subdit, neminem dubitare Christum esse, & mensem, & diem, & iubar, & Luciferum eorū qui sunt inter eos, qui ad Fidem vocati sunt.

Idacius ᵒ porrò illud Psalmi ᵖ: *ex vtero ante Luciferum genui te*, sumentibus nonnullis de Spiritu sancto, & inde probantibus, ideircō minorē esse Filio, respondet etiam de Filio hic dici nomē Luciferi, sicut & aliis locis nomen stellæ ᑫ: *quare, sicut Filius*, inquit, *in stella imagine nunciatur Spiritus sanctus non potest dici inferior: ita Spiritus sanctus si proprie in ipso Lucifero comparatus, minor Filio non poterat apparere.* Negat etiam, eùm ita hic loeutus est Petrus, Spiritum sanctum Luciferum propriè nominatim vel dixisse, vel docuisse, vel docendum mandauisse.

Gregorius ʳ ostendit, quare dicatur Christus Lucifer, ac stella matutina, & expositores Apocalypsis ˢ Primasius, Beda, Rupertus: eodémque loco Viegas noster affert alias expositiones huic loco non incongruentes. Placet magis tamen, quod affert Ribera de Christo quoque interpretans, ita de seipso loqui capite vltimo Apocalypsis, vt se ostendat auctorem omnium reuelationum, tāquam *lucem mundi* ᵗ, eùm fuerint Prophetæ solùm vt lucernæ. Vnde & pollicebatur ᵘ: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Ponit editio Syra, quam Latinam fecit Etzelius noster, נוגה *sum'co, solem*: quem quoque nominat φωσφόρον Suidas, & Philo ait φωσφόρον: sicut Cicerō ˣ vocat Lunam luciferam. De isto Lucifero spiritualiter sumpto pro Christo agit adhuc antea citatus Cyrillus Alexandrinus ʸ.

Vers. 20.] Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.

Vers. 21.] Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

Vtilis Prophetarum lectio propter firmissimam grauissimámque auctoritatem. Sed qui legit, intelligat, cauēs, ne proprio fretus ingenio, scripturas tametsi lucentes aliquantulùm in hac mundi caligine percipere se posse confidat. Nam sicut auctore sunt Deo, ac inspiratore conditæ scripturæ, ita vt intelligantur diuina necessaria gratia est, quam non cuiuis communicat Deus, verùm viris sanctis, aut certè his, *quos in Ecclesia posuit pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum, ducit fidelium*, qui subsunt ipsis, *in opus ministerij*, (quo illi funguntur) in ædificationem corporis Christi ᶻ.

Quocirca nō permittitur interpretatio cuiuis gregario, & laico, opifici, mulierculæ. Qui sanctiores sunt, doctioréſque, tantam illam profitentur experiri se difficultatem, & obscuritatem scripturarum, ac ipsimet qui faciles iactant, & claras hæretici, tot, adeóque discrepantibus inter se editis Commentariis. Demonstrat vtrumque copiosè præ ceteris Bellarminus noster ª, & obscuras difficiléſque scripturas esse, & per certos in Ecclesia homines, maximè per Pontificem controuersias de Fide dirimendas, legitimū scripturarum sensum declarandum.

Concedunt, quòd hic Petrus docet, hæretici scripturas non ex ingenio proprio, sed secundum

dicta

Marginalia: a Hosio perfe. in hæresibus mort. cap. lib. de hær. nostri tempo. | b Psal. 93. 12. c 1. Ioan. 2. 27. d Esa. 54. 13. e Matt. 23. 8. | f Esa. 8. 19. | g Lib. de hæresib. | h Tom. 1. prolego. 7. | i Prou. 4. 18. k Philip. 2. | l Ioan. 16. 13. | m Thesaur. Deus obscur. lib. 1. de Trinitate. | n Colos. 1. 13. | Christus est mensis, dies, & iubar, & dies ac Lucifer. | o contr. Varimadum. p Psal. 109. 3. | q Num. 24. 17. Apoc. 2. 28. cap. vlt. 16. Matt. 2. 2. Spiritus S. non est minor filio. | r 19. Moral. c. 30. | s cap. 2. | t Ioan. 8. 12. & cap. 9. 5. u ibid. c. 8. 12. | x 2. de nat. Deor. | y Dialog. de Trin. | Vt scriptura intelligantur diuina gratia opus est. | z Ephes. 4. 11. 12. | a lib. 3. de verbi Dei interpretatione. c. 1.

dictamen Spiritus sancti, qui dictauit illas, exponi debere, sed summa vanitate, ac falsitate sibi, suisque etiam vetitis, & haec hoc pollicentur dictamen: Catholici, licet priuatis interdum concedi non negent, illos constituunt, quos diximus, certos iudices, interpretésque, nempe Concilium Episcoporum approbatum à Pontifice, seu Pontificem ipsum, cuius est fratres confirmare, oues pascere, claue scientiae, quam gerit, huiusmodi res aperire. Hæc nunc vt omnino certa, compertáq; ponimus, ne in longiore versemur disputatione alterius loci magis propria.

Legitimi interpretes Scripturarum qui sint.

Synodus [a] Tridentina decreuit esse *Ecclesiæ iudicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum sanctarum, caueritq; ne quis contra eum sensum, quem ipsa tenet, ad suos sensus contorqueat, aut contra vnanimem consensum Patrum illas interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore edendæ forent.* Et quòd magis mirere (quanquam quia familiaris ei est inconstantia, minùs mirandum est.) Lutherus, qui toties seipsum hac in re, & alium quemlibet Papæ, atque Conciliis prætulit, cùm diceret sæpe, nullum ibi virum esse, qui diuinum spiritum, vel modicè olfecerit [b], ab ipsamet cõuictus veritate, asseruit [c], nos de nullo priuato homine certos esse, habeat nec ne reuelationem Patris: Ecclesiã autem ipsam esse, de qua dubitare non liceat. Profectò nullus sit finis litium, si pars singuli auctoritate iudicent: nec magis Caluino quidlibet ex suo spiritu tradenti, credet etiã Caluinian[us] maximus, quàm quod opinor ex ea secta nullus credere se fide diuina conceder, pronũciãti se iustum esse, ac de sua certum salute, eo quòd Spiritus sanctus obsignauerit cor ipsius, suóque testimonio cõfirmauerit ipsum esse filium Dei.

a Sess. 4. Ecclesiæ est de vero sensu Scripturæ iudicare.

b Coclæus recitans articulos 17. 28. 29. 215. & Luth. etiã in præfat. illorum.

Lutheri inconstantia.

c lib. de Potesta. Papæ.

Petrus itaque, vt præmonui, opportunè monuit, postquã appellasset lucernæ vocabulo scripturam, ne quis id ita intelligeret, quasi certò illuminaret, etiam secundum priuatã cuiuslibet interpretationem, & ipsa sola sufficeret hoc quoq; modo exposita, ad Fidei terminandas controuersias, absque communi auctoritate, quæ Fidei magistra sit, & index; monuit, inquam, serio admodum, grauitérque, vt hoc primum omnes intelligerent interpretatione propria Scripturam non percipi; sed illa ipsa auctoritate diuina, qua condita est, & in Ecclesia est, quæ dictæ lucernæ ministra est, ac lumen ipsum illius quasi digito demonstrat, prædicat, proponit, testificatur.

Interpretatione propria Scriptura non percipitur.

Hoc primum.] Πρῶτον, aduerbium est, non nomen; idem quod, in primis: vt intelligatur quanti referat hæc admonitio. Alij primùm pro prius sumũt, vt Erasmus & Vatablus. Sed melius priore modo, sicut & quando quærẽdum præcipitur *primùm regnũ Dei* [d], vel *vt fiant obsecrationes, &c.* [e] item, quando postea monebit Petrus [f], *vt hoc primum sciamus quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, &c.*

d Matth. 6. 33.
e 1. Tim. 2. 1.
f cap. 3. 3.

Omnis prophetia scripturæ.] Πᾶσα προφητεία γραφῆς. Prophetia Scripturæ, vt Caietanus docet, denotat prophetiam sacram, quia Scripturæ vox absolutè ponitur pro sacra. Hoc vltimũ notauimus alibi [g]. Aliæ circũferebantur prophetiæ vel diuinæ, sed apocryphæ, nec in canonẽ adscriptæ, vel naturales. Gnostici suas venditabant, & ex libris sacris quos volebãt, aut reiiciebãt aut recipiebant. Omnis diuina Scriptura censeri, ac dici potest prophetia, vt antea docuimus, etiamsi non contineat rei futuræ vaticinationẽ. Quidquid, nisi Dei potest instinctu sciri, prophetiã esse Gregorius [h] docet; & B. Thomas [i], immo & Gentiles ita sentiebant de vatibus suis, vt de Epimenide Varro [k], Cicero [l], Plutarchus [m], Athenæus [n], & in genere de aliis Aristoteles [o]. Quin etiam præterea, quod imperio propheta facit diuino, si quid mysticũ, & diuinum contineat, vaticinari dicitur, vt Ezechiel [p].

g Act. 18. 24.

Omnis diuina Scriptura Prophetia censeri potest ac dici.

h hom. 1. in Ezech.

i 2. 2. q. 171. a. 3.
k 7. de lingua Latina.
l 1. de legib.
m in Solone.
n lib. 13. c. 17.
o 3 Rhetoric.
p c. 38 per totum.

Sed & prophetiæ notio vna posset esse pro interpretatione, quemadmodũ, & prophetare nonnunquam prædicare est, ac interpretari sacras literas, vt memini quodam loco [q]. Tunc sensus esset, prophetiã scripturæ, id est, interpretationem, non fieri propria interpretatione, & ne bis repetatur idem nomen, pro interpretatione, secundo loco, quæ Græcè est ἐπίλυσις, dici posset dissolutio, vel explicatio, &c. Verum non ita congruit proposito hæc acceptio, tum quia sic interpres vertit, nec vllus alius alter; tum quia respectum Petrus habuit ad eum, quem antea nominauerat προφητικὸν λόγον *propheticum sermonem*.

q Act. 2. 4. c. 13. 1.

Cæterùm quod absque exceptione omnẽ prophetiã Scripturæ dicit, eripit hæreticis effugium docendi, quamuis hic, aut ille per se locus scripturæ sit obscurus, aut difficilis, facili negotio aliorum collatione locorum intelligi, & exponi posse, atque Scripturam ex Scriptura in controuersis quæstionibus certò, ac infallibiliter percipi. Intelligentia cuiusuis loci certa, infallibilis, & cui omnes assentiri teneantur, exigit in Ecclesia communem auctoritatem, per quam cõmuniter loquatur, omnésque doceat Spiritus sanctus.

Non omnis Scripturæ locus obscurus ex alio loco Scripturæ facilius exponi potest.

Propria interpretatione non fit.] Ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται propriæ interpretationis non fit, vel nõ est, non pertinet ad quemlibet interpretari, nec illi ipsi qui scribebant, exponebant, volebãt. est ἐπιλύειν soluere nodũ alicuius quæstionis, & explicare. Interpres alibi vertit edisserere [r], & absoluere [s]. Vnum de donis gratis datis ad Ecclesiæ communem vtilitatem *interpretatio sermonum est* [t]: quod alias [u] docuimus consistere, vel in aptè aliã ex alia linguam conuertendo, vel in difficultatibus scripturarum expediendis. Attamen donec approbatio sũmi Pastoris accedat, nõ facit fidem quælibet interpretatio, quam etiam nobis aliter cõstare non potest ex Dei munere profectã esse.

r Mat. 24. 34.
s Act. 19. 39.
t 1. Cor. 12. 10. c. 14. 26.
Interpretatio sermonum quod donum sit.
u Act. 2. 4.

Inter hæreses vnam Damascenus [x] recẽset, Paermeneutarũ, *qui arbitratu suo Scripturas interpretarentur studio vincendi, cum tamen laborarẽt imperitia, & inscitia iudicandi.* Quemadmodum verò Aaron *fratris propheta* nominatus est à Deo [y], quia locuturus erat ad Pharaonẽ, quæ ipsi frater Moses antea locutus esset. Sic ille verus propheta est, qui quæ ex ore Dei excipit, loquitur, aut scribit, aut qui eodem spiritu diuino quo scriptæ sunt sacræ litteræ, illas legit, & intelligit, vt Bernardus docet [z]: *Clauẽ scientiæ* nominat Christus [a], & Ioãnes *clauem Dauid*, quam habuerit Christus *aperiẽs, & claudens pro arbitrio suo* [b]: item *librum signatum sigillis septem* [c]: de quo etiam libro signato Esaias [d].

Hæresis Paermeneutarum.
x lib. de hæres.
y Exod. 7. 1.
Verus Propheta quis.
z ep. ad Fratres de Monte Dei.
a Lucæ 11. 52.
b Apoc. 3. 7.
c Apoc. 5. 1.
d cap. 29. 11.

Non enim voluntate humana allata est aliquãdo prophetia.] Ambrosius [e] mysticè vestes Christi, *super quas miserunt sortes* [f] *milites*, de diuinis scripturis, & Euangelistis exponens causam reddit, quoniam sors veluti à diuino pendet examine; & ideo, quia non in potestate propria sunt locuti, neq; omnes eadem omnia, sed pleraque dixerunt diuersa, quæ alius non dixerat, sancti Spiritus gratiam veluti sortito illis ea tribuisse cognoscimus, quæ loquerentur singuli de operibus Domini Iesu, vt eius gesta sibi describenda pro eius nutu diuiderent.

e de Tobia c. 20.
f Matt. 27. 35. Mar. 15. 24.

Ad Prophetas,& aliarum scripturarum cōditores hoc idem transferri potest, de quibus etiā intelligit Oecumenius locum præsentem hoc sensu, vt illi non pro voluntate sua (id habet quoque Glossa Interlineatis) sed sicut diuinus Spiritus ipsos mouendo operabatur, prophetauerint, & scripserint. Addit sciuisse ad se dimissum Propheticum sermonem: attamen illius interpretationem non fecisse, eum Pseudoprophetæ, aut Græcorum vates non agnoscerēt, dum agitarentur, sed insania væcordes effecti ignorarent quid sibi accideret, tanquam ebrij effecti.

Error fuit Montanistarum, seu Phrygastarum, aut Cataphrygarum, & Priscillianistarum, Prophetas more arreptitiorum non intellexisse quæ prophetabāt. Refellit Basilius [a], Hieronymus [b], Epiphanius [c]: quoniam abhorreat à ratione diuinæ præsentiæ, vt amentem reddat, quem implet Sapientia, & vt qui præbet aliis vtilitatem, nihil ex propriis capiat sermonibus vtilitatis. Addunt præterea exēplum Dauid, qui *sibi canit incerta, & occulta Sapientia Dei manifestata* [d]: Danielis, de quo Ezechiel [e]: *Ecce Sapientior es Daniele*: Mosis, *qui loquebatur ad Dominum, & Dominus respondebat ei* [f]. Afferunt Pauli testimonium scribēris, quod *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt* [g], & Salomonis affirmantis intelligere Sapientē, quæ profert de ore suo, & in labiis suis portare scientiā. Idacius [k] annotat sic esse subiectos spiritus Prophetarū Prophetis, vt hi spiritus Spiritui sancto subijciantur, qui Prophetas illos dedit, iuxta Petri præsens testimonium, quod ipse ita legit: *Nūquam humana voluntate prophetia allata est aliquādo, sed à Spiritu sancto repleti loquebantur homines.*

Notat Caietanus dictum. (Non voluntate humana) cùm potiùs dici debuisset: *Non intellectu*, quia prophetia est de singularibus contingentib. futuris, ad quorum certitudinem constat non se extendere intellectum humanum, cum cōstet ad eorundem varietatem se extendere præsumptionē voluntatis humanæ. *Ideo*, inquit, *exclusit Petrus voluntatem humanā.* Thomas Anglicus obseruat allatam prophetiā dici, quia, vt Dionysius [i] docet, fertur de sursum ministerio Angelorum. Hugo Cardinalis docet, non esse in potestate Prophetę nouam concipere prophetiam, quāuis possit iam habitam proferre, quando vult, & hoc secundo modo dixisse Paulum, quòd *spiritus Prophetarū subiecti sunt*: priore Eliseum, dum caneret psaltes, prophetasse [k]. Carthusianus colligit hinc argumentum Esaiæ: *Quæ ventura sunt, annuntiate nobis, & sciemus quia Dij estis vos* [l]: quia ex libera Dei voluntate tātùm pendet certa purè contingentiū liberorum præcognitio. Communicari potest etiam impiis prophetia, vt Balaam [m], Caiphæ [n]; & apud Gentiles Sibyllis, Hystaspi, vel Hydaspi.

Valde efficax argumentum ex prophetia: vnde Christū hoc modo agnouit Samaritana [o], & Petro Christus initio statim prædixit [p]: *Tu vocaberis Cephas* Vt ob hanc fortasse causam præcipuè postea ediderit illam confessionem [q]: *Tu es Christus, Filius Dei viui*, & cum Nathanaeli dixisset [r]: *Vidi te sub ficu*, ipse respondit, *tu es Filius Dei, tu es Rex Israel* [s]. Chrysostomus exaggerat vim huius argumenti; Gentiles imitari alias prædictiones eorum falsas deprehendi.

Sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt.] Ἀλλ᾽ ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν: *a Spiritu sancto impulsi, rapti, agitati, acti*, vt Vatablus reddit, & Clarius, & Caietanus. Sed melius interpres vitauit occasionem erroris, de quo proximè dixi: licet si ita vertisset, commodè intelligi deberet: sicut & cùm dicuntur *qui Spiritu Dei aguntur, filij Dei esse* [z], saluo scil. pleno vsu liberi arbitrij. Spiritui sancto munera gratiæ tribui, nulli non cognitum, sicut & nomen amoris, ac doni, de quibus alibi disseruimus [u]. Ioannis pater cecinit *locutū Deum per os sanctorum prophetarum*, & id eisdem verbis profitemur in symbolo Niceno de Spiritu sancto. Hic dicuntur locuti ab ipso inspirati, per loquendi verbum scriptionem quoque comprehēdendo. Quare Spiritus sanctus scientiam vocis habere dicatur [x], aliis locis exposuimus [y]. Ab hac inspiratione, ac, vt ita dicā, dictatione Spiritus sancti, prouenit cognomē scripturæ sanctę [a], & diuinæ. Vocantur etiā *libri sancti* [a], *eloquia Dei* [b], *Scriptura diuinitus inspirata* [c], *littera sacræ* [d], &, vt ante vidimus, prophetiæ; nec non communi vsu Ecclesiasticorum Auctorum, canonicæ Scripturæ Hinc est, quod Christus citans Dauid, ait [e], *in spiritu locutū*. & Esaiam [f] *bene prophetasse*. Paulus [g] autem refert scripturam dixisse Pharaoni, quod Deum [h] constat dixisse. Scribit quoque *locutum Deum patribus in Prophetis qui postea in Filio* [i]; item *per Esaiā* [k]: & rursus *per os Dauid Apostoli asserunt* [l], & ipsemet qui priùs loquebatur (in Prophetis) dicit de seipso, *Quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum* [m], nempe Dei Filius factus deinde homo.

Omnis sanè veritas dici potest θεόπνευστος, de quacūque re sit, quoniam *Deus veritas est* [n], & *Spiritus sanctus est spiritus veritatis* [o]. *Vt video*, inquit Eliu [p]: *spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiā*. Omne verum a veritate verum est. Est autem veritas Deus, inquit August. [q] & Ambr. [r] *Quidquid verum, à quocumque dicatur, est à sancto dici Spiritu.*

Attamen immediatè à Deo reuelata doctrina, meritò nomē obtinet diuinæ, & inspiratæ: quemadmodum illa quæ vocamus miracula, fiúntque a solo Deo [s] velut a causa per se efficiente, vocantur absolutè opera diuina. Sic respondet B. Thomas [t]. In talium editione scripturarum, locum illud mysticè habuit [u], *quod vbi erat impetus Spiritus* (dictantis) *illuc gradiebantur* (scriptores) *nec reuertebantur* (ita vt ex proprio spiritu scriberent, & humano) *cùm ambularent*. Pseudoprophetæ, quorum sequenti capite fit mentio, *visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini, nec loquente ad eos Domino* [x]: qualis Sanaballat [y]. In ceteris errandi subesse periculum potest. *Illa scriptura*, inquit Anselmus [z], *arcem auctoritatis obtinent, quæ per Spiritū Dei prolata sunt, quæ & canonica nuncupantur.*

Ceterùm inspiratio diuina spectari multis modis potest. Nam vel res ipsæ, de quibus erat scribendum, scriptori erant incognitæ, quales Dauid sibi reuelatas testatur [a]: vel quāuis essent cognitæ, idque etiā naturaliter, Deus impulit ad scribendum, ne scriptor in scribendo falleretur, falleretve: vel ipsamet verba singula dictauit Deus. In diuinis litteris plurima sunt primi generis, nō pauca secundi: verba quoque dictata multò probabilius est. Primū, ac secundū demonstrant verba ista Petri: & necessaria ratio, quoniam periclitaretur aliòqui tota scripturarum sanctarum auctoritas, si leuissimus in iis error deprehenderetur, vt argumētatur Augustinus [b]: dicens præterea [c], *quòd titubabit fides, si diuinarum scripturarū vacillet auctoritas*. De tertio probabilior lōgè sententia est, quæ ait ipsamet verba dictasse Spiritū sanctum. nā id reddit magis venerabilē, & diuiniorē

Marginal notes (left):
Procem. in Esaiam.
ibidem, & Nahum 1.
hæresi 48.
Prophetarum vaticinia sua ipsi prophetæ intellexerunt.
d Psal. 50. 8.
e cap. 28. 3.
f Exod. 33. 34. & Num. 12. & alibi passim.
g 1. Cor. 14. 32.
h cont. Varimadum.
i de cœlesti hierar.
Non est in potestate prophetæ nouam proferre prophetiam.
k 4. Reg. 3. 15.
l cap. 41. 23.
m Num. 22.
n Ioan. 11.
o Ioan. 4. 19.
p Ioan. 1. 42.
q Matt. 16. 16.
r Ioan. 1. 48. 49.
s hom. 18. in Ioan.

Marginal notes (right):
z Rom. 8. 14.
Spiritui S. munera gratiæ tribuuntur.
u Lucæ 1. 70.
x Sap. 1. 7.
y ibidem, & Act. 2. 4.
a Rom. 1. 2.
a R. Machab. 12.
b Rom 3. 2.
c 2. Tim. 3. 16.
d ibid. 15.
e Matt. 22. 44.
f Matt. 15. 7.
g Rom. 9. 17.
h Exod. 9. 16.
i Heb. 1. 2.
k Act. vlt. 25.
l Act. 4. 25.
m Esa. 52. 6.
n Ioan. 14. 6. & 1 Ioan. 5. 7.
o Ioan. 16. 13.
p Iob. 32. 8.
q lib. 83. quæst. q. 1.
r in 1. Cor. 12. sub finem.
Immediatè à Deo reuelata doctrina, nomen obtinet diuinæ.
s Psal 135. 4. & alibi.
t in 2. Tim. 3. lect. vlt.
u Ezech. 1. 12.
x Ierem. 23. 16. 21.
y 2. Esd. 6. 8.
z in 2. Tim. 3.
Inspiratio diuina spectari multis modis potest.
a Psal. 50. 8.
In scriptura nulla prorsus falsitas est admittenda.
b ep. 8. & 19. ad Hier. & ep. 112. 2. de consen. Euang. 23. 1. de mendacio c. 10. & 11. cont Faust. cap. 5.
c 1. de Doct. cap. 37.

ſcripturā, cum quod ad res ipſas pertinet Cōciliorum quoq; approbatorum à Pontifice,& Pontificis definitiones eam laudem habeant, vt certam veritatem contineant. Hic prætereà loquēdi modus de ſcripturis,& ſimiles allati,vt diuinitus dicantur inſpiratæ,magis id indicant.

Fauēt plurimùm hi,qui Dei vocāt epiſtolas,ab ipſo miſſas Deo de cœlo, vt, quos alibi retuli [a], Antonius [b], Auguſtinus [c], Gregorius [d], Chryſoſtomus [e], Macarius [f]:qui emiſſa etiā de cœlo dona,vt Baſilius [g], & Ephrē [h],qui venerabilem ſtylum Spiritus Dei, vt denuo Aug. [i] præterea qui ſcriptores ipſos cum calamo cōparant, vt nō ipſi per ſe ſcribāt,ſed nobiliore mouente illos,ac peritiore ſcriptore Deo,vt Gregorius [k], ad id vſurpans ex pſalmo [l] :*lingua mea calamus ſcribæ*, (vbi conſule Cōmentarium noſtrū) &c. necnō Theodoretus [m]:item, qui docent ne iota quidem , vel apicē vacare myſterio,vt iterū Baſilius [n], ac Hieronymus [o]:ex quib.prior blaſphemiam exiſtimat dicere aliquod verbum eſſe otioſum. Adhæc qui diſertè aſſerunt Deum dictauiſſe, vt Irenæus [p], Cyprianus [q], Auguſtinus [r], Gregorius [s].

Accedit, quod non ſolùm Doctores noſtri verbatim recitant,& explicant ſcripturas,ſed etiam interdum ſcriptores noui Teſtamēti,& citāt ſcripturas veteres,& exponunt. Sed & veritas ſententiarum pendet à verbis ipſis; ita vt, quemadmodum in definitionibus Conciliorum & Pontificiis verba ipſa dictari creduntur , licet non in aliis,quæ ſimul adiungūtur, vt in rationibus,&c. ſic idem ſentire debeamus de ſacris ſcripturis,de quibus omnino dubitari,& diſceptari nō poteſt, vt ait Auguſtinus [t],vtrum verum, vel vtrum rectum ſit,quidquid in iis ſcriptum eſſe conſtiterit. Poſtremò cùm ſit omnium par ſcripturarum auctoritas, tam videntur Deo auctore ſcripta verba omnia cæterarum,quàm Ieremiæ [u]:nec minus periculoſū eſſe apponere, vel diminuere de aliis, quàm de Apocalypſi [x].

Supereſſet quærere de editionib. ac verſionibus ſcripturarum, præſertim de noſtra Latina vulgata , vtrum nō modo nil habeat contra fidē, & mores,tradátque ſufficienter neceſſaria, ſed in omnibus ſit aſſecuta ſenſum, & ſingula ipſa verba Spiritus quoque ſanctus dictauerit; aut in rebus minoris momenti cōcedere poſſimus aliquos errores in ipſa ex ipſiuſmet interpretis aut negligentia,aut ignorantia.Ego quia de iſta, & priore quæſtione, déq; omni hoc argumento fuſius alibi diſſerui,ſic nunc paucis definio.Auctor approbatæ noſtræ Latinæ vulgatæ editionis , quamuis magis Latina,elegāti,clara, propria vti oratione potuit,vt admittūt Hieronymus [y], Auguſtinus [z], Gregorius [a]. Præterea licet abſque errore poſſit dici,non expreſſiſſe ſemper magis proprium ,& magis primariò intentum ab Spiritu ſancto ſenſum,ita vt nihilominus verum , ac verè intētum aliquem reddiderit:attamen multo melius eſt, ac tutius aſſerere cōtrarium tam de ſenſu, quàm de verbis , vt ſcil. Deus vtrâque in re illum direxerit,atq; docuerit. Nam videtur hoc ad maiorem Dei curam de Eccleſia ſua pertinere : ſic quoque meliùs hæretici confutantur , qui facilè alioqui cauſari poſſent , ſenſum, quem verba præ ſe ferunt,& paſſim etiam recipitur , eſſe minùs principalem (etſi ſatis eſſet,ſi conſtaret intentum eſſe etiam ſecundariò à Spiritu ſancto ,) ſemper dubitare poſſemus de ſenſu primario , & hac adeo vtili ſcientia priuaretur Eccleſia.

Quòd autem non ſit aliquando vlla ratione ſenſum aſſecutus , vel quòd etiā falſum poſuerit, quāuis in re minoris momenti,nullo modo concedi debet. Tridentinum [b] enim Concilium definit ſcripturæ libros integros cum omnibus partibus ſuis, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerūt, & in vetere videlicet vulgata editione ſunt,tanquam ſacros , & canonicos recipiendos eſſe,tales autem nequeunt eſſe partes illę,in quibus non eſt ſenſus à Spiritu ſancto intentos.

Dubitari poſſet de etymologiis vocabulorum, verùm quæ ſunt in vetere Teſtamento,ſi eas poſuit idemmet Auctor ſcripturæ, ſunt eôdem modo canonicæ:Si interpres,reiici non debent,licet forſitan canonicæ non ſint. Accidit præterea , vt cùm non ſatis poſſent Latina nomina aptè reddi; quædam alia ob affinitatem cum rebus per peregrina ſignificatis reddita ſint:Verbi gratia, in arboribus apud Danielem [c]. Habebit alluſio tunc auctoritatem canonicam,non ipſa in ſe, iuxta ſignificationem propriam nomina Latina. In Teſtamento nouo ſcriptores ipſimet ſacri videntur etymologias expreſſiſſe. Ad extremum,ſi donum gratis datum *interpretationis ſermonum* nonnullis conceditur *ad vtilitatem* [d];quis ambigat laboranti pro Eccleſia tota interpreti eſſe conceſſum;aut errores,qui fortè inciderāt,corrigenti auctoritate Eccleſiæ,aut ipſi ſaltem Eccleſiæ à priuato aliquo confectam interpretationem approbanti?

De Græca editione,& Hebræa , & Syrochaldæa , verum adeo certam habeant auctoritatem, ac Latina,maximè tertia,& prima apud Catholicos,qui vtuntur illis duntaxat,quæſtio fieri ſimilis poteſt. Certè ſi habent apud aliquos, neceſſe eſt vt & apud omnes. De Syrochaldæa lege tractatum Franciſci Lucę Brugenſis.Porrò cum omnes Catholici Romanæ ſubſint Eccleſiæ , cōſtat, quaſlibet alias editiones,ad eam , qua illa vtitur, cuique auctoritatem attribuit,expendi , & dirigi oportere. Hebrææ approbatio nō eſt adeo neceſſaria iā toto diſperſis orbe Iudæis:Græcā LXXII. Interpretū Sixtus V.anno M.D. LXXXVI. reſtituit,& approbauit, qua potiſſimum vteremur ad Latinæ vulgatę intelligentiam,atque ſanctorum Patrum,& prohibuit , ne quis de illa audeat in poſterum,quidquam vel addendo , vel demendo immutare. Credi debet , licet Latina Eccleſia in Fide retinenda fuerit ſine dubio longè conſtantior, quàm Græca , ideóque veriſimile etiam ſit vigilātiorem fuiſſe in ſuis codicibus à corruptione vindicandis, ac tandem ſuæ Latinæ approbationem editionis authenticam habeat, nō defuiſſe Græco, aut Syrochaldæo ſermone in ſacris vtentibus,editionem , in qua neceſſaria ſaluti , & religioni reperirent.Si qua verò ſuboriretur grauior dubitatio , conſulere poterant , vt & modo poſſunt , debéntque vniuerſalem Paſtorem Romanum Pontificem , qui ſi velit , poteſt quamlibet editionem approbare,ſicut ante annos ſexcētos approbauit pro Morauis recens cōuerſis Sclauonicam, quod non ſuppeterent qui Latina lingua celebrarent Officia diuina [e].

De his omnibus habes quos legere poſſis . ſi plura deſideras,Pagninum [f], Ioannem [g] Picum Mirandulanum,Finum [h],Porchettum [i], Catharinum [k],Driedonem [l],Titelmanum [m], Sixtum [n] Senenſem,Antonium [o] Beuter,Petrum Sutorē [p], Canum [q],Latomum [r], Leonem [s] Caſtro, Ederum [t],Tiletanum [u],Michaëlem [x] Medinam,Hoſium [y],Petrum Sotum [z],Cantapetrenſem [a],Pau-

lum

a in ep.Ioan. præf.c.9. b apud Athanaſ. in vita. c concio.2. in pſal.90. d l.4. ep.84. e hom.9.in 2. ad Theſſ. f hom.39. g in pſal.59. h Tom.2. ſer. de patien. & cōſum. ſecul. i 7.confeſſ. c.vlt. k præf. Mora. cap. 2. l pſal.44. m præf.in pſ. n hom.6. & in Hexam. o in c.5.Matt. p lib.2. c. 47. q ſer. de eleemoſyn. r l.5. de ciu. Dei c.43. s præf. Moral. cap.2. t 2.de Baptiſmo c.3. u cap.36.2.& ſeq. x vlt.18.19.

Verba ipſa ſcripturarum à Spiritu S. dictata.

De vulgata editione.

y ep.ad Sun. & Fretelam. ep.ad Paulinum,epiſt.de opt.gen.interpre. z 2.de Doct. c.13. & 15. a in Iob præf. cap.vlt.

Interpres non dicendus quandoque non aſſecutus eſſe ſenſum Scripturæ, vel falſum poſuiſſe. b ſeſſ. 4.

Etymologiæ vocabulorum quomodo canonicæ.

c c.13.55.59.

d 1.Cor.12. 10.

De editione Syrochaldæa & Græca.

e Aeneas Sylvius li.de Orig. Bohem. cap. 13. f in Iſagoge. g lib. de edit. vulg. h cōt.Iudæos. i cont. Iudæ. k de clauibus ſcript. l l.4. c.1. Eccl. dogma. m Apolog. pro veteri tranſlat. n lib.4.&8. Biblio. o de lib.ca. p de vulg.edi. q 2.de locis. r 7 de inſtaur. ſ præfat. Eſa. & in Apolog. t in Oeconom. Biblio. u pro Concil. Trident. x 6. de Fide. y 6 Con. Brentium. z C. Fundē. a 4. Hypoty. cap.4.

lum [a] Ferosempronium, Andream [b] Vega, Lindanum [c], Paiuam [d], Bellarminom [e], Salmeroné [f], & quem ante dixi Lucam Brugensem, & in biblicis prolegomenis Serarium nostrum. Vehementer probo Ioánis Eckij [g] viri doctissimi modestum, prudénsque iudicium, malle se fateri inscitiam, quam vt credat Ecclesiam vel in minimo apice, nimirum vulgatæ editionis errare.

Sancti Dei homines.] Cur sancti Prophetæ nominentur, docui alibi [h]. Etsi verò prophetiæ gratis datum donum in improbis reperiri, sicut & alia similia, possit, qualis Balaam [i] fuit, Caiphas [k], & hi, qui se in nomine Domini prophetasse verè quidem, sed frustra, dicent [l]: nihilominus ex iis quorum canonica extant scripta, nullius in dubium sanctitas reuocatur, præterquam Salomonis, quam nos ostendimus, cum illius expuneremus Ecclesiasteo, iuxta magis communem, & probabilem sententiam, inter sanctos censeri posse, nec absque pœnitentia vitam terminauisse. Nec omnino leue argumentum, quod inter scriptores canonicos illum esse voluerit Deus. Argumentatur Lactantius [m] iustos, & electos viros Spiritu sancto impletos, ac in media plebe prophetas constitutos, vt per eos peccata ingrati populi verbis minacibus increparet. & nihilominus hortaretur ad pœnitentiam sceleris agendam. De his Philo [n] præterea quæ erauimus [o] ex eodem, ita scribit: *Dei verò homines sacerdotes, & prophetæ sunt, quorũ maior est dignitas, quam vt se misceat humanæ Reipublicæ, & mundi ciues sint; sed sublimiores omnibus rebus sensibilibus, migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, ascripti reipublicæ idearum incorporearum, & incorruptibilium.*

Crebrò legimus appellatos Prophetas viros, & homines Dei, vt Samuelem [p], Semeiá [q], eum, qui seductus est ab alio propheta [r], Eliam [s], aliũ, qui victoriam promisit regi Israel [t], Eliseum [u], Mosem [x], Dauidem [y], illum qui locutus est cum Amasia rege [z].

Vocati sunt quoque nuntij Dei, & Domini [a], vt Aggæus: ita vt existimasse nonnullos referat Hieronymus [b] Aggæum, qui sic appellatus est [c], & Malachiam, & Ioannem Baptistam, qui nomine Græco Angeli, & Hebræo מלאך *malach*, idem significãte, reuera Angelos fuisse in humana natura assumpta; cum tamen ab officio sic tantùm vocati sint, quemadmodum & Christus *ipse* [d] *magni consilij Angelus, atque testam mi* [e].

Inter Prophetas Moses eximius homo Dei sępius nominatur [f]; & vbi Hebraicè, in titulo psalmi octogesimi noni dicitur homo Dei, Chaldaicè propheta vocatur, & Augustinus notat in Cõmentario Mosem virum Dei à scriptura appellari, quia propheta erat noui Testamenti, & minister veteris. Sed Euthymius [g] ait ea inscriptione doceri, quod ille psalmus iis congruat, qui per diuinam aquam, hoc est, per salutare lauacrum baptismatis homines Dei effecti sunt: quia Moses assumptum ex aqua significat. Idem forsitan valet homo, vel vir Dei, quod seruus, & famulus, quo nomine Prophetæ appellantur [h], sed peculiariter Moses [i], vulgo quidem quidam, vt Galli, hominem suum dicunt. Quin etiam homines pro famulis, ancillis, seruis, & tota familia Scæuola vsurpauit [k]: & in vtrôque iure homines alicuius vocantur, qui aliter vassalli. Exemplum requiro Græcorum, & Hebræorũ, nec reperio. Lege quæ dixi ad titulum psalmi 35.

CAPVT SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

Argumentum huius capitis secundi.
a epist. Iudæ vers. 6.
b Gen. 7. & 8.
c Iust. 19. 24. & seq.

Præmonet, præmunitque contra Pseudoprophetas Petrus, postquam extremo priore capite veros proposuisset Prophetas à Deo inspiratos, & sanctos, quorum frequentanda lectio cum cura esset. De illis pœnas repetiturum docet Deum, vt de improbis quondam Angelis [a], & de hominibus Diluuij tempore [b], déque Sodomitis [c]. Eorumdem etiam perditissimos describit mores, tum verò effusam libidinem; interiecta mentione de Balaam, & inuehens in relabentes. Describuntur verò hæretici notis ferè triginta quinque.

1 FVERVNT verò & pseudoptophetæ io popnlo, sicut & in vobis erūt magistri mēdaces, qui introducēt sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Domioum negant: superducentes sibi celerem perditionem.

2 Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.

3 Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus iudicium iam olim non cessat: & perditio eorum non dormitat.

4 Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.

5 Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mūdo impiorum inducens.

6 Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigeos, euersione damnauit: exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.

7 Et iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa cōuersatione eripuit.

8 Aspectu enim, & auditu iustus erat: habitans apud eos, qui de die io diem animā iustam iniquis operibus cruciabant.

9 Nouit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò io diem iudicij reseruare cruciandos.

10 Magis autem eos, qui post carnem, in concupiscentia immunditiæ ambulant, domioationémque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes.

11 Vbi angeli fortitudine, & virtute cùm sint maiores, non portāt aduersum se execrabile iudicium.

12 Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & io perniciem in his, quę ignorant blasphemantes io corruptione sua peribunt.

13 Percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias: coinquinationes & maculæ deliciis affluentes, in conuiniis suis luxuriantes vobiscum.

14 Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij.

15 Derelinquentes rectam viam errauerunt, secuti viam Balaam, ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit.

16 Correptionē verò habuit suæ vesaniæ: subiugale mutū animal hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam.

17 Hi suot fontes sine aqua, & nebulę turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur.

18 Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paulolum effugiunt, qui io errore conuersantur.

19 Libertatem illis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis: à quo enim quis superatus est, huius & seruus est.

20 Si enim refugientes coinquinationes mūdi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.

21 Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem, re-

trorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.

22 Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti.

Vers. 1.] Fuerunt verò & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant: superducentes sibi celerem perditionem.

IN hoc veteris par Synagogæ ratio, & Ecclesiæ, vt pseudolos excitet Satã (qui in omnibus æmulari Deũ & Christum semper conatus est; vt obseruant Iustinus [a], Tertullianus [b], Irenæus [c], aliíque facta inductione) doctores ac magistros, qui sanam doctrinam peruertãt, bonos corrumpant mores. Qua de re Christus ipse tanto ante serio admonuit [d], & post eum Apostoli Paulus [e], Ioannes [f], Iudas: vt tantum illud dæmonis in nos odium diligentissimè caueamus, & cum emerserint, minus miremur, sed magis ei, qui prædixit, credamus, vt annotauit hunc afferens locum Hippolytus [h] martyr, & maximis Petrum laudibus celebrans, & Lactantius [i], & Tertullianus [k], & Cyprianus [l], & Chrysostomus sermone quodã de pseudoprophetis, & falsis doctoribus & impiis hæreticis qui habetur Tomo 5. Ephrem, & in quo citat præsentem locum cum insigna laude Petri.

Testatur historia Regum, quàm fuerint inter Hebræos falsi prophetæ multi, vt qui dicebantur prophetæ Baal [m], atq; Sedecias [n], & Hananias [o], & de talibus crebra mẽtio in libris Prophetarũ [p]. Deus quoque initio datæ legis præcauit accuratè ne darent aures falsis prophetis [q], qui nempe loquerentur cum arrogantia, quæ non præcepisset Deus, vel ex nomine aliorum Deorum, ad eorum cultum inuitando, vel non eueniebãt quæ prædicebant, scilicet absolutè, non solùm comminatoriè.

Hanc vltimam quoque discernendi rationem assignauit Ieremias [r], loquens nominatim de Hanania. Eiusdem in Threnis [s] est alia, *quod falsi læta liberaliùs proferant, nec ad pœnitentiam prouocent.* Eòdẽ reuocari possunt variæ inter Hebræos exortæ sectæ Saddocæorum, Pharisæorum, & aliæ de quibus Epiphanius, Theodoretus, Damascenus, & alij in Catalogis hæresum. Obseruatum item, veros Prophetas, nec ratione, nec exemplo suas vaticinationes probare solitos, verùm simpliciter auctorem Deum citare, quamuis missionis suę signa ederẽt, aut per verba, vt Ioannes citans Esaiam [t], aut per alium prophetã, vt Christus per Ioannẽ: aut per prædictionem, quę ab ipsis probata breui exitum haberet, vt Esaias, Daniel, &c. Quod si contigisset nonnihil ex proprio sensu promere, mox id à Deo instincti corrigebant, vt monet [u] Gregor. exemplo Nathan [x], qui pronũciauit ædificandum templum à Dauid. Origenes [y] autem nimis hoc ad multos extendit, ac nimis sæpe, vt inquam, Prophetæ de suo sint spiritu aliqua prædicendo locuti. Quod præcisè negandum de iis, qui canonicas prophetias condiderunt. Lege B. Thomam [z], & Riberam [a] nostrum. Tandem &

olim in vetere Testamẽto, & nunc adhuc magis in nouo per spirituum discretionis donum à veris prophetæ falsi diiudicati sunt, ac diiudicari possunt, vt idem Origenes [b], Ambrosius [c], Hieronymus [d] docẽt: immo & prophetæ ipsæ, cùm non semper, qui officio verus propheta est, vera loquatur, nec diuino Spiritu afflatur, aut pręcognoscat, vt præter Nathan de quo dixi, accidit Elisæo [e], & annotat in genere Gregorius [f]. Testatur de matre Augustinus [g] testatam ipsam de se, nescio quo sapore discernere solitam, quid interesset inter sibi nonnulla reuelantem Deum, & animã suam somniantem.

Pseudoprophetæ.] Græcũ nomen familiare nouo Testamẽto, semel dũtaxat positũ ab interprete in vetere [*]: quãuis Hebraice sit simplex vox נביאים *neuiim.* Sed & non rarò eodem modo appellantur prophetæ, absolutè, qui sunt falsi [h], quoniã videri volebant veri prophetæ, sicque à suis nominabãtur. Quemadmodum autem κατ' ἐξοχὴν Christo tribuitur Prophetæ [i] vox, Ita & pseudoprophetæ Antichristo [k], vt placet Augustin. [l] vel certe pręcursori eius, ac ministro præcipuo, vt alij volunt, nam & prodromus Christi Ioannes Baptista fuit, quem pater appellat *Altissimi Prophetam* [m].

In populo] Hebræũ intelligit, vt ex primis Oecumenius, apud quos Prophetæ fuerant cũ pseudoprophetis. Nec id erat ignotum Christianis, qui ex Gentilibus venerant, & Scripturas veteres legebant: ne quis inde argumentetur solis iis, qui priùs colebant Hebræorũ ritum, scriptas has epistolas. Scio videri nonnullis populum numero singulari meliorem in partẽ, numero multitudinis in deteriorem sumi. De hoc aliàs monui [n], & notauit Ribera [o].

Sicut & in vobis erunt magistri mendaces.] Ψευδοδιδάσκαλοι iidẽ qui pseudoprophetæ, quia Prophetarum erat docere. Iam erant, cum hæc scribebat Petrus, eiusmodi homines; at nõ dum forrassis penetrauerant eas prouincias, quibus propriè dabat istas litteras: vel vt Thomas Anglicus notat cum Glossa, timore, dum viueret Petrus, comprimébatur. Meminerunt Paulus, Ioannes, & Iudas de talibus suo iam tẽpore in Ecclesia grassantibus. Vocant pseudoapostolos *operarios subdolos, transfigurantes se in Apostolos Christi* [p]: Antichristus etiã *dicentes se esse Apostolos cũ non essent* [q] (qui dici quoq; possunt pseudochristi [r],) impios: Iudas [s] autem simul tales iam introisse scribit [t]: tũ admonet id antea prædictum ab aliis Apostolis [u], ex quibus absque dubio Petrus fuit, Paulúsque. Simon, Elymas, Ebionitæ, Cerinthiani, Nicolaitæ, iam eruperãt. Cauet Iacobus [x], *ne plures fiãt magistri, scientes quoniã maius iudicium sumũt,* cùm sit munus difficile, ac periculi plenum, exigátque doctrinam eximiã cũ pietate singulari, vt non fallantur, fallántq; sed duces cœci secum alios præcipitent [y]: & *volentes esse legis doctores, ad vaniloquium conuertantur* [z], *non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

Alioquin necessarij sunt Ecclesiæ multi doctores, & magistri, sed quos Deus ipse vocet [a], mittat [b], ponat [c], & det [d]. Magistros tunc plures August. [e] ait fieri, cùm diuersa, atque inter se aduersa sentiunt: cùm verò idipsum dicunt omnes, & verũ dicunt, ab vnius veri Magistri magisterio nõ recedere, & offendere, non cùm illius multa dicunt, sed cùm addunt sua; sicque incidere ex multiloquio etiam in falsiloquium. Vnus omnium magister Christus, cuius ceteri hypodidascali, & comparatè ad eum, indigni absoluto nomine, sicut &

Satan, tam in veteri synagoga quam in Ecclesia falsos magistros supposuit.

a in Tryphone, & Apol. 2.
b de præscript. & 1. ad vxo.
c lib. 3. c. 12.
d Matt. 7. 15. e 24. 24. & seq. Mar. 13. 22. Lucæ 21. 8.
e 1. Tim. 4. 1. & seq. c. 4. 3. 2. Thess. 2. 3. & seq. Act. 20. 29. & seq.
f 1. ep. 4. 1. epist. vers. 7.
g in ep. vers. 4. & seq.
h Orat. de consum. seculi.
i lib. 4. c. 30.
k de præs. c. 4. *In populo Hebræo multi fuerunt falsi prophetæ.*
l li. ad Nouat. & ep. 55 & 65. & lib. de vnit. Eccl. & li. 3 Testim. nu. 93 & seq.
m 3. Reg. 18. 19. c. 20 40. lib. 4. 7. 12.
n 3. Reg. 22. 11.
o Ierem. 28. 1. & seq.
p Esa. 9. 15. Ier. 2. 8. 23. 30. cap. 5. 31. 14. 14. c. 23. 1010. & alibi. Thren. 2. 14. & in aliis libris.
Falsorum prophetarum signa.
q Deut. 13. 1 & seq. cap. 18. 20. 22.
r cap. 28. 8. 9.
s cap. 2. 14.
t Ioan. 1. 23. & alibi. Esa. 42. 1.
u hom. 1. in Ezech.
x 2. Reg. 7. 3. & seq.
y homil. 26. in Numeros.
z 2. 2. q. 171. art. 1.
a in c. 1. Ionæ n. 17. & seq.

Veri prophetæ distinguit possunt à falsis per spirituum discretionis donum.
b hom. 1. in Lucam.
c Proœ. in Lucam.
d in c. 3. Esa.
e 4. Reg. 4. 27.
f 2. Moral. cap. 40.
g 9. confess. c. 13.
* Zach. 13. 2.
h Deuter. 13. 3. Reg. 18. cap. vltim. Ier. 28. & alibi.
Pseudopropheta per antonomasiam est Antichristus, vel eius minister præcipuus.
i Deut. 18. 15. Act. 3. 22.
k Apoc. 16. 13. 19. 20. cap. 20 10.
l 20. de ciuit. c. 14.
m Luc. 1. 76.
n Act. 4.
o Mich. 1. n. 17.
p 2 Cor. 11. 13.
q Apoc. 2. 2. 1. Ioan. 2. 18.
r Matt. 24. 24.
s Iud. vers. 4.
t ibidem.
u vers. 17.
x 3. cap. 3. 1.
Pseudoapostoli Apostolis tempore sui fuerunt.
y Matt. 15. 14.
z 1. Tim. 1. 6. 7.
Magistri in Ecclesia plures esse necesse est.
a Heb. 5. 4.
b Rom. 10. 15.
c Act. 20. 28.
d Eph. 4. 11.
e Cont. 12. in tract. 3 in Prologo.
Vnus omnium magister Christus, ceteri eius hypodidascali.

ad

ad Deum Patris appellatione [a], vt non sint hi honoris, amorisque tituli ambiendi, ac multo minus Dei, & Christi amori, & honori præferendi.

Videtur porrò Petrus, quos magistros suos Hebræi prophetas nominabant, in Ecclesia sola magistri voce nuncupare: licet nec defuerint Ecclesiæ sui Prophetæ vt alibi demonstraui [b]: primisq; illis eius initiis commemorantur, Antiochiæ fuisse prophetæ, & doctores [c]. Sed Paulus seipsum nominat doctorem [d], & magistrum [e]; & Episcopo tribuit nomen doctoris [f], vtens vocabulis *διδάσκαλος*, vel *διδακτικός*.

Mēdaces hi magistri cum Prophetis in eo parte comparantur, quod sicut illi verbum Dei prætēdant ex priuato suomet sensu, Patres, & Ecclesiæ consensum nihil curantes. Hoc idem Paulus [g] vocat *ἑτεροδιδασκαλεῖν*, quod est, *aliter, aliúdve docere*, nouo excogitato verbo, quod placuit Basilio, Chrysostomo, Theodoreto, &c sed ante Paulum nemini, quod sciam. Pseudoprophetas Tertullianus [h] exponit *falsos prædicatores*; sicut pseudoapostolos, *adulteros Euangelizatores*.

In vobis.] Inter vos, & ex vobis, quemadmodum prædixit Paulus [i] *ex vobis ipsis exurgent*, &c. & Ioannes [k], *ex nobis prodierunt*, &c.

Qui introducent sectas perditionis.] Οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας. De hæresis Græco, & Latinitate donato nomine diximus alio loco [l]. Sic aliàs quoque interpres pro hæresi sectā posuit [m], & paulò pòst [n] pro opinionibus quæ ibi dicuntur δόξαι. Admonui aliquando [o] ex vsu Ecclesiastico malè sonare hæresin, sectámque licet interdum etiam apud scriptores nostros habeant vsum bonum. Mala hoc vtroque loco significatio.

Verbum introducendi, & παρεισάγειν denotant clā, obiter, artificiosè, ac malignè Christianismi, ac pietatis prætextu inuectas hæreses: quarum de varia origine quamplurimi tractant, vel de causa, & occasione, siue ignorantiæ, siue ambitionis, siue libidinis, siue auaritiæ Iudas [p] vsurpat verbum *subintroire* παρεισδύειν, quod eandem vim habet quasi dicas latenter, ac veluti aliud agendo irrepere, ac inctare, scilicet *per speciem pietatis, virtutem autem eius abnegando* [q]: proprio arbitrio, non alterius missu legitimo [r], non *per ostium, sed aliunde in morem furum, ac latronum* [s]: sub integumento vestis ouinæ, cum reuera *sint intrinsecus lupi rapaces* [t]: *Assumendo sibi honorem* [u]: *per dulces sermones, & benedictiones seducendo corda innocentium* [x]. Hoc est pro margarito vitrum vendere: gemmas à Regis detractas imagine turpi simulacro adaptare: rapsodias, quales Homerocentones ad quamlibet quæstionem confingere [y], instar ferarum ex syluis vbi latebant, erumpere, multósque vastare [z], esca, ac visco incautos [a] capere, *vt serpens Euam* [b] *seducere*, pollicendo quod non habent [c]: luteam statuam colorare, & inaurare [d]: gypsum lacti miscere [e]. Præterea *vineæ demolitrices vulpes* [f] *sunt isti* [g]: *Simiæ homines imitantes* [h]. caupones vino venenū infundentes, *cicutam mulso temperantes* [i].

Idcirco propriè nominantur pseudoapostoli, quia, vt ante audiuimus Tertullianum, adulteri euangelizatores. Idem [k] etiam vrget illos vt *edant origines suarum ecclesiarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint habuerit auctorem, & antecessorem: hoc enim modo Ecclesias Apostolicas census suos deferre.* Sed & eosdem acerba conueniens oratione, ait [l]: *Qui estis? quando, & vnde venistis? quid in meo agitis, non mei? Quo denique Marcion iure syluam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transuertis? qua potestate Apelles limites meos commoues? Mea est possessio. Quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis Auctoribus, quorum fuit res. Ego sum heres Apostolorum. Sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exheredauerunt semper, & abdicauerunt*, vt extraneos, vt inimicos.

Ad hunc ille modum iuridicè profectò, & legaliter: qua ius quoque Ecclesiasticum ratione tuentur tot alij. vt Cyprianus [m], Optatus [n], Augustinus [o], Irenæus [p], Origenes [q]. Legendus Irenæi Scholiastes Feuardentius [r]; & Pamelius [s] Tertulliani, ac Cypriani, & ex Controuersiarum Tractatoribus Bellarminus. Hic ille numquam de memoria, numquam de ore deponendus Augustini [t] canon aduersus hæreticos: *Tenet me in Ecclesia catholica, ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit* [u], *vsque ad præsentem episcopatum, successio sacerdotum.*

Colligitur verò hinc etiam quam absonè docuerit Caluinus [x], Bucerus [y], & alij, Deum non solùm permittere, sed efficaciter quoque velle, ordinare, decernere, immò & mittere, in populū suum seductores, hæresiarchas, ac omnium impietatum ministros, qui illum suis erroribus abducant à vera fide, & excæcatum perdāt in æternum. Non hoc facit Deus, sed diabolus, qui se fassus est Arium, & Eunomium excitasse [z]. Permissionis autem diuinæ vtiles multas causas Patres assignant. Cæterum Græci, vt Nazianzenus, quādoque τὸ παρεισάκτον à verbo præsentis loci παρεισάγειν, opponunt antiquo probatóque.

Sectas perditionis.] Vatablus, *perniciosas, aut perditas, & exitiales*: quæ auctoribus perditionem, ac damnationem, & sectatoribus afferunt tum sæpenumero in hac, tum semper in futura vita; & à Deo ipso damnatæ sunt, secundus, ac maximè de sempiterno interitu sensus optimus: licèt omnis historia, recénsque testetur experimentum quātam perniciem, & labem regnis, prouinciis, mundo hæreses attulerint. In eodem sensu perditio est hoc ipso versu extremo, & in tertio, & in capite vltimo [a], & alibi aliquoties [b], vt omittam loca, in quibus reddit interpres interitum, significátque mortem ipsam & infernum, ac locum adeo obscurum, & profundum, vt qui descendit in eum periisse videatur, ita vt ideo sæpè אבדון *abaddon* iungatur cum שאול *sceol*, vt significat infernum [c], & pro sepulchro ponitur [d]. Hinc denominatus est Iudas [e], & Antichristus [f] *filius perditionis*, & hic etiam *homo peccati* [g]. Idem videtur duobus nominibus designatum: nam sicut hominem Dei paulò antè vidimus Deo addictum significare: (quod Basilius [h] notat in genere de hac dicendi forma, vt si quis dicatur Sapientiæ filius, quia Sapientiam sectetur) ita peccati homo erit, qui peccato vacat, & diabolo seruit, qui αὐτοαμαρτία peccatum vocari potest, & filius perditionis, vt ait Cyrillus [i] Alexandr. quia voluntate, & arbitrio suo, periit, malum sequens, ita vt perditio quoque sit peccatum ipsum extremum, quod in æternam damnationem conducit.

Et eum qui emit eos Dominum negant.] Prioris epistolæ primo capite [k] vocauit nos redemptos, vbi est verbū λυτρῶσθαι, hic ἀγοράζειν. Ibi de-

a Matth. 23. 8. 9. 10.
b Act. 2. 17.
c Act. 13. 1.
d 1. Tim. 2. 7.
e 2. Tim. 1. 11.
f 1. Tim. 3. 2.
g 1. Tim. 1. 3. & 6. 3.
h de præscrip. c. 4.
i Act. 20. 30.
k 1. ep. 2. 19.
l Act. 5. 17. *Secta & hæresis ex vsu Ecclesiastico in malam partem sumuntur.*
m Act. 24. 5. & 26. 5. & 28. 22.
n Gal. 5. 20.
o Act. 24. 14.
p vers. 4.
q 2. Tim. 3. 5.
r Ier. 23. 21.
s Ioan. 10. 1.
t Matth. 7. 15.
u Hib. 5. 4.
x Rom. 16. 18.
y Iren. præf.
z Tertull. lib. de præscrip. c. 39.
a Iren. lib. 1. cap. 13.
b Gen. 3. 1. & seq.
c Iren. præf.
d ibidem.
e ibidem lib. 3. c. 19.
f Cant. 2. 15. *Hæretici nō habent successionē ab ipsis Apostolis petitam.*
g Aug. in Psal. contra Donat.
h Iren. lib. 1.
i Cypr. ep. 71.
k Tertul. de præscr. c. 32.
l c. 37.
m ep. 52. & 76.
n 2. cont. Parmen.
o ep. 165. & 2. seu psal. cont. partē Donati.
p lib. 3. c. 3. & lib. 4. c. 43. 44.
q 1. Periarch.
r lib. 3. c. 3.
s in Tertull. de præscript. c. 32.
t cont. epist. fundament. cap. 4.
u Ioan. 21. 15.
x 1. Instit. c. 18.
y in c. 1. & 9. ep. ad Rom.
z Cassian. coll. 7. c. 32.
Blasphemia in Deum Caluini hæresis detestanda.
Hæreses sunt mundi pernicies.
a vers. 7 & 16.
b Matt. 7. 13. Ioan. 17. 12. Act. 8. 20. Philip. 1. 28. 1. Thess. 2. 3. 1. Tim. 6. 9. Heb. 10. 39.
c Iob. 28. 22. Psal. 87. 12. Prou. 15. 11. & 27. 20.
Antichristus filius perditionis & homo peccati.
d Psal. 87. 4.
e Ioan. 17. 12.
f 2. Thess. 2. 3.
g ibidem.
h ho. in ps. 7.
i lib. 11. in Ioan. c. 21.
k vers. 18.

claratum, quo pacto dicamur à Christo redempti. Priore loco descripsit Petrus pretij magnitudinē per comparationē cum auro, & argento. Paulus [a] absolutè scribit nos *emptos pretio magno*, hortans vt *qui tanto nos emit, glorificemus, & non efficiamur serui hominum*. Qua etiam de re dicti illius loci egimus Commentario, & perpendit citatus Cyrillus [b], Christi diuinitatem simul hinc probans. Christū redemptorem ferè negarunt, negántque omnes hæretici, quamuis Christianus esse se profiteantur. nam, ne singulos contra Christum numeremus errores, vel humanam Christo naturam adimunt, vel diuinam: vel eum duplici natura personas duas tribuunt: vel ex duabus naturis cōfusione quadam vnam constituūt. Rursus aut indigna de illo asserunt, ignorantiam, blasphemiam, desperationem, damnatorum pœnas: aut inutilem, ac inefficacem volunt esse redemptionem ipsius pro lapsis, & pro paruulis, quia nō insit iis originale peccatum: aut demum talem comminiscuntur Christum, doctrinam, sacramenta, media salutis, quæ fidei ab illo traditæ, & ab Ecclesia propositæ penitus repugnent.

Quapropter permirum est, præsentem, & similes Caluinum [c] locos, quibus venturos pseudo prophetas prædicitur, audere ad alios referre, etiam ad omnes, qui conciliis intersunt Occumenicis legitimè congregatis, & non potiùs ad seipsum, suiq; similes: nam ea de causa potissimum cogi Concilia solent, vt falsi prophetæ detegantur, confutentur, coërceantur.

Negant.] Negant Caietanus, Catharinus, Clarius, Vatablus, quoniam de futuro est sermo, inquit Catharinus, ita legendū, sed per participium (negantes) attamen constare sensus rectè potest cum nostra lectione. Etenim negant, qui ex sua quasi conditione facere id solent. Similis locus in epistola [d] Iudæ, *solum dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes*. Magnum pathos vtrobique, vt neget quis eum, à quo tam carè redemptus est.

Superducentes sibi celerem perditionem.] Celer perditio ταχινὴ ἀπώλεια hæreticis cōuenit illa, de qua prius, nimirum damnationis æternæ, quia diruto ruit statim domus fundamento, quæ est fides [e]; & *qui non credit, iam iudicatus est* [f]. Superducentes explicant Adamus, & Gagneius Accersentes, & asciscētes, quemadmodum sibi accersere impij mortem dicuntur [g]. & sicut Hebræi Apostolis dicebant *eos velle inducere super ipsos sanguinē occisi Christi* [h], vbi est ἐπάγειν. Melius quā quod Hugo vim in compositione faciens, super veritatem exponit ducere, siue inducere falsitatem: refertur enim hoc ad perditionem: & Thomas Anglicus declarat *super se, & ad damnum suum*.

De infelici, funestóque hæreticorum ex hac vita exitu, longus texi Catalogus potest, de quo qui notas, signáve Ecclesiæ persequuntur. Sed loquitur Petrus de æterna dānatione. Diu satis vixerunt hæresiarchæ nonnulli: & longo tempore viguerunt hæreses aliquæ; tamen celerem perditionē possumus appellare, quia citiùs quam vellent, interierunt, sicut aliàs in genere ostendimus de improbis interpretantes Ecclesiasten [i]: nimísque citò ad perpetuum peruenit quis exitium: & si demas peccatorum maiorem numerum, quem diutius viuentes peccatores faciunt, sibi, quò tardius, eò meliùs, minúsve malum est tardè peruenire ad fine carentem perditionem, quāuis alioquin de diutius, ac magis peccaturis præstat citò abire in locum suum, id est, damnationis, ne grauiores luant pœnas; vt docuimus de abeunte in locum suum Iuda [k].

Vers. 2.] **Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.**

PRædicit, ne quis turbetur, magnam fore multitudinem sectantium hæreticos, maxime luxuriam proponētes, ad quam ipsa per se præceps ruit natura. Tales ætate Apostolorum Hæresiarchæ, & iis suppares, vt antea docuimus, ac deinceps omnes ferè sectæ hæreticorum ad vsque nostra tempora frenos libidinibus laxauerunt. Antiquiores illos Gnosticos, Simonianos, Nicolaitas, Ebionæos, Cerinthianos notauit Iudas [l], scribens *gratiam Dei nostri trāstulisse in luxuriam*: Paulus [m] vocans *voluptatū amatores magis quàm Dei*: Ioannes [n] inducens dicentē *Deum odisse se facta Nicolaitarū*, qui turpissimi erant: denique Ignatius [o]. De ceteris conficit Thomas Bozius [p], & Feuardentius [q], ex varijs Auctoribus, catalogum, & prior illis Espécæus [r], & eū iam Hieronymus [s] de Synchronis suis, deque præcessoribus fecerat. Docet verò creuisse Pelagianorum hæresim, & decepisse plurimos, & maximè eos, qui adhærebāt mulieribus. Ait [t] præterea, quod nulla hæresis nisi propter gulam, ventrémque construitur, *vt seducat mulierculas oneratas peccatis*: item [u] simillimos vocat Susannæ vim inferre conatis senibus [x]: voluptatū [y], libidinisque doctores: tandem [z], *difficile esse, hæreticum inuenire, qui diligat castitatem*: non quod eam præferre desistat in labiis (de nonnullis id verum est) sed quòd non seruet in conscientia aliud loquēs, & aliud faciens. Epiphanius [a] refert Arium statim initio collegisse ἐκκλησιαστικὰς παρθένους septingētas virginitatem profitentes. Nihil fœdius nostri seculi Lutheranis, & Caluinianis. Priorum auctor religiosi ordinis apostata, quod faciebat, docebat etiam, æquè concubitū necessarium esse, atque edere, bibere, excreare, dormire [b]: & plusquam præceptum esse omnibus, à quo nullus omnino eximi possit, ac valeat [c], *crescite, & multiplicamini*: &, *vt si nolit vxor, alia, etiam ancilla, aduocetur*, dimissa [d] Vasthi, Esther accipiatur [e].

De Caluino adhuc adolescēte Sodomita, & deinceps omni turpitudine cooperto, de Farello, de Beza, & similibus, extant vel ipsorummet impudentissima monumenta, vel aliorum de ipsis fidelissima testimonia [f]. Quin & ipsimet Caluiniani à suæ hæresis hominibus in Gallia obsignatis cōtestantur tabulis, non duodecim dumtaxat millia puellarum, honestarúmve fœminarum, ac insuper trecentas violatas, quem initio numerum inierāt: sed re diligētiùs perspecta, & explorata, deprehēsum duplicari, ac etiā quadruplicari eumdē posse [g], vt ante me retulit, recitauitque Feuardētius [h]. Etsi porrò hæretici multi sunt, *fuerúntque, tamē merito* dixit Aug [i] *omnes in paucis, & in parte esse*, sed & iactare se, quod in ipsis remanserit fides, quod de toto mūdo perierit. Solent quoq; nominare partē ipse, Cyprianus, Optatus hæreticorū sectā, quæ se dissecat ab Ecclesia catholica, & quasi dicas totali.

Luxurias.] Codices Regij Cōplutenses, & alij quidā habēt ἐξακολουθήσουσιν αὐτῶν ταῖς ἀσελγείαις [k]. Sed ταῖς ἀπωλείαις, legitur in aliis, priorem lectionem secutus est Interpres. Iuxta posteriorem sensus esset quod multi secuturi sint hæresiarcharū perditionem. Sed melior is, quem reddit editio nostra: nec enim ita propriè dicitur quis perditio-

a 1. Cor. 6.20. [et] 7.23.

b de fide ad re... Hæretici omnes Christū negant.

c 4. instit. c. 9. §. 4.

d vers. 4.

Celer perditio hæreticis conuenit.

e Hebr. 11. 6.
f Ioan. 3. 18.

g Sap. 1. 16.

h Act. 5. 28.

Hæresiarcharū suis infelix exitus.

i c. 9. & c. 18.

k Act. 1. 25

Ad luxuriam ipsa per se præceps ruit natura.

l vers. 4.
m 2. Tim. 3. 4.
n Apoc. 2. 6.

o ep. ad Trall. & Magnes.
p 23. de signis Eccl. c. 1. 2. & 3.
q in ep. Iudæ.
r in 2. ad Tim. digressio 3.
s ep. ad Ctesi. con. Pelag.

Nulla hæresis nisi propter gulā ventremque construitur.

t in c. 3. Ier.
u in c. 29. Ier.
x Dan. 13. 19. & seq.
y in c. 13. Eze.
z in c. 9. Ose.

a hær. 69

Lutheri libido spurcissima.

b Luthe. epi. ad prapo. Luneburg.
c Gene. 1. 28. c. 9. 1.
d Esth. 1. 19. 20. & cap. 2. 16. & seq.
e concio. de vita coniugali.

Caluini & Bezæ vita incomparabilis.

f Genebra Bezæ, vita ... & Caluini, auctore Hieron. Bols.

g libr. 3. secreti ... Franciæ, vulgo le secret des finances de France, pag. 379. & 409.
h in ep. Iudæ.
i in Psalm. ... enarr. 2.

k citat Rob. Steph. septem codices.

nes alterius sequi, sicut intemperantias, lascinias, luxurias, &c. Quare non debuit nostram reiicere Vatablus, Caietanus, Clarius: Gagneius autem, Salmeron. Catharinus, Adamus, Alel si alios codices vidissent, non ex coniectura, sed simpliciter pronunciassent Interpretem legisse *ἀσελγείαις*, & non vel hoc, vel *ἀπωλείαις*.

Per quos via veritatis blasphemabitur.] Gloriam *δόξαν*: quidā Græci libri legunt [a] (via veritatis, sicut & *via Domini recta*, quas Elymas subuertebat [b] & doctrina Catholica, est cuius Christus dux, & *via est* [c]. Sacræ literæ, traditiones diuinæ, eáque omnia, quibus orthodoxa veritas nititur, explicatur, defenditur. Blasphemantur hæc tum peruersis contrariis dogmatis, & blasphemis verbis, tum prauis motibus. Hanc vltimam blasphemandi significationem, cùm nempe malè viuendo est quis in causa, vt de religione alij sinistrè sentiāt, & loquātur, sępè obseruabit qui Paulum, & alios Auctores leget sacros. *Nomen Dei per vos blasphematur*, ait Paulus [d], *inter Gentes sicut scriptum est*, videlicet ab Esaia [e], & Ezechiele [f]. Itē [g], *quicumque sūt sub iugo serui dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur*, & alibi [h] bonos mores suadens, rationem eamdem assignat, *vt non blasphemetur verbum Dei.* Iacobus [i] quoque de malis loquens diuitibus: *Nonne ipsi*, inquit, *blasphemant bonum nomen quod inuocatum est super vos?* id est, nomen Christianorum, seu Christi, à quo denominantur Christiani, reddunt odiosum, faciúntque vt malè audiat, quasi talis religio & doctrina sit, quales talium mores. Similis est in Ezechiele [k] locus, ad quem etiam Paulum Hieronymus [l] vult allusisse: *Et ingressi sunt ad Gentes ad quas introierant, & polluerunt nomen sanctum meum, cum dicerent de eis: Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt.* Subdit Hieronymus: *Et quo modo in Euāgelio discipulis loquitur Dominus, luceat [m] lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrē vestrum qui est in cælis sic è contrario cum mala opera fecerimus, nomen Dei propter nos blasphematur in Gentibus.*

a apud Robert. Steph. b Act.13.10. c Ioan.14.6. *Blasphematur nomen Dei per nos dupliciter, verbis & factis.* d Rom.2.24. e cap.52.5. f cap.36.20. g 1.Tim.6.1. h Tit.2.5. i cap.2.5.7. k c.36.20. l in c.52.Isa. m Mat.5.16.

Iam pridē notauimus, Christianos ob Iudæorum, sub quorum nomine comprehendebantur, & Fideles, propter hæreticorum turpissimos errores, morésque, apud Gentiles pessimè audiuisse, atque Christianam religionem plurimis maledictis infamatam. Cùm Dauid adulterium commisisset & homicidium, Nathan veniam deprecanti respōdit: *Quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur* [n]. Chaldaicè, *Quoniam aperiendo aperuisti os odientium populum Domini, in verbo hoc* מפתח פתחתא ית פומא דסנאי עמיה דיי בפתגמא הדין *mephthach pethach ha iath puma desanee hhameh da tebonah, bephithgama haden.* Quasi diceret, occasionem dedisti hominibus impiis contra Deum loquendi, qui te ad tantam dignitatem extulit, & transtulit regnum à domo Saül, propter minora peccata, nec te ob illa tua tanta adhuc puniuit. Dicuntur etiam cum irrisione prouerbium de Dauid vsurpauisse: *Quomodo poterit esse saluus is, qui comedit ouem, & occidit pastorem?*

Christiani olim malè audiebant propter impuros Iudæorum mores. n 2.Reg.12.14.

Præsentem hunc locum nostrum de mala Catholicorum quoque vita, qua grauissimè offenduntur Gentiles, & nomen blasphemāt Christianum, Saluianus [o], de re hac tota copiosè differens interpretatur. Commemorat inter alia veteres calūnias de homicidio, incestu, voratione infantum. Premit illud Pauli [p] *de confitentibus se nosse Deum sed factis negantibus.* Allatum etiam Dauid profert exemplum, cui etsi alia condonata peccata sint; pro ista blasphemia filij morte punitus est, quam tot lamentis nequiuit impedire. *Ex quo*, inquit, *intelligi potest, quod nullum penitus maioris piaculi crimen est, quam blasphemandi* causam Gētibus dare. Sed heus tu, perlege. Est enim omnino locus egregius: in quo etiam acutè ad idem propositum Apocalypsis explicat sententiam [q]: *Vtinam calidus esses*, &c. Simili videtur Moses [r] ratione persuadere voluisse, vt populo subueniret, necnō Dauid [s], & Iudith [t], ne scilicet imminueretur Dei apud infideles, ac religionis orthodoxæ fama.

o 4. de proui. p Tit.1.16. q c.3.15. r Exod.32.12. s Psal.78.10. Ps.113.2. iuxta Hebræā 115.2. t c.7.21.

Vers. 3.] Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabūtur: quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.

Aliud hæreticorum notabile crimen auaritia, in quo crimine falsè, ac verè antithesim Petrus, ponit inter hæreticos, qui pseudolè ditari velint, & Christū, quem paulò ante dixit emisse nos suamet vita, ac sanguine. Sed meritum iis paratum æternæ stipendiū pœnæ, cuius aliquando & hic etiam gustum præcipiant. Iudā auarorum hæreticorum Capharnaitam hæreticum, loculis inhiantem furem, ac latronem [o], producere licet in medium: tum Spiritus sancti mercatorem, ac nundinatorem Simonem Magū [x]. Comparat istos Iudas [y] cum Balaam, *quod, vt ille, mercede effusi sint.* De Arianis, Donatistis, & aliis testes, quot aduersus eos disputant, & de nostris hæreticis nos ipsi spectatores expertissimi, quot rapinas, sacrilegiáque perpetrauerint, *non gratis quod acceperunt, item gratis dant* [z], ait Irenæus [a]: *solos illos docent, qui grādes mercedes pro talibus mysteriis præstare possunt.* Ignatius appellat *alienorum appetitores, pecuniarum rapaces, & quasi vortices.* Satis constat, solam Luthero auaritiam ab Ecclesia discedendi, & hæresim cudendi causam fuisse, quòd quæstu se priuatum videret, quem ex indulgentiarum promulgatione colligebat, translato huius rei munere ab Augustinianis suis ad Dominicanos, Moguntini Archiepiscopi voluntate. Ipsemet de se idoneus testis in epistola ad Argentinēses, quam recitant Hosius, & Tapez.

Auaritia notabile hæreticorum crimen. o Ioan.12.6. x Act.8.18. & seq. y epist.vers.11. Num.22.22. z Matt.10.8. a lib.1.c.1. *Lutheri hæresis promulgandæ causa auaritia fuit.*

Quod de quibusdam Paulus [b] affirmauit *errauisse a fide propter cupiditatem, & auaritiam omnium radicem malorum, & idolorum seruitutem* [c], generaliter ferè conuenit omnibus hæreticis, quos ait Hieronymus [d] *omnia gloriæ, & lucri causa facere*: sicut Augustinus [e] *auaritiam illorum vocat matrem, quæ vna omnes genuerit, sine btam.*

b 1.Tim.6.10. c Ephes.5.5. Coloss.3.5. d lib.3.in c.14. Zach. e lib.con epist. fundamenti cap.6. & lib.de past.c.8.

In auaritia.] ἐν πλεονεξίᾳ, aliàs φιλαργυρία nominatur. Sed hæc propriè amor pecuniæ, illa cuiusuis rei est, & genus istarum Paulus [f] per illam speciem voluit intelligere, vt monuit Augustinus [g], definiens esse auaritiam *plus velle, quam sat est*, seu quàm exigat naturæ in suo genere conseruandæ modus. Aliàs vtitur idem Apostolus voce πλεονεξίας [h], quæ propriè est plus habendi studiū.

f Tim.6.10. g 3.de li. arb.c. 17. lib. 11. de Trin.c.9. li. 11. Gen.c.15. h Rom.1.29. Ephes.4.19. c.5.3. Coloss.3.5. 1.Thess.2.5.

Fictis verbis de vobis negotiabuntur.] Πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται. Elegans à mercatoribus ducta metaphora, qui blando emptores illiciūt sermone, vt vendant carius. Hoc vocat Paulus [i] *adulterare verbum Dei*; aut si propriè Græcum vocabulum καπηλεύειν reddatur, *cauponari*, aut si aliud, δολοῦν [k] *dolosè tractare, ambulando in astutia* [l] ἐν πανουρ-

i 2.Cor.2.17. k ibid.c.4.2. l ibid.

γίᾳ. Sed innuit hæc tamen formula, curã animarum negotiarionis genus eſſe præſtantiſſimum, per quod Chriſto lucrifiant, vt aliàs diximus.

Meritò Thomas Anglicus, Caietanus, & Catharinus hîc prædicatores reprehendunt quæſtui vacantes maximè, vt ſecundus ait, occurrens proculdubio Lutherani erroris origini, de qua dixi, ſi promulgatæ indulgẽtiæ prætextu id nõ faciant. *Huiuſcemodi* (ait idem Paulus [a]) *Chriſto Domino ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones & benedictiones, (διὰ τῆς χρηστολογίας, καὶ εὐλογίας) ſeducunt corda innocentium τῶν ἀκάκων ſimplicium ſine malitia*, doli expertum. Poſſumus hos nominare *negotiatores, fabulatores*, de quibus Baruch [b], *exquiſitores prudentiæ, & intelligẽtiæ*, hoc eſt, artium, modorum, fraudum, cauillorum, quibus res ſuas cariùs vẽdant, *ſed vias ſapientiæ neſcientes, neque commemoratos ſemitas eius.* Congruit etymon Chanaan, & Theman, vnde illi fuiſſe dicuntur. Eſt namque Chanaã negotiator, & auarus: Theman, ventus Auſter deſignans luxuriam: Agar, nõ primaria vxor, ſed erat Abrahæ concubina [c]. Reprehenduntur apud Micheã [d] *Principes in muneribus iudicantes, & ſacerdotes in mercede docentes, & Prophetæ in pecunia diuinantes.*

Comparari præterea poſſunt cum Scribis, & Phariſæis, qui prætextu cultus diuini liberos inducebant ad offerenda munera, quæ ipſorum ex parte ſatisfacerent auaritiæ [e]: item cum iiſdem *deuorantibus domos viduarum, ſimulantes longam orationem* [f] & idcirco *amplius accepturi iudiciũ* [g]: quia *ſimulata ſanctitas duplex eſt iniquitas*, vt cum Hieronymo notat Lyranus. Quod Iudas [h] de iſtis ſcribit *mirari perſonas quæſtus cauſa*, indicat illas benedictiones, & dulces ſermones, quos ante dixi, id eſt, adulationes, & falſas laudationes, exemplum illuſtre in Marco Valentiniano hæretico Irenæus [i] recitat.

Chriſtus ſeriò monuit [k], quos mittebat prædicatores, *cauerent ab omni auaritia*: & Bonauentura [l] ſuper omnia hoc vitium fugiendum docet. Simon autem de Caſſia [m] audet dicere, *non ita ſiculo mirabiles Apoſtolos apparuiſſe in miraculis, ſicut in contemptu rerum: nec adeo commmouiſſe prædicãdo, quã bona externa ſpernendo: ſic habitos cæleſtes, & diuinos: ac perſuaſiſſe aliam eſſe vitam, præ qua tum verbis, tum moribus iſtam deſpiciebant: hac in re non potuiſſe apud auditores calumniam deceptionis aut falſi pati.* Eadem propemodum dixerat prior Chryſoſtomus [n] de vero, & non ſimulato gloriæ, atque pecuniç contemptu, qui reddiderit Apoſtolos magnos, & efficaces perſuaſores. Maximus doctor Paulus maximè fuit ſemper ab omni ſordium iſtarum vel minima ſuſpicione alienus: maluitque inter tot ſpirituales occupationes *manibus victum ſibi, & his, qui cum ipſo erant, miniſtrare* [o], ac *melius duxit mori, quàm iſta priuari gloria* [p]. Negauit quoque ſe ex *eorum numero eſſe, qui adulterarent verbum Dei* [q]. Cõprehendens verò vtrumque & auaritiam, & conficta per adulationem verba ſcribit in hunc modum Theſſalonicẽſibus [r]. *Exhortatio noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo: ſed ſicut probati ſumus à Deo, vt crederetur nobis Euangeliũ, ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt* (inuocat rei creditu difficilis teſtem) neque *quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis, cùm poſſemus vobis oneri eſſe* vt Chriſti Apoſtoli.

Quibus iudicium iam olim non ceſſat.] Iudicium damnationem, pœnámve ſignificat, ſicut prioris epiſtolæ cap. quarto [ſ], & alibi: *iam olim, ἔκπαλαι, non ceſſat, οὐκ ἀργεῖ*, non otiatur, vel tardat, quia decretum eſt hoc ab æterno iudicium, & ſuo tempore, quod propius abeſt, quàm exiſtiment mortales, executioni mandabitur. Cùm, olim, prætentum tempus ſignificet, inquit Beda: (poteſt etiam aliquando futurum ſignificare, & putatur deriuatum ab Hebræo עולם *hholam*,) & ceſſat. Sic verbum præſentis temporis, non aliud intelligendum videtur, niſi quia iam olim cœpit iudicium perditionis impiorum; quod eos præſentialiter ſemper excruciat, nec vllo vnquam fine ceſſabit. Addit Hugo, & Thomas Anglicus cum Gloſſa Interlineari, de viuentibus adhuc veram eſſe ſententiam, ob conſcientiæ remorſum, qui pars gehennæ nonnulla eſt. Vel præſens tempus ponitur, inquit Hugo, propter Deum, cui præsẽs eſt pœna impiorum, quam ſuo tempore patientur. Melior, & communior primus ſenſus, quem confirmant Lyranus ac Thomas Eſaiæ ſimili teſtimonio [t]: *Præparata eſt ab heri* (olim, ab initio mundi, ab æterno, & quia tam validus ignis inferni nunc, ac ſi heri ſuccenſus eſſet) *Topheth, à rege* (à Chriſto iudice, vel iuxta alios, regi, nempe diabolo, qui rex eſt ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ [u].) *Præparata, profunda, &* dilatata: *quoniam dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino:* [x] *Nutrimẽta eius ignis* (ignis materialis nutrietur igne concupiſcẽtiæ, & aliorum peccatorum quodãmodo) *& ligna multa*, hæ ſunt quas vocat Iudas [y] *arbores autumnales, bis mortuas, eradicatas. Flatus Domini*, ira, ac furor, ac voluntas eius, quæ reddit ignem inextinguibilem.

Sicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.] Facit eôdem in ſupremi ſententia iudicis de igne æterno, quòd paratus dicitur Diabolo, & Angelis eius [z], ſcilicet in gehenna: quæ ſic appellatur à valle Hennon, in qua Topheth erat, ſiue tympanum interpreteris, ſiue excelſum, in quo idolo Moloch Iudæi filios incendebant, & immolabant [a]. Denique pari ratione dixit de Iuda Petrus [b] *abiiſſe in locum ſuum*: quoniam Damnatis ſuus paratus eſt locus, ſicut & iuſtis electis paratum regnum [c].

Et perditio eorum non dormitat.] Qui expectat ad pœnitentiam Deus, non retractat damnationis in eos latam ſententiam, quos hîc præuidet abuſuros expectatione. *Diſſimulos peccata propter pœnitentiam* [d], *ſed tarditatẽ iudicij grauitate ſupplicij compenſabit* [e]. Non retardatur ſomno, alióve impedimento: non hic perdiu ſtabunt pſeudoprôphetæ. *Velut nubecula*, quod de Iuliano Apoſtata dixit quidam, *citò diſſoluetur*, & tanquam nix quod delirus de ſeipſo ſenex cano capillo, barbáque Arianus *abibit in luctũ. ſolis radio percuſſa: vt puluis erunt quem proiicit ventus à facie terræ* [f]: *vt lutum platearũ delebuntur* [g]: *vltrà non proficient, ſed inſipientia eorum manifeſta erit omnibus* [h]. Vel hîc etiã inſigni de illis edito exemplo, vt adeo multis accidit, vel ſaltem poſt hanc, quæ quanta-quanta ſit, breuiſſima eſt, vitam. Proficiunt nunc in peius [i], ſed eo ſibi maiorem, & celeriorem, quàm credant damnationem, atque perditionem acquirunt.

Perditionis hîc nomine Gloſſa Interlinearis, Hugo, Thomas perditiſſimũ diabolum accipiunt: dicique Iudam [k], & Antichriſtum filios perditionis [l], hoc eſt, diaboli: non dormitare, quia mole carnis non premitur: & voluntate, ſi minus, quòd coërceatur, re ipſa non faciat, ſemper ſollicitat

Negotiationis præſtantiſſimum, ſcilicet animarum.
Prædicatores quæſtui vacantes.
a Rom. 16. 18.
b Bar. 3. 23.
c Gen. 16. 2. & ſeq.
d Mich. 3. 11.
e Matt. 15. 3. & ſeq.
f Matt. 23. 14.
g ibid.
Simulata ſanctitas duplex eſt iniquitas.
h in ep. ver. 16.
i lib. 1. c. 8.
k Luc. 12. 15.
l ibid.
m lib. 5. c. 18.
Apoſtolos miraculis non ita mirabiles apparuiſſe, ſicut diuitias ſpernendo.
n hom. 47. in Matt.
Paulus Apoſtolus ab omni auaritiæ ſorde alieniſſimus.
o Act. 20. 34.
p 1. Cor. 9. 15.
q 2. Cor. 4. 2.
r 1. ep. 2. 4. 5. 6. 7.

ſ vers. 17.
Perditio impiorum iam olim cœpit.
t Eſa. 30. 33.
u Iob. 41. 25.
x Eſa. 5. 14.
y vers. 12.
z Mat. 25. 41.
Gehenna vnde dicatur.
a 4. Reg. 23. 10. Pſal. 104. 37. & ſeq. Ier. 7. 31.
b Act. 1. 25. vbi lege Comm. noſtrum.
c Matt. 25. 34.
d Sap. 11. 24.
e Valer. Max.
Impiorum perditio velox futura eſt.
f Pſal. 1. 4.
g Pſal. 17. 43.
h 2. Tim. 3. 9.
i ibid. 13.
k Ioan. 17. 12
l 2. Theſſ. 2. 3.

nos ad peccatum,& perditionem. Vnde sumitur, inquit Thomas argumentum, quod diabolus cōtinuè peccat [a].

Concedimus,diabolo congruere significatum ἀπωλείας & perditionis:nam & in Apocalypsi [b] nominatur Hebraicè *abaddon*,Græcè ὁ ἀπολλύων,Latinè *exterminans*, cui cognatæ significationis aliud nomen est Asmodæus [c]: qui libidinosos occiderat Saræ maritos [d]. At proposito minus congruit ea significatio, sed de qua nuper diximus, pro morte,seu interitu,& damnatione, damnationisque loco.

Vers. 4.] Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit,sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos,in iudicium reseruari.

PSeudoprophetas luituros pœnas exemplis probat. Ac primò quidem Angelorum præuaricatorum, quorum tantò nobilior natura est, quam humana.

Angelis.]Sunt ergo Angeli etiam mali,qui Dæmones appellantur, & diaboli, aliísque nominibus, vt contra Saducæos, Dositheanos, Balbos, Athinganos,nostrique qui Anabaptistas,Libertinos,Antidæmoniacos, Dauidicos, siue Dauidgeorgianos pro certo poni debet, nec erit opinor, qui si aliquo indicio sit,audeat dubitare.Nos alibi dubitationem præcidimus. Euidens probatio petitur ex scripturis quoque aliis præter ipsummet experimētum in energumenis,& artem magicam. Nam vetant Scripturæ,ac reprehendunt Dæmonibus sacrificantes [e], narrant Euam à serpente deceptam [f], id est, à diabolo induente serpentis formam: meminerunt de cladibus Ægyptiacis [g] per Angelos malos(etsi aliqui opera bonorum factas velint,& dici malos ob effecta mala)de tormentis Saül [h]:de occisis Saræ maritis [i]: de vexato Iob [k]:de tentato Christo [l]:de muliere inclinata [m]:de obsesso fornicatio [n]:de cribratione Apostolorum [o]. Quod energumeni rudes omninò, & idiotæ linguis loquantur, & arcana reuelent:vt alia effecta prætercam, nō potest in aliā quam in istam causā referri.Sed & ille cecinit [p]:

Esse aliquos manes,& subterranea regna,
Et contum,& Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque vnâ transire vadum tot millia cymbâ,
Nec pueri credunt.

Peccantibus.] Ἁμαρτησάντων. Non ergo naturâ mali sunt vlli Angeli, sed electione, peccatóque proprio:siue dicamus creatos in gratia,quod plures asserunt;siue illam postea accepisse. Augustinus [q] hinc illud argumentatur, quod non à Deo mali Angeli,mali conditi sint.Iob [r] *reperisse in Angelis suis Deum prauitatem*,dicit,quia non ipse fecit illam,sed quasi sedulo inquisitā deprehendit. Definitum id est in Concilio Carthaginensi IV. [s] & Bracarensi [t]. In gratia conditos cōfirmatur à minori,quia & Adā in ea creatus creditur: sufficitque prius natura spectari carentes gratia,vt eam non à se habere,sed à Deo concipiantur tam Angeli,quàm homines.Sed & vtrique rectè intelligi possunt simul se per auxilium gratiæ liberè ad gratiam sanctificantem disposuisse.

Iudas imitatus in multis Petrum: vel eadē eōdem scribēs instinctu diuino,describit peccatū [u], *quod nō seruauerint Angeli suum principatum,sed dereliquerint suum domicilii.* Intelligit principatus nomine dignitatem gratiæ, vel etiam ordinis, quoniam ex præstātioribus quoque Angelis nō pauci ceciderunt(nominat Paulus [x], principatus, & potestates,& sic Theodoretus exponit)omniumque princeps Lucifer,qui ceteris auctor fuit peccandi, quidquid aliter sentiant Gulielmus Parisiensis [y],Castro [z],Albertus [a], Ropertus, quemlibet ex seipso peccasse,vt communior habet, dēpto Damasceno [b],& Augustino [c],sententia Tertulliani [d],Hieronymi [e], Auctoris [f] apud Augustinum de mirabilibus Scripturæ, Gregorij [g],Isidori [h], Bernardi [i], Magistri [k] sententiarum, B. Thomæ [l],(qui tamen alicubi [m] priorem opinionem non improbat) Scholasticorum [n], Origenis [o],Chrysostomi [p] qui vocat Sathael, Basilij [q], Dionysij [r], Euthymij [s], Nouatiani [t], Anselmi [u], Glossa [x].Satis præterea Cassianus [y] fauet, docens aliquot Scripturæ locis lapsos esse præcipuos Angelos,atque Tertullianus [z],& Lactantius [o],proferentes Ethnicos Auctores.

Verum est,obscurius de hoc peccato Scripturas locutas:cuius rei Auctor ille de mirabilibus Scripturæ causam dat,quia nō Angeli,sed hominis curare peccatū Deus volebat.Quò fit,vt Angelici peccati quæstio definiri soleat ex eo, quòd cuique verisimilius videtur, cùm de facto ipso, cuiusmodi fuerit,non satis constet.

Volunt Theologi superbiæ peccatum primum fuisse(vocāt alij luxuriam spiritualem,& philautiam)licet non negent alias formas peccatorum, quæ circa spiritualia versentur obiecta,locum in Dæmonibus habere posse secondum affectum,vt iræ,siue odij,inuidiæ, iniustitiæ, infidelitatis, inobedientiæ particularis, &c. secundum reatum circa quæcumque obiecta alia. De superbia indicant Esaias [b],Ezechiel [c],Iob [d], Auctor Ecclesiastici [*], Tobias [e],paulò clariùs Christus [f]:& Paulus [g] nonnihil etiam Michaëlis pugna,& nominis eius ratio [h]: Quis vt Deus?Certè,sicut hæc à pluribus,melioribúsque scriptoribus testimonia declarātur,in obiecto superbiæ variāt:sed celebriores rediguntur sententiæ ad immodicum naturalis perfectionis beatitudinísque,sprera, vel minus curata supernaturali,amorem:ad huius supernaturalis desideriū adipiscēdæ citiùs, aut sine meritis:aut maiore intentione,quā quæ esset in amore Dei sincero, quem vocant amicitiæ:ad voluntatem æqualitatis cum Deo,vel auctoritatem supra creaturas omnes,etiam rationales;vel libertatem ab omni superioris imperio, vel vnionem hypostaticam,quam inuiderit Lucifer homini.

Non vacat has modo diiudicare opiniones. Perplacet hoc loco,alibique [i] postrema Catharino. Cui fauent vtrumque Tertullianus [k], Basilius [l],Cyprianus [m],Bernardus [n],Rupertus [o], Halensis [p],Gulielmus [q] Parisiensis, Carthusianus [r], magis autem,Iacobus [s] de Valentia,Viguerius [t], Naclantus [u],Salmeron in huius loci Commētario.Commentum est,de quo Athanasius [s],& Mahumeto Carthusianus [y] ascribit,& nonnullis Iudæis Galatinus [z],peccasse Angelos,quod vt à Deo iussi erant,adorare Adamum, detrectauerint. In intellectu præcessit saltem inconsideratio,si errorem iudicemus admitti non debere in Angelo.

Non pepercit.]Credi potest,omnes vno eodémque instanti discreti temporis peccasse post illud instans, quo simul cum bonis bene sunt operati, & meruerunt,sed non perseuerauerunt,tumverò in alio damnati sunt. Cùm autem hæc instantia motæ temporis nostri respondere possint,non sa-

p 3.p.q.2.mem.13. *Perflammam . Angeli per aliquod tempus in pec. an.* q 2. de vn. 106.vsque ad 114.1 2. 11.5.q 1.6 in P a l 2.8. 102.a 10 inst c.3.vers.75. s. lib. pas. o lib c.3.ep.ad Ep.2 q 6.ad Ant.y 2 con.Alcor.a.8.27.& est dicto l.e 17.& 48.

tis conftat, quamdiu perftiterint præuaricatores Angeli ante fuam pœnam in peccato:quin etiam probabile eft, reipfa per aliquod fpatium in eo perftitiffe(id quia breue, ideo videri poteft nullum, quo pacto loquitur Hugo [a] S. Victoris,) plurésque malos actus exercuiffe inter veluti confultandum, ac deliberandum de iis, quę proponebantur aliis a Lucifero, eique ab illis refpondebātur. Interim etiam poft vnum commiffum peccatum, dum durabat viæ mora, nec adhuc damnati erant, potuiffe, fi vellent, pœnitere, non minùs quàm poffit in via fua homo per gratiam quæ offertur: etfi nonnullis videtur, vt Scoto [b], Gabrieli [c], & Salmeroni noftro, hoc loco plures negant, vfurpantes illud ex Damafceno [d], & Nyffeno, vel Nemefio [e], *quod hominibus mors, hoc Angelis effe lapfum, poft quam non fit pœnitentiæ locus, vt neque hominis poft mortem.*

In eàdem fententia præter hos Patres duos, eft Caffianus [f], Auctor [g] de Mirabilibus Scripturæ. Gregorius [h], Ifidorus [i], Fulgentius [k], Profper [l], *Deus apoftatam fpiritum*, ait Gregorius, *ad pœnitentiam nequaquam reuocat.* Rationem aliqui afferunt. quia primā gratiam folo Chrifti merito confert Deus inimicis fuis: noluit autem Angelis, ficut hominibus redēptorem dare. Cuius quoque rei caufas dant, quia non totum periret genus Angelorum, vt hominum, quibus Adæ peccatum erat originale [m]: quia non peccauit Lucifer ex fuggeftione, quemadmodum primi parentes [n]: quia erant Angeli fapientiores potentiores, perfectiores [o]: quia facilius mutari poteft hominis voluntas. Angeli magis inflexibilis eft [p]: quia fi homo penitus interiret, propter quem hic afpectabilis mundus conditus eft (quæ ratio etiam diuerfa cenferi poteft [q]) non poteft reparari per aliam naturam rationalem, quæ fortaffis inferior, quàm humana condi nequit; potuit verò ruinas Angelorum homo replere [r]: quia minùs decuit deftructores naturæ humanæ ex directo, quo Deum profequebantur, odio in gratiam redire cum ipfo, qua ipfa de re ne fefe nimium efferrent, placuit homines liberari [f].

Probabiles quidem rationes: non tamen fimpliciter verum videtur, Angeli voluntatē fecundum fuam naturam effe inflexibilem: quod verò poft primum peccatum reflexa non fit ad bonum etiam priufquam ille dānaretus, & in illa, qu m diu, viæ mora, idcirco fuit, quia Deus ob allatas, & fimiles alias caufas, gratiæ negauit auxilium; quemadmodū & nunc damnatis negat, quorum propterea planè defperata eft falus. (quidquid cōtra fenferit Origenes [t]; quāuis timidè, nec pleno affenfu, & ex eius interdum fententia Hieron. [u] de quo Sixtus Senenfis [x], & non quia fit iis infufus à Deo intentiffimus malitiæ habitus, inclinās neceffariò ad odium Dei, vt abfurdiffimè quidam docent [y], vel vt alij [z] abfurdius, quia produxerit, & producat in illis actum odij Dei.

Obftinationis dictam caufam tradere videntur ex Patribus Ifidorus [a], Fulgētius [b], Profper [c]. Docet quoque Auguftinus [d], fi diabolus poffet fperare & culpā agnofcere, poffet mifericordiam confequi. Ex Fulgētio [e] autem fic ratiocinari poffumus. Quemadmodum quod mutari Angeli fancti non poffunt in deterius, nō eft quia id eis naturaliter fit infitum, fed quoniam gratiæ diuinæ largitate collatum; ita nō poffe malos in melius, quia talem Deus gratiam, ac ne eam quidem, quę fufficiens eft, ipfis largiri non vult. Argumentatur præterea [f], fine gratia non poffe hominem pœnitere, quia multò magis Angelus malus potuiffet, cuius natura quantò minus, inquit, grauatur terreni corporis pondere, tanto magis hac effet prædita facultate. Damafcenus [g] vocat Angeli naturam *ἀεικίνητον femper mobilem, τρεπτὴν κατὰ γνώμην mutabilem fecundum fententiam, ἐθελότρεπτον, voluntate mutabilem*: quamuis appellet fimul malum Angelum pœnitentiæ *ἀνεπίδεκτον non capacem, non admittentem*, fcilicet quia ei non conceditur.

Igitur Angelis peccantibus non pepercit Deus, ac ne gratiam quidem, vnde iis parci poffet, offerre voluit: quam fi & nunc offerret, conuerti poffent, ac mifericordiam Chrifti confequi, ficut ipfimet diabolo Martinus pronnunciauit [h]. Quapropter nullo pacto recipi debet, quod eft apud eum, qui nomen gerit Ambrofij, Commentario epiftolæ ad Ephefios [i], aliquos ex Dæmonibus per Paulum, & Ecclefiam liberatos ab errore, peccato, & Luciferi tyrannide. Id Sixtus obferuat Senenfis [k].

At nec abfolutè intelligi Anfelmus [l] poteft, impoffibile effe, vt lapfi, cum Deo Angeli reconcilientur. Impoffibile eft, quod fecundum legem ordinariam non fit: licet fieri non repugnet. Atque cùm nullus ex Theologis admittat vllum de Dæmonibus refipuiffe, non leuis inde ratio ducitur nec potuiffe: fi enim potuiffent, credibile fit, alicui efficax quoque auxilium dandum fuiffe, cuius comparatione, vt nunc inter nos. Damnatorum diceretur fuiffe fufficiens tantùm.

Quod ait Salmeron, ex verbis iftis *non pepercit*, colligi, potuiffe Deum parcere: concedo: non tamen quod habuerit animum paratum parcendi. Nec fanè alter locus Iob [m]: *Verebar omnia opera mea, fciens quod non parceres delinquenti*, denotat folùm mereri damnationem, eámque incurrendam, nifi peccator per viam pœnitētiæ ad Deum reuertatur: fed fenfus eft, vbi ftatuerit Deus punire, non effe, qui deprecari pœnam poffit, vel obfiftere, iuxta illud [n]: *Triumphator in Ifrael non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eft, vt agat pœnitentiam.*

Nec argumentum valet, aut ab aliis exemplis diluuij [o], & Pentapolis [p], quæ hic fubiiciuntur: aut à commendatione diuinæ mifericordiæ: aut à nefcio qua diuina reuelatione [q]: Nam reuelatio incerta, cur hominibus, non Angelis, oblata gratia fit ad pœnitentiam, antè dictum eft. Nil quoque video incommodi, concedere nonnullos Angelos paucioribus, ac minoribus pro peccatis damnatos, quàm homines; licet iftis, non illis data fit pœnitendi facultas. Negari non poteft, Cyrillum Hierofolymitanum [r] fcribere, nefcire nos, quanta Deus, & Angelis condonauerit: indulgere enim & illis. Nyffenus, vel magis Nemefius fruftra id afferere dicitur [s]: fiquidem, vt prius retuli, apertè comparat Ipfum, Angelorum fcilicet, nō in damnationem, fed in peccatum cum morte hominum, vt quemadmodum iftis in eo ftatu, fic illis, poftquam lapfi funt in peccatum, negetur gratia pœnitentiæ.

Nec in Bafilio [t], nec in Hieronymo [u] lego, quod fententiæ noftræ officiat, certúmque eft loqui fępenumero Hieronymum, ex aliorū fententia. Illa ratio moleftior, quòd fi aliquādiu poft peccatum durauit viæ fpatium ante damnationem, non videntur Angeli perinde, ac fi perueniffent ad terminum, gratiæ auxilio deftituendi; ficut nec iux-

ta

f fupra c.3.

g c. de fide c.3. *Angeli natura propria.*

Quomodo Deus Angelis peccantibus non pepercerit.

h Sulp. in vita c.24.

i cap.3.

k 6. Bibl. Ann. 198.

l lib.1. cur Deus homo, c.16.

m c 9.28.

Deus cum ftatuit punire, non eft qui deprecari pœnam poffit vel refiftere.

n 1. Reg.15. 29.

o Gen.7 5. & feq.

p Gen. 19.24. & feq.

q Salm. argu. funt illa.

r Catech.2.

f citat Salm.

t citatur ab eod. Auct. in 3.14. Efa.

u citat idem Sal in c 1.ep. ad Eph.

ta saniorem sententiam, cuiquam hominum denegatur in hac vita, quantislibet onustus peccatis sit,& ad quemlibet peruenerit cumulum peccatorum.

Hoc mihi nomine opinio contraria nó improbabilis videtur. Nihilominùs plures aliæ me rationes in ista retinent, cum adeò multorum grauiore auctoritate eamdem tuentium, & quia discriminis inter homines Angelósque satis idoneæ causæ redditæ sunt. Quamquã fateor etiam ex eo quod ait Petrus, *Deum non pepercisse*, nó aliud prorsus necessariò colligi posse, quã, vt colligit Augustinus[a], *nullum iam damnatos regressum ad iustitiam, vitámque sanctorum habituros*. Ceterùm Fulgétius[b] ex Angelorum infert lapsu, angelicam idoneam non fuisse naturam ad humanam reparandam, quoniam *illa se immaniùs egenam*, inquit, *consubstantialis ruina documento testatur*.

a 21. de ciu. c. 23. *Damnatis nullum iam regressum ad vitam Sanctorum habent.*
b 2. ad Trasim. c. 2.

Sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari.] Pertinent hæc ad pœnas malorum Angelorũ. Sed de re simul cum dictionum enucleatione. Similis autem locus est in epistola Iudæ[c]: *in iudicium magni diei vinculis æternis* sub caligine reseruauit.

c vers. 6.

Rudentibus inferni.] Σειραῖς ζόφου, *catenis, aut vinculis caliginis*, & apud Iudam nunc recitatum *δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφου, vinculis æternis sub caligine*. Gregorius[d] vel potiùs Paterius[e] (in textu enim Gregorij legitur iuxta editionem nostram) totum locum legit hoc modo: *Sed carceribus caliginosis inferni retrudens, tradidit in iudicio cruciandos reseruari.* Augustinus[f] ita recitat: *sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradidit in iudicio puniendos reseruari, aut seruari.* Sic legimus quoq; apud Fulgentiũ[g], dempto participio *retrudens* quod non habet. Carceres, inquit scholiastes Augustini Viues[h], pro claustris posuit, quibus exire prohibẽtur, quales erãt illi in circo, quibus equi, antequam currerent, coercebantur. Augustinus[i] autem, & Paterius annotant per infernum intelligi inferiorem caliginosum aërem tamquam carcerẽ, qui tamen aer quandoque & cœlum dicatur, vt cum vocatur cœlum nubilum, & Paulus[k] appellat *spiritualia nequitiæ in cœlestibus*; &, *principem* potestatis aëris huius[l]. *Tribuitur nomen inferni aeri huic*, inquit Paterius, *quantùm ad celsitudinem propriè dicti cœli: sicut quantùm ad eiusdem aëris altitudinem, terra, quæ inferius est, intelligi & infernus profundus potest.* Videtur hæc Beda transcripsisse, faciens quoque mentionem alterius allatæ lectionis: necnon adhuc illius in qua est *rugientibus*. Eadem porrò sentẽtia, quod in hoc aëre Dæmones habitent, traditur à Hieronymo, & aliis exponẽtibus caput sextum epistolæ ad Ephesios[m], atque communem omnium Patrum ait ille opinionẽ esse, quod aër iste, qui cœlum, & terram medius diuidẽs, inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus. Id sanè Antonius quoq; docuit Magnus, teste Athanasio[n], Augustinus præterea locis aliquot aliis[o] (monẽs infernum vocari aërem istum, quia inferior pars mundi sit) Chrysostomus[p], Tertullianus[q], & Theodoretus[r], Bernardus[s], & alij permulti. Probant verò tum ex citatis locis, tum ex illis, in quibus habetur, Dæmones circuire terras, vt nos tẽtent[t]. Rationem affert B. Thomas[u]: quia cõsentaneũ videtur vt Deus homines destinet in beatitudinem per Angelos non solùm directè per bonos, sed etiam indirectè per malos.

d 8. Mor. c. 11.
e in expo. huius ep. c. 3.
f 11. de ciu. c. 33. lib. 22. c. 23. lib. de nat. boni cap. 13 & 33, qui deinde citantur locis.
Carceres inferni quos dicat Petrus.
g 3. ad Trasi. c. 3.
h in lib. 11. de ciuis.
i de natura boni. c. 31.
k Eph. 6. 12.
Aer hic infimus infernus dicitur.
l ibid. 2. 2.
m vers. 12.
n in vita.
o 8. de ciu. ca. 22. lib. 14. c. 3. lib. 20. c. 1. tra. 93. in Ioan. Enchirid. c. 28. 3. de Trin. ca. 8. q. 29. in Num. 1 Gen. c. 20 li. 3. c 10. in Psa. 148. de Agone Christ. 4 & 5. in Psa. 148.
p in 1. Thessa. hom. 11.
q Apol. c. 22.
r 4. de affect. Græc.
s ser. 12. in Ps. qui habitat.
t Iob 1. & 2. 1. Pet. 5. 8. Apoc. 12. 9. Mat. 12. 43. 44.
u 1. p. q. 64. ar. 4.
Aerem hunc pro inferno sumi hoc loco Auctor non probat.

Verumtamen haud satis apertam, & certam, verámque iudico istius loci hanc pro aëre interpretationem, licet de re ipsa nó ambigam. Etenim nomen inferni pro aëre duriùs accipitur, ac sine alio exemplo. Deinde rudentibus inferni detrahi in Tartarum, est in verum Tartarum descendere ligatos ceu infernalibus vinculis, nec adhuc propriè per tartarum aërem intelligimus. Postremò vox ipsa Græca ζόφου, & Latina caliginis optimè congruit inferno: hic autem aër sæpè quidem caliginosus est: at aliquãdo serenus quoque. Iudas[x] appellat *æterna vincula sub caligine*: at certum est non remansuros Dæmonas in aëre semper.

x vers. 6.

Nemo negat in ima terra, qui propriè infernus est, aliquos esse Dæmones, cùm ibi planè constet esse animas damnatorum, & ab illis torqueri. *Detracta est ad inferos superbia tua*, inquit Esaias[y] de Lucifero, qui dicitur quoque iam esse in *abysso, & carcere*[z], licèt nonnumquam Dei permissu huc ad nos inde Dæmones veniant, & Augustinus[a] credat à Lucifero ipso tentatam Euã[b], & postea Christum[c], quod indicatur etiam, cùm *Princeps huius mundi venisse dicitur, nec in Christo quidquam habuisse*[d]: qua de re alibi ex instituto egimus[e]. Nihil autem apud profanos tritius, quam de locis huiusmodi inferis, quibus Dæmones contineantur, quod Iustinus[f] confirmat eorum testimonio. Expositores quidem plures sequuntur priorem sententiam: Carthusiano tamen placet quoque secunda: nec aliam tradit Titelmanus, Caietanus, Catharinus.

y Esa. 14. 11.
z Apoc. 20. 3. 7.
a 9. de ciu. c. 21 11. de ciu. c. 33. lib. 20. c 1.
b Gen. 3. 1. & seq.
c Mat. 4. 3. & seq.
d Ioan 14. 30.
e in Euang. de tent. Christi.
f in paræn. ad Gentes.

Detractos.] Deest Græcè hoc participium, indicat verò superiorem locum, ex quo Angeli deturbati sint. Locus autem aër superior, ex Augustini[g], ac Ruperti[h] sententia fuisse videtur, quam apertè sectatur Eugubinus[i]. Augustinus *inde post peccatum in hanc ait caliginem detrusos, vbi aer humore tenui contexitur. Illam partem propter puram tranquillitatem, cœlo, cui collimitatur, communi pace coniungi, & eius vocabulo nuncupari.* Rupertus non magis factos in cœlo, quàm fuerit homo plasmatus in Paradiso[k], sed in cœlum bonos translatos, ibi non naturâ habitare, sed gratiâ; & *de cœlo neminem venire, nisi qui super omnes est*[l]. In cœlo astrifero supremo, seu firmamento creatos asserit Hieronymus[m]; atque ita Luciferum, quando dicebat[n]: *In cœlum conscendam, & super astra cœli exaltabo solium meum*, cupiuisse, cùm esset in firmamento, in cœlum ascendere, vbi solium Domini est, *cœlúmque cœli* vocatur[o]: si autem accipiantur illa verba, postquam iam corruerat, arrogantiam eius denotare dicit, quòd nec præcipitatus quiescat, sed adhuc sibi grandia repromittat, non vt inter astra, sed super astra Dei sit.

g 1. Gen. ad lit. c. 10.
h lib in Gen. 1. c. 11.
i 7. de perenn. philos. c. 35.
Angeli vbi creati sint.
k Gen 2. 7.
l Ioan. 3. 31.
m lib. 6. c. 44.
n ibid. 13.
o Psa. 113. 16.

Innocentius III.[p] tradit de cœlis superioribus, cum syderibus, & aliis luminaribus non esse certum omnino, vtrum & ipsi sint aliquatenus immutandi, cùm ad eos fœtor, & fœditas ex prauis hominum operibus non peruenerit, quamquam in illis Angeli peccauerint Apostatici, qui sunt de cœlo proiecti. Nonnihil fauet Theophilus[q] Alexandrinus, scribens, *conditos principatus, & potestates, &c. in cœlorum regionibus.*

p in Ps. 5. pœn.
q Ep. 1. pasc.

Alij altiorẽ iubẽt nos cõstituere creatis Angelis sedẽ, in cœlo ipso empyreo, atque ex hoc eiectos præuaricatores à Michaële[r]: Iunilius[s] appellat cœlum, quod mortalium est omniũ inaccessibile conspectibus, idque non inane, ac sine habitatoribus creatum, vt terra, sed beatissimis Angelorum agminibus impletum. Glossa[t] ordinaria Strabi vel Bedę[u] docet, statim vt creatum est cœlum empyreum, Angelis repletum: eodem loqui.

In cœlo empyreo creatos Angelos quidam.
r Apoc. 12. 7. & seq.
s in hexam.
t in c. 1. Gen.
u hom. 1. hex.

tur modo Hugo [a] Victorinus, & Magister [b] sententiarum cum scholasticis [c], B. Thoma [d], Auctore Roseti Ioanne Maubruno [e], Innocentio III. alio quodam in loco [f], & aliis.

Faciūt pro hac opinione scripturæ, quæ casum Luciferi de cœlo fuisse continent [g], & cœli nomine, quando ponitur absolutè, quod præstantissimum est, videatur intelligi debere. Cum verò apud Esaiam dixit Lucifer: In cœlum conscendam. exponi posset aut præ superbia sic locutum etiam post lapsum, vt docebat Hieronymus: aut cum Hugone, & B. Thoma, per cœlum intellexisse Diuinitatis æqualitatem. Suadet quoque ratio, sumpta ex perfectione Angelicæ naturæ supra omnes corporeas, & quoniam cum istis præsideant, supremum tenere locum conueniebat; nam propter contrariam causam primus homo extra Paradisum formatus [h] est. quod naturalem eius conditionem paradisi excellentia excederet, nec bonum aliter congrueret, quàm ob donum innocentiæ, atque immortalitatis. Alia ratio Eug: quam formari oportuit ex Adamo, qui iam in Paradiso collocatus erat; quidquid contra senserint Iosephus [i], Tertullianus [k], Rupertus [l]. Accedit quod ceteri cœli mouentur: decuit autem collocari in loco quieto, immò cùm non statim à principio dicti cœli facti fuerint, & simul tamen cum mundo corporeo Angeli, non potuerunt in alio esse quàm in empyreo, quod cœli nomine primis Genesis verbis intelligunt. Vdalricus [m] propterea docebat appellatos Angelos *astra matutina* [n], quia suæ præsentiæ luce quasi stellæ ornent id cœlum.

Quartæ sententiæ meminit Augustinus [o], Dæmonas ex alio genere Angelorum, quàm beatos spiritus fuisse, eósque in mūdo isto inferiori creatos, beatos in cœlo. Quinta censeri potest, quam B. Thomas [p] innuit, Angelos inferiores, qui soli præsunt creaturis quibusdam determinatis, vt elementis, cœlis, &c. conditos esse in huiusmodi creaturis, alios in cœlo empyreo, & id colligere B. Thomas videtur ex Augustino [q].

Ego sanè à communiore sententia inuitus recedere soleo. Nihilominus magis placet secunda de cœlo firmamenti. Ascanius Martinegus ita quoque sentit, & ad eandem commode nititur tum scripturarum, tū Patrum trahere testimonia. cum cœlum nominant. Nam scripturæ nomē empyrei non exprimūt: Beda, Strabus, B. Thomas, Iunilius tātùm dicunt sanctis Angelis cœlum illud repletum esse: quod potius indicat, antequam plenam sanctitatem adepti essent persistendo in debita subiectione erga Deum alibi creatos esse: & tum demum in domicilium Beatorum trāslatos: quod etiam dedecēt quæcumque leuiores peccati sordes, & coinquinatio [r]. Vim habet citatus Esaiæ [s] locus de Luciferi peccato intellectus: *In cœlū conscendam*, &c. nec enim iam altius ascendere poterat, si iam erat in altissimo cœlo. Sensus autē ille prorsus allegoricus est, vt cœlū sit æqualitas Diuinitatis. Motus cœli nō impedit, quia nec modo cùm ibi vult Angelus esse, aut cùm illud agitat, eodē mouetur motu. Multò quoq; verius, primo die, ac initio simul factos omnes cœlos secūdum substantiam, licet nōdum cum proprio motu luce, distinctione siderum. Quocirca, qui sunt etiam à principio conditi Angeli, non eguerunt cœlo empyreo, quasi alius eis deesset cœlestis locus. Cum enim pro certo ponam nō factos ante corporeum mundum (cuius opposita sententia nonnullis nunc non videtur tuta, sed temeraria, quod negat Vasquez [t]) nec ita ipsis cōgruat corruptibilis, & ignobilis locus vel inferior, vel etiam aëris supremi, vt incorruptibilis, & cœlestis; collocādi Angeli sunt in eo quod dixi cœlo, cuius post empyreum dignitas prima est, nec vllum hac in re inter Angelos discrimen: sed idem omnibus communis attribui debuit locus.

Video tamen etiam tuentes primam de aëre sententiam posse respondere, dici Luciferum, & asseclas cecidisse de cœlo, non in quo fuerint, sed in quod licuit illis ascēdere. Cùm verò breui potuerint beatum cœleste domicilium scandere, nil incommodi videri, si tantisper in aëre constituti fuerint. Sic primæ tres opiniones probabiles; non ita postremæ duæ in eo, quod parem Angelorum omnium rationem in via negant fuisse, quod ad eorum attinet locum.

In tartarum tradidit.] Ταρταρώσας παρέδωκεν. Memini superius exponentium per tartarum aërem istum caliginosum, sicut & per infernum. Proptrū hoc Petri verbum absque alio priore quod sciamus, exemplo. Est verò frequētior vsus verbi ταρταρίζειν, quod est tartareo rigere frigore, ita vt τάρταρος non loci duntaxat inferni sit nomen, sed frigoris quoque maximi, sicut ex Hesiodo Plutarchus [u] tradit. Sic locus Damnatorum Tartarus vocabitur à frigore; quemadmodum Gehenna ab intensissimo ignis calore. Et in inferno quidem (vero ac reali subterraneo Damnatorum loco, vt contra nonnullos Hæreticos demōstrat Castro [x], & ex omnium consensu Gentium Renatus Laurentius [y], & ex aliis Sixtus [z] Senensis, & Eugubinus [a]) vicissitudines futuras post resurrectionem summi frigoris, caloris que summi, satis probabiliter colligunt aliqui ex Iob [b]: *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium*; & ex stridore dentium, de quo Christus [c]: sic Hieronymus, & Beda [d] aliique. Ea autem ratione traditos Dæmonas in tartarum debemus intelligere, qua & veluti rudētibus Inferni, vel qua certis locis siue in aëre, siue alibi cōsistere cōpelluntur. Vocant hāc Theologi nonnulli alligationē, quos Vasquez citat, & sequitur [e].

Cruciandos.] Interpres hoc addidit, quasi indicās, post generale Iudicium futurū maiorem Dæmonum cruciatū. Ita quidem sensit, ac locū istū Caietanus in Commentario intellexit, fauétque nonnihil Augustinus [f], Bonauentura [g], historia Andreæ Apostoli apud Abdiam Vbicumque sint Dæmones & alligentur, eandem percipiunt essentialem vt ita dicā pœnam, & suum veluti secū cruciatum gerunt, & ignem gehēnalem, vt Glossa [h] loquitur, scilicet ob apprehensionē molestam suæ certo in loco alligationis, quā refugit voluntas, & de qua dolet, vt satis præ se fert S. Thom. [i].

Non desunt tamē, qui asserant, realem, ac verū ignem Inferni, sic volēte Deo singulis in aëre Dæmonibus pro sua parte præsentem esse, ita vt impediat Deus, ne aut res alias incendat, aut cernatur à nobis [k]. In historiis quid simile legimus de animabus Purgatorij. Alij produci volunt nescio quam qualitatem doloriferam in Dæmonibus hic agentibus. Quidam ignem, qui est in Inferno, agere immediatè dicunt in Dæmonas. Nonnulli Deum ipsum per se solum istos cruciare.

Post diem iudicij recludentur omnes in Inferno, & accidentali quadā pœna noua afficientur, quæ nunc etiam subinde Damnatis omnibus contingere potest. De illo cruciatu apertus est Apocalypsis locus [l]: *Diabolus*, inquit, *qui seducebat*

eos,

eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia, & Pseudopropheta cruciantur (nempe cum Diabolo) *die, ac nocte in secula seculorum.* Ibidem [a] præterea dicitur *draco, serpens antiquus, catena magna ligatus annos mille.*

Non possumus quidem satis explicare modum cruciatus: at certum est. Dæmonas licet miris, veris tamen, vt ait Augustinus [b], modis cruciari. Cur igne cruciante maluerit vti Deus pro animabus quidem separatis apta ratio, quia natura sua habet in corpora ad quæ illæ ordinem includunt, maximam agendi vim, & est maximè spiritualis, & anima est vt ignis, dicitúrque Hebraicè אִישׁ *isch quasi* אֵשׁ *esch* Eusebio [c] teste: tamen & pro Angelis decuit idem corpus esse. Corpore vexari spiritus, est sic eorum superbiam magis frangi, tum in eo quoque, quòd qui secundum naturam altum requirit ignis locum, quodammodo sua in imo depressione repræsentet illud idem vitium spirituum; & sicut quadam violentia ibi detinetur, ita & spiritus. Designat ignis præterea perpetuitatem, cuius ob efficaciam, & mobilitatem continuam, symbolum est. Postremò ignis inter elementa spiritualior est: nonnulla item proportione respondet cœlo empyreo, sed sine calore: qui calor sine illo in igne inferni est, ad hunc veluti modum intercisa flamma ignis per vocem Domini, vt notauit Basilius [d]. Ardorem quoque furoris diuini omnium optimè ignis exprimit. Cruciatum porrò, ac dolorem in animabus Damnatorum faciliùs percipimus propter experientiam propriam de dolore in anima nostra, dum viuimus, quando corpori applicatur externa doloris causa: possumus namque concipere vi diuina effici in anima separata similem apprehensionem, & in voluntate renitentiam, qualis naturaliter modo ex dicta causa exstit ob sympathiam naturalem animæ, & corporis. Grauissimus Dæmonibus dolor erit in iudicio sisti coram Christo, & subiici pedibus eius, inspectantibus, & exprobrantibus sanctis omnibus, hócque modo illos iudicantibus [e], & tantam cernere hominum multitudinem ad adeo insignem gloriam peruenisse [f].

Quod à Christo conquesti sunt Dæmones ante tempus torqueri se [g], & rogauerunt, ne sibi imperaret, vt in abyssum irent [h]; non est, quod ante Iudicij diem non torqueantur, vt videtur Hilarius [i] existimasse, Iustinus [k], Irenæus [l], Eusebius [m], Nicephorus [n], Lactantius [o], nonnullíque alij: Sed quod non omni tormento accidentali, quale recludi in Inferno. Hoc tormentum Dæmones illi verebantur, & præuertisse Christum tempus arbitrabantur. De isto tempore Zacharias [p], iuxta versionem LXX. *& erit in die illa disperdet Dominus nomina idolorum de terra, & non erit vlterius memoria eorum, & Pseudoprophetas, & spiritum immundum tollam de terra.* Hæc interpres noster sic vertit, *& erit in die illa, dicit Dominus, disperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur vltra, & Pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra.* Sed credebant Dæmones de solo Iudicij die locutum Prophetam, vt notat Ambrosius [q]. Quanquam possumus Hilarium, alósque intelligere de pœnis accidentariis: sic enim etiam loquuntur Chrysostomus [r], Euthymius [s], Augustinus [t]. Aliqui [u] declarant de tempore primi aduentus Christi in mundum: vel de illo, quo iubebat recedere Dæmonas ab obsessis, quasi priùs venisset, quàm putarent; & illorum hominum peccata longius postularent vexationis tempus. Franciscus Georgius Venetus [x] ait causam querimoniæ fuisse, quod prænuntiatum à Prophetis præuertisset aduentum circiter annis trecentis. Id absurdum: & exactè numerantur septuaginta hebdomadæ Danielis [y]. Ceterùm sensus primus melior: nec vltimus dicendi modus tutò defenditur. Quæ de Dæmonum senserint veteres Philosophi pœnis, refert & Eugubinus [z]. De pœna Dæmonum scholastici nonnulli in 4. Sent. [a] vbi Bonauentura [b] innuit essentialis quoque partem in iudicij tempus differri: quod iam dixi minus probabile videri.

In iudicium.] Iam docuimus futurum de Angelis malis iudicium, nempe reprobationis, & condemnationis, quemadmodum approbationis de bonis. Clemens [c] venturum Dominum scribit ad iudicandum Diabolum Mundi deceptorem. Lactantius [d], quod Impiorum dominus cum ministris suis comprehendetur, ad pœnámque damnabitur in conspectu Angelorum, atque Iustorum. De hoc alibi egimus [e], & legi Suarez potest [f].

Seruari.] Τηρουμένους. Alij, τετηρημένους. *Seruandos*, aut *Seruatos.* Gagneius conicit Interpretem legisse, τιμωρουμένους, id est, *afflictos & vexatos*, & pro eo posuisse præcedens participium, *cruciãdos*. Codices citat Parisiẽsis typographus Robertus Stephanus, in quibus est εἰς κρίσιν κολαζομένους τηρεῖν. Ceterùm seueritatem istam, sed iustam in Angelos malos animaduersionem valde vrgent Patres, vt horrore nos concutiant salutari, per comparationem maiorum, & minorum, quam Petrus in hoc, & sequentibus intendit. Alia tamen etiam ex parte mirandum videtur minus, hominem labi, præsertim, vt de Dauid agens, monet Ambrosius [g], *A pueritia in diuitiis, honoribus, imperiis demorantem, in multis tentationibus positum.* Ostendimus quoquè prius veniam, ac remedium homineo magis meruisse, quàm Angelum propter naturæ imbecilliorem conditionem. Sed vis argumenti nihilominus in eo est, vt colligit Hugo, quod si tam nobili naturę non parcitum est, vereri oporteat ignobiliorem, & ne qui semel, sæpiúsque pepercit, parcere tandem desinat. Hoc modo vrget argumẽtum Cassianus [h], & Damascenus [i]. Extendi verò ad homines potest, qui de sublimi vel dignitatis, vel etiam sanctitatis gradu sua sunt culpa deiecti, atque præcipitati, ex quibus ne longius abeamus, bene longo sufficere catalogo texendo possunt Hæresiarchæ, vt hîc attigit Feuardentius. Lutherus Augustinianæ Eremitarum familiæ monachus fuit: Petrus Martyr Canonicorum Regularium; Munsterus, Pellicanus, Ochinus B. Francisci: Bucerus S. Dominici: Oecolampadius B. Brigidæ: Caluinus Parœcus: Beza Prior. Taceo de vetustioribus.

Vers. 5.] Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mũdo impiorum inducens.

ALterum seueritatis diuinæ in impios terribile exemplum, quando solis exceptis octo totus diluuio periit mundus. Diximus hac de re in prima Epistola [k], & in librum Sapientiæ [l]. Declaremus nunc nonnulla obscuriora.

Originali mundo.] Græcè Ἀρχαίου κόσμου nominatur. *Priscum* Vatablus, & Erasmus. Clarius,

a vers. 2.
b li. 21. de Ciuit. cap. 10.
Anima damnata cur sint igne cruciandæ.
c 11. de præp. cap. 4.
Cur Dæmones igne torquean-tur.
d Hom. in Psa. 28.
Dæmonibus grauissimus dolor erit coram Christo sisti.
e 1. Cor. 6. 3. & 15. 26. 27. Cal-fia 10 Instit. cap. 4.
f de similitu. cap. 5.
g Mat. 8. 29.
h Luc. 8. 31.
i Can. 8. in Matth.
k in Tryphonem.
l lib. 5. ca. 43.
m 4. Hist. c. 27. vel 28.
n 4. Hist. c. 6.
o lib. 7. c. 26.
p cap. 13. 2.
q in c. 8. Luc.
r Hom. 29. in Mat. & hom. 44. in Ioan.
s in c. 8 Matthæi.
t 8. de Ciuit. cap. 23. lib. 9. cap. 21. & lib. de Natu. Boni cap. 37.
u in c. 8. Matthæi.
x Tom. 1. Problem. script. in 17.
y Dan. 9. 24.
z 7. de Peren. ni Philos. ca. 14 & 19.
a d. 47.
b art. 1. q. 4.
c 7. Const. c. 33.
d lib. 7. c. 26.
e Act. 1. 40.
f 3. Par. to. 2. disp. 57. sect. 8.
Dæmonum grauissimum cruciatum Patres vrgent.
g 1. Apologia Dauid cap. 1.
h 12. Coll. c. 4.
i 1. Paral. c. 6.
Hæresiarchæ ex ordine religiosorum lapsi.
k cap. 3. vers. 19. 20.
l cap. 10. 4. cap. 14. 5. 6.
Mundus originalis cur dicatur ἀρχαῖος.

& Sà, & Caietanus, *antiquum* vertit: Sed Gagneius, *rudem & imperitum*. Ait autem sibi videri legisse Interpretem ἀρχαῖον: sed retinendo ἀρχαῖον, sensum esse: si seculo illi rudi adbuc, & impetito, rerúmque diuinarum penè ignaro quod tempore diluuij fuit, non pepercit: quid facturus est falsis doctoribus, qui à via veritatis deflexerunt intellecta, & ab eâdem auertere ceteros moliuntur? Hoc approbant Salmeron, & Feuardentius. Ego nullo modo, cum recepta sit ac vsitata notio ἀρχαῖον prior pro antiquo, prisco, vetusto, pristino, idque sæpius, quàm pro rudi, vel stulto, & inepto, quod significat quoque τὸ ἀρχαϊκὸν. Lege Budæum [a], & Auctorem Thesauri, qui τὸ ἀρχικὸν explicant imperandi cupidum, vel vt ita dicam, imperatiuum, & imperatorium, & imperiosum. Certè pro antiquo non inuenio.

a Com. ling. Græc.

Originalis mundus dicitur de hominibus ante diluuium, quod ea fuerit prima veluti mundi ætas ac pueritia: Noë cum suis octauos, cum esset ab Adamo decimus: præco iustitiæ, vindicis in scelera hominum sui temporis: quàm æquum esset coli Deum religione ac iustitia, diuináque bona perituris præponere: nec lædere quemquam iniuria.

Interpres eandem vocem ἀρχαῖον reddit Latinè, antiqui, pluribus locis Noui Testamenti [b], vt omittam vetus. At valde sapienter hoc loco posuit originalis epithetum, vt designaret homines ætatis primæ, quam à parentum censent transgressione vsque ad tempus Diluuij. Nec arbitror tamen ad primam originem Petrum respicere, vt Asel docet, ob originalem iustitiam, in qua conditi sunt duo primi parentes, quibus non pepercerit Deus quando peccauerunt [c]: nec, vt Glossa Interlinearis, & Hugo, & Primaticcius, indicasse viuentes secundum originem primi peccati: nec ad legem naturalem; vt ait idem Hugo. Viguit enim & illa diu post Diluuium ante legem scriptam.

b Matth. 5. 21. 27. 31. Luc. 9. 8. Act. 15. 7. 21. cap. 21. 16. Apoc. 12. 9. c. 20. 2.

c Gen. 3. 6. & seq. vsque ad finem capit.

Non est dubium, quin & ex ea parte possit plurimùm exaggerari seueritas diuinæ iustitiæ, quam cum primis parẽtibus posteritas tota sensit. Debuit etiam prior ætas, quò propius aberat à suo principio, minùs hinc esse corrupta, hinc magis imperita. Nihilominùs disertè satis significat Petrus loqui se de hominum vniuersitate, qui ætate viuebant Noë, atque corruptissimis moribus fuisse scribuntur [d]. Antiquus ille mundus erat, quia illius comparatione nouus hic, vel renouatus, in quo nunc degimus, videtur. Omnis tunc euersa, & confusa, tota facies terræ, & totus ille aër altitudine aquarum mutatus est; vt hic quasi alius sit, vt docet Beda, & adhuc Hugo.

Seueritas diuini iudicij in primos mundi homines.

d Gen. 6. 5. & seq.

Octauum Noe iustitiæ præconem.] Ὄγδοον Νῶε δικαιοσύνης κήρυκα. Octauus Noë dicitur, quia cum eo, vt rectè Lyranus, & passim ceteri notant, fuerunt septem personæ à diluuio saluatæ: quas animas octo scripsit Auctor Epistola priore [e] *in arca saluas factas per aquam.* Occurrerat & mihi, quam legi postea in Gagneio, similis nostratiũ phrasis, *il le fauluа luy huictiesme.* Qui octauum statuit, vt constet numerus, præcessisse septem confirmat. Clarius locutionem nouam vocat. Reddunt alij rationem petitam ex octonarij mysterio, vt Hugo. Conicit hic quoque Thomas Anglicus, ita dici Noë octauum, quod arcam postremus inscẽderit. Refellit Carthusianus opinionem, quod octauus ab Adam fuerit, sicut Iudas Henoch [f] septimum appellat, quia Noë decimus [g] fuit, & illam tamen Titelmanus opinionem sequitur.

e cap. 3. 20. *Noe octauus cur dictus sit.*

f epist. vers. 14.

g Gen. 5. 32. & seqq.

Iosephus [h] videtur supputare numerum à Seth: nam scribens huius pijssimi viri Sobolem, patris per septem generationes imitatam probos mores, de Noë narrationem statim subiicit: Hac ratione octauus præco iustitię Noë vocabitur inchoãdo à Seth, cuius per dictas generationes posteri fuerunt iusti: licet fortasse non prædicarent omnes, vel non verbo, sed exemplo, & facto. Esset prætetea hæc noua exponendi ratio, sed priori haud multùm absimilis, si respectum haberi quis asserat ad septingentos quibus durauerat proximè antè improbitas annos, atque ita octauus Noë sit, quia octingentesimo viuens ab eo tempore anno.

h 1. Antiq. c. 4 & 5.

Quomodo Noe octauus iustitiæ præco.

Indicat Catharinus alium dicendi modum, vt octauus vocetur præco iustitiæ non simpliciter octauus ab Adam, à quo Adam Iudas septimum appellat Henoch, sed quia nulla extat de alijs præconibus septem historia. Satius est, quod & ipsemet facit, in primo sensu conquiescere.

Iustitiæ autem Noë præco fuit, non politicæ, sed diuinæ, qua præditus fuisse prædicatur [i], tum exemplo, tum verbo forsitan, tum ipsamet per tot annos arcæ fabricatione, videlicet si sermonem habebat, vel agebat de vindice, ac vltrice scelerum iustitia Dei, vel quàm iustum esset colere Deum, & æterna sectari potiùs bona, quàm creatas res adamare: vel vt abstinerent ab aliena iniuria, omnique maleficio. De Messiæ, qui κατ' ἐξοχὴν, nominatur Iustus, aduentu prædicasse facile credo. Id præcessores quoque Noë iam inde ab Adam fecisse Irenæus indicat [k], & Athanasius [l], & Hebræi ipsi apud Reuelinum [m]. Indignum inter alia, esse prædicabat fortasse, tam fœde carnem pollui, quam Dei Filius assumpturus erat. Meritò Kemnicium refellit Paiua [n], nescio quas cõminiscentem reuelationes in Noë de pleniori cœlestis doctrinæ declaratione, proptereáque præconem à Petro appellatum iustitiæ, cùm iam periisset omninò vera cœlestium rerum cognitio, & vis Traditionum non sufficeret; nam nil tale aut Genesis historia narrat, aut hîc innuit Petrus. Quin Augustinus [o] vi isse cum Noë aliquos putat iustitiæ ipsius non admiratores modò, sed etiam æmulatores; at illum orbis reseruatum interitum in ea tempora, in quibus mortem iam oppetiuissent, qui non erant digni tali morte defungi, ac in iis nullum diluuio mortuum, quos de semine Seth propagatos Scriptura commemorat. Ob dicendi, qua prædicando vtebatur Noë libertatem, Iosephus [p] prodit omnium in se odium, indignationémque adeo prouocauisse, vt solum vertere cum domo, & familia coactus fuerit, quò effrenatæ multitudinis euaderet impetus furentes, ac violentos.

Iustitiæ quam de Noe prædicatum fuisse.

i Gen. 6. 9. & 7. 1.

Prædicabat Noe Messiæ aduentum.

k lib. 4. c. 9. l epist. Quod Nicena Synodus, &c. m lib. 1 Cabalæ. n pro Conc. Tridentin.

o 15 de Ciuit. cap. 14.

p 1 Antiquit. 5 vel 4. *Noe ob libertatem dicendi solum vertere coactus est.*

Porro iustissimum hunc Patriarcham non erubescit Caluinus [q] de atrocibus damnare sceleribus desperationis, summæ imprudentiæ, pudendæ, ac turpis obliuionis sui, fœdæ mentis alienationis: immodestiæ, ac impatientiæ circa reprehensionem irrisoris filij, ita vt nec sustinuerit Moses, quin in eum contumelias ira, & atra bile percitus, despumauerit. Ait præterea, Deum æternam illi probri maculam inussisse. Addit VVolfangus Musculus [r], curiositate peccasse, tentando Deum: patientiæ limites transisse, exeundo ex arca: fidei rem contrariam fecisse. Legantur laudes contrariæ huius viri sanctissimi

Caluinus quibus verbis Patriarcham hunc vexat.

q in c. 8 Gen. vers. 21. in c. 9. vers. 20. in c. vers. 24.

r in c. 8 Gen.

apud Ambrosium [a] libro de ipso, Augustinum [b], Ephrem [c] expositores Genesis. Mitto communem de illo cum aliis Patriarchis, quod sint damnati, errorem Marcionis [d].

Custodiuit.] Ἐφύλαξε. Octauum Noë custoditum nominatim dixit: quia etsi ea obliquo septẽ alios intellexit; nihilominus non ita constat de illis, an iusti fuerint, vereri possumus non fuisse, propter inuerecundi filij Cham factum [e]. Custoditus ergo Noë significatur tamquam alter humani generis reparator, cui ob iustitiam propriam condonati fuerint liberi, simul vt ab iisdem commodius homines propagarentur.

Mundo impiorum.] Κόσμῳ ἀσεβῶν. Mundus impiorum homines impij sunt, & trita satis acceptio mundi pro hominibus habitatoribus mundi, auctoribus, sacris præcipuè. Quamquam, quia res aliæ mundi passæ sunt damnũ propter diluuium, mundus impiorum comprehendere hic potest ceteras mundi partes. Prioris acceptionis exẽpla suppetunt permulta in diuinis litteris. Originalis Mundus paulò antè hic positus, eandem vim habet eandem præterea, cum dicitur *Mundus lucem veram: ac Verbum non cognouisse* [f]: *totus post Christum abijsse* [g]: *non posse accipere Spiritum sanctum* [h], &c. Sed crebriùs pro Sapientibus mundana sumitur, mundus illis. & similibus aliis locis, vt Euthymius [i] obseruauit.

Vers. 6.] Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigẽs, euersione damnauit: exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.

TErtium exemplũ animaduersionis terribilis in Impios. De hoc egimus in expositione lib. Sapientiæ [k], vbi Pentapolis nominatur cuius magis celebres Ciuitates Sodoma, & Gomorrha. sæpiúsque propterea, cum de ista clade mentio fit, etiam solæ nominatim expressæ. Eodem Iudas [l] vsus exemplo est. *sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram* (id est, alienam ab vsu naturali generandi) *factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* Istud exemplum repetitur à Scripturis præter illa alia duo loca in Deuteronomio [m], in Psalmo C V I [n]. in Esaia [o], in Ieremia [p], in Ezechiele [q], in Osea [r], in Amos [s], in Sophonia [t], in Mathæo [u], in Luca [x], in epist. ad Romanos [y], in Apocalypsi [*], in Apocrypho quoque quarto Esdræ [z], sic habetur: *Væ tibi Assur, qui abscondis iniquos penes te. Gens mala, memorare quid fecerim Sodomæ, & Gomorrhæ, quorum terra iacet in piceis glebis, & aggeribus cinerum. Sic dabo eos, qui me non audierunt, dicit Dominus Omnipotens.*

Dedito Petrus studio adhibuit hoc exemplum contra hæreticos. iam tunc exortos, qui turpissimis illis Pentapolitanorum cõmaculati libidinibus erant idque maximè infame, Orthodoxis nomen, apud Gentiles communicauerant; vt hi proinde contra nos, velut contra pestilentissimos homines, ac naturæ hostes, ferro, flammis, omni tormentorum genere, agendum censerent. Meminerunt de hoc, qui pro Christianis Apologias ediderunt, vel hæreses recitauerũt, necnon postea Carpocratianos Caianos, Marcionitas, æquè impuros, Sodomitis tãquam puris, & sanctis honorem habuisse. Deplorat & Hieronymus [a] vigente hæresi Iouiniani, ipsam quoque orbis vrbem dominam tanta spurcitia fœdatam. Vopiscus recitat Adriani Imperatoris epistolam, in qua tale Christianis impingit crimen, scilicet non Catholicis, verùm ea dicta colluuione Hæreticorum.

Detestandũ, ac nefandum scelus, quid pluribus opus execrari testibus, aut de nomine plura fari, quod ne nomine quidẽ deceat vsurpari? Bardesanem Eusebius [b] inducit narrantem inter variarũ gentium mores, quòd ab Euphrate fluuio vsq; ad Orientalem Oceanum, cui cædes, vel furtum obijceretur, non magno mœrore torqueri solitũ: qui verò pudorem masculi eripuisset, si res in lucem venisset, magnitudine ignominiæ seipsum interficere coactum.

Sensit Iustinianus Imperator, calamitates orbi propter hoc maximè scelus prouenire: ideo edicto cauit [c] eiusmodi, vt eas ipse vocat *illicitas, impias, & abolitas luxurias.* Refert autem Glycas [d] deprehensos postea in isto crimine, etiam magnates, tãquam in triumpho per vrbem, veretria prius amputatis, circumductos esse, hócq; modo miserè vitam finiuisse Nominat Cedrenus [e] Esaiã Rhodi, & Alexandrum Diospolis Thraciæ toparcham designat etiam Senatoriam dignitatem: & scribit castratos, & publicè nudos in forum productos miserabiliter periisse, suóq; exemplo reliquos pudicitiam colere docuisse. Iam antè legem tulerãt Valẽtinianus, Theodosius, Arcadius, vt *omnes quibus flagitij vsus esset, virile corpus muliebriter constitutũ alieni sexus damnare patientia (nihil enim discretum videri habere cum fœminis) spectante populo flammis vltricibus expiarentur* [f], *vt vniuersi intelligerent* (refert hæc Pithæus ex quodam Codice) *sacrosanctum cũctis debere esse hospitium virilis animæ*, nec sine summo supplicio alienum expeti sic sexum, qui suum turpiter prodidisset. Prior id adhuc sanxerat Cõstantius [g], appellans *scelus infame, quod non proficit scire, Venerem mutatam in alteram formã* (Iudas [h] vocat *carnem alteram*) vbi amor quæritur, nec videtur. A Constantino idem Hieronymus [i] scribit pæderastiam, & omnem similem turpitudinem Gẽtium Euangelio coruscante deletam.

Apud profanos quidam Persis tetri criminis deferunt inuentionem, hincque ἀρρενοκοίτας vocatos: & fortassis nouam voluptatẽ esse, quam Xerxes, qui inuenisset, præmiũ ei proposuerit [k]. Laium videtur Athenæus [l] auctorem facere, cũ hospitio susceptus à Pelope, illius filium Chrysippum raptum, curruq; impositum Thebas abduxisset. Testis idem, Græcis perfamiliare vitiũ fuisse, ac pæderastiam amori quoque mulierum longè præposuisse, atque Herodoto teste ab his Persas didicisse. Apud Thracas primùm incepisse Orpheũ tradit Ouidius [m]. At origo vetustior Sodomitarum, de quibus hoc loco, & in Genesi [n] mentio. Vocant Hebræi honesto vocabulo tales קדשים *Kedescim*, quasi dicas, *sanctos*, id est, *maximè impuros*: Aquila ἐνηλλαγμένους, id est, *mutatos*, nempe de viris factos fœminas. Eadem infamia laborasse Gallos idem Athenæus [o] prodit, & quem antè protuli ex Eusebio Bardesanes ait pueros eorum nubere solitos. Iulium Cæsarem, Augustũ, Tiberium. Caligulam, Neronem hac spurcitia cõtaminatissimos constat fuisse, atque cæcam ferè omnem Gentilitatẽ, de qua Paulus ad Romanos [p]: nec dubitauit Horatius *adeo prodigiosam libidinẽ satius esse committere, affirmare, quàm in adulterium incidere* [q].

In cinerem redigens.] Τεφρώσας, Iudas [s] dixit: *Ignis æterni pœnam sustinentes.* Id aliqui nectendum putant apud eundem cum aliis immediatè præcedentibus verbis: *factæ sunt exemplum.* Πρόκεινται δεῖ-

a Ser. de Noe 10.
b Serm. 45. de temp.
c Serm. de Noe com.
d Niceph. libr. 4. cap. 35.
e Gen. 9. 22.
Mundus impiorum quis sit.
f Ioan. 1. 10.
g Ioan. 15. 19.
h Ioan. 14. 17.
i in c. 7. Ioan.
k cap. 10. 6. 7.
l epist. vers. 7.
m cap. 29. 23.
n vers. 34.
o cap. 1. 9. 10.
p cap. 23. 14.
q cap. 16. 46.
r cap. 11. 8.
s cap. 4. 11.
t cap. 2. 9.
u cap. 10. 15.
x cap. 17. 29.
y cap. 9. 29.
* cap. 11. 8.
z cap. 2. 8. 9.
Cur S. Petrus Sodomæ exemplum attulerit.
a 2. con. Iou.

Scelus nefandum quam detestandum.
b de præparatione Euang. lib. 6. cap. 8.
c const. Nouel. 77.
d in annal.
e in compend. hist. an. 13. 6.
f lib. 6. ad legem Iuliam de adult.
g leg. 31. Cod. Theodos. ad l. Iuliam de adult.
h epist. vers. 7.
i a. cont. Iou.
k Cic. Tusc. 5.
l lib. 13.
m 10. Metamorph.
n Gen. 19.
o supra.
p cap. 1. 26. & seq.
q lib. 1. serm. satyr. 2.
s Iud. ep. vers. 7.

γμα πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι. Et innui videtur ignem illum quem passi sunt, esse æternum; non quia necessariò significetur hisce, núnque loere ignem æternum: quidam enim oppositū sentiunt; certè id incertum est, sed quoniam, vt in libro Sapientiæ vidimus [a], testātibus Ægesippo [b], Tertulliano [c], August. [d] Orosio [e], præter externos scriptores Solinum [f], Tacitum [g], Plinīū [h], Straboneē [i], Stephanū [k], Aristotelem [l], tota illa terra torrida perseuerauit, & exusta, herbæq; flores, poma quæ profert, ad manus tactum in fauillas, cineresve euanescunt, quasi pristinos adhuc ignis existat, & gehennalem æternum repræsentet.

Euersione damnauit.] Καταστροφῇ κατέκρινεν: *subuersione condemnauit*, inquit Vatablus, id est, puniuit, pœna enim condemnationem sequitur. Magna catastrophe, ac immutatio in deterius pulcherrimæ quondam, & amœnissimæ, ac feracissimæ regionis.

Exemplum eorum, qui impiè acturi sunt ponens.] Iudas δεῖγμα videbatur sumere cum respectu ad ignem æternum, vnde tamen etiam hoc aliud cōsequitur, vt mortalibus res adeo horrifica, tamque insignis, & vt loqui solemus, exemplaris pœna, documento sit, vt caueant, & alieno malo sapiāt, alieno periculo cauti fiant. Hic ὑπόδειγμα est: aliter παράδειγμα dicitur, & Latinè exemplum pro insigni pœna sumitur, maxima, & grauissima, vt ceteri à peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur.

Meminit de hoc pœnæ, siue genere, siue modo, cum aliis duobus Taurum citant Gellius [m] τὴν νουθεσίαν, vel κόλασιν, vel παραίνεσιν. *cùm id agitur puniendo, vt peccans ipse corrigatur: & τιμωρίαν, quando quis punitur, eius, in quem peccatum, dignitas, auctoritásque vindicetur.* Prosunt aliquę quandoque sua non sibi, sed aliis duntaxat, pœna, vt Gregorius [n], ac Beda [o] monent. Saluianus [p] docet in præsenti illud quod futurum est, voluisse Deum declarare iudicium, quando super impium populum gehennam misit è cælo. Præterea obseruat in hoc exemplo plus misericordię fuisse, quàm seueritatis. Nam pœnam distulit [q]: Angelos prius misit, probare volens, quòd etiam malos puniret inuitus. Scilicet vt cùm legeremus quæ à Sodomęis Angeli pertulissent, & videremus scelerū immanitatem, criminum turpitudinem, libidinum obscœnitatem, probaret vtique nobis Deus, quòd ipse noluerit eos perdere, sed ipsi extorserint vt perirent. Dixi in Commentario libri Sapientiæ [r] magis communem sententiam esse de damnatione æterna eorūdem Pentapolitanorum, cuius inchoatio fuerit ignis, ac sulphuris pœna. Idem de illis Cyprianus [s] docet, nec non de submersis Ægyptiis.

Vers. 7.] Et iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa cōuersatione eripuit.

Vers. 8.] Aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.

SIcut antea meminit de Noë, quem, pereuntibus diluuio ceteris, custodiuit cum familia: sic modò de Lot, quem liberauit Deus de Sodomorum incendio, nimirum etiam cum vxore, ac filiabus, vt in Genesi [t] narratur historia, vbi, simul execranda priorum luxuria commemoratur, & castimonia, iustitiaque Lot. Sapientiæ quoque capite decimo [u] disseruimus eadem de re; & qua ratione iustitiis Lot non deroget, quod Sodomitarum libidini filias obtulerit [x]. Diximus etiam ibi, non videri probabilem Abulensis [y] opinionem, alios præterea iustos euasisse, qui non pertinerent ad Lot.

Oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione.] Καταπονούμενον ὑπὸ τῆς τῶν ἀθέσμων ἐν ἀσελγείᾳ ἀναστροφῆς. Vatablus; *Qui ab opprimebatur à nefariis per libidinosam conuersationem.* Pagninus: (*Fatigatum à nefandorum in luxuriosa conuersatione.*) Cōplutenses, Regiique codices non habent *iniuria*. Aliqui manu scripti, vt Lucas Brugensis notat, pro, *iniuria*, scribunt (*iniusta*) vnus (*impudica*) alius pro (*iniuria ac luxuriosa*) tantùm *impudica*. Putat verò additum in editione nostra iniuria nequis oppressum Lot suspicaretur ipsamet luxuriosa conuersatione, ac in ea ipsa re vim passum. Higinus Papa legit *iniuria, & conuersatione* *. Existimo, iniuriam denotare illam, qua Sodomitæ contra ius Gentium hospites Lot opprimere, atque comprimere turpiter volebant, minantes, si resisteret, se affecturos ipsum multo magis, quàm illos, nec non ipsa vim facientes vehementissimè, ita vt nihil propius fuerit, quàm vt effringerent fores [z], quas ille occluserat post tergum: & corporis proprio periculo, & domus quoque infamia, existimationem tutatus hospitum.

Luxuriosa præterea conuersatio afficiebat Lot maxima molestia:

Qui cum ingenijs, ait ille [a], *conflictatur eiusmodi,*
Neque commouetur animus in ea re tamen (in incontinentia)
Scias posse habere iam ipsum suæ vitæ modum

In ea gente, *quæ plurimum mala est*, scribit Plato, *si quis bonus sit, eum esse quàm optimum*: esse item sine reprehensione *in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucere sicut luminaria in mundo* [b], *magna* ... non adeo laudabile bonum esse cum bonis illud immensi præconij, bonum inter malos existere, sicut Iob [c] de Vr terra Gētilium. Notat hæc Gregorius [d] omnia; & præterea *Sponsum vt lilium inter spinas* [e]: Episcopum Pergami habitantem vbi *sedes erat Satanæ, & nihilominus tenētem nomen Christi, nec negantem fidem* [f] *eius*. Adde Sanctum quoq; *Ezechielem cum Scorpionibus*, id est cum pessimis Iudæis *habitantem* [g]. Parabolam de lilio inter spinas; eodem sumunt sensu Patres tres apud Theodoretum [h], & Bernardus [i], & Nazianzenus [k]: de Luminaribus Origenes [l], & Augustinus [m], Philo [n] comparat cum rubo [o] ardente, incombusto. Celebrāt potissimùm Noë, Daniel, Iōb [p], quia inter impios pij: Tobias [q] item, quod euntibus omnibus ad vitulos aureos nō ibat ipse. Non imparem merentur laudem Machabæi, vel Abraham versans in Chaldæa, vel Basilius, & Nazianzenus in Athenienti academia, vbi posterior [r] egisse ambos ait sine damno, *vt si fluuius dulcis fluat per mare salsum, aut animal in igne saltitet.*

Hinc discimus quoque, quantopere discruciet probos improbitas aliorum, quàm tabescant zelo, quam deficiant animo, & quoddam animi deliquium patiantur *pro derelinquentibus legem Dei* [s], *& obliuiscentibus verba eius* [t], *& non custodientibus eloquia eiusdem* [u]. Obliuisci malum, peius non custodire: deterrimum derelinquere, ac præuaricari. Omnes illas animi molestias denotat huius loci verbum καταπονούμενον, siue magnam fati-

gationem in audiendo,& viuendo tam fœda,tum verba,tum facta.

Mathatiæ zelus & aliorum.
a 1.Mach.2.14. 14.25.
b Num.25.13. Psal.105.30. Eccl.45.28.

Mathatiæ hic in memoriã zelum reuoca,scindentis vestimenta,operientis se cilicio, plangentis valde,secundum renes contremiscẽtis, furore accensi,ob iniurias diuinas [a] Phinees exemplo [b]. Ezechias audita Rabsacis blasphemia, eodem illo ritu scidit vestimenta,opertus est sacco ingressus est domum Domini [c]. Polycarpus ex intimo dolore aures obturans, ad voces Hæreticorum blasphemas exclamabat dicendo: *Deus bone,in qua tempora me reseruasti,vt hæc audiam* [d]!

c 4.Reg.19.1.
d Euseb.5.Histor. c.20.ex Irenæo.

Eripuit.]Per Angelos,qui facto impetu ab impurissimis hominibus à puero vsque ad senẽ circumuallantibus domũ,liberauerunt Lot,introducentes eum,ac ostium claudentes, quod iam iam effracturi erant,& cœcitate percusserũt [e]:& cùm dissimularet ipse,vxórq; ac filiæ, & tergiuersarẽtur,(frustra etiam inuitatis ad exeundum generis, quibus minæ ludus erant) apprehensis omnium manibus eduxerunt extra ciuitatem [f].

e Gen.19.9.10. 11.
f Ibidem.12. 13.14.16.17.
Lot quomodo à Sodomis liberatus.
g Ibidem 24.

Etsi verò liberatio ista fuit ab igne,& sulphure, mox immissis in Sodomam,& Gomorrham [g]:tamen dicitur Lot ereptus hoc loco ab iniuria, ac luxuriosa conuersatione,ne scilicet libidinem explere perditissimi homines vel in hospites niterẽtur,vel in filias eius. Ab Ægyptia captiuitate homines homo Moses liberauit,(sed in rubo ardẽti, nil combustus,ob typum continentiæ) ab hoc libidinis incendio nonnisi Angeli, nec vnus solus, (& vnus tamẽ tot myriadas exercitus Sẽnacherib cæcidit [h])& quidem violẽtè,ac suum illud captiuitate grauius periculum, quamuis non amantes, saltem dissimulantes, aut non tãtopere curantes. Angelicos homines requirit cura libidinis: & in ea vis magna requiritur.

h 4.Reg.19.35.

Aspectu enim,& auditu iustus erat.] Βλέμματι γὰρ, καὶ ἀκοῇ ὁ δίκαιος. *Oculis, seu inspectione, & auditione: Quia iniquorum vita*, inquit Gregorius [i], *non delectando Iusti aures,atque oculos,sed feriẽdo tangebat.* Beda,quia nihil in eo videbãt,nihil audiebant de eo, nisi quod pertinebat ad iustitiam. Sequitur tamẽ etiam priorem dicendi modum, sicut & Thomas Anglicus,Carthusianus,Primaticcius, Catharin. vtrumq;:Hugo autẽ,Caietan.Gagneius, Clarius, Arius,Ioannes Benedictus, Vatabl.Adã primum. Lyranus,& Sà secundum,scilicet de vita,seu præsẽtia,& fama,& hoc singulare, *incedere posse in omnibus iustificationibus Domini sine querela* [k], *vt auris audiens beatificet,oculus vidẽs testimonium perhibeat* [l], *nec sit qui loquatur de quopiam verbum malum* [m].

i 2.Moral.c.7.
k Luc.1.6.
l Iob.29.11.
m Iudith 8.8.

Quare Deus Lot eripuerit.

Prior expositio melior: nam causa liberationis datur,quare Deus Lot eripuerit: non est autem, maximè cùm sit à Deo,per se bona de illo aliorũ opinio,sed quoniam reuera bonus erat, quamuis sæpenumero ille tamquam effectus ex hoc sequatur,& improborum quoque approbationem virtus extorqueat. Hieronymus [n],aut alius ad Demetriadem cõfert cum Noë,Lot,quòd inter tot peccãtium exempla iustitiã non reliquerit, sed inter pessimos positus mala eorum oculis auersatus sit, & auribus, atq; contra multitudinis vitia tenuerit sanctitatem: & ideo simili exemplo,vt Noë diluuio,ita hic sit ereptus incendio.

n Tom.3.epi.

Sed quia Græcè non est verbum *erat*, & ante δίκαιος est articulus, atq; tota simul sic oratio nectitur: Βλέμματι γὰρ καὶ ἀκοῇ ὁ δίκαιος ἐγκατοικῶν ἐν αὐτοῖς,&c. *Iustus enim ille oculis, & auribus inter eos versans,&c.* Vel,cùm spectando, & audiendo res, nẽpe adeo turpes,inhabitaret inter illos,ἡμέραν ἐξ ἡμέρας ψυχὴν δικαίαν ἀνόμοις ἔργοις ἐβασάνιζεν, *Quotidie animam iustam*(nimirum suam) *iniquis operibus* (illorũ scilicet)*cruciauit, vel cruciabat* ad hunc modum Clarius,Caietanus,Vatablus, Gagneius, Sà declarant.Sed lõgè facilior Interpretis cõstructio.

Hinc porrò,hoc est, ex tanta Petri commendatione probabile ducitur argumentum, sicut & ex Auctoris libri Sapientiæ [o],vt ibi quoq; vidimus, nõ peccasse Lot filias offerẽdo libidini Sodomitarum [p],vt nefãdam ab hospitibus violationẽ vitaret. Certè si nõ eo nomine laudãdus per se,vt laudare Augustinus [q] videtur,Ambrosius [r],Chrysostomus [s],B.Thomas [t],Caietanus [u],Arboreus [x]: peccatum vel excusari,vel extenuari potest, propter vehementem perturbationem, pietatem hospitalem,errorem culpa vacantem,quòd fas esset peccato leuiori grauius repẽsare: quódque ea sui demissione tãta,& hyperbolica,placandos crederet præferuidè voluptuarios: nec scelus admissuros,quia primatiis Sodomæ ciuibus iam despõsæ filiæ fuerant. Sic excusat quodammodo idem Augustinus [y],Gloss. Interlineatis [z],Lyranus [a],Abulensis [b],Lipomanus [c],Ferus [d],Soto [e], præterea Molina [f]:& priore loco Auctores citati huc saltem tendũt,vt excusent, licet vel imitationẽ prohibeant,vel doceãt,in fuga peccatorum, si malus vitari non possit, nisi minori locus detur, vt minus aut permittatur, aut etiã dissuaso prius omni peccato,minus suaderi etiam queat. Quæ sententia plures alios habet Auctores,nec improbabilis censetur. Ita quoque dissidentes super hac re conciliat opiniones Ioannes Montolanus [g],& Pererius noster [h]. Etsi verum hic dicit,patri ipsi custodi filiarum non potuisse peccatum minus esse,offerre filias violandas, quàm nefando vitio sinere hospites violari: tum præterea, quia periculum erat,ne filiæ assentirentur libidini alienæ,ob voluptatis delectationem in eo actu admixtã. Profectò aspectu, & auditu iustus, etiam ac multò magis,tactu erat,nec si turpitudinem peccati attendisset in seipsum deriuandam, vlla ratione filias inhonestè attingendas proposuisset. Quamquam nescio quo pacto eædem filiæ, si nõ animo vindictæ,quod non credo, quia se tam turpibus oblatas intellexissent costuprãdas à Patre, opinionis saltem forsitan errore sibi fas esse postea persuaserint,cum eodem patre concumbere: qua ipsa in re facilius Lot excusatur, quòd eum illæ sopitum,nec sentientem adortæ fuerint [i].

o Cap.10.
p Gen.19.7.8.
Lot non peccauit prostituendo filias.
q Cont.Mendac.cap.7.
r 1.de Abraham cap.6.
s Hom. 43. in Genes.
t Quæst. 1. de Malo art.2. ad 14.
u 2.2.q.78. art.4 & in cap.19. Genesis.
x 10. Theosophiæ cap.2.
y Quæ. 43. in Genesim.& c.9. Mendacio c.9.
z Genes.19.
Peccatum si vitari potest omnino, minus suadetur.
a ibidem.
b ibidem.
c ibidem.
d ibidem.
e 6. de Iustitia, q.1.art.5.
f de Iusto & iure,disp.35.
g In Prōpinar. verb.Lot.
h Tom. 3. in Genes. cap.19. disp.1.& 10 c.9. ad Rom.cap.3. disp.4.
i Gen.19.31.& seq.
k Hom.5.in Genes.

Quod attinet ad filias,putat Origenes [k], credidisse, incendium, quo deflagrauit Pentapolis, pertinuisse ad vniuersum orbem,& iam extincta matre ad se pertinere humani generis reparationem: saltem minus crimen iis visum, pati posteritatis humanæ spem deleri, quàm furari patris concubitum. In totum liberantur ob similẽ causam culpa ab Irenæo [l],Ambrosio [m], Chrysostomo [n] Theodoreto [o],Iosepho [p], propter ignorantiam quam dicũt inuincibilem. At inuincibilem non fuisse conuincitur, tum quia Segor ciuitas supererat,facileque prospicere licebat, alias terras extra Sodomiticam regionem, esse intactas: non ignorabant incendij causam peccatum fuisse proprium Pentapolitanis, non omnibus commune: denique de re[illegible]m grauiter sine patre cõstituerunt? Sufficit nobis Lot nunc iustitiã tueri; quam & adeo clandestinum filiarum factum magnopere commendat, cùm probè scirent id à vigilante, suíque compote impetrari non posse.

l lib.4.cap.51.
m 1 de Abraham cap.6.
Filiæ Lot non excusantur ab incestus peccato ob ignorantiam.
n Hom. 44. in Genesim.
o Quæst 69. in Genesim.
p 1.Antiquit.
q 32. Quæst. 2. cap.Inebriauerunt.

Glossa Iuris Canonici [q] docet, Lot credidisse

vxorem suam esse in coitu, nó filias, nec naturam pati, vt quis nesciēs coeat. Verùm scriptura disertè tradit prius vxorem versam in statuam salis [a]: & negat Lot quidquam sensisse, neque quando filiæ accubuerunt, neque quādo surrexerunt [b]. Hebræos Hieronymus [c] vltimum id notauit opinatos, & Rupertus [d] & historiam istam declarantes Lyranus, Abulensis, Oleaster intelligūt de accessu, & recessu: coitum tamen ipsum à sentiēte Lot peractum, sed tunc non aduertente cum qua misceretur, sed vxorem credēte, quam iam mortuam non recordabatur.

Credibilius per primam accumbendi, & postremam actionem surgendi, quas non sensit Lot, mediam quoque coeūdi comprehēsam à scriptura, excusationem Lot prodere volente. Præterea, si dormientes interdum ambulant, aliáque faciūt perinde ac si vigilarent: quid mirū & nati in coitu posse; maxime si corpus ad id applicetur ab alio? Vindicāt Lot à peccato incestus Irenæus [e], Chrysostomus [f], Ambrosius [g], Caietanus [h], Pererius [i]. Placet & mihi hæc magis opinio, quàm cōtraria, quæ indicatur ab Archidiacono [k], cui adhæresclt Montolonus [l], & est apertè S. Gregorij [m] præter Origenem [n].

Quod inebriari Lot se permisit, ęquè adhuc vel omninò excusat Chrysostomus [o], & B. Thomas [p], quos consectatur Pererius [q]: vel ex parte Theodoretus [r]: vel penitus damnat Origenes [s], Augustinus [t], Caietanus [u], Mōtolonus [x] citans Archidiaconum [y], Gulielmus Hamerus [z] præferens, damnādo præterea Lot de incestu, Xenocrati, cuius Phryne meretrix expugnare pudicitiā nequiuerit, eodem quamuis in lecto cubans cum illo.

Quidquid sit, siue de incestu, siue etiā de ebrietate, a cuius quoque reprehēsione liberari potest, iustus erat Lot, quando de Sodomis ereptus est, suáque illum inde iustitia liberauit, etsi simul etiā Abrahæ merita [a]. Nōn erat adeo quidem iustus, vt qui degebat extra pestilētem regionem Abraham: sed nec solùm comparatione cum sceleratis Sodomitis, quemadmodum innuit Augustinus [b]: neque propriè medius tātùm inter peccatores, & iustos, quo pacto loquitur Origenes [c], nondum culpam agnoscens. Appellat eum hîc scriptura, & in libro Sapientiæ [d] iustū simpliciter, & absolutè. Cyrillus quoq; Ierosolymitanus [e] ponit propriè iustum fuisse, Irenæus [f] quoque ait salutem consecutum, indicans de animæ, non corporis dumtaxat se salute loqui. Augustinus [g] nominat sanctum: Ephrem [h] viris religiosis proponit exemplum: vocat etiam [i] inculpatum, & irreprehensibilem vitam eius: proprio quoq; sermone laudat eundem Ephrem vt iustum. Climacus [k] appellat iustificatum, ac in eo quidem, quod cùm in flagitiorum medio versaretur, numquam illos penitus iudicasse deprehensus, id est, condemnasse, ac despectasse. quo exemplo Religiosos monet, ne, dum negligentiores quosque iudicant, seuerius quàm illi condemnentur [l].

Quod si, postquam euasit Lot in mōtem, peccauit, elicimus documentum planè verum, & apprimè salutare, seculares, vt annotat Gloss. Interlinearis [m], aliquando inter malos statum rectitudinis tenere: cùm verò ad altitudinem vitæ ascendunt, neglīgētiores factos peccare: nec *quælibet loca sine Dei* gratia, vt monet Gregorius [n] hoc allato exēplo, & præterea cœli, & Paradisi, *saluare animam posse*: qua de re alij præterea spiritualis vitæ magistri præcipiunt, vt Climacus [o].

Gen. 19. 26.
b Ibid. 19. 35.
c de Tradit. Hebr.
d in Gen. c. 19.
e lib. 4. c. 51.
f Hom. 44. in Gen.
g 2 de Abrah. c. 8.
h in Gen. c. 19.
i ibidem.
k Dist. 35. cap. Sexto die.
l In promptuario verb. Lot.
m lib. 6. ep. 4. & hom. 9. in Ezechiel.
Ebrietas Lot excusatur.
n Hom. 5. in Gen.
o supra.
p 2. 2. q. 150. art. 4.
q in Gen. c. 19.
r supra
s sup. hom. 5. in Gen.
t 22. cont. Faustum, c. 43.
u in Gen. 19.
x supra.
y in c. inebriauerunt, 15. q. 1.
z in c. 19. Gen.
a Gen. 19. 29.
Lot iustus non erat sicut Abraham, sua tamen iustitia liberatus est.
b q. 45. in Gen.
c hom. 5. in Genes.
d cap. 10. 6.
e Cate 25.
f lib. 4. c. 30.
g Præfat. in Psal. 69.
h Tom. 2. Parænesi 9. & 15
i ser. 3 de pœnit.
k Gradu 4.
l Luc. 6. 37. & alibi.
Sæculares aliquando rectitudinē vitæ seruant, in altiori recti decidunt.
m in Gen. 19.
n lib. 6. ep. 4. & referetur dist. 46. c. Quælibet, & H. m. 9. in Ezech. & lib. 8. ep. 45.
o Gradu 4.

Habitans apud eos, &c.] Mirabitur aliquis, quare Lot tam scelerata in ciuitate, atq; adeo flagitiosa gente longiorem trahere morā sustinuerit. Reiicit causam Chrysostomus [p] in Prouidentiam Dei, volentis illius opera, ceu medici, morbos eorum curare, tametsi præuideret inde fructum nullum prouenturum. *Nam sic,* inquit, *solet prudens medicus, qui etiamsi videat morbum grauiorem esse, quàm vt arte sua curari possit, nihil præterea de officio suo remittere, vel prætermittere, sed eò magis omnem artem suam adhibere, vt ægrum aut longo tempore reparet, aut in longum certè tempus conseruet, aut iustam habeat excusationem, quod nihil eorum omiserit, quæ ad artem munusque suum pertinebant.* Inde factum præterea, vt magis constaret Sodomitica malitia, & quàm iusto eam gentem Deus affecerit postea supplicio; itē, vt admirandæ liberationis Lot aptior occasio existeret: denique hac, vt ante dixi, ratione, conspectior euasit innocentia, & pudicitia, vitæque sinceritas, quam non ineptè designatā possis asserere conuiuio ex azymis, quo hospites Angelos excepit [q]: qui panis est nullo fermento vitiatus, in quo Paulus [r] *epulari nos iubet,* appellans *Azyma sinceritatis & veritatis.*

Animam iusti iniquis operibus cruciabant.] Verbum Græcum *ἐβασάνιζεν* numeri singularis; & quia, vt prius notaui, non est in eodem textu Græco (iustus erat) sed absque substantiuo verbo, *ὁ δίκαιος*, denotat non Sodomitas, sed ipsummet Lot, qui animā suam quotidie cruciauerit iniquis operibus Sodomitarum, id est, propter iniqua, & impudica opera illorum, cum nihil monendo, hortando, reprehendendo, rogando proficeret.

Non inuerisimile, desidere solitum Lot in foribus ciuitatis [s] vsque ad vesperam, non solùm vt hospitalitati daret operam, sed ne sineret viatores tanti sceleris ignaros, in laqueos incidere hominum turpissimorum. Cùm verò ius hospitalitatis obtenderet contra violentam libidinem, dixerunt Sodomitæ: *Recede illuc:* & rursus: *Ingressus es,* inquiūt, *vt aduena, numquid vt iudices? te ergo ipsum magis quam hos, affligemus* [t]. Talia non semel apud pudicum hominem ab inhonestissimis audisse verba, credere par est.

Vtrumuis quod ad rem quidem ipsam spectat, dici potest, vel cruciatam à Sodomitis animam iustam Lot, vel hunc se ipsum cruciasse. Hoc secundum elegit Interpres, & melius quidem, quia durior phrasis est cruciare seipsum malis operibus aliorum, mollior, faciliórque cruciare alium.

Placet Gagneij coniectura, legisse Interpretem, *ἐβασάνιζον* in plurali: casus autē rectos *ὁ δίκαιος*, & *ἐγκατοικῶν* pro Genitiuis absolutis sumi, vt sit sēsus: Cùm enim casto auditu, atque aspectu esset, cùm iustus, & habitans apud Sodomitas, iniquis operibus suis iustam illius animam cruciabant. *Neque enim & Lot ille sanctus,* ait Augustinus [u], *in Sodomis ab aliquo corporalem persecutionem patiebatur, aut dictum illi erat, vt non ibi habitaret: persecutio eius facta mala Sodomitarum erant.* Inde probat grauius væ esse à scandalis, & peiores esse persecutiones tantorum scandalorum, quàm Tyrannorum corpora trucidantium.

Vers. 9.] Nouit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos.

VEl suspensæ orationi in versu quarto, vsque ad istum aliquid supplendum est, nempe *si Angelis peccantibus non pepercit Deus; nec degentibus*

Cur Lot in ciuitate tam praua habitare diutius voluerit.
p hom. 43 in Gen.
q Gen. 19. 3.
r 1. Cor. 5. 8.
s Gen. 19. 1.
t Ibidem 9.
u Præfat. in Ps. 69.
Quomodo supplendus hic quo appareat verborum defectus.

improbis etate Noe, nec aliis apud quos Lot erat, nec partes pseudoprophetis, atque mendacibus magistris, nec eorum sectatoribus. Vel absque supplemēto vis rationis eliciti illis noo parcēdo simul seruaut paucos, cum iis permistos iustos, vt Noe, Lotque, vtiq; nouit Dominus pios de tentatione eripere, ficut & impios cruciare, præstituto saltem tēpore. Oecumenius de vtroque admonet, pōstq; ipsum Beda, & alij. Hyginus Papa [a] totū hunc fuse citans locum, post illa verba, *(exemplum eorū qui impie acturi sunt, ponēs)*. efert: hæc alia; *Quid putatis in quos, & perseuerans biss in nequitia eorum erit?* Quę cùm apud nullum alium reperiantur, videntur explicationis causa prioribus adiecta.

Nouit Dominus pios de tentatione eripere.] Græcè multitudinis numero ix πειρασμῶν ῥύεσθαι ponuntur. Qui nouit, potest simul, vult q̃. Nō deest Deo, quo suos liberet modus, & puniat aduersarios: eidē suppetit facultas præstand; voluntatem rectam habet, ac amantem iustiti differt, non aufest Interim sustentāt se iusti certa spe: improbi, quamuis ad tempus dissimulet Deus, certi sunt se euadere non posse. Nec miserationis Domini tempus constituere debemus, *& in arbitrium nostrum diem constituere ei, nec vindictæ* [b]. Dicendum Domino, *vt secundum voluntatem suam faciat nobiscum m sericordiā suam* [c], *& expectanda nobis humiliter consolatio eius, quoniam exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum* [d] *& retribuet abundanter facientibus superbiam* [e], *quis adiutor est in opportunitatibus in tribulatione* [f].

Per pios intelligit Noe, & Lot His illud cōuenit [g]. *Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: & cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Nā prior ex aquis [h], posterior ereptos est ex igne [i]. Omitto alia exempla liberati de Vr Chaldæorū Abraham [k], Iacob de fratre Esau [l], Ioseph de cisterna [m], & carcere [n], trium puerorum de fornace [o]: Danielis de leonibus [p]: Susānæ de infami morte: Dauid de Saul [q], & Absalon [r]. Inde verò forsitan, hoc est, ex duplici liberatione de aqua, & igne paræmia illa manauit *transire per ignem, & aquam* [s]. Possunt & Angeli sancti censeri erepti de tentatione, cui per gratiā Dei peccando non consenserunt, sicut mali quos Lucifer tentasse prouocando, ac suadēdo dicitur.

Attamen videtur tētationis hoc loco vox, sicut & alibi sæpius, accipi pro tribulatione, vexatione, aduersitate, periculo externo, quo Deus fidē suorū patientiāmve tentat, & probat. Hoc pacto plagæ Ægypti tentationes appellatæ sunt [u], & caecitas Tobiæ [x]. Quin etiā Christus suas nominaum tentationes, *in quibus permansissent cum eo Discipuli* [y], *sic et puendum se Dauid a tentatione in Deo sperabat* [z]. Aliquando vocatur cum addito tentatio tribulationis [a]. In isto sensu nō ita propriè Angelos ereptos de tentatione diceremus. Ostendit Deus suis tribulationes multas & malas, & ed conuersus viuificat, & de abyssis reducit [b]: itafat ad salutionem [c], mortificat, sed viuificat etiam [d].

Iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos.] Tunc maximè quidem cruciabuntur in corpore, qui tanto ante in anima cruciantur post mortem in inferno: sed adhuc superstites quoque nō nunquam vindicem hic experiūtur Deum, vt Cain [e], qui diluuio deleti sunt [f], Sodomitæ [g], Pharao [h], Nabuchodonosor [i], Antiochus [k], Herodes, ac alij. Nolo frustra laborare in re adeo manifesta probanda infernum esse, quem negare non sunt veriti Hæretici nōnulli, quos memorat Prateol. [l]

Ille proprius magis error est præsentis, pœnas afferri non percipiante iudicij diem vniuersalis. Græcis hunc Guido Carmelita tribuit æquè, vt consequenter loquantur, negantibus peccatores ante id tempus æternam pœnam luere, vt iustis communicari beatitudinem. Atqui pari fide credi verumque debet. Iustos æterna iā essentiali felicitate potiri, malos puniri supplicio sēpiterno. Immo ex historia de Diuite, quam refert Christus [m] in locum iam tormētorum constituto, atq; in flammis, magis euidēs argumētum ducitur, quam pro possessione beatifica, de qua iuxta Decretum Florentini Concilij non licet amplius nunc dubitare. Gregorius [n] autem argumentum hoc facit: *Si esse sanctorum animas in cœlo, sacri eloquij satisfactione credidisti, oportet vt per omnia esse credas, & iniquorum animas in inferno: quia ex retributione æterna iustitiæ, ex qua Iusti iam gloriantur, necesse est per omnia, vt & iniusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.* Vtitur præterea [o] ratione illa ex diuitis cruciatu. Dum ergo ait peccatorem diuitem damnatum, veritas in ignem perhibet, quisnam sapiēs reproborū animas teneri ign bus negett Quocirca reseruari cruciandus iniquos in diem Iudicij, nō est interim pœnas non pēdere, sed expectare grauiora tormenta corpore recepto, vt Beda loquitur: non tamen esse essentialiter maiora, sed accidentaliter solùm. Atque hæc de re philosophandum eodem modo, quo supra [p] vidimus, Angelos malos reseruatos etiam in iudicium ad cruciatum, ac sine cunctatione sentiendum nec damnationis, nec felicitatis essentialem statū immutari ab eo, quo cœpit initio suo.

Vers. 10.] Magis autem eos, qui post carnem, in concupiscētia immunditiæ ambulant, dominationemq; contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes.

Iniquos reseruatos ad cruciatū in Iudiciū docet prætertim esse, quos iā antea nominauerat in principio capitis, magistros mēdaces videlicet Hæreticos Eosdē adhuc describit magis, vt ostendat nihilo meliores, verùm deteriores etiam esse illis, quibus docuit Deum nō peperciffe: singula crimina hic posita exponamus. Tanti refert tales probè nosse, detegere, insectari, illis non parcere, exemplo Christi [q], Eliæ [r], Esaiæ [s], Ieremiæ [t], Ezechielis [u], aliorum prophetarum, nec non Patrum nostrorum; ex quibus Hieronymus [x] aliquoties profitetur se talibus parcere, tales recipere non posse, sed omni studio agere, vt sui sint hostes, qui sunt Ecclesiæ.

Magis autem.] Μάλιστα, Maximè. Interpres comparatione comparatiuo aduerbio melius expressit. Hieronymus [y] legit, (Præcipuè) Lyranus colligit hinc peccatum Hæreticorū grauius esse peccato eorū, qui perierūt aut in diluuio, aut in Pentapoli, quia ex genere suo hæresis peccato carnali deterior est; ideoque infert in inferno maiorē esse pœnam. Ait idē, probabiliter inferri, comparādo eorum peccato Dæmonum, saltem, si loquamur de multis illorum, sicut & ex hominibus assumētur multi, ad Ordines Angelorum sanctorum. Sed incerta ratiocinatio, quoniam vix credi potest, vllum Angelum esse, qui non habeat maiorem gratiam, & gloriam, quam anima infantis mortui cū baptismo, nisi quis recurrat ad vim sacramēti, & institutio

Margin notes:

a epist. 8.

Nouit Deus pios ex tentationibus eripere.

b Iudith 8. 13. c Ibid. 17. d Ibid. 20. e Psal. 30. 24. f Psal. 9. 10.

g Esa. 43. 2. Exempla eorum qui mirabiliter a Deo liberati sunt. h Gen. 7. 1. & seq. i cap. 19. 17. k Gen. 11. 31. Iudith 5. 6. l Gen. 27. & 32. m Gen. 37. 28. n cap. 41. 14. o Dan. 3. 49. p ibid. 6. 22. & 14. 38. q Dan. 13. 62. r 1 Reg. 18. & alibi. s 2 Reg. 18. 19. & seq. t Psal. 65. 12. Tentatio hoc pro tribulatione sumitur. u Deut. 7. 19. x Tob. 2. 12. 13. y Luc. 22. 28. z Psal. 17. 30. a Eccl. 47. 6.

b Psal. 70. 20. c Tob. 11. 17. d 1 Reg. 2. 6. e Gen. 4. 11. f ibid. 7. & seq. g Gen. 19. 24. h Exod. 14. i Dan. 4. k 2 Mach. 9. 5. l Act. 12. 23.

Pœnas improborum non percipi ante diem iudicij, error est haereticorum.

m Lucæ 16. 19. & que in fine capitis. n 4 Dial. c. 28. Ex beatitudine & miseria æterna statum post hanc vitam animarum.

o cap. 29.

p vers. 4.

q Matth. 23. & alibi. r 3 Reg. 18. 40. & seq. s cap. 28. 14. & seqq. t cap. 28. 15. & seqq. u cap. 9. & seq. x Præf. Dial. cont. Pelag. & Apolog. 3. in Ruffin. Peccatum hæreticorum grauius, quam eorum qui perierunt in diluuio. y 1 con. Iouin. Hæresis peccato carnali deterior est.

institutionem Dei, vel quia, iuxta doctrinã B. Thomę, habuit rationem Deus naturalis perfectionis, in dãdis cuique Angelo donis gratiæ: quod in homine non fit, qui est in õmnibus eiusdem naturę atomæ. Sed qui animas substantiali perfectione differentes faciunt, eodẽ ne modo philosophãtur?

Qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulãt. Τοὺς ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευομένους. Est μιασμὸς pollutio. Hebraismũ notat Vatabl. exponens; in concupiscẽtia pollutionis carnẽ sequi esse, ob pollutum desiderium. Hieronymus [a] ita recitat, *eos qui post carnem in desideriis pollutionis ambulant*, id est, pollutis. Aliquot Græci codices [b] habent ἐν ἐπιθυμίαις. Satis actum antea de impudicitia veterum, & recentium Hæreticorum, *ex quibus difficile esse repertu, qui diligat castitatem*, scripsisse Hieronymum [c] retulimus. Oecumenius nominat hic Nicolaitas, Gnosticos, siue Naasenos (hos recenset etiam Theodoretus [d],) Ceidonianos, Marcionitas. De antiquioribus meminit quoque Clemens [e].

a supra.
b apud Rob. Steph.
Hæreticorum qui diligat castitatem difficile est inuenire.
c in c. 9. Oseæ.
d lib. 3. de fab. Hæret.
e 6. constit. c. 8. & 10.

Ambulare post carnem: est eam sequi, vitámq; iuxta præscriptum ipsius exigere. Obiiciebãt Pharisæi, & Scribæ Christo [f], *quòd Discipuli eius non ambularent iuxta traditionem seniorum.* Ibi est verbũ περιπατεῖν, sæpè Paulus [g] reprehendit ambulantes secundum carnem: & præcipit vt *spiritu ambulemus, quia sic desideria carnis non perficiemus* [h].

f Matt. 7. 5.
g Rom. 8. 4. 2. Cor. 10. 2.
h Gal. 5. 16.

Dominationémq; cõtemnunt.] Καὶ κυριότητας καταφρονοῦντας. Hieronymus [i]: *Et dominationes despiciunt.* Iudas in Epistola * iisdẽ coloribus exprimẽs Hæreticos scribit: *Hi carnem quidem maculant, dominationem autẽ spernunt*, κυριότητα δὲ ἀθετοῦσι. Interpres in textu Petri legit κυριότητος in singulari: quo pacto extant nunc in bene correctis libris Roberti Stephani, Aldi, &c. Sed Hieronymus numerum legit pluralem, qui est in Bibliis Complutensibus & Regiis, sicut fraternitas fratres, ita dominos dominatio designat, ὡς ἀρχάς, καὶ κυριότητας, quem dicimus in genere *magistratum, aut principatum.* Intelligitur autem superior potestas, dignitásq; tum politica, tũ Ecclesiastica. Vulgò abstracto nomine honoris causa dominationem vsurpamus pro domino, & comparare vult Apostolus vterque cum pseudoprophetis Hebræorum, Hęreticos. Nam quemadmodum Core, Dathan, & Abirõ, vt Irenæus [k] notat, restiterũt Moysi, & Aaroni [l], ac deinceps aliis Pontificibus, Regibúsque; sic isti seditiones ac turbas concitant contra Magistratus ex vtroque ordine. Comparat idem Pater [m] eosdem cum Ieroboam, qui regnum Hebræorum discidit [n]. Quin ipsa in re similes sunt Apostatis Angelis, *quos non seruauisse principatum suum*, vt loquitur Iudas [o], hoc accipi sensu potest, quia defecerũt per superbiam, à Principis sui Dei debita subiectione: aut si cui placet Michaelem omnino primũ ex Angelis esse, & nõ Luciferum, quoniam bellum concitauerunt in cœlo aduersus illum [p]. Posset adhuc κυριότης, & dominatio significare supremam Christi dominationem, atque auctoritatem *super omnem principatum, potestatem, virtutem, & nomen, quod nominatur siue in hoc seculo, siue in futuro* [q].

i cont. Iouin. c.
* vers. 8.
Hæretici similes Hebræorũ pseudoprophetis.
k lib. 4. c. 43.
l Num. 16. 2. & seqq.
m ibidem.
n 3. Reg. 12. 16. & seqq.
o epist. vers. 8.
p Apoc. 12. 7. & seqq.
q Ephes. 1. 20.

Glossa Interlinearis hoc loco, & in epistola Iudæ Ordinaria, & Lyranus de Christo interpretantur, *qui regum Rex est, Dominusq; dominantium* [r], sic duobus in locis Hugo, Carthusianus in isto, & Thomas Anglicus, vnus Angelorum ordo dictus Dominationum, non facit ad rem.

r Apoc. 19. 16. & alibi.

Omnis ferè hęresis, & initio, & deinceps Christum impugnauit: omnisque Hæreticus Antichristus à Ioanne [s] meritò nominatur. Aduersus diuinitatis ipsius Maiestatem Titanes hi superbissimi decertãt, vt iure quoque Atheos appellare possis: Dei Matrem, sanctosque omni dedecore, ac probro lacerant.

Omnis hæresis Christum impugnauit.
s 1. Epist. 2. 19. 22. cap. 4. 23. 2 epist. 1. 7.

Sed quod attinet ad peruicacem, atque seditiosam inobedientiam, & perduellionem Hæreticorum, qui veterum repetit memoria temporum historias, quique præsentem cõsiderat statum rerum, profectò intelligit verissimam hanc notam esse, quam Petrus, ac Iudas expresserunt. Bella, cædes, furores istorũ testantur omnes historiæ. Paulus [t] item hoc illis attribuit epithetum inter alia, cùm vocat inobediẽtes ἀνυποτάκτους *non subordinatos*, ordinem non recipiẽtes à Deo positum superiorum, & inferiorum. Dictum etiam hac de re in epistola priore [u], ostensumque, Apostolos, & in posterum alios, diligenter à Christiana religione remouere studuisse perniciosissimam calumniam quòd sectatores suos liberos redderet a Magistratuum obedientia: simul tamen demonstratũ personarum Ecclesiasticarum quàm sit ęqua, diuinóque iuri cõsentanea immunitas à laico, ciuilique magistratu. Cyprianus [x] docet *non aliunde hæreses obortas, aut nata schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Simon tamen magus assentabatur Neroni vsque ad adorationem. Substituebant alij Christi loco angelos mediatores, quam religionem angelorum a Paulo [y] vocari volunt. Quidam suis de mundi creatione gubernationéque fabulis, Dei vniuersalem dominationem euertebant.

t Tit. 1. 10.
u cap. 2. & c. 5.
Hæresum vnde origo.
x ep. 55. & lib. de vnit. Eccl.
y Coloss. 2. 18.

Audaces.] Τολμηταί nimirum οἱ εἰσι, *qui sunt*, vt supplendum Oecumenius monet, cùm quæ præcesserunt, fuerint in accusatiuo casu. Sunt verò audaces in affirmando, & negando, & quidlibet aliud excogitando, & sentiendo etiam de Deo, aut quiduis faciendo summa quadã, maximéque præcipiti temeritate: in vsurpãdis primis, ac diuinis etiam sibi titulis: in prodigiosa pollicitatione rerum impossibilium: in contemptu cæterorum quorumlibet sanctissimorum, doctissimorum, summáque dignitate, ac potentia præditorum: in aggressione operum mirificorum supra naturæ cursum, viréique: in perpetratione criminũ turpissimorum, & perniciosissimorum: in factionum, seditionum, bellorum cõcitatione & prosecutione: in vindicanda sibi absque vllius vel hominis, vel Diaboli, vel Dei ipsius effræni libertate, ac spe impunitatis: in singulari, & omnino præfracta impudentia: in conuitiis, maledictis, blasphemiis contra omne hominum genus, contra Sanctos, contra Christum, Deúmque: in propriæ doctrinæ profanæ, ac Sacrę iactantia intolerabili supra quoslibet excepto nullo; in aliorum scriptis, sententiis, dictis, factis, legibus, gubernãdi ratione, & alia quauis re diiudicanda, carpenda, ac damnanda. Quid opus exemplis? Attingit hoc loco nõnulla Feuardent. maximè Caluinianorũ, & Lutheranorum. Versatus in historia vel leuissimè, parcet quod referre hîc plura pepercerim.

Audaces quot & quantis de causis dicantur hæretici.

Sibi placentes.] Αὐθάδεις. Hieronymus [z], *procaces*: Vatablus & Adamus post Erasmum, *Præfracti, suique cupidi, ac sensus*: Caietanus *Contumaces*: Clarius *impudentes*: Gagneius *pertinaces*, qui non possunt à proposito abduci. Catharinus *proterui*, suóque tantùm temerario consilio se gerentes. Qui sibi placent, séque nimis amãt, φίλαυτοι, tenaces, propriæ sententiæ sunt. *Erunt homines* (ait Paulus [a]) *se ipsos*

z 2. cont. Iouin.
a 2. Tim. 3. 2.

amantes, φίλαυτοι. Oecumenius αὐθάδεις exponit τὰ ἑαυτοῖς ἀρέσκον μεταδιώκοντας: *Quod ipsis placet persequentes.* Interpres noster in epistola ad Titum [a] vertit αὐθάδη *superbum*, vbi Syrus לא יהוא מהדבר ברעין נפשה *lo iehene methdabbar berehiuan naphsceh. Non ductum in voluntate animæ suæ*, id est, propria. Videri potest Irenæus [b] huc respexisse, cùm Hæreticos cognominat *simul mala sentētia*, quasi scindentes, elatos, sibi placentes.

Placet mihi Interpres, nec suspicari Gagneium oportet, legisse leniter αὐθάδεις. Nā licet ἄδω placeo est, & Hesychius explicat αὐθάδης quasi dicas αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ, *idem in seipso*, tamen & alius [c] Ionice videtur idem esse cum leni littera αὐτάδης, & cum aspirata αὐθάδης. Hesychius hæc synonyma facit αὐθάδεις, ὑπερήφανος (qui est *superbus*) θυμώδεις, *animosus*, iracundos, præceps, παράνομος (exlex, præuaricator) αὐτάρεσκος *sibi placēs*, ἰξ.. *suris, vel domini proprij.* Hęc aptè cuncta congruunt proposito. Porrò si, *qui placent hominibus, confunduntur:* [d] nec *esse Christi serui possunt* [e], *nisi placeant in bonum* [f]; proculdubio & illi, qui sibi tantùm ipsis placere student. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt* [g], & qui fide carent [h]. Sed qui seruit Christo, placet Deo, *& probatus est hominibus* [i]. Similes Iudęis Hęretici, ac in isto etiam deteriores, de quibus affirmanit Paulus, quod *Deo non placent, omnibus hominibus aduersantur, prohibent aliorum salutem, implent peccata sua semper* [k].

Sectas non metuunt introducere blasphemantes.] Δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες. Interpres addidit *introducere.* Pagninus: *Dignitates non horrent, blasphemantes.* Erasmus, *Qui gloria præcellentes viros non verentur contumeliis incessere.* Sequitur eandem expositionem Adamus. Clarius, Catharinus, Gagneius, Salmeron, Fenardentius, Asel, qui negat nos alligatos Interpreti, præterea Turrianus [l]; qui *glorias, siue splendores* vertens, intelligit Angelos. Itē Georgius [m] Vossius scholiastes Ephrē, qui citat Biblia Gothica, in quibus legitur *Maiestatem non metuūt*, vel *maiestates*, vt & in epistola Iudæ legimus [n]. Confirmat Erasmus ex voce simili κυριότης, quæ paulò antè præcessit, & minus quid valet, quàm δόξα, vtpote conueniens cuiuis hero, cùm hæc alia Principi duntaxat, contra quem dicitur crimē læsæ maiestatis. Probat præterea quia Iudas [o] transcribēs hunc locum, vbi Latinè legimus: *Maiestatem autem blasphemant*: Græcè scripsit: Δόξας δὲ βλασφημοῦσι. Vult denique totum hūc locum esse de præfractis, & intractabilibus, qui non obtemperant Præfectis suis & Episcopis: nec timent prosequi dete maledictis gloria, & maiestate præditos viros. *Credemus*, inquit Asel, *Iudæ magis, quam Interpreti.* Ego vtrique credi debere contendo, & Iudæ, prout eum exposuit Interpres, & Interpreti Petri mentem hîc quoque bene assecuto.

Nomen τῆς δόξας sectam significare, siue opinionem (quæ cùm fixa & obstinata est, sectam gignit) nullus negat, nō gloriam duntaxat, vel maiestatem. Cur apud Iudam Interpres posteriorem, hoc loco priorem sequi notionem voluerit, pius enarrator, lectórque reiciet causam in auctorem, & largitorem *doni interpretationis sermonum* Deum [p]: & studebit pro virili auctoritatem Interpretis tueri. Nec ad hoc refert, siue Iudas Petrum transcripserit, siue non, cùm eadem apud ambos esse homonymia possit. Immò cum disparatam in illis Interpres reddat sententiam, argumentabimur diuersam quoque duos Apostolos intendisse. Postremò Oecumenij, quem sequuntur Auctores citati, quam Latinos, non me mouet auctoritas, cui præferre potius Interpretē debeo, approbatū ab Ecclesia, & in pari causa Latinos magis, quā Græcos Latinus debeo cōplecti.

Itaq; significare voluit Petrus maxima dissidia Hæreticorum inter se, in hoc solo cōspirātium, vt discessionem, schismáque faciant aduersus Ecclesiam, & orthodoxam doctrinam: blasphemando, ac recriminādo, quæ traduntur ab ista: suas cōtra propositiones venditando velut δόξας, hoc est, secundum aliam istius notionē vocabuli, fixas sententias, & axiomata, & consequenter sectas propriásve scholas constituendo: tametsi nomen hoc Græcum non memini vsurpatum in ista significatione.

Caietanus, Sà, Arias, qui solent alioqui Græcū textum attendere, non recedunt ab editione Latina. Caietanus pro sectis opiniones accipit, declarans hîc dici, quod has Hæretici quātūcumque blasphemas, non metuunt inducere, seu sequi. Arias quod communes de vita cùm priuata, tum publica sententias certas, atque ratione certa receptas ipsi contemnunt, & vilipendunt: immò damnant etiam, néque non aliorum communibus iudiciis alligari, tenerique contendunt. Verùm communior, simplicior, verior sensus, quem attuli de separatione per variam, & discrepantem doctrinam cum blasphema reprehensione eius, quæ sola vera est.

Vers. 11.] Vbi angeli fortitudinę, & virtute cùm sint maiores, non portāt aduersum se execrabile iudicium.

EX his verbis occasionem sumpserūt, qui proxime declarata verba interpretati sūt de blasphemia cōtra dignitate præditos, ac potissimum Angelos. Nihilominus vis argumēti consistit retento magis communi Latinorum, de quo dixi sensu. Nam eò grauior perspicitur Hæreticorum blasphemia cōtra tàm exploratam veritatē, quòd nec Angeli ipsi secundum naturā superiores nobis, execrari audent quodammodo malos Angelos, execratione tamen dignos, prout Iudas [q] quoque de Michaele scripsit, *in altercatione super Mosis corpore non esse ausum inferre Satanæ iudicium blasphemiæ, sed dixisse, Imperet tibi Dominus.* Hic primus fatis communis sensus, vt Clarij, Gagneij, Adami, Salmeronis, Sà, Asel, qui Oecumeniū sequuntur, necnon Turrianus [r]; & fauet hoc loco Didymus exponens de Angelis sanctis. Glossæ, Lyranus, Hugo, Carthusianus, Titelmanus, Caietanus, Catharinus, Thomas Anglicus, Feuardentius, & iterum Sà, Primasius: præterea Genebrardus [s] declarant valdè grauia fore tormenta Hæreticorum; cùm Dæmones ipsi, qui perferre facilius possunt ob naturæ præstantiam quàm homines, vt onus importabile illa sustinere videantur, ac execrari. Cōfirmat Genebrardus hinc hyperbolicam aliam Psalmi phrasim [t]: *In miseriis non subsistent*: quia tam acerbum supplicium patientur, ita vt videantur ferre non posse.

Tertium sensum innuūt Hugo, Thomas, Glossa Ordinaria, si angeli mali propter enumerata peccata, quæ suggerunt, non faciunt, verbi gratia id, quod est luxuriæ, &c. tam atroci & importabili vexantur modo, multò magis homines qui facto perpetrant. Quartus apud Glossam Ordinariam, & Hugonem, Dæmones non portant iudicium aduersum se, id est, non audent, nec præsumunt se erigere contra Deum, pressi mole pœ-

[a] cap. 1. 7.
[b] lib. 4. cap. [illegible]
[c] Auctor Thesauri Græc.
[d] Psal. 52. 6.
[e] Gal. 1. 10.
[f] Rom. 15. 2. 1. Cor. 10. 33.
[g] Rom. 8. 8.
[h] Heb. 11. 6.
[i] Rom. 14. 18.
Hæretici similes Iudæis.
[k] 1. Thes. 2. 15.
[l] 2. de Hierar. ordin. c. 9.
[m] tom. 2. Ephr. in Paræne. 43.
[n] vers. 8.
[o] ibidem.
Δόξα sectam & opinionem significat.
[p] 1. Cor. 12. 28.
Hæreticorum maxima sunt inter se dissidia.
Angeli boni non audent execrari malos.
[q] vers. 9.
[r] 2. de Hierar. ordin. cap. 9.
[s] in Psal. 139. 12.
[t] Psal. 139. 11.

narum, sicut præsumebant ante lapsum. Meminit adhuc eadē Glossa, & Hugo quinti de bonis Angelis, quòd nō portant iudiciū aduersus se, quamuis aliquando aduersus alios, infligentes aliis iussu Dei. Feuardentius meminit de sexto, qui est etiam Gagneij, nec cacodæmonas audere de potestatibus ab ipso Deo in ædificationem Ecclesiæ, omniúmque hominum constitutis, blasphemare: immò etiam cogi subesse, vt in exorcismis cernitur, & in tribunalibus quoque magistratus Politici. Septimom quoque idem Feuardentius affert omninò priori similem, sed de bonis Angelis, qui erga perniciosos Ethnicos Principes, & infestos pietati sic se gerāt, vt reuerenter vtificantur, non execrari, prodesse, non obesse, vt apparuit in Angelis Græcorum, Persarum, Hebræorum, de quibus Daniel. Octauus est Ariæ Montani: Angelos malos, etiamsi a Dei obloquio deterruerint, tamen Dei sentētias, & illa prima virtutis, ac pietatis capita, & præcepta minimè refellere audere: quæ nihilominùs Hæretici, & orationibus, & actionibus refellant, & contemnant. Nono: Clarius arbitratur meliùs intelligi Angelos, qui naturâ fortiores sunt ad perferendos tartareos cruciatus: tamen metu diuinæ in eos sententiæ, vereri quidquam proferre blasphemum in Deum. Hæreticos perditè in Deum peccare. Vbi per Angelos, bonos intelligere videtur.

Optimum iudico primùm sensum, & omninò de Angelis bonis arbitror esse sermonem: quia, vt alias meminii me notasse, per se positum Angelorum nomen bonos designat. Similitudo cum Iudæ de Michaele sententia, vim apud me magnam habet. Quid autem sit portare aduersum se iudicium, & si qua difficultas alia sit, explicabitur mox in singularum partium enucleatione.

Interim retorqueri locus hic potest in audaciā intolerabilem tùm hæreticorum adeo multa blaterantium, & blasphemantiū de Deo, de Deipara, de Sanctis, de Doctoribus Ecclesię, de Magistratu Ecclesiastico, & Politico. Prætermissis vetustis illis Simone[b], Elyma[c], Ebione, Cerintho, Marcione, &c. qui tot calūniarum, & iniuriarū plaustra in Apóstolos ipsos coniecerunt. Exempli causa Lutherus, quod attinet ad homines, nō dubitauit Reges appellare *lendes capitis sui: Parisiensē m a. ademiam Sodomam: Louaniensem Gomorrham: sedem Romanam regnum Antichristi:* Episcopos, *& Sacerdotes capita rasa, ac eleata: B. Thomam vnum de septē parietis ira Dei.* Conuitia Caluinianorum in Reges, Principésque continet liber Gallicus, cui titulus *Excitatorium matutinū.* De blasphemiis contra Deum, Sanctos, sacra sola librorum, quos composuerūt, lectio docebit, aut eorum, qui refellunt illo. Hic liceat exclamare verbis Esaiæ[d] secundum editionem LXX. *Super quem exultastis? super quem aperuistis os? super quem protulistis linguam? nonne vos estis filij perditionis, semen vile?* In editione nostra est hoc modo: *Vos autem accedite huc filij auguratricis, semen adulteri, & fornicarij. Super quem insistis? super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? numquid non vos filij sceleris, semen mendax?*

Vbi.] ὅπου Aut locum, quem propriè significat, inferni scilicet aliúmve denotat, in quo Angeli mali puniuntur: aut vim causæ habet, nempe pro quibus peccatis, quæ priùs erant numerata, & ab hominibus fiunt, suadentur à Dæmonibos: aut idem est atque cùm, quando, postquam &c. videlicet cùm Angeli non ferunt, &c. Hæc, vt alias præteream acceptiones, postrema melior iuxta sensum, quem secuti sumus. Est etiam in vsu ista eadem dictio tum Græca, tum Latina apud alios Auctores.

Angeli.] Cùm hoc vocabulum sumatur absolutè pro bonis, vt alibi docui, nec sit hic quidquam vnde restringatur ad malos, improbabiliores redduntur allatæ de Dæmonibus præsentis loci expositiones.

Fortitudine, & virtute cùm sint maiores.] Ἰσχύϊ, καὶ δυνάμει μείζονες ὄντες. Synonymæ voces videntur ἰσχὺς, & δύναμις, nec prior propriè respectum dicit intrinsecum ad vim operandi, posterior extrinsecum ad tolerandum illatas pœnas: prior ad resistendum peccato, posterior ad faciendum bonum (notat hæc Thomas Anglicus & Hugo) prior (Carthusianus id docet) ad naturam ipsam; posterior ad potentiam. Probatur ex isto loco Angelos esse, & quidem secundum naturam humana perfectiores: quod Didymus hic ex instituto confirmat, allato Christi testimonio[e], *quod minor in regno cæli, is maior est Ioanne Baptista*, & exemplo Angeli, qui velut in momento interfecit centū octoginta quinque millia Assyriorum[f]. Sed illud testimonium alias habet expositiones, videtúrque potiùs comparatio esse secūdum statum felicitatis, qua fruuntur Angeli, alii ve, & secundū statum præsentis vitæ. Hic autem per se habetur ratio de viribus, & perfectione naturali. De Diabolo, cui sua remansit integra natura post peccatum, interpretantur multi Iob[g]: *Nō est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret.* Alij de animali, cui à potentia, & feroci plurium ferarum nomen *Behemoth.* Idem apertius probant verba Psalmi[h]: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis:* quem locum Paulus[i] citat de Christo secundum Humanitatem. Præterea idem efficitur ex aliis locis, in quibus fit hominis comparatio cum Angelo tamquam cum re præstantiore, vt hominis declaretur singularis aliqua prærogatiua[k]: Patres de hoc non dubitant: afferunt verò maximè Dionysius[l], Nazianzenus[m], Cyprianus[n], Gregorius[o].

Nō portant aduersum se execrabile iudicium.] Complutenses, Regiique codices, & alij addunt *a Domino; idest ferunt se a Domino*, οὐ φέρουσι κατ' αὐτῶν παρὰ Κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν. *Non ferunt aduersus se apud Dominum blasphemum iudicium.* Quidam legunt καθ' ἑαυτῶν *contra seipsos.* Alij παρὰ Κυρίου, à Domino. Si retineatur καθ' ἑαυτῶν, tolletur æquiuocatio pronominis αὐτῶν, & reciprocè recipietur, nec ad alios referetur. Tūc iuxta sensum nostrū dicentur Angeli boni *nō portare aduersum seipsos* (vertit Erasmus, *sese*) iudiciū blasphemum, id est, nolle meritò iudicari, & dānari, quod blasphemauerint malos: nolle hāc in se blasphemię notā permittere. Quòd si sumamos *se* vt de aliis, quamuis non ita Latinè, interdū tamen dicitur, non portant Angeli boni aduersum se, id est, alios iudiciū blasphemum, hoc est, nolunt malos Angelos blasphemare, & blasphemando iudicare, atque damnare: non ferunt, non sustinent, non patiuntur, non tolerant, non admittunt hoc, vt nempe blasphement, &c.

Execrabile iudiciū.] βλάσφημον κρίσιν. Docet profectò Epithetum Græcū nō dici execrabile iudiciū, pœnam ipsam damnationis, quam execrētur, qui tolerant Angeli mali, aut quę inflicta sit pro peccato, *quod Deo, ac hominibus est odibile*[p], aut quæ inopinabilis ac superans opinionem nostram: sed execrabile iudicium siue blasphemum significat voces blasphemas, quibus boni Angelos malos

Angeli sunt natura humana perfectiores.

c Matth. 11.

f 4. Reg. 19. 35.

De diabolo etiam post lapsum est humana potentior.

g cap. 41. 24.

h Psalm. 8. 6. Heb. 2. 7.

k 1 Reg. 29. 9. ... cap. 16. 19. Esth. 15. 16. 19. Matth. 22. 30. Act. 6. 15. Galat. 4. 14.

l De cœl. hier. cap. 4.

o Hom. 34. in Euang.

p Sap. 14. 9.

nomina

nominare vereãtur, aut quarum vsurpatione nolint ipsimet se cõtaminare seu videri se cõtaminari. Ex his duobus melius primum, & à Iuda[a] magis clare expressum, quando scribit de Michaële, vt iam non semel meminimus; *non est ausus iudiciũ inferre blasphemiæ: ἐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας.* Blasphemia tametsi magis sæpè contra Deum est, tamen etiam est contra alios[b], vt aliàs notaui, & paulo post hîc ita sumitur[c]; & Augustinus[d] in genere definit blasphemiam, *cùm aliqua mala dicuntur de bonis.*

a epist. vers. 9. *Blasphemia & contra Deum, & contra alios esse potest.*
b Act. 6. 11. c. 13. 45. ca. 18. 6. Rom. 3. 8. 1. Cor. 4. 13. c. 10. 30. Tit. 3. 2. Apoc. 2. 9. cap. 13. 6. epi. Iud. vers. 10.
c vers. 12.
d De Morib. Manichæ. c. 2.

Vers. 12.] **Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem, in his, quæ ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribũt.**

NOn solùm mẽdaces magistros Hæreticos, & blasphematores docet Angelis longè inferiores esse; verumetiã quodãmodo brutis ipsis ob morum peruersitatem: quibus & hac in re similes futuri sint, quòd sicut illa exposita sunt in prædã venatoribus, tendũtque ad interitum, ita & ipsi peruenient ad æternam perditionem. Ad eundem Iudas[e] modum scripsit: *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter, tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Familiaris est scripturis, & scriptoribus Ecclesiasticis comparatio hominũ bonorum cũ puris, ac vtilibus, malorum cum noxiis, & impuris animalibus. Satis multa Feuardentius hîc, & in epistolam Iudæ collegit exempla, quibus adhuc addi possent alia, in quibus appellantur aspides, ser; ẽtes, lupi, canes, vulpes, dracones, leones, perdices, &c. Nos nonnihil diximus in Historia Apostolica de luporũ voce[f]. Possent addi syrenũ typi, vespertilionum, columbarum excordium, fucorũ, cicadarum, locustarum, muscarũ, scorpionũ, cancrorum, simiarum. Dixi præterea eãdem de re in genere, dum exponerem Ecclesiasten[g].

e ep. vers. 10.
Comparatio hominum cum animalibus in Scripturis frequens.
f cap. 20. 29.
g cap. 10. 2.

Generaliter cum brutis comparantur propter libidines, & ignorantiam, nec non post hãc vitam beatitudinẽ priuantur; licet in hoc deterioris cõditionis, quòd æternis pœnis mactentur. Generalem Irenæus[h] quoque causam dat huius appellationis generalis, citans prætereà locum Psalmi[i]: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis:* quoniã irrationabilem æmulãtur vitã. Sed & nos, in consuetudine, huiusmodi homines iumẽta, & pecora irrationabilia dicimus. Addit eãdem de causa nominari à Paulo[k] *carnales, & animales,* quo vltimo nomine vtitur etiam Iudas[l], quod Græcè est ψυχικοί, & eo Tertullianus contra Catholicos abusus est Latinitate donato, vocans Psychicos.

h lib. 5. c. 8.
i Psal. 48. 13. & 21.
k 1. Cor. 2. 14.
l epi. vers. 19.

Irrationabilia pecora.] ἄλογα ζῶα, vel *absque sermone*, vel *absque ratione animalia.* Apud Iudam[m], vertit Interpres ἄλογα ζῶα, *muta animalia.* Rectè vtrumque, quia sermo solius vtentis ratione animalis proprius est. Commune nomen est brutorum duo illa comprehendens. Sed quæ libido vocatur ista, recedendi ab Interprete nostro vetere in recentibus? Vatablus in epistola Iudæ posuit *rationis expertia.* Pecorà sæpè vsurpantur, vt ratione prædito homini opponantur, quia minus in illis vestigia rationis elucent, quàm in aliis brutis. Iumenta reddit Hieronymus[n].

m epist. 10.
Sermo solius animalis vtentis ratione proprius est.
n 1. contr. Iou.

Naturaliter.] φυσικὰ γεγεννημένα, *naturalia nata*, naturâ, siue secundum naturam genita, vel, nihil aliud addendo, nata, aut facta, hoc est, suapte natura apta, tendentia, & veluti præcipitantia ad id, quod sequitur.

In captionem, & in perniciem.] Εἰς ἅλωσιν, καὶ φθορὰν, *vt capiantur, in seruitutem, aut venationem,* & pereant. *Causa pabuli*, inquit Beda, *naturale est irrationabilibus animalibus sæpius in captionem, & perniciem ignoranter incidere:* ita Hæretici ob appetitum suæ corruptionis explẽdum, incorruptam, sanámque doctrinam, ac vitam blasphemantes, sempiternæ sibi perditionis laqueos impia temeritate nectũt. Hieronymus[o] legit, *quasi irrationabilia iumenta in ventrem, & libidinem proni sunt:* ita vt videatur ἅλωσιν pro ventre, seu ingluuie vẽtris; quem capta repleat præda. φθορὰν sumere pro libidine, quæ crebrò solet dici corruptio, & γεγεννημένα pro eo quod est *naturæ pronitatem habere.* Arias exponit rapacia, & malefica; innuens ipsamet, vt alia rapere, & iis nocere naturaliter concupiscunt, & possunt. Notat verò pecora hoc loco nõ mitia, & mãsueta genera, sed feras, nocẽtésque animantes significare. Non dubito præter Interpretis mẽtem sensum hũc tradi, neque credo pecora in illa notione accepisse (quam recipiũt Auctores alij de aliis rebus agendo:) verùm pro illis dumtaxat, quæ ad vsum humanum capi frequentiùs, & occidi solẽt.

Quocirca melior videtur expositio Bedæ, quæ pluribus etiam placet, à qua nõ multùm recedit, quam retuli ex Hieronymo. Nã modus loquendi, quo vtitur Interpres, quem sequi debemus, præ se fert pœnam, quam sibi blasphemando Hæretici accersunt; quasi ad illam nati, factíque, & ad eam tendentes per effrænem appetitum satisfaciendi cupiditatibus suis: & dum his cæcati ipsas quærunt, blasphemãt de his, quæ illarum consecutionem remorãtur, sicque tandem incidũt in interitum. Vnde perire in corruptione, quæ φθορὰ etiam dicitur, erit non solùm æternam damnationem subire, sed præ copia voluptatum immodicarum celeriùs mori. Sic sanè Dionysius dicere solebat tyrannus, Eusebio teste[p], *illis animalibus esse similes, qui talibus rebus indulgent, quibus comedẽdis, bibendique non ad aliud, quam ad perniciem suam copia solet offerri.* Melius adhuc id à Iacobo[q] dictum: *Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis, ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς,* id est, quemadmodum quædam saginantur ad epulandum animalia. Vel certe sicut mactata victima, epulum festiuè celebratur.

In his quæ ignorant blasphemantes.] Primæ quatuor dictiones iungi possent prioribus, & significari lapsum in captionem & perniciem per ignorantiam, & imprudentiam: siue in morem bestiarum, vt ante dictum est, incidisse in laqueos, atq; periisse; & tamen blasphemasse: aut quia blasphemarent, in ea damna incurrisse. Sed communior expositio de blasphemia circa res, quarum laborabant ignorantia hi, qui se Gnosticos à scientiæ copia nominabant.

Quanta sit, fueritque Hæreticorum ignorãtia, quiuis facilè cognoscet ex hæresum crassissimarũ catalogo, qui extat apud infinitos Auctores, ex quibus meritò Theodoretus opus inscripsit *de Fabulis eorũ.* Illis illud obiici potest, quod Christus Sadducæis[r]: *Erratis, nescientes scripturas, neq; virtutẽ Dei:* præterea quod Pharisæis ac Scribis seu Legisperitis, quos nominauit *cæcos, & duces cæcorum*[s]. *Væ vobis*[t], *quia tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis:* quasi videlicet domini domus, nolẽtes quẽquam iniussu suo ingredi, egredíve. Lutherus falsus est ignorantiam Hebraicæ, Græcæque linguæ[u]. Hieronymum vo-

cauit;

cauit presbyterum Lugdunensem, Irenæum Scti-donensem: illũ anno vixisse 414. istum 422.[a] Lytanum 320. Nomẽ liberi arbitrij Patribus omnibus odiosissimum fuisse [b]: nec Hieronymum, nec Ambrosiũ de Purgatorio quidquã sensisse [c]: originalis peccati vsq; ad Augustinum nullã mentionẽ fecisse [d]. Hieronymũ nihil de Christo tractate: de fide, spe, charitate, fidei operibus nõ loqui [e].

In corruptione sua peribunt.] In praua, & perdita corruptáque vita.

Vers. 13.] Percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias: coinquinationes & maculæ deliciis affluentes in conuiuiis suis luxuriantes vobiscum.

PErgit in descriptione impurioris hæreticorum vitæ, atque digni ea supplicij. Tam accuratè verò id facit, vt non potuerit melius, ideóque singulæ nobis partes declarandæ.

Mercedem.] Μισθὸν. Catachresticè merces de pœna dicitur. Sic Paulus [f] quoque vsurpat eamdem, & vocem stipendij [g], & priorem rursum Petrus paulo post [h], vocatur præterea merces prostibuli [i], & iniquitatis [k].

Iniustitia.] Generale nomen pro omni peccato: *Hi veritatem Dei in iniustitia detinent* [l].

Voluptatem existimantes.] Hieronymus [m] priora nectens cum primo vocabulo, ita legit: *Recipientque mercedem iniquitatis luxuriam.* Paulus [n] inter hæreticorum varias notas ponit istam, *quod sint incontinentes & voluptatum amatores magis, quam Dei* ἀκρατεῖς φιλήδονοι μᾶλλον, ἢ φιλόθεοι.

Diei delicias.] Τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφὴν Diurnas delicias, seu diecularés: posse vno, & altero die deliciari: breui voluptate perfrui, non habita ratione solidioris, ac æternæ: præsentis, & momentaneæ vitæ voluptatem, & quæ solùm ad tempus est. Facilior hæc expositio Oecumenij, Adami, Anæ, Tirelmani, Ale', Sà, Vatabli, Salmeron, Feuardentij, Gagneij. In hoc iste non placet, quod addit peius peccare, quàm si noctu delectarentur: nec enim sumitur diei, vt a nocte distinguitur. Quáuis verũ sit sũma impudentia vacasse hos deliciis suis, palã, publicéque: cũ, vt plurimũ noctu percipiantur ab aliis præsertim, quæ sunt minus honestæ. Vnde illud: *Et nox illuminatio mea* [o] *in deliciis meis*, i. stã perspectæ Deo, quàm si die plena perceptæ essent: &, *qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.*

Alia ceterorum expositio visas delicias licitas, & quæ decorè clara diei luce capi possent, atque ab iis, quos Paulus, quia diei sunt, hoc est, ad veritatis lucẽ pertinẽt, hortatur sobrios esse [p]: & *sicut in die honestè ambulare* [q]: itẽ, qui, vt ait Christus [r], *cũ non malo agãt, nõ oderunt lucẽ, nec timent, ne arguatur eorum opera, quæ spectãt ad veritatẽ, & in Deo sũt facta.* Iuuat sanè contemplari, non quæ videntur tẽporalia, sed quæ nõ videntur, æterna [s]: &, quod *gaudiũ hypocritæ* [t] *est ad instar puncti, gaudiũ autẽ* (verũ) *nemo tollit a nobis* [u]; & quod *in Oratione Mose ad populo Dei, quã tẽporalis peccati habere iucunditatem* [x], πρόσκαιρον ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν, *temporalẽ peccati fruitionem.* Temporale peccatũ est, quia per id comparari temporalis res dumtaxat potest. Putant ibi aliqui [y] Græcè per errorẽ legi πρόσκαιρον pro πρόσκαιρον. In loco autem Iob aptè hypocritæ nomine fallax indicatur de falsa voluptate existimatio, vt qui reuera sunt infelices, externa pietatis simulatione ad falsam, fallacémque perueniãt voluptatẽ. Fateor nihilominus aliquo modo fauere Hieronymum [z] alteri sententiæ, dum sic legit: *Qui putant delicias esse iniustitiam, sordes & maculas.*

Coinquinationes, & maculæ.] Quidam legunt *coinquinationis*, alij *maculas*. Iuxta lectionem primam, interpretantur sectatores prioris membri expositionis secundæ istos existimasse voluptatẽ bonã esse delicias coinquinationis, & maculæ, hoc est, coinquinatas, atque maculatas. At per appositionẽ in recto casu cognominãtur coinquinationes, & maculæ σπίλοι, καὶ μῶμοι quorum primum de luxuria, de gula secundum iidem illi accipiunt. Visitatum satis, vt abstractis criminum nominibus notat illum criminosi appellentur, quasi qui tamquam formæ ipsæ criminum alios quoque inficiant. Sed non vna vlla inest in compusita Latina voce *coinquinationes*, vt nempe duarum denotet coniunctionem turpem personarum, quod tamen Latini vetustiores norant.

Coinquinationes.] Σπίλοι. *Ecclesiam nõ habentẽ maculã*, μὴ ἔχουσαν σπῖλον Paulus [a] vocat Græcè. vt σπῖλοι hic verti potuerint *maculæ*. Dicitur σπῖλος iuxta suum etymon, vt Turriano [b] placet, παρὰ τὸ σπᾶν ἰλὺν *a trahendo cœno*, quasi significentur fœdissimi ac spurcissimi hæretici. Eodem ferme modo Iudas [c]: *Hi sunt, ait, in epulis suis maculæ* σπιλάδες. Vbi tamen Oecumenios *scopulos, & saxa* interpretatur. Interpres præterea τὸ σπιλοῦν maculare reddidit [d]. Dicunt σπίλον propriè esse maculam in veste ex vino, aut sanguine. Sed latius quoque sumitur. Hieronymus [e] sordes exposuit, citans præsentem locum.

Maculæ.] Μῶμοι. Est μῶμος probrum, dedecus, infamia, ignominia, reprehensio, vituperatio. Fere vsurpatur dumtaxat de homine, non de alia re: diciturque de illo, qui aliorum reprehendit facta: & notus Deorum reprehensor Momus deos. Verbum μωμᾶσθαι vituperare, ac vituperari Latinè Interpres [f] conuertit.

Deliciis affluentes.] Hæc vsq; ad finem versus paucioribus verbis expressit Hieronymus [g], ac vt opinor, simul modestiæ studens: *& nihil aliud nisi de voluptatibus cogitantes.* Græcè ἐντρυφῶντες. Sed iungi videtur sequentibus.

In conuiuiis suis luxuriantes vobiscum.] Ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν συνευωχούμενοι ὑμῖν. Fortassis Hieronymus per *nihil aliud cogitantes*, interpretari voluit primas quatuor dictiones Græcas, *in erroribus, vel deceptionibus eorum.* Erasmus: *Qui non solùm falluntur ipsi, verùm etiam in conuiuiis suis mutuis insultant vobis: vel in erroribus suis insultantes vobis, a male precantes.* Vatablus, *qui conuiuantes* (pro, deliciis affluẽtes) *in erroribus suis*, id est, *per deceptiones* (inquit) *suas quibus se illicet parauerũt vobis diuitias insultãt vobis.*

Interpres legit Ἐν ἀγάπαις, quas Latini vetustissimi scriptores retento Græco vocabulo agapas nominant pia, & charitatis gratia celebrata Christianorum conuiuia, de quibus diximus in Actibus Apostolicis [h]. *Cœna nostra*, inquit Tertullianus [i], *de nomine rationem ostendit: vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est.* Subiicit deinde modum illum p ècelebrandi, sicut & ante ipsum Clemens [k], atque alij postea. Meminimus præterea de turpibus sub honesto vocabulo agapetis. [l] His se Gnostici atque impuri alij hæretici conuiuiis inter Christianos admiscebant, hócque prætextu turpitudines suas exercebant. Apud Iudam [m]: *Hi sunt in epulis suis maculæ*: Οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, *in conuiuiis vestris*, &c.

Luxuriantes vobiscum.] Augustinus [n]. *Copulantes*, & intelligit de epulis Sacramentorum, tum

hunc

huic, cum similem Iudæ citatum locum, in quo pro Epulis dilectiones ponit. Videlicet proximè antecedebat ἀγάπας Eucharistiæ celebratio. Participium Græcum hic, & in epistola Iudæ *συνευωχούμενοι vnà epulantes*, & conuiuantes significare Lexicographi docent. Non aliud affertur exemplum, quàm dicta duo Apostolorum duorum. Forsitan legit interpres hoc loco *συνοχευόμενοι*, quod est, *ineuntes, coëuntes, inscendentes, salientes, luxuriantes, sese commiscentes*, vnà rem veneream exercentes: ab ὀχεύειν quamuis nec alibi aliud compositi hoc modo verbi videatur exemplum extare. Meminit Gagneius vtriusque lectionis Græcæ, sed præfert primam: quæ est etiam Oecumenij, exponentis tamen quæsitam in huiusmodi conuiuiis occasionem decipiendi mulieres. Id quidem sequentia satis innuunt.

Pollux εὐωχίαν vocat *δημοσίαν ἑστίασιν publicum conuiuium.* Licet à bonis Auctoribus pro priuato quoque sumatur. Putat Eusthatius[a] ab ὀχῇ deduci, qui est cibus, quia benè ac lautè corpora nutrirentur. Athæneo[b] id non placet: sed ab ἔχειν dici, *quod bene fit iis, qui excipiuntur lautè, benéve curant corpora*: vel quia omnia rectè, ordinéque fiant in conuiuio. Quamquam respondit Gorgias Sophista, qui ad ætatis peruenerat annum octauum supra centesimum, se propterea macrobium esse, quoniam ad aliena numquam iuisset conuiuia. Refert id Lucianus[c]. Ad etymologias allatas Clemens[d] Alexand. opinor respexit, dicens εὐωχίαν in cœlis esse, δεῖπνον in terris, quia post hoc *δεῖ πονεῖν oportet laborare.*

a Iliad. ι.
b lib. 8. ca. 12.
c In Macrob.
d 2. Pæd. c. 1. εὐωχία in cœlo, δεῖπνον in terra.

Ceterum quando dicit *luxuriantes* vobiscum, idem est ac inter vos, non quasi notare velit luxuriam eorum ad quos scribit, sed periculum, vt caueant insidiatores alienæ castitatis per conuiuandi occasionem etiam in agapis, quæ & cœnæ dominicæ nominabantur[e]: idcirco vetat Paulus[f] cum eiusmodi cibum sumere. Non repeto effrenis hæreticorum in omni ætate libidinis exempla. Ex eorum erant numero, quos idem Apostolus[g] penetrasse scribit *domos, & captiuas duxisse mulierculas oneratas peccatis: quæ ducuntur variis desideriis, nimirum etiam fœdioribus cupiditatibus.* Perniciosior malia exempla istis vita, quàm mors persecutionibus illata: & cùm martyria Christo pepererunt, multos, turpia falsorum doctorum eidem abstulerunt: complures vtriusque mali artifex diabolus: in secundo facilior, & felicior fuit, vt Irenæus[h], Eusebius[i], Epiphanius[k], Iustinus[l], præter alios, notant.

e 1. Cor. 11. 20. & seq.
f Ibid. ca. 5. 11.
g 2. Tim. 3. 6.
Perniciosior vita malis exemplis fœdata, quàm mors persecutionibus illata.
h lib. 1. c. 26.
i li. 4. hist. c. 7.
k hæres. 27.
l con. Tryph.

Vers. 14]Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij.

Hæreticorum alia nota.

ALiæ hæ Pseudoprophetarum, seu hæreticorum notæ, lasciuiæ studium prodens se per oculos: pertinacia libidinis, errorísque: ardens desiderium subuertendi, quos possunt, maximè leuioris ingenij: habendi cupiditas infinita, vt his, ac prioribus de caussa iure cognominari possint filij maledictionis. Sed agendum de singulis.

Oculi pleni adulterij qui sint.

Oculos habentes plenos adulterij.] Meriùs *μοιχαλίδος plenos adultera*, scilicet ipsam in oculis adulteram gestantes, eam præ oculis semper habentes, ac sibi videre arbitrantes. nihil nisi de illa cogitantes: non alio, quàm vt spectet adulteram, oculos conricientes: tantam iis vanitatem continuè haurientes[m]: *& animam iis in prædam tradentes*[n], & admittentes *mortem velut per fenestras*[o]. Legit Cyprianus[p], *plenos mœcha oculis.*

m Psal. 118. 37.
n Thren. 3. 51.
o Iere. 9. 21.
p lib. de sing. Cleric.

Oculorum in hoc genere grauissimum periculum, quos ille[q] cecinit esse in amore duces, atque vt loquitur Basilius[r], tamquam proxenetæ eius, cuius tactus minister est: & vt Valerius Maximus, *subsessores*, id est, insidiatores *alienorum matrimoniorum*[s]. Testis Putipharis vxor[t], Dauid[u], Holofernes[x], impudici senes[y], tot alij. Quin & primi occasio peccati ab oculis prouenit[z]. Bernardus[a] describit illos in genere esse occasionē peccati, indicium commissæ culpæ, caussam committendæ. Ex primo peccato in oculis potissimùm remansit impressum mali contagium, necnon grauior pœna. Nam malus est oculus nequam, & nequius oculo, ait sapiēs, quid creatum est[b]? Numerant quoque medici oculorum plusquam sexaginta morbos, & referunt Theotimum iussum à Medicis abstinere ab vxoris visu, cum laboraret oculorum morbo, & minarentur cœcitatem, in medio veneris calore, à qua sibi temperare non poterat, dixisse: Χαῖρε φίλον φῶς, *vale amicum lumen*[c]. Ille ipse læsa grauiter per oculos anima Dauid, enixe petuit à Deo *vt eos auerteret, ne viderent vanitatem*[d]. *Iob autem pepigit cum eis fœdus vt ne cogitaret quidem de virgine*[e]. Quod non potuit magnus orator Hyperides exorare pro Phryne, ipsa potuit apud sapientissimos Areopagitas obtinere, velo reducto pulchros ostentans oculos[f]. Econtrario longè sapientior Christus, non metuens sibi, sed consulens periculo nostro, præsentibus accusatoribus adulteræ oculos, corpúsque totum demisit humi[g], hac forsan docens ratione, quæ sit origo adulterij, qui iam seriò monuerat, *videntem ad concupiscendum mœchari*[h].

Oculorum grauissimum periculum.
q Propert. lib. 1. eleg. 2.
r de vera Virginit.
s lib. 2. c. 2.
t Gen. 39. 7.
u 2. Reg. 11. 2.
x Iudit. 10. 17.
y Dan. 13. 16.
z Gen. 3. 6.
a de grad. humilit.
Malus est oculus nequam.
b Eccl. 31. 14. 15.
c ex Ambr. in Luc. lib. 4. in 4.
d Psal. 118. 37.
e Iob 31. 1.
f Quintil. l. 2. c. 15.
g Ioan. 8. 6. 8. *Christus cur præsente adultera oculos demiserit.*
h Mat. 5. 28.

Prudenter cupidini obuelauerunt oculos Antiqui si propterea fecerūt, ne iacula ex illis emitteret ad sauciādum. Zaleuci quoque solers habita lex, de eruendis oculis adultero. Sæpe præterea diuinæ vetant Scripturæ[i] vt aspectum cohibeamus, oculósque, quorum vocant *infamam concupiscentiam*[k], *si scandalizant, eruī Christus imperat*[l]. Alexāder Darij vxorem, quia formosissima diceбatur, noluit in suum venire conspectum: *Nos* ait Plutarchus[m], *lectiois mulierum oculos subiicientes, & eos a fenestris suspendentes, nihil peccare videmur, adeo lubricam & ad omnia fluentē curiositatē facientes.* Antiochus[n] Abbas Cyri simile postquā narrauit, ac Regis alterius exemplum, infert: *Quod si talia fue assuerans testimonio, a fide exorsi, & a salutari vnctione alieni: quid nos non conuenimus præ illis, tanto esse ore, qui Christi ex professo discipuli sumus?* Tum subdit de vitando diligenter aspectu mulierum: Cùm Pericli Sophocles de puero dixisset: *O, merum formosum, decet*, ille ait, *ò Sophocle prætorem non solas manus, sed etiam oculos abstinentes habere.*

i Eccl. 9. 3. 5. 7. 8.
k Ezech. 23. 16.
l Mat. 18. 9.
m Opusc. de curiositate.
Cauendum sedulo ab aspectu mulierum, quibus cara est continentia.
n hom. 10.

Quia non paruit Lot vxor diuino præcepto, sed conuertit oculos ad nationem lasciuam, euasit statua salis[o], vt annotat Ambrosius[p]. Deliri senes illi deperеuntes Susannam quotidie obseruabant sollicitius videre eam[q]: & adulterij postulatam iusserunt discooperiri, vt vel *sic satiarentur decore eius*[r].

o Gen. 19. 26.
p 1. de Virg.
q Dan. 13. 8. 12.
r ibid. 32.

Ethicum sumi remedium potest ex ceremoniali præcepto de vittis hyacinthinis per angulos palliorum, *quas cùm viderent, recordarentur omnium mandatorum Domini nec sequerentur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes*[f]. Fornicari nō libet

f Num. 15. 39.

bet cœlestia meditantibus, ac diuinæ legis vim æstimantibus. Porrò similis Iacobi sententia [a]: *In luxuriis enutristis corda vestra.*

Incessabilis delicti.] Cyprianus [b] *incessabilibus delictis.* Hieronymus [c] *insatiabili libidine.* Græcè ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας, nēpe ὀφθαλμοὺς oculos. Interpres legit ἀκαταπαύστου. Vel ergo dicit istos habere oculos numquā cessantes, neque valentes à delicto coerceri: vel oculos esse plenos continui delicti, quod appellauerat adulterium, aut adulteram ipsam. Hoc vltimo modo ipsamet adultera vocabitur abstracto nomine delictum.

Certe Magdalena cùm inhonesta esset, peccatrix dicebatur [d]: & peccati nomen absolute pro peccato carnis honeste accipitur κατ' ἐξοχὴν; & eamdem formulam fert etiam nunc cōmunis vsus. Aptum in senibus, qui deperibant Susannā, allatum iam exemplum. *Numquam dicit Sufficit, luxuria* [e]: *Fornicati sunt, & non cessauerunt* [f]. *Quando vires deficiunt, desideria inardescunt* [g]. Id de gula suo quoque modo verum: sed nō intelligit nunc Auctor illam, vt Lyranus tamen sentit. Incessabilitatem istius delicti allatum antea Theotimi demonstrat exemplum. Simile Salethi, qui cum in legem contra adulteros, quam Crotoniatis tulerat, offendisset, deprehensus cum fratris vxore in adulterio, voluntarius in ignem insiliit, quamuis exulandi potestas ei fieret: falsus ignem se illum, quando capiebatur amore certa voluntatis designatione delegisse [h]. *Est et vulua insaturabile* [i], qualis Messalinæ, quæ

Et lassata viris, nondum satiata recessit [k].

Egregiè totum hunc locum, quem citat etiam Cyprianus [l] declarauit: *Insaniunt prorsus*, inquit, *ardeat desiderio fœminarum, quœquos huic interiectioni non cedunt: & obscœnitatibus subiacentes, malunt mori, quàm contenti sint à lateribus mulierum aliqua disiunctione diuelli: vt ad explēdam sua auiditatis ingluuiem, etiam puncto temporis non sint sine fœmina voluptate: & hunc habent in mulieribus fructum, vt in illis semper defixa intentione, desideria fuiant oculorum, ne vel momentum aliquod transeat, quando indigeant, quod affectant. Sic inter eos integritas emoritur, vbi omnis commoratio siue conuenendo, siue commanendo corruptis affectionibus inquinatur. Quos sanctus Petrus Apostolus designauit dicens*, &c.

Pellicientes animas instabiles.] Δελεάζοντες ψυχὰς ἀστηρίκτους, *inescantes animas instabiles*, à δέλεαρ, id est, esca. Quocirca frustra est, quod afferunt vetustiores de pellicibus, & pellibus. Cyprianus [m] legit *capientes animas infirmas.* Hieronymus [n]: *Decipiunt animas needum Christi charitate robustas*, vbi per modum Commentarij explicat in quo partim robustæ, firmæ, stabiles essēt illæ animæ: Hugo de spe: Lyranus de fide: Carthusianus interpretatur de inconstantia in hac, & in virtutibus. Fides, *substātia est, siue basis* [o]: *spes anchora* [p]: *in charitate radicamur, & fundamur* [q]. De mulierculis, quas vocat Paulus [r], videtur loqui, & *duci dicit variis desideriis, semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis* peruenientes. Tales quoque apud eumdem [s] *paruuli fluctuantes, & circumferuntur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.*

— *Varium, & mutabile semper*
Fœmina [t], —

& multiuolam Catullus [u] appellat.

Quantum præcipuè multiuola est mulier.

Immo & Sapiens [x]: *Ne respicias mulierem multiuolā*, (ἑταιριζομένην Græcus appellat textus, id est, meretricem) *ne incidas in laqueos illius.* At illa ipsa hoc ipso nomine facilè illaqueatur. Legit opinor, Interpres loco illo Ecclesiastici ἑταιριζομένην ab ἕτερος alter, non ab ἑταίρα scortū. *Esto firmus in via Domini*, ait idem Auctor [y], *& in veritate sensus tui.* Omnino vera Chrysostomi [z] oratio de hæreticis: *Super ventrē repunt: quia quidquid faciunt, propter ventrem faciunt, & propter vanam gloriam pectoris sui. Terram manducant, quia neminem lucrantur, nisi illos, qui in terra sunt, id est, homines carnales.* Item [a], *nec ex aliis hominibus fiunt hæretici, quam ex illis, qui etiamsi in Ecclesia permansissent, tamen propter vitæ turpitudinem nihilominus periissent.*

Cor exercitatum auaritia habentes.] Καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίας ἔχοντες. Lege de hoc auaritiæ vitio versum tertium. Exercitatio indicat intentum ad lucra, atque violentum, diu assuetum, ac inueteratum studium, & peritiam cum quadam quoque fraude, laude, & gloria. Tam perniciosa *radix omnium cupiditas malorum, vt eam appetentes errauerint à Fide* [b]: ac idolorum etiam se seruituti tradiderint [c].

Conquirebant hi præterea per fas, nefásq; vsurarum etiam vsum licitum arbitrantes, vt sic allicerent alios ad suam sectam. nec desunt hoc tempore, qui licitas asserāt vsuras, vt Bucerus [d], & ex antiquioribus Albanenses [e] Græci [f], & Iudæi, & rursus de recentioribus Molinæus [g]. Apertus error est quorumdam legētium *excæcatum, pro, exercitatum.* Vt patet ex participio Gręco, iudicat eam lectionem Glossa Interlinearis, & Thomas Anglicus. Sed nec liberum est, πλεονεξίαν hic accipere pro impudicitia, seu immodica libidine, vt Oecumenius indicat. Hieronymus exponens c. quintum epistolæ ad Ephesios, docet in illis verbis [h]: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis*, auaritiæ nomine, quod Græcè est πλεονεξίαν, intelligi inexplebilem lasciuiam, sicut & in priore ad Thessalonicenses [i], *supergredi in negotio fratrem* πλεονεκτεῖν habet eamdem significationem: Et in epistola ad Ephesios [k] fit mentio de operatione omnis immunditiæ in auaritia. Quidquid sit de his locis, præsentis est quem dixi sensus.

Maledictionis filij.] Κατάρας τέκνα, *Execrationis filij*, vel *execrabiles, siue execrandi, ac detestandi.* Simili, ac frequenti Hebraismo, quo filij iræ, & mortis (exēpli causa) dicuntur *rei mortis, iræ digni*, &c. Maledictionem quoq; Thomas accipit pro diabolo, qui primus maledictus fuit [l], maloq; pœnæ addictus: Dānatos vocat Christus [m] *maledictos* (κατηραμένους) *ignis æterni, qui diabolo paratus est, & Angelis eius destinatos supplicio.* Serpētis indutus forma diabolus, primus maledictione diuina percussus est: *Maledictus tu inter omnia animantia, & bestias terræ*, Ἐπικατάρατος. Erat antea maledict⁹ diabolus: nō enim, vt quidā cōmenti sunt, primū peccatū fuit tentauisse Euā [n], nec quia tētauit Euam noua propriè maledictione, pœnáve mulctatus est, sicut nec modò, cùm alios tētat. Illa maledictio declaratio fuit illius noxiæ tētationis, & inimicitiarū perpetuarū inter hominē, diabolúmq;: non quādo peccauerūt primi parentes, maledicti sunt, quia ipsis, totíque posteritati pœnitētiæ datur in hac vita, & gratiæ recuperandæ locus. Finita vita tū demum hi, qui fuerint ista Dei abusi misericordia, maledictionis audient sentētiam, perpetuóque subiecti maledicto erunt [o]. Econtrario Electi vocantur *benedicti ab* eodem Christo εὐλογημένοι [p].

Dum viuunt homines secundum præsentem statum, vocantur aliquando aut benedicti, si iusti,

aut

aut maledicti, si sint iniusti, quamuis secundum diuinam prædestinationem, ac reprobationē aliter esse possit. In anathemate Ecclesia vtitur vocabulo filiorum maledictionis. Hac ratione Paulus appellat [a] quosdam *abominatos* ἀδοκίμους. Hi sunt *qui diligunt maledictionem* [b], *& veniet eis, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eis; & induunt maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eorum, & sicut oleum in ossibus eorum: & fiet eis sicut vestimentum, quo operiuntur, & sicut Zona, qua semper præcinguntur.*

a Tit.1.16. b Psal.108.17. 18 19.

Vers. 15.] Derelinquentes rectam viam errauerunt, secuti viam Balaam, ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit.

Vers. 16.] Correptionem verò habuit suæ vesaniæ: subiugale mutum animal hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam.

VEhemens illud habendi studium, & in auaritia tam sedulum exercitium, propter quod transuersum aguntur hæretici ab orthodoxa doctrina, illustrat exemplo Balaam, quem videātur imitari. Etenim Balaam non ignorās veritatem, tamen corruptus mercede, non dubitauit maledicere velle, quibus propitium sciebat Deum, & in ipso cursu, ac itinere ad Balac: à quo huius rei accersebatur causa, conuicit asina sessorem suum humanam exuisse naturam inexplebili cœcatum auaritia. Idem paucioribus Iudas [c] refert verbis: *Væ illis, qui errore Balaam mercede effusi sunt.* Numerorum autem liber historiam enarrat copiosè [d]: necnon Iosephus [e], & Philo [f].

Balaam quomodo imitentur.

c ep. vers. 11. d c.22. vers. 5. vsque ad finē capitis. e 4. antiq. c. 6. f 1. de vita Mosis.

Derelinquentes rectam viam errauerunt.] Via recta Christus est, & doctrina eius, quæ ideo vocatur orthodoxa. Hęretici, improbique relinquunt iter rectum, *& ambulant per vias tenebrosas* [g]: *dereliquerūt fontem aquæ viuæ* [h]: *errant à via veritatis* [i]: *proficiunt in peius, errantes, & in errorem mittentes* [k]: *non desinunt subuertere vias Domini rectas* [l], videlicet alienas ab omni auaritia, & ambitione. Viæ Domini sunt in se rectæ [m]: tamen nos ipsi rectas illas facere dicimur [n], bene agendo, quia peccata inde detorquent.

Via recta Christus est, & doctrina eius.

g Prou. 2. 13. h Ier. 2. 13. i Sap. 5. 6. k 2. Tim. 3. 13. l Act. 13. 10. m Esa. 48. 15. n Luc. 3. 4.

Balaam ex Bosor.] Τοῦ Βαλαὰμ τοῦ Βοσόρ, vel nati in Bosor: vel filij Bosor, qui alio nomine diceretur Beor, vt est in libro Numerorum [o]. Primum placet Bedæ, Glossæ ordinariæ; Carthusiano, Thomæ Anglico: secundum Caietano, Adamo, Gagneio, Salmeroni, Erasmo, Aseli, Sà. Prior sententia placet magis, quia Bosor Hebraicè בצר & בצרה *Bezer & Bozrah*, erat in Moabitidis planicie [p], atq; in deserto [q]; quam Balaam fuisse patriā, colligitur ex libro Numerorum [r]. Andreas Masius [s] probat Madianitam fuisse, non Aramęū, siue Chaldæum, licèt ille iactabunde se ex ista patria diceret fuisse. Eūdem cum Eliu amico Iob Hebræos sentire scribit Hieronymus [t], Philippus presbyter [u], Rupertus [x]. Hoc refellit post Titelmanum [y], Pineda noster [z]; consentiens Masio de patria: Ioannes item Antonius Valtrinus ex eodem ordine nostro [a]. Augustinus [b] recitans hūc locum legit (filij Beor.) Angelus pergenti Balaam ad populo maledicendum, dixit inter cetera *peruersam esse viam eius, & ipsi contrariam* [c]. Rectè Balaam secundum etymologiam, vetustatem populi significat, vel absque populo, vel deuorationē, siue destructionem eorum. Bosor autem idem valet quod carneus, vel, in tribulatione, vt docet hoc loco Beda. Procrastinatione, Regis impij, ac suammet spem suspendebat, si forte posset se bene precandi populo Dei necessitate, qua cōstringebatur à Deo expedire, aut Dei mutato cōsilio, pro votis vtriusque res posset aliqua ratione effici. Syriacè hoc loco dicitur *filius Beor.*

o cap. 22. 5. *Balaam vnde originem duxerit.*

p Ier. 48. 2. q 1. Mac. 5. 28. Deut. 4. 43. Ios. 20. 2. c. 81. 37. 1. Par. 6. 78. r cap. 22. 5. s in Ios. c. 13. t qu. Hebr. in Gen. c. 22. u præf. in Iob. & in c. 31. x 6. in Gen. c. 34. y præf. in Iob. z in Iob. c. 34. & in præf. q. 1. a in Com. in Iob manuscr. b q. 48. in Nu. c Act. 32. 22.

Qui mercedem iniquitatis amauit.] Missi ad eum sunt a Balac *seniores Moab, & maiores natu Madian habentes diuinationis pretium in manibus* [d]: Et honorare illū voluit, ac donare quidquid vellet, vt malediceret populo Dei [e], videtúrq; omninò ea recepisse, vt hic quidem & Iudas meminerūt, licet non exprimat liber Numerorum. Benè cum Balaam conferuntur hæretici, quorum pars magna magiæ dedita, seu ariolandi arti, quam ille profitebatur, frequenter carmine maledico, & malefico vertens in fugam, vt Augustinus [f] tradit, exercitus aduersarios. Qui tempore nostro florēt hæretici, si non palàm idem factitant, certè fauēt, & media tollentes, quibus coërcentur Dęmones, & vsum, ac familiaritatem cum iis tāquam cum suis magistris gloriosè profitentes.

d ibid. 7. e ibid. 17. 37. *Hæretici Magiæ dediti.* f serm. 103. de tempo.

Aliàs Lutheri [g] hac de re confessionem, de cuius tali magistro scripsit librum Serarius noster. Dicebat ille, *cum eo plusquam vnum modium se salis comedisse, ab eodémque argumēta didicisse, quibus Missæ sacrificium oppugnaret.* Caluinus [h] scribit se à genio quodam impulsum, vt siue concionaretur, siue scriberet, semper malediceret, atque conuitiaretur. Zuinglios [i] iactat se noctu edoctum à quodam spiritu, quem nesciret albus, an ater esset, quomodo deprauaret verba quibus Christi consectatur corpus. De Carolostadio communis est opinio: scribitque Conradus Riss [k]: de Osiandro Hosius [l]: de Berengario Vincentius Bellouacensis [m]: meminit etiam Hosius [n] nōnullos decies per diem diabolum adorauisse: dictósq; dæmoniacos & Centuriatores propter idololatriam obligatos fuisse. Ex quo hæreses æuo nostro emerserunt, & vbi grassantur, constat plus Magorum extitisse, quam plurimis retrò seculis. Lege Delrij prologuium in disquisitiones suas magicas. Tertullianus [o] prodit commercia hæreticorum cū Magis quàm plurimis fuisse, cum astrologis, cum philosophis, curiositati scil. deditis; & Magiam esse hæreticorum auctricem.

Hæretici nostri temporis à Dæmone instructi fuerunt. g lib. de Missa angulari. & in coll. mensalibus & lib. ad Electorem Saxon. h ep. ad Bucc. i lib. de supplem. Euch. k lib. con. Ioan. Hessum. l lib. de hær. m 5. hist. c. 20. n supra & lib. de censura Tigurinorum. o de præscr. c. 43. & seq. & c. 37.

Alia in quib. conuenit hæreticis cum Balaam, sunt auaritia, de qua prius maledicēdi, & execrādi maxima licentia, pronitásque contra sanctos, cōtra omnem populum Dei, contra Deum ipsum: ambitiosa vsurpatio tituli prophetæ, ita vt se Lutherus nominaret Esaiam, Melancthonem Ieremiā, &c. [p] obsequiū erga impios Principes, quale Balaam aduersus Balac [q]: impurissimū fornicādi consiliū, cuiusmodi ariolus ille dedisse legitur [r], & eius exemplo hęretici [s], voluntas verum Deum simul colēdi cū falsis, vt proinde Balaā prophetæ absolutum nomen non meruerit. Hoc Ambrosius [t], Aug. [u] Lyranus [x], Origenes [y] docent, & ex professo etiam Andreas [z] Masius, cōfirmans Rabbi [a] Mosis testimonio, requirētis vt veri prophetę mens ab omni gloriæ, dominationis, lucri, voluptatis cupidine atq; ambitione prorsus vacua sit, vtens & ita hominum consuetudine familiaritatéque, vt ipsos pro cuiusque vitę cōditione ex vero æstimans, ob nullā se patiatur rem ab eo quod rectum, probumque est, dimoueri. Abulensis [b] contendit, verum prophetā Balaam dici debere; & debet sanè; si propriè quod prophetæ est audi-

Quæ communia hæreticis & Magis. p Tom. 2. col. fol. 28. q Num. 22. 13. r Num. 24. 3. 25. s Apoc. 2. 14. 15. t in 1. Cor 13. u lib. 4. in lib. Num. q. 48. & q. noui Test. q. 39. & lib. 1. ad Simpl. q. 1. x in c. 22. Nu. y hom. 13. in Num. z in c. 13. Ios. a 2. ductorū dubiorū c. 36. b Nu. 22. q. 3.

ditur;quoniam probitas, & religio prophetā ornant, & sancti epitheto decorant, quod frequenter illi datur, in Scriptura, non constituunt, sed meritò reprehendit Hebræos idem Abulensis[a], cum præferũt vi ac multitudine propheticæ cognitionis Mosi Balaã. Hieron.[b] ait, prius fuisse virum sanctum, & prophetam Dei:postea per inobedientiam, & desiderium munerũ vocatũ diuinum, siue ariolum. De aliis, in quibus hæretici sunt similes Balaam, adhuc postea. Cur qui venditores rerum sacrarum simoniaci potius appellentur (genus hoc etiam fuit hæreticorum) quàm Balaamitæ, sicut & Giecitæ, aut simili alio nomine, docui ad caput octauum historiæ Apostolicæ. Merces iniquitatis quare dicatur, lege vers. 15. vbi vocatur merces iniustitiæ.

Correptionem verò habuit suæ vesaniæ.] ἔλεγξιν δὲ ἔσχεν ἰδίας παρανομίας, *redargutionem propriæ præuaricationis*. Aut Interpres legit παραφρονίας; aut ad sensum respexit vesaniæ nomine appellans tantam iniquitatem, quæ cum maxima vesania coniuncta est, vt rem inæstimabilem vendere pretio voluerit, scil. vaticinandi munus: & quidem ad maledicendum iuxta voluntatem postulantis regis Balac, sed contra prohibentis Dei, & eum per asinam docentis. Cognominat Petrus Cellensis[c] vesanum prophetã: meritò Oseas[d] appellat stultum prophetam, & insanum virum spiritualem. Est autem ἔλεγξις reprehensio, cõcludens, & conuincens: quemadmodũ & ἔλεγχος correptio verbis facta est tum asinæ, tum Angeli, tum attrito eius per asinam pede.

Subiugale mutum animal.] ὑποζύγιον ἄφωνον. Gregorius[e] legit *subiugalem, mutum*. Asinam intelligit, quæ subest iugo, & nominatim exprimitur in libro Numerorum[f]. Sic appellatur quoq; apud Matthæum[g] asinæ, subiugalis pullus *asinus filius*. In Esdræ apocrypho libro tertio[h] à camelis, equis, mulis distingui subiugalia, & pro asinis videntur poni. Alij extendunt vocem ad mulos, equos, boues, qui ad currus trahendos iungũtur. nec dubitandum quin eo tempore, & multò antè vsus horum omnium esset: quamuis asinarũ vectura frequentior in Palæstina, vt notauit Abulẽsis[i], & ex aliis locis colligitur, nosq; alibi[k] monuimus, quia placidior, molliórq; in iis sessio. Sed nefandum, ac penitus incredibile, quod turpissimos memorat idem Abulensis[l] Hebræos tradidisse de Balaã, propterea in asina equitasse, quoniam abutebatur ad coitum, idq; voluisse asinã, cùm locuta dixit[m]: *Cui semper sedere consueuisti*.

Muta sunt omnia bruta, quia sermonis facultate carentia, & articulatam vocem formare non valentia (quasi sit ἄφωνος non sola priuatus voce, sed loquendi potentia, sicut & φωνὴ non vox quæcumque, sed humana articulata[n]) tamẽ expressè dicitur de asina, vt rectiùs percipiant oppositus ei cõmunicatus sermo, de quo mox agemus. Quæ prius irrationabilia pecora dicebantur ἄλογα, dicuntur apud Iudam ab interprete muta, cùm sit eadem vox Græca. Syriacè *asina sine voce*.

Hominis voce loquens.] Ἐν ἀνθρώπου φωνῇ φθεγξάμενον. Exponit modum liberorum liber[o]: *Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est*. Senserunt nõnulli, ante peccatum Adami cæteras animantes & sermonis vsum, & rationis habuisse. Id Iosephus[p] præ se fert, ac Abulẽsis[q] etiam disertè tradere videtur: præterea Basilius[r]. Accedit hoc ad Commentum de aureo illo Saturni seculo, quo, vt ex Platone[s] refert Eusebius[t], cum bestiis licuit hominibus sermocinari. Nõ prodesset asinæ Balaam hæc absurda sententia. Illa potiùs, quam sequitur Ephrem, citatus à Mose[u] Barcepha, facit pro dicta asina, impetrauisse satanam serpenti à Deo, vt Euã tentaret, vtramq; rationis; & sermonis vim, vsúmque. Procopius[x] æquè de asina, & serpente ambo illa cõcedit: nẽpe concessa à Deo ad tẽpus. Tenet eandem opinionem Archidiaconus[y], nec ab ea recedit Ioannes Montolonius[z]. Valet aduersus duas opiniones idem argumentum, quoniam quæ propria sunt humanæ naturæ, nũquam brutis communicata sunt secundùm naturã, nec, salua naturali eorumdem conditione, & constitutione possunt communicari.

Communis, veráq; sentẽtia tradit, in serpentis ore malum, bonum in asinæ ore Angelũ vocem humanam, sermonémque formauisse. Conquiescendum omnino fuit Hugoni[a] Cardinali in hac doctrina, nec libera relinquenda secundam sectandi sentẽtiam optio. Nec facile credo, Euam sibi persuasisse tributã serpẽti diuinitus duplicem sæpe dictam potẽtiam, quamuis per ministerium spiritualis creaturæ. B. Thom.[b] tamẽ sic existimat cum Magistro[c] sentẽtiarum, qui veram illã quam dixi de serpente simul, & asina tradit. Sed nihil nunc ad nos, quid Eua sibi persuaserit. Porrò Angelum, cuius opera in asinæ ore formata vox est, Origenes, Glossa, & alij non improbabiliter docent fuisse illum, qui præesset asininæ speciei. Singulis enim speciebus rerum singulos ad custodiam Angelos tributos. Sed & probabilis opinio Abulensis[d] de Michaële tutelari Hebræorũ Angelo. Disputat de hac formatione vocis idẽ Abulẽsis[e], refellẽs[f] Hebraicũ deliriũ de decẽ rebus, quæ creatæ sint in vespere sabbati in occasu solis post formationem hominis, ex quibus tertio loco numerant os asinæ Balaam ad loquendum.

Prohibuit prophetæ insipientiã.] Παραφρονίαν, quam suspicabãtur aliqui suprà legi quoq; debere, vbi est παρανομία. Alij habent παραφροσύνην. Recitatur asinæ oratio stolidissimi animalis prudentissima; sed auctore Angelo, in Numeris[g]. *Percussa sæpius dixit cum querimonia: Quid feci tibi? Cur percutis me ecce iam tertiò?* cùm respondisset Balaam, *Quia commeruisti, & illusisti mihi. Vtinam haberem gladium, vt te percuterẽ*: illa denuo excepit: *Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti vsque in præsentem diem? dic quid simile vnquam fecerim tibi?* Conuictus Balaam respondit, *nunquam*: tuncque Angelum conspexit in via euaginato gladio, à quo pariter cur tertiò asinam percussisset, reprehensus est, quódque ipsum facere oporteret, edoctus. Insipientia Balaam conuicta est, quod Angelum initiò videre non potuit, nec eius duo pueri, quem videbat asina, siue quia nolebat Angelus vt putãt, corpus gloriosum subtrahere posse visionem sui, cui voluerit: siue quia interim percussus est aorasia, vt antea Sodomitæ[h]. Præterea quod per se non aduerterit tantæ rei nouitatem: & in brutum nihil commeritum adeo sæuierit. Certè Socrates prouocatus crebrò à coniuge, aliísve, tam negabat vindicare se, sibi cum ratione licere, quàm si læsus esset ab asino. Adhæc, quòd asinæ sermone nihil commotus fuerit, nec expauerit, cæcus videlicet, ac obduratus ira, & cupiditate, vt ait Augustinus[i], & imprudentiæ obrutus fluctibus, vt Philo[k], sed perinde rationem reddens cum illa egerit, ac solet cum homine homo, & illusionis ei crimen tribuerit, quo laborare non potest, nisi homo. Quamquam non ca-

a in cap.22. Num.20.

tet probabilitate, quod Carthusianus [a] docet, Balaam cum asina sic locutum ea intentione, vt intelligerentur quæ dicebat à diabolo loquēte per eam, indignando contra illum, ac in illius dedecus volendo asinam trucidare. Magistes histor. Scholasticæ [b], ait *assuetum mōstris Balaam, ad vocem asinæ non expauisse.*

b in cap.32. Num.20.

Cur Balaam ab Angelo reprehensus fuerit.

Deinde, quòd adbuc furens aptauerit gladiū, vt innoxium animal (si licet in aliena ludere lingua, Latina vox asinus, ex Græca *ἀσινὴς* innoxius diceretur) interficeret præteritam oblitus ex vtili iumento commoditatem. Postea prodidit insipientiam in eo, quòd plus timor apud eum, quàm religio valuerit, quia videns Angelū, cohorruit, & adorauit pronus in terram, confitens peccatū, qui prius oracula diuina percipiens, Deum nunquam legitur adorauisse. Rursus, quod (vt notat Ambrosius [c],) nec Angelo credidit, sed inuoluta, & ambigua respondit, nec tantorum oraculorum gratia, & reuelationum conuerti voluit, fornicationis, & sacrilegij factus consiliarius [d]. Luit postea insipientiæ huius, & pessimi contra Hebræos concilij, ac infidelitatis suæ & inobedientiæ pœnas, occisus cum Madianitis [e], & quoddam Anastasius [f] Nicenus internecionis futuræ præsagium scribit fuisse, romphæam, gladiúmve, quem gerebat Angelus terrens primum asinam, postea Balaam.

c ad Chrom.

d Num.24.3. c.25.2. Apoc.2.14.

e Num.31.7.8. Ios.13.22.

Mors Balaam.

f q.32. in scri.

Asina Balaam quid mysticè designet.

g in c.19. Luc.

h p.50. in Nu.

i 1.Cor.1.27.

k hom.14. in Num.

l in Num. c.23.

m 3.p. Pastor. admonit.13.

n lib. quod Deus sit immutab.

o lib. de Cher.

Mysticè asinā pro populo Gentili sumit idem Ambrosius [g], qui sub aductu magni Angeli, cùm ante esset asinus, loqui debebat. Augustinus [h] pro stultis mundi, *quæ electurus erat Deus vt confunderet sapientes* [i]. Fauet autem Origenes [k], & Isidorus [l]. Gregorius [m] pro carne, *quæ per ægritudinem, ad cognitionem sui mentem reuocat, vt illam, quam plerūque salus abijcit, infirmitatis memoria reformet, & animus, qui extra se in elationem ducitur, cui sit conditioni subditus, ex percussa quam sustinet carne memoretur.* Exēplo docet Philo [n] istn, quod tunc dubio procul nec curabilibus, nec sanabilibus morbis laborat anima, quando accedente redargutione sine iudicio nostras sententias præferimus illius monitis, quæ ad castigationem, correctionémque totius vitæ nostræ adhibere non desinit. Idcirco quisquis non paret, nec reueretur talem redargutionem, cum saucijs interiturum. Prolixè præterea prosequitur [o] tropologiam de eo, qui de rebus creatis stultè queritur, perinde ac si peccandi per se occasionem præberent: eásque ipse calumniā istam repellentes, ac refellētes inducit satis longo, & erudito sermone.

Hebetudinem hæreticorum pagani ipsi redarguunt.

Beda colligit aliud hoc loco ethicum documentum, nempe, non rarò fieri, vt hebetudinem hæreticorum Pagani ipsi reprehendant: immò vt etiam ab indoctis docti, Clerici à laicis meritò redarguantur. Innocētius [p] verò III. cauet ne hoc exemplo præsumat laicus sacerdotem reprehendere, sed tātùm occultè corripere. Adhibet eamdem Gratianus [q] cautelam, dicens fas esse subdito humiliter Prælato renitendi, si ad malum cogere voluerit. Notatu præterea dignum, quod qui professione propheta est, aut rerum diuinarum doctor, & spiritualis, cùm recedit ab instituto, non simplici nomine, sed insanus ac stultus appellatur [r], vt ante diximus.

p c. cum ex iniuncto de hær. sub fine.

q c. nos si. 2. q. 7. §. item cum Balaam.

r Osee 9.7.

s Num.22. q. 51.

t Leu.20.16.

Ad extremū refert adhuc Abulēsis [s] Hebræorum opinionem, quod asina mox vt loquendi finem fecit, mortua sit, ne remaneret ad redargutionem hominis, *sicut & pecus, cum quo coibat homo occidebatur, vt non remaneret ad hominis infamiam* [t].

u Num. 22.33.

Colligebāt ex his verbis Angeli [u]: *Et nisi asina declinasset ex via, dans locum resistenti, te occidissem, & illa viueret,* quasi mortuā esse significetur statim postquam locuta est. Rationabilē satis vocat opinionem, quę placet Vatablo, nec displicet Carthusiano, & Sà: tamen explicat sensum dictorū verborum: si asina non dedisset mihi locum resistēti, ego occidissem te, & illa viueret, i. quamquam te occidissem, non propter hoc occiderē eam. Certè, qui de morte asinæ affirmant, non reddunt causam, quæ ab Hebræis affertur, sed multa, grauiáque verbera quæ Balaam inflixerat, & ingentem terrorem, quem Angelus incusserat.

Vers. 17.] Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur.

Hæreticorum doctrina leuis, & inutilis.

DEscriptio est ista inutilis, ac leuis hæreticorum doctrinæ, vt nec honestum satiare desideriū intellectus, nec appetitum volūtatis queat: non etiam firmo stet fundamento, sed cuiuis, ceu agitationi ventorum exposita sit. Similis in Iuda sententia [x]: *Hi sunt, &c. nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, &c. quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.*

x in ep. vers. 12. & 13.

Fontes sine aqua.] Πηγαὶ ἄνυδροι, Aquæ, & fontiū præsertim, efficaciam magnam habent ad fœcundandum, ac recreandum: & crebrò per aquas designantur in diuinis literis tum gratia, tum scientia, præter affluentiam quoque temporalium bonorum. In Prouerbiis [y]: *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide,* id est, esto liberalis: etsi alij de honesto vsu vxoris explicant propter prolem. Gnostici, & huius generis hæretici alij, pietatem, ac eruditionem profitebantur: sed iis vtraque deerat, cùm impij essent, atque ineruditi. Ideo inquit Augustinus [z] (disputans aduersus operibus vacuos cum sola professione fidei, simúlque confirmans allato Iudæ loco de nubibus sine aqua, & Iacobi [a] de fide mortua) *fontes siccos eos appellat: fontes scilicet, quod acceperint agnitionem Domini Christi: siccos autem, quia non congruenter viuunt. Deteriores hæretici, qui fidem quoque orthodoxam abijciunt, eius tamen præ se ferentes, ac pollicentes perfectam sinceritatem.* Eadem Hieronymi [b] expositio, cuius sunt hæc verba: *Nonne tibi videtur pinxisse sermo Apostolicus nouam imperitiæ factionem? Aperiunt enim* (falsi doctores) *quasi fontes scientiæ, qui aquā non habent doctrinarum: promittūt imbrem velut nubes propheticæ, ad quas perueniat virtus Dei* [c], *& turbinibus exagitantur Dæmonum, atque vitiorum,* &c. Beda, & Hugo transcribunt quoque Hieronymum.

y c.5.16.

Fontes in diuinis literis designant gratiam, & scientiam.

z de fide & oper. c.15.

a c.2.17.26.

b 2.con. Iou.

c Psal.35. 6.

Id non Gnostici soli, etsi potissimùm illi, sed cæteri deinceps, ad nostra vsque tēpora, hæretici factitarunt, mirifica etiā opēra facere se posse gloriosè iactātes, frustra conātes. Inter notas istiusmodi hominum, postremā Paulus [d] assignat, *quod sint habentes speciē quidem pietatis, virtutem autē eius* (τὴν δύναμιν) *abnegantes: confitentes* se nosse Deum, *factis negantes* [e]. Quæ de suis Augustinus [f] Manichæis scribit, affirmare de aliis possumus, delira superbia, carnali vita præditos, nihil nisi veritatē resonasse tum sermone, tum libris, cùm tamen etiam de rebus ipsis creatis falsa loquerētur. Præ manibus locus est, ad verbū studiosè cognoscendus, tā bellè nostros exprimit hæreticos. *Vbi fons sine aqua, ibi lutū, & erroris, & peccati, nec lauat sed coinquinat,* ait Glossa Inter. Hugo, Thom. Anglicus. Iudæ similitudo ex nubibus sine aqua habet ean-

d 2.Tim.3.5.

e Tit.1.16.

f 3.conf. c.6.

dem vim ad demonſtrandam ſuperbam hypocriſim hæreticorum. Nubes illæ ſurſum elatæ pluuias arenti terræ pollicentur,ſed in auras abeũt, reddita nobis cœli ſerenitate, quam abſtulerant.

Fõtes propriè nulli ſunt, ſi abſque aqua ſunt. Attamen qui ſiccati ſunt, inane nomẽ adhuc retinẽt:& interdum magno videmus extructos ornatu fontes,ſeu aquarum cõtinendarum è fontibus venientium receptacula,in quibus aquæ requiruntur fruſtra. Talis ementitæ Sapientiæ, ac pietatis imago:quam bene quoque nobis repræſentant *defoſſæ ciſternæ,quæ continere non valent aquas viuas & diuinas* [a]. Lege Ephrem*.

Nebula turbinibus exagitata.] Νεφέλαι ὑπὸ λαίλαπος ἐλαυνόμεναι. Nubes potuit interpres ponere, ſicut apud Iudam [b], *qui vocat iſtas à ventis circumlatas.* Eſt autem λαῖλαψ ſiue turbo plurium conflictus ventorum. Nebula propriè aliud eſt quàm nubes, vocatúrque Græcè ὁμίχλη, vt in Pſalmo [c]: *Nebulam ſicut cinerem ſpargit*, Hebraicè כפור *chephor pruina*,& omne reſiduum nubis,aut reliquię vaporum. Hoc in loco quidam [d] legunt ὁμίχλαι. Denotantur inconſtantes in doctrina, ſicut & in epiſtola ad Epheſios [e]: vbi prætereà fluctuatio additur.

Hic prouoco teſtimonium eorum, qui vel viderunt ipſi,vel certè legerunt, quanta turbulentia diſſideant inter ſe tot in ſectas diſciſſi hæretici:quàm iidemmet ſæpe pugnantia docuerint,& ex vna in aliam Scholam tranſierint. Protheos, chamæleontes,ſinuoſos ſerpentes, euripos meritò dixeris,& ſi quid aliud eſt, quo tantam valeas magis exprimere mutabilitatem adeo alienam à bene fundata ſupra firmam petram Eccleſia [f]. *Inſpecta hæreſes omnes*, inquit Tertullianus [g], *in multis cum Auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur:à regulis ſuis variant inter ſe,dum vnuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur,quæ accepit;quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille,qui tradidit.* Irenæus [h] cùm ſint duo vel tres,ait, *propter inconſtantiam, de eiſdem non eadem dicere, ſed & nominibus, & rebus contraria reſpondere.*

Confirmant hoc Auguſtinus [i], Iuſtinus [k], Hilarius [l], Vigilius [m]:quamuis, vt monet Athanaſius [n], in blaſphemias aduerſus Chriſtum inſtar Herodis,Pilatique conueniant [o]. *Fidem noſtram, dum ſibi aduerſantur,* inquit Hilarius [p], *affirmant:& iſta inconſtantia oſtendunt omnia incerta, & vana eſſe apud ſe,& bellum illorum pax eſt Eccleſiæ. Quomodo,* vrget Iuſtinus, *ſalutis cupidi poſſent tutò religione vera illis credere,inter quos parum conuenit, diſſidentes in ſuis opinionibus?* Ab vno Luthero prodeuntes nũc numerantur ferè centum ſectæ: vixque adhuc, Lutheranis natis,teſtatur Federicus [q] Staphylus, in Anabaptiſtas,Confeſſioniſtas, & Sacramentarios diuidi cœpiſſe; ac rurſum ſingulas in ſectas alias,& alia vſque ad triginta quatuor. Sic illud impletur Eſaiæ [r]: *Concurrere faciam Ægyptios aduerſus Ægyptios. Cupiuit per hæreticos Diabolus*, inquit Auguſtinus [s], *efficere,vt in Eccleſia eſſent liberæ diſſenſiones, quomodo erant in academiis Philoſophorũ; vt ſicut illa per multas diuiſiones tandem interiunt, & ab inuicem conſumuntur, ita fieret in Eccleſia.* Collegerunt nonnulli [illegible], & apertas contradictiones hæreticorum, ac vno de articulo ſententias aliquando propè infinitas, vt de verbis conſecrationis facilè quatuor ſupra octoginta.

Eccleſiaſtici doctores *vt nubes volant* [t], ſed non ſicut volũt,nec à maligno, vel priuato ſpiritu inflati,verùm ab vno, eodémque, *qui ſuggerit omnia* [u],& *docet omnem veritatem* [x] Eccleſię neceſſariã Spiritus ſanctus. *Ad has nubes vſque veritas Dei peruenit* [y]:rore,& aqua tenebroſa occultorũ concreſcunt myſteriorum [z]:magnificentia Dei diſcurrunt [a]:diſtillant aquis [b] librarè deſcendentibus [c], non erumpentibus pariter deorſum [d]. Pluuialis aqua purgatior,fœcundior,leuior, Hippocrate,Galenóque [e] teſte, ac ſatis indicat in Deuteronomio Deus [f]. Denique optabat maximus propheta,doctórque Moſes, *vt concreſceret in pluuiam doctrina eius,& flueret vt ros,vt imber,vt ſtillæ* [g]. Vnde & apud Hebræos ירה *iarah*,eſt,docuit,quaſi pluit: מורה *moreh*; tum docens doctórve, tum pluuia temporanea,ſiue tempeſtiua, quæ ſtatĩm iacta ſemente decidit, & eam excitat, prouehit, fœcundat. Etenim [h] *Benedictionem dabit legiſlator,* inquit Dauid:vel ſecundum verſionem Hieronymi, *Benedictionibus amicietur doctor:*& in Ioële [i]: *Dedit nobis doctorem iuſtitiæ.* Tum explicationis ea ipſa ſubditur: *& deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum,*&c. גשם מורה *gheſcem moreh.* Propterea etiam diuinæ gratiæ,atque verbi abutentes imbre comparat Paulus [k] *cum terra reproba, maledictóque proxima,cuius quia profert ſpinas, ac tribulos, conſummatio eſt in combuſtionem.*

Hæc item cauſa myſtica, cur venturus deſcribatur Deus ad iudicium in nubibus [l], quaſi exprobraturus abuſum traditæ per Prophetas, Apoſtolos,alióſque prædicatores doctrinæ, vt indicat Origenes [m].

Nihilominùs etiam opus aquis fontanis, i. rerum creatarum cognitione. Hugo multiplicem diſtinguit aquam prædicatori neceſſariã, doctrinæ,ad lauandas peccatorum ſordes [n]: Sapientiæ ſalutaris [o]: deſiderij cœleſtis patriæ [p]: benignitatis [q], bonæ conuerſationis [r]: Caritatis decoquẽtis in ventre Eccleſiæ vniuerſos. Propriè dicta nebula pollicetur humorem: ſed aut nullũ præſtat,aut arboribus,frugibúſque exitialem. Talis hæreticorum ſophiſtica, falláxque, & ambitioſa doctrina. Sicut nebula,nec frigore magno generatur, nec æſtu: ita hæretici veluti medij inter Orthodoxos,& alios Infideles. Conflatus nebulæ vapor ex aqua, & terra extollitur:hæreticus à Sapientia terrena videtur aliquantulum eleuari: offundit,ſicut illa ſoli,tenebras veritati:conſciẽtiæ malæ turbinibus,ac iuſtis perſecutionibus illatis ab Eccleſia diſſipatur, quemadmodum nebulam venti reſoluunt.

Quibus caligo tenebrarum reſeruatur.] Οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους εἰς αἰῶνα τετήρηται. Omiſſa eſt interpretatio duarum dictionum *in æternum*, quæ ſunt apud Iudã [s], ſignificatur æterna his,de quibus hucuſq; actum eſt, præparata damnatio, quemadmodum verſu quarto illa, quæ ad malos Angelos pertinet,per rudentes inferni, quas vocatas vidimus [illegible]. *tenebras exteriores* appellat Chriſtus [t], de quibus quid ſentiam ſcire ſi cupis, adi Commentarium meum in Actus Apoſtolorum [u], vbi etiam de tenebris, vt accipiuntur pro carcere, atque pro æterna damnatione, quatenus dicit priuationem luminis gloriæ, ac viſionis beatificæ, non ſolùm tenebras materiales,quæ quia grauiſſimæ,& palpabiles [x], meritò,vt notat Carthuſianus, vocantur *caligo tenebrarum*, quaſi caligo caliginum,eo modo,quo roſa flos florum.

Minus litteralis, licet vetus alter ſenſus Gloſſæ Interlinearis, Hugonis, Thomæ Anglici, & Primatiic[i]j, reſeruari talibus caliginem tenebrarum, vt ſordeſcant ipſi ampliùs, & vt alios

dece[i]

u Ioan.14.26. x in fin 16.13. y Pſal.35.6. z Pſal.17.12. Prou.3.20. a Deut.33.26. b Iudic. 5.4. c Prou.8.28. d Iob 26.8. e lib.de Ponder.& menſu. lib. de Aquis. f c.11.11.&c. g Deut.32.2. h Pſal.83.7. i cap.2.23. k Heb.6.7.8. l Matt.26.64. m Tract.35.in Matth. *Multiplex doctrinæ aquæ prædicatori neceſſariæ.* n Ezec.36.25. o Eccl.15.3. p Ioã.4.13.14. q Prou.5.15. r 1 Pet.2.12. *Hæreticorum doctrina fallax & ſophiſtica.* ſ in ep.verſ. 13. t Mat.8.12.& 22.13.& 25.30. u Act.5.18. c.12.5. x Exod.10. 21.& ſeq.

Ierem.2.13. Tom.3 pa- ... 27.& 47. ep.verſ.12. Pſal.147.16. cap.4.14. Matth 7.25. lib.3.c.5. Eſa.60.8.

decipiant. Videtur idem voluisse Caietanus, dicēs illos seruare obscuritatem fidei, tum morum in æuum illius mundi, sic nempe Græca in æternum explicans per mundum. Etsi verò damnatis omnibus congruit pœna caliginis tenebrosæ, *quia dilexerunt magis tenebras, quam lucem* [a], *& rebelles lumini fuerunt* [b], peculiariter tamen, magisque proprio modo falsis doctoribus, qui obstiterunt, quo minus aliis illucesceret Sol: nec pro ratione muneris sui [c], lucem mundo dederunt.

Iudas [d] apte sanè nominās *sidera errantia*, ἀστέρας πλανῆτας dicit, *quibus procella tenebrarum seruata est in æternum*. Siue planetas, (qui sic appellantur ab errore ἀπὸ τῆς πλάνης) intelligamus, siue ignitas impressiones meteorologicas, quas nominant ἀστέρας διαΐσσοντας. Hæreticorum lux mendax, ac instabilis est: Sed quamlibet se *transfigurent in Angelos lucis* [e], profunda mergentur nocte in sempiternū, & penitus euanescent.

a Ioan.3.19. b Iob 24.13. c Matt.5.14. d vers.13. *Hæreticorum lux mendax & instabilis.* e 2.Cor. 11.14.

Vers. 18.] Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur.

HÆc videri possit veluti ratio, cur caligo tenebrarum reseruata dicta sit, vel quia permissi diutius pseudoli magistri viuere alios deceperunt, vel quia tanquam nebulæ altius eleuatæ, superba prolocuti sunt, sed vana, vtpote vacui, nec aquas cōtinentes, ac tenebras dumtaxat obtendentes, quibus eorum discipuli obcæcati, tenebrarum sunt opera sectati, hoc est, carnis, quæ mentem obtenebrant. Illos autem hi etiā in fraudem trahere conantur, magnifica quædam promittendo, qui aspirant ad meliora. Scilicet disputationes instituunt de rebus difficilioribus & obscurioribus, eas etiam sermonis inumbrando noua quadam obscuritate, vt Gnostici quondā vocabulorum recens excogitatorum barbarie [f]: *habentes loquentium magna & ingentia* [g], & vt est apud Iudam [h] *superba, linguam suam magnificant* [i], *multiplicant loqui sublimia glorrantes* [k]: *ponunt in cælum os suum* [l]: *ambulās in magnis, & in mirabilibus super se* [m]: non dubitant sese præponere Prophetis, Apostolis, Doctoribus, Angelis: vt de Luthero, Caluino, & aliis ætatis nostræ superbissimis hæreticis testantur ipsorummet scripta, & de Simone Mago, Gnosticis & aliis hi, qui contra ipsos scripserūt [n]. Sed & de impurissima eorumdem vita dictum antea, quantum decori ratio patitur, satis.

f Irenæ. lib. 1. c. 17. g Dan 7.8. Apoc. 13.5. & seq. h vers. 16. i Psal. 11.5. k 1. Reg. 2.3. l Psal 73.9. m Psal. 130.1. *Hæretici se ipsis Angelis præponunt.* n citat Feuardon. huc, & in epist. Iudæ.

Superba enim vanitatis loquentes.] Ὑπέρογκα γὰρ ματαιότητος φθεγγόμενοι. Vim cōtinent singula verba magnam: quæ sic reddi aliter possunt, (reiecta qua vtuntur enarratores antiqui mēdosa lectione)(*superbia*) pro (*superba*) cum Vatablo, Erasmo, Gagneio, siquidem vbi vehementer fastuosa, *vel intolerabilis vanitatis, aut in vanitate verba fecerunt.* Augustinus editionem nostram sequitur [o]. Hieronymus [p] hoc modo: (*loquuntur enim verba tumentia*) & paulo post, sententiam totam Iouiniano applicans, *Descripsit*, inquit, *sermo Apostolicus Iouinianum loquentem buccis tumentibus, & inflata verba trutinantem.* Est ὑπέρογκος supra modum turgidus, ac nimia mole turgens: quamuis interdum significet grauem, magnificum, excellentem, præterea ingentem, nimium, &c. Facit ad præsentem Plutarchi [q] locus: Ἡ μὲν γὰρ λέξις, ὑπέρογκος, ἀπόλιτός ἐστιν· ἡ δὲ ἰσχνή, λίαν ἀνέκπληκτος. *Nam & nimio turgens fastu oratio, ad res cinules inepta est: &*

o de Fide, & operib. c. 24. p 2. con. Iouin. *Iouinianus describitur Apostolo iuxta B. Hieronymum.* q de educa. liberorum.

nimis gracilis nihil habet ad percellendum roboris. Iudas [r] eādem vtens phrasi, ait: *Os eorum loquitur superba:* τὸ στόμα αὐτῶν λαλεῖ ὑπέρογκα. Quid sit ματαιότης, clarum, & sæpè a me declaratum in Ecclesiastis commentario. Denotat hic inanitatē, & vacuitatem illam nebularum, siue nubium, atque fontium, de qua prius egimus; præterea, superbiam eo magis ὑπέρογκον & importabilem esse, quod, vt aliquando fit, absque omni causa, vel fundamento concitata sit. *Vir vanus in superbiam erigitur* [s]. Vir נבוב *nabub*, inanis, inflatus, vacuus, concauus, nihil habens soliditatis: quo etiam nomine altare describitur, in Exodo [t], quod imperabat fieri Deus, nempe non solidum, sed inane, & cauum intrinsecus. Qui fatuus Latinè apud Matthæum [u] dicitur, idem est quod raka, hoc est, vacuus cerebro, ac etiam exhaustus a suis bonis, & nullius pretij, & momenti. Citato loco Iob comparat illam vani hominis superbiam cum asinina stoliditate: & tanquam pullum onagri se liberum natum putat. Quæ comparatio valde congruit sententiæ versus sequentis, in quo sermo habetur de libertate, quam sibi, suisque vendicant hæretici, sed Græci in catena explicant de tarditate in cognitione diuinarum rerum: Et sicut asinus solitarius vagatur, & errat, ita illos qui aberrant à via recta Orthodoxæ fidei, nihil Deo dignum concipere, & loqui.

r vers. 16. s Iob 11.12. *Vir vanus & inanis quis sit.* t cap. 27. 8. u cap. 5. 22.

Postremò, quod hic dicitur *loquentes*, Græcè est φθεγγόμενοι, vel in Aoristo primo mediæ vocis, φθεγξάμενοι. Licet autem Iudas vsurpet verbum λαλεῖν, & hoc ei synonymum possit esse, tamen propriè φθέγγομαι per onomatopœiam significat sonum, aut vocem edere. Quare indicatur, hæreticos resonare potius, vociferari, ac instar nubiū aquis vacuarum tonare, mugire, sonum sine fructu emittere, in clamore, vocisque contentione victoriæ summam constituere.

Pelliciunt.] Δελεάζουσιν *inescant*; sicut versu decimoquarto *pellicientes* δελεάζοντες.

In desideriis carnis luxuriæ.] Ἐν ἐπιθυμίαις σαρκὸς ἀσελγείαις. Alij [x], ἀσελγείας, & sic facilior sensus allēt *in desideriis carnis luxuriosa*, & *in* erit pro *per*: vel si sit pluralis Datiuus ἀσελγείαις, supplendum καὶ, *in desideriis carnis, & lasciuiis, siue libidinibus, aut luxuriis.* Luxuriam verò interpres forsan sumpsit pro luxu, significans istum vel suasisse, vel etiam suppeditasse hæreticos, vt carnalibus desideriis possent satisfieri, aut eorum, quos ad suam pertraxerunt disciplinam, abusos facilitate, vt colligerent propria commoda potiùs, quàm ipsorū vtilitatem. Est ἀσέλγεια petulans, & proterua libido, & lasciuia, aut iniuria: & ἀσέλγεια τῆς δαπάνης, immodicitas sumptus, opposita τῷ μετρίῳ, καὶ σώφρονι. Huc reciderunt superbi illi sermones, ac magnifici de arcanis, & altis mysteriis, huc laruatæ illa sapientiæ, & pietatis, *in homines impij*, quod ait Iudas [y], *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam* εἰς ἀσέλγειαν, abutentes, verbi gratia, nomine sacro caritatis ad promiscuum fœminarum vsum: redemptione Saluatoris ad peccandi licentiam: euangelica libertate, vt hic paulò post subditur, ad omnis legis contemptum, ac inobedientiam.

x apud Rob. Stephan. *A'σέλγεια quid sit.* y in ep. vers. 4.

Ferunt Selges Cappadociæ vrbis, aut inter hanc, & Galatiam sitæ ciues libidinis omni genere notatissimos fuisse, potissimùm in prostituendis mutuo suis corporibus: vnde καὶ ἀσελγεῖς τοὺς ἀσελγεῖς vocatos ἀσελγεῖς *proteruos, lasciuos.* Meminit olei Selgitici Plinius [z], quod neruis admodum vtile

z lib. 15. c. 7. lib. 23. c. 4.

ſit. Illud Selgenſes creduntur inueniſſe, vt vites nimia venere amiſſas, neruóſque debilitatos confirmarent. Scio aliis [a] placere in eadem voce Græca *ἀ σμεναῖον* eſſe, & dictæ ciuitatis incolas temperantiſſimos extitiſſe. Vtrauis deriuatio ad propoſitum noſtrum perinde eſt.

a Auctor Theſau. Græci refert.

Itaq; ad adeo ſacrilegas libidines per ſpeciem primùm religionis antiſtites improbiſſimi ſacrorum ſuorum candidatos deducebant, vt pridem dixi: nec apertè ſtatim videri impudentes ficta illos prudentia ſinebat, ſed honeſti potiùs laudationem ceu velum obtendebat, in hoc conuenit illud ex Satyra [b]:

b Iuuen. ſat. 2.

—Sed peiores qui talia verbis
Herculis inuadunt, & de virtute locuti
Clunem agitant.

Luxuriat oratio, quoties dicere vult in luxuriam, hoc eſt, Abũdat ſemper nouis argumentis aduerſus illam. *Omnium illecebrã vocat malorum Nazianzenus* [c]. Ab ea denominatur quis abſolute peccator, vt Magdalena [d], de qua eiecta ſeptem dæmonia [e], vniuerſitatem deſignant vitiorum: *& qui peccator ſit, à meretrice capiendũ*, Eccleſiaſtis ſcribit Auctor [f]. Ruben inceſtuoſus *ſicut aqua effuſus dicitur* [g]: aqua enim effuſa nil in vaſe, vel saporis, vel odoris reſidet. In libro itidem de Teſtamẽto duodecim Patriarcharũ nominatur *fornicatio mater omnium peccatorum*, & ex Apoſtolica traditione proditur, illi obnoxium, per annos ſeptem communione priuatum, quamuis reſipiſceret. Id vehementer demiratur Climacus [h], cùm tanta hæretici pœna non puniantur. Montaniſtæ, ac Nouatiani nunquam tales recipiebant, vt meminit Ambroſius [i]. Laudat Euripidem Ariſtoteles [k], quod *τ' ὄνομα τῆς ἀφροδίτης ὀρθῶς* interpretatus ſit, cum diceret:

c in Tetraſtich. ſenten.
d Luc. 7. 37.
e Mar. 16. 9. Luc. 8. 2.
f cap. 7. 27.
g Gen. 49. 4.
h Gradu 15.
i in 1. Cor. 6. & in 2. Cor. 12.
k 2. Rhet. c. 23.

Ἀφροσύνης γὰρ ἄρχουσα θεά.
Dea enim eſt amentiæ præfecta.

Oſeas ait [l], quòd *Fornicatio & vinũ & ebrietas auferunt cor* [m], *& non dabunt cogitationes ſuas vt reuertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Dominũ nõ cognouerunt*. Caſſianus [n] negat *ſine integritatis caſtimonia ſcientiam ſpiritualem poſſideri poſſe*. Et ideo Paulum inter Apoſtolos dono ſapientiæ excelluiſſe, quoniam ſtuduerat illi virtuti diligenter. Addere Ioannem potuit.

l cap. 4. 11.
m cap 5. 4.
n 6. inſtit. c. 18. *Sine caſtimonia ſcientia ſpiritualis poſſideri non poteſt.*

Eos, qui paululum effugiunt.] *Τοὺς ὀλίγον ἀποφυγόντας, qui paululum effugerant*. Fortaſſe legit interpres *ἀποφεύγοντας* [o], participio præſentis tẽporis. Alij [p] quoque codices pro *ὀλίγον* habent *ὀλίγως*, vel *ὄντως* [q] ſic, id eſt, vtcumque: vel *ὄντως*, id eſt verè. Porrò *paululum* non denotat, quod non perfectè, ſed ex parte duntaxat fugerint peccata, vel quod hæc quidem etiam, at non circumſtantias, & pericula eorum, vel quod nondum adhuc in fide firmi: non item, quod enim aliquãtulum receſſiſſent ab Eccleſiæ doctrina decepti fuerint ab hæreticis. Hoc vltimum Lyranus docet: alia Hugo, Carthuſianus, Titelman', Primaticcius, Sà, Thomas Anglicus, Arias, Caietanus, Gagneius, Catharinus. Sed ſenſus eſt; deceptos ab hæreticis illos, qui haud ita multò antè fuerant ad Fidem, & vitam Chriſtianam conuerſi. Hunc ſenſum, quæ ſequuntur, magis illuſtrabunt, & eum innuit Salmeron, Oecumenius verò apertè tradit. Valde fauet Hieronymus [r] legens hunc locum hoc modo: *Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in deſideriis carnis luxuria eos, qui paululum effugerant, & ad errorem reuerſi ſunt*. Auguſt. [s] præterea mens videtur eadem, nam ita recitat: (*Superba enim vanitatis loquentes, illiciunt in concupiſcentiis carnis impudicitia eos, qui paululum effugerunt in errore conuerſati.*

o eiuſt Rob. Steph. aliquot cod.
p Aldi, & Rober. Stephan.
q Vatablus id ſuſpicatur.
r 2. pont. Iouin.
s de Fide, & oper. c. 25.

Qui in errore conuerſantur] *Τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους*, id eſt, hæretici pelliciunt, & ineſcant eos, qui iam aliquantulum, ſeu ab aliquo tempore, aut reipſa, & omnino effugerant, ac euaſerant ex commercio, & ſocietate, ſcholâve illorum, qui videlicet verſantur in errore, ſiue Gentiles hi ſint, ſiue Iudæi. Hæreticos intelligit Adamus, quos effugerint alij. Si de illis accipiamus, magis cohæret cum ſequentibus prouerbiis, quæ pertinent ad eos, qui à vera doctrina, & pia vita receſſerint, & relàpſi ſint in priſtinos errores, atque peccata, vt fugerint hæreticos, non quibus crediderint priùs, ſed quibus nunquam adhæſerint, licèt cùm primùm vellent fieri Chriſtiani, ab iis ad ſuam ſectam inuitarentur. Quocirca facile pellecti ab hæreticis illi Catholici intelliguntur hoc loco, qui antea tempore aliquo manſerant in veritate, & fugerant errantes, ac in errore verſantes. Vnde, præter alias expoſitiones antea reiectas, illa alia Caietani non etiam placet, vt quemadmodum paulùm effugientes vult eſſe, qui parum declinant à tecto; nã in errore conuerſantes qui errant in intellectu fidei, aut verſantur familiariter cum hæreticis. Hieronymus [t], quem paulò antè citaui, pro *in errore conuerſantur* legit *ad errorem reuerſi ſunt*, ſignificans illos ipſos pellici ab hæreticis ad voluptates carnis, quibus errores perſuaſerunt, vt in his erroribus magis confirmentur per voluptatum delinimenta. Auguſtinus [u] quoque præterito tempore vſus eſt *in errore conuerſati*, ſed errorem, in quo erant, ſignificat, non ad quem redierint. Iuxta editionem noſtrã planior expoſitio quam attuli. Et quamuis *ἀναστρέφεσθαι* ſit & reuerti, & conuerſari, poſteriorem tamen cum interprete, aliiſque pluribus recipere notionem debemus. Hieronymus [x] breuius locum iſtum legit: *loquuntur enim verba tumentia, & inductos facile illecebris carnis irretiunt*, per *facile* intelligens (*eos qui paululum effugiunt*) id eſt, qui non euadunt, licet aliquantulum videantur obniti: per *inductos*, qui in errore verſantur.

t ſupra.
u ſupra.
x 2. contr. Iouin.

Cum recens conuerſis præcipuè vel ab infidelitate, vel à laxiore vita Diabolus per ſe, pérque ſatellites ſuos duriores ac diligẽtiores exercet pugnas, ne bene firmatis viribus ipſorũ, difficilior iiſdem ſit victoria. Monet [y] exercitatus pugil, *vt accedens ad ſeruitutem Dei, ſtet in iuſtitia, & in timore, & præparet animam ſuam ad tentationẽ &c. Suſtine ſuſtentationes Dei, coniungere Deo: κολλήθητι αὐτῷ, agglutinare ei, vt creſcat in nouiſſimo vita tua, ἵνα αὐξηθῇς ἐπ' ἐσχάτων σου, vt creſcas, & proficias magis magiſque.*

Cum recens conuerſis diabolus per ſe & ſatellites duriores exercet pugnas.
y Eccl. 2. 1. 3.

Verſ. 19.] Libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis: à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.

HIc pelliciendi, ac ineſcandi facilis, & efficax modus libertatem polliceri, tum à reatibus peccatorum, tum ab obligatione legis, tum à poteſtate dominorum, & magiſtratuum, ita vt liceat liberè, ac impunè quiduis agere, quod eſt filiorum Belial, i. *ſine iugo*. Sed hæc vaniſſima pollicitatio ab iis fit, qui omnium errorum, vitiorúmque teneantur aſtricti ſeruitute.

Pelliciendi hæreticis facilis modus eſt libertatem polliceri.

Refellimus iam pridem tam seditiosas, ac perniciosas hæreses in epistola præcedente [a], vbi Petrus reprehendebat *velamen malitiæ habentes libertatem: præcipiebat verò seruus, ac subditus obedientiã.* Qui solam exigunt fidem hæretici, summam offerunt libertatem: immo nõ verentur sanctos viros, quòd carnis desideriis non seruierint, inter reprobos collocare. Soli liberi, *qui de manu inimicorum liberati, seruiunt Deo in sanctitate, & iustitia* [b]: *qui liberati a peccato, serui facti sunt iustitiæ* [c]. (hoc est, omnis virtutis,) & *fructum habent in sanctificationem* (quam dare sola non potest fides) denique *quos Filius & veritas liberat* [d], à qua veritate alienus est, qui præceptis diuinis minimè parendum censet. *Vos in libertatem vocati estis fratres*, inquit Paulus [e] (etsi potissimùm de libertate loquitur ab onere legis ceremonialis, vt à circumcisione, &c.) *tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Sed sint, quæ aliàs hac de re dixi, satis.

Ioannes Driedo propriè scripsit opus de Christiana libertate, déinque argumentũ ab aliis pertractatum est. Augustinus [f] opponit vtrumque præsentis, ac prioris epistolæ locum negantibus operum necessitatem, soláque contentis fide: immò, vt aliàs monui, scribit [g], contra istum errorẽ editas epistolas, Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ. Argumentatur quoque [h] cum Petro, nec libera voluntas dicenda est, quamdiu est vincentibus, & vincientibus cupiditatibus subdita: *A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est*, cui Tullianum simile paradoxum, *solum sapientem liberum esse.* Item colligit [i] ex iisdem verbis, bonum, etiam si seruiat, liberum esse. (Extat Tractatus Philonis, *Quod solus sapiens sit liber*) & vulgatum est, Alexandro Magno scripsisse Brachmanes, cùm spoliaret externos, internos hostes alere: seruire appetitui, qui sibi subiiceret homines [k]:) *Malũ, etiamsi regnet, seruum esse nec vnius hominis, sed, quod est grauius, tot dominorum quot vitiorum.* Rursus copiosè simul ac piè tractans de hac eàdem libertate [l], ait inter alia: *Erit voluntas tua libera, si fueris pia: eris liber, si fueris seruus, liber peccati, seruus iustitiæ* [m]. Adhæc, Christus [n] ait, filius Dei, qui dixit [o]: *Ego sum veritas, liberos nos faciet, hoc est, liberabit nos, non a Barbaris, sed à diabolo: non à corporis captiuitate, sed ab animæ iniquitate. Solus est, qui sic liberat. Nemo se liberum dicat, ne seruus remaneat. Non remanebit in seruitute anima nostra: quotidie dimittuntur peccata nostra.*

Tandem docet [p] in Ecclesia remanere veram subiectionem seruorum sub dominis, verum per bonam voluntatem facere seruos posse seruitutem quodammodo liberam, & non fecisse Christum de seruis liberos, sed de malis seruis bonos seruos. Aliquot aliis [q] locis meminit, cõfutátque dictam hæresim; quod sola sufficiat fides. Iodocus Clichtoueus insertis suis Commentariis in eos, quos à Cyrillo Alexandrino non perfectos habemus in Ioannem [r], à libro quinto vsque ad nonum præclarè discrimen statuit inter corporalem, & spiritualem seruitutem, tractans verba Christi [s], *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati:* Docet corporalem omnes auersari, & detestari, pro virib. fugere: seruitutem peccati nec satis cognosci, nec displicere, sed ei applaudi, colludi, in dies augeri, quod propter voluptatem, præ se ferat speciem libertatis: seruos hominum, suos sæpe sæuos dominos deserere, aut saltem mutare: seruitute peccati nexos, quò fugiant, non habere, vindice semper illos comitante, & duriter extimulante conscientia. (Id etiam affert Augustinus [t]) corporalem plerumque citra culpam subiri: peccati, nostra sponte contrahi (si de originali peccato loquimur, capitis nostri voluntate:) illam morte tandem finiri, hãc perpetuò durare, nisi quis eius ante mortem excusserit iugum: cum libertate corporali spiritualem seruitutem, cum corporali seruitute libertatem spiritualem iungi posse: *peccati seruum non manere in domo Dei in æternum* [u]; *non in Ecclesia, quòd attinet ad meritum, licet sit secundùm numerum; non in domo mansionum beatarum* [x] *quoniam non intrabit illuc aliquid coinquinatum. Est* [y] ἐλεύθερος, ait Suidas, ὁ ἐλεύθων ὅπου ἐρᾷ, *vadens quò libet.* Hoc Etymon pluribus illustrat exemplis noster Lælius Bisciola [z] aliorum Auctorum, sed magis vniuersè is est, qui quod vult, facit, dummodo id placeat Deo. Solus enim probus liber, vt demonstrat opere proprio Philo. *In regno nati, Deo parere libertas est*, ait Seneca [a]. Tritum illud Augustini: *Ama, & fac quod vis.*

Lex perfectæ [b] libertatis, nimirum à seruitute legis [c], peccati [d], corruptionis [e], sed vltima libertas, futuri seculi est, ius nunc ad eam datur, *quoniam vbi spiritus Domini, ibi libertas* [f]. In quolibet homine rationis compote liberum est, non seruum, vt hæretici loqui solent, arbitrium quatenus liberè potest operari, licet qui peccatis irretitus est tanquam funibus [g], hac ratione seruus censeatur, quantumuis externa potiatur libertate, & magnificè obequitet interim; dum qui reuera princeps est apud Deum, veréque liber, etsi forte sub humanæ seruitutis iugo sit, ambulet super terram, vt Ecclesiastes [h] docet, quem hoc sensu mysticè cum Gregorio [i] exposuimus in Commentario. *Semel donando nobis Christus omnia delicta delens quod aduersum nos erat* (seruitutis) *chirographum contrarium nobis, ac tulit de medio, crucique affixit* [k]. Infelix homo renouat chirographũ, seséque denuo peccãdo mancipat eidem pessimo domino, *agit libera malum voluntate, quæ sic fit damnabilis ancilla*, inquit Augustinus [l], *sed sine gratia non agit bene.*

Ex præsenti loco vilitatem peccati, rerúmque omnium creatarum, si cum Deo conferantur, colligit Ephrem [m], vehementer admirans, si quis sit, *qui seruire creaturæ malit, quàm Deo creatori* [n], non modò Idola venerando, sed quodcumque graue peccatum patrando. Licet eàdem ratione diritatem exactoris, ac tyranni Diaboli considerare, cuius ligatus laqueis tenetur tanquam captiuus, peccator [o]; & ab hoc *huius seculi Deo*, id est, qui colitur à seculo pro Deo (vocatus quoque *mundi princeps* [p], *ac rector* [q] *mundi*, eo fere modo, quo lurconum *Deus venter* [r]) mẽs illius excæcatur sicut Samson [s], & Sedechiæ [t]. Id autem fit, dum sinit Deus ac deserit iusto iudicio suo ingratum peccatorem, *sicque tradit desideriis suis, quibus*, vt ait Augustinus [u], *cedit, consentit, vincitur, trahitur, capitur, possidetur*: Quia à quo quis deuictus est, huic & seruus addictus est.

Hoc ipsum quò melius perciperetur, & caueretur inuisibilis tanta tyrannis hostis immanissimi, permittit diabolo Deus interdum facultatem obsidendi humana corpora, maléque tractandi & vexandi: quin & olim criminosiores quidam Satanæ tradebantur [a]: testísque Dionysius [y] lapsos in vitia, vel etiam negligentiùs insistentes in via Domini, tam duro solitos in

a 1.Pet.2.16.17.

Hæretici summam offerunt libertatem.

Qui sint verè liberi.

b Lucæ 1.74.

c Rom.6.18.22.

d Ioan.8.32.36.

e Gal.5.13.

f de Fide, & oper.c.14.

g ibid. c.14.

h ep.144. ser.13. de verb. Apost. ser.27. & 144. de tempor. 19. de ciu. c.15.

i 4.de ciuit. cap.3. *Bonus etiamsi seruiat, liber est.*

k B.Ant.4. par. Theol. tit.14.c.6.§.4. *Malus etiamsi regnet seruus est.*

l Tract.41. in Ioan.

m Rom. 6.20.

n ser.43 de verb. Dom.

o Ioan.14.6.

In Ecclesia vera remanet subiectio seruorum sub dominis.

p 1.de ciuit. cap.15. & in psl.124.

q 21. de ciuit. c.21. & 26. Enchir.c. 67. de hæresib.c.54.

r lib.6. c.2.

s Ioan.8.34. *Corporalem seruitutem auersantur omnes, peccati seruituti applaudunt.*

t Tract. 41. in Ioan.

u Ioan.8.35.

x Ioan.14.2.

y Apoc.21.27.

z 3.Hor.subcess.c.8.

Solus probus liber est.

a lib. de vita beata, c.5.

b Iacob.1.25.

c Gal.4.31.

d Rom.6.22.

e infra 8.21.

f 2.Cor.3.17. *Homine in quolibet est liberum arbitrium.*

g Prou.5.22.

h cap.10 7.

i 31.Moral. c.10.

k Col.2.14. *Homo agit malum libera voluntate, sed sine gratia non agit bene.*

l serm.13. de verb.Apost.

m Tom.1.ser. hortato. ad pœnitent.

n Rom.1.25.

o 2.Tim.2.26.

p Ioan.12.31. c.14.30.

q Eph.6.12.

r Philip.3.19.

s Iudic.16.21.

t Ierem. 9.7.

u 5.con.Iulianum, c.13.

Diabolus primæ Ecclesiæ temporibus negligentiam in opere Dei insistentes duro vexabat.

x 1 Cor.5.4. 1.Tim.1.20. quibus locis Ambr. Theophyl. & alij.

y Eccl.hierar. c.3.Par.4.

primis illis Ecclesiæ temporibus verbere casti- garis;quod item ex libris de Prouidẽtia, quos scri- psit Stagyrio energumeno Chrysostomus, cogno- sci magis potest. Typus diabolicæ captiuitatis nostræ in hac vita, Hebræorum in Ægypto ca- ptiuitas fuit, & in Babylone:hæc verò quam nũc patiuntur, æternam designat Damnatorum. An- tiochus [a] monachus mendacio deditum Diaboli mancipium prolato hinc vocat testimonio. Cas- sianus [b] accommodat eandem sententiam ad eos, qui suo ventri inseruiunt;& ita quoque loquitur Paulus [c]. Libertinos hæreticos hæreticus Calui- nus proprio confutat libro: quos & Antinomos licet appellare, Lutheríque discipulos, vt ex Lu- theri libro de libertate Christiana, & ex alio de Votis apparet.

Serui corruptionis.] Δοῦλοι τῆς φθορᾶς. Superari à corruptione vitiorum:quę vitia corrumpũt quo- dammodo bona naturæ,& spoliant bonis gratiæ: vel obedientes fomiti,& corruptæ carni: vel dia- bolo parentes, qui corruptio quoque dicitur:vel rei corruptionis,ac damnationis æternæ. Hiero- nymus [d] legit:*serui vitiorum,atque luxuriæ, & corru- ptionis.* Disputat S. Thomas [e] ,an peccatum natu- ram corrumpat. Quemadmodum corruptio de carnali peccato peculiariter accipiatur,dixi non- nihil versu 12. Videlicet castitas, integritas quæ- dam est, & carnis requirit integritatem; huius dissolutio, ac effractio vocari solet corruptio et- iam iuxta vulgarem loquendi vsum: in scriptu- ris autem extant exempla nonnulla [f].& denota- tur simul sanies, vel tabum, *vt cùm cicatrices cor- ruptæ dicuntur* [g]. Caro, corpúsque animi carcer di- citur & sepulchrũ,Græce σῶμα, quasi σωζόμενον, vel vt σῆμα: Si præter naturalem necessitatem, quæ huic animum illigauit,accedat morum con- tagio, quanta existet corruptio? quàm fœda, & horrenda seruitus?

A quo enim quis superatus est,huius & seruus est.] ᾧ γὰρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται. Solet Augustinus aliquoties antea citatus, recitare hoc modo præ- sentem sententiam: *A quo enim quis deuictus est,huic & seruus addictus est.* Hieronymus [h]: *Vnusquisque enim ei subiacet passioni, à qua vincitur.* Hæc seruitu- tis origo iure Gentium, & quidem non prima- riò,sed secundariò [i] antiquior,quàm Lacedæmo- niorum εἱλωτεία,de qua Strabo [k] (ἀπὸ τῶν εἱλώτων, qui ἀπὸ τῆς ἕλους, quod est nomen loci, teste Pau- sania [l]) & Plinius [m], qui falsò prodit seruitium Lacedæmonios inuenisse, sicut & Stephanus [n] Chios, Athenæus [o] illos, aliósve qui de re tota multa differit, nec non Stobæus [p]. Gabaonitas multo prius constat ab Hebræis, qui & ipsi ser- uierunt in Ægypto,iuxta vaticinium Abrahę fa- ctum [q],perpetua seruitute damnatos [r]:& vetu- stior Noe minatus est,ac prædixit Chananęorum seruitutem [s].

Pluribus controuersiam de seruitutis origine tractauimus alibi,eámque esse, quam nunc dixi- mus, docuimus non à naturali quadam corporis constitutione,aut ingenij conditione,sicut præ se fert Aristoteles [t],Albinus [u] post Augustinum [x], vel iniquitate seruitutem factam scribit, vel ad- uersitate. Docet id exemplum iam dictum filij Noë,& venditi Ioseph [y]. Variam præterea serui- tutis partitionem affert idem Augustinus [z], ac B.Thomas [a],Corporis, & externam in posterita- te Cham, id est, in Chananæis completam docet Primasius [b],Strabus [c], Carthusianus [d], Caieta- nus [e],cùm illos Hebræi subiugauerunt bello,sed illustrius est in Gabaonitis. Basilius [f] enumerat seruitutis causas,vim,vt in captiuitate: egestatẽ, vt in Ægyptiis tempore famis; parentum prudẽs arbitrium,qui melioribus filiis deteriores parere voluerint,non tam condemnationis ergo, quàm beneficij,sicut auriga currui,nauigio gubernator præficitur.

Cum Petri verbis consentit Latinæ vocis ser- ui vulgaris deriuatio a seruando,quod hi,qui io- re belli poterant occidi, à victoribus cùm serua- bantur,serui fiebant. Idem denotat mancipij vox, quod manu ab hoste caperetur. Hæc omnia de nomine vtróque, ac de seruitutis origine simul tradit Augustinus [g],& Iurisconsulti [h].

Qui seruitio addicuntur pœnæ nomine, huc reuocari possunt,quasi conuicti,& victi. Qui se- ipsos vendunt, sic quodammodo vitam redimũt. Quanquam ea in venditione,vel traditione spe- ctarunt sancti nonnulli diuiniorem finẽ, vt Pau- linus Episcopus Nolæ redẽptionem captiuorum aliorum [i]. Serapion Sindonites cõuersionem do- minorum suorum, qui arte mimi, & Gentiles erant professione, & rursus alterius secta Mani- chæi [k].,& agnouit etiam Plato [l] ingenuam serui- tutem,liberámque virtutis causa susceptã,quan- do quis addicit se alicui,vt melior,& doctior euadat. Quam sit honorifica seruitus Dei, & quot debita nominibus Deo, hîc dicerem,nisi alibi [m] dixissem. Sufficiunt instituto quæ hic attulimus.

Vers. 20.] **Si enim refugientes coinquina- tiones mũdi in cognitione Domini no- stri, & Saluatoris Iesu Christi, his rur- sus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.**

Videtur dilemma,quo cõuincitur, magistros illos mendaces, esse seruos. Etenim aut Christi nondum verè nouerunt virtutẽ, ideóque serui sunt peccati, ac sibi similes discipulos con- seruant,aut nouerunt quidem; sed ad peiora re- uersi sponte peccant:sic verò maius, grauiúsque iudicium subeunt. Porrò quia qui superatus est, eius, qui superauit, factus est seruus: antea non videtur fuisse,qui non erat seruus. Talis omninò, qui nõ electione, sed natura seruus Diaboli pro- pter peccatum originale, quamuis & actualibus eandem seruitutem veluti magis confirmauerit, nouoque titulo stabiliuerit, & secũdum primam institutionem Dei nec in peccato nasci, concipi- ve debuerit. Sed per baptismum in libertatem vindicatus, rursum eidem se seruituti peccando sponte subiecit,séque superari passus est. Huius conditio peior,vt esse fugitiui serui,vel rei solet, quando recuperatur:aut morbosi, seu vulnerati, cùm relabitur in eundem morbum,eádémve vul- nus excepit parte,quod curatum fuit.

Intelligit autem Petrus tum hæreticos, tum ad idololatriam reuertentes. Ex posteriore ge- nere creditur à nonnullis Demas fuisse, quem Paulus *suum aliquando adiutorem* [n], posteriore *de- sertorem, & seculi amatorem* [o] *vocat*. Thessalonicæ, quò abiisse idem scribit [p],Dorotheus [q] prodit si- mulacrorũ sacerdotem factum. Arbitrantur alij resipuisse, quod mentionem de ipso Paulus ad Philemonem honorificè faciat,quam putant epi- stolam ea,quæ ad Timotheum est secunda poste- riorem. Verior sententia, quam Baronius [r] tue- tur, negans quod retulit Dorotheus. Amari cer-

a hom. 41. b 5. instit.c.13. c Rom.16.v.18. d 1.cont.Io- uin. e 1.2.q.71.a.2. Castitas inte- gritas quædam f Gen.6.11.12. Deut. 8.5. Apoc. 19.2. g Psal.37. 6. h 2.cont.Io- uin. i Iustinianus instit. de iure. k lib. 8. l in Laconicis. m lib.7. c. 56. n lib. de Vrbib. o lib. 6.c. 18. p ser. 6. & 83. q Gen.15.13. r Iosue 9.22. s Gen. 9. 25. t 1.Polit.c.3. u in Genes. x 19. de ciuit. Dei c.15. y Gen.37. 28. z de vera Re- lig. c.41. a 2.2. q.57. b in Ioan tract. super Iudæos c in Genes. d Gen.9.25. e ibidem.

f de spiritu S. c. 20. *Seruus vnius tam- for ... grat.* g Quæst.153. in Gen. 19. de ciu.c.15. *Qui seruitio addicuntur pœnæ nomine* h instit. de iure personæ i Aug. de ciu. Dei. k Pallad. c. 83. l Plato in Sympos. m Act. 2. Demas Pauli adiutor postea desertor. n Coloss. 4.14. o 2.Tim.4.10. p supra. q in synops. r 1.Tom.An- nal. in anno Christi 61. p.588.

tè ſeculum poteſt ſine apoſtaſia: potuítque reſiliens à Paulo tribulationis metu Demas, meliora capiens conſilia, poſtea redire. Simile quod Haymo [a] de apoſtaſia ſcribit Alexandri ærarij, de quo Paulus ad Timotheum [b].

a in 2. Tim. c. b 1. Tim. 1. 20.

Verumtamen vt redeamus ad inſtitutum de periculis, & grauitate recidiui, vt vulgo loquuntur, imitatus eſt Petrus in poſtremis verbis verſiculi præſentis illam ſententiam Chriſti [c]: *Et ſiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus*. Peſſimos experimur, qui de Catholicis hæretici, qui de Religioſis euaſerunt ſeculares, vt de his diſertè ſe Auguſtinus [d] expertum teſtis optimus eſt, atque Anſelmus [e]. Ad idem facit monitum ſanato datum paralytico [f]: *Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*: Eadem vis parabolę ſerui non dimittentis parua debita conſeruo, cùm ei tanta dominus dimiſiſſet, vt propterea compulſus fuerit etiam nouiſſimum quadrantem reddere [g]: Sumunt nimirum nouo peccato incrementum ex ingratitudine præſentis remiſſionis; quamuis remiſſorum non redeat reatus, vt ſanior habet Theologorum ſententia.

c Matt. 12. 45. *Qui de Catholicis hæretici, & de religioſis ſeculares fiunt, peſſimi ſunt.* d epiſt. 137. e in c. 6. epiſt. ad Heb. f Ioan. 5. 14. g Matth. 18. 23. & ſeqq.

Poſſunt eodem referri teſtimonia alia vtriuſque Teſtamenti. Ex vetere: *Languor [h] prolixior grauat medicum: breuem lāguorem præcidit medicus*, nempe cùm ſemel, iterum, ſæpius ſanatus, ſua recidit in peccati morbum negligentia. *In duobus [i] contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit: Vir bellator deficiens per inopiam, & vir ſenſatus contemptus: & qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum, Deus parauit eum ad rompheam* [k]. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? ſic homo qui ieiunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? Orationem illius quis exaudiet?* Ad hoc propoſitum declarat locum iſtum Gregorius [l], & Rabanus [m].

h Eccli. 10. 11. *Recidiuli morbus grauiore remedio quàm ſemel ægrum.* i Eccl. 26. 25. 26. 27. k Eccli. 34. 30. 31. l in p. 4. pœniten. & lib. 1. ep. 19. m in Cōment.

Super [n] quo percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem? omne caput languidum, & omne cor mœrens, A planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas: vulnus & liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo: ſcilicet ob replicata toties peccatorum vulnera, & attritas (ſæpius reſarta veſtis aſſumentum non admittit) quodammodò vires, & obfirmatam in malo animam, vix remedio locus eſt. *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas* [o]? *Sicut [p] canis qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam.* De quo loco poſtea ſequenti verſu.

n Eſa. 1. 5. 6. o Ier. 2. 36. p Prou. 26. 11.

In nouo Teſtamento præter ea quæ attulimus, multa peti poſſunt ex capite ſexto, & decimo epiſtolæ ad Hebræos. ex Patribus decerpendæ ſententiæ nonnullæ. Clemens [q] Alexandrinus ait, *quòd continuè, & ſe inuicem excipientes propter peccata pœnitentiæ; nihil differunt ab his, qui non crediderunt, præter quàm in eo ſolo, quod ſe peccare ſenſerunt.* Præterea negat ſe ſcire, vtrum ſit deterius, prudentérne, ac ſcientem peccare, an cùm pro his quæ peccaueris pœnitētia ductus fueris, rurſum pecces.

q 2. Strom.

Baſilius [r] de eo, qui ſe pœnitere aſſerat, in peccato tamen perſeueret adhuc, reſpondet primùm ſimilitudine canis ad vomitum redeuntis, vt habetur hoc loco, & in citato ex Prouerbiis [s]: Deinde ſimilem profert ex eodem libro, & capite, *Quando ſubmiſerit (inimicus) vocem ſuam*: ἐὰν σοῦ δέηται ὁ ἐχθρὸς μεγάλῃ τῇ φωνῇ, μὴ πεισθῇς αὐτῷ. *Si te rogauerit inimicus magna voce, ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ* (id eſt, multæ) *ſunt in corde illius*. Idem Baſilius [t] docet, cùm relabitur quis in idem peccatum, argumento eſſe, illum primam cauſam peccati illius funditus non extirpaſſe, à qua veluti à quadam radice alia eiuſdem generis pullulare neceſſe ſit. Immò verò Gulielmus [u] Pariſienſis veriſimile ſcribit eſſe cor non fuiſſe contritum contritione perualida, quod ſtatim reſtauratur ad relapſum peccati, & ad recidiuum. Ex Gregorio, Auguſtino, Hieronymo, Iſidoro, Bernardo colligit Bonauentura [x] teſtimonia.

r Regu. 6. ex breuio. *In peccato perſeuerare quàm malum ſit.* ſ cap. 26. 25. t Regu. 289. ex breuio. *In peccatum relapſus cauſam peccati non extirparit.* u lib. de ſacramen. pœnit. c. 5. x 3. Pharetræ. cap. 11.

His omiſſis, ille notandus Auguſtini [y] locus, in quo agens de ſeipſo, ſcribit *ex peruerſa voluntate factam libidinem; dum ſeruitur libidini, factam conſuetudinem; dum conſuetudini non reſiſtitur, factam neceſſitatem*. Id quidem verum etiam eſt ante iuſtificationem: at cùm quis crebrò relabitur, maior quædam inde ob ingratitudinem oritur imbecillitas, maiórque peccandi, ſalua tamen libertate, neceſſitas. Mirum profectò, quod ſe Ambroſius [z] deprehendiſſe teſtatur, *faciliùs qui innocentiam ſeruauerint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam*. Vtinam vxoris Lot ſimus memores [a]; & iſto ſale conditi ſapiamus, vt Auguſtinus [b] admonet. Vtinam myſticè corpus peccati egreſſus non reuertatur [c]; & cui peccata ſunt impoſita hircus [d] diabolus in deſerta loca lōgè pellatur, nunquam rediturus.

y 8. Confeſſ. c. 5. z 2. de pœnit. c. 10. *Faciliùs inueniuntur, qui ſeruauerint innocentiam, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* a Gen. 19. 26. Luc. 17. 32. b 16. de ciuit. c. 30. c Gen. 8. 7. d Leuit. 16. 10.

Etſi verò longè res grauior in peccatis mortalibus, tamen quodammodo periculoſior in venialibus, quæ propter leuitatem minoris fiunt, & eorum minor, ſæpéque non ſufficiens procuratur dolor, ac vitatio periculorum. Inter ætates, iuniorum periclitari ſolet ob procliuitatem, & impetitiam. Salubre remedium frequentia Sacramentorum, præſertim pœnitentiæ, vt optimè præcipit Gulielmus [e] Pariſienſis, Robertus [f] de Sorbona, Gerſon [g]. Sed alia ex parte ob familiarem vſum, & imparatam vſurpationem, tenuis colligitur fructus, & crebrò talis irreuerētia prouocat iram Dei, vt relapſum, & maiorem quoque lapſum permittat.

Peccata venialia ob recidiuum periculoſiora venialibus. e Tract. de pœnit. c. 12. f Tract. de cōfeſſ. & in itinere Parad. g 2. par. Tract. de pueris trahen. ad Chr.

Refugientes.] Ἀποφυγόντες. *Qui refugerunt.*

Coinquinationes mundi.] Τὰ μιάσματα τοῦ κόσμου. Errores, & peccata. Videtur alludere ad illud ex parabola Chriſti *de domo vacante ſcopis mundata, & ornata* [h]. Ad tales diabolus libentiùs redit, quaſi maius reportans lucrum, quàm ex aliis pluribus, quos iam ſibi obſtrictos tenet, & quaſi non alibi requiem inueniens, quia requies eius eſt nocere hominibus; quemadmodum è contrario Deus *hanc dicit requiem ſuam, ſi quis reficiat laſſum, & hoc refrigerium ſuum* [i].

h Matth. 12. 44. *Requies Diaboli, ſi noceat hominibus.* i Eſa. 28. 12.

Quanquam alibi [k] per domum vacantem, intelligunt eum, qui antea iuſtus erat, & in anima Deum habitatorem habebat, donáque gratiæ, quæ excluſerit: per ſcopis mundatam, eundem immunditiis ac ſordibus peccatorum coinquinatum, quæ ſic ad habitandum ibi Diabolum inuitant, vt ſolet vera munditiès domus materialis homines ad habitandum in ea: per ornatam, illum ipſum reſpectu etiam Diaboli, quatenus prauis vitiorum præditus eſt habitibus. Auguſtinus [l] interpretatur de redeuntibus ad ſeculum, nec ferentibus continentiæ labores. Chriſtus quæ coinquinant hominem, peccata eſſe dixit [m]. Vrget [n] verò nomen coinquinationum, ne quis putet ſolam reprehendi ignorantiam, &

k Toletus in Lucam c. 11. Annot. 58. & indicat Euthymius in Matthæum. *Vacans domus quæ in Euangelio dicatur.* l lib. 1. q. Euāg. c. 8. *Peccata ſunt quæ coinquināt hominem.* m Matt. 15. 19. n lib. de Fide & operibus c. 25

infidelitatem, quasi sola sufficiat fides, atque eo nomine omnem esse immunditiam flagitiorum.

In cognitione.]Pes cognitionẽ quam tradit Euãgelium prohibens dictas coinquinationes *Fides purificat corda*[a]*: Sermo mundos reddit*[b], *lex Domini est immaculata conuertensque animas*[c], sed cum aliis, quæ requisuntur ad munditiam absolutam. Hieronymus[d] legit *Per scientiam*, quasi vana scientia perducat ad inflationem luxuriæ. Augustinus[e] *In agnitionem*, hoc est, contra illam. Ita quoque Saluianus[f].

Domini, &c.]Hæc omisit Hieronymus[g].

His rursus implicati superantur.] Hieronymus[h]. *Iisdem rursum superantur, quæ ante superauerant.*

Facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.] Χείρονα τῶν πρώτων, *Peiora primis.* Eadem phrasis in Euangeliis[i], & similis alia Iudæorum[k]: *erit nouissimus error peior priore.* Ἔσται ἡ ἐσχάτη πλάνη χείρων τῆς πρώτης. Hieronymus: *Facta sunt eis nouissima peiora prioribus*[l].

Vers. 21.] Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitię, quàm post agnitionẽ, retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.

A Veritate cognita defecisse, peius, nec ei obediuisse, quàm cognitione caruisse: quia[m] *seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis vapulabit paucis: & sciens bonum facere, & non faciens peccatum est illi*[n]. Hoc est quod antea dicebamus, de grauitate relapsus in genere: sed maximè si quis apostatet, vel à Fide, vel à Christianismo, vel ab ordine sacro, vel ab ordine Religioso. De malè viuentibus Catholicis intellexit præsentem locum Augustinus[o], & Saluianus[p], Damascenus[q], Ambrosius[r], Chrysostomus[s], & qui nomine Augustini extat scriptor[t] de vita Christiana, disputans fusè contra operum negantes necessitatem. Id verò vetus Augustinus ex professo in libro de Fide, & Operibus[u] hinc probat. De Apostatis ab ordine Religioso, Augustini Operibus insertus Auctor Sermonũ ad Fratres in Eremo[x], & Isidorus Pelusiota[y], & apud Hieronymum[z] is, qui de Cãtico nouo scripsit, & ipsemet Augustinus[a], & Cæsarius[b] Arelatensis. Ephrẽ[c] de malis tum Christianis, tum Monachis: Hieronymus[d] duplici eâdem similitudine Furiæ persuadet ne repetat secundas nuptias. Hi ferè omnes afferunt simul sequentia duo exẽpla de Cane, & Sue. Lege etiam Cassianum*.

Argumentatur porrò validè Augustinus[e], vt dixi, non sufficere fidem. Sequitur quoque simul habitam amitti posse, quia recedi posse Petrus dicit post cognitionem à Sancto mandato, quod Hæretici quidem huius temporis vnicum volũt esse de Fide: Augustinus[f] autem, si de Fide sumatur, ait de illa sumi, quæ per dilectionem operatur, sicq; cetera in illo præcepta contineri, immò Petrum illud propriè intellexisse, quo iubemur ab huius mundi coinquinationibus recedere, castâque conuersatione viuere.

Præterea colligitur, elucere in eo etiam Dei misericordiam, quod non omnibus annuntietur Euangelium, ne grauius ferant iudicium nõ credentes: quamuis & admirãda eiusdem iustitia sit, vt prædicari noluerit multis, qui, si prædicatum ipsis esset, credidissent, & fructum fecissent, vt Tyrus, Sidon[g], & prædicari voluerit iis, qui sola fide contenti fructum non ferunt.

Nihilominus alia ex parte prodest etiã reprobis fidem habuisse, aut etiam gratiam, quatenus minus multa, vel non adeo grauia faciunt peccata. Quare ceteris paribus intelligẽda propositio, quoniam fidelis maius esse peccatum solet, quàm infidelis, ob circumstantiam cognitionis, quã habet ille, qua iste caret. Adhæc licet scientia præditus peccando maiore sit reprehensione dignus: illa eum tamen iuuare ad resurgendum scientia potest: atque hoc nomine minùs cadit periculosè. Hoc sensu Religiosi Basilius[h] minus ait esse peccatum, quia ex minore contemptu, ac veluti casu, cum de ineunda gratia Dei sollicitus sit, & permitti soleat à Deo peccare ad sanandam aliquam animi eius elationem, sicut contigit Petro[i]. Verumtamen multùm refert ad exemplum pia Religiosi vita, ne retrahantur seculares, si contrariam deprehendant.

Quocirca conuenit proposito quod iustissimè conquerẽs exclamauit Augustinus[k]: *Quam multos putatis, Fratres mei, velle esse Christianos, sed offendi malis moribus Christianorum? Ipsi sunt vicini, qui iam appropinquabãt, & nimium opprobrium illis visi sumus.*

Ceterùm potest hæc illa Christi sententia illustrari, qua de Iudæis dixit[l]: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo, &c. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*; videlicet non adeò graue peccatum: aut illud videri possent nõ habere, quod Christo non credidissent. Augustinus[m] hoc postremum docet, atque alij. Quin etiam censent aliqui ex peculiari quadam misericordia erga ciues suos Christũ noluisse miracula edere[n], ne illis abutendo, punirentur magis. Huc item facit nonnihil, quod ab eodem Christo de Iuda dictum est[o]: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, & in genere verissima Augustini[p] doctrina, *Deum aliquando nos exaudire, dum non facit, quæ petimus*, nempe si nocumento nobis sunt futura.

Melius.] Κρεῖττον. Nec bonum quidem est; sed comparatione maioris mali, dicitur melius, id est, minus malum, quoniam & minus graue peccatum, & minor propter illud pœna. Confirmat Pharaonis exemplo Chrysostomus[q], qui si prioribus plagis erudiri voluisset, submersus nõ fuisset. Dicitur, *quòd bonum fuisset Iudæ non nasci*[r], quia nihil patiendo, cùm omninò nõ esset, minus quodammodo malum fuisset.

Non cognoscere.] Græcè μὴ ἐπεγνωκέναι. Non cognouisse.

Viam iustitiæ.] Omnis virtutis, cuius requiritur exercitium à Christiano, non sola fides, tanquam necessaria ad æternam vitam via. Quidam codices[s] habent ἀληθείας, *veritatis*. Lex, & omnis Christiana doctrina, cur viæ nomine etiam absolutè dicatur, docui aliàs[t], nempe ob eam quam nunc indicaui causam; & vt intelligamus nobis procedendum semper, nunquam consistendum; & quia Christus ipse via est[u].

Post agnitionem.] *Est hoc peccatum scientis voluntatem Domini*[x] *bonúmque*[y], & non facientis, *& illuminati*[z], & *voluntariè peccantis*[a].

Conuerti ab eo, &c.] Ἐπιστρέψαι ἐκ, &c. Augustinus[b] (*Reflecti à tradito, &c.*) Lego in bono sensu *conuertere se à nequitia sua*[c], *& conuerti à vanis ad Deum*[d], *& à tenebris ad lucem*[e]. Sed Latinius, & clarius

Marginalia: a Act. 15. 9. b Ioan. 15. 3. c Psal. 18. 8. d 1. con. Iouin. e de Fide, & operib. c. 24. f 4. de Proud. g Supra. h ibidem. i Matt. 12. 45. Luc 11. 26. k Matt. 27. 64. l Hieronym. supra. — *Peius est defecisse à veritate cognita, quàm non cognouisse.* m Luc. 12. 47. 48. n Iac. 4. 17. o Conc. 3. in Psal. 30. & in Psal. 80. & 83. p 4. de Prouid. q 4. de Fide c. 10. r in c. 6. & 10. ep. ad Hebr. s Hom. 6. in Genes. t To. 9. Oper. Aug. c. 13. u c. 24. & 25. x Serm. 8. y 4. epist. z Tom. 9. a de Dono Perseuerant. c. 5. b Hom. 28. c de Armatura spirit. c. 10. d epist. ad Furiam. e de Fide, & Operibus c. 24. & 25. — *Fides semel habita amitti potest.* f cap. 23. — *Misericordia Dei est, quod omnibus non annuntietur Euãgelium.* g Matt. 11. 21. 22. — *Prodest reprobis habuisse fidem.* h Regu. br. ex breuior. i Matt. 26. 69. & seq. k Conc. 2. in Psal. 30. — *Multi nollent esse Christiani propter malos Christianorum mores.* l Ioan. 15. 22. 24. m Tract. 89. in Ioan. n Matt. 13. 58. Mar. 6. 5. o Matt. 26. 24. p Tract. 73. in Ioan. q Hom. 44. in Matth. — *Quomodo fuerit Iudæ bonum non nasci.* r Matt. 26. 24. s apud Rob. Steph. — *Via omnis doctrina Christiana cur dicatur.* t Act. 13. 10. & c. 19. 23. u Ioan. 14. 6. x Luc. 12. 47. y Iac. 4. 17. z Heb. 6. 4. a Heb. 10. 26. b de Fide, & Operib. c. 24. c Act. 3. 26. d 1. Thess. 1. 9. e cap. 26. 18.

clarius diceremus auerti, vel auertere se siue à malo, siue a bono. Hieronymus [a]: *Meliusq; eis erat non nosse viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti, & relinquere Sanctum mandatum, quod eis traditum est.* Quare Thomæ notatio inutilis, vt sit hoc loco conuerti, totaliter verti sine reditu pœnitentiæ finalis. Aliqui libri Græci [b] legunt: εἰς τὰ ὀπίσω ἀνακάμψαι ἀπὸ, &c. ad ea quæ retro sunt reflectere: vel, καὶ ἐπιστρέψαι εἰς τὰ ὀπίσω, &c.

a 1. cont. Iouin.
b Apud Rob. Steph.

Quod traditum est illis sancto mandato.] Iam retuli, mandatum quod nam interpretetur Augustinus [c], nempe vel fidei per dilectionem operantis, vel cauendi coinquinationes, hoc est, omnem immunditiam flagitiorum. Dicitur & κατ' ἐξοχὴν caritatis mandatum, appellatúrque Christi, ac nouum [d]. Rectè sanctum mandatum, quod sanctus dat Deus: quod sanctificat (scilicet vel dispositiuè ad primam sanctitatem, vel meritoriè ad intentionem eiusdem: quod sanctè seruari debet: quod seruari sine gratia non potest: cuius per attributionem auctor Spiritus sanctus: quod sanctum Deum pro primario, & formali habet obiecto: quod vnum sancti in Beatitudine absque cessatione, sed necessariò perficiunt. Nihil differt à timore sancto, quem ait Dauid [e] *permanere in seculum seculi*, & lex ipsa vetus etiā vocata est Sancta, & sanctissima [f]. Quo itē cognomine Fidem ornat Iudas [g], intelligēs totam religionem Christianam.

c supra c. 25.
d Ioan. 13. 34. c. 15. 12. *Mandatū sanctum rectè dicitur, quod Sanctus dat Deus.*
e Psal. 18. 19.
f 1. Mac. 1. 66. lib. 2. 6. 23. 28. Rom. 7. 12.
g ep. vers. 20.

Vers. 22.] Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti.

RElapsus turpitudo è turpibus ac immundis animalibus ducta, duplici similitudine optimè declaratur. Verumque iam Christus vsurpauerat [h]: *Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Lyrici quoque carminis Auctor ambas coniunxit [i]:

h Matt. 7. 6.
i lib. 1. epist. in 2.

Sirenum voces, & Circes pocula nosti:
Quæ si cum sociis stultus, cupidúsque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis, & excors.
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Eadem iunxit animalia vetus adagium: Canis peccatum sus dependit [k]: & illud [l],

Pro malo cane suem reposcis.

De re ipsa dictum prius: nunc expendenda singula.

k Chiliad.
l ibidem.

Contigit enim eis illud veri prouerbij.] Τὸ τῆς ἀληθοῦς παροιμίας. Hieronymus [m]: *Completumque est in eis, verissimum illud prouerbium.* Accipitur quandoque prouerbium in genere pro quolibet sermone non manifesto, & similitudine inuoluto; qualis quæ dicitur nunc similitudo, nunc parabola. Vt apud Ioannem illud [n]: *Modicum, & iam non videbitis me*, &c. Liber Salomonis idem qui appellatur Prouerbiorum Hebraicè משלי *misle* vocari potest *Similitudinum, & Parabolarum*: immò, teste Hieronymo [o], potiùs Parabolarum, quàm Similitudinum. Latiùs patet similitudo, saltem in Euāgelio, vt Origenes [p] notauit, quia parabola semper habet adiunctam personam, vel negotiū cum ratione confectum. Interpres tamen vertit interdum similitudinem pro parabola, & hanc pro illa, & loco horum prouerbium. Sed & Parabolam accipit pro sermone obscuro; vt cum scriptura loquitur de Balaam [q], Iob [r], Esaia [s], Ezechiele [t], apud quem præterea dicitur ænigma [u]. In eodem verò libro Prouerbiorum [x] (eadem verò in Ecclesiastico [y] sententia.) Parabola in ore stulti est obscurus, sed elegans sermo, & ibidē [z] idem valant Parabola, Interpretatio, verbum Sapientis, Ænigma.

m 1. con. Iouin. *Prouerbiū quid sit.*
n Ioan. 16. 16. 17.
o in cap. 1. Prouerb.
p Tract. 25. in Matth.
q Num. 23. 7. c. 24. 3. 15. 20. 21. 23.
r cap. 27. 1. c. 29. 1.
s cap. 14. 4.
t c. 17. 2. c. 20. 49.
u c. 18. 2. 3.
x cap. 26. 7.
y cap. 20. 22.
z cap. 1. 1. 6.

Est autem Prouerbium, seu Adagium & Parœmia (quod etiam quidam barbarè veriloquium vocant.) *Oratio trita, & vt ita dicam, circumacta*, & iuxta viam quæ Græcè dicitur οἶμος, ad quippiam alludens aut innuens ob nonnullam similitudinem, vel sine similitudine continens scitū, & vtile dictum cum quadam celebri nouitate. *Medice cura te ipsum* [a]. Similitudo Latinè dicitur, Græcè parabola. Est verò Prouerbium: *Patres* [b] *comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*, vocatur tum Similitudo, tum Prouerbiū [c], hoc est, prouerbium parabolicum. Eodem nomine potest appellari præsentis loci prouerbium. Egimus hac de re alibi, & satis accuratè Salmeron [d] ac Pineda [e], post Auctorem Adagiorum, & Cantapetrensem [f], & Iansenium [g]. Basilius [h] nomen Grecum τῆς παροιμίας exposuit eo quem diximodo, τὸ τῶν παροιμιῶν ὄνομα ἐπὶ τῶν δημωδεστέρων λόγων παρὰ τοῖς ἔξωθεν τέτακται, καὶ ἐπὶ τῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς λαλουμένων, ὁδὸν γὰρ πολλάκις οἶμον οἱ ἔξω ὀνομάζουσι. *Prouerbiorum nomē de eo quod vulgariter dicitur apud externos* (nempe Auctores profanos) *compositum est, & de illis plerumque, quæ in triuiis dicuntur, etenim enim via nominatur.* Tum subdit communem definitionem: Ὅθεν καὶ τὴν παροιμίαν ὁρίζονται, ῥῆμα παρόδιον τετριμμένον ἐν τῇ χρήσει τῶν πολλῶν, καὶ ἀπὸ ὀλίγων ἐπὶ πλείονα ὅμοια μεταληφθῆναι δυνάμενον. *Vnde Parœmia definitur. Verbum iuxta viam, vsu multorum tritum, & quod à paucis ad plura similia transferri potest.* Adhibet postea definitionem aliam: Παρὰ δ' ἡμῖν, Παροιμία ἐστὶ λόγος ὠφέλιμος μετ' ἐπικρύψεως μετρίας ἐκδεδομένος, πολὺ μὲν τὸ αὐτόθεν χρήσιμον ἔχων, πολλὴν δὲ καὶ ἐν τῷ βάθει τὴν διάνοιαν ἐγκεκρυμμένην. *Apud nos verò, Prouerbium est sermo vtilis sub occultatione mediocri, id est, idonea expressus, multam quidem vtilitatem exhibens: in fundo autem, siue in recessu multam intelligentiam contegens.* Lege quoque Cyrillum Alexandrinum [i].

a Luc. 4. 23.
b Ezech. 18. 2. 3.
c ibidem 3.
d Tom. 7. tract. 1.
e Iob 27. v. 6.
f 1. Hypotyp. c. 2. & lib. 7. cap. 1.
g in c. 1. Prouerb. & 6. 5. Eccl. 1. vers. 3.
h Hom. in Prouerb.
i 5. Thesaur. cap. 4.

Canis.] Censetur apud Hebræos animal immundum [k]. *Et quæ communicatio*, inquit Auctor Ecclesiastici [l], *sancto homini ad canem?* & Esaias [m]: *Qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem.* Et Christus *nec Sanctum dari canibus voluit* [n], *nec mitti panem filiorum illis* [o]. In posteriore sententia Gentiles disertè intellexit, loquens de Chananæa. De priore idem existimant Chrysostomus, ac Euthymius in Caput septimum Matthæi, licèt Hieronymus ibidem malos malit Christianos redeuntes ad vomitum. Et nomine porcorum infideles (idem de his Clemens [p] Alexandrinus) per quos illi alij, carnales Christianos. Isidorus [q] Pelusiota Canes, Iudæos interpretatur, qui diuinum sermonem persæpè acceperunt, ac rursum ad vomitum suum reuertuntur: aut Hæreticos ad veram doctrinam se conferentes, ac rursum ad priorem sententiæ peruersitatem redeuntes. Per porcos vult accipi, qui vitiosis affectionibus volutātur, & porcinum vitæ genus sequuntur. Idem tamen [r], vt ante vidimus, apostatas Monachos canes intelligebat: præterea exponit [s] de quibuscumque, qui risu excipiunt, quæ omni commendatione, ac laude digna sunt.

k Deut. 23. 18.
l cap. 13. 22.
m cap. vlt. 3.
n Matth. 7. 6.
o infrà c. 15. 26.
p 1. Strom. c. 5. *Canes quos Christus in Euangelio vocet, & porcos.*
q lib. 1. epist. in 143.
r Epist. 92.
s lib. 2. epist. 222.

Sed præfero iudiciú Augustini [a], eo loco duplici similitudine seu metaphorico prouerbio, eosdem intelligi, qui sint indigni, quibus diuina mysteria cõmunicentur, tanquam *animales homines, non percipientes ea, quæ sunt Spiritus Dei* [b]: Non ergo caninis danda Sancta, i. Sanctæ, & sacræ carnes Christi, aliáve Sacramenta: non porcinis diuinæ margaritæ, quæ maximo ornamento sunt, nam *circulus aureus in naribus suis mulier pulchra. & fatua* [c]. Iudæi, & eorum forsitan exemplo Turcæ, nos, & quosuis alienæ religionis homines appellant canes: כלבים *chelauim*. & vicissim à Christianis, iidem eodem nomine vocari solent; sicut in scriptura [d], vilissimæ quæque personæ.

a 9. de Serm. Domini in mon. c. 31.
b 1. Cor. 2. 14.
c Prou. 11. 22.
Iudæi & Turcæ nos canes vocat.
d 2. Reg. 3. 8. c. 16. 9. lib. 4. 8. 13. Eccl. 9. 4.

Præterea in genere Canes accipiuntur ferè in malam partem, pro quibuslibet improbis, veritatis persecutoribus, & mala operātibus [e]: aliquando pro malis prædicatoribus, qui muti sunt, & impudentes [f]. Conuenit nomen Hæreticis (ad Iouinianum bis apostatam ex Monacho, & ex Catholico hæreticum, aptat Hieronymus [g]) propter vomitum, de quo fit hîc mentio: propter cynicas maledicentias, impudentésque lasciuias: propter latratus, ac morsus contra veritatem, quam verbis, scriptisque maledicis lacerant, & armis etiam vexant.

Canes quoslibet improbos designant, sed hæreticos præcipue.
e Ps. 21. 17. 21. Philip. 3. 2. Apoc. vlt. 15.
f Esa. 56. 10. 11.
g con. Iouin.

Fateor tamen aliquando Canibus designari Fideles, vel Prælatos, vel Amicos, qui custodiunt greges: lingua lambunt aquam, necessariis contenti: Linguæ vlcera per compassionem. Sensu mystico linguam canum & in historia Lazari, & in Psalmo LXVII. meliorem in partem sumere possumus. Consule Allegoriarum syluam [h], Petrum Blesensem [i], & quæ dixi ad Caput nonum Ecclesiastæ, & Psalmo LXVII.

Canes etiam fideles Prælatos notare possunt.
h verbo canis.
i Serm. 30.

Reuersus ad suum vomitum.] Ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα. In libro Prouerbiorum [k], vnde trãscripsit Petrus, ita legimus: ὥσπερ κύων, ὅταν ἐπέλθῃ ἐπὶ τὸν ἑαυτοῦ ἔμετον, καὶ μισητὸς γένηται. Et subditur similitudinis applicatio: Οὕτως ἄφρων τῇ ἑαυτοῦ κακίᾳ ἀναστρέψας ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ ἁμαρτίαν. *Sicut canis cùm reuertitur ad vomitum suum, & odibilis fit sic stultus, suâ malitiâ, reuertens ad suam malitiam.* Apud solum Petrum repetitur, quod equidem sciam, τὸ ἐξέραμα, vel vt alij legunt, ἐξέρασμα. Est verò ab ἐξεράω exhaurire, euacuare, &c. Et verbale id quod exhaustum, euacuatum, eductum est, nempe etiam cibus reiectus, ac euacuatus, qui dicitur vomitus.

k cap. 26. 11.

Explicat egregiè vim allatæ similitudinis Gregorius [l]. *Canis quippe cùm vomit, profectò cibum, qui pectus deprimebat, proiicit: sed cùm ad vomitum reuertitur, vnde leuigatus fuerat, rursus oneratur. Et qui admissa plangunt, profectò nequitiam, de qua malè satiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat, confitendo proiiciunt, quam post confessionem dum repetunt, resumunt.* Ibi affert citatum pridem à nobis ante locum ex Ecclesiastico [m]: *Quid prodest, si quis baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius?* Innuit eundem Ambrosius [n] sensum, tractans alia verba Christi [o]. *Nolite sanctum dare canibus, &c.* Explicat enim de relapsis, & fictis pœnitentibus. Hoc ait esse Augustinus [p] inimicos Domini mentiri illi [q], cùm redeunt ad ea, quibus renuntiauerant, videlicet in baptismo: & rursus his inflexi superantur [r]. Præterea [s] vxoris Lot allato exemplo, quod affertur etiam à Christo [t], huius eandem vim similitudinis ad eundem modum, quo Gregorius, sed ante Gregorium ita declarat. *Premebat enim pectus conscientia peccatorum: accepta*

l 3. part. Pastoral. Admonit. 31.
Canis reuertētis ad vomitum explicatio.
m c. 34. 30. 31.
n 2. de Pœnit.
o Matth. 7. 6.
p in Psal. 80.
q Psal. 80. 16.
r in Psal. 83.
s Gen. 19. 26.
t Luc. 17. 32.

indulgentia, quasi vomuisti: & reuelatum est peccatum tuum (aliter ac melius, *& reuelatum est pectus tuum*) *facta est bona conscientia ex mala conscientia. Quid rursus conuerteris ad vomitum tuum? Si canis hoc faciēs horret oculis tuis: tu quid eris oculis Dei?* & alibi [u]. *Denique vide, quam horribilis rei eos* (inimicos Ecclesiæ intra ipsam malè viuentes) *comparauerit: Horribilis profectò res est, proprium resorbere vomitum, nec in summa quidem fame à quoquam vsurpatum,* licet alienum aliqui sumpserint, vt meminit Iosephus [x]. Idem ad hoc ipsum propositū exaggerat Procopius à Turriano [y] nostro citatus. Gulielmus [z] Parisiensis comparat cum vomitione confessionem, eleganter, piéque. Illustratur comparatio exēplo mulieris, quæ, cùm incestus peccatum reticuisset, visi sunt singuli buffones, quos ad singulorũ aliorum peccatorum confessionem euomuerat, os eiusdem denuo iniisse [a]. Tales ego conferri putem posse, qui, quæ volunt, vomunt confitendo, quæ nolunt, retinent [b], cum illis, qui, vt Augustinus [c] memorat, *ex iis quæ vorauerint, incredibiliter plura, & varia, paululum præcordiis contrectatis, tanquam de sacculo, quod placuerit, integerrimum proferunt. Deterrimi, qui dedita opera quæ semel euomuerunt, resorbent.* Turrianus [d] idem in defensione pro epistolis Pontificum demonstrat in sua Clementem ex eodem Petro retulisse similem isti doctrinam de vomitione peccatorum, comparando cum illis, qui in naui, cum qua comparatur Ecclesia, nauseant vomuntque, nimirum per confessionem peccatorum, *quæ sunt*, inquit Clemens, *bilis, quia morbum affert, alleuantur autem ea ratione.* Legendus Philastrius [e] de hæreticis: de malis Christianis Augustinus [f]: & de religiosis Cassianus [g].

u in Psal. 50. conc. 2.
x 2. de Bello Iudai. c. 9.
y 4. con. Magdeburg. c. 17.
z lib. de Pœnit. c. 11.
Confessio peccatorum vomitioni comparatur.
a Specul. exemplo. dist. 9. c. 31.
b Pelbartus in Quadragesimali de Pœnit. c. 38.
c 14. de Ciu. cap. 24.
d 4. con. Magdeburg. ca. 7.
e hær. 76.
f conc. 2. in Psal. 30.
g 4. inst. c. 38.

Sus lota in volutabro luti.] Clarior interpretatio fuisset, *sus lota ad volutabrum luti*, nimirum *reuersa*, vt postquam lauerit, reuertatur. Græca sic habēt, ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου. Illam versionem quã dixi, secuti sunt Adamus, Erasmus, Clarius, Caietanus, Gagneius, Salmerõ, Pagninus, Sà, Catharinus. Immò & Hieronymus [h]. Verum est, præpositionem in ab Interprete iungi casui Ablatiuo pro Accusatiuo, vt, *Baptizantes* [i] *eos in nomine Patris, &c.* εἰς ὄνομα. Alia ex parte non videtur limpidiorem cœnosa sus aquam quærere, vt lauetur. Ipsamet volutatio prior contractio sordium est, quæ sequitur, ablutionis rationem videtur habere, quæ deinceps sunt renouatæ sordidationis. Idcirco fortassis Interpres lotam suem dixit in volutabro luti. Beda, & alij ponunt de sue sese in ipso luto lauante loqui Petrum.

h Epist. 10.
i Mat. vlt. 19.

Animal immundum, suem apud Hebræos esse, testes Machabæi & Eleazar pro eius abstinentia martyres effecti, memineruntque etiam Auctores [k] profani, tanquam superstitiosi ritus Hebraici præter aliquot scripturarum testimonia [l]. Antea docui, suis, aut porci nomine Christum quid intellexisse cum Cane putarem. Hoc loco animal vtrumque designare Hæreticos videtur. Horum secta pertinens ad Gnosticos, Borboritarum, siue Borborianorũ nomen habet ἀπὸ τοῦ βορβόρου, id est, luto, siue cœno. *Hi in cœnum euntes*, inquit Philaster [m], *& inde obliti de cœno facies, & membra sua deformantes gerebant.* Origenes [n] putrefactas, ac fœtentes cicatrices [o] interpretatur illorũ peccatorũ, qui sicut sues omnem fœtorem tamquã odorem suauissimum expetiũt, & suis delectãtur peccatis, suis lætantur malis Si autem porcinum hunc deponant odoratũ, ac sensum verbi Dei percipiant,

Sus animal immundum apud Hebræos.
k Iuuen. Satyra 6. Tacitus 5. hist.
l Leuit. 11. 7. Deut. 14. 8. Esa. 66. 17.
Borboritæ hæretici quales.
m de Hæresib.
n Hom. in Psal. 37.
o Psal. 37. 6.

statim

ftatim conuerti ad pœnitentiam, & emendationem requirẽdo, nec proprium fœtorem patiẽdo, proclamare ad cœleſtem Medicum. *Putruerunt, fœtuerunt, putrefactæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* Delectatur adeo his Diabolus porcis, vt & iſta ſæpenumero appareat forma, & ſibi poteſtatem ingrediendi in porcos petierit à Chriſto [a]: Prodigus, luxurioſus paſcebat porcos [b]: immò porcum ſaginatum nominat Marcus [c] eremita, & ſubare apud Plautum, Horatium, Tertullianum, Hieronymum, aliósq; à ſue, ſicut, *χοιρωνεῖν* à χοῖρος (eſt & hoc, atq; porca nomen naturæ, quæ fœminæ ſunt, vt ait Varro [d]) actum ſignificat libidinis exercere, ſeu proſtituere; teſtiſque Hieronymus [e], vocare ſolitũ Socratem voluptuarios vocabulis canum, ſuumque) Hippocratis filios ὗες ſues porcóſve Comici veteres ob ſordidos mores ac turpem illuuiem nominabant [f]) Ipſe verò, & paſſim alij ſectam Epicuri, *gregem porcorum* appellant [g]. Si verum dixit idem Varro [h] nomen animali olim fuiſſe *θῦς*, Latinè thyſus à *θύειν*, quod ab ſuillo genere pecoris immolãdi initium primum ſumptum ſit: cui ſententiæ nonnihil fauet cæſa fœdus fieri ſolitum porca [i]: (vnde fœdus Auguſtinus [k] explicat, quod res minimè fœda ſit, nempe per antiphraſim; alij, à fœditate ipſa porci) poſſemus iuxta tropologiam interpretari, ante omnia veluti mactandam Deo carnem, & mortificãdam. Scribit Clemens [l] Alex. quoſdam dixiſſe, à carne ſuilla Iudæos abſtinuiſſe, quòd hoc animal eſſet maximè ſceleratum, & execrãdum, quoniam maximè ex aliis fructus proprios perimit: alios, quia ſit procliue ad coitum. Rurſum [m] idem, ex ſua, & Barnabæ ſententia, eſus ſuis vetiti cauſam dat, vt intelligerent, colentes Deum verſari cum impuris hominibus ac inhoneſta venere pollutis non debere.

Complexus eſt Lactantius [a] eleganter omnes rationes talis præcepti, docens id potiſſimum eo intelligi, vt ſe à peccatis Iudęi, atque immunditiis abſtinerent. *Eſt enim*, inquit, *lutulentum hoc animal, & immundum, nec vnquam cælum aſpicit.* (*Si ſurrectis ſtare cogatur oculis, clamoſiſſimum licet, ſtupefactum conticeſcit* [o]: *quod carnalis facit homo, cùm de diuinis rebus audit*) *ſed in terra toto & corpore, & ore proiectum, ventri ſemper & pabulo ſeruit: nec vllum aliud, dum viuit, præſtare vſum poteſt, ſicut cætera animantes, quæ vel ſedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum iuuant: vel plauſtra collo trahunt: vel onera tergo geſtant: vel indumentum exuuiis ſuis exhibent: vel copia lactis exuberant: vel cuſtodiendis domibus inuigilant. Interdixit ergo, ne porcina carne vterentur, id eſt, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad ſolam mortem nutriuntur: ne ventri, ac voluptatibus ſeruientes, ad faciendam iuſtitiam inutiles eſſent, ac morte afficerentur. Item, ne ſe fœdis libidinibus immergerent, ſicut ſus, quæ ſe ingurgitat cœno: vel ne terrenis ſeruirent ſimulacris, ac ſe luto inquinarent. Luto enim ſe obliniunt, qui Deos, id eſt, qui lutum, terrámque venerantur.* Sic Lactantius, cuius omnis hæc oratio hîc à me fuſiùs eſt recitata, quoniam præſenti loco magnam lucem affert. Addunt alias [p] cauſas alij: quod ſit ſus animal anthropophagon: humo roſtris effoſſa ſata obruat, ne ab auibus deuorentur: graues morbos eſus ſuillæ gignat: lunæ ſolique inuiſum crediderit Ægyptus: obſcœniſſimus illius victus. Legendus etiam Chryſoſtomus [q], dum reprehendit Euam, quod porco Diabolo communicauerit diuini margaritam ſibi, viróque traditi præcepti [r]. Theodoretus [s] ideo Iudæos carnem ſuillam minimè immolaſſe tradit, quia ſola veſcebantur Ægyptij, qui ceteras colebant animantes, (Ægyptios tamen etiam quidã dicunt abſtinuiſſe) quas immolabant Iudæi. Vana Taciti ratio [t], quòd Iudæos quõdam ſcabies turpauerat, cui id animal obnoxium, coluiſſe ſuem [u]. Refellit Ioſephus, qui nec nomine dignans, nefanda vocat animalia [x] tantum abeſt, vt colerent pro numine: quod ſcribit tamen etiam Plutarchus [y] præter illam, quam Tacitum dixi cauſam attuliſſe. Sed mentitur de illis ipſe, ac Plutarchus alia permulta. Fabula etiã de cauſa quare apud Cretenſes haberetur animal ſacrum, quòd ſugendam fœmina ſus nato Ioui mãmam præbuerit, grunnituque impediuerit ne illius vagitus poſſet intelligi [z]. Antonio Anachoretæ ſus appingitur, vel ſymbolum diaboli toties ab eo ſuperati: vel carnalium tentationum, quas ab eodem quoque ſuggeſtas deuicit: vel ob variorum animalium greges, quibus incolumitatem nõ rarò præſtitit, præſtátque. Porcus autem in condimentum quoddam venit eorum, quæ ad eſcam hominis adhibentur, huicque pecudi anima data eſt pro ſale [a]. Lege librum Ioannis Molani de picturis imaginum.

Diabolus porcis delectatur.
a Matt. 8. 3.
b Luc. 15. 16
c lib. de ſalutar. lib. præcept.
d 2. de re ruſt. cap. 4.
e 2. contr. Iou.
f Rhodig. li. 25. cap. 26.
g Horat. lib. 1. epiſt. 4.
h Septa.
A ſuillo genere pecoris immolãdi initium ſumptum.
i Liu. lib. 1. Virg. Æneid.
k de dialect. cap. 6.
l 7. Strom. c. 3.
Cur Iudæis ſuilla caro interdicta.
m 3. Pædagog. ca. 11. & 5. Strom. c. 4.
a 4. Inſti. 7.
o Plutarch. 4. Sympoſij q. 5. Alexandr. Aphrod. libr. 2. Probl. in 135.

Sus animal in tota porſis mortalis.
p colligit Dalecampius in Plin. lib. 8. cap 51.
q Homil. 16. in Geneſ.
r Geneſ. 3. 2. & ſeq.
s Theodo. de curan. Græco. affection.
t 5. Hiſtor.
u 1. con. Apion.
x 5. de Bello Iud. cap. 1.
y 4. Sympoſ. q. 5.
z Agathocles Babylon. ſed aliter Virg. 4. Georg. de Ioue ſecutum crepitantis aere.
a Cic. 5. de fin. & 2. de natur. Deo. Plin. lib. 8. ca. 51. 2. de re ruſt. c. 4.

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM.

Argumentum huius tertij capitis.

Inter alia, qua mendaces magistri ac illusores, quos propriis priùs descripsit notis, docebant, illud erat, nullum Domini fore aduentum secundum. Hoc refellit, probátque futuram Mundi renouationem, ac venturum Dominum breui, & improuiso. Si longior nobis videatur mora, quamlibet longam opinione nostra, perbreuem apud ipsum esse: hoc interim spatium ad resipiscentiam, & pœnitentiam suppeditari, prout & Paulus monuerit sapienter in epistolis: has quidem difficiles epistolas: at malè facere, qui quemadmodum & Scripturas alias eas deprauent, atque detorqueant ad commentitiam & falsam doctrinam suam.

1 HANC ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem.

2 Vt memores sitis eorum, quæ prædixi verborum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini & Saluatoris.

3 Hoc primùm scientes, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes.

4 Dicentes: Vbi est promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.

5 Latet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo.

6 Per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit.

7 Cœli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt; igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.

8 Vnum verò hoc nō lateat vos, charissimi, quia vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.

9 Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.

10 Adueniet autem dies Domini vt fur: in quo cœli magno impetu transiēt, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.

11 Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus,

12 Expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent?

13 Nouos verò cœlos, & nouam terram secundùm promissa ipsas expectamus, in quibus iustitia habitat.

14 Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace.

15 Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis.

16 Sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.

17 Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.

18 Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi. Ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

Vers. 1.] Hanc ecce vobis charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem.

Verſ.2.] Vt memores ſitis eorum quæ prædixi verborum à ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini, & Saluatoris.

Hi, quorum capite priore praui expoſiti ſunt errores, moréſque, redargui præterea poterant ex traditis in prima epiſtola. Idcirco iubet, vt attente vtramque legant, & repetant memoria, quæ iiſdem de rebus, de quibus ſcripſit, alij quoque tum Prophetæ præſcripſerint, tum Apoſtoli, ſiue ſcripto ſiue verbo præceperint. Inculcari ſæpius eadem, cùm neceſſaria ſunt, debent, vt facit toties, & cur faciat, monet Chryſoſtomus [a], aliique.

Inculcari ſæpius eadem debent, cum neceſſaria ſunt.
a Vt hom.6. in Gen. & in aliis ad populum.
b Hom. 19. in Actus.

Obiicientibus eadem ſemper legi, reſpondet ille [b]: *Hoc vos maximè perdit. Id vero contumeus, quia nec ſatiantur eadem ſæpius in theatro ſpectantes, & eorum reprehenſionem eſſe, quòd non corriguntur, toties audientes.* In Geneſi [c] Ioſeph duplex eadem de re Pharaonis exponens ſomnium dixit: *Quod autem vidiſti ſecundo ad eandem rem pertinens ſomnium, firmitatis indicium eſt, eo quòd fiat ſermo Dei, & citius impleatur.* Oportet *memores eſſe mandatorum Dei, ad faciendum ea* [d]. Eòdem ſpectat in Eccleſia repetitio antiphonarum, ad guſtum ſpiritualem, firmiorem doctrinam, affectum, &c. vittæ in veſtimentis Iudæorum: phylacteriá, & ſpinæ etiam Phariſæorū erant ad excitandam memoriam legis. Paulus [e] in pari cauſa, in qua & hoc loco Petrus, *Eadem,* inquit, *vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium, ἀσφαλὲς tutum.* Syriacè: (*eo quòd vos cautiores efficiam, videte canes, videte malos operarios, &c.*)

c cap.41.32.
d pſal.102.18.
e Philip.3.1. 2.

Hanc ecce vobis chariſſimi ſecundam ſcribo epiſtolam.] Ταύτην ἤδη &c. Hāc iam. Legit forſan Interpres ἰδὲ *Ecce.* Ergo Petri epiſtolæ duæ ſunt, & ad eoſdem quidem datæ. Quapropter Petrus Aureolus [f] non rectè dixit, iſtam Romanis eſſe ſcriptam. Nec vera ſententia, quæ tres numerat epiſtolas Petri. Meminit Hugo, reſpondétque argumento, quoniam videatur innuere ſe aliam ſcripſiſſe contra illuſores, ac falſos magiſtros, primam quoque materialiter, & indirecte contra eoſdem eſſe. Nullus diuinorum ſcriptorum Catalogus plures duabus recenſet epiſtolas Petri.

Duæ ſunt Petri epiſtolæ ad eoſdē datæ.
f Compend. ſcripturæ.

In quibus.] Ἐν αἷς, videlicet ἐπιστολαῖς. Beda, hoc fœmininum pronomen ſi attendiſſet, optionem exponendi non dediſſet vel in epiſtolis, vel in eis, ad quos epiſtolas ſcribit. Ergo *in quibus* refertur non ad nomen ſingulare τὴν ἐπιστολὴν, ſed ad res in illa contentas, & in priore ac ad vtramque epiſtolam.

Veſtram excito in commonitione ſinceram mentem.] Malo codice vſus Eraſmus, legit, Ἐν ἐπιγνώσει *In cognitione,* pro ὑπομνήσει. *Commonitione.* Thomas non paſſiuè tantùm, ſed actiuè quoque accipit, vt moniti monere poſſint, ſicut nempe loquebatur Corinthiis Paulus [g] *de exhortatione, qua exhortabantur à Deo, vt alios hortarentur, de conſolatione, vt conſolarentur.* Cui par in Pſalmo LXXVII [h], ſententia. Quare non debet Concionator videri aberrare, quando quædam reprehendit peccata, quibus auditores nō ſunt obnoxij: iuuat vt hoc nomine gratias agant, magis horreant, in aliis reprehendant.

g Compend.
h verſ.6.
Concionator non eſt reprehendendus arguens peccata quibus auditores non ſunt ſubditi.

Tota epiſtola commonitoria eſt, ſic enim & primo capite [i] præfabatur Petrus: *Propter quod incipiam vos ſemper commonere de his.* Cōciliat quoque illos ſibi laudatione ſinceræ mentis eorum, quemadmodum & eodem profitens loco agere ſe cum ſcientibus, & confirmatis in veritate. Relege ibi annotata.

i verſ.12.

Egregium exemplum hinc petant Prælati, atq; Prædicatores, vt in Spiritu lenitatis [k], ac honorificè etiam tractent ſubditos, & auditores. Sincera mens Latinè, velúti abſque cera mel, Græcè εἰλικρινὴς διάνοια eſt ſine fuco, aperta, & manifeſta, quaſi ſit ad τὴν ἥλιον κεκριμένη ad calorem ſolarem, qui diſgregat diſcreta, & ſeparata à permixtione, vel ad ſplendorem ſolis diiudicata. Nam ſicut *qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: ita qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo* (qui lux ipſiſſima eſt) *ſunt facta* [l]. Græcam vocem ſic Interpres perpetuò ſumit. Qui deriuāt, quaſi ſyncerus ſit, qui ſocio fructus aluei cum melle ceram, vt debet, communicat, ex Græca præpoſitione, & Latino vocabulo vnum componunt.

k Gal.6.1.
l Ioan.3.20.21.

Vt memores ſitis, &c.] Implicata oratio ſicè Græcè euoluēnda: (Μνησθῆναι τῶν προειρημένων ῥημάτων ὑπὸ τῶν ἁγίων Προφητῶν: *Vt memores ſitis verborum, quæ prædicta ſunt à ſanctis Prophetis:* καὶ τῆς τῶν Ἀποστόλων ὑμῶν ἐντολῆς τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος, *& præcepti Domini, & Saluatoris, quod ab Apoſtolis veſtris traditum eſt.*) In priore membro poſſemus ita quoque reddere: (*Vt memores ſitis verborum prædictorum à me, ex libris Prophetarum.*) In poſteriore: (*Et præcepti Apoſtolorum veſtrorum, qui etiam ſunt Apoſtoli Domini, & Saluatoris:* vel, *quod præceptum eſt quoque Domini, ac Saluatoris.* Oecumenius vult eandem præpoſitionem ὑπὸ inſeruire tribus, népe Προφητῶν, Ἀποστόλων, Κυρίου Σωτῆρος. Interpres accepit primum membrum iuxta ſecundam expoſitionem.

Quanti referat Prophetarum prolatum teſtimonium, priùs dixi: & illud præterea maximi momenti erat, vt quæ dabantur præcepta, Chriſti eſſe intelligerentur. Idcirco Paulus [m] ſua diſtinguebat à præceptis Chriſti: cōiungit quoque tanquam ſcripturas Prophetarum cum præcepto æterni Dei [n]: ſuggerit *quæ præcepta dederit per Dominum Ieſum* [o], *& exigit ab eis, qui videbantur eſſe prophetæ, aut ſpirituales, vt cognoſcant quæ ſcriberet ipſe, quia Domini eſſent mandata* [p]. Maior proculdubio legiſlatoris huius auctoritas, quàm numinum falſorum, quibus leges acceptas ferebant homines legiſlatores. Quare Paulus [q] comminatur: *qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.* Poſtremò *ſuperædificatos nos aſſerit ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum* [r].

m 1.Cor.7. 10. 25.
n Rom 16.26.
o 1.Theſſ. 4.2.
p 1.Cor.14.37.
q 1.Theſſ.4.8.
r Epheſ.2.20.

Verborum à ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum.] Meminit Carthuſianus alterius lectionis, eamq; ſequitur: (*verborum Prophetarum, & Apoſtolorum ſanctorum.*) Vtrique congruit epithetum ſanctorum: cur autem Prophetis, aliàs docui [s].

s cap.1.21.

Apoſtolorum veſtrorum.] Complutenſes ac Regij codices Græcè habent etiam pronomen perſonæ ſecundæ (ὑμῶν) ceteri primæ (ἡμῶν). Hanc lectionem poſteriorem poſteriores ætate Auctores ſequuntur, exponentes, vt Petrus dicat, *A nobis Apoſtolis, ſeu ab Apoſtolis, qui ſumus nos.* Sic poſt Eraſmum Caietanus, Vatablus, Clarius, Adamus, Ioannes Benedictus, Catharinus, Salmeron. Reliqui ſequuntur editionem noſtram, quæ faciliorē etiam efficit ſenſum. Similis in Iuda [t] ſententia: *Vos autem chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini no-*

t epiſt verſ.17.

stri Iesu Christi. Fortassis intelligit Petrus non solos ex numero duodenario propriè appellatos Apostolos, verum etiam Apostolicos alios prædicatores, maximè qui primi Euangelium aliqua in prouincia prædicauissent. De hac Apostolicorum latiore notione dixi alibi [a], prolatis exemplis [b]. Sermo præterea videtur hîc esse tū de verbis scriptis, tum de prædicatis.

Vers. 3.] Hoc primùm scientes, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscētias ambulantes.

Vers. 4.] Dicentes: Vbi est promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.

EXemplo Christi [c] præmonet de futuris pseudochristis, ac pseudoprophetis: quod fecit etiā Paulus [d], & Iudas [e], ne fallantur incauti. Res clara, clarior euadet magis explanatione verborum.

Primum.] Πρῶτον, & nomen potest esse, & aduerbium. Quod serò, ac valdè commendatur vt primo loco dicitur commēdari, licet non alia desint, quæ maiorem requirunt commendationem. Lege caput quartum prioris epistolæ [f].

Venient.] Non missum, vel auctoritate dioina, inquit Thomas, quāuis missi a Dæmonibus, quorum attendent doctrinis, & *spiritibus erroris* [g], πλάνοις, aut errantibus, aut in errorem inducentibus, *fallacibus*, vt legūt Ambrosius [h], & Hilarius [i] *seductoribus*, vt Augustinus [k]. In eundem Pauli locum Anselmus in exemplum adducit Aginnēses, quos Dæmones equina specie noctibus visi portabant per aëra, vbicunque vellent, rerum eis temporalium copiam ministrātes, & prauis eosdē dogmatibus imbuentes. His & vetustiora, & recentiora proferri possunt alia exempla non pauca, nósque de hoc aliàs meminimus. Cōsentit in eiusdem loci expositione Chrysostom. & alij. Testatur apud Cassianū [l], Serenus Abbas, audiuisse se apertissimè, Dæmonem confitentem per Arium & Eunomium se impietatem sacrilegi dogmatis edidisse. Adhibet in eiusdem rei confirmationem tum id, quod ex Paulo recitatum est, tum illū, qui in Historia Regum [m] prædicat *manifestè se spiritum mendacem futurum in ore omnium prophetarum eius*, (Achab) hoc est pseudoprophetarum.

In nouissimis diebus.] Ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν, In extremo dierū. Alij [n] ἐπ' ἐσχάτων. In epistola Iudæ [o]: (Ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ, *In vltimo tempore.*) In priore ad Timotheum [p]: Ἐν ὑστέροις καιροῖς, *in posterioribus temporibus*: & secundum vulgatam editionem *in nouissimis.* Ad hunc modum nō rarò vltima, nouissimaque pro posterioribus poni, & ἔσχατα ἀντὶ τῶν ὑστέρων, docui Cōmentario Actuum Apostolicorū [q], & primæ Ioannis epistolæ [r]. Quocirca licèt Antichristi tempore futuri maximè sint errorū fatores, nnn eò respexisse Petrum dumtaxat puto, vt Augustinus [s] videtur velle: sed ad posteriora tempora illo quo hæc scribebat. Nam Iudas suo iam tempore id scribit impletū, quod ait ab Apostolis prędictum, Petri hunc locum etiam intelligēs. Nec Espencæi notatio necessaria fuit, ad sæpius memoratum Pauli locum, ibi esse ἐν ὑστέροις, non autem ἐν ἐσχάτοις. Verùm dicit, quod & ipsi monuimus [a], aduentum Domini etiam propiorem, vocari nouissimum tempus, diem, horam [u]: nō assentior, cùm præsentem, cum Iudæ, & eo, quē tractat locum, de secundo suum præcisè vult. Carthusianus præcipuè tēpora docet Antichristi designari. Ego magis propinqua, illis videlicet, quibus scribebat. Etsi fateor, aduentum Antichristi, vt proximū, atque iam tunc viuentis ab Apostolis ipsis prædicatum. Lege Commentarium epistolæ primæ Ioannis [x]. Mecum sentit Adamus.

In deceptione illusores.] Ἐμπαῖκται, vel vt nonnulli [y] habent ἐμπαιγμονῇ, ἐμπαῖκται, *Illusione, illusores.* Hieronymus [z], *illusores seducētes.* Augustinus [a]: Illusione illudentes. In epistola Iudæ [b] recitatur iisdem verbis tota sententia, nisi quod pro *venient* ἐλεύσονται, est erūt ἔσονται. Licet quidam [c] legār illo alio modo. Quia verò citat Apostolos hæc prædixisse, innuere Petrum videtur, inde colligit Oecumenius, propterea Iudam longæuū fuisse, vixisseque post alios Apostolos.

Illusio hæc Gnosticorum, ac similium fuit, vt Oecumenio placet, qui, vt statim subijcitur, cùm libidinibus indulgerent, Fidelibus castè viuentibus, ob spem beatitudinis, ac propter timorē iudicij insultabant, eósque irridebāt, vt qui cogitationibus inanibus allicerentur, vel terrerentur de rebus, quæ omniuò futuræ non viderentur, cum necdum aduenissent, quò fieret, vt pari felicitate fidem ceteris Domini mandatis non adhiberent. Simplex παίζω est *iocor ac ludo* propriè ὡς παῖς, *vt puer, ac pueriliter.* Vnde iocās in verbis Lucianus [d], Παῖς, ait, παίζων, πεσσεύων, Puer ludens, & ludens calculis. Compositum ἐμπαίζειν, & ἐμπαίζεσθαι, familiare est Euangelistis [e]: nominis verò ἐμπαίκτης, præter istud, & Iudæ, aliud exemplum non affertur: Paulus [f] ἐμπαιγμοὺς, vsurpat pro ludibriis. Apud eundē Apostolum [g] οἱ ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγοι, *in hypocrisi loquentes mendacium sunt*, qui scientes, ac prudentes vana, & falsa pro veris mentiuntur, & simulant, fictè boni, verè mali, & pietatis primùm speciem prætendunt, atque aliis veluti pueris hac larua illudunt.

Pro cathedra pestilentiæ, seu pestilentium, aut pestilentiarū in Psalmo primo [h] Hebraicè legitur לצים *lesim, illusorum, & derisorū* (quo pacto vertit Hieronymus) quos vocat Chaldæus מפיקני *memikene.* Aquila eadem significatione χλευαστῶν, vt etiā Ambrosius notat: Symmachus [illegible] insidiatores: quinta, & sexta Editio παρανόμων iniquos. Hebræum nomen significat adeo superbos, nulliusq; monitis acquiescētes, & deprauatos, vt tamquam pestis alios inficiant. Plura in eiusdem Psalmi Commentario.

Illusio quanto pios damno afficiat, videlicet cum pietas illuditur, docui explicans illud: *Musto pleni sunt isti* [i]. Christus ipse illusus, ac irrisus fuit, maximè tempore passionis, & in ipsa Cruce, à militibus, & à Iudæis [k]. A Gentilib. conficta sunt de Christianis, & Christo nomina & crimina permulta, vt antea retulimus. Hæreticorū in hoc genere de Catholicis criminationum, ac ludibriorū plaustra recensentur. Quod Lutherus [l] de Sacramentariis, & aliis sectariis dixit: mihi satis est ista beatitudo: *Beatus vir, qui non abijt in consilio Sacramentariorum, nec stetit in via Zuinglianorum, nec sedit in cathedra Tigurinorum: potiore nos in illum ipsum.* & alios Hæreticos ratione possumus retorquere. *Abominatio Domini est omnis illusor* [m]: *Ipse deludet illusores* [n]: *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus* [o]. *Eliget Deus illusiones eorum, & quæ timebant, adducet eis* [p]. Hieronymus

legit,

legit, illusures, quasi Deus eligat, per quos illudat, & irrideat illos, qui alios, ac Deum ipsum illuserunt, & irriserunt. Tandem *illusio, & improperium, superborum* [a], & nempe familiaria sunt, dum abutentes Dei misericordia dantis locum pœnitentiæ, in superbiam [b], illudunt minas diuinas, & alios vexant.

a Eccl. 27.32.
b Iob. 24.13.

Iuxta proprias concupiscentias ambulantes.] Hieronymus [c], *iuxta propria desideria ambulantes.* Augustinus [d]: *secundum proprias concupiscentias suas euntes.* Κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας αὐτῶν πορευόμενοι. Nulli magis irrident res diuinas, quàm qui concupiscentiis studēt satisfacere: sicut discrētem *de eleemosyna Christum, Pharisæi qui erant auari, deridebant* [e]. His aptissimè respondit ille [f]: *Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra.* Quasi dicat: adeo pleni sunt omni nequitia, vt hoc solus Deus probè nouerit, solúsve, vt par est, exprimere valeat. De concupiscētiis, & libidinibus Hæreticorum nonnihil priùs meminimus. Ambulandi verbum denotat nouas veluti progressiones, ac vt loquitur Paulus [g] de seductoribus, *proficient in peius*, *vt eant in adinuentionibus suis malis* [h], non contenti communibus concupiscentiis: vt è contrario *eunt iusti de virtute in virtutem, & ascensiones in corde suo disponunt* [i].

c 2. cont. Iou.
d 20. de Ciuit. cap. 18.
e Luc. 16.14.
f ibid. 15.
g 2. Tim. 3.13.
h Psal. 80.13.
i Psal. 83.7.

Vbi est promissio, aut aduentus eius?] Ποῦ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ; Augustin. [k] ad verbū: *Vbi est promissio præsentia ipsius.* Legit eodem modo Lyranus. Vertit quoque capite primo [l] παρουσίαν Intérpres, præsentiā. Omittunt verò coniunctionem Vatablus, Erasmus, Clarius, Caietanus, Adamus. Expositio istorum est de generali resurrectione, de Iudicio vniuersali, de regno Christi. Oecumenius, Beda, & reliqui de Iudicio potissimùm accipiunt. (Augustinus [m] negat sermonem esse de resurrectione,) vt eius sublato metu effrenatius libidinari Gnostici persuaderent. Eadem de Iudicio, mens Bedæ, qui rectè annotat, Petrum nimius dilatores arguere, Paulum [n] nimis festinos aduentantis assertores Iudicij. *Vnde constat,* inquit, *omnibus, qui diligunt aduentum Domini, mentem in hac opinatione temperantius cohibendam; vt neque vicinum, neque citiùs aduenturum eundem diem Domini: neque rursus tardius aduentare suspicemur: sed solum hoc seduli procuremus, vt siue ocyus, siue serò veniens, paratos nos possit inuenire dum venerit.* Monitum profectò salutare, de quo disputauimus, cùm Christi declararemus Discipulos instituētis verba [o]: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.*

k supra.
l vers. 16.
m sup. d.
n 2. Thess. 2.1. *Qui diligunt aduentum Domini qualiter affecti esse debeant.*
o Act. 1.7.

Glossa Ordinaria, Hugo, Thomas promissionem referunt, ad promissiones factas de Christo antiquis patribus, de eorum liberatione, & gloria bonorum, quæ non videantur impletę: aduentum, de iudicio, cuius non extent vlla signa. Lyranus putat errorem indicari omnino negantium Iudicium, & animæ immortalitatem, & diuinam prouidentiam circa actus humanos. Borboriani, qui & Gnostici, sustulerunt Iudiciū, teste Philastrio [p]: Item Dusitheani, & Proclianitę, & Symmachianī, & ante omnes Sadducæi: addebant Floriani resurrectionis rationem in sola consistere filiorum per coitum nefandum procreatione. Posteriores hæreticos Manichæos idem tradentes, & alios omitto, quòd scilicet non sit futurum Iudicium.

p de Hæresib.

Enumerat hic Hugo ex Hieronymo quindecim Iudicium præcedētia signa per dies quindecim; sed incertum esse, an continuatus, aut intermissos. Egimus hac de re alibi. Lege Iosephum Acostam [q], & Franciscum Suarez [r].

Quindecim signa præcedentia Iudiciū incerta.
q in lib. de nouissim. tempor.
r 3. part. tom. 2. disp. 56.

Anno Christi circiter 1001. cum vanæ de fine mūdi prædictiones deprehēsæ essent, exorta hæresis est, hoc abutēs testimonio, mundū esse incorruptibilem. Refert ex Abbone abbate Floriacensi Baron. [f] Id prouidisse noster Petrus videtur [t] illus describēs, qui dicturi essent: vbi est promissio, aut aduentus eius? &c. Porrò peruersi hominis est, ac immemoris diuinorum beneficiorum *dormire, & dormitare, quia moram facit veniendi Dominus* [u], *interim percutere cōseruos suos, & manducare, ac bibere, cum ebriosis* [x]: vsurpare velut per iocum, hoc prouerbium [y]: *In longum differuntur dies, & peribit omnis visio;* & aliud [z]: *Manda, remanda, expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi.* Vtebantur talibus formulis Prophetæ [a]: *Nubibus mandabo, ne pluant, &c. Ego mandaui* [b] *sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea: si moram fecerit, expecta eum* [c]: *expecta me in die resurrectionis meæ in futurum* [d]: *adhuc modicum est, & ego mouebo cælum & terram* [e]. Hūs dicendi modus peruicaces Iudæi deridebant. Fortassis, vt equidē coniicio, subdubitauerant Apostoli Christum, cùm sub passionem vsurpauit illud [f]: *Modicum, & non videbitis me*, alludere ad illas formulas voluisse, aut reprehendere tacitè ipsius, quasi eas aliquando vsurpauissent.

f tom. 11. anno 1001.
t 2. cap. 3.4.
u Matt. 25.5.
x Matt. 24.48. 49.
y Ezec. 12.22.
z Esa. 28.10.
a Esa. 5.6.
b infra 13.3.
c Habac. 2.3.
d Sophon. 3.8.
e Aggæi 2.7.
f Ioan. 16.17. 18.19.

Aduersus calumnias inimicorum non aptius Dauid remedium putauit esse, quàm sui meditationem finis, & breuitatem vitæ præ oculis habere, dum se concalescere sentiret intus ira, & zelo vindicandi, vel saltem excusandi [g].

Remedium optimum contra inimicos, est sui finis meditatio.
g Psal. 38.2. & seq.

Ex quo enim patres dormierunt.] Verbum dormiendi, mortem significat etiam in vetere, non in Testamento duntaxat Nouo, vt contra nonnullos annotaui in expositione Actuum Apostolorum [h]. Per patres intelliguntur maiores, & antecessores, à quibus descenditur. Nihil ex dormitione, somnóve pro somnio suo contra Purgatorium habēt Hæretici. Sunt epitheta, vel descriptiones mortis: nec sequitur, nulla ratione excitari quodam modo posse de purgatoriis pœnis, quasi taxorum instar fixæ dormiant, vbi primum collocantur. Sic profectò euocabuntur ad resurrectionem.

h cap. 7.60.
Purgatorium stabilitum.

Omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.] Vt scilicet ab initio creationis erāt. Creatura pro creatione ponitur, quæ hoc loco est κτίσις pro κτίσμα; quod aliâs crebrò fit [i], & supra capite secundo [k] epistolæ primæ. Non est qui agnitus sit reuersus ab inferis, apud Sapientem [l] stultorum celebris vox: nec non quod *nihil sit sub sole nouum, aut quod non iam fuerit aliquid, non esse futurum* [m].

i Matt. 10. 6. c. 13. 19. c. 16. 15. Rom. 1. 20. c. 8. 19. & seq. & alibi.
k vers. 13.
l Sap. 2.1.
m Eccl. 1.15.

Redargui nullo negotio possunt ab ipsamet experientia, & communi mortalium approbatione. Sed istis non *magis quàm equo, mulóve intellectus est* [n], *ac similes iumentis insipientibus facti sunt* [o]: quæ res tantùm ante se positas percipiunt.

n Psal. 31.9.
o Psal. 48. 13. & 21.

His dicere similes possumus, qui ex ordine, cursúque, quem tenuit Mundus hactenus, inferunt perpetuò sic duraturum. Ex Dei pendet voluntate duratio, sicut & inchoatio, & vt principium res acceperunt, ita sortientur finem, cùm earum placuerit primo auctori. Fides docet vtrumque, & nihil æternum fuisse præter Deum, & rerum corruptibilium durationis finem aliquando futurum. De modo paulo post Iosephus [p] prodit, ab Adamo cùm prædictus esset interitus Mundi, posteros Seth lateritiam, ac lapideam columnam excitasse, in quibus inscripserint inuenta sua.

Duratio mundi sicut inchoatio, pendet à Deo.
p 1. Antiq. c. 2.

Verſ. 5.] Latet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra de aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo.

Verſ. 6.] Per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit.

ADuerſus illos, vt ita dicã, procraſtinatores, aut ex rei futuræ longiore dilatione negatores, diuini generalis iudicij, argumentatur Petrus exemplo à re iam præterita: quę priuſquam fieret, diu prædicta fuerat. Nam quemadmodum incredulos olim ex improuiſo diluuium occupauit, & perdidit, de quo præmonuerat Noe [a]: ſic mũdum interiturum aliquando credere oportet, prout Deus etiam prædixit, licet per ignem (colligitur verſu ſeptimo argumenti vis) eodem Deo iubente. De diluuio dictum ſatis ſupra: de conflagratione Mundi alio etiam loco, & paulo poſt adhuc dicendum aliquid.

a Gen. 6. 2. & ſeq. 2. Pet. 2. 5.

Mundus eſt interiturus per ignem.

Latet enim eos hoc volentes.] Hæc eſt ignorantia affectata propria illuſorum, & deceptorum: nolunt attendere ad apertiſſima ſcripturarum teſtimonia de Mundi exitu, de iudicio generali, de reſurrectione; de pœnis, ac præmiis æternis: & quod nunc diſtinctè exprimitur, de principio quod acceperunt cœli, & elementa, déque diluuio. Rident iſta; ſicut prædicenti diluuium Noe, Impij cum irriſione obiiciebant, mille, ac inſuper ſexcentis Mundum ſtetiſſe annis inter aquas, vt idcirco nugæ ac deliria ſenis eſſent tales prædictiones [b]. *Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triſte? Ignorans ignorabitur* [c], *hique qui nolunt intelligere vt bene agant* [d].

b Eccl. 5. 4.

c 1. Cor. 14. 38.

d Pſal. 35. 4.

Cœli erant priùs, & terra de aqua, &c.] Omnes ferè per cœlos aërem intelligunt: ſicut & deinceps in ſequentibus, cùm dicuntur igni reſeruati in diem iudicij: regioné verò aëris multiplicem (vt ideo cœli dicantur numero plurali) de aqua fuiſſe ſicut & terram, quatenus tum terra, tum omnis aër erat in principio plenus aqua, donec imperio Dei *congregatæ ſunt aquæ, quæ ſub cœlo erant, in locum vnum, & apparuit arida* [e], ita tamen, vt ad conſiſtendum egeat humiditate aquea interna, ſimúlq; purgatus apparuit aquis aër.

Cœli ſignificant aërem.

e Gen. 1. 9.

Caietanus præter iſtam expoſitionem, aliam affert, ac ei præfert, vt ſit ſermo de aëre, & terra non ſecundum ſe ſpectatis, & nudis, verùm vt sũt repleta mixtis corporibus. Nam aër aues habet, (quæ vocantur etiam *volucres cœli*) dicuntur ex aquis productæ [f]: terram videmus mixtorum refertam multitudine, ac nominatim viuentium, quorum nominari mater aqua ſolet, quæ aluntur humido. Placet Franciſco [g] Sumelio iſta expoſitio. Fauet vulgaris etymologia nominis Latini, vt ſit aqua, à qua omnia, quod re ipſa, propriéque Thales de hoc ſenſit elemento, ſcilicet rerum prorſus omnium principium eſſe.

f ibidem 22.

g 1. part. q. 72. dub. 4.

Aqua etymologia, a qua omnia.

At de aquæ vocibus ac laudibus integrum cõdidit opus M. Antonius Marſilius Columna Epiſcopus Salernitanus, cui titulus Hydragiologia, hoc eſt, *ſermo de Aqua ſancta, ſiue benedicta.* Recedit ab hac opinione Oecumenius, & Salmeron, ſecutus proculdubio Catharinũ, vt ſolet in multis, & appellans dictam expoſitionem violentam. Volũt propriè ſumi cœlos, dicique de aqua eſſe, hoc eſt, de materia prima, hancque ipſam materiam deſignatam in Geneſi [h], cum ſcriptum eſt, quod *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: quemadmodum etiam per terram inanem, & vacuam, atque per tenebras abyſſi [i]: quia materia prima vilis eſt, ſicut terra, *inanis, & vacua* priuata eſt formis, ad eũ modum, quo tenebræ ſunt priuatio lucis: denique formas facilè recipit, nõ ſecus ac aqua terminabilis eſt termino alieno. Cùm verò dicuntur quoque cœli per aquam conſiſtere, docet Salmeron denotari hac præpoſitione formã externam ipſorum, quoniam pellucidi ſunt, diaphani, ſiue trãſparentes.

h Gen. 1. 2.

i ibidem.

Terram philoſophantur eadem fermè ratione de aqua eſſe tãquam ex materia prima: per aquã conſiſtere, quia regebantur aquis [k], & conſiſtentiam ſuam per humorem aqueum, qui colliget ipſam, ne diſſipetur, obtinuit. Idem indicat Clarius [l]. Ait item Catharinus, per firmamentum, id eſt, cœlum aſtriferum, diuiſas aquas, hoc eſt, ſuperiores orbes ab aquis, id eſt, à corporibus inferioribus: nec mirum videri debere, ſi omnes res corporeæ nomine dicantur aquarum, cùm etiam *aquæ multæ nominentur populi multi* [m].

Terra quomodo ex aqua ſit.

k ibidem 9.

l in Gen. c. 2.

m Apoc. 17. 15.

Quod autem non poſſumus nomine cœlorum aërem, aëriſve regiones intelligere, probant, primùm, quia nec ſcriptura, nec ratio ſuadet, aërem, ſicut nec terram, nec ignem prætereà facta ex aqua, cũ ſint hæc æquè ſimplicia corpora, vt aqua. Deinde, quoniam etſi pro aëre cœlum non rarò ſumitur, vt cùm vocantur *volucres cœli* [n]: cùm dicitur *operire cœlum nubibus* [o]: *Intonare de cœlo Dominus* [p], non tamen in plurali cœli hoc ſignificant. Ad hæc, quoties cœlum etiam in ſingulari cum terra comparatur, vt hoc loco fit, pro vero cœlo accipi videtur.

n Pſal. 8. 9.

o Pſal. 146. 8.

p Pſal. 17. 14.

Verum difficilius creditu eſt, ſumi aquam pro materia prima, quamuis nõnumquam ita loquatur Auguſtinus, & ſentiant non pauci, in quibus Molina [q] noſter, idémq; iudicãdum de terra inani, & vacua, & de tenebris. Magna quoque, & minimè neceſſaria æquiuocatio eſt, vt eadẽ aqua in eadẽ iſta oratione ſignificet materiam, & formam, licet externam. Fatemur vnũ ex alio elemẽto non effici tamquam ex cõponente, & cõſtituente principio, & idcirco modum illum alium communem exponendi præſentem locum ſequimur. Sed & negamus in multitudinis numero cœlus, aëris plures regiones non poſſe ſignificare: Primũ, quia ſeruata proprietate Hebræi ſermonis, in quo caret cœli nomẽ numero ſingulari, cœlos pro cœlo vſurpans reſpõderi poteſt. Deinde nomẽ שחקים *ſcechakim* modò nubes, modò etiam cœlos Interpres reddit, & quidem cœlos in Iob [r], aquæ ſuper cœlos [s] non poſſunt, vt placet etiam Catharino elementares propriè intelligi, ſi propriè quoque ſumantur cœli. Atqui non pauci ſuper cœlos aquas interpretantur veras, quæ continentur nubibus in aëris regione remotiore ab aëre quẽ inſpiramus, quemadmodum & in diluuio *ruptæ cataractæ cœli* [t]; non alterius cœli fuerunt, quã aëris: & firmamentum *diuidens aquas ab aquis* [u] putat Paraphraſtes Chaldæus, & alij, eſſe aërem cum omni ſpatio à terra vſque ad ſidera: quæ poſita dicuntur in firmamentũ, hoc eſt, in illo ſpatio ſecundum ſupremam ſui partem, quæ videtur iudicio oculorum noſtrorum contigua ſideribus, perinde ac ſi collocata hæc eſſent in aëre ſupremo.

q 1. part. Tract. de opere ſex dierum, diſp. 4.

r cap. 37. 18.

s Pſal. 148. 4. & Dan. 3. 60.

t Gen. 8. 2.

u Gen. 1. 6.

Scio tamen aliis videri, aquas ſuper cœlos Angelos eſſe, vel decimum cœlum, ſiue primũ mobile, quod vocant cryſtallinum, quaſi ex aqua in cryſtalli modum concreuerit, ac obduruerit, ſeu

Aquæ ſuper cœlos ſunt Angeli.

potiùs quòd diaphaneitate sua repræsẽtet aquas, & crystallum; sicue ignem id[i], quod appellatur empyreum, & est sedes Beatorum, supremum cœlum. In Apocalypsi[a] aquæ vt crystallus splendidæ vocantur. Per firmamentum præterea verum cœlum stellatum sumunt multi. Denique variæ his de rebus admodum sententiæ sunt, quas potissimum collegit in Glossa sua Magna super caput primum Genesis Ascanius Martinengus, opinionem tamen secutus de veris super cœlos aquis, quæ placet item Molinæ[b].

Fauent inter alios nostræ sententiæ Augustinus[c], & Beda[d], & Rupertus[e], & de recentioribus confirmant accuratè Pererius[f], & Eugobinus[g], Hieronymus Magius[h], præter B. Thomã[i], Durandum, Caietanum[k], vt alios omittam, cùm nec illi Patres vno idem in loco tradant, sed aliud aliúdve diuersis in locis. Iuuat nos quoque nonnihil nomen Hebræum שמים *sciamaim*, quo cœlum vocatur, quasi sine ibi aquæ. Hieronymo[l] etiam Interprete, qui inter cœlum, terrámque statui docet firmamẽtum, quod ipsum iuxta dictam etymologiam vocetur quoque cœlum. Putant etiam aliqui[m] locutum Mosem ex vulgi sententia veras opinantis aquas in cœlis esse; indéque huc diffluere, vt & cum Scriptura ventos de speculis[n] prodire tradit, & de his alia similia. Legantur præterea S. Thomę Interpretes cùm disserunt de opere sex dierum, vt de nostris Valentia, cui nostra placet sententia.

Porrò Rupertus[o] præsentem Petri locum sic interpretans de aëre humido, ac turbido, meminit alterius editionis: *Cœli erant olim imrabam, de aqua, & per aquam consistens.* Hoc iisdem prior verbis notauerat hîc Beda. Iuxta quam lectionem nihil de terra dicitur. Augustinus[p] ita recitat: *Cœli erant olim, & terra de aqua, & per aquam consistentia:* vbi vltimum participium referri posset tum ad cœlos, tum ad terram, si reciperetur in genere neutro, ad solam terram, si in fœminino. Versio nostra, & Græcus textus, prout nunc est, nullam ingerunt de cœlis difficultatem, quo pacto de aqua, & per aquam consistant, quoniam illa duo *de aqua, & per aquam consistens*, non possunt ad cœlos referri, sed tantùm ad terram: *Cœli erant priùs, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo,* Οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, καὶ γῆ ἐξ ὕδατος, καὶ δι᾽ ὕδατος συνεστῶσα, hoc vltimum participium est singulare generis fœminini.

Qui legunt *constituta* in plurali, vt sumi posse apud Augustinum dixi, vel *consistẽtes*, vt legit Clarius, legique vult Caietanus, Grecè legisse debuerunt συνεστῶτα. Hieronymus[q] legit hoc pacto: *Cœli erant ab initio, & terra de aqua, & per aquam Dei sermone subsistit.* Volui nihilominus quid de hoc loco dicendum videretur, exponere, quod attinet ad cœlos, quia id alij faciunt, & quoniam paulo infra de iisdem cœlis agitur, per quos aëris regiones pariter intelligere debebimus, quemadmodum & Augustinus[r] clarè intellexit integrum Petri locum.

Porrò Didymus refert nonnullos, qui hoc loco abuterentur, vt tres Mundi mutationes assererent, primò fuisse seculum & terram, absque cœlis: postea mutatum sub Noe Mundum, tandem in fine mutandum. Ait verò hanc epistulam esse falsatam, ac licet publicetur, non tamen esse in Canone. Nos in Præfatione ad hoc vltimum respondimus.

Terra de aqua, & per aquam consistens.] Iam sensum tradidimus, quod terra fuerit aquis denudata, & super aquas firmata, ac stabilita, vt neque fatiscat ariditate, neque humore aqueo dissoluatur. Vnde illud[s]: *Qui firmauit terram super aquas.* Hebraicè לרוקע *lerokahh, ei qui expandit, & extendit terram*, ita vt extaret, & appareret superior illis, quibus initio circumfundebatur, & operiebatur, *vt non conuertantur operire eam*[t].

Dei verbo.] Quo cœli firmati sunt[u]: quo factum firmamentum separans aquas ab aquis, & hæ, quæ sub cœlo erant, in vnum locum congregatæ, ita vt appareret arida, siue terra[x]: quod dixit, & facta sunt omnia[y].

Dicere Dei, vel ipso efficax est, vel imperium operatorium, & interna conceptio animi aliquid faciens, vt notauit Rabbi Moyses[z], docens vbicumque reperiuntur in opere de Beresit, hoc est, in Genesi, verbum, dixit, exponi, voluit, *quoniam loquela*, inquit, *ad aliquod creatum profertur*: tunc autem non erat aliqua creatura. Idem admonet de loco Psalmi[a]: *verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Athanasius[b], & Lactantius[c], & alij, hoc dicere Patris esse dicunt cum Filio loquentis; qui Filius sit illius δημιουργὸς ac σύμβουλος, vt scripsit Trismegistus, & Sibylla, tantáque sapientia, & virtute à Patre instructus, vt & consilio eius, & manibus quodammodo vteretur in Mundi fabricatione. Theodoretus[d] & Procopius[e] illud dicere Dei ad Angelos referunt iam priùs creatos invitántque & cum ipsis Basilius[f] materialem Dei vocem fuisse, necnon hi, de quibus meminit Moses Barcepha[g], idq; disertè sentit Hieronymus[h] Oleaster: volens præterea Deum humanam sibi formam confecisse, ac ore ipso pronuntiasse verba, quibus cuncta condidit. Fauent hæc Anthropomorphitis, & abhorrent à communi veráque sententia, quæ Angelos etiam negat ante corporeum factos mundum: nec si concederetur, opus erat iis communicari creationis consilium: multóque minùs id fieri externo sermone.

Alius ille dicendi modus receptus magis, dicendo creasse Deum, quia per Verbum, qui est Filius, & quidem genitus per intelligere Patris notionale, quod Theologi vocant dicere. Lege Augustinum[i]. Placet præterea inter alias expositiones, cur dicendo creatas res dicamus, illa, quam tradũt Chrysostomus[k], Eucherius[l], Alcuinus[m], Glossa[n] Ordinaria, Petrus Comestor[o], Hugo[p] Cardinalis, Abulensis[q], quia tam facilè Deus illas creauit, quàm nobis facilis est sermo. *Vocat enim Deus ea quæ nõ sunt, tamquam ea quæ sunt*[r]. Denique hic efficiendi modus per verbum, denotat Deum *omnia in sapientia fecisse*[s], hàncque sapientiam in singulis rebus creatis apparere, & illas veluti Creatoris *voces esse gloriam, atque sapientiam eius enarrantes*[t]. Innuit hoc Nyssenus[u] prolatis Psalmorum, quæ citaui modo, testimoniis, & alterius[x], in quo est, quod *posuit Deus in eis* (id est, in prodigiis factis in Ægypto,) *verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham*[y]. *Nam ratione,* inquit, *quadam* (alludit ad λόγους, qui eam quoque significant) *vim cuiusque eorum quæ fiunt effectricem ad effectum deduci, apertè per hanc vocem Psalmorum:* Auctor significat, quasi non in verbis oratio sit, sed vis, atque potentia signorum edendorum ita nominetur.

Δι᾽ ὧν. Per quæ.] Per cœlos, & aquam & terram, cum scilicet è cœlis, hoc est, ex aëre, tot pluit diebus[z], & aquæ etiam inferiores, quæ in

a cap. vlt. i.
b septimâ, disp. 10.
c c.1. confess. cap. 32. 2. de Genesi ad lit. c. 4. & de Genesi imperf. cap. 14.
d c. de elem. philosoph.
e 1. in Genes. cap. 12.
f li. 1. in Gen. & lib. 4. in Dan.
g in Cosmop.
h l. c. de exulib. Mund. cap. 5.
i quæst. 68.
k a. 1. 14. 1 epist. 83.
m Hieronymus Magius de exul. Mun. li. cap. 5.
n Psal. 134. 7. Ierem. 10. 13. cap. 51. 16.
o 1. in Gen. cap. 50.
p 10. de Ciu. cap. 18.
q in cap. 65. Esaiæ.
r 20. de Ciu. cap. 24. Tres mundi mutationes ... quosdam.
s Psal. 135. 6.
t Psal. 103. 9.
u Psal. 32. 6.
x Gen. 1. 6. 7.
y Gen. 1. & seq. Psal. 148. 5. Dicere Dei vel ... efficax est.
z lib. 1. directio dubiorum c. 64.
a Psal. 32. 6.
b orat. contra Idola.
c lib. 4. cap. 6. Dicere Dei quid sit.
d quæst. 9. in Genes.
e in c. 1. Genesis.
f Hom. 13. in diuers. Script. locos.
g in Paradis. 1. part. c. 18.
h in c. 1. Gen.
i de Genesi imperfecto libro. cap. 5.
k in Psal. 148.
l in c. 1. Genes.
m ib. q. 32.
n ibidem.
o in Histor. Schol. cap. 3.
p in c. 1. Gen.
q ibidem.
r Rom. 4. 17.
s Psal. 103. 24.
t Psal. 18. 1.
u in Hexaemeron.
x Psal. 104. 27.
y Exo. 7. 8. 9. & seq.
z Gen. 7. 11. & seq.

terra erant, eruperunt, ac exundarunt.

Ille tunc mundus.] ὁ τότε κόσμος, quem priore capite [a] nominauit ἀρχαῖον, hoc est, originalem, qui durauerat ab Adam vsque ad Noe.

Aquis inundatus periit.] Viuentia perierunt, piscibus exceptis, & aliis, quę in arcam illata sunt cum octo hominibus [b], magna quoq; accidit elemẽtis in deterius mutatio, & quædam quasi corruptio, licet secundum substantiam perseuerauerint. Qua de re nonnihil egimus in capite decimo libri Sapientiæ. Thomas Anglicus mendosam lectionem secutus est, *mundatus* pro (*inũdatus.*)

b Gen. 7. 7. & seqq.

Vers. 7.] Cœli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.

Mundi mutatio per ignem futura.

HÆc est, futura Mundi mutatio ac velut interitus per ignem, ex qua mutatione simul cum ea, quæ iam facta est per diluuium, probat Petrus, vt vidimus, non omnia, vt obiiciebant impij sic perseuerare ab initio creaturæ, quasi nihil vereri oporteat minas de futuro iudicio, & conflagratione Mundi. Pendet autem exactior huius loci cognitio ex versu decimo, inter quem, isthimque alia inseruntur, quasi per parenthesim. Nunc exponenda duntaxat, quæ præsens flagitat locus.

Cœli autem, qui nunc sunt.] Est antithesis ad cœlos, quos dixit versu quinto fuisse prius ἔκπαλαι: quia licet iidem sint nunc, qui tunc, tamen aliter & aliter dispositi. Quia verò cœli propriè sumpti, nimirum cœlestes orbes, retinent eundem perpetuò cursum suum, & naturales qualitates, iuxta illud quoq; [c], *Ordinatione tua perseuerat dies*, hoc loco, vt & illo per cœlos debet intelligi aeris, omnis regio, quam constat multis subiectam mutationibus, tempore autem diluuij permagnam ei accidisse, circáque iudicij tempus non minus in eâdem magnam futuram esse.

c Psal. 118. 91.

Et terra.] Nihil de aqua dicit, quia exustio ignis magis conspicitur in aere, & terra, & opponitur Mundi mutatio per ignem futura, ei, quæ fuit prius per aquam. Grassabitur tamen etiam in aquam ignis eam siccans, & consumens [d].

Ignis in die iudicij etiam in aquam grassabitur.

d Apoc. 16. 13.

Eodem verbo.] Fortasse paulò meliùs, & Latinius (eidem verbo) vel eiusdem, scilicet Dei verbo, τῷ αὐτῷ λόγῳ. Alij omittunt articulum: quidam legunt τῷ αὐτῷ λόγῳ.

Repositi sunt.] Τεθησαυρισμένοι εἰσὶ, quasi verbum Dei thesaurus quidam sit, vnde cuncta veluti depromat, quæ facit. Ventorum [e], & abyssorum [f] thesauri, sunt occulta receptacula illorum, sicut & fontis [g], & aquæ pluuiæ [h], niuis, grandinis [i], ac nebularum, vnde nix, atq; coruscationes, quas imperio suo, & ad iudicium suum declarandum accelerat Deus, & euolare facit sicut aues [k], est ita Dei pretiosa, benéque custodita; non temere, aut præcipitanter promitur. *Condita sunt apud Deũ peccata nostra, & signata in thesauris eius*, vt secundum vltionem suam retribuat in tempore [l]. *Signauit quasi in sacculo delicta nostra* [m]. Peccator abusus hac Dei benignitate, *thesaurizat sibi iram* (addens ad cumulum thesauri diuini. hoc est, vltionis *in die iræ*) *& reuelationis iusti iudicij Dei* (quando aperiet Deus thesauros pœnarum) *qui reddet vnicuique secundum opera eius* [n]. Diuitias appellat Paulus [o] bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis Dei, quas contemnat peccator: thesauros illa supplicia, quorum reatum incurrat. Et quamuis maior sit bonitas, patientia, longanimitas Dei, quàm ira & vindicta, puniátque citra condignum, thesaurus verò sit quid amplius, quàm diuitiæ; licet etiam *diues Deus per se sit in misericordia* [p], non dum peccamus, assignamus quodammodo diuitias diuinæ vindictæ: &, quod attinet ad nos, videmur ad tantum contemptum diuinæ misericordiæ, & quia pluris æstimamus creaturam, quàm Deum thesaurum quodam modo maiorem excitare, ac maiore digni effici supplicio, quàm fuerint, quæ prius receperamus beneficia magna, quæ reuera erant magna.

Verbum Dei thesaurus quidam est.

e Psal. 134. 7. Ierem. 10. 13. cap. 51. 16.

f Psal. 32. 7.

g Num. 20. 6.

h Deut. 28. 12.

i Iob 38. 22.

k Eccl. 43. 14. 15.

l Deut. 32. 34.

m Iob 14. 17.

n Rom. 2. 4. 5. 6.

o ibid. ver. 4. *Diuitias bonitatis, & patientiæ Dei peccator contemnit.*

p Ephes. 2. 4.

Tractatur locus Pauli egregiè ab Augustino [q], & Gregorio [r], & Hieronymo [s]: sed Augustinus [t] docet thesauros esse occultas dispositiones Dei vt puniat. & quòd ponit quotidie peccator per modicum, & minutatim, ingentem postea massam, & cumulum inuenturum. Præterea sic [u] ait vocari iram peccatorum, quia mala, quæ facit homo, seruat illi Deus, depromenda in tempore suo, in eius vindictam: Si corrigatur, fundi nunc thesaurum illum, & impleri alium, vbi omnia opera bona colligantur. Vsurpauit Iacobus [x] eandem formulam, dicens: *Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Ditescimus diuinis bonis, Deus quodammodo peccatis nostris: verùm hæc tandem thesaurizatio nobis fit, quia ad supplicium nostrum. Thesaurus est ascititiarum opum; ita opus alienum, & peregrinum Dei est punire [y].

q in Psal. 48. & 102. & apud Prosperum in sententijs, & lib. 2. cont. Aduer. Legis, & Prophetæ.

r hom. in Ezechiel.

s in Oseam.

t lib. 2. contra Aduer. Leg. & Propheta.

u in Psal. 49. *Mala quæ facit homo, seruat illi Deus.*

x cap. 5. 3.

y Esa. 28. 21. *Alienum & peregrinum opus Dei est punire.*

Itaque repositos cœlos verbo Dei, est eius imperio subiectos, vt iterum eos immutet; non autem, vt Hugo, Carthusianus, Thomas, restitutos, ac iterum positos ad priorem statum, vsúmque.

Igni reseruati.] Πυρὶ τηρούμενοι. Nonnulli ἐν πυρί. In igne, sed referunt ad præcedens participium, repositi, eo quod videatur immutatio, siue purgatio cœlorum, & mundi contineri velut in thesauro, in igne similem porro vim habere censeri potest hoc aliud cum illo participio ad denotandam diuinæ vindictæ rationem. Omnes etiam sanctos per ignem transituros ac purgandos esse ante generale iudicium docet Nicetas [z] Choniata. Videtur Augustinus [a] existimare omne humanum genus igni probandum in fine mundi.

z 4. thesaur. fol. 220. b.

a in Psal. 29. enar. 4.

In diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.] Videtur innui duplex causa ignis excitandi tum vt proximè iudicium generale præcedat: tum vt cruciet impios: quod secundum adhuc dupliciter intelligi potest, & ante, & post pronunciatam sententiam; ita vt in Infernum demittatur ignis, cùm iam priùs cœperit Damnatorum suscitatorum corpora cruciare. Senserunt nonnulli, ante resurrectionem, ignis vsum futurum ad interficiendos homines, qui viui reperientur circa diem iudicij, & ad purgandas iustorum maculas, si quæ in eis inuenientur. Indicat Augustinus [b], reuentque Bonauentura [c], Antoninus [d]; & alij. Immo generaliter affirmarunt alij iam resuscitatos igni probandos, & discernendos à malis bonos. Auctores refert, ac refellit Suarez [e]. Certè nec deerit alius modus viuos de medio tollendi minùs violentè, nec egebunt aliqui iusti tali purgatione: qui autem egebunt, purgari aliter poterunt, videlicet in igne Purgatorij, de quo videtur tantùm loqui Augustinus, temporis breuitatem Deo compensante per acerbitatem pœnæ. Denique iam suscitatos iustus contra omnem rationem est ignem vllo modo sentire, cũ iam sint vel beati, vel nullam pœnam meruerint, vel ei satisfece-

Ante resurrectionem vsus ignis quis sit futurus.

b li. 50. hom. in 16.

c 4. dist. 47. q. vlt.

d 4. par. tit. 14. cap. 11. §. 3.

e 3. p. Tom. 2. disp. 57. sect. 1.

Iusti iam suscitati igne cruciandi non sunt.

riur

cerint ante resurrectionem. Quod si probari, sit non cruciari, sed cruciatis impiis cognosci piorum innocentiam, qui non crucientur; hoc pacto concedi potest quod aliqui nonnunquam Patres dicunt per ignem probandos iustos etiam post resurrectionem. Alioqui non dubium, quin etiam in hac vita planè satisfieri possit ab aliquibus, & quin pœnæ purgatoriæ infligantur iis, qui illas merentur, mox vt hinc migrant non expectando Iudicium vniuersale; eo prorsus modo, quo de pœnis inferni sentiendum est, & de felicitate. Est item prorsus improbabile, quod tamen innuit Cæsarius Arelatensis[a], aliquem iustum resurrecturum, qui non plenè satisfecerit, & post resurrectionem luat in corpore.

Quamuis autem non sit improbabilis opinio Auctorum, quos citat idem Suarez[b], conflagrationem Mundi fore ante iudicium; tamen maioris auctoritatis sunt qui asserunt post illud, nempe Augustinus[c], Prosper[d], Iulianus[e] Pomerius, Anselmus[f], quibus consentit Bonauentura[g]. Ratio quoque suadet, quoniam cùm dicatur ignis repleturus orbem totum, etiam supra montes, & effectum aliquem habiturus post latam sententiam, oporteret vel remoueri tantisper, dum fertur sententia; vel intra ipsum omnes iudicari: quod vtrumque absurdum videtur. Postremò, magis conueniens expectari finem iudicij, ne, dum adhuc impij iudicandi versantur in isto mundo, suis eum blasphemiis, & præsentia ipsa commaculent, siquidem passim redditur pro causa conflagrationis, vt fœdatus peccatis mundus purgetur.

Sed adhuc magnam habet probabilitatem, futurum, vt pars ignis tanta præcedat postremam iudicij sententiam, quāta sufficiat ad impios tam suscitatos perterrendos, ac puniēdos, etiam priusquam trudātur in Infernum; quemadmodum Iusti statim incipient frui dotibus corporis sui: Hoc sanè præ se ferunt Petri verba hoc loco, (*igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.*) Item illa Pauli[h]: *In reuelatione Domini Iesu de cælo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum.* His non dissimilia sunt in Psalmis[i]: *Deus manifestè veniet: Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius* (nempe in impios immissa) *tempestas valida.* Præterea[k]: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Tandem hunc sensum efficit, quod in Ecclesia decantatur, *iudicandum à Deo seculum per ignem.* Itaque commodè possunt intelligi aliquot Patrum sententiæ: qualis Nouatiani[l], quod ad igneum diem iudicij mundus iste festinat.

Qui putāt ante iudicium futuram exustionem Mundi, conantur causas afferre, cur olim aquis, tunc igni purgatio efficiatur. Thomas Anglicus physicam dat, quia ignis purgando innouat, non item aqua: moralem, quia tunc viguit ardor luxuriæ, tunc vigebit frigus auaritiæ refrigescente charitate[m]. Martinus Polonus[n] Neronianæ contra Christianos causam persecutionis, edictique, ad Paulum refert Apostolum, quòd hic dixisset coram illo, figuram Mundi per ignem dissoluendam: propterea iussisse omnes, qui per ipsum credidissent igne cremari, Paulum, tamquam Maiestatis reum, secundum Romanas legēs capite truncari. Suetonius[o] prodit, cum quidam dixisset in sermone communi Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί: Me mortuo, terra misceatur igni, Neronem dixisse: Ἐμοῦ ζῶντος Me viuente: propterea vrbem inflammasse, ac lætum flammæ pulchritudine ἅλωσιν, id est, captiuitatem Ilij decantauisse. Addit Tacitus[p] inuidiam incendij, translata in Christianos suspicione, abolere voluisse: Inter alia quæ Christianis enumerat obiecta in Octauio Minutius à Gentilibus, vnum hoc erat, quòd toti orbi, & ipsi Mundo cum sideribus suis minarentur incēdium, ruinam molirentur. Et multa tamen tam multi Gentiles auctores hac de exustione prodiderunt ab Eugubino[q], & Magio[r] diligenter collecta, quos legi malim à te, quàm transcribi à me. Recitantur à Lactantio[s], & Augustino[t], aliqui. Astra tunc extinguenda, & postmodum restituenda Cyrillus[u] Ierosolymitanus videtur existimare: quæ aliorum opinio etiam est de casu & extinctione: quam tamen melior scholæ pars non sequitur.

Vers. 8.] Vnum verò hoc nō lateat vos, charissimi, quia vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.

Vers. 9.] Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.

OCcurrit obiectioni de dilatione, quasi quod differtur, etiā auferatur, monétque ne quem capiat longioris tædium moræ: quoniam quod prædixit, præstabit qui nullis astringitur temporum spatiis Deus, & cui perinde est breuis longáve duratio finita, quoniam ipsius fine, ac principio caret duratio. Quod si differt, id tarditatis non vitio facit, sed beneuola expectatione ad pœnitentiam, vt liceat omnibus consequi salutem, quam ipse illis vult. Quo beneficio ne quis abutatur, scire simul debet, sic sibi pœnitentiæ dari spatium, vt quantum sit, nesciat, sed improuisus ad nos hinc euocandum Deus adueniat, & tandem ad suo sistendum tribunali cum cetera multitudine iudicandorum. Id initio versus decimi significatur.

Vnum verò hoc non lateat vos charissimi.] Aliqui codices Græci addunt ἀδελφοὶ ante ἀγαπητοί. Antithesis quædam illorum respectu, quos antea dixit *latuisse volentes.* Nam etsi quod modò proponit, non sit magis obscurum, quàm illud aliud, cuius illi ignorantiam præ se ferebant, tamen erant hi excusatione digni, non illi: nec eadem párque à doctoribus, & discipulis scientia requiritur. Cùm admonet vt non lateat, vult vt certi sint, penitúsque sibi persuadeant, & credant. Sic toties Paulus intelligit, cùm scribit[u]: *Nolo vos ignorare fratres:* & cùm in apologia sua, dixisset regem scire quæ ipse afferret, addidit: *latere enim eum nihil horū arbitror*[x].

Vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.] Sumpta ex Psalmo[y] sententia videtur: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit.* Vbi additur præterea[z]: *& custodia in nocte.* Necessaria meditatio etiam piis, quibus *dilata spes affligit animam*[a]. Hebraicè מחלת לב *machlath leu infirmitas est cordis*, ita vt quæ sub altari sunt animæ iustæ, videantur ægre quodammodo moram pati dicendo[b]: *Vsque*

a hom. in Id. 1. Cor. 3. Salutis erit, sic tamen quasi per ignem.
b supra. Igne conflagrationem ante iudicium, sed post illud futurū esse.
c 20 de Ciu. cap. 16. 18 30.
d in Dimid. temp. c. 19. 10.
e 3. Prognosticon, cap. 46.
f in elucida-rio.
g 4. dist. 47. ar. 1. q. 4.

Pars quædam ignis iudicium præcessura est.

h 2. Thes. 1. 7. 8.

i Psal. 49. 3.

k Psal. 96. 3.

l de Trini. c. 8. apud Tertull.

m Mk. 24. 12.
n in Chron. Paulus ante à Nerone fuerit interfectus.

o in Nerone cap. 38.

p lib. 15.

q lib. 10. de perenni Philosophia.
r lib. de Mundi exustione.
s l. 7. c. 18. & 19.
t de Ciu. Dei.
u Catech. 15.

u Rom. 1. 13. 11. 25. 1. Cor. 10. 1. c. 12. 1. epist. 1. 8.
1. Thess. 4. 13.
x Act. 26. 26.
y Psalm. 89. 4.

z vers. 5.
a Prou. 13. 12. Spes dilata animam affligit.
b Apoc. 6. 9. 10.

que quo Domine, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui sunt in terra? & omnes orare docemur [a]: *Adueniat regnum tuum*: & laudantur, qui diligunt aduentum Domini [b]: & compescitur curiosa quæstio de futuris temporibus [c]. Sed & improbis cogitandum id seriò, ne absque timore perpetrent mala, *quia non profertur cito contra illos sententia* [d].

Quod verò attinet ad animas Martyrum sub altari (hoc est, in suis sepulchris, & altaribus, in quibus conduntur eorũ reliquiæ) veluti subquerentes, & clamantes; denotatur earum de resurrectione magnum desiderium, vt Gregorius [e] docet, déque iudicio, & vt interim, quod ait Chrysostomus [f], cõfunderet Deus aduersariorum fortitudinem, vt agnoscant Christi potentiam & diuinitatem: vel quæ Augustini [g] expositio est, vt regnum euerteret peccati, quo regnante, Martyres tanta perpessi sunt.

Verùm vt redeamus ad præsentem sententiam, Omnis vita nostra quamlibet longa, & cuiuslibet alterius rei licet maxima duratio perbreuis est apud Dominum, siue in oculis eius, æstimatione illius, & comparata ad eius æternitatem. Semper idem Deus, *nec deficiunt anni eius* [h], sicut nostri, & reliquarum creaturarum. *Non sicut dies hominis, dies Dei, & anni eius sicut humana sunt tempora* [i]. Coexistit indiuisibiliter æternitas Dei cuicumque durationi, ac minimæ ipsius parti, etiam momento. Durationis nostræ, quæ fluxerunt, quæque fluent partes vel fuerunt, vel erunt, sed non sunt. *Æternitas Dei est interminabilis*, vt finit Boëtius [k], *vita ipsius tota simul, perfectáque possessio*. Paulus [l] totum tempus vitæ appellat *hodie*: Esaias [m] *momentum*: Dauid [n] citato psalmo *nihilum*. Idcirco, inquit Ambrosius [o] vna die diuersis horis operarios conduci [p], quia mille anni in oculis Domini, sicut dies vna. Aggæus [q] à suo tempore, quo primum prædicebat aduentum Christi spatium ferè quingentorum annorum appellauit modicum. Iterum Paulus [r] *modicum aliquantulum*, omne tempus vsque ad secundum aduentum. Ioannes [s] verò *nouissimam horam*. Lege nostrum in eum Commentarium.

Hinc aliqui Scholastici inferunt, omnia entia coexistere Deo in æternitate, seu hanc illis, licet non per realem, sed per obiectiuam duntaxat eorum existentiam, prout obiiciuntur cognitioni, & potentiæ diuinæ. Præterea condi Mundum à Deo potuisse multò antè quàm conditus fuerit. Primum Petrus Damianus huius loci, Psalmíque 89. authoritate bene demonstrat [t]. Beda, póstque illum reliqui enarratores colligunt morale documentum, vt nec desperet quis quasi non sufficiat ad pœnitentiam mille annorum, siue longi temporis pœnitentia: quia vnus dies veræ pœnitẽtiæ latroni sufficit [u]: nec præsumat, quasi vnius diei labor sit satis; quia nobis quis extremus detur dies, certò nescimus: ipsǽque passiones totius huius temporis per se non sunt condignæ [x]: nec putet ad causas multi temporis discutiendas vnicum Dei diem non sufficere. *Nam vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus*: neque, vt nos, eget diebus, ac temporibus, vt quærat iniquitates, & peccata scrutetur [y], vel puniat, verendúmque sit ne labatur ei opportunitas temporis. Accipit quidem tempus Deus vt iudicet iustitias [z], sed accipit quando libet. *Diabolus venit cum magna ira sciens quia modicum tempus habet* [a], homines oblatam sese de inimicis vlciscendi occasionem labi non sinunt; qua de re Dauid serui monuerunt [b].

Illud porrò de contemnendis magnis vitæ etiam longæuæ laboribus pro æternæ vitæ possessione confirmat hoc ex loco Ephrem [c] egregie. *Nam mille anni huius seculi in æterno*, inquit, *& incorruptibili illo mundo tantam habent comparationem, quantam minima arena maris cum tota arena eiusdem*. Nyssenus [d] infert ex eâdem Psalmi sententia, licet vita cuiuspiam infinitis maculis notata sit, si ad rectam viuendi rationem velit reuerti, totam illam congeriem peccatorum, quæ videtur esse mille annorum, pro nihilo reputatum iri, quia diuinus oculus præsentia semper intuetur, præteritum non æstimat, sed instar vnius diei, vel noctis nostræ, quæ iam præterit, ab eo habetur, è contrario quamuis præsentem peccator malitiam vt nihilum extenuet, Deum velut longissimam quãdam annorum multitudinem aspicere, iuxta id, quod est eodem Psalmo [e]: *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*: solet namque peccator pro nihilo peccatum ducere, & asserere nihil esse, cùm tamen sit quædam naturæ motio, & opus Dei.

Sed cauenda falsa opinio huic innixa, & Psalmi octogesimi noni [f] loco de Mundi per sex duntaxat annorum millia duratione, sicut scilicet sex diebus mundus factus est [g], ita vt dies Dei magnus ex mille constet annis. Dictam sententiam in epistolari octogesimi noni expositione posuit Hieronymus [h], & confirmauit præsenti testimonio Petri: præterea Lactantius [i] Psalmum citat, vt alios omittam sectatores eiusdem opinionis, quos refert Sixtus [k] Senensis, & Feuardentius [l], vt Iustinum, Irenæum, Hilarium, Germanum Constantinopolitanum; Thalmudicos, Hydaspem Medorum regem, Trismegistum, Sibyllas, Hippolytum, (qui cum sequentibus Græcis addit annos quingentos, & cum citato Germano) Chrysostomum, Cyrillum: rursus ex Hebræis Rabbi Salomon, & Rab. Isaac: ex Patribus Latinis Gaudentium Brixianum, qui [m] adhibet argumentum ex Psalmo: ex recentioribus Picum Mirandulanum, Franciscum Venetum, Galatinum, &c.

Ambrosius [n] meminit vsos eodem isto loco, vel Psalmi, qui illud sentirent, sed refellens, ait iam tunc abiisse suo tempore plusquam sex annorum millia. Nos verò inter exponendum illud Christi oraculum [o]: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta*, &c. ostendimus vana esse hæc de re hominum iudicia. Si sequimur veterem annorum supputationem à Mundo condito, quam ex auctoritate LXXII. Interpretum ponit Martyrologium Romanum [p], plurimíque alij, vt notauit Baronius [q], ita vt natus sit Christus anno à creatione Mundi quinquies millesimo nonagesimonono, non plures, vt Ambrosius dicit, sua iam ætate abierant anni, quàm sexies mille: sed deerant illi numero plusquam quingenti anni; obiit enim ille anno Christi trecentesimo nonagesimoseptimo, vt demonstrat idem Baronius [r]. Reperies dicto illo Commentario nostro acrem reprehensionem Augustini cõtra exactas istas ætatis Mundi supputationes. Adde quæ ad initium Psalmi sexti scribit, ac in enarratione octogesimi noni. Iulianus [s] Pomerius nixus auctoritate Augustini validè confutat Iudæos contendentes nondum natum Messiam, quia duret adhuc Ætas quinta seculi, nasci autem illum oporteat in sexta, id est, in sexta myriade. Probat nullibi prædi-

ctum

a Matth. 6. 10.
b 2. Tim. 4. 8.
c Matth. 24. & seqq. Act. 1. 7.
d Eccl. 8. 11.
Quid significent animarum quæ sub altari sunt querimoniæ.
e 2. Moral. c. 6.
f in Psal. 9. à medio.
g serm. 59. de Temp. serm. 12. de Sanct. lib. 1. de sermo. in Monte cap. 45.
Omnis vita nostra breuis est ad Deum comparata.
h Psal. 101. 28. Heb. 1. 10.
i Iob 10. 5.
k 3. de Consol.
l Heb. 13. 3.
m cap. 26. 20.
n Psalm. 89. 5.
o in c. 15. Luc. & lib. de Fide resurrect.
p Matth. 20. 1. & seqq.
q cap. 2. 7.
r Heb. 10. 37.
s 1. epist. 2. 18.
Omnia entia Deo coexistunt in æternitate.
t epist. 4. c. 7. ad Desiderium.
u Luc. 23. 42. & seq.
x Rom. 8. 18.
y Iob 10. 5. 6.
z Psal. 74. 3.
a Apoc. 12. 12.
b 1. Reg. 24. 5. cap. 26. 8.
Pro æterna vita consequenda mille labores longi videri debent.
c Tom. 2. serm. ad piet. & bona opera. pag. 78.
d Tract. in Psalmos, c. 9.
e Psal. 89. 5.
Peccator solet peccatum pro nihilo ducere.
f vers. 4.
Mundum per sex tantum millia duraturum falsissima est opinio.
g Genes. 1. per totum.
h epist. 139. ad Cyprian. quam etiam lege in cap. 4. Mich.
i lib. 7. cap. 14.
k 5. Biblioth. annot. 90.
l in lib. 5. Irenæi cap. ult.
m Tract. 10. de lect. Exod.
n lib. 4. in cap. 9. Lucæ.
o Act. 1. 7.
p 25. Decem.
q ibidem.
Christus quo anno mundi natus.
r in vita, & in Annalib. & in Notis Martyrolog.
s lib. 1. contra Iudæos sub initium.

ctu... in scripturis. esse nasciturum Christum in sexto millesimo: non etiam pro eius natiuitate traditam supputationem annorum obseruandam ab initio Mundi, sensum autem Psalmi esse, quãuis concedatur per sex dies creati Mũdi totidem ætates intelli...i, non de natiuitate Christi, neque quod hæ in sex millibus an...i determinentur, id est, vt vnaquæque Ætas millenario annorum tramite di...natur: sed quia quantumlibet huic vitæ longum tempus optetur, & in quantalibet annorum prolixitate viuatur, mille anni ante oculos Dei, qui non moritur, tanquam præteriens dies vna putatur, & ideo quasi pro nihilo ducitur. *Hac ferè ad verbum Iulianus, qui deincepts Augustini vrget rationem, quam, si placet, apud ipsum leges.*

Christum in sexto millesimo anno nasciturum fuisse existimant.

Videtur & Iustinus [a] Chiliastarum, quam ipse etiam sequitur notam satis, & iam explosam sententiam hinc probare. nam inter alia sic argumentatur: *Nonnimis quoque dictum illud, quod dies Domini sit sicut mille anni, huc pertinere.* Aliqui freti hac formula, qua mille anni ante Dominum censentur tanquam dies vnus, occasionem arripiunt quosdam scripturæ locos obscuros interpretandi, dies accipiendo pro annis; exempli causa, cum dies quadraginta quinque post Antichristi mortem futuros ante Iudicium docet Hieronymus [b] exponens Danielem, & alij. Hæc est Cosmæ [c] Damiani Hortolani opinio; qui præterea idem spatium contineri putat hora dimidiata, in qua Ioannes [d] tradit factum silentium sigillo septimo aperto, nam si dies, vt opponitur nocti, & vt duodecim constans horis accipiatur, singulis horis respondebunt, inquit, octogintaquatuor anni, & duo dies naturales, & tredecim horæ: ideoque pro parte dimidiata horæ secundum priorem acceptionem erunt anni quadragintaduo c in die naturali, & sex horis cum dimidiata: qui annorum numerus non valdè distat à quadraginta quinque annis. Iustinus [e], & Irenæus [f] volunt ea ipsa die qua peccauit, mortuum Adamum, quatenus diei Dei mensura dicitur mille annorum, & Adam non attigit millesimum annum.

a in Tryph. Chiliastarum error hinc defendi non sed vrderi.

b in Dan. cap. 12
c in Cant. cap. 6.
d Apoc. c. 8.

e in Trypho.
f lib. 5.

Refert Lyranus in Danielem, per mille trecentos trigintaquinque dies aliquos Iudæos prodidisse designatum esse tempus, quo Iudæi expectaturi essent aduentum Messiæ ab eo tempore, quo positum fuit Idolum in templo Ierosolymitano per Antiochum Olympiade centesimaquinquagesimatertia [g]. Sed diu iam effluxit hoc spatium; immò & postquam Adrianus Imperator collocauit statuam suam equestrem circa Christi annum centesimum quadragesimum, transierunt plusquàm mille, & quadringenti anni [h]. Lege in cap. XXXIX. Ezechielis Lyranum, & Pintum in cap. XII. Danielis, qui docent esse incertum, an dies pro annis, mensibus, hebdomadis accipi debeant. Fatemur diem pro anno, ac etiam pro mille annis interdum sumi; sed cùm vel ratio ita fumete cogit, vel vt sic sumatur, exprimit Scriptura. De mille annis est præsens exemplum: de die pro anno apud Ezechielem [i], hoc est, vt duratio integri anni vnius diei spatio terminetur, siue compensetur: sed quandonam quod Scriptura non exprimit, eo modo intelligere debeamus, disquisitionem requi...it: & de diebus Danielis, ac dimidia Ioannis hora difficultas haud leuis est hoc loco prætereunda. Citant aliqui [k] Augustinum docentem diem vnam apud Dominum esse sicut annos mille, quatenus vna dies pœnæ in Purgatorio æquiparatur pœnæ mille annorum ignis huius vitæ. Non legi apud Augustinum sermonem quartum de Purgatorio quem citant, sed quadragesimumquartum ad Fratres in Eremo, in quo nil tale reperi, nec est Augustini.

Pro quanto tempore Iudæi expectarent fore aduentum Messiæ.

g Euseb. in Chron.
h idem ibid.

i cap. 4. 6.

k Ioan. Ferdinan. in Theol. scripturæ verbo Dies, num. 40.

Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant] Οὐ βραδύνει ὁ Κύριος τῆς ἐπαγγελίας ὥς τινες βραδυτῆτα ἡγοῦνται. *Non tardat Dominus promissionis*, id est, qui promisit; *quemadmodum nonnulli tarditatem existimant.* Videtur legisse Hieronymus [l] τῆς ἐπαγγελίας: recitat enim Latinè: *Non tardat Dominus promissi*; nisi velis errore legi *promissi* pro *promissi*. Non ita facilè reperitur βραδύνω transitiue ac post se regens accusatiuum. Tarditas pro vitio hic vsurpatur. Aliàqui laudabile illud σπεῦδε βραδέως, *Festina lentè*, inter extrema vitia mollitiei, atque præcipitantiæ, nimirum industriæ celeritas, diligentiæ tarditas: quod vno verbo maturandi Gellius [m] dici putat posse, quod Virgilius [n] dixit:

l In ea. 8. ep. ad Rom.

Laudabile est lentè festinare, et quod sit illud.

m in lib. 10. c. 11.
n Æneid. 1. sub initium.

— *Maturate fugam.*

Ex hoc, & ex Macrobio [o] Collector Adagiorum, éxque aliis multa de eodem adagio, meritò vocãs Cunctator regium, nam obiectum Agamemnoni τὸ βραδύειν. Achilli τὸ σπεύδειν. Medium tenuit cunctator Fabius: & ...placuit Adagium Augusto, Titóque Vespasiano, è quibus ille inserebat etiam epistolis, vt prodit Suetonius præter duos illos, & restantur Nummi Vespasiani, in quibus delphin mediam anchoram obuolutus complectitur.

o lib. 6. ca. 8.

Veniens veniet Dominus, & non tardabit, etiam si moram fecerit [p]: *Iustus ex fide viuit* [q], scilicet expectan...o quod nondum videt, quia *Fides est substantia rerum sperandarum* [r], quæ futuræ sunt: & *qui credit, festinare non debet* [f]. Tardat, non, qui non venit citò, sed quo tempore debebat. *Scis enim ipse*, dicebat ille [t], *quoniam numerat pater meus dies, & si tardauero vna die plus* (vltra definitum reditus tempus) *contristatur anima eius. Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere* [u], nempe statuto tempore. Idem præcipitur de præstando Voto [x], & de confessione [y]: quibus rebus nulla præscripta mora, sed primum quodque tempus.

p Habac. 2. 3.
q ibidem. Rom. 1. 17. Gal. 3. 11. Heb. 10. 38.
Qui tardare dicendus sit.
r Heb. 11. 1.
f Esa. 28. 16.
t Tob. 9. 4.
u Exo. 22. 29.
x Deut. 23. 21.
y Eccl. 5. 8.

Cæterùm promissio, & promittere, siue polliceri, ac pollicitatio, propriè quidem de rebus bonis dicuntur, tamen interdum etiam de malis, atque in genere de prædictione, seu denunciatione rei futuræ. Sic *promiserunt impij violare sancta; & polluere tabernaculum, & deiicere altare* [z]. Simili ratione merces ac stipendium, quæ boni operis cõpensationem denotant, aliquando vsurpãtur pro pœna, vt vidimus capite priore [a].

Promittere seu polliceri etiam de rebus quam de malis rebus dicuntur.

z Iudith 9. 11.

a vers. 13. 15.

Conuenit proposito acceptio ista. Sic Hieronymus [b] quoque intellexit. Cuius illa præclara huius loci explicatio: *Ideo autem hominibus videtur diu expectare peccantes, quia nos cùm paruis temporis simus, annos centum æternitatem putamus. Ille autem, apud quem mille anni pro vno sunt die, centum annos vnius horæ sua spatio coæquat. Quapropter hoc parum est apud eum: cùm etiam homines soleant multo tempore correptionem sperare peccantium.* Ephrem [c] cum isto alia multa congerit loca de celeri aduentu Dei ad Iudicium, prætereà Petrus [d] Damianus.

b in cap. 2. ep. ad Rom.

c tom. 2. fer. de 2. aduentu pag. 170.
d epist. 3. ad Biancam, c. 7.

Sed patienter agit propter vos.] Ἀλλὰ μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς in nos. Alij, εἰς ὑμᾶς, vel δι᾽ ὑμᾶς. Hæ sunt quas vocat Paulus [e] *diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis Dei*, πλοῦτον χρηστότητος, καὶ τῆς ἀνοχῆς, καὶ τῆς μακροθυμίας. Per primam sponte, ac sine præcedentibus meritis condonare peccata vult, &

e Rom. 2. 4. Dominus bonitatem, et patientiam et longanimitatem Dei quo fiat.

salutem

salutem conferre: per secũdam non statim punit, sed offert veniam: per tertiam tempore multo, multáque peccata dissimulando ad resipiscentiam expectat. Hoc vltimum importat τὸ μακροθυμεῖν. Mirificè hanc illustrat sententiam alia, quæ habetur in libro Sapientiæ [a], & à nobis ibi declarata est: *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*, &c. item in Esaia [b]: *Expectat Dominus vt misereatur vestri*: & in Iob [c]: *Dedit ei Deus* locum pœnitentiæ, *& ille abutitur eo in superbiam*: & in Apocalypsi [d]: *Dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere a fornicatione sua.* Sed quò magis *lente ad vindictam sui gradu diuina procedit ira, tantò tarditatem supplicij maiore grauitate compensabit* [e]: diuturniórque impunitas post simul res secundiores, acerbiorem in rerum commutatione dolorem ingenerat. Hinc efficitur celebrior fama misericordiæ Dei: execrabilior, & inexcusabilior impœnitentis contumacia: salutarior ad pœnitentiam nonnullis prouocatio, commotis tanta aduersus alios benignitate, & perterritis eorumdem postquam tamdiu expectati sunt, animaduersione seueriore.

Hinc porrò elicitur probatio melioris opinionis, magísque communis, paratam semper hominibus in hac vita gratiam esse sufficiẽtem ad omnia tollenda peccata, nec vllam poni exceptionem debere, vel in peccatis, vel in peccatoribus, quantumlibet peccauerint. Multa sunt alia testimonia Scripturarum, quibus id confirmatur, quæ noster tractat Suarez [f]: sed iã allata premunt maximè, in quibus nẽpe patiẽtia Dei exprimitur, ita vt duritia, & impœnitentia cordis non in defectum sufficientis auxilij, sed in prauum libertatis vsum referenda sit. Dicitur quoque sequenti membro, velle Deum omnes ad pœnitentiam reuerti. Congruit hoc præterea cum sententiis Patrum affirmantium dum vita suppetit, numquam denegari correctionis viam, numquam boni possibilitate spoliari [g] Denique vtitur eo principio Concilium Tridentinum [h], *neminem deseri in hac vita à Deo, nisi Deum prius ipse deserat.* In Concilio præterea Lateranensi [i] decernitur omnibus dari locum pœnitentiæ, & aditum ad salutem.

Ratio petitur tum ex diuino promisso, quod ex Dei oritur misericordia, & fundatur in Christi meritis: tum ex ratione viæ, in qua tendi semper ad terminum, & ad eum perueniri potest. Deo illuminante [k], atque ad ostium pulsante [l], non solùm quatenus non ponenti obicem, seu impedimentum, auxilium præbet, id est, bene viuenti eo, quo naturaliter potest modo secundum vires naturæ, sed etiam dat media aliqua ordinis gratiæ Sed hæc accuratius examinant Scholastici.

Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.] Non solùm non vult Deus aliquos perire, sed etiam *vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* [m]. Ipsemet de seipso affirmat [n]: *Numquid voluntatis mea est mors impij, & non vt conuertatur, & viuat?* Et [o], *Nolo mortem morientis: reuertimini, & viuite*: &, *Nolo* [p] *mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* De Patre præterea dixit [q] Christus quòd *non est voluntas ante Patrem vestrum, vt pereat vnus ex pusillis istis*, qui tunc aderant, & sub eorum persona etiam ex aliis. Cùm autem constet, hanc Dei voluntatem in omnibus non impleri, quæ solet etiam appellari antecedens, verbi gratia, in Iuda, qui tunc ibi erat, cùm ea diceret Christus, & quem perisse, & *filium perditionis esse* idem dixit [r]: Propterea putant aliqui vel propriè non reperiri in Deo, vel non formaliter sed tantùm eminenter: aliis videtur, quod etiam formaliter. Primum dici non debet: alia probabilia sunt. Etsi quidem vltimum asseratur, dicendum quoque, nullam in tali actu per se imperfectionem esse, sed solùm in creatura. Si secundum, admittenda erit nonnulla imperfectio per se, ac intrinseca in formali actu, qui vocatur velleitas, & indicare quamdam impotentiã implendi quod quis vellet, desiderium eius quod nec facit, nec habet priuationem boni desiderati. Hoc modo non erit in Deo actus iste formalis: vellem omnes saluos fieri; sed tantum quatenus paratus est, quantùm in se est, omnia dare ad salutem necessaria, ita vt per ipsum non stet, quo minus saluẽtur. Ille autem alius actus formaliter in Deo est absque dubio: Volo dare omnibus quæ sufficiunt ad salutem; quia re ipsa dat, & sic est hac ex parte actus efficax, simplex, absolutus, nullam imperfectionem connotans. Exemplum Iudicis afferri solet, qui vellet omnes viuere actu inefficaci, & imperfecto. quoniam non potest absolutè velle salua iustitia, vt propterea velleitatis actus in ipso, licet indicet bene propensam voluntatem erga omnes, includat simul dictam imperfectionem.

Iuxta hanc doctrinam exponũtur quædã propositiones de Deo, quæ innuunt nonnullos affectus, qui reperiuntur in nobis formaliter, ac propriè, non autem in ipso; vt quòd coactus, ac dolẽs puniat [s]: quòd è contrario nolit retineri, & impediri, ne puniat [t]: quòd vicissim velit, vt aliquis impediat seséque opponat [u]: quòd frustra voluerit, & conatus quoq; sit reuocare peccatores ad se [x].

Eadem secũdum oppositum modum ratio de nolleitate, siue de actu, quo nollet peccata fieri quæ fiunt. Legendus S. Thomas [y] eum interpretibus.

Videtur autem mihi talis voluntas, quocumque dicatur modo, esse in Deo, appellanda non signi, sed beneplaciti: quod bene demonstrat Gabriel Vasquez noster [z], quoniam non potest non placere Deo, vt omnes salui fiant, sicut & quod rectè viuant. Immò, quod idem docet, magis etiã tandem probo, vt talis actus, *volo iustificationem, & salutem omnium*, non sit conditionatus, sed nec esse possit, absolutè loquendo, sed simplex, & explicandus indicandi verbo *volo*, quoniam est actus præsens complacentiæ, & desiderij in iustitiam, & salutem omnium secundum se, ac si futura esset: quamuis non sit actus efficax. Quia tamen talis actus versatur in tali obiecto, vt nisi aliud obstaret, haberet effectum suum, propterea vocari potest conditionatus, & explicari nomine velleitatis. Exemplum potest sumi ex iactante merces in mare, vult enim efficaciter eas iactare, sed vellet efficaciter eas retinere.

Ex hoc eodem loco colligitur positiuè, reprobationis causam Deum nó esse, sed peccata, cum quibus moritur reprobus tam secundum æternam punitionem, quàm secundum diuinam permissionem, vt illum destituat maioribus, & efficacibus auxiliis. nam *vult omnes saluos fieri, nullúmque perire* [a]: si quis ergo perit, sua culpa perit; & quia dignus est odio diuino, quo nomine Paulus [b] vocat reprobationem: *nil autem odit Deus in homine nisi peccata*, inquit Augustinus [c].

Horrenda Caluini [d] blasphemia est, Deũ efficienter reprobare, indurando intrinsecè, ac positiuè: creando ex animi certa destinatione repro-

bos

a cap. 11. vers. 24.
b cap. 30. 18.
c cap. 24. 23.
d cap. 2. 21.
e Valer. Max. lib. 1 cap. 1.
Qui sint fructus benignitatis Dei erga peccatores.
Gratia sufficiens omnibus hominibus est semper parata.
f 3. part. tom. 4. disp. 8.
g Prosper ad obiectiones Vincen. in 25. & al.
Neminem in hac vita Deus deserit, nisi prius a Deo ipse deseratur.
h sess. 6. c. 14.
k Ioan. 1. 9.
l Apoc. 3. 20.
m 1. Tim. 2. 4.
n Ezec. 18. 23.
o ibid. 32.
p infra 33. 11.
q Matt. 18. 14.
quomodo Deus velit omnes saluos fieri.
r Ioan.
s Esa. 28. & alibi cap. 64.
t Exod. 32. 10.
u Ezech. 13. 5.
x Esa. 65. 2.
y 1. part. q. 19. art. 6.
Voluntas qua Deus vult omnes saluos fieri, est beneplaciti, non signi.
z ibid. disp. 83. cap. 3.
Reprobationis caussa Deus non est.
a 1. Tim. 2. 4.
b Rom. 9. 13.
Deus nil odit in homine nisi peccata.
Horrenda Caluini blasphemia.
c epist. 105. & lib. 2. ad Simplicianum q. 2.
d in c. 9. epist. ad Rom. & aliis libri.

bos in damnationem & exitium : Reprobos perire non propter peccata, sed æternam Dei voluntatem. *Detestanda*, ait Augustinus [a], *& abominanda opinio est, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem* [b]: Et, *nefas est Deo adscribere causas peccatorum, & ruinarum omnium.* Non est opus pluribus: fatetur Caluinus [c], & cum ipso Beza [d], atque Petrus Martyr [e], non velle Deum fieri peccata ea voluntate quæ nobis in Scripturis declarata est: igitur aliam voluntatem ipsi confingunt omninò contra voluntatem, quæ possit esse in Deo, sicut *non potest mentiri* [f], *nec seipsum negare* [g]; quod faceret, si, quod vult, indicaret se nolle, immò præciperet, ne fieret, quod fieri, & & facere ipse vult.

Si quæras, cur non omnes salui fiant, si Deus omnes vult saluos fieri, ac neminé perire: Respósio deducitur ex posita distinctione volūtatis antecedentis, & consequentis. Nam antecedente tātùm voluntate vult omnium salutem, & ea ratione, vt respondet Augustinus [h], vt non adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vtentes iustissimè iudicentur. *Quomodo vult paterfamilias*, inquit, *vt omnes serui laborent in vinea, sic tamen, vt si qui operari noluerint, detrudantur in pistrinum.*

Excipi adhuc potest de paruulis, & vsu rationis carentibus. Sed pro his mediatè sufficiens remedium datur per parentes, vt Prosper [i] docet. Loquitur Petrus hoc loco de rationis vsum habentibus, qui sunt capaces pœnitentiæ. Est etiam generalis propositio, non restringenda ad singulorum genera, vel ad prædestinatos. Quamuis enim initio epistolæ prioris Petrus electis scribere se significet: & Paulus [k], *omnia se sustinere propter electos, vt & ipsi salutem consequantur*: Et Christus [l] *breuiādos dies tribulationis magnæ propter electos: nec* [m] *voluntatem esse ante Patrē qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis*, quos demonstrabat: certum tamē etiam est, electorum nomen etiam generaliùs accipi, vt antea docuimus.

Ad pœnitētiam reuerti.] Εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι, *Ad pœnitentiam venire.* Reuerti dicitur propriè, qui eodem redit, vbi priùs fuit. Et quia primus status, in quo nascimur, est status peccati, non redimus ad eum pœnitēdo, sed potiùs recedimus, cùm baptizamur, si veluti adulti baptizemur, & pœnitentiā, quæ nonnulla tunc etiam requiritur, habeamus. Potiùs diceremur ad pœnitentiam reuerti post lapsum iam in ætate adulta recepto Baptismo: aut per relapsum, condonato antea peccato per pœnitentiam, quod iterum delemus per eadem.

Is qui solùm habeat peccatum originale, aut nullum actuale mortale, potest dici reuerti ad pœnitentiam, vel habitualiter si sit rationis vsu destitutus, vel actualiter si præditus, quoniā iuxta primam institutionem Dei debebat cōcipi nascique in gratia ipsius, à qua quia per peccatum originale est auersus, debet altero ex dictis modo per pœnitentiam ad Deum reuerti, & conuerti. Quod tamen non est propriè ad ipsam pœnitentiam reuerti.

Interpres cōuerti sumit nonnunquam pro reuerti [n], reuersionem pro conuersione [o]. Sed Græcè est ἀποστρέφω, & ἀποστροφή, Hebraicè שוב *scub* & שבות *scuuth*: nullo alio autem in loco reperi χωρεῖν pro reuerti, nisi in præsenti. Posset quoque iuxta vim verbi Græci sensus esse, Deū velle omnes ad pœnitentiam recipere, & complecti. Pœnitentiam verò cur Græci nominent μετάνοιαν, & quid significet, & quo pacto Latini quoque nonnulli Metanœam vsurpauerint, alibi docuimus [p].

Vers. 10.] Adueniet autem dies Domini vt fur: in quo cœli magno impetu transiēt, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.

DEscribitur improuisus aduentus Domini ad iudicium, & interitus Mundi, de quo adhuc in duodecimo, & decimotertio versu simul cum eiusdem innouatione. Singula per partes explicanda sunt. Hæsit memoriæ Petri Iudicium maximè, & comparatio furis, quia cùm proposita esset à Christo, interrogauit [q]: *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?* & dixit alibi [r], sibi, & socijs iniunctam prædicationem de iudicio.

Adueniet autem dies Domini, vt fur.] Omnis dies est Domini, omnéque tempus quod posuit in sua potestate [s] cum singulis momentis, peculiari tamen de causa tam sæpe [t] dies, ac tempus iudicij vocatur Domini, vt ostendimus Capite secundo Actuum Apostolorum [u]. Hugo Etherianus [x] hîc legit etiam noctis nomen. Certè fur nocte venit. Idcircò Paulus [y] monet nos non esse in tenebris, vt nos dies illa tanquam fur comprehendat. In textu Græco est ἐν νυκτί.

Furis comparatione ad hoc idem propositum Christus vtitur [z], & Paulus [a], & Ioannes [b], valétque ad incutiendum terrorem, & excitandam vigilantiam; ad eliciendum pudorem, quòd furém tam diligenter caueant homines, ne rerum faciāt externarum iacturam. Vnde illud Horatij [c]:

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones,
Vt te ipsum serues, non expergisceris?

& persuadet meras nugas esse calculantium quo veniat iudicium vel anno, vel etiam die. Sufficiāt quæ citato loco aduersus istos allata sunt. Refellit eos Beda, qui Petrum intelligūt voluisse iudicij diem tantæ longitudinis futurum, quātæ mille sunt anni, & necesse sit eos, qui cum peccatis aliquibus de corpore exeunt, & tamē ad Electorum sortem prędestinati sunt, tanto tempore per ignem purgari, & sic demum, remissis omnibus peccatis ad vitam venire. *Sed hi non vident*, inquit, *quanta sit impudentia, credere, quod tantus perfectorum, & iustorum cœtus, receptis in ictu oculi corporibus beatis, & immortalibus, per mille annorum spatia debeat in aere, vel in terra finem expectare iudicij, & tunc demum præparatus ad integrum socius, diu expectatam audire sententiam* [d]: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* De Mahometi circa hoc ipsum impudenti mēdacio per annorum centurias, lege Carthusianum [e] in Confutatione Alcorani.

Quamuis omnium sint in illo die conueniendę conscientiæ, hatúmque libri [f] aperiendi, bona continentes, ac mala, vt proferatur de ipsis sententia, & singuli de se, atque de alijs cognoscant, non erit longior necessaria mora, quia externa, & sensibili voce pauca quædam duntaxat, & potiora prodentur, cetera per manifestationem mentalē, vt Augustin. [g] innuit. Qua de re Suarez noster [h].

Ex similitudine porrò furis, qui solet improuisus aduenire, colligere possumus, etiam post aduentum, immò & post Antichristi mortem non posse exactè definiri, quandonam futura sit Iudicij dies, vt nōnulli tamē definierunt quadragesimam quintam ab eius morte. Christus negauit etiam Angelos scire [i]. Lege Iosephum [k] Acostam, qui

diem Iudicij incertum docet, prout comprehēdit antecedētia signa: sed his positis conijci facile posse de ipsomet proprie sumpto die, quàm breui sit futurus, quemadmodum accidit in morte nostra, quæ dici etiam solet incerta [a]. Quod mihi non displicet: potéstq; parturientis exemplo, quo Paulus [b] vtitur, confirmari. Et quia timor ingens inopiam cōsilij afferet. Huic piè se fert Prosper [c] dicendi modum. Simile exemplum de diluuio Noe, quod nō vno momento absorbuit orbem [d]. Quin etiam idem Paulus [e] indicat Iustis tunc non improuisam futuram diem illam. Verùm cēseo satius esse nihil hac de re definire, vt admonet Thomas Maluenda [f]. Idem furis nomen indicat nocturno tempore, quod hîc etiam textus Græcus exprimit ἐν νυκτὶ, futurum iudicium, quod & alijs scripturæ locis significatur expressa mediæ noctis hora [g], & eam Apostolicā traditionem vocat Hieronym. [h] vt ideo in Paschate populum dimittere non liceret ante mediam noctem, quòd ea Christus hora, sicut olim in Ægypto [i], crederetur venturus: Iudæos quoq; suum nocte media Messiam expectare: quemadmodum nostrum verum Christum eo tempore credunt multi venisse, vt vidimus in libro Sapientiæ [k]. Id ipsum probabile putāt Chrysostomus [l], & Euthymius [m], aperte verò sentit Lactantius [n], confirmans testimonio Sibyllæ:

—Ὁππότ' ἂν ἔλθῃ,
Πῦρ ἔσται σκότος ἐν τῇ μέσῃ νυκτὶ μελαίνῃ.
—cùm venerit ille
Ignis erit, mediáque horrenda in nocte tenebra.

Tunc aperietur, inquit ille, *cœlum medium intempesta, & tenebrosa nocte, vt in orbe toto lumen descendentis Dei tamquam fulgur appareat*. Et ex incerta Sibylla subdit: *Hæc est nox, quæ nobis propter aduentum regis, ac Dei nostri, peruigilio celebratur.* Eadem videtur opinio Cassiodori [o]. Fauent nonnulli hymni Ecclesiastici.

[p] *Vigilate, iam sum proximus,*
[q] *Et mane illud vltimum,*
Quod præstolamur cernuus,

Verumtamē præstat Christi vocem audire [r]: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam*: præsertim cum alij [s] sentiant de crepusculo, vel sub illud.

Quod autē de media traditur nocte, designat aduenturum Christum, quo tēpore minimè expectabitur: nam qui dormiūt nocte media, nihil homines expectant. Ita quidem Theophylact. Hilarius, Hieronymus, Beda parabolam declarāt, necnon Augustinus [t], & Gregorius [u], & alij, *media nocte veniet*, ait Augustinus, *cùm valde obscurum*, id est, *occultum erit, an veniat: & quando non speratur*, quando omnino non creditur: & noctem posuit pro ignoratione; ne aliquis quasi computet sibi, & dicat: Ecce ab Adam tot anni transierunt, &c. Deinde afferens in eiusdem rei probationem illā ex fure similitudinem: *Ergo vigila*, infert, *nocte, ne furem patiaris.*

In quo cœli magno impetu transient.] Cœlos antea dixi esse hoc loco aeris omnem regionem. Cœli isti transient magno impetu *ῥοιζηδὸν* *in morem procellæ, cum stridore, & sibilo*, qualis etiam est sagittarum, ventorum, militum procurrentiū, auium volantium. Augustinus [z] legit *transcurrent.* Caietanus exponit de veris cœlis, *qui ad similitudinem*, inquit, *impulsorum transeant non à substantia, sed à motu.* Sequitur Viega [y] noster eumdem dicendi modū. Verùm cessatio à motu non eget impetu: nec de tali motu, impetúq; magno cœlorum quidquam proditum est. Et retenta vdique hoc loco cœlorum significatione eàdem pro aere, minor est æquiuocatio, Suarez [z] tamen qui aliòqui perpetuò vult cœlorum nomine Petrum in isto capite aerem intellexisse, probabile ducit, ipsos etiā cœlestes orbes, finito iudicio, quando mūdus innouabitur, velociùs agitandos, vt secum cœlos aereos rapiant, & ad Vniuersi conflagrationē tum suo illo velociore motu, tū præterea influentia, & actione concurrant.

Porrò virtutes cœlorum commouendas, vt prædixit Christus [a], vel intelligamus astra, quæ aliter ad influendum ante iudiciū applicabuntur; vt placet Iansenio [b], & Soto [c]; vel Angelos motores cœlorum, quia tunc mutabunt ordinē motus, vt Lactantio [d] videtur: vel omnes alios quoque Angelos, qui timore quodam reuerentiali, & admiratione percellentur, simúlque obsequentur imperio diuino ad terrifica opera exequenda, vt alij [e] docent: vel eisdem, sed vt in ipsomet iudicio veluti perterreantur, vt exponunt in Matthæum [f] Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Beda, & præterea Augustinus [g].

Igitur cœli transient magno impetu, præcipuè post iam latam sententiam à Christo iudice, cum renouabitur mundus hic inferior, quoniam cœlorum motu cessante, de quo tamen hæc verba non loquuntur, Ignis aërem omnem expurgabit, & magno impetu accendet. Arbitratur Suarez [h], probabile esse, motum illum aëris, ac Ignis simul futurum ex motu, & raptu superiorum cœlorum. Fauet antiphona decantata in Officio Defunctorum: *Quando cœli mouendi sunt, & terra.*

Nec refert, quod post cœlos elementa nominentur, quia post hæc exprimitur etiam terra. Prius de cœlis, hoc est, de aëre mentio fuit, quia vehemēs ille motus ei tunc proprius erit: de terra post elementa, quoniam exustio, vt in materia magis densa, magis in ea conspicua erit, atque in mixtis, quæ in ipsa sunt. Videtur quoque nonnullis elementorum nomine hîc Aquam dumtaxat, terrámque intelligi; qua de re postea.

Ceterùm quia hoc vtuntur loco, verbísque duodecimi versus, quibus cœli ardentes soluendi scribuntur, hi qui cœlos arbitrantur corrumpendos secundum substantiam, quos referunt Hieronymus [i] Magius, Franciscus [k] Vallesius, Catharinus [l], & de nostris, Acosta [m], Molina [n], Valentia [o], Suarez [p], præterea Sixtus Senensis [q], Claudius Espencæus [r], Eugubinus [s], respondendum pro contraria sententia magis in scholis recepta, quam sequuntur ex dictis Acosta, Valentia, Suarez, per cœlos vt toties dixi, sumere Petrum aëreas regiones. Huc profectò inclinat Augustinus [t], considerans Petri verba esse de iisdem cœlis, quos diluuio periisse dixit. Eodem modo exponunt Oecumenius, Beda [u], & reliqui enarratores; vt omittam testimonia, rationésque, quibus incorruptibilitas cœlorum Theologicè, ac Philosophicè probatur.

Confirmat hoc idem id, quod antè docuimus de cœlis ex aqua constantibus, prout dicebat Petrus; cum enim de veris orbibus illis superioribus non intelligatur, sed de aëre, de hoc etiam intelligi alia oportet. Quo argumento vtuntur Scholastici [x] cum Augustino [y] vt eo peruenturum ignem afferant, quo peruenerunt aquæ diluuij [z], Idem sibi vult idem Petrus, cum nominat cœlos partem mundi, qui aqua inundatus periit, & ait eosdem igni reseruatos; nunc autem

impetu

a Matt. 24. 42. & seq.
b 1. Thess. 5. 3. 1.
c de Dimidio temporis, c. 13.
d Genes. 7. 10. & seq.
e Supra in 4. vers.
f lib. vlt. de Antichristo, c. vlt. *Noctis tempore futurum est iudicium.*
g Matt. 25. 6.
h ibidem.
i Exod. 12. 29.
k cap. 18. 14.
l Matt. in c. 25.
m ibidem.
n lib. 7. c. 19.
o in Psal. 118. vers. 62. Media nocte surgebā.
p ex Prudentio ad laudes feriæ tertiæ.
q ex Ambr. ad laud. Sabb.
r Matt. 25. 13.
s B. Thom. 3. part. in Addit. q. 77. art. 2. Abul. in Matt.
t ep. 120. c. 34. lib. 83. q. in 59. ser. 22. de verb. Dom. c. 6. & 7.
u hom. 12. in Euang.
Cœli quomodo magno impetu transient.
z 20 de ciuit. cap. 18. & 24.
y in Apoc. cap. 21. com. vlt. sect. 1.

z 3. par. Tom. 2. disp. 58. sect. 5.
Virtutes cœlorum commouendæ quo sensu.
a Matt. 24. 29.
b concord. ca. 228.
c 4. dist. 46. q. 2.
d lib. 7. c. 16.
e Suarez 3. par. tom. 2. disp. 56. sect. 3.
f in cap. 24. vers. 29.
g serm. 131. de temp.
Quando fiet vt cœli magno impetu transeant.
h supra disput. 58. sect. 2.
i de exust. mundi cap. 6. & 7.
k de sacra philoso. cap. 89.
Cœlos secundum substantiam perituros qui senserunt.
l hoc loco, & in cap. 2. ep. ad Hebr.
m 4. de temp. nouiss. cap. 3.
n 10 1. part.
o ibidem.
p 1 Par. tom. 2. q. 18. sect. 2.
q 3. Biblioth. c. de Hebr. c. cap. sed. & lib. 6. annot. 245. & 248.
r lib. de coelo animar.
s de Perenn. Philosophia.
t 20 Ps. 101.
u hoc loco, & lib. de temporum ratione c. 69.
x 4. dist. 47. & 48.
y supra 20. de ciuit. cap. 18. & 24.
z Ostr. 7. 18. & seq.

impetu magnó transituros, paulò pòst ardentes soluendos.

Augustinus [a] quæstionem istam scrupulosioré vocat inter doctos; tamen definit [b] non interituros veros cœlos, sed in melius mutandos, eadem Hieronymi [c] aperta sententia, & Gregorij [d]. Etsi video posse vtcumque exponi, quòd non sint in nihilum redigendi, non quòd non sint secundum substantiam mutandi. Gregorius [e] asserit *per essentiam sine fine subsistere, transire per eam, quam nunc habent imaginem.*

a in Psal. 101. b 20. de ciuit. c. 14. 16. & 24. *Cœli non sunt interituri, sed in melius mutādi.* c in Esa. ca. 65. & 65. d 17 Moral. c. 5. e ibidem.

Illud quidem proposito nostro non est necessarium decidere, vtrum sint intrinsecè cœli incorruptibiles, quoniam possunt numquam corrũpi, quamuis sint corruptibiles, quemadmodum & terra, *quæ in æternum stabit* [f], licet sit capax corruptionis. Neque credendum, tantam fore ignis copiam, vimque, vt absumere veros possit cœlos, quamuis corruptioni obnoxij admitterentur, aut etiam ex aqua conflati, quod sensisse non paucos pridem dixi, de numero quoque Patrum, nó tantum ex profanis Auctoribus, qui præterea commenti sunt vaporibus ali sidera, vt Lucretius [g], Virgilius [h], Manilius [i], Lucanus [k], Plinius [l], Ptolomæus [m], Anacreon [n], Stoici [o], Epicurei [p], Ægyptij [q], Physici [r]. Ex Patribus eundem secutus est dicendi modum Petros Laodicensis in manuscripto Marci Commentario [s], vt doceret qua ratione cœlorum commouendæ virtutes dicantur [t], nempè nó solùm ex magno conflagrationis fumo astris obscuratis, sed præterea *quia*, inquit, *non pascentur amplius vaporibus; ita vt marcescat splendor, cùm quod relictum est terrestre, in altum tolli nequeat, ac sedé in cœlis retinere.* Satis hæc priùs refutata sunt; & paulò antè cœlorum virtutes quomodo commoueantur, dictum. Profectò si pascitur, Sol, Luna, cetera astra aquis, non iuuenis modò in dies, verbi gratia, Sol esset, vt concedebat Heraclitus, sed continenter semper renouaretur, vt Aristoteles [u] argumentatur.

f Eccl. 1. 4. g lib. 1. h Æneid. 6. & 10. *Qui ex vaporibus sidera ali credant.* i lib. 1. k li. 9. Phars. l lib. 2. c. 9. m in Quadrip. n Ode, qua se vt bibacem cómendat. o apud Cicer. 2. de Natura Deor. p apud eundé. q apud Porph. in Thes. r apud Seruiũ in 6. Æneid. s cap. 13. t Matt. 24. 29. u 2. Meteoro summa 1. cap. 2. vbi lege Olympiodo.

Elementa verò calore soluentur.] Στοιχεῖα δὲ καυσούμενα λυθήσονται, *elementa æstuantia.* Idem participium repetitur versu duodecimo in simili sententia: *Elementa ignis ardore tabescent* καυσούμενα τακήσεται. Antea dixi, hoc elementorum nomine posse comprehendi etiam aërem, licet prius cœlorum vocabulo expressus esset, nam etsi στοιχεῖον quasi primordiale fundamentum significet, quod maximè conuenit Terræ, & Aquæ, nihilominus Aristoteles, aliíque Philosophi quatuor elementa sic appellant. Non corrumpentur elementa, séd alterationem patientur, & purgationem. Pertinent ad integritatem vniuersi omnia. Et cum cœli remansuri sint, ac terra, non videtur conuenienter tolli Aër, Terræ contrarius, & necessarius ad occupandum inane spatium vsque ad Terram, nec Ignis, cuius est supra Aerem locus; & qui in sua purissimus Sphæra, ne purgatione quidem opus habet, eiusdémque naturæ est cum igne, qui alias res purgabit, vel corrumpet: nec aqua, de qua non tradit scriptura siccandam, vel innouandam totam, vt obseruauit Augustinus [x].

Elementa non corrũpentur, sed alterationem patientur.

Cùm autem in Apocalypsi [y] scribitur, quod mare non erit, explicat de seculo hoc turbulento, & procelloso. Melius B. Thomas, aliíque declarant secundum proprias nonnollas qualitates, vt agitationem procellosam, &c. Quocirca Bedæ [z] seotentia reiici solet de interitu totius aquæ, ignisque, ad quam propendent in Apocalypsim [a] Andreas Cæsariensis, Aretas, Anselmus, Haymo, & Rupertus. Solui, & tabescere hoc loco indicant alterationem, siue mutationem solam accidentalem.

x 20. de ciuit. cap. 16. y cap. 21. 1. *Aqua non est peritura post diem iudicij.* z hîc, & Apoc. 21. a cap. 21.

Terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.] Exustio operum, id est, mixtorum propriè fiet cum substantiali mutatione, & interitu: Terræ, secundum superficiem, aut secundum eam partem, quæ sit satis ad eiusdem purgationem; & ad aliarum rerum, quæ in ipsa erunt, corruptionem. Sic passim solemus, cùm regionem aliquam incendi dicimus. Quia ergo terræ elementum, ex communi sententia, in mundo futurum est post iudicium, nec diuersæ speciei, frustra totum corrumperetur, denuóque produceretur, cùm sufficere possit absque corruptione purgatio, & perfectio. Quòd argumentum in aliis etiam valet elementis.

Terra elementum futurum est post iudicium.

Moses Barcepha [b] credit Paradisum terrestré à generali exustione liberum futurum, quamuis vacuum, & nulli vsui: nec id esse absurdum: sicut nec habetur absurdum, quod adhuc vacuæ maneát in cœlo eiectorum dæmonum sedes, & pars cœli, quam incolent iusti pòst resurrectioné: tam multæ hoc etiam tempore à nullis inhabitatæ regiones: post resurrectionem totum spatiom inferioris mundi: denique non censentur ædificia Regum tempore constructa, quamuis postquam eorum vsui satisfecerunt, vacua relinquantur. Sed nulla ratio suadet, vt à generali conflagrationis eximatur lege paradisus terrestris: nisi iam tamen diluuio periit, vt existimãt aliqui tunc periisse, in quibus potissimũ Pererius [c], & Abulensis [d] ostendit igni consumendum paradisum, quia eo tẽpore habebũt res incorruptionis quemdam statum: & idcirco nudata plantis paradisi manebit terra: tandem, quia nulla prorsus est vtilitas, nullus vsus ipsius. Videtur nonnulli hoc Christi crucis ligno priuilegiũ tribuere, vt integrum perseueret ac restituatur. Hæc est Valdensis [e] opinio, qui citat Chrysostomum [f] dicentem quòd veniet cum sua cruce Christus. Fauet Ephrém [g], & Cyrillus [h], & Sibylla [i]:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis,
Cùm renouata Dei facies ignita micabit.

De probabilitate istius opinionis lege Suarez [k], & Gretserum [l]. Cæterùm Didymus hunc locum totum putans ad Platonicas mundi reuolutiones pertinere, intulit aut falsatam, aut esse falsam epistolam totam, atque adeò ex Scripturarum canone resecandam.

b lib. de Paradiso. cap 18. *Et paradisus terrestris.* c li. 5. in Genes. q 5 lib. 7. q. 7. d Genes. 13. q. 130. & 131. e Tom. 3. Tit. 20. cap. 158. f bo. de cruce & latrone. *Christi crux in conflagratione generali non peribit.* g serm. de vera pœnit. ca. 4. & ser. de iis, quæ post crucem recolenda sunt. h Cateche. 13. i li. 6. carmin. Sibyllino. k 3. par tom. 2. disp 57. sect. 2. l 1. de cruce. cap 92.

Quæri posset an post cõflagrationem operum quæ in terra fuerunt, alia aliqua denuo creabuntur ad ornatum, recreationémque honestam; Oecumenius quidem negat, & alij plurimi. Guhelmus Parisiensis apud Carthusianum [m] Christianorum sapientissimos censere testatur terram floribus, gemmis, & aliis amœnis ac venustis rebus ornandam. Consentit Abulensis [n], Picus Mirandulanus [o], Seratius noster [p]: hi etiam qui cum solo peccato originali mortuis assignant à resurrectione habitationem in terra [q]. Fauet prioribus Anselmos [r].

m 4. d. 47. n in Matt. c. 25. q. 542 & 548. o in heptapl. p in Iudith. c. 16. q. 3. q Catharin. r in elucidam.

Vers. 11.] Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus.

*Vers.*12.] Expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.

VRget ex dictis hortationem, vt ipsi puritatem vitæ, ac morum procuremus, cùm tanta sit mundi futura purgatio, immutatio, innouatio: vt nos ad iudicium, quod expectamus, propere ac studiosè compareamus: certi nó parciturum peccatoribus Deum, qui sensus etiam expertes creaturas, ob nescio quam quodammodo ex hominum peccatis labem contractam, purgare constituerit exustione generali.

Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint.] Augustinus [a]: *His ergo hominibus pereuntibus.* alibi [b], *omnibus*, &c.

Quales oportet vos esse.] Ποταπούς. *Quantos*, id est, Quanto vtentes studio, ac diligentia, & cura, quam præstantes, quàm sanctos, quàm perfectos, &c. Eadé ratione reddidit Interpres aliis in locis[c] hanc eandem vocem, de qua consule Auctorem Thesauri Græci. Emphasis autem similis est istis aliis, *qualis* [d] *est hic, quia venti & mare obediunt ei? aspice* [e] *quales lapides, & quales structura: qua* [f] *& qualis ist mulier quæ tangit eum.*

In sanctis conuersationibus & pietatibus.] Ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς καὶ εὐσεβείαις. Augustinus [g] omisit *pietatis*. De vocibus istis iam suprà dictum est diu ante epithetum sanctorum afficit præcipuè conuersationes, quia malæ esse possunt: pietates, propriè loquendo, non ita: quamuis mala sit ea, quam putant aliqui quæstum [h], vel *cuius speciem habent, virtutem autem eius abnegant* [i]. Priores respectum habent ad alios: posteriores ad Deum, licet etiam docuerimus εὐσέβειαν extendi ad alios. Numerus multitudinis denotat nullam virtutis parté prætermitti debere, nec internam, nec externam.

Colligit hinc Augustinus [k] argumentum, vt efficiat, sine operibus fidem esse mortuam [l], ac sine merito vitæ æternæ. Sequitur etiam, nos liberè operari posse ac reuera iuste, per gratiam tamen Dei: frustra enim alioquin ad id nos Petrus hortaretur. Magna vis huius hortationis iudicij mentione futuri interposita, & generalis mundi conflagrationis. Vtuntur ea Patres, vt Isidorus Pelusiota [m]. Solatur Martiam quoque Seneca memoria communis fati, quoniam nihil, quo stat loco, stabit. Hoc veluti frœno idem Augustinus [n] retractum se scribit, ac reuocatum à profundiore voluptatum carnalium gurgite, scilicet *metu mortis & futuri iudicij: qui metus per varias quidem opiniones nunquam tamen recessit de pectore suo.* Nullum Ephrem argumentum sæpius, diligentiúsque tractauit, vt alios prætercam eum illis, qui perpetua ista meditatione t..ti cohortescebant.

Expectantes, & properantes in aduentum diei Domini.] Augustinus [o], *Ad præsentiam diei Domini.* Græcum nomen est παρουσία, quod nunc redditur aduentus, nunc præsentia, vt pridem [p] notatum est. Iusti viri iudicij diem expectant, expetunt, cùò venire cupiunt, *diligunt aduentum eius* [q]: prouocat quisque socium, dicens, *veni* [r], Christo iudici dicit iustus [s]. *Veni Domine Iesu*: ab eo enim doctus est orare, *Adueniat regnum tuum* [t], & respicere, ac leuare caput, *quia tunc appropinquat redemptio eius* [u]: *& cùm perfecta sit in eo charitas Dei, fiduciam habet in die iudicij* [x].

Timent iustissimi quique, ac perhorrescunt, dum suammet attendunt imbecillitatem, & Dei maiestatem, atque seueritatem, vt adeò multis tum exemplis, tum scripturæ cóstat locis, & iam priore attigimus epistola 7. Alternantes hac in re pauoris atque iubili vices in conuersione cuiusque, in probatione, in morte Gregorius [a] egregiè demonstrat. Petrus nihil nunc propriè de læta expectatione: sed iubet, vt omninò expectetur iudicium, & properantet se quisque ad illud comparet. Illud verè dici eum Augustino [a] potest: *Gaudere iudicandum, qui timuerit iudicaturũ. Desiderantibus se iudicem propitium venturum: illos desiderare, qui tenuerunt fidem eius, & fecerunt mandata eius.* Quamuis autem dies generalis iudicij longiùs tunc abesset, & absit etiamnum fortasse, nihilominus properandum nobis, quia *quod iudicium futurum est omnibus*, inquit Hieronymus [b], *hoc in die mortis impletur*: & Augustinus [c], *tunc* ait *venturum diem illum*, cùm venerit *ei dies, vt talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die*: ideo vigilandum, quia imparatum inueniet diem ille, quem imparatum inuenerit suæ vitæ huius vltimus dies. In hoc sensu, de vtroque nimirum die tum mortis, tum iudicij possumus Pauli [d] monitum intelligere, *vt nosmet inuicem consolemur; & consideremus in prouocationem charitatis, & bonorum operum*, εἰς παροξυσμὸν (vt alter exacuat alterum exemplo cum quodam sanctæ contentionis ardore): tanto magis, quãto viderimus appropinquantem diem, in quo plena reddetur laborum retributio. Longa restat via etiam modico victuris tempore, quia perfectionis arduum iter, & multiplex ratio: & quò minus spatij, eò conatio maior debet esse, sicut diabolus *maiore cum ira venit, quoniam modicum tempus habet* [e]: & quò citiùs ad optatam Christus perueniret mortem, Iudæ præcepit, vt quod faciebat, faceret citiùs [f]. Etsi Cyrillus [g] de diabolo dicta verba interpretetur, quod ad propositum nostrum nil refert, sed iuuat potiùs. Motus naturalis in fine velocior est; sic qui spiritu Dei aguntur, quò propiores metæ, hoc se te vrgent, ac promouent magis.

Per quem.] Videlicet diem, Δι' ἥν, vel (Propter quem.) Probabilius iamdiu antè esse dixi fore totius mundi conflagrationem post absolutam iudicis sententiam. Tamen per id tempus futuram dici potest; ac propter illud, quia proximè post statim erit. Augustinus [h] legens *ad præsentiam diei Domini per quam*, &c. dubium relinquit, an intellexit (per quam præsentiam) an (per quam diem.)

Cœli ardentes soluentur.] Οὐρανοὶ πυρούμενοι λυθήσονται, cœlos aëreos intelligit, siue regiones aëris, vt antea dictum est cum Augustino, qui appellat aërem ventosum.

Elementa ignis ardore tabescent.] Sed absque corruptione, saltem secundum se tota, vt priùs quoque docuimus. Augustinus [i]: *Ardore ignis decoquentur.* Græcum verbum Τακήσεται significat liquescent, στοιχεῖα καυσούμενα *elementa æstuantia.* Aliqui codices habent verbum præsens τήκεται *liquescunt siue tabescunt.* Indicant verba hæc soluendi, & tabescendi accidentariam solam, sed magnam mutationem, non autem substantialem.

* * *

Perhorrescunt sancti diem, dum suam attendunt imbecillitatem.

Quod futurum est in die iudicij, in die mortis impletur.

Longa restat via etiam modico victuris tempore.

Elementa quomodo tabescent.

Vers. 13.] Nouos verò cœlos, & nouam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.

POst mundi mutationem, eiusdem sequetur mox innouatio, prout promisit Deus, per quā quodammodo, ab iniustitia ex hominum contracta peccatis purgabitur.

Innouatio totius mundi post iudicium futura.

Nouos cœlos, & nouam terram.] Vbi reuerterit Christus in cœlum cum electis, & in infernum abierint cum dæmonibus damnati, erit simul cum purgatione per ignem innouatio inferioris mundi, consentaneo modo ad statum hominis, propter quem factus est, nempe secundum incorruptionem, & vt Paulus [a] loquitur, *secundum liberationem à vanitate, & seruitute corruptionis*: cùm nempe *post traditum regnum Deo, & Patri à Christo, quatenus tunc maxime Patris gloria declarabitur, & qui ad eius pertinent regnum Beati, conquiescent in eius visione, & amore, erit finis* [b], hoc est consummatio, & perfectio partium mundi. *Peracto iudicio*, inquit Augustinus [c], *tunc esse desinet hoc cœlum, & hec terra, quando incipiet esse cœlum nouum, & terra noua. Mutatione namque rerum, non omnino interitu transibit hic mundus. Item* [d], *illa conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt: atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant; vt scilicet mundus in melius innouatus apte accommodetur hominibus, etiam carne in melius innouatis.*

a Rom. 8. 21.
b 1. Cor. 15. 24.
c 20. de ciuit. c. 24.
d cap. 16.

Hæc verba transcripsit Iulianus Pomerius [e]: sicut & omnem ferè de tota hac quæstione sententiam redegit Beda [f] in summam, licet in præsentis loci Commentario de duorum elementorum interitu, hoc est, Aquæ, & Ignis, opinionem suam sancire videatur, quam respuunt Theologi; sed multò magis, quę tollit de medio elementa omnia, cui adhæsisse Philippus [g] Solitarius videtur.

e 3. Prognost. c. 46.
f lib. de ratio. temp c. 69.
g Dioptra, c. 6. & 7.

Quòd si contendas hoc saltem loco cœlos propriè sumi, quamuis hactenus pro aëre, innouatio erit sine purgatione, quia in incorruptibilibus corporibus purgatio non requiritur; nec ignis, per quem fieri purgatio deberet, naturalem actionem habere in corpora incorruptibilis potest. Non rectè etiam dicunt, qui asserunt factos corruptibiles cœlos propter peccatum hominis, aut in deterius mutatos, & contaminatos [h]. Ne id quidem de vlla alia re naturali dici secundum proprietatem potest. Multò minùs probabile, ob præuisum peccatum, conditos cœlos corruptibiles [i].

Cœli non sunt facti corruptibiles propter peccata hominum.
h Chrys. hom. 14. in ep. ad Rom. hom. 10. ad pop. Theodor. in ep. ad Rom. Oecum. ibid.
Quomodo cœli mundi non sint in conspectu Dei.
i Theod. sup.

Cùm Iob [k] scribit *non esse cœlos mundos, in cōspectu Dei*, siue Angelos bonos intelligat, siue orbes cœlestes, vult solùm respectu Dei non habere perfectam munditiam, aut simplicitatis, & sanctitatis, aut immaterialitatis: quo pacto *solus bonus Deus* [l]: *solus habens immortalitatem* [m], & eius beneficio, atque voluntate, perpetuáque ab eo dependentia reliquæ res. Qua ratione Plato [n] Deum supremum inducit alloquentem etiam *inferiores Deos* velut *corruptibiles per se, beneficio autem ipsius incorruptionem consecutos.*

k cap. 15. 15.
l Mat. 10. 18.
m 1. Tim. 6. 16.
n in Timæo.

Itaque admittendo sermonem hîc esse de veris cœlis, quod minimè tamen videtur necessarium, sicut nec in aliis similibus locis [o], cùm in eōdem sensu Petrus loqui semper videatur, priùs autem de aëre sit locutus; & confirmet quod asserit promissis diuinis, quæ continentur in vetere Testamento; si hoc, inquam, concedamus de cœlorum orbibus innouandis, consistet nouitas ista proculdubio in cessatione motus (etsi contrarium Rab. [p] Moses videatur sentire) cuius vsus ad rerum corruptibilium vicarias generationes, corruptionésque dumtaxat refertur, & ad ministerium hominum [q]. Hoc sibi vult *cœlorum in libri similitudinem complicatio* [r], *seu inuolutio*; *quódque non occidet vltra Sol, & Luna non minuetur* [s]: & quod negat Ioannes [t] *tempus amplius fore in cœlo*: & Paulus [u] ait *liberandam creaturam à vanitate*, id est, a mutatione, quæ est seruitus corruptionis. Quod nonnullis visum est non ante absolutas cœlorum conuersiones, reditúmque ad eandem positionem, in qua conditi sunt, mundo finem illum imponendum quem diximus: difficile aliis videtur existimantibus incommensurabiles Orbium motus, vt nec perfici simul omnes queant, nec eandem repetere, quam semel tenuerant, positionem. Sed & Ptolemæus octaui motum cœli ab occasu ad ortū absolui ante sex, & triginta annorum millia dixit non posse. Quis autem tamdiu credat mundum duraturum? Nec verò abrumpi motum absurdum est, qui, vt diximus, non intima cœli perfectio est, sed inseruit homini in præsenti statu corruptionis: & si cœli perfectio esset ob maiorem aliam perfectionem, ab Auctore naturæ ea destituitur.

o Esa. 65. 17. c. 66. 22. Apoc. 21. 1.
p 2. directo. dubio. c. 4.
q Deut. 4. 19.
r Esa. 34. 4. Apoc. 6. 14.
s Esa. 60. 20.
t Apoc. 10.
u Rom. 8. 21.

Verisimile præterea est, adiungendam maiorem lucem; & sic ad litteram cum Hieronymo exponendum Esaiam [x], etsi alij [y] tantùm mysticè, vel figuratè, quando scribit, *quod erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis septempliciter sicut lux septem dierum.* Existimat Ricardus [z] de Media Villa, ex Beatorum corporibus emanaturam hanc lucem nouam in cœlos. Melius fixa lux attribuitur, non pendens ex aliena voluntate, & præsentia subinde mutabili. Nec audiendus Michaël [a] de Palatio nil nouæ lucis futurum, sed deficientibus vaporibus, & nubibus astra splendidiùs rutilatura. Quod aduersus corruptibilitatem dixi, quæ propter peccatum hominis cœlis aduenerit, valet contra opinionem Glossæ [b], multùm de suo lumine solem, ac lunam amisisse, quod ei postea in fine mundi restituatur. Verumtamen non producet cœleste lumen, quod nunc facit calorem, nec quidquam generabit, sicut accidit sub Iosue, cum stetit Sol [c], & in fornace Babylonis, quando pueros ignis ne calefecit quidem [d]: & Mosi [e], cum bis per quadraginta dies, noctésque sine noxa vixit, semel Elias [f], & Christus [g].

Cœlis an sit maior lux adiungenda.
x c. 30. 26.
y Cyril. ibid. & Aug. lib. quæst. vtriusque Testam. in q. 109.
z 4 dist. 48. ar. 3. q. 5.
a in cap. 30. Esaiæ.
b ibidem.
Cœleste lumen post iudicium calorem non producet.
c Iosue 10. 13.
d Dan. 3. 94.
e Exo. 24. 18. infra 34. 28.
f 3. Reg. 19. 8.
g Matth. 4. 2. & seqq.

Pertinet hoc lucis in cœlis incrementum ad feliciorem statum habitatorum cœlestium: tametsi quia suamet illis claritas posset sufficere, dicitur quod *ciuitas illa non egebit sole, neque luna* [h]. Quia verò noua hæc accessio perfectionis abigit præcedētem imperfectionem, vel minorem perfectionem, quæ cum maiore comparata videtur imperfectio; propterea in scripturis cœli transituri [i] dicuntur, & perituri [k], & veterandi [l], quæ formulæ solam indicant accidentalem mutationem: quemadmodum, & cùm additur *sicut opertorium (vel amictum) mutandos* [m], innuitur noua quædam accidentalis perfectio, & forma, ac figura, ablata, & præterita priore figura [n], sic vt ait B. Thomas [o]: vestimentum assumitur ad vsum, cessante verò vsu deponitur; sic cum fue-

h Apoc. 21. 23.
i Mat. 24. 35. Luc. 21. 33.
k Ps. 101. 26. Heb. 1. 11.
l Psal. 101. 27.
m Ps. 101. 27. Heb 1. 12.
n 1. Co. 7. 31.
o in c. 1. ep. ad Heb.

rit completus numerus Electorum, mutabitur cœlum quasi vestimentum, quia iam amplius ad rerum generationem, & corruptionem non inseruit.

Ex eâdem similitudine vestimenti Hieronymus [a] notat perspicue demonstrari perditionem, & interitum cœlorum, qui alibi a scriptura ponitur, non abolitionem, sed commutationem sonare in melius. Affert quod allatum est ex Esaia de lucis additamento. Vtitur item exemplo infantis, qui cum in puerum creuerit, in iuuenem, in virum, in senem, nequaquam per singulas ætates perit: adhæc citat Paulum [b] dicentem, *præterire figuram*, non substantiam: denique affirmat idem hic à Petro significatum per nouos cœlos, & nouam terram. Non dixit, inquit, alios cœlos, & aliam terram videbimus, sed veteres & antiquos in melius commutatos. Ambrosij [c] sententia est: *Pereunt ab eo, quod sunt, dum immutãtur in melius creatura.* Gregorius [d] hoc modo loquitur: *Vtraque hæc*, (cœlum & terra) *per eam, quam nunc habent, imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt.* Confirmat repente à nubis aliquoties Pauli testimonio de prætereunte figura huius mundi; & Christi de transitu cœli, & terræ: & psalmi de vestimenti mutatione: postremò adhibet quotidianũ exemplum terræ, *quæ à sua*, inquit, *specie, hyema i aridıtate deiicit, vernali humore viridescit*: cœli, *quod quotidie caligine noctis obducitur, & diurna claritate renouatur.* In libro de Ecclesiasticis dogmatibus [e] habetur: *Elementa*, id est, *cœlum, & terram, non credimus abolenda per ignem, sed in melius commutanda, figuram quoque mundi*, id est, *imaginem, non substantiam transituram.* Refert ex Proclo Methodius apud Epiphanium [f]: cœlum, ac terram transitura; illud velut fumum futurum, hanc velut vestimentum inueteraturam, vt scriptura loquitur, quia scripturæ mos est, vt hanc mundi transmutationem in meliorem, ac magis gloriosam restitutionem, interitum, ac perditionem dicat: & ideirco, ait dicere non mundum, sed mundi præterituram figuram. Subiungit exemplum, de quo dixi, figuræ puerilis, quæ perdi dicitur, quãdo mutatur puer in virum perfectum. Item illud ea psalmo *renouabis faciem terræ* [g]. His planè similia tradit in huius loci Commentario collector Græcorum Patrum Oecumenius, vsus adhuc artis exemplo conflatoriæ, quæ materias per ignes non destruit, sed purgatiores, & sinceriores reddit. *Quod ad vsum vita huius necessarium est*, inquit, *tollet Deus ac perdet, quidquid ad incorruptibilem conducit, id incorruptibili, & admirabili pulchritudine reformatum, ad secundum, & incorruptibilem mundum ornandum relinquet.* Lege etiam Iustinum [h]. Id præterea verum est, nonnunquam per hyperbolem affirmari, cœlum ac terram interitura, vel sub tacita conditione, si interirent, non tamen defuturam his quæ dicuntur, veritatem, & euentum. Sed hoc ad innouationem, de qua nunc agimus, non pertinet, verùm ad eum, qui ante hanc futurus dicitur, interitum mundi.

Nouam terram.] Iam antè docui, Ignem, & Aquam, vt quidam sentiebant, nõ esse corrumpenda: ex quo sequitur, qualitates quoque suas naturales retentura. Verumque B. Thomas [i] docet, aliique passim Theologi. Item dicendũ de Aëre, quem toties cœlorum vocabulo vidimus appellatum. Si autem proximè præcedentibus verbis cœli propriè sumuntur, nominatim cũ ipsis mentio fit de terra: tũ quia inter Elementa terra primatum obtinet in mixtis: tum quia innouatio in illa magis erit conspicua: tum quia cum terra iungitur cœlo, solent media quoque elementa intelligi, vt primis verbis Genesis [k]: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, & alibi.

Porrò Elementis secundum eas partes, quæ nullam habent permixtionem alienorum corporum, aut qualitatum, non videtur necessaria purgatio, vt igni sub Sphæra Lunæ, Aëri in suprema sua regione: & sic de aliis. Consistet ergo purgatio non quidem dumtaxat mysticè in quadã noua consecratione, ob sordes prius quodãmodo contractas à peccatoribus, vt possit deinceps pro arbitrio inhabitari, tanquam expiatus, & consecratus locus à Beatis: sed etiam physicè à rebus generationi, & corruptioni subiectis, qualia mixta, quæ ignis absumet, frustra quidem [l] flores & similia cõciliantia voluptatem postea saltem germinanda asserunt. Ridicule quoque Lutherus [m] nouos verbi gratia canes, quorum cutis aurea, villi ex margaritis: dracones item, & buffones, & similia nunc venenata, tunc nobis grata animalia, & quidquid exterræ substantiæ, vel affectionis Elementis admixtum est, delatũ in infernum fæcibus, ac excrementis mundi [n].

Ratio porrò illa moralis non habuit locum in cœlo, in quo peccarunt Angeli, si tamen ibi fuerunt (de quo prius dixi) quia breuissima in eo fuit illorum mora; nec in Paradiso terrestri simili de causa: nam si perijt diluuio, hoc multis annorum centuriis postea contigit. Deinde saluis naturalibus eorum qualitatibus raritatis, ac densitatis, grauitatis & leuitatis, & actiuis, sed earum suspensa à Deo pugna, sicut & in humano corpore illarum, quæ ad integritatem ipsius pertinent, addetur Elemẽtis noua quædam claritas & perspicuitas vel inhærens, vel certè ex redundantia luminis cœlestis, quæ redundantia, immotis tunc cœlis, eadem semper erit: nec inuerisimile penetraturũ lumen intrò in terram ipsam, saltem eò vsque, vnde damnatorum incipit habitatio, ita vt perueniat etiam ad limbum puerorum, si Paludano credimus [o], etsi adhuc ibi versaturus illos post resurrectionem affirmemus: de qua re paulo post.

Huic fauent innouationi verba Pauli [p]: *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, i. cùm filij Dei consecuti fuerint gloriam: & vt deinceps ad gloriam illorum faciat, & gloriæ ipsius quandam participationem obtineat, nec amplius generationibus, corruptionibúsque subiecta sit, sic ornatus domus, in quam recipiẽdus est Rex pro Regis gloria: & nutrix pueri regij, quãdo puer principatum obtinet, propter ipsum, inquit Chrysostomus [q], bonis etiam regiis participat.

Si quæras, quem inter se habitura ordinẽ sint Elementa, verum, quod facit dũtaxat difficultatẽ, aquis integetur terra, prout eius natura exigit, qui ordo immutatus est, vt rerũ generationi terra, & hominum habitationi seruire posset: Dicam quæstionis pendere solutionem ex alia quæstione, an cum solo defunctis originali peccato post resurrectionem habitanda tribuetur terra, necne. Beatis quidem discooperiri præter naturæ ordinem terram aquis, minimè necessarium est, cessabitque generationis prior causa, habitationisque. Colligunt aliqui [r] hoc ex Iob [s], *Terminũ circumdedit*

a in cap. 61. Esaiæ.
Cœlorum interitus designat tertium in melius commutationem.
b 1. Cor. 7. 31.
c in c. 1. epist. ad Heb.
d 17. Moral. c. 5.
e c. 70. apud Aug. Tom. 3.
f hæresi 64.
g psal. 103. 30.
h lib. Qu. ad Orthod. in 93.
Ignis & aqua non sunt corrumpenda.
i 4. dist. 47. q. 2. a. 3.
k cap. 1. 1.
Purgatio non necessaria est elementis non permixtionem habent.
l Anselm. in elucidario, & Gul. Paris. apud Car. 4. dist. 48.
m T. 2. Col. fol. ...
n B. Thom. 4. dist. 47. q. 2. a. 1. q. 1. Basil. in Psal. 28.
Cœlum purgatione non indigebit.
o 4. dist. 48. q. 2.
p Rom. 8. 21.
q Ibid.
Quem ordinem sint inter se habitura Elementa.
r Pineda in c. 26. Iob.
s c. 26. 10.

circumdedit aquis, vsque dum finiantur lux, & tenebræ, id est, vicissitudo diei, noctisque.

An sint Baptismo infantes decedentes terram sint habituri.

Quod ad illos attinet, quos &, cœlum non admittit, & infernus non arcet, quia & felicitatis cœlestis incapaces sunt ob originarium peccatum, & inferni non merẽtur pœnam, quam sentire debent hi dumtaxat, qui propria voluntate culpas adiecerunt, arbitrati sunt nonnulli in hanc terram educendos, in qua liberè, atque cum quadam naturali beatitudine etiam externa vel fruentur.

Refert Augustinus [a] Pelagianos promisisse paruulis non baptizatis extra regnum Dei, hoc est, extra domum cœlestem, & visionem Dei æternam, & beatam quamdam vitam suam, seu beatitudinem naturalem. Addit Hieronymus [b] Sauonarola, Ambrosius [c] Catharinus, Albertus [d] Pighius hos futuros beatos post iudicium naturali beatitudine, idque in quodam veluti paradiso terrestri. Confutat acriter hanc sententiam, & prolixè Bellarminus [e] omni genere argumentorum ex Scriptura, Conciliis, Patribus, ratione, quibus demonstrat esse inimicos Dei, sub potestate diaboli, à Deo damnatos, filios iræ, nullum esse locum medium, sed qui non est cum Christo, esse cum diabolo [f], & Catharinum redarguit, quòd asseruerit non futuros post iudicium sub diaboli potestate, sed pro illis etiã tali tempore censeri diabolum *eiectum foras* [g], *habituros cognitionem* de Deo, & substantiis aliis separatis, multò præstantiorem quàm habuerint Philosophi: visitationes præterea interdum, & reuelationes Angelorum. Sapienter Augustinus [h]; *nulla, inquit, ex nostro arbitrio, præter Baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina humanis omnibus ingeniis præferenda.*

Bellarminus sententia de pueris sine Baptismo decedentibus.

Nihilominùs visa est Salmeroni [i] probabilis hæc opinio, & Pinedæ [k]. Ego non ausim penitus improbabilem iudicare, demptis iis, quæ asserũt Catharinus, & Salmeron de libertate à potestate diaboli, déque visitationibus, atque reuelationibus angelicis; licet ea potestas diaboli non sic accipiatur, vt etiam non vexet illos. Nam vt ratiocinatur Pighius [l], talis videtur eorum futurus status, qualis foret hominum in puris, vt dicunt naturalibus productorum, si nempe vel nũquam morerentur, vel mortui suscitarentur; quæ duo supra naturæ humanæ sunt conditionẽ. Et si nullo posito peccato resurrectio daretur, videretur conueniens locus talibus corporibus assignãdus, in quo nempe cum quadam honesta voluptate versari possent. Tunc ad locum Iob de terminis aquarum vsque dum finiantur lux, & tenebræ, responderetur, vt ad alia similia, significari quid vsque ad illum terminum erit, non negari, quin post illum perseueret.

Opinio eorum qui dicunt infantes non baptizatos futuros extra damnationis statum, quatenus non sit improbanda.

Secundum promissa ipsius.] Κατὰ τὸ αὐτοῦ ἐπάγγελμα. Sed alij codices habent plurali numero κατὰ τὰ ἐπαγγέλματα. Ex Latinis nonnulli, omissio, *secũdum & promissa*, quidam *iuxta promissum*. Facilis mutatio ex κατὰ in κατ, vel contra ex τὸ in τὰ, & ad ἐπάγγελμα accedere potuit τα in fine. Sic interpres videtur legisse, & sic legit Augustinus [m], & quidam codices manuscripti Bibliothecæ nostræ Romanæ, & impressi Complutenses, & Louanienses anni 1547. Fateor enim in pluribus esse *& promissa*. Intelligit Petrus côtenta in Esaia [n] promissa de nouis cœlis, nouáque terra. Thomas Anglicus legens *& promissa* exponit de Christo cùm dixit: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis* [o], &c. Addit Hugo, & Catharinus eandem sequuti lectionem, locum Apocalypsis [p]: sed hæc scripta est post istam epistolam. Lucas etiam non meminit de nouis cœlis, nouáque terra.

Potuit præterea Petrus respectum habuisse ad eiusdem Esaiæ [q] locum, quem trãscripsit Paulus [r], in quo est, *quod nec audita, nec visa sunt, quæ præparauit Deus* expectantibus eum. Pro expectantibus *diligentes* positi sunt à Paulo, qui etiam expressit *non ascendisse in cor hominis*, &c. Porrò quamuis vltimum Esaiæ testimonium, prout etiam citat id Paulus ad literam de statu Ecclesiæ militãtis possit intelligi per aduentum primum Christi, necnon alia duo de noua quadã facie, ac forma eiusdem Ecclesiæ, vt docent enarratores, quo pacto in rebus lætis *noua videntur fieri omnia, etiam lux*, vt est in libro Esther [s], non excluditur tamẽ triumphantis gloria, felicitásque, ad quam tendit militans per omnia illa dona, quæ ipsi beneficio, ac merito eiusdem Christi communicantur. S. Thomas [t] exponens Paulum, Esaiæ locum postremum de visione beatifica sumit, sicut & Ambrosius [u], & Dionysius. Hieronymus [x] alia duo interpretatur de Ecclesia triumphante, necnon Augustinus [y], Athanasius [z], Ambrosius [a], Theodoretus [b], Tertullianus [c].

In quibus iustitia habitat.] Si promissum numero vnius legitur, non possunt hæc ad illud spectare, sed si plurali. Sensus autem erit, cuius meminit Catharinus, Deum in promissis iustum esse, præstando, quæ promittit. Aliter intelliguntur ista de cœlis, aut veris, comprehendendo simul terram, aut aëreis, vt elucescat iustitia diuina, cùm proferetur generalis de hominibus sententia, & pro meritis cuique attribuetur quod suum est, & assignabitur singulis conueniens locus, vel ad pœnam, vel ad præmium: & perpetua loci assignati constantia erit, absque corruptionis mutationísque vicissitudine, sine cõtagio peccatorum, quod attinet ad hunc qui suprà inferos extat mũdum. Ad hunc fere modum omnes explanant præsens pro futuro tempus accipientes. Gagneius etiam post Erasmum, & Adamus, Asel, Feuardentius, Catharinus, & Caietanus eos, in quibus iustitia habitat, aiunt esse illos, qui expectant nouos cœlos, & terram nouam: nec enim iniusti expectant, aut expetunt; certè non iure: quoniam solis iustè viuentibus hæc promittuntur.

Iustitia cœlestis habitationis in quo consistat.

Iustitiam cœlestis habitationis multis describit verbis Esaias [d], postquam de cœlis nouis, terráque mentionem fecit: sed & æternitatem memorat suppliciorum pro Damnatis. Philippus [e] Solitarius præsentem locum exposuit de cœlis: in his iustitiam habitare, hoc est Deum, qui est sol iustitiæ. Durior expositio: ex aliis melior, quæ communior: ad quam tamen & hæc postrema commodè reuocari potest. Tempus illud, iustitiæ erit, hoc misericordiæ. Intra militantem Ecclesiam sinit misericordia diuina peccatores esse: intra triumphantem *non admittet iustitia quidquam coinquinatum, aut abominationẽ faciens, & mendacium* [f].

Vers. 14.] Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace.

HOc ipsum est, quod verbis Apocalypsis modo dicebam, *non intraturum in ciuitatem cœle-*

a de hær. c. 88. lib. 1. de Orig. animæ c. 9. lib. 2. c. 12. & alibi.
b li. de Triumpho Crucis.
c lib. de statu puerorum sine Baptis. decedentium, & in hunc ep. locũ.
d controu. 1.
e lib. 6. de Amiss. gra. & statu peccati c. 1. & 3.
f ita loquitur Aug. 1. de pec. mer. 1. c. 28. & ser. 14. de ver. Apost. & Auctor Hypogn. lib. 5. vltrà modum apud Aug. & de in c. 14. Ioan.
g Ioan. 12. 31.
h 1. de pecca. mer. c. 23. & refertur cap. nulla de consec. dist. 4.
i hoc loco, & in c. 5. ep. ad Rom. disp. 48.
k in Iob cap. 26. ver. 10.
l supra.
m 20. de ciu. c. 18.
n c. 65. 17. c. 66. 22.
o Luc. 22. 28.
p c. 21. 1.
q c. 64. 4.
r 1. Cor. 2. 9.
s c. 8. 16.
t 1. Cor. 2. lec. 2.
u Præpara. 1. ad Missam.
x in Esa. citatis locis.
y 20. de ciu. c. 21. & 26.
z lib. 1. de fide Vnius & Trin.
a in c. 1. epist. ad Hebr.
b ibid.
c lib. de resurrect. Carnis.
d c. 65. 17. & seq. c. 66. 27. & seq.
e 5. Dioptra, c. 6.
f Apoc. 21. 27.

stem aliquod coinquinatum, &c. vt ideirco satagendum sit, vt eam gamus immaculatam, inuiolatamque vitam. Gemina huic Pauli sententia: *Habentes promissiones, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Item: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem, fidelis enim est qui repromisit, &c. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet, & non tardabit. Iustus autem ex fide viuit, quod si subtraxerit se, non placebit animae meae.* Hoc est expectando satagere.

Ergo per diuinam gratiam possumus consequi veram sanctitatem, & maculis carere peccatorũ grauium, siue mortalium, quae sola nomen merentur absolutum, macularum. Ad hoc *elegit nos Deus vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate*: *sine macula, & ruga*: *& irreprehensibiles, & perfecti in Christo Iesu*. In vita ipsa, huius nimirũ vitae posse nos immaculatos esse, aliquot locis canit Dauid. Hic autem ipse *in cogitationes intentus dierum antiquorum, & memoriam annorum aeternorum*, & meditationẽ, atque exercitationem mentis circa diuinum iudicium, *scopebat spiritum suum*. (vel vt alij legunt *scopabat*; vel scobebat; vel vt Augustinus, Symmachus, V. Editio, Psalterium vetus, Theodotio, *scrutabatur*; vel vt Psalterium Romanum, & Ambrosianum, *ventilabat*. Vel vt Aquila, *effodiebat*, & *scalpebat*, vel, vt Chaldaeus, & alij, *peruestigabat*.) Scopere à Graeco σκοπεῖν, est explorare, scrutari, ac veluti fodere quasi agrum, vt ait Hieronymus: qui etiam legit *sarriebam*, quod LXX. habent σκάλλων, etsi alij σκύλλω vexabat, aut in prima persona. Scops etiam auis Latinè Asio vel Otis noctu maximè cernit, ac multiplici capitis flexu & circumiactu hominem demiratur, & contemplatur, illius imitãns vocem, gestúsque: Scopandi verbum à Scopis deducitur, quibus euertuntur sordes: Scobere à Scobs deriuatur, quae est id, quod ab aliqua materia minutissimum decidit, vel per sertam secatur, vel per terebram perforatur, vel lima politur. Consulatur illius loci noster commentarius.

Satagite.] Lege capitis primi versum decimũ.

Immaculati, & inuiolati.] Ἄσπιλοι, καὶ ἀμώμητοι. Primum de venialibus in corpore, secundum de criminalibus in mente. Glossa Interlinearis explicat, quam Hugo interpretatur, vt per corpus intelleserit inferiorem partem rationis: Thomas sensualitatem. Idem praeterea Thomas, & Lyranus de carnalibus; ac proinde de spiritualibus secundũ. Carthusianus ait praecipi puritatẽ mentis, & corporis, per fidem, & opera, à peccatis mortalibus, & venialibus, & à venialibus cauendum: sed fortassis non de istis intendit modo Petrus: videntque possunt duo nomina synonyma. Interpres prius nomen Graecum vertit alibi *sine macula*, & immaculatum: posterius, pro quo alij hic legunt ἀμώμητοι, *sine reprehensione*: Vtrumque significat & *irreprehensibilem*, & incontaminatum seu immaculatum. ἄμωμος, siue ἀμώμητος: Sed hoc praesertim carentem reprehensione, quae scil. reprehensio de macula fieri solet, vel à momo. Innuit vt Gnosticorum turpitudines vitẽtur, à quibus liberum se iustus seruare potest, non autem ab omni peccato veniali.

Inueniri ei.] Vel ab eo, quem nihil latet; vel iudicio ipsius, quod falli non potest: vel in conspectu eius, & sincerè: vel ad honorem, & gloriam illius, non vt placeatis hominibus, vt effugiatis damna, vt commoda reportetis dumtaxat.

In pace.] *Pacem habens diligentes Deum, & iustificati*; cum Deo, cum proximo, & secũ, siue cum animi sedatis perturbationibus, propter trãquillitatem conscientiae, & subiectam spiritui carnẽ. Referri quoque haec possunt ad expectationem, vt expectent in pace iudicij diem, vel mortis etiam animo quieto, pacato, aequo.

Vers. 15.] Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: sicut & charissimus frater noster Paulus secũdùm datam sibi sapientiam scripsit vobis.

Hortatur magis magísque ad patientem expectationem futuri iudicij, dilato eius tempore bene vtendo: quod ad salutem Deus dat pro sua benignitate, sicut & antea Paulus sapienter praescripserat.

Domini nostri longanimitatem.] Μακροθυμίαν, quae differt, ac expectat, & spatium dat ante iudiciũ, vel mortem, & ad poenitentiam adducit. Singularis, miroúsque probabilis Primasij expositio de longa Iesu Christi imitatione, & perpetua malorum toleratione, vt scilicet per hanc arbitrentur se consequi salutem debere.

Salutem arbitremini.] Tum propriè maiorem confirmationem, & incrementum cum accessione meritorum, quo diutiùs retinẽtur in vita: cum plurium aliorum conuersionem, donec nempe compleantur conserui eorum, & fratres. Maximam laetitiam iusti percipiunt ex aliorum colortio iustorum; sicut pretiosi sacerdotalis vnguenti exemplo, roríque foecundãtis Dauid ostendit. Immo Primasius animabus interfectorum sub altari singulas stolas, laetitiam summam interpretatur, quam conceperint ex reuelatione de numero aliorum Martyrum ipsis adiungendo.

Sicut & carissimus frater noster Paulus.] Confirmat Pauli testimonio, quẽ & laudat, tum vt modestiae Christianae det exemplum primus Pastor non dedignans citare inferiorem: tum vt ei conciliet auctoritatem, quem quia cum caeteris electus Apostolis non fuerat, negabant aliqui Apostolum esse: tum vt approbaret doctrinã eius, cui repugnabant ex Circumcisione fideles nonnulli praesertim: tum vt ob dissidium illud inter ipsos exortum Antiochiae omnes intelligerent nihil in animo Petri haesisse suisteriojs de Paulo sententiae, nihil in voluntate alienationis ab eo. Magnam istam concordiam inter Apostolos Gregorius, Symbolo mysticorum explicans animalium, quae se tangebant, Paulum considerantem aliorum sanctitatem, & mala praeteritae persecutionis suae, ait appellasse *se minimũ Apostolorũ*, *indignum hoc nomine*, non attendẽdo, quàm multos ex praecepto intellectu praecederet: Petrum in Paulo miratum sapientiam: sanctos denique mutuo sibi diuina dona cõmunicare, vt fructus suos regiones inter se. Docet praeterea, cùm Petro Paulus in faciem restitisset, idqùe etiã se fecisse scriptis mandasset, ac reprehensibilem Petrum nominasset, & simulatorem, hypocritámque; tamen à Petro Paulum in epistolis admirandũ nominari scribique, in quibus legeret, quod de ipso ille scripsisset.

Marginal notes: 1. Cor. 7. 1. — Hebr. 10. 22. — vers. 35. 36. 37. 38. — Habac. 2. 4. Rom. 1. 17. Gal. 3. 11. — Per diuinã gratiam consequi veram sanctitatem. — Eph. 1. 4. — Col. 1. 22. — ibid. 28. — Psal. 14. 2. Psal. 17. 31. 33. Psal. 18. 8. Psal. 100. 2. Psal. 118. 1. — Psal. 76. 5. 6. 7. — ibid. 7. — Eustathius, Aelianus, Athenaeus, Plinius, Vlysses Ald. in ornith. — 1. Timoth. 6. 14. Iac. 1. 27. Pet. 1. 19. Phil. 2. 15. — Psal. 118. 165. Rom. 5. 1. — Rom. 2. 4. — Apoc. 21. Iusti maximam laetitiam percipiunt ex aliorum numero. — Psal. 132. & seq. — in Apoc. c. 6. — Petrus Paulum laudat, seque inferiorem. — Gal. 2. 13. & seq. — hom. 10. in Ezech. Apostolorum concordia. — 1. Cor. 15. 9. — ibid. — idem hom. 18 in eandem Prophetiam. — Gal. 2. 11. 13.

Petrus cur Paulum laudauerit.

Amicus ergo veritatis, ait Gregorius, *laudauit etiã quod reprehensus est; atque ei ad hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter, quàm debuerat sensit: séque etiam minori fratri ad consensum dedit, atque in eadem re factus est sequens minoris sui, etiam vt in hoc præiret; quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus & in humilitate.* Pergit deinde idem moralissimus Pater humilitatem Petri exaggerare, & è contrario superbiam nostram, docetéque Apostolorum primum fuisse, non alium, cum quo Paulus contendit: Petri quoque epistolam, non alterius istam esse, in qua laudatio Pauli continetur. Sed hoc de hac epistola testimonium in præfatione posuimus.

Veritati libenter acquiescamus.

Hoc exemplo acquiescamus libenter veritati: ne lacessiti quidem vindicemur: aliena libenter ac beneuolè tum legamus, tum laudemus. *Hanc tantam mansuetudinem nos imitari non possumus*, inquit idem Gregorius, *sed quia pauimentum sumus, lõgè inferius iacemus; porta illa surrexit in altitudinem, quia cum virtutibus humilis, Petrus, in reprehensionibus permansit.* Discamus Pauli epistolas magni facere, quas tanti Petrus fecit, vt legeret atque commendaret.

Petrus Damiani [a] scribit Apostolum Petrum Pauli admiratum sapiẽtiam. Richardus S. Victoris [b] docens exemplis aliorum viros bonos humiliari, & accendi, probat exemplo Antonij, qui se comparatione Pauli anachoretæ nec Monachi dignum nomine censebat [c]: Pauli Apostoli, qui se quoque negabat dignum, vt diceretur Apostolus. Et minimum vocabat, & Ecclesiæ persecutorem, dum aliorum innocentiam respiciebat: denique Petri, qui non considerans, quòd esset primus Apostolorum, in Paulo mirabatur, commendabátque sapientiam: maximum esse animæ decorem, si post omnium virtutum perfectionem, possideat humilitatem, & cum sit magni meriti, magnum se esse nesciat.

a lib. 2. ep. 16. ad Desid. abba. & Cardin. b p. 2 in Cant. c. 3.

c Hier. in Paulo.

Magna perfectio est possidere humilitatem cum sit magnus meritis, magnum se esse nescire.

Secundum datam sibi sapientiam.] Iam dixi, iudicio Gregorij videri Petrum Pauli sapientiam admirãdam visam. Videri potest canonica hæc Pauli scriptorum approbatio ab eo, cuius est eam dare. Datam sapientiam intelligit infusam siue in raptu [d], siue alio tempore. Sic laudandi laude digni, vt quicquid tamen laudabile in eis est, in Deum referatur. Quia verò mentionem facit Petrus de hac Sapientia, non de sola intelligit longanimitate Dei, sed de alijs multis, de quibus ipsemet Petrus scripserat, vt satis indicant sequentia verba (loquens in eis de his) De eloquentia Pauli memini alibi [e] me dixisse. De sapientia hoc pacto Hilarius [f]: *Qui cæli circulos, incertus corporeus, an incorporeus* [g], *peragrans, fidelior Paulo dictorum propheticorum interpres extitisti? Quis inenarrandia cælestium mysteriorum audiens sacramenta, & tacens, maiore hac fiducia reuelata sibi à Deo scientia prædicasti? Quis ad plenitudinem Dominicæ passionis cruci reseruandus, antea in paradisum raptus euadens* [h], *melius de diuinis scripturis electionis vas docuisti*, &c. Ipsemet Paulus testatur, diuini Spiritus reuelationem se accepisse, & locutum in doctrina Spiritus [i]. Non dubitat Chrysostomus [k] eũ in doctrina omnibus præferre, & appellare *totius sapientiæ magistrum* [l]. Ait quoque ab eius se lectione numquam discessisse [m]. Prodit & Augustinus [n] ab se lectum præ ceteris, denique [o] *nihil nobis*, inquit, *isto viro notius, nihil suauius, nihil in scripturis familiarius est.* Ambrosius [p] Paulum cum Beniamin comparans, docet, ei datas partes quinque [q], alijs singulas, scilicet

Sapientia Pauli quanta, & quando ei data.

d 2. Cor. 12. 2. &c.

e Act. 14. 11. f 3. de Trin. g 2. Cor. 12. 2. 3.

h ibid. Patrum de sapientia B. Pauli præconia. i 1. Cor. 2. 13. k Proœm. in ep. ad Rom. l hom. 8. in Ioan. m Proœm. in ep. ad Rom. n 7 Conf. c. 21. o in Psal. 147. p in Psal. 118. q Gen. 43. 34.

sapientiæ principatum ad euocandas Gentes, vt pote quæ sapientiam quærant [r]. Hieronymus [s] quotiescumque Paulum legat, *videri sibi scribit non verba audire, sed tonitrua, & fulmina.* Nazianzenus [t] vocat *discipulum piscatorum simul & magistrum.* Et quamuis primum scholiastes Elias exponat, quia post Apostolos prædicauit, & consentanee ad eorum doctrinam: & contulit Euangelium cum Apostolis [u]: secundum propter Timotheũ, Onesimum, & similes: tamen potest hoc quoq; intelligi, quoniam poterant ipsimet Apostoli ab eõdem doceri, quæ per diuinas reuelationes, & visiones acceperat [x]. Deniq; coniectura fieri de sapientia Pauli potest, ex ea, quæ fuit in Dionysio, & quam ei refert acceptam, suum, ac Hierothei secundum solem appellans, perfectorem, ducẽ [y], & sapientissimum intellectualium. Nimias vsque ad insaniam literas in Paulo esse, Festus præses dixit [z]. Eloquentiam Paulo non defuisse, iam dixi; nulla alia eminuisse, miror quid in mentem Laurentio Vallæ fuerit affirmare [a]. Doctissimis, disertissimísque Chrysostomo, & Ambrosio adeo familiaris fuit Pauli lectio, vt eius ipsius Pauli aspectu dignati prodantur [b]. Nimij illi laudatores Pauli merito ab Irenæo reprehenduntur [c], qui solum cognouisse veritatem dicebant.

r 1. Cor. 1. 22. s ep. 50. t orat. 13. contra Eunom.

u Gal. 2. 2.

A B. Paulo Apostoli doceri potuerunt. x 2. Cor. 12.

y de Diui. nom. c. 3. & 7.

z Act. 26. 24.

a lib. 4. eleg. in princ.

b in vita Chr. & de Ambr. c Lib. 3. c. 13.

Scripsit vobis.] Qui putant propriè scripsisse Petrum fidelibus ex Circumcisione, seu Hebræis dispersis, qui euaserant Christiani, possent dicere indicatam hic epistolam ad Hebræos. Beda, Hugo, Thomas, Carthusianus, Adamus, Glossa ordinaria, Lyranus, Caietanus, Feuardentius, & ceteri ferè omnes respondent, epistolas quoque alias quæ datæ sunt ad particulares Ecclesias, dici posse scriptas omnibus, propter vtilitatem communem, & quia scripturæ sacræ sunt communes toti Ecclesiæ. Sed Carthusianus vult innui eas epistolas potissimùm quas Paulus ad Asiæ scripsit Ecclesias, vt ad Galatas: Caietanus addit ad Ephesios, Colossenses, Laodicenses (quæ non extat) quoniam Petrus dispersis in Asia scripsit. Oecumenius ait indicatum præcipuè hîc à Petro locum ex epistola ad Romanos, in cuius capite secundo [d] agitur de patientia, longanimitate, benignitate expectantis ad pœnitentiam Dei: addit ea etiam, quæ paulo post à nonnullis deprauata dicuntur, contineri eadem epistola ad Romanos, vt videbimus.

De quibus B. Pauli epistolis B. Petrus loquatur.

d vers. 4. 5. 6.

Hieronymus [e] præterea epistolæ ad Romanos obscuritatem confirmat præsenti testimonio Petri, cùm scribit versu sequenti esse *in epistolis Pauli quædam intellectu difficilia.* Sequitur eamdem sententiam Gagneius [f], Pererius [g]. Clarius [h], notátque primus sic legendum hunc locum resecando (*sicut &*) quæ posteriore ponuntur loco *sicut & charissimus, &c. Scribit vobis in omnibus epistolis.*

e ad Hedib. q. 10.

f hoc loco. g in epist. ad Rom. h hoc loco.

Sunt & in epistola ad Hebræos loci obscuri, & à decimo capite vsque ad finem epistolæ multifariam hortatur Paulus ad patientiam, perseuerantiam, expectationem diuinarum promissionum: quod & hic facit Petrus. At epistola ad Hebræos non ad illos, qui per Asiam erant dispersi, sed qui versabantur in Iudæa videtur scripta, vt non satis firma ratio censenda sit Baronij [i], Riberæ [k], Catharini [l], Salmeronis [m], Sà [n], Bellarmini [o], docentium propterea indicatam à Petro dictam epistolam ad Hebræos. Quod vrgent videri notatam certam vnam epistolam, nec aliam esse, quam scripserit ad Hebræos, præter eam, quæ inscribitur ad eos; ponunt ad Hebræos

In epistola ad Hebræos loci sunt obscuri.

i Tom. 1. An. anno 60. Chr. k Proœm. in epi. ad Heb. c. 1. l hoc loco. m ibid. n ibid. o lib. 1. de verb. Dei, c. 7.

Petri

Petri epistolas scriptas: quod iam dudum in præfatione refellimus, atque, vt modò dixi, cum ait Petrus *scripsit vobis* certum notat locum, expressis fere verbis, quæ sunt citato capite secundo [a] epistolę ad Romanos: quę licet ad Romanos scripta, ad omnium simul aliorum vtilitatem condita est.

Quapropter placet mihi, vt simul designatus sit præcipuè locus ille epistolæ ad Romanos, simul alij aliarum epistolarum, in quibus paulò post monet difficultates nonnullas reperiri. Nihil autem demendum de textu siue Græco siue Latino iam approbato, vt paulo etiam post dicam.

Vers. 16.] **Sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.**

AIt non vno dumtaxat vnius epistolæ loco, sed pluribus aliis epistolis consentanea his, quæ ipse nunc dixerit, vel hactenus in ista, & epistola priore Paulum docuisse, quamuis in deteriorem nonnulli partem Pauli scripta, sicut & alia acceperint, ad suam ipsorum damnationem.

Sicut &c.] Has dictiones duas eradi vellet Gagneius, vt præmonui, Erasmus quoque videtur deleuisse *sicut*; omnes Latini codices ambas retinent, & Græci ὡς καὶ. Indicat Petrus, vt dixi, non vna, sed omnibus epistolis Paulum disseruisse iisdem de rebus, de quibus egerit ipse in suis.

In omnibus epistolis.] Non debuit Erasmus textui addere (*ferè.*) Quare tam multas epistolas scripserit Paulus plusquam cæteri Apostoli, alibi [b] cum Cyrillo Ierosolymitano [c] notauimus. Recensentur Pauli quatuordecim epistolæ: in quo numero concordiam veteris Testamenti per decem designati ob Decalogum, & noui propter quatuor Euangelia, Gregorius [d], Anselmus [e], & alij obseruarunt. Quod adiiciunt ad retinendum in illarum epistolarum numero dictum mysterium, Ecclesiam non recepisse illam, quam scripsit idem ad Laodicenses, caret probabilitate, si videlicet Ecclesiæ constabat reuera editā à Paulo. B. Thomas [f] docet vel non penitus Ecclesiæ de illius epistolæ auctoritate constitisse: vel ab hæreticis deprauatam fuisse, vel nihil continuisse quod nō haberent epistolæ aliæ. Deprauatam itidem testatur Philastrius [g], Theodoretus [h] confictam vocat: esse Pauli negant Epiphanius [i], & Hieronymus [k]; confudisse Marcionem cum ea, quæ est ad Ephesios, testis Tertullianus [l]; quam recitat Iacobus Faber [m], & meminit Sixtus [n] Senensis, esse Lutetiæ in codice Sorbonicæ Bibliothecæ, ac Patauij in Bibliotheca S. Ioannis à Viridario, indigna Paulo videtur. Theophylactus [o] vult esse priorem ad Timotheum, dici verò Laodicēsium, quia scripta ex Laodicea.

Vero similior cōiectura eiusdem Theodoreti, atque Chrysostomi, Oecumenij, Glossæ Interlinearis [p], Laodicensium epistolam non esse, quam ad illos Paulus, sed quam ad hūc ipsi scripsissent. Credibile Theodoretus putat, Laodicenses per epistolam accusasse quæ fiebant Colossis, aut eodem etiam ipsos, quo Colossenses morbo laborasse, vt referret, si legeretur à Colossensibus, quam scripserant ad Paulum Laodicēses epistolam. Nō appellat Paulus epistolam πρὸς Λαοδικεῖς ad Laodicenses, sed ἐκ Λαοδικείας, ex Laodicea. Lege Pamelium [q], Baronium [r], Pererium [s], Iustinianum [t]. Sed hic cum Catharino [u], Theophylacti probabilem sententiam putat, quam equidem probare nullo modo possum, etiamsi post istos Antonius [x] Scainus annuere videatur.

Loquens in eis de his.] De longanimitate Dei, de pœnitentia, de bonis operibus.

In quibus sunt quædam difficilia intellectu.] Non refertur illud *in quibus* ad epistolas, sed ad ea, de quibus tractatur in epistolis: nam Græcum pronomen οἷς non est fœminini generis, cuius est nomen τῶν ἐπιστολῶν. Citat Robertus Stephanus tres codices qui habent ἐν αἷς, nimirū ἐπιστολαῖς. Difficiles esse scripturas ad intelligendum, hoc vnum Petri testimonium confirmat, præter alia earundemmet scripturarum & Patrū, ac prętet experimentum, quod ne Hæretici quidem negare reipsa possunt, qui licet verbo negēt, tot editis tamen Commentariis adeo dissidentibus inter se, satis demonstrant minimè obuiam, & facilem esse illarum intelligentiam. Hoc ex professo probant Cantapetrensis [y], Salmerō [z], Bellarminus [a], & in defensione eiusdem Gretserus [b] contra Hæreticos asserentes omnium Patrum Commētariis scripturas esse clariores, ita vt sicubi sit difficultas, possit alio ex loco earundem scripturarum nullo negotio solui: denique facilè omnes percipi, dummodo quis non sit infidelis, aut superbus [c], aut ignarus linguarum [d]. Lege, si placet, quæ diximus in cap. VIII. Actuum Apostolorum.

Affert duodecim difficultatis, & obscuritatis causas Salmeron & alias nouem, ob quas voluerit eam Deus illis inesse: Refellit quoq; octo Aduersariorum argumenta, Bellarminus autē vndecim. libri sunt pię manibus: parcam labori superuacaneo tuo, meóque. Idem Salmeron [e] quinquaginta collegit locos obscuriores ex Epistolis Pauli: comprobans quoque testimonio Irenęi [f], Origenis [g], Hieronymi [h], ostendens quo modo illis locis abusi sint aliqui ad errores suos. Addēdus Augustinus [i], qui hanc in Paulo difficultatem agnoscit, ac præ se fert.

Non sunt hi indocti, & instabiles, quibus solis exponunt Hæretici esse difficilia intellectu quædam in Epistolis Pauli. Hęreticorū hæ notæ sunt, quos paulo post dicit Petrus, quæ non intelligāt, deprauare. Nō etiā valet responsum Kemnitij [k], non loqui hoc loco Petrum de Pauli Epistolis, sed de rebus, de quibus agūt: & hoc indicare pronomen neutrum οἷς Nam præterquam quod noui alios codices habere αἷς, difficultatem, quæ in rebus est, Petrus hic intelligit, prout verbis Pauli exprimitur, quæ verba per prauam intelligentiam ab aliis detorquentur.

Causa difficultatis in Paulo, est multitudo, & altitudo rerū, quas tractat: quia hyperbatis vtitur *ob velocitatem sermonis suorum*, inquit Irenæus [l], *& propter impetum, qui in ipso est, Spiritus*: quoniam habet elocutiones interdum confusas, & minus explicitas, inquit Origenes [m]: *quia profundos sensus græca lingua, quam non satis callebat, commodè interpretari non poterat*, inquit Hieronymus [n]: quia peculiares vsurpat dicendi modos, ac idiotismos, vt obseruauit Nyssenus [o], enumerans aliquot exempla, nec nō Chrysostomus [p], idémque Hieronymus [q]. De his quoque Salmeron [t], qui etiam prolixè disputat de particularibus aliis rationibus obscuritatis & difficultatis Epistolarū Pauli, tradens certas

regulas,quibus declaretur, & explicetur[a]. Tandem, tanta Interpretum Pauli multitudo,quanta nullius alterius authoris abunde persuadet quàtam contineat obscuritatem,& difficultatem.

Thomas Anglicus suspicatur,data opera Paulum obscurè scripsisse,vt celaret Hæreticos:vt autem intelligeretur à simplicibus,Epistolas misisse discipulis,qui eas exponerent.Fortassis dicere voluit,misisse per discipulos, vt constat ex ipsismet eiusdē Epistolis:Tychicus de illis vnus fuit,cuius post annorum tot centurias Sergius Monachus & auctor Hagiomachorum nomen assumens, & personam,à Paulo ipso se missum dictitabat.

Quæ indocti,& instabiles deprauant.] Lege quos afferre Salmeronem[b] dixi locos quinquaginta ex Epistolis Pauli,quibus Hæretici sunt abusi ad errores. Augustinus[c] indicat eos locos,in quibus videtur fidei plurimùm tribuere, operibus nihil, quasi sola sufficiat ad salutem fides. Oecumenius ait,ex verbis illis[d]: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia*,quosdam collegisse; *Peccemus amplius, vt nobis remittatur. Nihil autē mirū*,ait Tertullianus[e] *si & ex ipsius*(Pauli) [f] *instrumento captentur argumenta, cùm oporteat hæreses esse, quæ esse non possent,si non & perperam scriptura intelligi possent.*

Indocti.] Ἀμαθεῖς,Suo licet iudicio doctissimi,& præclaro vocabulo dicti Gnostici: immò & pro animi perulcacia indociles, quia sapientiæ quæ desursum est,expertes,cuius vna conditio est, vt sit *suadibilis*[g], εὐπειθής,hoc est,reddens eos,in quibus est tales.Item[h],vt sit *bonis consentiens*. Profitentur Hæretici[i] se omnium Patrum, Conciliorum,Angelorum dicta nihili facere,nihil consensum tot seculorum, ac totius populi Christiani: scripturas tantùm recipere, sed reseruata sibi eas interpretandi auctoritate, vt quod interpretentur,hoc sensisse Spiritum sanctum credēdum sit: quod alij quamuis magni,multique,à Spiritu Satanæ,& alienata mente profectum:omnes Patres periisse,si senserunt vt scripserunt,nisi fortè & resipuerint ante supremū vitæ diem. Egimus & capite primo[k] nonnihil de Hæreticorum ignorātia.

Instabiles.] Ἀστήρικτοι. *Circumferuntur omni vento doctrinæ*[l] Hæretici,nec in vna hærent diu sententia, vt quod Saxonem dixisse Ducem ferunt Felericum, *Quid nunc credant,nosse:quid anno credituri sequenti sint,diuinare non posse. Mirior*,ait Tertullianus[m], *si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea cōposuit ille,qui tradidit.* Lactantius[n] huc videtur allusisse,cùm scripsit, quòd *Hæretici cùm neque ingenio,neque doctrina defendere,ac refutare talia difficilia possent(nec enim vim,rationémque penitus peruidebant)deprauati sunt ab vnvere recto, & cælestes litteras corruperunt*, *vt nouam sibi doctrinam sine vlla radice,ac stabilitate componerent.*

Deprauant.] Στρεβλοῦν. *Detorquent*,ac veluti tormentis adhibitis habēt de scripturis quæstiones, vt non quod veritas exigit,sed quod volūt,exprimāt. Hoc de Hæreticis asserunt passim Patres,atque ex perperā intellectis hæreses scripturis natas. Huc alludens Athanasius[o],scribit *illos pro sua ignorantia & inconstantia libidine,per vim illas detorquere.* Audiuimus paulo ante Tertullianum dicētem hæreses esse non posse, *si non & perperam scriptura intelligantur: quamuis vsspera sint litteris renunciabiles*[p]. Docet quoque[q], vel ab Hæreticis quasdam non recipi,vel adiectionibus,& detractionibus interuerti,vel nō integras recipi,vel diuersas expositiones commentando,cōuerti. Similia sunt apud Vincentium Lyrinensem,aliósque permultos. Acute Augustinus[r] hoc etiam prolato Petri testimonio *feras arūdines,siue calamos Hæreticos interpretatur,quoniam*, inquit,*non intelligendo nocent; & scripturarū sensum pro suo errore peruertunt:per calamū quippe iam conuenienter scriptura significatur,quàm sermo per linguam:& vt styli nomine,quod stylo fiat,ita calami dici potest scriptura eandē ob causam.* Tritū illud Hilarij[s], *ex perperam intellecta scriptura natas hæreses:* ipséque Lutherus[t] scripturam librum Hæreticorum vocat. Ceteram scripturam,ac nasum cereum rectè cum multis appellaueris:vel imaginem cōfictam,& confectam ex regia, quæ inest in ea,diuināque dissoluta imagine,vt loquitur Irenæus[u]. Vt plurimùm,non quòd scripturas contemnant, sed quòd eas non intelligant,esse Hæreticos,idem Augustinus[x] docet. Nihilominus pauci sunt ex Hæreticis,qui non aliquas scripturas denegēt:vt Pauli epistolas omnes iam inde ab ætate eiusdem Pauli,qui Paulum quoque vocabant Apostatam, quia legis veteris vinculo absoluebat Ebionitæ. Testis Irenæus[y],ac Nicephorus[z], & de Cerinthianis alij:de Eucratitis Eusebius[a],& Nicephorus[b]:de Helchesaitis Eusebius[c],& Nicephorus[d]. Marcionitæ[e] solas recipiebant ad Timotheum, & Titum,quas etiam peruertebant.

Ad suam ipsorum perditionem.]Etiam ad aliorum, quos falsa doctrina corrumpunt,si Theopompus, vt scribit Iosephus[f],& Eusebius[g],quod aliquid ex libris diuinis Græca oratione ornare conatus fuerat,mētis diuinitus immissā agitatione ab incepto desistere compulsus est: Theodectes(alias Theodorus)tragœdus glaucomate percussus,quia nescio quid etiam ex iisdem ad fabulam trāsferre decreuerat;de insania quoque Garciæ Sancij Pacentia memorat Iacobus[h] Simancas dum sacris amoribus locos Iob accōmodaret,mente lapsum esse,hāc vniuersa Hispania eius rei causam fuisse pronunciante: quàm dirum illos existimabimus manere supplicium, qui sacrilege abutantur ad impios errores,& religiones superstitiosas,& famosos libellos? Apponēti,vel diminuēti de Apocalypsi minitatur Ioānes[i] plagas,& exclusionem a libro vitæ,& ciuitate sancta. Minas illas Tyconius[k] interpretatur & Beda,& alij de falsatoribus sanctarum Scripturarum. Nec ad laudes quidem virorum alioqui piorum permittit Gregorius[l] detorqueri Scripturas, quæ propriè conueniant Deo,vel Christo. Lege Decretum Tridētini Concilij[m] aduersus abutentes Scripturis. Ezechielem Iudaicarum poetam tragœdiarum Clemens Alexandrinus[n] memorat versibus argumēta impunè Scripturę diuinæ illigasse;credo quòd reuerenter id fecerit,sicut adeo multi postea etiā viri sancti.

*Vers.*17.]Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate.

CAuta, & sollicita præmonitio, sibi vt ab iis caueāt,de quibus ante dixit,vtq; in sana doctrina,quam acceperunt,constanter perseuerent, nec se a Fide abduci sinant. Poterant ergo nō perseuerare,semélque habitā veram fidem, ac iustitiam amittere. Probat id in libro de bono Perseuerantiæ Augustinus, & aliquoties ipsi ostendimus in hac, prioréq; epistola. Nominatim Paulus[o] quosdā scribit,*circa fidē excidisse & à veritate*[p]. Monet præterea *ne vos seduci sinamus*[q]; *sed stabiles,*

a Ibidem per multas disp.

b Tom. 13. disp. 2.

c de Fide, & Operib. c. 14.

Loci quibus hæretici vsi sunt ad stabiliendos suos errores.

d Rom. 5. 20.

e lib. de Resurrect. carnis, cap. 40.

f 2. Cor. 11. 19.

g Iac. 3. 17.

h ibidem.

i Luthe. lib. Co. Regem Angliæ & in Colloq. mensalibus, & in cont. Erasm.

k vers. 16.

l Ephe. 4. 14.

Hæretici omni vento doctrinæ circumferuntur.

m de Præscrip. cap. 42.

n li. 4. ca. vlt.

Hæreses ex scripturis perperam intellectis manant.

o epist. ad Antiochum.

p de Resurre. carnis, ca. 40. & cap. vlt.

q de Præscri. cap. 37.

r in Psal. 57.

Hæretici sunt feræ arundinum siue calami.

s 2. de Trinit. sub princ. & lib. de Synod. sub finem.

t Præf. H. Becca anno 1536.

u lib. 1. cap. 1.

x epist. 222.

Hæretici pauci sunt, qui non aliquas Scripturas denegent.

y lib. 1. ca. 26.

z lib. 3. ca. 13.

a 4. hist. c. 26.

b lib. 4. ca. 38.

c lib. 6. ca. 38.

d lib. 5. c. 24.

e Prascolas.

f 12. Antiq. cap. 2.

g 8. Præp. c. 2.

h in Institut. Catho. ca. 29. in fine.

Pœna eorum qui Scripturas in profanum sensum detorquere valuerunt.

i Apo. 22. 19.

Cui simile locus Deut. 4. 2.

k hom. 18.

l li. 4. epist. 7.

m sess. 4.

n lib. 1.

o 1. Tim. 6. 21.

p 2. Tim. 2. 18.

q 2. Thess. 2. 3.

& immobiles simus [a]; & *vt qui se existimat stare, videat ne cadat* [b].

a 1.Cor.15.58. b cap.10.12.

Fratres.] Græcè Ἀγαπητοὶ *Dilecti*, siue *Charissimi*: quamuis & nonnulli codices adducunt ἀδελφοὶ *fratres*.

Præscientes.] Quæ prius dixit, siue de iudicio futuro, siue de falsis doctoribus, nec tamen tā mihi videtur velle vt habeant præcognitionem futurorum, quàm ponere iam satis admonitos, & cōsecutos cognitionem de his quę oportebat, & ipse scripserat, & instruxerat aduersus Gnosticos, & similes alios.

Custodite.] φυλάσσεσθε. *Cauete*, sic vulgari multarum Nationū lingua custodire se ab aliquo, est, cauere illud, vitare, fugere, &c. Vsurpatur eodem sensu verbum διατηρεῖν, vt dicatur quis se διατηρεῖν ἔκ τινος: *Custodire se ab aliqua re* [c]. *Deus custodire aliquem à malo* dicitur [d]: φυλάξει ἀπὸ τοῦ πονηροῦ: Item *aliquis custodire se immaculatum ab hoc seculo* [e], ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τοῦ κόσμου.

Custodire est cauere & fugere.

c Act.15.29. d 2.Thess.3.3. e Iacob. 1.27.

Insipientium.] Ἀθέσμων. Ambrosius [f] (*Nefariorū*) quo modo etiam nouarum versionum cōditores reddiderunt. Sicut sapientem sumit crebrò Scriptura pro iusto, sic insipientē pro iniusto. Et ἄθεσμος est *exlex*; qui scilicet perinde legem non seruat, ac si penitus eam ignoraret. Nefandos Interpres capite priore [g] exposuit, nec alium Noui Auctorem Testamenti hac vsum voce reperio.

f de 42 Mansionib. in 38.

Sapiens pro iusto, insipiens pro iniusto in Scriptura sæpè sumitur.

g vers.7.

Errore traducti.] Συναπαχθέντες. Ambrosius [h], hísque quos ante dixi, *abducti*; quod etiam ad verbum reddere possemus, *simul abducti*. Alibi: συναπαγόμενοι ταπεινοῖς Latinè dicuntur *humilibus consentientes* [i]: & de Barnaba, quo συναπήχθη τῇ ὑποκρίσει *ductus est simulatione*: siue in simulationem [k]; est συναπάγεσθαι vt dixi, simul abduci, & abripi. Ergo quemadmodum Paulus [l], quò vitarent magis superbiam Romani, quod nimirum ceteris nationibus imperio, aliísque multis de causis excellerent, hortatus est, *ne alta saperent, sed humilibus consentirent*, siue personis, siue potiùs rebus omnibus, id est, impetu quodam ab iis abduci se, abripíque sinerent: ita nunc è contrario cauet Petrus, ne quis permittat, quod aliis dixit idem Paulus [m], verbis *doctrinis variis, & peregrinis abduci*. Διδαχαῖς ποικίλαις, καὶ ξέναις περιφέρεσθαι *circumferri*, hoc est, doctrinis nihil solidi continentibus, & hominum inconstantium, quique Catholicorum castra deserentes, vagabantur, & tanquam πλάνοι, id est, errones versabantur ἐν τῇ πλάνῃ in errore; atque vt alibi adhuc ab eodem Apostolo scribitur [n], *fluctuando circumferebantur omni vento doctrinæ*. Optimum aduersus hoc inconstantiæ periculum, *gratia stabilire cor*, vt præcipit idem Paulus [o], videlicet gratum faciente, & sanctificante. *Nam qui bonam conscientiam repellunt, circa Fidem naufragant* [p]: & *corrupti mente, sidem reprobi sunt circa fidem* [q]. Qui autem gratiam illam bonis operibus conseruant, nec *in escis ambulant* [r] siue obseruationibus legalibus, siue corporeis voluptatibus, quod vtrumque illius temporis Hæretici faciebant, in orthodoxa etiam fide fixi perseuerant.

h supra.

i Rom.12.16. k Gal.2.13. l Rom.12.16.

Romanos cur Paulus hortatus sit vt humilibus consentirent.

m Heb.13.9.

n Ephes.4.14.

o Heb.13.9. *Quomodo quis caueat, ne fiat hæreticus.* p 1.Tim.1.19. q 2.Tim.3.8.

r Heb.13.9.

Excidatis à propria firmitate.] Vel propria firmitas est idem quod vestra, nimirum firma fides vestra, atque etiam sanctitas, & innocētia: vel quòd doctrina, quam accepistis, & est sola propriè firma, &, vt priore scribebat epistola [s], vera gratia Dei, in qua starent. Firmitatem simul Fidei, & morum Lyranus comprehendit, ne nouitios mores, vel doctrinas admittant.

s cap 5.12.

Moribus (adde, doctrinis) *antiquis stat res Romana fietique*. Hugo subtiliter iungens postrema primis huius epistolæ verbis, quod dicitur de firmitate, scilicet, vt ipse sumit, patientiæ, nec non constantiæ in Fide, ad nomen refert Petri: quod sequitur: *Crescite verò in gratia*, ad nomen Simonis, qui interpretatur obediens, & talibus datur gratia: quod additur, *& cognitione* ad id, quod ibidem habetur: *Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione, &c.* Colligi hinc porrò potest, amitti posse Christianam fidem: quod non aptè hoc loco & aliis refellit Caluinus.

Vers. 18.] Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi. Ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

IAm dixi cum Hugone, apprecatoriā clausulam istam similem esse ei, quæ initio epistolę posita est: ex quibus refellitur aliquoties notatus à nobis error existimantium, aut omnes in iustitia pares hìc esse, aut definitum esse terminum, vltra quem in hac similiter vita procedi non possit.

In iustitia omnes pares non sumus.

In gratia, & in cognitione.] In illa præcipue, sed per maiorē cognitionem, vel quia ipsamet maior cognitio ex gratiæ sequitur incremento, cognitio, inquā, potissimùm practica. Cognitionis verò mētio inculcatur propter Gnosticos, vt sæpe monuimus, qui nomine ipso suo illā prę se ferebant, ac profitebantur. Eumdē in huiusmodi cognitione profectum Paulus aliis optabat, postulans *vt implerentur agnitione voluntatis Dei* [t], *in omni sapientia, & intellectu spirituali*. *Existimabat quoque omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Domini nostri Iesu Christi* [u]: prætereа petebat, *vt daret Deus Spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitione eius, & illuminatos oculos cordis, &c.* [x] Quin & Deus protestatur *scientiam se sui malle, plusquàm holocausta* [y]. pro qua scientia Chaldæus ponit *operantes legem Domini*, sicut cum conqueritur Propheta *non esse scientiam Dei in terra* [z], pro scientia reddit timorem: quo item pacto Cyrillus [a] intellexit, & Cyprianus [b]: nam qui *dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est*: de quo loco egimus in Commentario epistolæ Ioannis primæ [c], ac de tota re.

t Coloss.1.9. u Phill.3.7.8. x Ephes.1.17. y Osee 6.6. z ibid. c.4.1. a ibidem. b sermo. Domin. orationem. c Ioan. 2.4.

Iesu Christi.] Additur in quibusdam codicibus Græcis, [d] καὶ Θεοῦ Πατρὸς, *& Dei Patris*. Sed pronomen singulare ipsi obstat aliquo modo: licet dici posset innuere vnitatē naturę: prætereа quòd non soleat præponi Filius Patri, quamuis hic ordo nihil detrahat de consubstantialitate.

d Apud Rob. Stephanum.

Et nunc, & in diem æternitatis.] Εἰς ἡμέραν αἰῶνος. Habent alij [e]: καὶ νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. *Et nunc, & semper, & in secula seculorum.* A Michæa [f]: *dies æternitatis* numero plurali nominantur, à Dauid *anni æterni* [g].

e Apud eundem. f cap.5.2. g Psal.76.6.

DEO IESV CHRISTO
laus & gloria.

INDEX

INDEX
RERUM, ET SENTENTIARUM
AMPLISSIMUS, NECNON ET
CUIUSCUMQUE GENERIS VERBORUM
PHRASEONQUE DIVERSARUM QUÆ IN
hoc toto opere continentur.

A

B

C

Chri

D

Dauid

Deus

Doci

E

Exitus

Gratiam

Impi

K

L

N

Q

R.

S

Semen

T

Z

FINIS.